SANCTI
ANTONINI

SUMMA THEOLOGICA

ANTONINI
SANCTI.

SANCTI
ANTONINI
ARCHIEPISCOPI FLORENTINI
ORDINIS PRÆDICATORUM

SUMMA THEOLOGICA
IN QUATTUOR PARTES DISTRIBUTA,

Ad vetuſtiores libros exacta, & ab innumeris mendis correcta, & poſterioribus Conciliorum, præſertim Tridentini, ac Pontificum Romanorum decretis in adnotationibus ad calcem paginarum ſubjectis, aliiſque obſervationibus & Prælectionibus illuſtrata, Vita Auctoris, & indicibus rerum præcipue moralium locupletiſſimis aucta.

PARS PRIMA.

Costo el de Forno con los otros tres que componen la obra del D.r Joachin Crespo Pontevedra Leon 200 rs.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

VERONÆ, MDCCXL.
Ex Typographia Seminarii, Apud Auguſtinum Carattonium.
SUPERIORUM PERMISSU.





BENEDICTO XIIII
PONTIFICI
MAXIMO.

PETRUS BALLERINIUS PRESBYTER VERONENSIS.



UUM inter univerſas omneſque ſummas, quæ publici boni cauſſa in Romanis Pontificibus eminere debent virtutes, illa præſtantiſſima habenda ſit, quæ in totius Eccleſiæ bonum omnium maxime confert; nulla profecto in iiſdem erit præſtabilior optimis ſtu-

ſtudiis, quæ ſi non ad inanem pompam, ſed ad publicum Eccleſiæ bonum traducantur, nihil eidem Eccleſiæ accidere poſſit utilius, nihil fauſtum ac fortunatum magis magiſque jucundum. Ego ſane in Te, PATER BEATISSIME, tot ac tam præſtantes, omneſque Chriſtianæ rei utiliſſimas, Petrique ſucceſſore dignas virtutes intueor, ut ſi eas vellem indicando complecti, nedum exornare dicendo, anguſti nimium nuncupatoriæ epiſtolæ limites nequaquam ſufficerent. At quum optima ſtudia dignoſcere, poſſidere, fovere, ac in publicam rem, quacumque ratione poſſes, eorumdem uſum convertere præcipuum ſemper in Te fuerit; ſine, quæſo, ut prætermiſſis ceteris, quæ de Te alii jam prædicarunt, ac prædicant, de hac una, quam Summi Pontificis potiſſimam laudem diximus, & in qua Chriſtiana res maxime lætatur, alitur, atque augetur; ſine, inquam, ut de hac una laude liberius aliquanto atque luculentius eloquar.

In primis vel una Præfatio in præſtantiſ-

ſimum

ſimum opus de Feſtis a Te noviſſime editum, antequam a Bononienſi ad Romanam cathedram adſcenderes, de recta illa ſtudiorum optimorum ratione, quam & Tu coluiſti ſemper, & colendam aliis præcepiſti, luculentiſſimum teſtimonium præbet. Juris enim Canonici, cui potiſſimum Te a primis annis dediſti, ſtudium commendaturus, Theologiam etiam laudas, p. xxxi. edit. Bononien. an. 1740. *quam & olim cum Canonico jure unam fuiſſe, & nunc ab eodem non disjungendam oſtendis: neque enim, ut Doviati verbis loqueris, aliud eſt verum Canonicum jus, niſi* ad vitæ uſum aptata & in ipſis rerum argumentis poſita Theologia: *unde antiquis temporibus (ut bene obſervas) nulla erat Theologorum & Canoniſtarum diſtinctio. Huic autem Canonico & Theologico ſtudio Eccleſiaſticam hiſtoriam,* p. xxxiv. *quam ii ſoli contemnunt, qui eam ignorant, vel ei addiſcendæ minus habiles a natura, aut a quadam laboris intolerantia infenſi ſunt, adjiciendam ſuades; præclaroſque eorum Auctorum labores commendas, qui e ſacris annalibus,*

bus, e veterum canonum ac veteris disciplinæ penu, & ex universis antiquitatis monumentis, quæ hac florentissima ætate quamplurium eruditorum opera prodierunt in lucem, in Canonicam atque Theologicam rem ab origine illustrandam libros edidere doctrina & eruditione confertos. Hinc ejusmodi studium, quod [1] Ecclesiasticam eruditionem *appellas, eximie deprædicas, ejusque utilitatem non solum, sed necessitatem etiam enixe ingeris, illisque* [2] *graviter succenses, qui sola vulgari Theologia Scholastica contenti, istud despiciunt, lacerant, criminantur. Quin veram Scholasticam Theologiam non illam esse, quæ solis metaphysicis & inanibus atque sophisticis ratiocinationibus distinetur, sed illam, quæ* dogmatica *vulgo nuncupata, ex Ecclesiasticæ eruditionis fontibus potiora argumenta derivat, alio in* [3] *opere fusius statuisti.*

Neque hæc tam præclara studia aliis tantopere commendasses, nisi Tumetipse, SAPIENTISSIME PONTIFEX, in ipsis strenue diu

no-

noctuque verſatus, eorum pulchritudinem, vim, ac fructum toto animo præcepiſſes. Cujus rei illud jam inde a primis annis argumentum fuit luculentiſſimum, quum Romæ, ubi[4] annos quadraginta perpetuos vixiſti, *in Academiis adſiduus, in unaquaque*[5] *facultate eximia & ingenii & eruditionis & doctrinæ ſpecimina præbuiſti, quorum adhuc memoria in pluribus coætaneis Tuis viget adhuc, æternumque vigebit.*

Ne vero hæc tanta ſtudiorum optimorum cura inaniter cederet, omnia quæcumque hiſce ſtudiis eras aſſecutus, in publicum Eccleſiæ bonum traduxiſti. Non dicam heic, quantum ea Chriſtianam rem juverint, quum Tibi ſive viginti circiter annos Fidei Promotori in ſacra Rituum Congregatione, ſive a Secretis Congregationis Concilii per annos decem, plura in publicas res ſcribenda demandata fuerunt[6]*, in quibus ſacram eruditionem cum Canonica & Theologica doctrina conjunctam miratus ſum, omneſque mirantur. Neque de aliis*[7] *inſtructionibus vel Conſtitutionibus Apoſtolicis meminero, quarum pa-*

ran-

randarum, ſive ſcribendarum cura a Summis Pontificibus Tibi tradita fuit : adeo Te adhuc in minoribus inter ceteros habilem ac publicæ rei utilem Romana Sedes agnovit. Dicam potius de editis jam operibus Tuis ; ſeu ipſa de Te magnificentius & luculentius loquantur. Immenſum & præſtantiſſimum opus de Beatificatione & Canonizatione Servorum Dei *quattuor magnis voluminibus digeſtum, omnigena ſacra eruditione ac ſcientia refertum, nonne tantum eſt, ut pro ritu in beatificationibus atque canonizationibus adhibendo regula in poſterum ſolemnis ac tutiſſima futurum ſit? In alio vero opere paullo ante memorato, ubi de feſtis ac de ſacrificio Miſſæ latiſſime diſſerens, ex penitioris antiquitatis theſauro ac ex dogmaticis Theologiciſque Scriptoribus præclariſſima profers, nonne Cleri & populi inſtitutionem ſpectaſti, cui ſimilem inter alias Epiſcopales reperire haud facile licebit? Quid porro niſi exactum Bononienſis Eccleſiæ regimen proſpexerunt quinque illa edictorum, ſeu, ut Italice vocas, Notificationum*

volu-

vocas, Notificationum volumina, in quibus ſi eruditionis, ſi civilis, ſi Canonici juris, ſi Theologicæ diſciplinæ ſcientiam quiſpiam quærat, nihil deſiderabit; omniaque hæc quatenus in praxi ad corrigenda vitia moreſque reformandos conferre & conſpirare utiliter poſſint, plane intelliget. Quin ea, quæ hac ratione ſapienter prudenterque tractata ſunt, eo magis proficiunt, quod ad lectionem alliciunt etiam exteros, qui in ejuſmodi ſcriptis non tam Paſtorem audiunt, quam Doctorem & Tractatorem eximium legunt; unde factum eſt, ut ejuſmodi opera undequaque quæſita, ac pluries paucis annis recuſa, non uni Bononienſi, ſed toti Eccleſiæ profuerint.

Hinc porro anguſtam nimis provinciam Tibi eſſe Bononienſem, aut aliam quamlibet particularem Eccleſiam plures rati, dignum omnino cenſebant, qui totum Chriſtianum orbem regeres. Ita pariter quum noviſſime de eligendo Clementis XII ſucceſſore ageretur, poſt diuturnam Sacri Collegii deliberationem, ut primum in Te conjecti fuerunt oculi, Te repente præter opinionem omnium,

non humano utique consilio, sed Deo *inspirante atque movente, summa consensione omnes renuntiarunt. Quod quum Romana urbs, quum Italia, cæteræque etiam remotiores audierunt provinciæ; lætari omnes & gestire, in spem certissimam erecti, fore ut Tu hoc in auctoritatis & dignitatis gradu locatus, Ecclesiæ bonum multo magis promoveres.*

Neque spem hanc subsecuta deinceps opera fefellerunt. Nam vix Catholicæ regimen Ecclesiæ suscepisti, PATER BEATISSIME, multis licet distractus, bellorum præsertim, sollicitudinibus, quæ ab egregiis etiam cœptis magnanimos quoque viros revocare solent, in disciplinam Ecclesiasticam toto orbe restituendam cogitationes atque operam contulisti. Rebus pluribus edoctus, sine doctrinarum & doctorum hominum ope nihil magnum in ipsa disciplina posse Romanos Pontifices promovere, Academias quattuor, quibus ad fovenda studia & ad doctos homines formandos nihil utilius expertus fueras, statim erexisti in Urbe: quarum prima de Conciliis

ciliis triplex quæſtionum genus pertractet, hiſtoricum, Canonicum, atque Theologicum: altera hiſtoriam Romanorum Pontificum, rerum liturgicarum materiam tertia, quarta vero Romanas antiquitates illuſtret. His autem Academiis certi dies ſtatuti, certa libellis editis præfinita argumenta, & præſtantiora, quæ Romam ex toto orbe confluunt, ingenia ad diſputandum & conferendum deſtinata; quibus ut vires & animum acueres, jam ab ipſo Pontificatus initio illud & ſæpius & coram multis teſtatus fuiſti, ſolos doctos & vera Eccleſiaſtica ſcientia doctos, qui Eccleſiæ prodeſſe maxime poſſunt, primum & præcipuum locum apud Te eſſe habituros, quum de promovendis ad Eccleſiaſticas dignitates deliberandum erit. Hac induſtria Tibi ad Eccleſiaſticam diſciplinam reformandam contendenti multos præparas & effingis, qui tam præcellens conſilium adjutum ire ex ſententia poſſint.

Interim vero quid Tu per hoc circiter biennium in hanc rem non egregie & utiliter præſtitiſti? Apoſtolicæ Conſtitutiones & litteræ, quibus

ac-

accuratæ ſacrorum miniſtrorum electioni, ordinationibus, reſidentiæ, aliiſque Epiſcoporum officiis, Eccleſiaſtico jejunio, Religioſorum ac Monialium clauſuræ, ſacramenti pœnitentiæ ſanctitati, indiſſolubili matrimonii vinculo, legitimæ ſacrificii Euchariſtici celebrationi, Græcorum catholicorum ritibus, Chriſtianæ doctrinæ rite tradendæ rationi, aliiſque graviſſimis Eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus conſuluiſti, abuſuſque, qui irrepſerant, de medio tollere auctoritate Apoſtolica niſus es; ejus ſtudii ac ſollicitudinis Tuæ publica teſtimonia ſunt. Alia aliis in rebus utilia ac neceſſaria eduntur in dies; aliaque ſimiliter ſubinde edenda a Te exſpectat & ſperat Eccleſia: ita ut eam morum diſciplinam, quam a primæva longe deſciſcentem, & multis partim corruptelis, partim etiam liberiorum ingeniorum, opinationibus fœdatam nonnullibi [8] deploras, brevi per Te, SANCTISSIME PATER, reſtauratam ac reſtitutam videamus.

Neque hæc per Te agere efficereque contentus, alios quoque, præſertim Epiſcopos, eadem præ-

clara

clara cura laborantes, nec tam obſequentes Apoſtolicis præceptis & litteris tuis, quam proprium aliquid in eumdem finem molientes, hortaris, laudas, additiſque ſtimulis excitas. Teſtis inter ceteros Veronenſis Epiſcopus Joannes Bragadenus optimæ diſciplinæ ſtudioſiſſimus, qui quum occaſione viſitationis ſacrorum liminum, de ſuæ diœceſeos ſtatu referens, ſignificaſſet, ſe ejuſdem diſciplinæ ſanioriſque morum doctrinæ propagandæ ſtudio editionem curaſſe Summæ Theologicæ S. Antonini e Prædicatorum Ordine Archiepiſcopi Florentini; a Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis Præfecto litteras accepit, quæ id conſilium Tuo nomine perhonorificis verbis probarunt. Quin quum edita deinceps volumina ad Te tranſmiſſa fuiſſent, meum quoque laborem, quo eam editionem poſterioribus decretis, aliiſque adnotationibus ac prælectionibus in commodiorem noſtrorum morum ac temporum uſum adauxi, pro ſumma humanitate Tua probatum Tibi fuiſſe nonnulli teſtati ſunt: in quo tamen non mea, ſed Tua potius, ex quibus ego ſæpius profeci, quæ-

que

que identidem allegavi opera, Te probasse credide-
rim. Hæc porro universa, quum de eligendo hujus
editionis patrono quæreretur, nullum alium præ-
ter Te, SAPIENTISSIME PONTIFEX, si annueres, esse eligendum, memorato Joanne
Bragadeno Episcopo approbante, suaserunt. Ita-
que quum eodem curante Episcopo illam in patro-
cinium susceperis, ipsam ego nunc Tuis Sanctissimis
pedibus sistens, immortali nomini Tuo do, dono,
dedico, eamdemque ut benigne recipias ac tuearis
quasi rem Tuam, etiam atque etiam rogo. Qua
cum editione si in me quoque SANCTITATIS
TUÆ, seu egregiorum tuorum operum admira-
torem, prædicatorem, cultoremque non minimum
oculos conjicere, meque in clientelam Tuam susce-
ptum Apostolica benedictione dignaberis; novum
humanitatis & clementiæ Tuæ argumentum erit.
Deus Te, PATER BEATISSIME, Ecclesiæ,
cujus bono adeo naviter consulis, in annos pluri-
mos sospitem incolumemque conservet.

Veronæ V. Idus Augusti Anni MDCCXLII.

AD-

ADNOTATIONES.

1 IN opere Italice inſcripto, *Annotazioni ſopra le Feſte di Noſtro Signore* &c. edito Bononiæ an. 1740. hæc in præfatione leguntur pag. XXXVI. *Oggidì ſi è fatta una certa nuova profeſſione detta d' Eccleſiaſtica erudizione, ch' è di tanto ornamento alla noſtra Santa Religione, e con cui gli Eccleſiaſtici ſi mettono in grado di poter adempiere le parti del loro miniſtero, e provedere inſieme al biſogno, che ſe ne ſente, e promovere l' utile, che ſe ne ſpera. Il gran Cardinal Bona, Monſignor Leon Allacci, il P. Criſtiano Lupo, il Mabillon, il Martene, e tant' altri, che nel decorſo dell' opera ſi vedranno nominati, ſono ſtati chiari lumi dell' Eccleſiaſtica erudizione: e le loro illuſtri fatiche ſono ſtate e ſono di grand' ajuto al Theologo per illuſtrar i dogmi di noſtra Fede, al Canoniſta per ben ſapere l' antica diſciplina tanto profittevole per ben regolare la nuova.* Et poſt nonnulla pag. XXXVII. *Uno ſtudio tanto utile e tanto neceſſario e che è l' applicazione d'una gran parte del Mondo.*

2 Ibidem pag. XXXVIII. *Chi ha fatti i corſi (*ſcolaſtici*) ſi contenta degli ſcritti del ſuo Maeſtro, de' quali poi anche in breve ſi dimentica; e quando per impoſſibile ne conſervaſſe un' eſatta memoria, ciò nemmeno baſterebbe, non eſſendovi Maeſtro, che ſappia tutto, e non potendo il Maeſtro porre nè ſuoi ſcritti, quanto avrà veduto e letto nei libri degli altri: e per coprire queſta loro vergognoſa condotta, a mezza bocca ſi dice, che baſta il corſo della Teologia Scholaſtica; ſi va motivando l' inutilità degli altri predetti ſtudj, e chiaramente poi ſi va dicendo, che non v' è il comodo di poterli fare.* Et mox poſtquam de ejuſdem Theologiæ Scholaſticæ commendatione & utilitate nonnulla dicta fuerunt, ne ea reprobata videretur, hæc ſubjiciuntur: *Replichiamo non eſſer eſſa baſtante, ed eſſer aſſolutamente neceſſario all' Eccleſiaſtico, per ben compir la ſua incombenza, il far paſſaggio agli altri ſtudj poc' anzi accennati.... Noi quì nè punto, nè poco parleremo per confutare la preteſa inutilità degli accennati ſtudj, eſſendo già tutto il Mondo perſuaſo della loro utilità e neceſſità.*

3 In alio opere Italice ſcripto cum titulo, *Notificazioni* &c. parte 3. Notificat. 1. *Chi dunque ha la capacità di ſtudiare la Scolaſtica Theologia, non laſci di fare in eſſa, avanti di giungere al Sacerdozio, un corſo almeno di tre anni; eſſendo Noi ben informati, che in queſta noſtra Città non mancano profeſſori, che la ſanno inſegnare a dovere, che non la laſciano priva dell' autorità delle divine Scritture, de' Padri, e de' Concilj, e che ſono del tutto diſſimili da quelli, contro de' quali giuſtamente inveiſſe Melchiore Cano nel ſuo lib.* 8. de Locis Theologicis *al cap.* 7. Et cum in his Sacrorum librorum teſtimonia rariſſima
„ ſint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleat, nihil ne ex gravi philo-
„ ſophia quidem, ſed fere puerilibus diſciplinis, Scholaſtici tamen, ſi Superis placet, Theo-
„ logi vocantur, qui ſophiſmatum fæces in ſcholam inferentes, & ad riſum viros doctos inci-
„ tant, & delicatiores ad contemtum.

4 Ita ipſe de ſe affirmat in paſtorali epiſtola ad Anconitanos, quam ei Eccleſiæ præpoſitus ſcripſit VI. Kal. Martias an. 1727. Ea tom. 5. Notificationum ſubjecta legitur.

5 Id aperte teſtatur Auctor opuſculi inſcripti, *Notizia delle Accademie erette in Roma per ordine della Santità di N. S. Papa Benedetto XIV. Roma* 1740. ubi antecedentium Academiarum mentionem faciens, quas ille reſtituere ac in optimam formam redigere ipſo Pontificatus initio ſtuduit, hæc de eodem pronuntiat pag. 8. *In quante dotte adunanze allora in Roma erano, ſempre da maeſtro in ogni facoltà con ampiezza d'erudizione e profondità di cognizione le più difficili materie trattava.*

6 Præter *Vota* quædam, ut appellantur, ſeparatim edita, plura id genus continentur in tribus primis tomis *Theſauri reſolutionum Sacræ Congregationis Concilii*, Urbini an. 1739. qui acta exhibent annorum, in quibus Lambertinius ejuſdem Congregationis a Secretis fuit.

7 Sic ex. gr. Inſtructio ad Ordinarios tranſmiſſa pro examine ad curam animarum ita inſtituendo, ut non voce, ſed ſcripto caſus proponantur, ac reſponſiones dentur, edita die 10. Januarii 1720. & Bullario Clementis XI. inſerta, hoc eodem Pontifice jubente a Lambertinio tum a Secretis Congregationis Concilii ſcripta fuit, poſtquam eidem Pontifici atque Congregationi placuiſſent, quæ ille in eam rem docta quadam oratione congeſſerat. Vide tom. 1. Notificat. 7. & ſimiliter eximia Conſtitutio *Apoſtolici Miniſterii* pro Hiſpani Cleri reformatione primum edita ab Innocentio XIII. ac dein a Benedicto XIII. ad omnium Eccleſiarum inſtitutionem extenſa, & ſubjecta Concilio Romano an. 1725. Lambertinii laboribus parata & digeſta fuit, ut liquet ex Notific. 2. ejuſdem tom. 1. Inſtructionem quoque pro relationibus Epiſcoporum in viſitatione ſacrorum liminum utiliter habendis memorato Concilio Romano jubente idem exaravit ex Notific. 12. tom. 2.

8 In jejunio Eccleſiaſtico ex. gr. *jejunantium corruptelam*, quam & diſpenſandi facilitas nimia, & hominum liberrime opinantium temeritas promoverat, quamque nonnulli *per humanas & hominibus a Chriſtiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes* conſervare ac defendere nitebantur, duæ Apoſtolicæ litteræ reprehendunt. Similiter in Conſtitutione ſuper clauſura Regularium Apoſtolicas leges ac præcepta circa eam edita, alii *auſu temerario parvipendere*, alii vero *ad eorum arbitrium interpretari* ex ingenio notantur. Quam interpretandi & opinandi licentiam in ipſis Apoſtolicis matrimonialium diſpenſationum litteris adhibitam deplorat noviſſima Conſtitutio diei V. Kal. Martias an. 1742. cum ſuſpenſa ab Ordinariis illarum litterarum executione ob defectum cauſſæ, quæ veritate non nititur, a nonnullis de Urbe nonnumquam *reſponderi ſolet, exſecutionem perperam & injuria denegatam fuiſſe; quia expreſſio cauſſarum earumque verificatio in diſpenſationibus non eſt aliquid ſubſtantiale, ſed formalitas quædam & forenſis ſtili conſuetudo.... quæ pauci vel nihili facienda eſt.* Quot ejuſdem furfuris in aliis materiis obtinent, & ita obtinent, ut praxim plurimorum regant, & contranitentes in ridiculum etiam adducant?

INDEX

EORUM, QUÆ HAC IN PRIMA PARTE CONTINENTUR.

PRæfatio, *in universam S. Antonini editionem.* pag. I.
Admonitio in Vitam S. Antonini. XXI.
Vita ejusdem. ibid.
Prologus. col. XXIII.
Cap. I. *Acta Vitæ usque ad Archiepiscopatum susceptum.* XXIV.
Cap. II. *Eximiæ virtutes S. Antonii in administratione Episcopali.* XXXV.
Cap. III. *Acta S. Antonii in Episcopatu, & legationes.* XLIV.
Cap. IV. *Aliæ virtutes S. Antonii, libri conscripti.* LII.
Cap. V. *Pia mors S. Antonii, exsequiæ, miracula.* LXII.
Epilogus. LXX.
Catalogus Operum editorum & manuscriptorũ S. Antonini Archiepiscopi Florentini. LXXI.
Testimonia scelecta de S. Antonino. LXXXI.

S. ANTONINI SUMMÆ THEOLOGICÆ

PARS I.

PRÆLECTIO I.

DE principiis decidendorum casuum conscientiæ &c. XCIII.

§. I. *Quantum interfit in his principiis non errare. Principia falsa in propositionibus damnatis.* ibid.
§. II. *Novæ probabilitatis principium exponitur. Ratio decidendi apud veteres. Certum principiũ apud ipsos ad licite agendum, moralẽ certitudinem requiri, hodie a probabilistis ipsis concessum. Status quæstionis cõstituitur.* XCV.

PARS I.

S. Antonini principia exponuntur.
§. III. *Quibus principiis Auctor usus sit inter duas opiniones contrarias æque vel fere æque probabiles.* XCVIII.
§. IV. *Principia decidendi, quum sententia benigna est probabilis.* CV.
§. V. *Quid, quum benigna sententiæ est probabilior. Distinguendum, num modicum, an multum excedat in probabilitate.* CVI.
§. VI. *Conscientia perplexa distinguenda a probabili. Ratio decidendi in hac perplexitate conscientiæ.* CXIII.
§. VII. *Resolvitur objectio ex duobus locis petita, ubi Antoninus tradere videtur, tutiorem partem sequi non esse præcepti, sed cõsilii. Quo sẽsu docuit, licere inter opiniones controversas utrãlibet sequi.* CXV.
§. VIII. *Alia loca explicantur, ubi Auctor opinionem benignã ab iis quoque, qui eam non credunt probabilem, haudquaquam damnandã, nec absolutionem iis, qui illam sequuntur, negandam tradit. Cautio pro prædicatoribus circa opiniones controversas. Monitio pro illis, qui alia in concionibus, alia in confessionibus, vel consiliis ingerunt.* CXIX.

PARS II.

DE Probabilistarum Principiis.
§. IX. *Sola reflexa principia adstruunt Probabilistæ, quæ ex præstitutis ab Antonino principiis nova & inania ostenduntur.* CXXXIII.
§. X. *Exploditur Antonini testimoniis primum reflexũ principiũ ab incertitudine legis ductũ.* CXXXV.
§. XI. *Evertitur alterum principium reflexum petitum ex regula*: In dubiis melior est conditio possidentis. CXXXVIII.
§. XII. *Tertium reflexum principium*: In dubiis humaniora vel benigniora præferenda sunt, *ex Antonino etiam refellitur.* CXL.
§. XIII. *Quartum principium reflexum, quod ducitur ab ignorantia invincibili, quam perperam obtrudatur.* CXLII.
§. XIV. *Duo alia principia reflexa expuncta.* CXLV.
§. XV. *Postremum principium ductum ab auctoritate Probabilistarum expenditur.* CXLVIII.

PRÆLECTIO II.

ECclesiæ sententia de principiis in decisione casuum conscientiæ adhibitis. CL.

PROOEMIUM,

IN quo idea hujus Ecclesiasticæ sententiæ proponitur. ibid.

CAPUT I.

ROmanorum Pontificum documenta proponuntur.

§. I.

§. I. DE *propoſitionibus damnatis in materia probabilitatis. Specialia afferuntur pro illicito uſu juriſdictionis probabilis, quem quidam a condemnatione ſubtrahere perperam nituntur.* CLI.

§. II. *Documenta Alexandri VII. & Innocentii XI. contra univerſã Probabiliſtarũ ſententiã.* CLX.

CAPUT II.

DE Romanis congregationibus, quæ in decidendis caſibus conſcientiæ principia ſequuntur contraria novitiæ probabilitati. CLXVII.

CAPUT III.

DOcumenta Conciliorum, Synodorum, & Epiſcoporum contra doctrinam probabilem. CLXXI.

EPILOGUS.

QUanta ſit auctoritas hactenus propoſita, & quam jure in ea judicium Eccleſiæ agnoſcendum ſit. CLXXXII.

PRÆLECTIO III.

DE Indulgentiis. In eum Antonini locum part. I. tit. 10. cap. 3. §. 3. pag. 602. *Nec credunt, quod propter has indulgentias generales minus teneantur agere pœnitentiam in hac vita: & hoc dictum ſatis videtur concordare æquitati.* CLXXXIV.

CAPUT I.

DIſtinguenda in indulgentiis, quæ ad fidem, & quæ ad diſciplinam & ſcholas pertinent. Quæſtio præſens. Unde orta, & quatenus definienda. ibid.

CAPUT II.

CAtholicum de indulgentiarum poteſtate, antiquitate, & utilitate dogma a Tridentino definitum ſtatuitur & explicatur.

§. I. *Generalis indulgentiarum notio eſt abſolvere vel relaxare pœnas canonicas. Duæ indulgentiarũ antiquarum ſpecies diſtinguuntur, quarũ altera commutationem quamdam cum abſolutione exhibebat, & his ſimiles noſtræ indulgentiæ. Utraque hæc abſolvendi & commutandi poteſtas in poteſtate claviũ a Deo Eccleſiæ tradita continetur. De applicatione theſauri ſatisfactionũ nõnulla ſubjiciũtur.* CLXXXVII

§. II. *Theſauri ſatisfactionum, quæ in Indulgentiis applicantur, fundamentum. Ejus applicandi antiquitas ac poteſtas vindicata. Utilis hæc applicatio ad delendum pœnæ debitum apud ipſum Deum, unde indulgentiarum potiſſima utilitas exſiſtit.* CXCI.

§. III. *Quatenus hujus theſauri diſpenſatio ad jus clavium pertineat. Utilitas peculiaris in indulgentiis noſtrorũ temporũ.* CXCVI.

CAPUT III.

DE Indulgentiarum effectu circa delendam pœnam Deo pro peccatis debitam, quæ communicatione ſeu applicatione ſatisfactionum Chriſti atque Sanctorum apud Deum ipſum relaxatur. Hæc communicatio cujuſmodi ſit, & qua ratione fiat, definitum non eſt, ſed ſcholis permiſſum. Quæſtio in hoc celebris. Probabilius videtur ſatisfactiones memoratas applicari per modũ ſolutionis Deo oblatæ, cujus tamen acceptatio quoad quantitatem ſoli Deo nota eſt. CCI.

CAPUT IV.

CErtus tamen in ſe, at non æqualis in omnibus indulgentiarũ effectus æquiſſime creditur, pro diſpoſitione varia ſuſcipientium metiendus. Diſcrimen inter indulgentias pro vivis & illas pro mortuis. CCVIII.

CAPUT V.

RAtio, ut videtur, demonſtrativa ex Antonino & aliis, ac ex ipſarum indulgentiarum natura affertur. Totum confirmatur teſtimoniis Pontificum. Formulæ Bullarum, quæ difficultatem movere ſolent, congrua interpretatione explicatæ. Diſtinguitur hæc ab alia ſtrictiori ſententia. Adhuc in vulgari opinione oſtenditur non ceſſandum ab operibus pœnitentiæ. CCXV.

Adnotationes addendæ

In Partem II. CCXXIII.
In Partem III. CCXXVI.

Sancti Antonini Prologus. col 1.

TITULUS I.

De anima in communi.

Cap. I. DE *ipſius animæ ſimilitudine ad Deum.* 5.
Cap. II. *De mira nobilitate animæ.* 12.
Cap. III. *De beneficiis animæ collatis quoad ſcientias, artes, & virtutes.* 30.
Cap. IV. *De quidditate animæ, & proprietatibus ejus.* 37.
Cap. V. *De immortalitate animæ.* 41.
Cap. VI. *De unione animæ ad Corpus, & de*

de multiplici acceptione hujus vocabuli. 47.
Cap. VII. *De quidditate hominis & ejus excellentia.* 53.

TITULUS II.

De potentiis animæ.

Cap. I. *DE potentiis animæ in communi.* 59.
Cap. II. *De potentia vegetativa & sensitiva.* 70.
Cap. III. *De singulis quinque sensibus.* 72.
Cap. IV. *De locutione & multiplici vitio ejus.* 78.
Cap. V. *De sensibus interioribus.* 87.
Cap. VI. *De phantasia, seu imaginativa.* 88.
Cap. VII. *De somniis quoad varias causas & modos eorum.* 93.
Cap. VIII. *De æstimativa & cogitationibus.* 99.
Cap. IX. *De memoria.* 106.

TITULUS III.

De potentia intellectiva.

Cap. I. *DE intellectu possibili & agente realiter distinctis.* 111.
Cap. II. *De multiplici oculo varie exercendo.* 115.
Cap. III. *De bis, quæ requiruntur ad bene videndum corporaliter & spiritualiter.* 117.
Cap. IV. *De bis, quæ impediunt visum animæ vel auferunt.* 125.
Cap. V. *De illuminatione, seu recuperatione visus.* 127.
Cap. VI. *De exercitio intellectus speculativi.* 129.
Cap. VII. *De intellectu practico quomodo debet exerceri.* 161.
Cap. VIII. *De ratione & intellectu. Distinctio intellectus speculativi & practici, rationis superioris & inferioris.* 172.
Cap. IX. *De synderesi.* 177.
Cap. X. *De conscientia.* 179.
Cap. XI. *De actu intellectus.* 204.

TITULUS IV.

De voluntate.

Cap. I. *DE comparatione voluntatis ad intellectum.* 219.
Cap. II. *De libero arbitrio.* 222.
Cap. III. *De voluntario & involuntario.* 244.
Cap. IV. *De actibus voluntatis ab ipsa immediate elicitis, & de ipso velle, qui est primus actus.* 251.
Cap. V. *De secundo actu voluntatis, qui dicitur frui.* 258.
Cap. VI. *De intentione, quæ est tertius actus voluntatis.* 260.
Cap. VII. *De electione, prout est actus voluntatis.* 265.
Cap. VIII. *De consilio.* 271.
Cap. IX. *De consensu.* 278.
Cap. X. *De consensu voluntatis.* 282.
Cap. XI. *De usu.* 290.
Cap. XII. *De benignitate & malitia ipsorum humanorum actuum.* 292.
Cap. XIII. *De exercitio voluntatis, & quomodo cor sit exercendum.* 303.
Cap XIV. *De voluntate & opere exteriori, quomodo se habent ad invicem in merito vel demerito.* 313.
Cap. XV. *Quomodo a voluntate bona non possunt procedere opera mala.* 331.
Cap. XVI. *De sensualitate.* 337.

TITULUS V.

De anima separata & exercitio ejus.

Cap. I. *DE triplici morte & miseriis nuntiis mortis, & multis aliis circa mortem* 343.
Cap. II. *De tribus novissimis mortis separatione animæ, judicio particulari, & sententia finali.* 368.
Cap. III. *De morte infernali, & de causis, æternitate, & multiplicitate pœnarum inferni.* 397.
Cap. IV. *De sententia eorum, qui ascendunt in cælum.* 404.
Cap. V. *De bis, qui sententiantur ad purgatorium.* 413.
Cap. VI. *De cognitione animæ separatæ.* 419.

TITULUS VI.

De causis peccatorum & animæ passionibus.

Cap. I. *DE triplici causa peccati, scilicet ignorantia, fragilitate & malitia.* 423.
Cap. II. *De passionibus animæ, & speciatim de passione, amore, & ejus effectibus.* 429.
Cap. III. *De secunda passione, scilicet odii.* 458.
Cap. IV. *De tertia passione, quæ dicitur desiderium, & quarta, quæ dicitur abominatio.* 461.
Cap. V. *De quinta passione, quæ dicitur delectatio vel gaudium.* 464.
Cap. VI. *De sexta passione, quæ dicitur dolor sive tristitia.* 470.
Cap. VII. *De septima passione, quæ dicitur spes.* 476.
Cap. VIII. *De octava passione, quæ dicitur dispensatio.* 479.
Cap. IX. *De nona passione, quæ dicitur audacia.* 482.
Cap. X. *De decima passione, quæ dicitur timor, & de effectu, & de utilitate ejus.* 483.
Cap. XI. *De ultima passione, quæ dicitur ira*

ira & cauſſa ejus & multiplicitate. 490.
Cap. XII. *De cauſſa exteriori peccati.* 497.
Cap. XIII. *De tentatione multiplici, ſcilicet mundi, carnis & diaboli.* 498.

TITULUS VII.

De peccato.

Cap. I. *DE diffinitione peccati multipliciter.* 515.
Cap. II. *De varia diviſione peccatorũ.* 521.
Cap. III. *De nocumentis peccati mortalis, quæ ſunt viginti tria.* 532.

TITULUS VIII.

De peccato originali.

Cap. I. *DE cauſſa peccati originalis & ejus pœnis.* 543.
Cap. II. *De quæſtione, Utrum Virgo Maria fuit concepta peccato originali.* 547.
Cap. III. *De conceptione Virginis Mariæ per modum prædicationis ex S. Vincentio Ferrerio.* 554.

TITULUS NONUS.

De peccato actuali.

Cap. I. *PEnes quid attendatur gravitas varia in peccato mortali. Et de ſexdecim regulis, per quas poteſt cognoſci, quando aliquid eſt mortale.* 559.
Cap. II. *De nocumentis peccati mortalis in præſenti Vita.* 572.
Cap. III. *Quomodo puniuntur damnati in alia vita, & de pœnis damnatorum, & de cogitatione eorum.* 575.

TITULUS X.

De peccato veniali.

Cap. I. *QUid dicatur peccatum veniale, & de nocumentis ejus.* 583.
Cap II. *De purgatorio, & de ſuffragiis eorum.* 590.
Cap. III. *De Indulgentiis.* 597.

TITULS XI.

De lege in communi.

Cap. I. *DE ſeptemplici lege ordinata ad caritatem.* 613.
Cap. II. *De actibus & proprietatibus, & utilitatibus legis.* 622.

TITULUS XII.

De Lege æterna.

Cap. Unicum. *QUod legi æternæ omnia ſubjiciuntur, & quomodo debemus confirmari voluntati divinæ.* 631.

TITULUS XIII.

De lege naturali.

Cap. I. *DE quidditate legis naturalis & quomodo inſtigat ad bonum multiplex.* 645.
Cap. II. *De multiplici bono legis naturalis.* 652

TITULUS XIV.

De Lege moſayca.

Cap. I. *DE lege divina veteris & novi teſtamenti in communi, & ejus excellentia reſpectu aliarum.* 673.
Cap. II. *De conditionibus divinæ legis, quantum ad latorem & receptorem.* 676.
Cap. III. *De præceptis moralibus ipſius legis in communi & ſuperadditis.* 683.
Cap. IV. *De decalogo, & ſingulis præceptis ejus in particulari.* 692.
Cap. V. *De præceptis cæremonialibus ipſius legis ſub quadruplici differentia.* 722.
Cap. VI. *De præceptis judicialibus ipſius legis.* 756.

TITULUS XV.

Cap. Unicum. *DE Lege Evangelica, ſeu novi Teſtamenti.* 799.

TITULUS XVI.

De quinta Lege, quæ dicitur conſuetudo.

Cap. Unicum. *DE conſuetudine, quidditate, actione, & differentia.* 775.

TITULUS XVII.

De Lege humana, ac præſertim canonica.

Cap. Unicum. *IN quo potiſſimum agitur de præceptis Eccleſiæ, de reſcriptis, de decretis, de decretalibus epiſtolis, & de auctoritate doctorum.* 791.

INDEX.

TITULUS XVIII.

De Lege civili.

Cap. Unicum. *Quo tempore jus civile conditum sit, quantum liget, de legum disposítione & earum effectu.* 825.

TITULUS XIX.

De privilegiis in communi.

Cap. 1. *Privilegia, per quem concedi possunt, & per quem impetrari, & quando & quomodo tolluntur.* 835.

Cap. 11. *De privilegiis ordinis fratrum prædicatorum.* 841.

TITULUS XX.

Cap. Unicum. *De regulis juris sub unico cap. ex Decretalibus & Libro sexto collectis.* 845.

IN UNIVERSAM S. ANTONINI *EDITIONEM.*

Præfatio.

I. DIſciplinarum ac ſcientiarum, quibus ſtudioſi homines rapiuntur, præſtantia, non aliunde quam ex ipſarum utilitate ac neceſſitate metienda eſt; ita ut quo minor illarum exſtat utilitas, neceſſitas minor, eo minor ipſis diligentia adhibenda ſit: e contra vero eo majorem illæ curam a nobis efflagitent, quo majorem ſecum utilitatem vel neceſſitatem afferunt. Porro quum inter omnes ſcientias diſciplinaſque nulla ſit univerſis hominibus utilior ac magis neceſſaria, quam morum doctrina, iis præſertim, qui eccleſiaſticam vitam profeſsi, non tam ſuam, quam aliorum vitam ad cælum dirigere ex officio debent; huic haud dubie præ ceteris ſtudiis navanda eſſet ab omnibus, & potiſſimum ab Eccleſiaſticis ſedula & diligens opera, & in hac cognoſcenda atque illuſtranda præſtantioribus ingeniis elaborandum maxime eſſet. Ita ſane ipſi Ethnicorum ſapientiſſimi viri hocce ſtudium prætulerunt ceteris, & in illud præcipuam laborum ſuorum partem conferendam minime dubitarunt, ut vel ex libro quinto Tuſculanarum quæſtionum M. Tullii Ciceronis, nec non ex aliorum operibus hac in materia relictis cognoſcere licet. A qua conſideratione quum in hæc noſtra tempora contemplanda converto oculos, animadvertens acutiora peritioraque ingenia, quæ maximum huic facultati incrementum adjicere poſſent, eamdem negligere prorſus, ac ſuis fortaſſis etiam meditationibus judicare

Moralis ſtudii præſtantia.

Quantum eidem ipſi veteres Ethnici detulerint.

Vide Laert. in Zenon.

Quam nunc ab ingeniis potioribus idem ſtudium deſertum ſit.

indignam; temperare mihi non poſſum, quin non tam noſtræ hujus ætatis & præſtantiſſimæ ſcientiæ, quam ejuſmodi eruditorum doctorumve hominum infelicitatem deplorem. Tantine ſunt diſputationes de veterum epochis & geographia, de inſcriptionibus & numiſmatibus, de ludis, artibus, ædificiis, ceteriſque vel minimis rebus antiquis, quæ nihil ad nos, nihil ad beatam vitam pertinent; de philoſophia & matheſi, de humanioribus litteris, de ſpeculativis difficillimis, aliiſque id genus tractatibus, quæ omnia ignorare vel negligere animabus nihil periculi infert; ut potiora & ſtudiis magis idonea ingenia ad ſe ſe rapere poſſint, totamque ipſorum vitam devorare: præ his autem moralis ſcientia, ab iiſdem omnino deſerta, negligenda ſit?

Ineptioribus fere relictum.

II. Sed dolorem hunc dum cohibere vel excutere nitor, alius fortaſſis major excipit, ex aliorum ſcilicet minus peritorum hominum multitudine, qui quum neglectam a doctioribus, ſibique veluti relictam hanc provinciam viderent, nihil ab illis metuentes, liberiorem calamum in re morali ſibi ponendum duxere: quumque dijudicandis explanandiſque rebus, quæ incidunt, difficillimis eſſent minus habiles, ii pro illuſtranda, uti opus erat, morum doctrina, qua nihil eſſe deberet exploratius, eamdem fere totam obſcurarunt potius infinitis, quas invexerunt, quæſtionibus contrariiſque ſententiis, magnamque in partem laxis rigidiſve opinationibus turpiter etiam fœdarunt. Non dico omnes moralis Theologiæ Scriptores eſſe ejuſmodi: ſed quum major iſtorum ſit numerus, major quoque ipſorum auctoritas eſt, uſus & lectio frequentior, ac proinde diſciplinæ hujus præſtantiſſimæ confuſio & corruptio major. Itaque etſi inter immenſam illam librorum, qui quotidie eduntur vel recuduntur, illuviem nulla fortaſſis major exſtet quam Caſiſtarum, uti vocantur, ac Theologorum moralium copia; peritioris tamen mentis ſanioriſque conſilii homines jure dolentes & conquerentes audivi, quod in tanta ejuſmodi Auctorum copia, maxima ſit optimorum penuria: optimi enim perrari ſunt, rariſſimaque fere ipſorum exemplaria paucorum manibus teruntur.

Hinc Theologiæ moralis præcipua deformatio, & optimorum Scriptorum raritas.

Quomodo prioribus Eccleſiæ ſæculis Moralis ſine Caſiſtis diſceretur, ac purior eſſet.

III. Optabilius quidem eſſet, ut felicia illa primitivæ Eccleſiæ tempora redirent, in quibus nulli licet eſſent Caſiſtarum ac Theologorum moralium libri, nec ita facilis tradendæ Moralis methodus eſſet inventa; confeſſores tamen erant, uti & confeſſiones frequentes, ac moralis doctrina purius ac ſincerius intellecta, neminem, uti nunc, de obſcu-

ſcuritate ac difficultate conquerentem nacta eſt, nec tot tantiſque dubitationibus, aut laxis rigidiſve opinionibus erat obnoxia. Tum enim, ut obſervavit Mabillonius, *ſola puritas & cordis rectitudo, quæ inter paſtores atque fideles apprime vigebat, doctrina item Evangelica, Patrum dogmata, & Epiſcoporum deciſiones neceſſarium lumen abunde ſuppeditabant ad dubia identidem recurrentia reſolvenda*. In Scripturarum nimirum lectione ac meditatione paſtores verſati, nec non imbuti traditione ac doctrinis Patrum, quibus diligentiſſime ſtudebant, canones item, ac pœnitentiales libros evolventes aſſidue, ſatis inde luminis derivabant, ut fidelium mores vitamque tuto dirigerent. In quo ſi quid accideret difficilius, quod per ſe ſolvere non poſſent; id deferebant ad Epiſcopos vel ad Summum Pontificem, qui tamquam magiſtri ac doctores Eccleſiæ ex inſtitutione Chriſti, dubiorum decidendorum officium non præteribant: quorum tamen caſuum difficilium rariſſima occurrunt exempla, ut vel ex hoc maxima eorum temporum tranquillitas ac moralis doctrinæ puritas agnoſci poſſit. Hinc inter multos fidei errores, qui ad pura dogmata mere credenda pertinent, rariſſimi admodum in morum materia & apud Scriptores etiam rariſsimos inveniuntur. Hujus rei illud indicium eſt apertiſsimum, quod perpauci exſtant tractatus aliquam morum ſententiam vel errorem confutantes, uti ille ex. gr. Auguſtini de fide & operibus, vel illi de mendacio, aut contra mendacium, liber S. Ambroſii de Tobia contra uſuram, & alii pauci, in quibus etiam non ſemper alicujus ſacerdotis atque doctoris, ſed frequentius ſolus popularis error vel opinio refellitur: unde colligere licet, antiquos Patres non omisiſſe nec neglexiſſe hanc partem, quæ ad mores pertinet; ſed raros fuiſſe, qui in hac parte errarent, & novis inductis opinionibus moralem doctrinam diſtraherent atque corrumperent. Adeo hæc clara & apud omnes una obtinebat.

De Stud. Monaſt. part. 2. cap. 7.

Raræ tum controverſiæ morales.

IV. Ipſa poſteriori ætate, nono ſcilicet ſæculo, quum barbaries optima quæque ſtudia infecerat, non defuere quidem privati homines, qui de pœnitentiis injungendis (quæ res meræ diſciplinæ eſt, & varietati obnoxia) proprio marte philoſophantes, & a traditis Patrum canonibus diſcedentes, in pœnitentialia varietatem & errores induxerunt, varia inter ſe ſe ſpargentes in publicum, & multiplicantes pœnitentialia, quorum ipſi erant Auctores: quem conatum interdictis hiſce privatis libellis Concilia Turonenſe III.

Idem fuit ſæculo medio.

In ſolis pœnitentiis varietas inducta, at ſtatim repreſſa.

III. cap. 22. & Cabillonenſe II. cap. 38. nec non in Capitulis apud Baluzium lib. 6. Miſcel. pag. 140. & 165. Rodulfus Bituricenſis Archiepiſcopus repreſerunt. At qui in morum doctrinam, quæ naturale vel divinum jus immutabile tangit, auderet opinationum varietatem inferre, libroſque privatos ea in re multiplicare, nemo unus inventus fuit. Id relictum poſtremæ huic ætati, quum ejus doctrinæ ex ingenio tradendæ facultatem privati homines ſibi ſumſerunt. Olim ſoli eam tradebant Epiſcopi atque paſtores Ecclesiæ, quorum id erat officium: unde non nisi in ſermonibus antiquis plerumque inſerta invenitur; & si quibus in libris atque tractatibus continetur, ii ex pluribus ſermonibus compacti fere ſunt, ut de libris Officiorum S. Ambroſii obſervarunt Benedictini editores, pluribuſque nos in noviſſima S. Zenonis editione. Idipſum ſervatum media illa & barbara ætate, in qua privatos & varios de pœnitentiis, non autem de moribus libros editos diximus.

Cauſſa componendorum librorum methodo aliqua ad privatum & ſcholarum uſum.

V. Solum eodem vel potius ſequenti ævo mirifica ac lacrymabilis ignorantia, non in populo tantum, ſed in Eccleſiaſticis etiam ipſis late graſſabatur, quam doctiores & prudentiores Epiſcopi deplorabant, ſtimuliſque variis ad ſtudia adhibitis exſtirpare conati ſunt. Vide Ratherium in epiſtola ſynodica, & Muratorium Antiquitatum Italicarum medii ævi tom. 3. diſſert. 43. At quando ad malorum cumulum huic ſummæ ignorationi ſumma addita erat librorum caritas (ſine libris autem & bene multis Scripturæ, Conciliorum, Patrum ad priſtinam doctrinam homines revocari non poterant) ii, quibus libri præter ceteros ſuppetebant ex monaſteriorum, aut præcipuarum Eccleſiarum bibliothecis, neceſſarium putarunt compendia quædam hujus doctrinæ ex iiſdem fontibus collecta non magnis voluminibus, quæ facile emerentur ac legerentur, lucubrare & edere. Hi in claſſes duas diſtributi. Alii enim e Conciliorum præcipue canonibus teſtimonia in certum ordinem digeſta compingere, unde *Juris canonici corpus*; alii potiſſimum e ſententiis Patrum, unde *Sententiarum libri* conflati ſunt: ubi auctoribus ſeu potius compilatoribus, uti vocant, parum ac fere nihil apponentibus de ſuo, Scripturæ, Conciliorum, Pontificum, Patrumque teſtimonia recitantur.

Quales hujuſmodi libri fuerint.

Canoniſtarum ac Theologorum origo.

VI. Si res hiſce limitibus circumſcripta ſtetiſſet, nihil vel modicum timeri poterat in morum doctrina. Erectæ mox ſcholæ & Academiæ, in quibus alii Juris canonici corpus, alii libros Sententiarum interpretari ac explicare ſtuduerunt;

runt; & illi Canoniſtæ, hi autem appellati Theologi. Primi quidem utriuſque facultatis interpretes admodum cauti, a prælectis teſtimoniis nihil in explicatione diſcedere, ſed ea aliis auctoritatibus vel ratione æquiſſima confirmare: & hinc primi earum facultatum magiſtri puriores ac tutiores plerumque inveniuntur. Verum, uti vaga & novitatis cupida ſibique præfidentia ſunt ingenia hominum, ſenſim ab ea commentandi diſciplina declinari cœpit, & libertas opinandi addendique ſemper aliquid eo devenit, ut omiſſis vel indicatis tantum ſacris auctoritatibus, ſua quiſque inventa editis libris in publicum emiſerit, quibus non vetus doctrina, ſed privatæ potius opinationes ingeſtæ ſunt. Et quum in re morali aliquid Canoniſtæ, Theologi etiam aliquid ſcripſerint; privatarum hinc ſententiarum varietas in Moralem ſcientiam cœpit invadere, quam poſteriores Summiſtæ atque Theologi, qui de morum doctrina ſeparato corpore ex propoſito & licentius ſcripſere, pluribus multo ac inauditis antea opinationibus perturbarunt atque vitiarunt.

Opinionum & controverſiarum origo, & incrementum.

VII. Quando igitur editis jam ac multiplicatis tot libris, totque opinionibus jam diſſeminatis in vulgum, deletaque etiam non tam uſu, quam e mentibus ipſa veteri decidendorum caſuum praxi (quam indicare facile eſt, probe autem intelligere difficillimum) ad eam primævæ Eccleſiæ puritatem rationemque Moralis addiſcendæ reverti nequaquam poſſumus; id unum reliquum eſt, ut inter tot Scriptores unus aliquis eligatur, qui præ ſanctitate & doctrina maximam auctoritatem conſecutus, moralem diſciplinam etſi recentiori methodo uſus, ex puris tamen veterum fontibus hauſtam tute digeſſerit. Doctor Angelicus Theologorum facile princeps omnibus præferendus eſſet, ad cujus ſane ſecundam ſecundæ in morale ſtudium quemdam Galliarum regis Oratorem remiſit ipſe Grotius in epiſtola, ubi de methodo ſtudendi, quam abs ſe quæſierat, illum inſtituit. At quum S. Doctor in veterum Theologorum rationem de re morali non niſi principia tradiderit, eaque non ſeparatim edita ſint, ſed in univerſæ Theologiæ corpore ſpeculativis tractatibus reperiantur intermiſta; is multis minus intelligentibus uſui eſſe non poteſt. Idem eſt de S. Bonaventura ac de aliis celeberrimis antiquis Theologis. S. Raymundi *Summa de peccatis* utilior eſſet. Verum ea ad canonum fere ordinem exacta, non omnia Theologiæ moralis capita complectitur. Mitto antiquiores *Summas caſuum conſcientiæ*, quæ alphabetico ordine diſtributæ, vel ſaltem

Optimi Auctoris eligendi neceſſitas in re morali.

igui voluminis, caſuum deciſiones potius, vel breve Theologicum compendium, quam Theologici corporis dignitatem & ordinem referunt. Primus, qui moralem ſcientiam in ſeparatum & perfectum corpus digeſſit, eſt S. Antoninus e Prædicatorum ordine Archiepiſcopus Florentinus; qui, ut nihil ex S. Thoma, Bonaventura, Raymundo, aliiſque antiquioribus Summiſtis deſideraremus, omnia ex iiſdem ac præſertim ex S. Thoma, in rem præcipue moralem, excerpſit, ſuoque operi totidem fere verbis inſeruit. De hujus autem operis, quod ceteris præferendum vel ex hoc intelligitur, utilitate atque præſtantia ut quiſque cognoſcat, de egregia ipſius Auctoris natura, de ſtudiis ac *Theologicæ ſcientiæ profunditate*, quam in eo admirati ſunt etiam Romani Pontifices, nec non de ejuſdem operis concinnandi ratione ac diligentia non nulla dicenda ſunt.

De S. Antonini Summa Theologica.

Euphroſin. Lapin. in Vita n. 1.

VIII. Quum Deus optimus maximus Antoninum (quod credere par eſt) elegiſſet, ut moralem Theologiam in Eccleſiæ inſtitutionem ac utilitatem ederet, unde ex hoc præſertim opere inter Eccleſiæ *Doctores* a Summis Pontificibus Hadriano VI. in ipſa canonizatione, & a Clemente VII. in canonizationis Bulla renuntiatus fuit; magnam ipſi *aviditatem & ſuavitatem veritatis, precipue moralis ſapientiæ*, indidit, ad quam acquirendam omnia fere ſtudia jam inde a prima ætate direxit. Nec defuit illi grande ingenium, quo omnes difficiliores non tam Philoſophicas, quam Theologicas ſcientias, de quibus luculenter ſcripſit, mirifice complexus eſt, nullo licet magiſtro uteretur: nam, ut ipſe teſtatur in prologo primæ partis, *ducem, fateor, me non habuiſſe in grammaticalibus, niſi in pueritia, & debilem præceptorem. Nullum habui in alia facultate, excepta parte Dialecticæ, & ſatis interrupte.* Memoria, quæ ejuſmodi ſtudiis multam lectionem poſtulantibus maxime neceſſaria eſt, plane ſingulari præditum vel illud demonſtrat, quod *breviſſimo tempore & infra annum memoriæ mandaverit totum Decretum.* Prudentia tandem, quæ in opinionum delectu dubiorumque moralium deciſionibus omnino requiritur, quanta in eo fuerit, exinde colligi poteſt, quod ad eum undequaque a maximis ejus ætatis hominibus ac ab ipſis Pontificibus ancipites controverſiæ ſolvendæ deferrentur (unde *vir conſiliorum* meruit appellari) ejuſque judicia putarentur adeo recta, ut ab ejus ſententiis nulla Romæ admitteretur appellatio.

Ejuſdem indoles & ſtudia.

Prolog. in Part. 1.

Ex Summario proceſſuũ p. 335. n. 3.

Franciſc. Caſtilion. in Vita cap. 2. n. 11.

Idem cap. 3. n. 18.

IX. His itaque præſidiis Antoninus ad moralem doctrinam addiſcendam accedens, quum optime noſſet in hoc ſtudio

Quibus præſidiis moralem Theologiam didicerit.

dio non ex ingenio agendum, quod partim corruptæ naturæ ignorantia, partim concupiſcentiæ tenebris obfuſcatum, in ejuſmodi materiis perfacile decipitur, ſacræ auctoritatis fontibus perſcrutandis ſe totum dedit, ac ex iis, quæcumque moribus inſtituendis occurrebant utilia, in adverſaria retulit, nihilque magis, quam de ſe ipſo metuens, exſcriptor potius quam auctor eſſe præmaluit, ut ipſe latius in memorato prologo tradit. Divinorum librorum volumen ſæpius legit, ac in eo diu multumque meditatus, *omnem ſacrarum Scripturarum certiſſimam doctrinam* acquiſiſſe laude præcipua traditur. Canonibus Conciliorum, Pontificumque Romanorum decretis impenſam operam præbuit, ut frequens eorumdem allegatio atque deſcriptio patefacit. In Patrum lectione aſſiduus fuiſſe videtur, *Auguſtini* præſertim, *Hieronymi*, *Gregorii*, *Ambroſii*, *Chryſoſtomi*, *Baſilii*, *Iſidori*, *Bernardi*, *Anſelmi* &c. quorum in laudato prologo meminit. Et quamquam frequentiora, quæ ex iiſdem recitat teſtimonia, in Gratiani Decreto, quod memoria tenebat, legi potuerint; alia tamen identidem fuſe deſcribuntur, quæ quum in Decreto non inveniantur, ex lectis ipſorum Patrum codicibus ſumi debuerunt. Neque his vetuſtioris auctoritatis fontibus contentus, Theologos aut Canoniſtas neglexit. Quum in horum commentariis prima illa Scholaſticorum ætate contineretur Theologia morum; quotquot in utraque facultate ad ſuum uſque tempus ſcripſerant, diligenter evolvit, ut longus indicat catalogus in prologo primæ partis deſcriptus, ubi tamen non omnium, quos legit, ſed præcipuorum, qui ſibi maximo uſui fuerunt, Auctorum nomina recitantur. Si qui præterea editi fuerunt particulares tractatus, unde in moralem ſcientiam aliquid decerpi poſſet; hos item conſuluit, & ex omnibus, quæcumque in præconceptum opus erant opportuna, accurate deſcripſit.

Franciſc. Caſtilion. in Vitæ prologo.

X. Quum immenſam materiem hac ratione paraſſet, operi lucubrando manus applicuit: in quo alienis, ut innuimus, Scripturæ, Canonum, Pontificum, Theologorum, atque Canoniſtarum verbis plerumque loqui ſtuduit. Quumque in practicis caſibus, qui in noſtra tempora atque in commodiorem plurium Confeſſariorum uſum maxime neceſſarii, magnam operis partem occupant, pleraque ex Theologorum atque Canoniſtarum libris ſumenda fuerint (apud veteres enim Patres, ſicuti & in Scriptura, in Conciliorum canonibus, atque in decretis Pontificum principia

Theologicæ Summæ componendæ ratio.

pia quidem morum leguntur, quæ peritioribus satis esse possunt, casus autem particulares rarissimi) & ubi diversæ essent illorum sententiæ, eæ, nequid prætermitteretur, proponendæ viderentur; frequentiora & longiora eorumdem testimonia recitanda, vel indicanda fuerunt. Interim hoc opus totius Theologiæ moralis antiquæ, ac omnium controversiarum & opinionum moralium Antonino antiquiorum veluti historia seu compendium, quod *Summam* appellavit, haberi potest; & ex hoc dignoscere licebit opiniones novas: quarum enim non meminit Antoninus, qui omnes ante se inductas sententias summa cum diligentia collegit, si quis eas nondum illo ævo natas, nec a quopiam tum defensas arguat, nullo vel rarissimo exemplo erroris convinci poterit. Quod si hac in historia vel Summa perpaucæ invenientur discordes antiquorum opiniones præ illis, quæ hoc tempore in moralibus plerisque Theologis leguntur; vide ne id Auctoris negligentiæ tribuas, ac si minus exacte omnia ex antiquis collegerit; sed liberiorem potius cognosce posteriorum Scriptorum in opinando licentiam, & cave, ne contra unanimem antiquorum sensum novas seu (quod in re morali naturalis aut divini juris est omnino idem) falsas sententias sequaris.

Ea continet veluti historiam opinionum antiquarum.

Ordo & divisio operis.

XI. Operis ordo, etsi eam divisionem methodumque non referat, quam plerique posteriorum Theologorum invexerunt, satis idoneus & perfectus agnoscitur. Distribuitur in quattuor partes. Prima quidem de universæ Theologiæ principiis agit, quæ tractatum alii appellare solent de actibus humanis, atque de legibus. Pars altera de vitiis capitalibus fuse differens, ea continet, quæ ab aliis in explicatione decalogi tractantur; peccata enim in decalogum ab aliquo capitali vitio ducunt originem, & in eo exponendo commode proponi queunt. Tertia pars in varios cujusque ordinis hominum status diligenter inquirit, in eorum obligationes & peculiaria vitia; quod in praxim mirifice confert: & hoc loco quum de judicibus ac de ecclesiasticis viris agendum fuerit, Antoninus utriusque juris consultissimus, nec non in singulis Ecclesiasticorum officiis exercitatus, luculentam de judiciorum ordine, ac de Ecclesiasticorum graduum muneribus disputationem instituit. Agens etiam de clericis, quum inter ipsorum officia sit sacramentorum administratio, fusum tractatum de sacramentis subjicit, in quo de statu ministrantium & recipientium sacramenta fuse disputat, opportunumque item de Censuris fer-

ſermonem habet, cujus gratia inſerit operi longum de iiſdem tractatum, quem ſeparatim ediderat. Alia ſcilicet in rem moralem ab Auctore edita aliis in libellis, de quibus in catalogo operum fiet mentio, vel huic Summæ inſerta iiſdem verbis fuerunt, vel ex eadem fuerunt compendio decerpta. Tamdem quarta pars agit de virtutibus & donis, quo ſub titulo reliqua comprehenduntur, quæ aliis in partibus locum non habuere, ita ut hoc in Theologico corpore ad rem moralem deſiderari nihil poſſit.

Quid in rem moralem Auctor præſtiterit.

XII. Licet vero Auctor in prologo teſtetur, ſe *nixum fere per omnia nuncupare Doctores talia, quæ notantur, referentes, & parum vel nihil de meo apponere*; haud tamen merum exſcriptorem ſe præfert, ſicut nec merum Caſiſtam, qui ſolos caſus, & ſententias in iis allatas ab aliis recitet. Tractatus ſingulos quum aggreditur, ſolidiora principia primum ſtatuit, quibus caſus diſſolvi queunt, ac mox frequentiores difficilioreſve caſus proponit, ac ſolvit. Teſtimonia vero aliorum mere deſcribit, quum certam veritatem, vel communem doctrinam exhibent, ut iis addere ſuperfluum plane ſit; inter opiniones autem, ſicubi diſcrepant, examen inſtituit, ſententiamque pronuntiat, niſi ubi obſcura veritas ex prudentiæ regulis certam definitionem prohibeat. Qua autem cautione, quibuſque principiis uſus ſit in deligendis ſententiis, quum id cognoſcere plurimum interſit in praxim plurimorum, exponere autem poſtulet ſermonem longiorem, quam qui præfationi congruat; in Prælectione prima poſt catalogum operum ſubjicienda fuſius explicabitur.

Monitum pro dignoſcenda Auctoris ſententia.

XIII. Heic autem illud præmonere maxime intereſt, ne ea ſemper tribuantur Antonino, quæ ipſe ex aliis recitat, niſi ea adoptare, vel probare aliqua ratione ſignificet. Id autem ab iis præſertim animadverſum velim, qui ea ſola ab Antonini ſenſu aliena credunt, quæ rejicit: ſi quid vero non rejicit expreſſe, probatum ab eodem exiſtimant, ac veluti ſuam ſententiam allegant. At quam hoc ab ejus mente abhorreat, illud demonſtrare videtur, quod varias opiniones referre, & nullam eligere, vel probare ex Antonini ſententia idem eſt ac rem dubiam dimittere; quemadmodum luculenter ſuadet teſtimonium ex part. 3. tit. 15. cap. 3. ubi de Joanne Andrea varias opiniones ſimiliter referente, nullamque eligente ait: *Non eligit altèram harum, ſed dimittit quaſi dubiam*: & in eamdem ſententiam eadem tertia parte tit. 27. cap. 4. *Ponit utramque opinionem, & dimittit ſub dubio*. Quod ergo de aliis prodidit, idem de ipſo ſen-

Part. 3. pag. 837. c.

pag. 1444. b.

tiendum eſt, ita ut in omnibus controverſiis, ubi contraria recenſet, & nihil ſuo nomine approbat, res intelligatur *dimiſſa ſub dubio*, ſubaudiaturque ſemper, ut non nullibi expreſſit: *Quod autem horum verius ſit, neſcio*. Certe illud, quod non nulli tradunt, inter varias, quæ deſcribuntur, ſententias, ſi nulla probetur, poſtremo loco poſitam præferri, præſumtioni nititur non ſatis firmæ, quam in Antonino falſiſſimam arbitror. Enimvero part. 3. tit. 14. cap. 3. §. 7. primo loco ponit SS. Thomæ & Raymundi opinionem negante validum baptiſma, in quo mutus aquam infundat, & mancus formam pronuntiet: & ſubjicit fuſius contrariam Paludani ſententiam, quam Antoninum probaſſe incredibile eſt. Et rurſum cap. 16. §. 4. ultimo loco ponit quamdam Alberti Magni ſententiam, quæ univerſim refellitur. Alia ejuſdem generis loca prætermitto. In Summis, quæ veterum opinionum compendium exhibent, illud antiquis propoſitum fuit, ut (quod notavit Joannes de Friburgo) *ſi qui forte librorum copiam non habuerint, vel ad tot Summas & ſcripta tranſcurrenda non vacaverint, heic collecta ſub compendio multa de his inveniant, quæ requirunt*. Judicium ſuum interpoſuerunt quidem alii in paucis, alii in multis: at ubi ſive ex difficultate ac dubio controverſiæ, ſive alia de cauſſa non interponendum duxere, nihil poſtremæ ſententiæ præ priori voluerunt deferre, ſed propoſitis ſingularum momentis id negotii reliquerunt lectoribus, *ut ex diverſorum concordia Doctorum ſciant, quod ſit probabilius & ſecurius indicandum*, uti laudatus Joannes de Friburgo, Ordinis Prædicatorum, antiquioris Summæ ſcriptor, quem Antoninus ſequutus videtur, apertiſſime monuit. Niſi ergo Antoninus ſuum calculum & ſuis quidem, non alienis verbis (quod item obſervandum eſt) alicui opinioni inter contrarias adjiciat, ut ſæpius addicit; ea pro ipſius certa opinione haberi & allegari non debet. Ex his etiam conciliantur quædam loca, in quibus Auctor de eadem re, diverſa occaſione ſcribens, contraria tradere videtur; non enim ipſe, ſed auctores, quorum ſententias pro varia diſputationis materia recitat, contraria docuiſſe invenientur: ut in rem eamdem ſe vindicandum putavit memoratus Joannes: *Si quam diverſitatem, vel etiam contrarietatem determinationum, ſeu dictorum circa eamdem materiam in quæſtionibus diverſis inveneris; adverte illa eſſe diverſorum dicta Doctorum: & interdum quodlibet eorum ſecundum diverſitatem circumſtantiarum & caſuum poſſe rationabilius obſervari; ſicut & quum in eadem quæſtione diverſorum Doctorum recitantur*

opinio-

pag. 1376. c. — *Alia animadverſio.*

pag. 715. — pag. 741. a. — *In prolog. Quæſt. Caſualium.* — *In prologo Summæ Confeſſor.* — *In eod. prolog.*

opiniones: quod poſtremum ad conciliandas diverſas ſententias pertinet. Hæc eadem iis in locis valent, ubi Auctor aliena exponit, ut ne ſuam mentem declaret.

XIV. Ceterum Antonini indolem in ſententiis eligendis, ubi ſuum calculum adjicit, benignam potius quam ſeveram invenies: quam illi laudem plures vindicant. Quod ſi alicubi videatur ſeveriores ſecutus ſententias, id fere eam ob cauſſam videbitur, quod novæ inductæ opiniones ex principiis a veterum doctrina alienis mentes hominum hodie jam occuparint atque perverterint, quæ tamen ipſa novitas peritioribus falſitatis indicium eſt, ut nunc nuper innuimus. Præterea hoc tempore, quo novum probabilitatis principium irrepſit, & apud multos obtinuit, plures invaluerunt opiniones, non quia veræ, ſed quia probabiles aut judicantur, aut ab aliis judicatæ fuerunt; quod principium quum Auctoris ætate nondum eſſet natum, ut ex Prælectione I. liquebit, nihil mirum, ſi tot ejus generis ſententias probare non potuit; ſed potius mirum illud, quod novum ejuſmodi principium, unde tot etiam laxiores opiniones facillime probarentur a multis, & in moralem invaderent, contra veterum auctoritatem induci & probari potuerit. Sed de hoc plura in Prælectione I.

Benignitas Auctori jure attributa.

A non nullis rigor perperam illi impactus, & cur.

XV. Quod vero præter diſciplinam moralem diſputationes huic *Summæ* inſerantur, quæ ad ſpeculativam Theologiam pertinere videntur, vel ſermones aliquot, queis non tam vitia reprehenduntur, quam virtutes vel Sancti laudantur; ſi conſilium teneas, quod in hoc opere ſcribendo Auctor ſibi propoſuit, nihil miraberis. Etſi enim Confeſſarios ſibi inſtituendos potiſſimum ſumſit, non tamen iſtos tantum, ſed Fratres Prædicatores etiam, nec non Parochos, quibus non tam confeſſionum, quam prædicationum cura incumbit: officiis autem ejuſmodi aliqua brevis aliquot Scholaſticæ Theologiæ tractatuum notitia neceſſaria eſt, ne illi in errores graviſſimos, ut non numquam fit, horum inſcitia labantur. Hinc etiam exempla prædicando utilia non numquam inſeruit; & in ipſis Theologiæ moralis tractatibus ſingula fere capita in diviſiones ab Oratoribus ea tempeſtate uſitatas, quæ in prædicationum uſum traduci poſſent, plerumque diſtribuit. Olim ſcilicet ſacrorum oratorum conciones non in perſuadenda univerſim vita Chriſtiana, in ſpe, vel timore incutiendo, ac in ſolemniorum ad ſummum vitiorum generali quadam deteſtatione verſabantur, ſed in tradendis ac explicandis Chriſtianæ vitæ offi-

Non ſolos Confeſſarios, ſed & Prædicatores juvare Auctoris conſilium fuit.

Theologiæ moralis explicatio ſacrarum concionum pars olim potior & utilior.

officiis, in oſtendendis & exſecrandis ſingularibus vitiis, ac (ut paucis dicam) in exponenda Theologia morum, quæ vitam Chriſtianam inſtituit, potiſſimum occupabantur, ut patet ex pluribus concionum ejuſdem ævi collectionibus S. Bernardini Senenſis, Joannis de Turrecremata, Bernardini Buſti, Joannis Aquilani &c. in quibus integros morales tractatus pluribus ſermonibus æque ac in Theologicis libris fuſe explicatos legimus. Incultus ſermo, qui eorum temporum potius, quam Scriptorum vitium eſt, nec expoliendus erat in concionibus ad populum latine habitis, qui non aliam tum niſi vulgarem latinam linguam intelligebant, hoſce libros cultiori hac ætate e delicatiorum hominum manibus ita excuſſit, ut horum ſermonum memoria fere ſublata ſit. Utinam vero hac tempeſtate minus excultus adhiberetur ſermo ad populum, qui vel non aſſequitur, quæ adeo perpolita dicuntur, vel hoc loquendi genere in concionatorum admirationem trahitur potius, quam in pœnitentiam: ſed planior catechetica inſtitutio, ſanaque & * explicatior morum doctrina pleriſque ignota traderetur! Exoleta enim ea concionum popularium ratione, multi (nec omnino rudes) ſaluti, vel ſtatui plane neceſſaria neſciunt: & licet compungantur forte prædicationibus, Chriſtianamque vitam induere proponant; non perficiunt tamen, quippe quæ ſint Chriſtianæ vitæ vel proprii ſtatus præcepta, ignorant. Sed redeamus in viam.

Vide Juſtum Fontaninum dell'Eloquéza Italiana l. 3. initio.

Obſervatio pro concionibus noſtri temporis.

XVI. Tantum opus Auctori ut bene cederet, multum & laboris & temporis flagitabat. Quum in illud a prima ætate totum animum & ſtudium intendit, tum vix ante mortem, quæ incidit in annum ætatis ſeptuageſimum, ſupremam illi manum impoſuit. Maximam quidem ejus partem, antequam ad Archiepiſcopalem Florentinam ſedem eveheretur, intra religionis clauſtra confecerat, ut & tradit diſer-

Quanto ſtudio Auctor Summam lucubrarit.

* *Explicatior*, inquam, *morum doctrina*, non de illis quidem rebus, quas omnes, quid ſint, intelligunt, & peccata eſſe non ignorant, uti ſunt fornicatio, adulterium, homicidium, & alia ejuſmodi; ſed de illis, *quæ* (ut bene notavit P. Elizalde Soc. Jeſu inſignis Theologus *de Recta doctrina morum* part. 2. lib. 6. quæſt. 6. §. 5. pag. 186.) *quoad nomen quidem omnium conſenſu peccata ſunt, ut fraudes, avaritia, ambitio, uſuræ, ſimoniæ, injuſtitia tam commutativa, quam diſtributiva: at rem ſignificatam non omnes ſciunt, & intelligunt.* Dicunt certe Prædicatores, & plurima dicunt adverſus iſtius quoque generis vitia, eaque nominatim etiam acriterque perſtringunt: at cum non explicent, quæ in praxi ſint hiſce vitiis implicita, *nomina magis inſequi videntur, quam res ipſas* (inquit laudatus Elizalde) *quæ proinde in populo manent, ſicut prius; nemo enim ſe ſe eorum nominum reum cenſet, & uſuras, & injuſtitiam exercet magis, quam fateatur.* Si in hanc rem explicandam catecheticas inſtitutiones, vel tractatus morum, qui memoratis paullo ante Prædicatoribus placuerunt, pro concione habere noſtris non probatur; nihil morabor, dum alia quacumque ratione efficiant, ut huic perneceſſario Evangelico officio ſatisfaciant, cujus ſane eſt, non ſola crimina omnibus nota prohibere, ſed docere & vetare etiam ignota, ut populus ex Evangelica prædicatione intelligat non peccatorum nomina tantum, quæ per ſe peccata non ſunt, ſed res ipſas, in quibus peccatum exiſtit: in hoc enim præſertim nuntiandum & ad ejuſmodi ignorationes tollendas Evangelici miniſtri miſſi ſunt.

diſerte Fr. Vincentius Mainardus in ejus vita, quam juſſu Clementis VII. ſcripſit, & ipſe Antoninus indicat in * Mſ. Muſelliano opuſculo, quod ab eodem nondum Pontifice lucubratum videtur, ubi ex ſingulis Summæ partibus compendium exprimitur. At poſtquam Florentinæ Eccleſiæ præfectus fuit, licet multis diſtineretur graviſſimis curis, quæ totum fere tempus devorabant; ex eo tamen, quod in ſomnum, ac honeſtas corporis animique relaxationes ſupererat, ſurripiens plurimum, partim orationi, quæ prima ac præcipua, Theologorum præſertim, lectio eſſe deberet, partim ſtudio Summæ tribuebat, ita ut alia corrigens, addens alia, eamdem *recoxiſſe* potius, quam perfeciſſe laudato Mainardo ſit viſus. Anno MCCCCXLVIII. tertiæ parti operam dabat, ut liquet ex illis tit. 6. cap. 3. §. 5. *Nunc currit annus Domini MCCCCXLVIII.* eidemque parti adhuc inſiſtebat anno MCCCCXLIX. ut ille indicat locus cap. 2. tit. 31. §. 3. *Ab incarnatione uſque ad præſens fluxerunt anni MCCCCXLIX, nondum completo ultimo anno.* Quartæ parti vacabat anno MCCCCLV. ut palam fit ex tit. 8. cap. 1. §. 4. ubi ait: *Nunc ſumus in milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto.* Dum ſcribebat prologum in univerſam Summam præfixum primæ parti, nondum perfecerat partem quartam, in qua ſe acturum pollicetur, *ſi tempus erit, de ſeptem donis & gratia*, qui tituli ſub finem vitæ exarati dignoſcuntur. Ibidem etiam ſpem injecerat fore, ut in eadem quarta parte *de arciculis* diſſereret, *ſi vita communicetur.* At mors impedivit; ita tamen ut Auctor nihiloſecius ante obitum vere perfecerit, quemadmodum optabat, opus morale; licet hanc de articulis fidei diſputationem, quæ Theologiæ morali haud neceſſaria eſt, nequaquam ſcripſerit.

* *Vide catalogum operum num. 3.*

Part. 3. pag. 274. a.

pag. 1537. c.

Part. 4. pag. 432. a.

XVII. Tanta porro de hoc opere fama ac celebritas per orbem increbuerat, ut ſcripta vix una parte, plures eamdem deſcribendam curaverint, hacque ratione unius vel alterius partis (fortaſſis ſecundæ & tertiæ, quæ primum lucubratæ videntur) exemplaria nondum perfecta vel etiam mutilata ſeu manca prodierint in lucem, de quo Auctor in prologo primæ partis conqueritur. Poſt Auctoris vero mortem, quæ incidit in annum MCCCCLIX, quum vix jam opus perfectum fuiſſet (typographia ſub idem tempus inventa) tot ejuſdem Summæ editiones ipſo decimoquinto ſæculo variis in urbibus ac provinciis repetitæ inveniuntur, ut nemini quantumvis antiquo celeberrimo Scriptori quidquam ſimile contigerit. Harum editionum indi-

Editiones Summæ.

cem catalogo operum inſertum, Auctoris vitæ ſubjiciemus: indeque patebit, quam vere ſcripſerit Fr. Vincentius Mainardus in Antonini vita Clementis VII. juſſu edita, hoc celeberrimum opus eo tempore non ſolum in omnibus bibliothecis, ſed quamplurium etiam privatorum in manibus *quotidiano uſu tritum fuiſſe*. Hoc ergo tanti Auctoris opus tam magna cum diligentia & doctrina lucubratum, tanta cum celebritate ſuſceptum, pluribuſque & Pontificum, & Epiſcoporum, & Doctorum hominum ſuffragiis probatum, ut ex ſcelectis teſtimoniis inferius afferendis patebit, moralis Theologiæ ſtudioſis eligendum præter cetera, qui nullarum partium ſtudio ducuntur, facile intelligent. At editiones ejus, quantumvis olim plurimæ, perraræ hoc tempore ſunt, ut nulla diligentia venales inveniri, nulloque pretio emi potuerint. Quid quod illæ ipſæ, quæ in quarumdam bibliothecarum pluteis cuſtodiuntur, modico vel nulli ſunt uſui! Gothicis enim, uti vocant, caracteribus, infinitiſque cum abbreviationibus fere impreſſæ lectores non facile inveniunt, oculoſque ei lectioni nequaquam aſſuetos offendunt. Sperari poterat aliquid de altera Veneta editione apud Juntas an. MDLXXXII. quæ nitidioribus & uſitatis caracteribus prodiit. At præterquam quod eadem quoque editio rariſſima eſt, multiſque abbreviationibus expeditam lectionem impedientibus haudquaquam caret; infiniti propemodum errores in eadem occurrunt, lacunæ & ſaltus aliquot linearum non pauci. Hoc quidem vitium primæ Juntarum Venetæ editioni an. MDLXXI. tributum legimus in epiſtola nuncupatoria P. Ludovici Rubei, quæ alteri editioni an. MDLXXII. præfixa legitur. *Quum proxime*, inquit, *typis negligentiſſime quidem impreſſa* (S. Antonini opera) *fuiſſent, tot errores in illis imprimendis commiſſi fuerunt, ut illorum vera, germanaque ſenſa vix percipi poſſent; pleriſque enim in locis pro affirmativis negativæ, & pro negativis affirmativæ legebantur ſententiæ* &c. His erroribus ut correctio afferretur in altera editione anni MDLXXXII. idem vir Antonini amantiſſimus laboravit. *Hos itaque libros*, inquit, *cum non nullis vetuſtis exemplaribus contuli, eoſque ab omnibus erroribus vindicavi, atque ad priſtinam, puram, candidamque lectionem reſtitui*. Subdit autem hunc laborem haud fuiſſe irritum, quippe typographus ipſe Lucas Antonius Junta, cui omnia communicavit, *continuo pro eo deſiderio vel cupiditate potius, qua honeſtiſſime tenetur, Chriſtianos homines ſuis typis juvandi, nulli labori, nulli ſumtui parcendum ſibi eſſe duxit, ut hi libri quam emendatiſſimi*

Apud Surium tom. 3. pag. 34.

Novæ editionis neceſſitas.

ſimi ederentur. At quonam fato tantæ ac tam præclaræ pollicitationes effectu ipſo perſolutæ non cernantur in ullo ex aliquot diſtinctis exemplaribus editionis an. MDLXXXII. quæ conſului, plane ignoro. Si unum vel alterum tantum exemplar eum annum præferens vidiſſem; ſuſpicio eſſe poterat, num illa pertinerent ad primam corruptiſſimam editionem an. MDLXXI. cui ſive per errorem, ſive conſulto, fidei captandæ gratia, præmiſſus ſit ſolus titulus & præfatio ſeu epiſtola nuncupatoria alterius emendatæ editionis an. MDLXXXII. At quum tria vel quattuor exemplaria hoc eodem anno prænotata contulerim, nec tamen unum emendatius repertum ſit; quumque collatis præterea utriuſque editionis exemplaribus, licet una & eadem primo adſpectu appareat editio an. MDLXXI. & editio an. MDLXXXII. nova tamen, & diſtincta, quæ eamdem fere paginarum formam tenuit, inventa fuerit: ei ſuſpicioni locus amplius non eſt. Ex editione an. MDLXXI. habere & conferre licuit tantum ſecundam partem, quam primo loco recuſam an. MDLXXXI. (ut ex aliquot exemplaribus hoc anno prænotatis colligo) in non nullis certe præcipuis locis æque mancam & corruptam reperi. Num meliora præſtita fuerint aliis in partibus, quas conferre non licuit, aliorum diligentiæ aliis in bibliothecis inquirendum relinquo. Interim vero in tanta præſtantiſſimi Theologici moralis corporis raritate integram, emendatiorem, & nitidiorem editionem, quæ omnibus eſſet utilis, viri docti deſiderabant. P. Jacobus Echard tom. 2. Scriptorum Ordinis Prædicatorum, P. Vincentii Laget encomium texens, poſtquam laudavit eximiam S. Raymundi editionem anni MDCCVIII. ab eodem diligenter curatam, ſimilis Antoninianæ editionis ſpem injecit his verbis: *Editor ſapiens nunc dicitur Summam S. Antonini de integro prælo ſubjicere*. Quum vero jam inde ab anno MDCCXX. quo hæc ſcripta fuerunt, nihil adhuc apparuerit in lucem; doctorum hominum deſiderio ſatisfactum non fuit.

Conſilium & cura hujus editionis.

XVIII. Itaque Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Joannes Bragadenus Veronenſis Epiſcopus, qui optimis ſtudiis conſulturus, in nova ſui Seminarii typographia optimos libros edendos curat; idem corpus in eadem typographia perquam accurate recudendum, ſuoque præſertim Clero proponendum deliberavit. Præiverat hac in parte eximium illud univerſalis Eccleſiæ lumen ac decus, hujus autem Veronenſis Epiſcopus, Joannes Matthæus Gibertus, qui ut e-

juſdem

juſdem Cleri inſtitutioni in re morali proſpiceret, Antoninianæ fuſioris Summæ compendium ab ipſomet Antonino ſcriptum & editum recudi juſſit, recuſumque propoſuit *Curatis per quam neceſſarium*, præcipiens, ut *quilibet illud præ manibus haberet*, hac cautione adjecta: *Qui dicto opuſculo ſtudere neglexerit, quod facile conſtare poterit, ſi examinatus circa ea, quæ in illo continentur, reſpondere nequiverit, ad audiendas confeſſiones non admittetur*. In viſitationibus porro urbis atque diœceſis (queis, ſi non ex conſuetudine, ſed ex promovendæ diſciplinæ zelo fiant, nihil utilius nactus fuerat ad reformandam Eccleſiam) de hoc libro præcipue quærebat, & in viſitationum libris deſcribi voluit, num quis illum haberet, necne; iis autem, quibus deerat, comparandi ejuſdem libri præceptum dabat. Hoc etiam exemplo, quod alii quoque Epiſcopi præſertim Italiæ ſecuti, eamdem Summam Antoninianam ſuo Clero in Synodis propoſuerant, optimus noſter Præſul Bragadenus excitatus, gratiorem utilioremque rem ſuo Clero, ac moralis diſciplinæ ſtudioſis ſe facturum credidit, ſi ipſam Theologicam Summam, quæ brevi compendio tantopere præſtat, Seminarii typis accurate impreſſam proponeret. Presbyteros igitur optimorum ſtudiorum cultores reperiri juſſit, qui editionem aliquam typographis exhibendam cum antiquis exemplaribus priorum editionum, quæ ex codicibus ſumtæ fuerunt, diligenter conferrent, & ſuppletis lacunis, emendatis erroribus, abbreviationibus ſublatis, editionem integram & perquam emendatam præſtarent. Non unus huic operi ſatis erat; plures enim collationibus expediendis neceſſarii fuerunt, qui ut accuratam ac diligentem operam impenderent, huic uni fere ſtudio integros annos tres & multas quotidie horas indeſinenter dederunt. Sicuti vero hujus Summæ Theologicæ codices inter ſe varii ſunt, pluresque corrupti prodierunt, ut ex ipſo Antonino mox notabimus; ita vetuſtiores ipſæ editiones pro ratione codicum, ad quos exactæ fuerunt, variæ identidem atque corruptæ; poſteriores prioribus nonnumquam emendatiores ac magis integræ inventæ ſunt. Incredibili itaque labore, tum diligentia & criſi, in collatione & electione opus fuit, ut ex pluribus, quas ſimul preſbyteri laudati conſuluere editiones e variis codicibus ſumtas, nunc integras lectiones reſtituerent, nunc emendatiores eligerent. Quod ſi adhuc alicubi, & in locis fere minimi momenti (quod rarum tamen invenies) ſenſus obſcurus vel corruptus occurret, id ne vertatur collatoribus vitio, ſed

Conſit. tit. 6. cap. 17.

Qui collationi & correctioni textus operam dederint.

Aliquot loca adhuc obſcura, vel corrupta, & cur.

ſed vel typographis, quos inter multas correctiones Juntinæ editionis, quæ pro exemplari ſumta fuit, totum marginem ſæpe occupantes, aliqua aliquando fugit; vel frequentius editionibus atque codicibus: *multa enim vel nondum emendata, vel poſtea vitio Scriptorum alterata vel diminuta* prodiiſſe, ipſe S. Antoninus monuit. Quid, quod in ipſis forte autographis nondum omnia perfecte emendata invenientur: quos tamen codices conferre, ut cupiebamus, non licuit? Præter collationem recentioris editionis cum antiquis conferre etiam placuit ſingula teſtimonia Scripturæ & Canonum, in quo non levis nec inutilis alterius presbyteri cura poſita fuit. Singula etiam omnium Patrum præſertim, Theologorum, Canoniſtarumque loca, quæ allegantur, ac ſæpiſſime deſcribuntur (plurium enim teſtimoniorum fere contextus eſt tota S. Antonini Summa) cum emendatioribus ipſorum Auctorum editionibus conferre cupiditas inceſſerat. At quum ejuſmodi teſtimoniorum auctor quidem citetur, non autem liber, nec caput, immo nec tractatus fere, nec quæſtio; præconcepto deſiderio ſatisfacere hac præcipue brevitate temporis impoſſibile fuit: quis enim unicum Hieronymi v. gr. aut Auguſtini teſtimonium, nullo libro allegato, in decem magnis voluminibus quærere velit, ac, niſi omnia legere aggrediatur volumina, invenire poſſit? Adde etiam, quod iſtorum teſtimoniorum collatio ad emendationem rariſſime profuiſſet: etſi enim nonnumquam quidem Auctorum verba Antoninus deſcribat; ſæpius tamen breviori compendio ipſorum refert ſententias, quæ in rem ſuam expedire videbantur: quod & non nullorum collatione locorum patuit, & Auctor ipſe ſatis innuit part. 1. tit. 4. c. 14. §. 1. ubi locum allegans Archidiaconi, *Cujus verba*, inquit, *abbreviabo ob prolixitatem vitandam, aliquando mutabo, ſequendo ſententiam Theologorum ad pleniorem declarationem*. Solius Sacræ Scripturæ & Juris canonici teſtimonia ad verbum recitanda ſibi propoſuit, in quo tamen ipſo memoriæ, qua plurimum pollebat, fidens, eumdem textum aliquando aliter atque aliter (levi tamen mutatione) deſcripſiſſe inventus eſt. In diviſione capitum nihil plerumque immutandum duximus ac in editione Juntarum, quippe quæ & frequentior eſt, & ab Auctoribus fere allegatur; ne ſi quid immutaremus, in quærendis allegatis locis magna pareretur confuſio. Hinc ſi quibus in codicibus vel editis plura vel pauciora occurrant alicujus tituli capita, nihil moveat. Quin hac eadem ratione tituli alicubi variant. Nam pars tertia ex. gr. in antiquioribus editionibus præfert titulos 33. quæ in editione Juntarum ac noſtra dividitur in titulos 32.

Vide Prologum in I. Part.

De collatione textuū, quos Antoninus deſcribit.

Auctorū ſententias potius quam verba fere exſcripſit.

Part. 1. pag. 313. c.

Notanda de capitum diviſione.

Id autem eam habet cauſſam, quod illæ editiones in duos titulos 17.& 18. dividunt, quæ ad confeſſariorum officium pertinent; hæc autem æquius multo ſub unico tit. 17. complectenda in Juntarum editione viſa ſunt.

Quid curæ editori impoſitum.

XIX. Ut autem praxi Confeſſariorum utilior hæc eſſet editio, non tam exacta ad potiorum editionum fidem, quam ad hujus temporis diſciplinam & morum neceſſitatem accommodata prodire debebat. Edita nimirum ſunt poſt Antonini mortem Conciliorum, Pontificum, ac Sacrarum Congregationum decreta, queis diſciplina ejus ætatis immutata eſt, vel novis additionibus aucta, pœniſque munita non paucis in capitibus; alia etiam decreta plures propoſitiones confixerunt, certaque ſtatuerunt principia, unde plurimum lucis morali Theologiæ affulget: quæ ſi non indicarentur in hac editione opportunis in locis, manca videri poſſet, nec iis certe utilis, qui vel hoc fere libro contenti eſſe volunt, vel, ſi non moneantur, nihil de poſterioribus decretis ſuſpicati, veterem in omnibus diſciplinam adhuc obtinere, nullaſque aut eaſdem cenſuras certis delictis adhuc impactas crederent, quod quam pernicioſos in praxi effectus parere poſſet, nemo non videt. Huic periculo ut occurreretur, ſimulque ut proſpiceretur commodo plurimorum, quibus varios libros conſulere diſplicet, poſteriorum decretorum mentionem in adnotationibus opportune faciendam judicatum fuit. Rogati in hanc rem multi idonei homines quum renuiſſent, ad me tandem ventum eſt: qui licet in S. Zenonis editione occupatus, hoc onus primo recuſaſſem; dilato tamen ſex menſium ſpatio, ac Epiſcopo meam operam flagitanti parere, & graviſſimo oneri, quod meas vires exſuperat, humeros ſubjicere neceſſe fuit. Diſplicet modicum tempus datum, antequam impreſſioni manus imponerentur. Pro ea enim, quam mente volvebam, adnotationum ac prælectionum conſcribendarum imagine, tribus vel duobus ſaltem otii annis opus fuiſſet. At quum primum a S. Zenone liber fui, vix aliquot hebdomadarum intervallum conceſſum: S. Zenonis enim editionem S. Antonini editio, ne typographi otioſi eſſent, ſtatim excepit: & ſubjecta primum etiam prælo, pars ſecunda, a qua placuit incipere (in ultimum enim locum reſervata fuit prima pars minima omnium, ut index generalis aliaque poſtremo tempore lucubranda eidem adjicerentur, & ita ſatis congruus ille tomus evaderet) ea autem ſecunda pars majus ſtudium, majoremque curam poſtulabat. Itaque diligentia quidem ac labore uſus ſum non mediocri, ut ſuſcepto operi ſatisfacerem; at nec omnem,

quam

quam præconceperam, ideam exſequi licuit, nec quod licuit, ad totam mentis imaginem exigi potuit: quum præſertim, adnotationes dum ſcriberem, typographi ſæpe inſtarent, & quæ primo calami ductu ſcripſeram, nonnumquam extorquerent, ut ne ſecunda vice legere ac perpolire potuerim.

De adnotationum ratione.

XX. Etſi vero potior adnotationum cura fuerit, monere quæ poſt Antonini mortem prodierint decreta, ſive ea ad diſciplinam mutandam muniendamve, ſive ad naturalem ac divinam legem explicandam, propoſitioneſque erroneas ac falſas jam proſcriptas ſpectarent; non nulla tamen animadvertenda etiam duxi in aliquot, quæ ex aliis fere ab Antonino allegantur, ſententias, ſicubi rigidiores aliquanto, aut laxiores viſæ ſunt: quod tamen & raro & modeſte & parce admodum feci. Qua in re ne quis me accuſet arrogantiæ, aliorum præſertim Sanctorum auctoritatibus uſus ſum, nonnumquam etiam teſtimoniis recentium benigniorum, qui in ſuccenſendis ſententiis libertati indulgentibus rigidiores haberi minime poſſunt. Ne porro novitatis nomen mihi impingatur, exemplum ſecutus ſum veteris S. Raymundi gloſſatoris, qui in hujus Summam adnotationes pariter ſcripſit. In vulgatis libris Joanni de Friburgo hæ adnotationes tribuuntur: ſed eas eſſe cujuſdam Guillelmi Redonenſis e Prædicatorum Ordine, quem Auctor *Raymundi Gloſſatorem* frequenter appellat, plures eruditi jam demonſtrarunt. In proponendis porro damnatis propoſitionibus rationes magis idoneas fere adjeci, quibus earumdem origo aut falſitas indicatur, ex quo factum quandoque eſt, ut ex ipſarum damnatione rite intellecta, certa ſtatuantur principia, quibus aliæ plures decidantur controverſiæ, aliarumque opinionum, quæ iiſdem principiis innituntur, falſitas dignoſci facile poſſit.

Vide Script. Ord. Prædic. Quietif & Echard tom. 1. p. 131. & 524.

De Prælectionibus.

XXI. Quum porro non nullarum propoſitionum damnatarum explanatio, vel principiorum inde colligendorum demonſtratio & uſus, aliaque explicatu difficilia anguſtiores adnotationum limites non paterentur; fuſiorum aliquot Prælectionum conſcribendarum neceſſitas inceſſit, quas primæ ac ſecundæ parti præfixas invenies. Quod ſi in duabus ex his duo catholica dogmata ſtatuenda & illuſtranda ſuſcepi, ne mireris, quum ad rem moralem, de qua ibidem agitur, probe tenendam ea diſputatio maxime utilis, vel neceſſaria etiam fuerit. Tertia ſcilicet prælectio primæ parti præfixa quamdam Auctoris ſententiam in indulgentiarum materia, vulgari ſenſui contrariam, vindicare non poterat, niſi catholicum *de Indulgentiis dogma*, ab opinionibus controverſis probe diſcerneretur: & in eam rem dignoſcendam illud dogma, quod

per-

perobſcurum apud Scriptores reperi, conſtituere & vindicare optimum duxi. In ſecunda vero Prælectione partis ſecundæ *de Uſura*, ut novitium quemdam errorem, quem Antonini ætas ignoravit, nimirum uſuræ vitium non in quovis vel minimo mutui lucro ſitum, ſed in immoderato vel immiſericordi, quod vel ſupra lucrum legibus aut conſuetudine præfinitum exigitur, vel a pauperibus neceſſitate oppreſſis extorquetur, ut, inquam, novitium hunc errorem fuſiori calamo configeremus, iſtorum temporum ignoratio ſuaſit. Is enim error & fidei & moribus pernicioſus, qui aliquot hæreticorum proprius eſt, in non nullos catholicos, catholicæ ceteroqui doctrinæ minus peritos, manaſſe deprehendi, qui eam ſententiam, etſi ab hæreticis defenſam, pro errore tamen in Eccleſia damnato, rationique ipſi contrario minime habent: iique cum iiſdem argumentis moveantur, quibus hæretici, auctoritateſque Patrum, Conciliorum, atque Pontificum, ut ne errare ſe credant, aliorſum explicandas ſimiliter velint (quæ ſententia ſi penes noſtros per errorem prævaleat, univerſa propemodum de uſuris doctrina ab Antonino ipſo cum Eccleſia tradita nihil proficeret) peculiari diſputatione, qua hæreticos, & imperitos hoſce catholicos ſimul ſui erroris convinceremus, utendum fuit; idque tanto luculentius præſtandum, quod hoc in errore impugnando principia ſtatuentur, quæ ad uſuras dignoſcendas aditum patefacient.

De aliis hac editione præſtitis.

XXII. Vitam Auctoris ſcribere primum conſilium fuerat. At ſcripta ſatis exacte a coævo ſcriptore Auctoriſque domeſtico Franciſco Caſtilionenſi præcipuoque ſtudio & perpetuis notis illuſtrata a celeberrimo Societatis Jeſu ſcriptore Daniele Papebrochio ita placuit, ut eam dare ſatis duxerim, ita tamen ut, quæ præterea ſuppeterent notitiæ ad vitam pertinentes ſive ex aliis monumentis, quæ idem ſimul edidit tom. 1. Maii in Actis Sanctorum, ſive aliunde, eæ in adnotationibus ſubjicerentur. De aliis vero, quæ ſive in ſcelectis de Auctore teſtimoniis colligendis, ſive in lucubrando accuratiori operum ejus cum editorum, tum manuſcriptorum catalogo, ſive tandem in compingendo novo indice in rem præcipue moralem, uſuique noſtrorum temporum accommodato præſtiterimus, nihil peculiare præmonendum occurrit. Hoc denique unum te, optime Lector, exoratum volo, ut quam curam ſuſcepi partim obediendi ſtudio, partim etiam conferendi in hanc editionem ac in publicam rem, quidquid pro exilitate mea ac pro anguſtia temporis poſſem, pro humanitate ac ſapientia tua comiter accipias. Vale.

AD-

ADMONITIO
IN VITAM SEQUENTEM.

NE novam S. Antonini vitam ex antiquis excerptam compingerem, illud in cauſſa fuit, quod ipſa antiqua ejuſmodi monumenta Auctorum editionibus præfixa, ſi ſatis accurate ſcripta fuerint, majorem fidem majoremque fructum pariant. Inſignes porro Antonini vitæ ſuppetunt, & in his præterea ſpeciali cura edendis ac illuſtrandis Pater Daniel Papebrochius Soc. Jeſu de Sanctorum actis optime meritus potiſſimum laboravit. Celebris enim Magliabechius Florentinus, qui Antoninum præcipue colebat, peculiari opera uſus, in eam rem omnia, quæcumque potuit, communicavit Papebrochio, qui idcirco ei opellam ſuam præfixa epiſtola nuncupandam credidit. Recudere hæc omnia primum conſilium fuit. At quum nimis eſſent multa, v. tom. 1. Maji die 2. pag. 310. *potiorem vitam ſeligimus, quam coævus auctor Franciſcus Caſtilionenſis Antonini multos annos familiaris, anno poſt mortem exaravit: cui ne quid deſit, quod ad vitam pertinet, ex aliis monumentis totidem verbis in adnotationibus ſubjiciemus. Monumenta autem inſigniora a Papebrochio edita, & in adnotationibus alleganda, ſunt Additiones ad præfatam vitam, quas Fr. Leonardus de Ser-Vbertis de Florentia ex fere oculatis teſtibus intra decimum ab exitu Sancti annum digeſſit; Summarium ex ipſis canonizationis proceſſibus, in quo teſtes fide digni & alia monumenta vetuſtiora appellantur; Vita eidem Summario præfixa in editione an.* 1519; *ac tandem alia Vita juſſu Clementis VII per P. Vincentium Mainardum Geminiacenſem ſcripta & edita, nec non alia ab Euphroſino Lapinio: de quibus monumentis ſi plura velis cognoſcere, ipſius Papebrochio Commentarium & Appendicem legere poteris. Neque adnotationes iſtius prætermittam, proprio illius nomine ſignandas: in quibus vita præfixa editioni Summarii an.* 1519 *appellatur vita ſecunda; tertia autem vita dicitur, quæ Vincentium Mainardum auctorem habet.*

SANCTI ANTONINI
ARCHIEPISCOPI FLORENTINI
Ordinis Prædicatorum.
VITA,
AUCTORE FRANCISCO CASTILIONENSI,
CANONICO S. LAURENTII, ET IPSIUS S. ANTONINI DOMESTICO PER OCTENNIUM

Ex autographo Florentino Conventus S. Marci, MS. Corſendockano, & Leandro Alberti.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Cur potiſſimũ inſcribat hanc vitam conventui Bononienſi.

FRanciſcus Caſtilionenſis Presbyter, Priori Fratribuſque B. Dominici Conventus Bononienſis ſalutem. Quum vitam Reverendiſſimi Patris Fratris [1] Antonii Archiepiſcopi Florentini nuper conſcripſiſſem, quæ propter geſta illius viri, præclara admodum, atque vitæ hominum, eo quod in ſe multarum virtutum exempla contineat, non parum utilis eſſe videtur; nullus mihi convenientior viſus eſt, quam Tu Fratreſque tui, cui hoc eſſet opuſculum dirigendum. Nam quum locus veſter ſit inter alios conventus iſtius Ordinis, tum vitæ atque obſervantiæ integritate, tum civitatis ac ſtudii ſacrarum litterarum nobilitate, non minus ob ſanctorum Fratrum & eorumdem doctiſſimorum magnam copiam, maxime vero

1 Hoc Auctori nomen in baptiſmate impoſitum fuit, quo & ſe ſignabat, & vivens audiebat apud omnes, quod & in ſuis operibus, non Mſs. ſolum, ſed & in quibuſdam editis exhibetur. At iſto jam quaſi oblivioni tradito, communi uſu jam Antoninus dictus eſt. Quietif & Echard t. 1. Scriptorum Ord. Prædic. pag. 817.

vero propter præſentiam ſacrati corporis B. Dominici Patris veſtri, toto ordine illuſtris ac nobiliſſimus ; ad vos ſane pertinere potiſſimum videtur tantarum virtutum laudem celebrare . Ipſe etiam Antonius tantum decoris tantumque ornamenti addidit Ordini veſtro, tantum Religioni veſtræ, quæ jam pene exſtincta erat, incrementi adjecit , tantum vel maxime Ordini veſtro ſua doctrina ſuoque exemplo profuit ; ut numquam poſſit ejus memoria a quocumque veſtrum ſatis pro dignitate celebrari. Habuiſtis enim in Ordine , ex quo conditus eſt, ſanctiſſimorum virorum magnam copiam ; habuiſtis Pontifices plurimos , etiam Romanos ; habuiſtis doctores egregios, qui multa ſcripſere ad communem hominum utilitatem ; ſed ſinguli pene ſingulis virtutibus ornati. In hoc uno viro certe ſanctitas immenſa , Pontificatus excellentia , cœlibatus, ſive, ut ita dixerim, virginitatis gloria , doctrina ſingularis & noſtris temporibus accommodata, peculiari quodam ac divino privilegio convenerunt. Nihil ſane huic viro niſi martyrii palma, quam tamen ex tolerantia multorum laborum ac corporis paſſionum merito ſibi vendicare poteſt, defuiſſe videtur. Sed quid ad hæc explicanda me extendo ? quum jam ipſius vitam omnem audituri ſumus, in qua non omnia, quæ dici de eo poterant, neque ea, qua decebat tantam rem, narratione conſcripſi : ſed brevi , ne moleſtus fierem, eaque inepta , ſat ſcio, oratione ejus geſta complexus ſum. Unum te id , Pater optime, & Fratres tuos rogatos volo, ut hoc breve opuſculum primum vos legere non pigeat ; deinde aliis ſimul Fratribus veſtris , qui per ceteras Italiæ civitates conſtituti ſunt , cognoſcendum ; poſtremo vero in veſtra bibliotheca conſervandum cuſtodiendumque recondatis, ut tanti viri exempla poſteris quoque ſint incitamenta virtutum. Si quid vero minus apte minuſque pro dignitate rei ſcriptum eſt, in hoc veniam mihi dari poſtulo, qui numquam hactenus ad ſcribendum acceſſi ; idque partim ex mearum rerum ac totius vitæ perturbatione, partim ex inſtituto fortaſſe non improbando faciendum putavi . Sin autem quodcumque in tantarum virtutum laudem cuipiam veſtrum gratum jucundumque ſcripſi, id mihi, ad orationes ſuffragiaque Sanctorum Fratrumque impetranda, patrocinari poſtulo. Valete.

Per ipſum aliis conventibus communicandam.

PROLOGUS.

Cauſſæ, quæ adſcribendam S. Antonii Vitæ impulerunt auctorem.

Non nullis rebus ſæpenumero annexa eſt quædam, ut ita dixerim, vis officii atque honeſta neceſſitas ; ad certas res peragendas, non manu violenta compulſi, ſed ipſa virtutis decorique neceſſitudine ita pertrahamur, ut a nobis omitti ſine nefario ſcelere non poſſint. Hujuſmodi eſt , ſi quis parentem ætate confectum ac pauperem ſuis opibus, quum id poſſit, enutrire contemnat : ſi quis item filiam jam nubilem, potius domi impudicam retinere, quam honeſto viro nuptui tradere pertinaciter contendat : aliaque hujuſmodi tam multa ſunt, ut vix narratione longiſſima comprehendi poſſint. Hac ego decori honeſtique neceſſitate adductus , vitam ſanctiſſimi viri Antonii Florentini Præſulis , qui [1] hoc anno ex hac vita migravit, litteris memoriæque mandare conſtitui. Quamquam enim plures ſint alii docti viri in noſtra civitate, quibus & doctrina & ingenio facile cedam, qui rem hanc poſſent ſententiis & amplitudine orationis illuſtrare ; tamen quia apud virum ipſum fui, & domi ejus ultra octavum annum, geſtaque ejus ſingula aut bonam partem propriis oculis vidi, auribuſque hauſi ; ad me potius hoc onus officii, quam ad quemvis alium, merito deferri ac pertinere ſum arbitratus . Eſt res digna memoratu, tum aliis de cauſſis, tum vel maxime ut qualem noſtra ætas produxerit virum, intelligamus . Incredibileque eſt , ut his noſtris temporibus, quibus omnis bene vivendi ac religionis norma labefacta ac pene deſtituta eſt , tot tamque excellentes virtutes in uno homine convenire potuiſſent. In eo namque omnis pietas divini cultus, omnis ſacrarum Scripturarum certiſſima doctrina , omnis denique ſanctiſſimæ vitæ lucidiſſimum exemplar ſitum erat. Hinc omnes Religioſi viri, ſive Monachi, ſive Presbyteri fuerint, ſive etiam Epiſcopi, poterant optimam vitæ ſuæ morumque diſciplinam ac pie vivendi certam regulam adipiſci. Hic enim vir, non tantum poſtquam e vita migravit , verum etiam & antea, dum viveret, ab omnibus Italiæ populis omnique Romana Curia (de Prælatis loquor ſummiſque Pontificibus) Sanctus appellabatur . De hoc igitur viro ea, quæ ipſe vidi & quæ aliis veriſſimis teſtimoniis accepi, breviter atque conciſe dilucideque narrabo : aliis, qui majori dicendi vi majorique eloquentiæ artificio præſtant, exornationem tantarum laudum amplitudinemque relinquo.

Octo amplius annis ejus domeſticum.

S. Antonii compendioſa laus.

CAPUT I.

Acta Vitæ uſque ad Archiepiſcopatum ſuſceptum.

Naſcitur Florentiæ honeſtis parentibus An. MCCCLXXXIX

1. Antonius, Florentina urbe oriundus, honeſtiſſimis [1] parentibus , patre Ni-

1 Annus hic computandus a morte, 2 Maii obita : nam n. 18 mentio fit Epiſcopi Spoletani ut ad Cardinalatum *nuper* evecti, quod ſolum factum eſt ann. 1460, III Nonas Martii. Papebrochius .

1 Vita ſecunda *Ingenuis*, *Nobilibus*, & *Ortodoxis parentibus* , *unicus legitimus natus*. Vita tertia addit *anno ſalutis* MCCCLXXXIX *Urbano* VI *Pontifice* , *Venceslao Cæſare* . Papebrochius.

2 [2]Nicolao, Matre Thomaſia natus eſt. Is multa ſolertia, plus memoria valuit; ingenio gravis, mitiſque admodum ac taciturnus, ſtatura corporis non magnus, oſſibus ac nervis magis quam carne ſuffultus. In ipſa pueritia religionis ſtudioſus, Eccleſiam & auditionem divini verbi frequentabat: cœpitque iam, tum orationi aſſiduæ, contemplationique vacare: ferturque adhuc puer ad figuram Crucifixi, quæ in Eccleſia S. Michaelis in horto (ſic enim appellatur) ſita eſt, longo tempore ſingulis diebus accedere

Puer ſtudio precandi tenetur.

2 Eadem vita tertia *Nicolaus pater vir probatis moribus tabellionatus collegio (quod in urbe Florentina non contemnendo loco habetur) quater præfuit.* Papebrochius. Porro Leonardus de Ser-Vbertis patris cognomen ſolertemque filii educationem ſuggerit c. 1. n. 5. *Patrem habuit Notarium Nicolaum Pierozzi, matrem vero Thomaſiam nomine, parentes utique honeſtis moribus & religioſa converſatione fulgentes: qui filium ſuum multa diligentia nutrierunt, eumque ab infantia docuerunt timere Deum, & cavere ab omni peccato.* Ceterum ad *Pierozzi* cognomen quod pertinet, quo quidem cognomine *Antoninum Pierozzium* vocat Bartholomæus Fontius Florentinus ejuſdem ſæculi ſcriptor inter teſtimonia ſcelecta recenſendus, proprie avi nomen eſt, quo Antonini pater ex ejus ævi conſuetudine *Nicolò de Pierozzi* nuncupabatur. Verum autem familiæ cognomen fuiſſe *de' Forciglioni* plures recentiores contendunt.

3 *Bernardus de Martinis, civis Florentinus ann. LXXV.* in 2. exam. teſtis 10, *dicit, audiſſe a D. Agnolecta de Ghibertis, nobili Matrona Florentina, quod quum puer eſſet Antonius, ante ingreſſum Religionis, ſingulis diebus mane, in Eccleſia S. Michaelis de horto in civitate Florentiæ, per unam horam, genibus flexis orabat ante Crucifixi figuram: quod ipſa D. Agnolecta habit ab avia ipſius Archiepiſcopi prædicta ſciente.* Papebrochius. Leonardus de Ser-Vbertis in hanc rem addit c. 1. n. 5. *Hic in ipſa ſua pueritia mirabili quadam gravitate, & multa morum honeſtate reſplendens, ſuper omnia orationi, ultra quam credi poſſet, erat intentus. Jam enim illud evangelicum quomodo oportet ſemper orare & non deficere, intenta cordis aure percipiens, non ceſſabat a Domino petere, ut dirigeret greſſus ſuos. Intraverat jam in cor tenelli pueri illud, quod veritas dicit: Sine me nihil poteſtis facere. Propterea puer Dei Dominum ſuum puris precibus exorabat, ut eum doceret facere voluntatem ſuam.* Et mox de virginitatis dono per orationem impetrato, de quo hic tantum incidit mentio, ſubjicit n. 6. *Quanta vero in ſancta oratione Domino inſpirante didicerit, vel ex hoc conjici poteſt, quod virtutum omnium reginam, ſanctam videlicet & immaculatam virginitatem inter cetera obnixius dicitur poſtulaſſe. Quis enim tam teneram mentem tantilli pueri ad amorem ſanctiſſimæ caſtitatis tam vehementer creditur inflammaſſe, ut eam ſuper omnia ſibi donari expoſceret, niſi Rex ipſe Virginum, caſtitatis amator Dominus Jeſus Chriſtus, quem purus puer tam aſſidue exorabat? In Eccleſia igitur S. Michaelis in horto ad quamdam imaginem Crucifixi, B. Antonius ſingulis diebus diutius orare conſueverat; ita ut propter ſuam in orando perſeverantiam multos verteret in ſtuporem; ibique inter cetera hoc fertur a Domino Jeſu Chriſto inſtantius poſtulaſſe, ut ſcilicet perpetuam mentis & corporis virginitatem ſibi concedere dignaretur, dicens cum Pſalmiſta: Fiat, Domine, cor meum & corpus meum immaculatum in juſtificationibus tuis, ut non confundar. Quam puram Deoque acceptiſſimam petitionem, ſicut poſtea rei probavit eventus, gratia ſibi divina conceſſit: libenter enim annuit Dominus talibus precibus. Virgo igitur immaculatus & purus B. Antonius uſque in finem perduraſſe narratur.* Et n. 7. *Hujus etiam conſervatæ virginitatis indicium fuiſſe videtur, quod, dum in extremo eſſet mortis articulo conſtitutus, ita ut vix ejus vox a circumſtantibus audiretur, ſæpius in ejus ore reſonabant repetita hæc verba: Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio. Quamvis enim ad B. Mariam Virginem, cui ſemper devotiſſimus exſtitit Antonius, poſſint illa verba referri; tamen non incongrue creditur, quod ipſe ſanctiſſimam virginitatis integritatem laudans, agebat gratias Deo, omnis caſtitatis datori, ipſique virginitatis virtuti, qua in ſe per Dei gratiam inviolabiliter cuſtodita, cognoſcebat ſe ceterarum quoque virtutum cuſtodiam obtinuiſſe, ſimulque vitiorum omnium habuiſſe victoriam. Noverat profecto electus Dei puer Antonius, magni apud Deum meriti cognatamque Angelis eſſe virginitatem. Inſpiraverat Altiſſimus ſervuli ſui mentem, quæ mox fuerat futura omnium chariſmatum receptaculum, quoniam non niſi caſte viventes templum ſunt Spiritus ſancti. Et ob ipſam mentis & corporis puritatem puer Domini tantopere cupiebat, propterea etiam de tam grandi virtute uſque in finem ſervata exſultans in morte crebro dicebat: Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio: ſciebat enim quod donata eſt illi innumerabilis honeſtas per manus illius.* De hac eadem Antonini virginitate hæc ex Summario proceſſuum num. 2. omittenda non ſunt: *Virginitas ejus perpetua, & carnis integritas, ultra eos, qui ſcripſerunt prædictas hiſtorias, confirmatur a pluribus teſtibus de auditu, ab antiquis Patribus S. Marci, qui hoc pro comperto habebant: & Fr. Deſiderius de Cianoctis annorum LX dicit ſe audiviſſe a Fr. Matthæo Piſtorienſi, integerrimo ſene, qui Confeſſor fuerat Antonii, quod numquam invenerit eum peccaſſe mortaliter, & quod ſtupefactus ſemper remanebat, dum ejus audiret confeſſionem, admiratus quomodo ita pure vivere potuiſſet in hac vita mortali. Et idem teſtis dicit ſe audiviſſe ab alio Confeſſore Antonii Fr. Laurentio de Martinengo, viro doctiſſimo & bono, quod ſemper invenerit eumdem Antonium in confeſſionibus ſuis ejuſdem puritatis, ac ſi eſſet puer quinque annorum: quod Fr. Matthæus Marci de Florentia in primo teſtatur, & multi de auditu confirmant.* Addam & cautiones ab Antonino pro virginitatis cuſtodia adhibitas, quas Leonardus de Ser-Vbertis commemorat cap. 1. num. 12. *Noverat vir Dei teneram & lubricam eſſe caſtitatis opinionem, facileque aut amitti aut maculari, niſi virginum pudor ab omni ſpecie mala abſtineat ſe. Quia enim pauci ſunt, qui carnis continentiam ſervent, pauciores vero, qui cum carne etiam mentem teneant mundam; ex leviſſima ſuſpicione ipſi incontinentes de aliorum continentia incipiunt tituba-re. Propterea fugiebat Antonius omnia ſuſpecta conſortia: pudica mens ejus pudicos ſervabat oculos, pudicos ſermones, pudicoſque geſtus omnes & mores. Ait ipſe in quadam ſua epiſtola, poſteaquam factus eſt Epiſcopus, ad Fr. Laurentium de Ripafracta: Ego, inquit, in familia noſtra nullum habeo puerum vel adoleſcentulum: ſed omnes excedunt XXV annum, & ſunt Sacerdotes, uno excepto, qui Diaconus eſt: & multo magis famuli laici ab adoleſcentia recedunt: nec hic converſantur pueri, niſi qui veniunt cum patronis ſuis Presbyteris, habentibus*

re consueviſſe, ibique ſupplex ac genibus flexis diutius orare; adeo ut plurimi id cernentes admirarentur tantam eſſe in puero tolerantiam in orando, & in perſeverando conſtantiam. Quum vero letaniæ ac proceſſiones publicæ fierent, Fratres Prædicatores, quibus jam tum afficiebatur, multa cum gravitate ac modeſtia ſequebatur. Numquam in [4] ludo litterario, in quo ſupra coætaneos ſuos mirum in modum proficiebat, quidquam puerile a ſociis, qui adhuc ſuperſtites ſunt, in noſtra civitate feciſſe memoratur: erat enim jam tum in ejus moribus, ſermoneque ac geſtu corporis, præmatura ſenectus gravitaſque immenſa.

Moribus ſupra pueriles prædituſ.

4

2. Quum autem ad pubertatis annos perveniſſet, animum ad religioſam vitam capeſcendam convertit; motus, ut ſæpius nobis narrabat, prædicationibus præſtantiſſimi viri Fratris [5] Joannis Dominici, qui ex Ordine Prædicatorum, poſtea, ejus virtutibus ita poſtulantibus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis effectus eſt: cujus viri ſingulares virtutes atque doctrinam in primiſque ſolertiam & acumen ingenii ſummis in cælum laudibus extollebat Antonius. Erat enim in eo magna divinarum Scripturarum cognitio, in interpretando ſolertia, in proloquendo facundia, in rebus agendis experientia, & in conſulendo prudentia ſingularis. Ad hunc quum ſuſcipiendi habitus cauſſa acceſſiſſet Antonius (ille enim tunc Feſulis Eccleſiam B. Dominici ac eum Conventum, qui nunc exſtat, [6] a fundamentis condebat) viſus eſt homini prudentiſſimo puer, acutus quidem ingenio ac bonæ indolis, ſed ætate [7] tenellus: jubet illum adhuc aliquot annis exſpectare, donec ad perferendam religionis auſteritatem ſufficiat.

Concionibus motus Fr. Joannis Dominici.

5

6

Ut ab eodē admittatur in Ordinem S. Dominici, petit.

7

3. Et quoniam interrogatus ab eo, cuinam ſcientiæ aut facultati operam daret, reſpondit, ſe Decreti lectione plurimum delectari: *Vade*, inquit, *quum totum Decretum memoriæ mandaveris*, [8] *tunc in Ordine admitteris*. Non auſim affirmare quid loquar (nam ipſe Antonius numquam de ſe talia nobis narraſſet) ſed in ſignum ſingularis memoriæ, vulgo hæc de illo fama ferebatur. Dicitur enim adoleſcens tunc ab homine diſceſſiſſe, tranſactoque anno ad eumdem, ita [9] Decreto familiari effecto rediiſſe, ut, in quacumque ejus libri parte illum

Ab eo rejectus, quoad volumen Juris Canonici memoriæ mādaſſet.

8

9

diverſas cauſſas, vel portantes litteras a mercatoribus, vel Magiſtris. Ego nec cum pueris, nec cum mulieribus loquor, niſi in locis publicis, videntibus cunctis. Sunt multa in eadem epiſtola digna memoria, quæ omnia brevitatis cauſſa omitto: ſpero tamen, ſi permiſerit Deus, & hanc, & non nullas alias ejus epiſtolas aliaque opuſcula in unum, ſicut potero, coarctare volumen. Interim hæc pauca ſumta ſufficiant ad propoſitum præſentis negotii. Et c. 2. n. 16. eum obſervat fuiſſe Antoninum, *qui nedum feminam, ſed nec virum aſpicere pro ſua modeſtia ſolitus erat.*

4 Notandum hoc loco eſt ex Summario proceſſuum n. 3. *Non habuit autem Præceptorem Antonius, niſi in Grammaticalibus tantum, & illum etiam valde debilem; in aliis vero facultatibus nullum, excepta parte dialecticæ, & ſatis interrupte. Sed neque Ducem aut Prælatum, qui ad ſtudia eum impelleret aut eadem imperaret; ut ipſemet in proœmio Summæ loquitur de ſe ipſo & atteſtatur,*

5 Vita tertia Joannes Dominici laudes brevi hoc encomio carptim perſtringit: *Is ille eſt, qui primus collapſas vitæ regularis obſervationes (quæ abſumtis Patribus, in vaſto illo infandæ luis incendio ac peſtilentiſſima contagione, quæ ſub annum MCCCXLVIII. contigit, prorſus conciderant) in aliquam ſpem ac lucem dicendo & agendo revocavit; tanti a Gregorio XII habitus, ut Raguſinam illi primum Eccleſiam crediderit, inde etiam in Cardinalium numerum cooptaverit. Mox apud Conſtantiam, ubi de tollendo ſchiſmate, quod tres Pontifices ducere videbantur, totius Eccleſiæ & Chriſtianorum Principum conſenſu agebatur, egregiam laudem reportavit, dum ſummopere contendit, ut Gregorius (cujus ille partes tuebatur) Pontificatui cederet: tandem a Martino V (qui depoſitis vel cedentibus ceteris, ſumma orbis conſenſione Pontifex in ea ſynodo declaratus fuerat) ad convellendam Boemorum hæreſim, quæ tunc ſerpere incipiebat, legatus in Pannoniam miſſus, Budæ diem ſuam obiit an.* MCCCCXVIII, uti ſcribit S. Antoninus, vel potius anno MCCCCXX, ut habetur in vita, quam prologo & exordio mutilam edidit Leander Alberti lib. 3, integre ex MS. Conventus Florentini S. Mariæ Novellæ deſcriptam nobis dedit Franciſcus Redi, Medicus & Patricius Aretinus, auctore Joanne Carolo Florentino Ord. Prædicatorum ad Franciſcum Berlingherium fratrem, ubi etiam dicitur in ſuburbano eremitarum S. Paulli templo inſigni ſepulcro traditus. *Ferunt autem*, inquit idem auctor, *in eo templo ad ejus venerabile corpus prodigia fieri multa, plurimaſque ibi imagines adſtare, prodigiorum teſtimonia referentes, quæ meritis hujus viri fideles ſunt conſecuti.* Dedi igitur operam, ut etiam ex Hungaria diſcerem, num alicunde venire poſſem in notitiam certæ diei, ad quam vita ea referretur; aut firmius aliquod publici cultus teſtimonium, quam quod hic ex mera fama profertur; ſed hactenus nihil comperi, quod ſuaderet huic operi inſerendam Vitam, cujus interim hanc notitiam volui hic lectori proponere: eumque porro remittere ad Leandrum præcitatum vel ad Sigiſmundum Ferrarium, de rebus Hungaricæ Provinciæ ſui Ordinis, parte 2. lib. 1. cap. 26. & ſeqq. eamdem prolixe deſcribentem. Papebrochius.

6 Addunt Vitæ ſecundæ & tertia, *dum regularem Ordinis obſervantiam reformaret.* Abſunt autem Feſulæ Florentia, ut ait Vita ſecunda, *duobus milliaribus*, eædemque *jam funditus interierant*, quum ederetur Vita tertia. Papebrochius.

7 Eadem tertia vita, *quum gracili eſſet corpuſculo, & magis oſſibus & nervis, quam carne fuffulto.* Idem Papebrochius.

8 Vita ſecunda. *Nos, inquit Joannes, Scholares Canoniſtas in Ordinem noſtrum non admittimus, niſi univerſo Decreto memorato: tu ergo, fili, ita facito: dende poteris ad nos ſecurior redire.* Idem.

9 In Summario proceſſuum num. 3. factum traditur *miraculo quodam, ut ſcilicet breviſſimo tempore, & infra annum memoriæ mandaverit totum Decretum. Ultra duas hiſtorias hoc affirmantes, & dicta teſtium novem nominatorum, idem affirmat D. Hieronymus Benzius, Decretorum Doctor LXI annorum, qui bene cognovit Antonium, & hoc dicit audiviſſe a Ven. P. Fr. Sancte de Schiattenſibus, Priore S. Marci, diſcipulo Antonii, ſucceſſore ipſius in prioratu, & ſanctis mori-*

lum interrogaſſet, mirum in modum homini ſatisfaceret. Tum vero non jam repulſus, ſed avidiſſime ſuſceptus, ſextodecimo ætatis ſuæ anno, aſſumto B. Dominici ac prædicatorum habitu, novum induit hominem [10], qui ſecundum Deum creatus eſt. Narravit nobis poſtea ſanctus Præſul, mihi ſcilicet Marcoque Presbytero (cui ſumma dilectione, eo quod bonus ac fidelis magnoque ſibi uſui eſſet, afficiebatur; in cujus etiam morte: *Defecit*, inquit, *baculus ſenectutis meæ*) ſe, antequam ad Religionem accederet, voluiſſe de virtute ſua periculum facere: quumque ab eſu carnium abſtineret, ut id parentes lateret, fingebat ſe ſumtas de menſa carnes conſumere, quas poſtea clam ſub diſcum projiciebat.

Anno ætatis 16. habitu donatur.

Circa ann. MCCCCV.

10

4. In ea vero Religione, quam mitis in Fratres caruſque omnibus, quam dicto majorum obediens, quam orationi lectionique aſſiduus, quam denique earum obſervationum, quas Conſtitutiones appellant, obſervatiſſimus fuerit, non longa etiam narratione explicari poſſe confidam. Multa reſecanda cenſeo, ne orationis longitudine legentibus moleſtiam afferam. Cognita igitur hominis virtute, ſtatim a Patribus Ordinis ad gubernationem aliorum Fratrum aſſumtus eſt, multiſque in locis Italiæ Prior effectus, [11] Romæ, Neapoli, Cajetæ, Cortonæ, Senis, Florentiæ, Feſulis; poſtremo etiam [12] Generalis hujus Tuſciæ Provinciæ Vicarius ac Neapolitanæ factus eſt. In quo munere multos Italiæ Conventus ad veræ religionis atque obſervantiæ regulam reformavit, multoſque annos magna cum diligentia ac ſeveritate Provinciam gubernavit. Circumeundo civitates, pedes ſæpenumero incedens; poſtremo vero, ætate atque corporis infirmitate confectus, aſellum, imitatus perſonam Salvatoris, pro jumento habebat: ubi vero aſellus aut itineris longitudine aut viarum hiemiſve aſperitate non ſufficeret, majori robuſtiorique jumento utebatur. Tot vero tamque graves [13] morbos in eo Ordine perpeſſus eſt, ut ſæpius ad mortis periculum acceſſiſſe videretur. Herniam quoque ingentem magna cum moleſtia pertulit quamplures annos, quæ & poſtremo maximam morti ejus occaſionem præbuit. Narrabat ipſe Pater nonnumquam, quam multas variaſque ægritudines perpeſſus eſſet, quot febrium genera, quartanamque in primis longiſſimam: in phthiſim etiam flecti ab omnibus in ipſa juventute putabatur. *Sed ex his omnibus*, ajebat, *liberavit me Dominus*, quippe qui ad majora ſervabatur. Tranſeo quam fuerit caritatis amator, & fraternæ ſalutis zelator ardentiſſimus, recenſere, non ſolum ſuorum Fratrum, verum etiam reliquorum omnium. Omitto dicere, quanto uſui hominum ejus admonitiones, confeſſiones, [14] prædicationeſque fuerint: ad præclarum enim ejus facinus,

Variis virtutibus præluceat.

Varias in Ordine præfecturas obit.

11

12

Varios morbos patiens tolerat.

13

14

Zelum exercet animarum.

ribus: & plures alii teſtes idem teſtificantur, & quod eſt quaſi de hoc publica vox & fama Florentiæ. Addit Papebrochius. Vita ſecunda id explicans, *ſive ad litteram*, inquit, *ſive per ſummatas concluſiones, quod majoris intelligentiæ eſt argumentum: id enim teſtes non expreſſerunt.*

10 *Et Cortonam mittitur*, inquit Vita tertia (*quum novum cœnobium Feſulanum nondum eſſet abſolutum*) *regularibus diſciplinis imbuendus ſub viro integerrimo Laurentio Rupefracta: id viculi nomen eſt in agro Piſano, unde oriundus erat* Laurentius: *de Cortona* autem Etruriæ oppido egimus 22. Februarii ante vitam B. Margaretæ. *Exacto deinde anno juravit, quod Religioſi ſolent, Feſulani cœnobii nomine, quamquam Cortonæ conſtitutus: unde demum Feſulas reverſus eſt.* Omittitur in hac tertia Vita ætas habitum aſſumentis, quæ in ſecunda Vita ſic exprimitur: *Tredecim annis in ſæculo tranſactis, deinde in religione Prædicatorum quadraginta quattuor annis perſeveravit.* Placet magis annus XVI hic a Caſtilionæo expreſſus. Papebrochius.

11 Vita ſecunda *Senas & Florentiam* præponit *Cortonæ*, & addit *Piſtorium*, alibi præteritum: in quo conventu dicit Vita tertia Laurentium Antonini inſtitutorem conditum, *poſcentibus opem non denegare ſalutarem*: quem etiam *longa vita functum, epiſtola adhuc exſtante, proſequutus* ſit Sanctus. Papebrochius. Notandum hic porro eſt, ad hæc tempora, & forte dum Romæ Auctor Priorem agebat, pertinere, quod ipſe de ſe teſtatur part. 3. tit. 6. c. 3. §. 3. pag. 272. a. *Dum eſſemus Auditor generalis cauſſarum Domini Papæ*, ideſt Rotæ Auditor; & Card. de Luca de Tribunalibus, ſeu de Auditorio Rotæ l. 15. part. 2. diſc. 32. n. 3. eum inter præſtantiſſimos Auditores fuiſſe pronuntiat.

12 Hæc de dignitate Vicarii generalis, quam Auctor geſſiſſe perhibetur, optime notarunt Quietif. & Echard. tom. 1. Script. Ord. Prædic. pag. 818. *Non Romanæ, ut quidam rerum noſtrarum imperiti hallucinantur, nec regni Siciliæ Prior provincialis fuit, ſed unitorum, ut vocabant, ex Romana & regni provinciis ſubtractorum conventuum, qui ſeveriorem diſciplinam ſervabant, ſub nomine Congregationis Tuſciæ Vicarius Generalis.*

13 In opuſculo, ſeu epiſtola prima ad P. Dominicum de Catalonia, qua jam Vicarius Generalis reſpondit ad quæſtiones ſexaginta novem ab eodem per epiſtolam ipſi propoſitas, *longæ infirmitatis* meminit, quam balneis curabat. *Recepi litteras veſtras diu cum pluribus inquiſitionibus de diverſis materiis numero ſexaginta novem. Sed infirmitate longa fatigatus, gravi ac multiplici occupatione diu reſpondere non valui.... In balneis vero conſtitutus, quum mihi aliquod tempus vacaret, curavi folium iſtud implere, ut ſatisfaciam deſiderio veſtro.* Scripta fuit hæc epiſtola Eugenio IV Pontifice ante alteram, quæ data fuit die 27. Decembris an. 1438. ut in tabula operum dicetur. In reſponſione autem ad quæſt. 52. ejuſmodi fatigationem indicat, qua *pauca quum ſcriberet, manus laſſarentur.*

14 *D. Maria de Cajeta Matrona Neapolitana nobilis, teſtificatur de Archiepiſcopo, qualiter quum præſideret in conventu S. Petri Martyris de Neapoli, prædicatione ſua & vitæ ſuæ exemplis convertit corda plurimorum ad Deum, & induxit devotionem magnam in populo illo, & inter cetera duas ſorores ad ſervitium Dei in regulari obſervantia & habitu religioſo, quæ ad decrepitam uſque ætatem perſeverarunt, & ſanctæ ab omnibus putabantur.* Papebrochius.

nus, qualem se scilicet in sua ad pontificatum assumtione ostenderit, festinat oratio.

MCCCC-XLV. * An. 15

5. Quum enim [15] vacante * Florentiæ Ecclesia, post mortem Bartholomæi de Zabarellis Archiepiscopi, Eugenius Quartus in demortui locum eum suffecturus esset; quamplures, partim de nostris civibus, partim de eis, qui erant apud Eugenium, qui omnes maximis opibus maximisque favoribus gloriabantur, ad eam dignitatem consequendam maxima ambitione ferebantur: diuque vexatus Romanus Pontifex, pulsatusque undique precibus ac multarum pecuniarum pollicitatione (ut fertur) in ambiguo fuit, ad quemnam tale munus merito deferri posse videretur. Postulabant Florentini virum gravem, scientia virtutibusque ornatum, in primisque civem suum: sed ad quem iretur, non facile reperiebatur. Ita novem mensibus ambiguus suspensusque animo Romanus Pontifex perseverat: cui tandem subjicientibus viris religiosis personam Antonii, quum jam antea virtutem hominis cognovisset, statim eorum consiliis acquievit, & non multo post in Consistorio publico Fratrem Antonium, admiran-

Pluribus Archiepiscopatum Florentinæ ambientibus.

Designatus a Pontifice.

[15] Hoc idem factum variis notitiis maxime memorandis describitur a Euphrosino Lapinio, ex cujus vita Latine reddita, & a Papebrochio in Appendicem rejecta pag. 792. hæc in rem præsentem exerpenda credidi. *Mortuo D. Bartholomæo Archiepiscopo Florentino, contigit totis novem mensibus sedem vacantem manere; eo quod Eugenius Papa IV, Florentinæ Ecclesiæ optime affectus, utpote qui Florentiæ natus fuerat, hæreret ambiguus, quem potissimum illi præficeret. In hac tam longa deliberatione, divina id ordinante providentia, animum nonnihil laxaturus, die quodam venit ad capellam palatii, ubi Fr. Joannes ex Ordine Prædicatorum, Professus Conventus S. Dominici Fesulani, idemque celeberrimus pictor, de mandato & ad petitionem ipsius Pontificis, Christi a cruce depositionem pingebat, aliasque historias, quas ibi etiamnum videre est. Erat Joannes vir bonus ac simplicissimus, ideoque perquam carus Pontifici ac familiaris. Hic ingredientem salutans, quum solito tristiorem incedere animadvertisset (consueverat enim frequenter, & hilari semper facie, ad opus inspiciendum venire) interrogavit, ecqua eum caussa sic perplexum haberet. Non levis, inquit Pontifex: cogitamus enim quomodo, elapsis jam novem mensibus, quibus nullam potuimus quietem capere, tandem idoneum Præsulem præficiamus patriæ tuæ: necdum enim, quamvis multi oblati sint, occurrit animo, cujus denominationi possim acquiescere. Ad hæc Joannes: Ne Tua, inquit, Sanctitas facile ista se cura liberaverit, cui tanta suppetit copia proborum atque litteratorum virorum, in quorum humeros onus istud reclinari possit. Inter hos non ultimus mihi nominandus occurrit Frater Antonius, de quo Sanctitas sua toties magnificum tulit judicium, admirans eum ac præferens omnibus ingenii ac virtutis laude præstantibus, qui non solum in nostra Civitate Florentia, sed etiam ubicumque florent hac ætate, tam quoad experientiam regiminis, quam quoad scientiæ Theologicæ profunditatem: ille vero opportune vicinus nobis est, Conventus per Regnum Neapolitanum visitando circumiens. Hic vel alii similes (quorum ideo ratio nulla habetur, quia se se per ambitionem non ingerunt, uti alii, hac ipsa de caussa indigni, & interim omni hora molesti) sollicitudinem vestram lenient; quorum ex meritis facta electio, non solum quietem Sanctitati tuæ conciliabit, sed etiam laudem pariet. Non tu, subjunxit Pontifex, sed Spiritus Sanctus per os suum mihi locutus est, ostendens mihi quod medio in mari aquam requiram, & virum nominans procul dubio dignissimum. Gratias deinde Joanni egit, & de iis, quæ dicta erant, silentium ipsi imposuit; ac porro ad alios sermones digressus, in sua conclavia rediit, firmiter decretum habens, Antonium Archiepiscopum nominare; quemadmodum, præter omnium exspectationem, convocato postridie consistorio, fecit. Ita omnino actam rem certissimo mihi constat: nec satis demirari possum, quod nostri temporis scriptor aliquis, ex occasione mentionem inducens Fr. Joannis Pictoris asseruerit, quod huic ipsi Archiepiscopatum obtulerit Pontifex; sed ab eodem, suæ incapacitatis conscio, propositus Papæ Antonius fuerit. Verum quid mirer in eo casu narrando sic exorbitasse scriptorem istum, quando eidem etiam accidit, Nicolaum V pro Eugenio IV nominare? Antonius interim, intellecta sui nominatione, decrevit fuga sese in Sardiniam subducere. Sed hoc cogitanti, & nihilominus moras aliquas in Regno trahenti, ne suæ Religionis cœpta negotia confusa & imperfecta relinqueret, supervenit improviso suus ex sorore nepos Petrus, citatis equis ideo advectus Florentia, quia avunculi ingenium cognitum habens, haud frustra metuebat, ne is electioni suæ repugnaret, & repugnando irritam faceret. Tum Nepotis & Patrum omnium precibus victus, consensit quidem redire in Tusciam; sed convocatis in Fesulanum Conventum diœceseos Florentinæ Prælatis, conatus est excusare sese. Quanto autem excusabat magis, magis illi eum optabant habere; quumque videretur precibus eorum concordibus nihil moveri, decreverunt pariter omnes scribendum esse Romam ad communitatis totius tunc in Curia Legatum, Paullum Zenobii qu. Paulli de Diacetto, significantes ei quantopere ille repugnaret oblatæ Prælaturæ, ipsique e contrario Pastorem non alium velle consensissent; injungentes eidem, quacumque ratione id ageret, ut vel sponte vel coactus admitteret Antonius oblatam dignitatem: id quod inter alia dictus Orator Dominio Florentino significat, se apud Pontificem tandem effecisse. Vidi ego talium litterarum exemplar in fragmento cujusdam libri, ubi per modum Ephemeridum adnotabantur Legationis istius acta, quod fragmentum hodiedum servatur apud D. Franciscum Diacettum Canonicum Florentinum, dignum heredem, non solum nobilitatis avitæ, sed etiam virtutum majorum suorum. Placet autem ex illa Epistola, scripta die XIX Februarii MCCCCXLV, ad confirmationem prædictorum, transcribere articulum huc spectantem: est vero hujusmodi: Quantum ad Archiepiscopum mihi dicit (scilicet Pontifex) expertum se omnia, tam per litteras, quam per certos homines, ac porro libenter idem facturum: hortatur autem Dominationes vestras, ut loqui Antonium faciatis, eique persuadeatis acceptare munus: quod si porro persistat negare consensum, Dominationes vestræ omnino intelligant, quare neget, eumque exorent atque constringant. Quibus ex verbis liquet, qua in existimatione bonus ille Religiosus apud Pontificem esset; qui repugnantiam tantam intelligens, nec absque ratione eam esse persuasus, omnino voluerit caussam quæri; quam ubi denique non aliam animadvertit esse, quam profundam Christianamque viri humilitatem, absoluto eum præcepto constrinxit.

mirantibus cunctis ac ſtupefactis in exaltatione incogniti viri, Archiepiſcopum Florentinum pronuntiavit: ut in illo id veriſſime Prophetæ dictum conveniret: *Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem Excelſi*. Erat tum forte Antonius in peregrinatione, & Neapolim viſitandorum cœnobiorum gratia pergebat. Quumque in ipſo itinere ad eum hæc eſſet fama perlata, cœpit vir ſanctus ſtatim de fuga cogitare, & a conſueta via divertere propoſuit. Ad mare Tuſcum igitur iter dirigens, in Sardiniam properabat, quo ibi, ut poſtea intelleximus, incognitus latere poſſet. Hæc enim poſtea accepi a Nepote ejus Petro, qui hominem ſtudioſe quæritans, talia molientem invenerat.

Eccli. 44, 2.

Declinandi cauſſa fugæ molitur.

6. Quumque Nepoti id nuntianti, conantique eum ad patriam revocare, ille ſe talem dignitatem umquam ſubiturum negaret, velletque a ſe Nepotem dimittere; ille vero nuſquam ab eo ſe diſceſſurum aſſereret; neceſſitate coactus, Senas a Nepote ſuoque comite Converſo Ordinis deductus, cœpit, quod fuga non poterat, voluntate firmoque propoſito, huic de ſe factæ electioni contraire. Aſſerebat ſe tanto oneri minus aptum minuſque idoneum eſſe: ſed ſtatim ad eum Apoſtolicæ litteræ perferuntur: ſignificatur ei voluntas Pontificis; mandaturque, ut quamprimum Feſulas ad Conventum S. Dominici ſe conferat: is enim locus non longe a mœnibus Florentiæ urbis ſitus eſt. Quumque illuc vir Sanctus, Apoſtolico dicto parens, deveniſſet, cœpit pro hac evitanda dignitate ſollicitus eſſe. Cives, qui ad eum frequentes, viſitandi Paſtoris ſui congratulandique gratia veniebant, ut ſe tali onere liberum eſſe paterentur, orabat. Scribebat Eugenio litteras; aliaſque itidem civium, in primiſque [16] Coſmi Medicis (qui tum in noſtra civitate auctoritate atque opibus ceteros anteibat) ad eumdem ſummum Pontificem, de hoc ſuo firmo obnixoque propoſito, conſcribi litteras ſummis precibus impetravit. Sic omni qua poterat arte hujuſmodi aufugere dignitatem nitebatur.

A qua reductus recuſat.

Deprecatur hujuſmodi onus.

16

7. At Romanus Pontifex, quum ſciret ſe optimam de eo electionem feciſſe, quumque nullis perſuaſoriis litteris, quas plures ad Antonium dederat, videret hominem a ſuo propoſito flecti poſſe; tamdem per litteras non nullorum Prælatorum, in primiſque graviſſimi maximæque auctoritatis viri, Dominici [17] Cardinalis Firmani, hanc ſuam omnino voluntatem irrevocabilemque ſententiam eſſe declarari fecit. Miſſiſque ad eum omnibus ſuper Pontificatu capiendo litteris Apoſtolicis, quidquid ſibi pro illis offerri exſolvique conſuevit, non modicam profecto pecuniam, libere condonavit. Tum demum Antonius, nullum jam cernens ſibi ſubterfugium relictum, quum hanc ſummi Pontificis videret obnixam firmamque ſententiam, hoc omnium ſuorum civium deſiderium; veritus, ne voluntati Dei contrairet, quæ in his ſignis tam manifeſtis apparere videbatur; decrevit ad ſe non nullos venerabiles Sacerdotes Abbateſque ac Prælatos fere omnes civitatis convocare, inter quos etiam non nulli graviſſimi civium adfuerunt. Qui quum ad eum Feſulas in unum conveniſſent, declarata primum ſummi Pontificis voluntate, quum ſinguli ſuper ea re ab eo ſententiam dicere requiſiti, ad id oneris ſuſcipiendum hortarentur; tum demum omnes, ut ſimul cum eo preces Deo orationemque facerent, exoravit. Qua peracta, Deum hominesque teſtatus id contra voluntatem ſuam fieri, proſtratus in terram totus, impoſitum a Sede Apoſtolica *onus ſuſcepit. Videres tum lacrymas in maxillis omnium ſingultuſque frequentes ac gemitus; quum præ dulcedine tanti facinoris virtutiſque ſuavitate omnes commoti [18] eſſent. In hoc imitatus eſt vir ſanctiſſimus antiquos noſtræ fidei Patres. Nonne Ambroſium, Nicolaum, Martinum, alioſque majores noſtros, in quibus erat ſanctitas immenſa, hoc itidem feciſſe memoriæ proditum eſt? A quibus hic noſter Pontifex, quum in ceteris mihi non impar illis fuiſſe videatur, vitæ ſcilicet ſanctimonia, doctrina, & exemplis, in hujus etiam dignitatis contemtu, quam illorum virtuti haud diſpar fuerit, facile demonſtravit.

Sed parere juſſus,

17

Mandato Pontificis cum Clero communicato,

Et fuſis prece ac lacrymis dignitatem capeſcit.

* An. MCCCC-XLVI. *Imitatus exemplum Sanctorum Epiſcoporū,*

18

8. Ingreſſum vero civitatis, non in equo (ut mos eſſe ferebatur) ſed [19] pedes, non prætermiſſa tamen ſolemni proceſſione reli-

Solemni cū pompa ſed pedes Florentiam ingreditur.

19

16 Quia infra num. 28. laudatur Coſmus, quod *in Antonii promotione, ſua ſuorumque poſtponens commoda, utilitati publicæ conſulendum putavit*; ideo auctor vitæ tertiæ hoc loco ſcribit, quod *quamquam* Antonii *adactus precibus litteras* ad Eugenium *dedit, ut eo faſce levaretur*; clam tamen, ne quem alium præficeret, callentius & ex judicio perſcripſit. Papebrochius.

17 *Dominicus Capranica*, a Martino V in ſchiſmate Epiſcopus primum Firmanus, dein & Cardinalis ſecreto nominatus, ab Eugenio IV palam declaratus fuit titulo Sanctæ Crucis in Hieruſalem. Idem.

18 *Geſta hæc*, inquit Vita tertia, *eſſe conſtat ad Kalendas Martias*. Idem.

19 In Summario proceſſuum hæc habentur num. 10. *Ipſe non acceptavit niſi coactus Apoſtolicis juſſionibus, & habita prius conſultatione multorum, ac facta devotiſſima proceſſione pedeſtri, in qua etiam ipſe nudis pedibus inceſſit. Quod ultra probationes eorum, qui ſcripſerunt præfatas hiſtorias, confirmatur aſſertione plurimorum teſtium, præſertim D. Leonelli Presbyteri ann. LXXV, qui fuerat clericus in domo Antonii Archiepiſcopi, & ei prædicta nota fuerunt .... Idipſum in alio proceſſu, & tertio examine pluſquam centum teſtes, qui de eadem re conformiter loquuntur, tamquam de re publica & fama notiſſima probant: aliqui tamen ex eis antiquiores de viſu & certa ſcientia, ut videlicet Presbyter Thomas Dominici an. LXXIX qui fuerat tunc temporis clericus in Eccleſia Cathedrali, & Antonium perfecte noverat, & viderat eum nudis pedibus, tamquam Angelum Dei, proceſſionaliter incedentem.*

liquoque apparatu, qui ad religionem pertinebat, faciendum inſtituit. Quumque primo [20] diluculo Miſſam celebraſſet extra civitatem in Eccleſia [21] S. Galli, tum magna cum ſolemnitate atque omnium exſpectatione civitatem ingreſſus, primum Eccleſiam S. Petri majoris, mox inde nudis [22] pedibus Eccleſiam Cathedralem, ut mos eſt, acceſſit. Poſtremo obſervatis conſuetis cæremoniis ſatis fatigatus, antequam cibum ſumeret, ſe domum recipere: ibi plures Prælati, cum non nullis civibus, qui Archiepiſcopatus cuſtudes appellantur, pro dignitate accepti.

20 *Poſt natalitium Divi Gregorii ſolemnem diem, quia ad ſecundam Quadrageſimæ Dominicam eo anno cecidit*, ut habet Vita tertia. Recte: modo intelligas ipſam Dominicam ſecutam eſſe poſt feſtum S. Gregorii, ſcilicet 13. Martii, quum Paſcha anno 1446. agendum eſſet 17. Aprilis, ita ut πρὸ *ad* ſumatur pro *immediate ante*, ſive *juxta*. Papebrochius.

21 Ea *portæ Civitatis accubat*, ſecundum eamdem vitam. Idem.

22 Nudipedem ingredi voluiſſe putat Auctor Vitæ tertiæ, *quod ea via, quæ ab Albitiis ibi habitantibus Albitia dicebatur, D. Zenobium, Florentinum Præſulem, filium mulieris Gallicæ ab inferis olim revocaſſe, ſecum animo reputaret*: quod miraculum legetur in ejus Vita 25. Maii. Idem.

CAPUT II.

Eximiæ virtutes S. Antonii in adminiſtratione Archiepiſcopali.

9. HIc jam majori ingenio majorique, quam in me ſit, facundia opus eſſet, ad id ſcilicet explicandum, quanta cum ſapientia, quo ſtudio, qua vigilantia, qua juſtitia, qua manſuetudine, qua denique omnium hominum admiratione tredecim annis Pontificatum geſſerit. Primum omnium domi [1] familiam modeſtiſſimam habere voluit, eamque non magnam, ſed quæ vix officiis neceſſariis ſatisfaceret. [2] Omnemque pompam omnemque luxum a victu veſtituque ſuo & ſuorum eliminans, nullam habuit ſupellectilem, nullum apparatum, non aurea vaſa, non argentea, non canes, non equos, ut plerique Prælatorum faciunt; unum tantum parvulum [3] mulum, qui etiam ei dono datus fuerat, domi pro extrema neceſſitate retinebat. Ajebat non decere Prælatum bona pauperum in nutriendas beſtias aut in quemvis alium ſuperfluum luxum conſumere. Duobus primo Vicariis, qui jus dicerent; deinde, quum duo controverſiam ſibi invicem afferre viderentur, uno tantum utebatur; eligebatque virum, quem probum peritumque potiſſimum arbitrabatur, cui pro labore annuo centum aureos mercedis nomine de ſuis bonis dari jubebat, procuratori triginta, aliiſque domeſticis miniſtris, de quo convenerat præmio, ſatisfieri integerrime curabat. Nemo fuit apud illum, qui non ſibi ſatis ſuperque factum eſſe coram omnibus profiteretur. Procuratori ſoli omnium colligendorum fructuum proventuumque ac totius rei familiaris adminiſtrationem relinquebat, reliquam paſtoralis curæ ſollicitudinem ſibi reſervabat. Univerſam æque familiam, quam ſæpe numero in timore Dei vivere hortabatur, optimo victu, ſecluſo tamen ſemper luxu ſuperfluo, paſci jubebat.

Omnē a re familiari luxum proſcribit.

Miniſtros interim ſuos liberaliter ac perhoneſte tractat.

10. Ipſe [4] cibis communibus veſcebatur, in hiſque minime curioſus: ſemper enim quid

Victum ſuū ad leges paupertatis accōmodat.

1 Vita ſecunda: *Familiares non ultra ſex, in quibus unum ad minus ſui Ordinis regularem habere voluit*. Papebrochius.

2 Euphroſinus Lapinius in Vita Auctoris n. 4. *Archiepiſcopus factus voluntariam paupertatem nihilominus quam antea ſectabatur*. Et peculiariter de lecto ejus in ſecundo examine teſtis 23. *Marcus olim Joannis Marci de Florentia ann. LXXVI dicit ſe tetigiſſe lectum ipſius, & quod neque culcitram, neque lintea teneret*. Confer c. 3. n. 19. & c. 4. n. 27. quibus adde ex ſecundo examine, quod teſtis 10. *Bernardus de Martinis civis Florentinus ann. LXXV dixit, paupertatem ipſius tantam fuiſſe, ut quum fuiſſet olim creatus Orator ad Summum Pontificem a Dominio Florentino, non haberet mantellum, quo uteretur in itinere equitando, ſed commodato, illud acceperit a Bartholomæo Lucæ de Martinis patruo dicti teſtis*.

3 Inter teſtes ultimo examine productos, *Ven. P. Fr. Angelus de Caduccis, Ordinis Minorum de obſervantia, Vicarius ſeu Guardianus Fratrum conventus S. Salvatoris ad Montem, extra mœnia Florentinæ urbis ann. LXVII*, deponit, *quod mula pluries ſibi data, pluries eo fuerit vendita, ut pretium pauperibus daret*. Papebrochius.

4 Leonardus de Ser-Vbertis c. 1. n. 19. *Continuata jejunia Sanctiſſimum corpuſculum macerabant: cibus ejus erat talis, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret: nulla illi umquam fuit cura de eſcis, ſciens quod dicit Apoſtolus in 1. Epiſtola ad Corinthios cap. IV.* Eſca ventri & venter eſcis, Deus autem hunc & illam deſtruet. *Proinde quid in potum cibumque ſumtum eſſet, Antonius non ante noverat, quam ſibi foret appoſitum. Ita etiam omnem edendi bibendique ſollicitudinem, omnem eſcarum delectationem projecerat, ut plerumque epulas appoſitas non diſcerneret, & unum pro alio ſumeret: ſicut & de S. Bernardo legimus, qui ſagimen crudum, per errorem ſibi oblatum, pro butyro multis diebus noſcitur comediſſe; & oleum bibiſſe, tamquam aquam. Nam quum propter ejus debilitatem crebroſque languores aliquando carnes comedere cogeretur Antonius, perdices appoſitas non cognovit, quia numquam tam pretioſas aves, utpote cibos delicatos & regios, vir ſanctus ſumere conſenſiſſet. Sed (comedit) quia miniſtri perdices, quas ſibi ad ſublevandam ſuam debilitatem apponebant, cornices aves viliſſimas eſſe dicebant. In qua re duplex ejus virtus ſanctitatis apparet: prima eſt victus ſui auſteritas, quando in ipſa quoque infirmitatis neceſſitate cultiores eſcas vitabat: ſecunda vero eſt ejus admiranda ſimplicitas, & nulla prorſus cibi ſui potuſque ſollicitudo, quando cornices a perdicibus non diſcernebat. Hæc & his ſimilia multa de viri ſimplicitate ac bonitate retulit mihi vir religioſus Fr. Andreas de Fabriano, Converſus noſtri Ordinis Prædicatorum, qui ſocius ejus multo tempore fuit uſque ad mortem ſuam*. In hæc Papebrochius notat. His adde primo, quod

Jo-

quid quaque die comeſturus eſſet, penitus ignorabat; quod ei apparabatur apponebaturque, ſumebat. Omni ſexta feria quadrageſimalibus cibis pro ſe omnique familia uti, jejuniumque ſervari mandabat. Jejunium quoque Adventus Domini ſingulis annis, velut in Religione faciebat, ſervare conſueverat. Quo etiam tempore nonnumquam ovis, ingraveſcente ætate, pro corporis imbecillitate utebatur. Jejunia vero Eccleſiæ nulla penitus, niſi morbi graviſſimi cauſſa, reliquiſſet. Lectioni divinæ, quam in menſa ſemper habebat, ita erat intentus, ut nullum poſſet lector verbum minus recte proferre, quod non ſtatim ejus correctione emendaretur. Diceres hominem, non ad cibum, ſed ad lectionem acceſſiſſe. Cœna ejus aut nulla aut breviſſima erat. 5 Surgebat noctu ſemper, adeoque ſollicite, ut ſignum matutini officii Cathedralis Eccleſiæ præveniret. Quumque divinum officium cum ſuis Clericis, magna cum attentione & mentis 6 elevatione, perſolviſſet; reliquum, quod erat temporis, uſque ad horam diei tertiam, lectioni ſacræ aut componendis libris, de quibus paullo poſt verba faciam, tribuebat. Hora tertia 7 Miſſam celebrabat, quam numquam niſi magna urgente neceſſitate reliquiſſet. Celebrata Miſſa, quod reliquum erat diei, totum in curæ Paſtoralis ſollicitudine, in audiendiſque his, qui multi diverſis de cauſſis ad eum ibant, uſque ad ſeram noctem, præter id temporis, quod neceſſitati corporis condonabat, conſummabat.

Ad menſa ſacra lectione ſe paſcit:

Clerum ad officium matutinum prævenit:

11. Neminem inauditum, nec viliſſimum quemque, a ſe dimittebat. Satisfaciebat omnibus quantum in ſe erat, quippe qui audiendo patientiſſimus ac reſpondendo mitiſſimus eſſet. Tanta enim ejus ingenio inſita erat humanitas, ut neminem etiam domeſticum miniſtrum umquam quavis de cauſſa in quovis errato acerbe reprehenderet, ut ne paullulum quidem iraſci aut excandeſcere poſſe videretur. Dixerat olim, quum eſſet in Ordine, cuidam ex Fratribus ſuis admodum cariſſimo, ſi Superior quempiam in aliquo errato aſperius caſtigaſſet, non id ex animi perturbatione, ſed ex violentia, quam ſibi inferebat, effeciſſe. Nullis denique vexabatur injuriis; nullis contumeliis, nullis jacturis movebatur: omnibus humanus, affabilis omnibus, ut de illo id veriſſime dici poſſet, quod de Moyſe in libro Numerorum ſcriptum eſt: *Erat enim Moyſes vir* 8 *mitiſſimus ſuper omnes homi-*

omnium cauſſas benigne audit,

Omnibus placidum ſe præbens:

Num. 12. 3.

Joannes Miniatis Chriſtophori de Florentia in primo examine teſtis 15. *ann. LXXIV. dicit, quod doluit, dum ſibi procurator appoſuit perdicem unam, affirmans totamfamiliam unius pauperis ea impenſa uno die potuiſſe ſuſtentari. Secundo*, quod teſtis 43. in exam. 2. *Ser Joannes Attavantis de Vincentiis, civis Florentinus & Notarius publicus, addit, quod dum eſſet infirmus Antonius, & a nobili muliere perdix præparata fuiſſet pretii ſolidorum ſex, remiſit eam Antonius, dicens, tanti valentis pretium demtum fuiſſe pauperibus plus eo egentibus.*

5 Fr. Leonardus c. 1. n. 10. *Quid de ſomno referam & quiete Antonii? Dormire illi non prius cupiditas, quam neceſſitas fuit. Sacras vigilias ſupra modum amabat Antonius, primuſque ſemper inter fratres ſolitus erat ſurgere ad Matutinas, implens Davidicum illud:* Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi: *& item illud:* Caſtigatio mea in Matutinis. *Poſt Matutinas vero non redibat vir Sanctus ad quietem corporis, nec laſſis membris indulgebat, quibus etiam multa neceſſaria ſubtrahebat: ſed aut lectioni, aut orationi, vel ſuorum librorum compoſitioni vacabat: Fratrum inſuper conſolationi, & conſiliis, eorumque exhortationibus, & confeſſionibus inſiſtebat. Si quando tamen ſomnus illum imminens oppreſſiſſet, non in lecto corporalis quietis debile corpuſculum deponebat; ſed reſidens in loco, ubi orabat, aut legebat, ſive ſcribebat, elevata ſurſum ad cælum, quo ſemper erat intentus, facie ſua, paulullum quieſcebat. Et tamen, quum quieſceret corpus, vigilabat animus: qui frequenter in ſomnis aut lecta repetebat, aut ſomno interrupto continuabat, aut diſpoſita gerebat, aut gerenda prænuntiabat.*

6 Ex Summario proceſſuum cap. 1. num. 4. *Elevatio Antonii per non nulla brachia, dum oraret, & cum ſplendore nimio circumfuſo in camera ejus: & quod pluries viſus & deprehenſus fuerit taliter orans, ſic corporaliter elevatus, & aliquando etiam in elevatione applicatus cuidam Cruci cum imagine Crucifixi, & cum eo ardentiſſime ac devotiſſime loqui. Probarunt hoc Nicolaus Primerani ann. LXXV, cui Primeranus pater hoc ipſum retulit, qui eumdem ſic vidit elevatum & orantem. Dominicus de Boninſegnis ann. XLII, qui audivit a Bartholomæo domeſtico famulo Antonii, qui eum viderat nocte in oratione ſic elevatum. Nobilis Hieronymus Stupha ann. LXVI de auditu ab alio ſervitore Antonii, qui eum elevatum invenerat. Fr. Julianus Dominici de Florentia ann. LXVI, qui ſimiliter audivit ab alio domeſtico Gregorio Imolenſi, qui vidit eumdem elevatum & Cruci applicatum cum ſplendore. Hieronymus de Butis Florentinus civis ann. LXX, qui a Guilielmo domeſtico Antonii, qui eumdem ſic in oratione elevatum per quattuor brachia a terra deprehenderat....* Quibus addit Papebrochius in notis. In ſummario teſtium ſecundi examinis, Hieronymus iſte eſt teſtis 48. & *teſtificatur, ſæpius ſe audiſſe, quod famulus ejus, nomine Guilielmus, dum ſolito more cameram matutinali hora intraret ad excitandum illum ad Matutinas; ſemel eum invenit orantem & alloquentem imaginem Crucifixi, mirabili ſplendore circumfuſum, ita ut eo camera ſic reluceret, quaſi meridies appareret: & quod propterea fuerit ab eo admonitus, ne de cetero ejus cameram aperiret.* Addit vita tertia caviſſe, *ne quidpiam eorum, quæ vidiſſet, prodere auderet: quod ipſum tamen poſt, quum humanis rebus exceſſit, invulgarit.* Similiter in ſecundo examine Teſtis 32. *D. Camilla, olim Andreæ de Zatis filia, & uxor Franciſci de Aldobrandinis ann. LXVII dixit audiſſe Mag. Simonem de Bertis, famoſiſſimum Prædicatorem, publice in Eccleſia prædicantem de laudibus Sancti Archiepiſcopi, qualiter fuit inventus in orationibus ſuis elevatus a terra alloquens Crucifixum in camera ſua, a quodam de familia ſua, qui poſt mortem ipſius Archiepiſcopi hoc retulit ipſi prædicatori.*

7 Vita ſecunda addit: *& Dominicis aut feſtis etiam in cantu.* Papebrochius.

8 In ſecundo examine teſtis quintus *D. Petrus quond. Paganelli Franciſci de Talanis, ann.*

homines, qui morabantur in terra. Confluebant ad eum omnes cauſſæ civitatis, nedum Clericorum, ſed & laicorum plurimæ, qui de communi conſenſu eas in illum, tamquam in optimum ac juſtiſſimum cognitorem, rejiciebant. Singulis vero diebus religioſis viris quamplurimis domus ejus referta erat, qui partim eleemoſynas (omnia enim bona ſua in pauperes diſtribuebat) partim de rebus dubiis certiſſima veriſſimaque ab eo judicia reportabant. Tanta enim erat in eo ſacrarum litterarum cognitio, tanta conſuetudo, tanta denique in conſulendo experientia, ut non ſolum cives, verum & advenæ plurimi, Principes ac Prælati, de rebus graviſſimis ejus ſententiam plurimi facerent. Ob quam rem etiam antea *Frater Antoninus conſiliorum* appellari cœperat: ſic enim ut plurimum diminutive, antequam Pontifex fieret, vocari conſueverat.

Cognominatur a præſtantia in ſuggerendis cõſiliis.

Libros cõſcribit.

12. Quod ſi quis libros ejus, quos de omni doctrina ſacra magnis voluminibus conſcripſit, perlegerit; dicet tantam in eo homine fuiſſe ſapientiam, ut merito totius Italiæ, quin potius, juxta Evangelicum dictum, tamquam ſal & condimentum quoddam totius terræ dici poſſe videretur. Si quando vero ex illo negotiorum tumultu dabatur aliqua vel parva requies; ſtatim ad ſtudium divinamque lectionem vel orationem revertebatur. Multa enim alia præter Officium uſitatum dicere conſueverat: nam

Matth. 5. 13.

Vacuè negotiis tempus precationi impẽdit.

Inſignis cultor Divæ Virginis,

pſalmos pœnitentiæ dicatos cum letaniis, Officiumque Beatæ Virginis, quamvis in feſto duplici, nullo die dicere prætermiſiſſet. Bis ſaltem in hebdomada Officium mortuorum cum novem lectionibus, & in feſtis

9 ſolemnibus integrum Pſalterium [9] dicere uſitaverat. Quodque multa admiratione dignum eſt, nihil umquam legendo, ſed omnes penitus Pſalmos memoriter recitabat. Hoc enim ii, qui cum eo pſalmodiam dicebant, experimento didicerunt. Aſſeruit etiam mihi unus ex ſuis veteribus familiaribus, ſe potuiſſe animadvertere, illum ſe

Et caſtigator ſui corporis,

10 nonnumquam [10] flagris verberare conſueviſſe: & hoc ex quo ad Archiepiſcopatus dignitatem aſſumtus eſt.

13. Illud ſane in eo magnæ gravitatis magnæque prudentiæ ſignum erat, quod nulla erat tam magna negotiorum perturbatio, quæ ei ad divinarum rerum ſpeculationem tædium remoraretur; adeo nulla modeſtia perturbatus, ſumma pace ac quiete interna animus fruebatur. Dederat mihi ſanctiſſimus Pater egregiam quamdam monitionem, litteriſque aureis ſententiam conſcribendam. Quum enim moleſtiam Paſtoralis curæ ac tantam diverſorum negotiorum perturbationem ſolus apud illum deteſtarer: Non eſt, inquit, poſſibile pleriſque mortalium ac fere omnibus, ob eam, quæ ex rebus hujus ſæculi conſurgit, ſollicitudinem, aliqua pace ac quiete ſedati animi perfrui; niſi ipſe ſibi aliquem ſecretum occultumque mentis ſeceſſum reſervaverit, ad quem nec negotiorum moleſtia, nec curarum ſollicitudo, nec omnium rerum agendarum, quæ foris ſunt, perturbatio penetret; quo, quum negotiorum exercitatio ceſſaverit, ſtatim omni paſſione nudatus animus, tamquam ad arcem quamdam, & ad hominem, quem Paullus interiorem appellat, confugiat: ad quod conſequendum magna ajebat arte opus eſſe. Quumque ipſe hac ſedati animi pace ac quiete frueretur, nullum tamen Paſtoralis dignitatis officium omittebat, nulla ſacrorum locorum ac ſanctimonialium mulierum

Imperturbatum in omnibus negotiis animũ ſervat.

Sedulo Archiepiſcopale munus obit.

11 viſitationem, nulla Miſſarum ſolemnia, 11 nullas altariũm conſecrationes aut calicum ſeu ſacrarum veſtium benedictiones prætermittebat: quibus in rebus omnes conſuetas cæremonias diligenter accuratiſſimeque obſervabat.

14. In Ordinationibus vero ſacrorum Ordinum, itidemque in Eccleſiarum collationibus ſeu confirmationibus, nihil muneris penitus accipi, aut a ſe aut a ſuorum quoquam, patiebatur. Ajebat id genus commercii haud quaquam ab eo avaritiæ crimine, quæ ſimonia nuncupatur, alienum eſſe. Sic etiam reliquis in rebus ab omni munere

Ab acceptãdis muneribus abhorret.

LXXXIV, dicit de mira manſuetudine Epiſcopi, ex certo experimento in ſe facto, quum litigaret cum eodem Archiepiſcopo, ſuper collatione Eccleſiæ S. Mariæ de Accone, ipſi teſti collatæ a Patronis; in qua numquam potuit videre ipſum vel in modico turbatum, quamvis ipſe eſſet ſubditus eius, & cum ſuperiore auſus litigare. Papebrochius, ex quo addi etiam poteſt aliud inſigne heroicæ manſuetudinis una & caritatis exemplum; nam Fr. *Deſiderius Joannis de Florentia ord. Prædicatorum in primo Examine Teſtis* 51. *ann. LV dicit de ſua caritate notanda viſitando & ſubveniendo quotidie quemdam infirmum in civitate Florentiæ, qui quo debitis gratiis, ut par erat, opprobria & injurias etiam referebat: numquam tamen deſiit Antonius ſubvenire, & pro injuriis bona illi verba proferre.*

9 In tertio examine Teſtis 96 Fr. *Matthæus Marci de Florentia, vir venerabilis vitæ, ann. LXX, ait, quod ter in qualibet hebdomada totum dicebat Pſalterium.* Idem Papebrochius.

10 In Summario proceſſuum cap. 1. num. 9. *Dicitur etiam fuiſſe Antonius tantæ abſtinentiæ ac tolerantiæ, quod corpus ſuum jejuniis multis atque vigiliis macerabat, & verberabat flagris: atque ut plurimum ſupra carnem ſuam rotundum ferreum cingulum cingebat, ſemperque ad nudum cilicio utebatur. Et ultra id, quod habetur de hac materia a D. Franciſco ac Fr. Leonardo referentibus in ſupra memoratis hiſtoriis, & obiter a Vulterrano Epiſcopo, in Chronica, id ipſum teſtificatur D. Agnolecta nobilis de Ghibertis an. LXXIII in ſecundo examine; in tertio autem de auditu plures teſtes deponunt... & in ultimo examine ſimiliter plures.*

11 In ſecundo examine Joannes olim Jacobi Fei de Ridolfo, civis Florentinus Tertis 27 ann. LXXV addit, quod in reformatione cujuſdam monaſterii omnes Moniales ad obſervantiam & vitam communem redegit, quæ prius ſeparatim & proprietarie vivebant. Papebrochius.

re immaculatas innoxiaſque manus conſervabat. Non amicitia, non odio, neque prece, neque precario (ut Poetico utar verbo) a recti judicii, quam noviſſet, ſemita divertebat. Erat tamen cum illa ſeveritate ſumma bonitas miſericordiaque conjuncta; eaque in delictis Sacerdotum potiſſimum utebatur; idque agebat, ut nec impunitum crimen relinqueret, nec etiam ad vivum putridum vulnus penitus reſecaret. Tantumque ſua induſtria, ſuaque ſollicitudine factum eſt, ut Clerum, quem ſatis inhoneſtum ſatiſque deperditum omni genere flagitiorum acceperat, ſatis modeſtum ſatiſque emendatum [12] relinqueret. A multis quoque erratis cives ſuos, maximeque a commerciis uſurariis revocans, multos ad rectam vivendi normam perduxit. Cœperat primo in ipſis primordiis ſui Pontificatus, ſingulis Dominicis diebus ad ſingulas civitatis Eccleſias accedere, ibique populo, qui affuiſſet, ſalutis monita ac divinum proferre ſermonem conſueverat. At poſtea cernens id jam vileſcere, quum ſimul huc alii plures egregiique divini verbi oratores accederent, decrevit in alium rectius operandi uſum id tempus conſumere.

Clerum reformat.

[12] *Uſuras tollit.*

15. Sic vir ſanctus omnia ſui muneris officia magna cum diligentia majorique caritate proſequebatur, nullum vitans laborem, nullum [13] periculum, non frigora, non æſtus, non pluvias obſervabat: omnes etiam robuſtiſſimos juvenes in tolerandis laboribus anteire videbatur. Accepi ego ab uno ex ejus domeſticis miniſtris, illum, quum per agros ad Eccleſiarum [14] viſitationes accederet, quum ſub ardenti ſæpius ſole ad opus incœptum exire conſueſceret, non numquam compreſſos remoratoſque gemitus, dum equum aſcenderet, edere conſueviſſe: quos,

Arduos & moleſtos labores pro grege ſuo ſubit.

[13]

[14]

12 Fortitudinis in corrigendo Clero exemplum hoc habe. In tertio Exam. *Nobilis Robertus Laurentii Franciſci de Michis Teſtis* 34 *ann. XC, dicit, quod juvenem Presbyterum nobilem propria manu totonderit in Eccleſia uſque ad dimidium, imponens ei, ut reliquum uſque ad eam menſuram compleret, nec auſus fuerit præ ſanctitate ipſius contraire.* Fuiſſe cum tali ex cauſſa mortis incurreret periculum in Vita tertia ſic narratur. *Sacerdos Ciardus, vir fama & moribus perditiſſimus, quum ad tribunal Præſulis citaretur, falcato gladio ſe accinxit: mox in Epiſcopium profectus, exerto ferro Antonini caput, qui ſolus tunc in ſella quieſcebat, petiit, ut diſciſſum bifariam ad uſque dentes aperiret; ſed flexu capitis, dum ictum vitat, ſellæ tergo gladius inhæſit. Ciardus furore ebrius, ob id impreſſum capiti vulnus putans, ex Epiſcopio in proximam ſe domum proripuit, ex muliercula latibulum ad præſentem caſum rogans, necubi occiſo Præſule caperetur. Femina, ad ſceleratum facinus inardeſcens furore muliebri, accepto ſubſellio perfregit caput Sacerdotis, & expulit; qui ſtatim fuga verſus Feſulas arrepta, ſeu metu actus, & poſt culpam reſipiſcens, ad Ducciam in divi Michaelis cœnobiolo, accepto habitu Minorum, vixit innocentius. Antonius tantum abeſt, ut in Ciardum quoquomodo deſævierit, ut etiam maxime exhilaratus ſit, occaſionem illi præſtitam ad ineundam vitæ melioris formam.* Papebrochius. Hic, ubi de Cleri reformatione agitur, illud omittendum non eſt, quod pro cauſſa levi, ac pro temporali damno excommunicationes ferri non tulit. Nam, ut in Summario proceſſuum traditur cap. 2. num. 14. *contigit, ut Archiepiſcopus ipſe curam Paſtoralem exercens debite & cum omni zelo animarum, volens retrahere quoſdam nimium faciles ad innodandum animas pro cauſſa levi ac damno tantummodo temporali, ſub excommunicationis ſententiæ vinculo; ſemel vocarit eos in camera ſua ſecum; & quod prius docuerat verbo, de gravitate ipſius & maxima excommunicationis ſententiæ pœna voluit confirmare ſigno. Cernentibus ergo illis juſſit afferri albiſſimum panem, quem vocant buffectum, & tulit ſententiam excommunicationis in illum: qui ſtatim effectus fuit nigerrimus tamquam corvi nigredo. Deinde etiam illum eumdem panem per ſuam ipſius Archiepiſcopi manum benedicendo, ab excommunicationis ſententia primo lata & pœna abſolvit; ſtatimque idem panis reverſus eſt coram eis ad priſtinam albedinem ſuam, quam habuerat ante ſententiam illam. Quo mirabili facto docuit eos, quanti nocumenti animæ ſit extra communicationem fieri Eccleſiæ Dei. Teſtificatur hoc in tertio examine Marcus Antonii de Campogialli diœceſis Aretinæ ann. LXXX. audiſſe publice referri in Eccleſia S. Agathæ de Campogialli inter ſolemnia Miſſæ, a D. Nicolao de Linari ipſius Eccleſiæ Rectore, viro venerabili, monente populum ſuum exemplo miraculi facti ab Antiſtite ſancto, ne facile impetrarent etiam ipſi litteras excommunicationum ab Ordinariis, nec vellent (prout Antonius oſtenderat) pro temporali & levi damno, illaqueare animas ſpiritualibus & tam gravibus pœnis. Teſtificantur etiam hoc ipſum audiviſſe ab eodem D. Nicolao affirmari in eodem loco & publice prædicari, Antonius Bertini de Campogialli ann. LXXVII, & Blaſius Gaſparis Antonii de Campogialli ann. LIII, examinati per publicum Notarium, Ser-Baſtianum de Manieris, Notarium publicum Florentinum, ut patet in publico inſtrumento inde per eum rogato & confecto.*

13 In hanc rem non omittenda, quæ leguntur in Summario proceſſuum cap. 4. num. 33. *Bonus fuit Antonius Paſtor ac verus, non lac & lanam cupiens accipere ab ovibus ſuis; ſed normam boni Paſtoris ac veri Chriſti ſecutus, exemplo vitæ & verbo paſcendo illas, animam ponere pro eis, ac mori pro Domini grege ſibi commiſſo paratus erat. Quod multi teſtes latiſſime probant; ſignanter autem D. Antonius, vir integerrimus ac vitæ venerabilis, Epiſcopus Vulteranus in Chronica. Et D. Joannes Bapt. de Machiavellis, Prior Lucardenſis, vidit tempore peſtis pluries illum euntem ad peſtilentiatos, ad providendum de ſpiritualibus ac temporalibus, nihil timentem, ſed mori paratum pro eorum ſalute.* In quam rem notat Papebrochius, hunc eumdem Priorem Lucardenſem, qui eſt in tertio examine teſtis 56. addidiſſe, ſe *vidiſſe eum tempore peſtis* ad peſtilentiarios ire, ad providendum de neceſſariis ad ſalutem animæ & corporis, miniſtrando Sacramenta, & exhortando ad Chriſtianiſſimum tranſitum: & ducentem aſinum onuſtum cibariis & medicinalibus, ut non deeſſet in aliquo Paſtorali officio.

14 Vita tertia: *Omnia ſui Epiſcopatus templa, non per Vicarios, ſed ipſe viſitavit, quibus Feſulanam quoque ac Piſtorienſem Diœceſim adjecit, quibus ut Metropolitanus præſidebat.* Vita ſecunda addit: *Ad quod etiam munus cum pauciſſimis equis accedebat, contentari faciens ſuos modicis expenſis & ſimplici victu. In viſitationibus &*

quos, ex latenti, ut ille existimabat, mala valetudine vehementique corporis dolore inflictos, comprimere ac dissimulare non poterat. Quumque ille vellet sanctum virum in ipso itinere remorari, & ad modicam vel parvi momenti requiem hortaretur, *Perge modo*, ajebat, *nostrum iter prosequamur*. Illud sane intactum non præteream, quod egomet in eo viro singularis patientiæ signum conspexi.

16. Quum enim tribus fere annis ante obitum ejus relatum fuisset ei, Clericos in majori Ecclesia minus attente minusque religiose Officia matutina celebrare; cœpit ipse singulis noctibus [15] ad Ecclesiam Cathedralem, imponendæ [16] modestiæ caussa, accedere. Quumque quadam nocte magna vis ventorum ac pluviæ, ex hiemis asperitate omnia perturbaret; accessimus duo Presbyteri, ego & Marcus, de quo prius verba feci, ad antiquum Patrem, ut illum ab incepto itinere illa tantum nocte retraheremus. Quumque in sententia permaneret, cœpi ego audacius aversari, asserens senectuti ejus illud incommodum algoris ac pluviæ (non enim est unita Cathedrali Ecclesiæ domus Episcopalis) maximum detrimentum afferre posse. Quumque itidem renitenter dicerem: *Nonne heri ac nudiustertius hoc egisti, Pater? Hanc tantum cœpto operi noctem interpone, quo te a tanti rigoris ventorumque flantium tempestate conserves.* Tum ille testimonium Apostoli, tamquam pro contrario sumens argumento: *In fame*, inquiebat, *& siti, in frigore, & nuditate.* Quumque me, tamquam imbecilliorem, ad remanendum hortatus esset; ipse ad susceptum jam munus prosequendum properavit.

15 16 *Præsentia sua Cleri ad decentem celebrationem matutini Officii excitat.*

Senex nulla ab hoc tempestate se retardari passus.

CAPUT III.

Acta S. Antonii in Episcopatu, & legationes.

17. HIS tantis tamque egregiis virtutibus effectum est, ut magnum sibi sapientiæ nomen, magnamque [1] sanctitatis auctoritatem, non solum apud cives suos, verum etiam apud omnes Italiæ populos, apud nobilissimos Principes ac Romanæ Ecclesiæ Prælatos compararet. Summa erat populi erga eum reverentia, summa pietas, magna de ejus sanctitate opinio. Quacumque illum transeuntem intelligebant, accurrebant omnes, simulque genibus flexis, pronique in terra, majores pariter

Opinionem sanctitatis apud omnes obtinet.

[1]

judiciis primam admissionem criminum mitissime corripiebat, secundam durius, tertiam & deinceps durissimus ac pene inexorabilis vindicabat, nullaque spe aut timore a correptione poterat amoveri. Quæ tamen omnia, quum summa justitia judicaret, tanta cum caritate temperabat, ut non rigorem, sed caritatem exercere videretur, unde voluntarios ad correctionem plurimos inducebat. Idem Papebrochius.

15 Euphrosinus Lapinius num. 5. *Nulla non nocte surgebat ad Matutinum Officium nec erat domesticorum ejus aliquis, qui ejus hoc in genere constantiam aliquando expertus, quantumcumque intempesta esset aura, sequi eum detrectaret: quare aliquando etiam contigit ostendere Deum quam id sibi gratum esset. Quum enim hiemali ac pluvia nocte, per densissimum imbrem, sic progresso in Cathedralem occurrerent domestici, humorem a vestibus excussuri, quas perplutas (id est pluvia imbutas) invenire credebant, nec hilum quidem madere mirati sunt.*

16 Laicis etiam modestiam templis debitam inculcans S. Antistes *publice & in diebus magnarum solemnitatum ejecit feminas impudice ornatas, & juvenes impudico aspectui earum vacantes ibidem, quantumcumque nobiles & potentes, & non semel tantum, sed pluries: cui paruerunt omnes, & timuerunt eum, sicut paruerunt Christo tumidi Judæi & Pharisæi olim in templo,* ut traditur in Summario processuum cap. 2. num. 11. Unum inter ceteros casus describit Euphrosinus Lapinius num. 6. *Quum sub tempus Vesperarum, quibus ipse intererat, nobilissima quædam sponsa Ecclesiam ingressura esset, singularis omnino formæ & quæ ista vice primum procedebat in publicum, ac sparsa rei fama, juventus quasi infinita accurrisset ad spectaculum, viam, qua transitura erat, obsidens; mox atque eam portæ templi appropinquare auditum est, facto in chorum concursu, omnia sedilia, & scamna occupavit, & utrimque veluti in sepem reducta, non nisi angustissimum transitum relinquebat. Hinc ingens toto choro strepitus confususque tumultus, quum posteriores alii urgerent anteriores. Tantam eorum proterviam ferre non valens Archiepiscopus, surrexit de throno suo, ingressusque in sacristiam, manipulum funium arripuit; & facto exinde flagello, plenus zelo ad tumultuantes accessit, quantumcumque valebant brachia percutere incipiens: Ite, inquit, abite, scelerati & satanæ filii: Dei templum domus orationis est, & vos eam facitis speluncam latronum. Ad Evangelicas hasce voces tantus terror invasit multitudinem totam, ut, quasi iram Dei in vultu sui Pastoris legisset unusquisque, certatim ad aliquam portarum procurrerent omnes, exitum quæsituri, ita ut pene invicem conculcarent. Fuitque res admiratione dignissima, quod tali in casu, quo etiam vilissimus quisque solet audacissimus esse, in tanta turba nobilium & juvenum, & pro hujus sæculi corruptela insolentissimorum, nec unus quidem repertus sit, qui hiscere contra auderet.*

1 In Summario processuum cap. 1. num. 1. hæc de communi fama sanctitatis traduntur. *Continuus atque universalis conceptus & firma credulitas totius populi Florentini fuit, ac ferme totius provinciæ, in vita Antonii, & in ipsius morte, quod fuerit Sanctus & innumeris claruerit miraculis: & ita vivens & mortuus pro Sancto ab omnibus fuerit reputatus, habitus, & veneratus, & continue usque in præsentem diem similiter habeatur, & veneretur. Quod ultra probationes historiarum, quæ scriptæ de eo sunt a Ven. D. Francisco Castilionensi Canonico Florentino, & Leonardo Ser-Uberti Theologo, ac Ugolino Verino laico, viris fidelibus, veridicis, ac doctis; & ultra etiam testimonium Rev. Patris & Domini Episcopi Vulterrani D. Antonii de Aliis in chronica sua; ac ultra dicta fere omnium testium primi & secundi examinis facti in processu vigo-*

riter & nobiliſſimi civium atque optimates pro benedictione ab eo ſuſcipienda [2] flectebantur. A ſummis vero Pontificibus non ſolum amabatur, verum ſumma reverentia ſummaque veneratione dignus eſſe ducebatur. Eugenius Quartus, qui cognita hominis virtute illum ad eum dignitatis gradum vocaverat, paullo poſt ut eo copioſius frui poſſet, Florentia illum ad ſe Romam accerſivit. Erat enim Pontificis ſummi, ut fertur, intentio, majori eum honeſtare dignitate: feciſſetque voto ſatis, niſi paullo poſt morbo præventus diem [3] obiiſſet. In qua ægritudine Antonium ſemper ægrotanti aſſiſtere, & per manus ejus ſacroſanctæ Eccleſiæ Sacramenta extremamque Unctionem ſuſcipere voluit. Non minori eum dilectione aut reverentia Nicolaus quintus, qui in [4] Pontificatu ſucceſſit Eugenio, proſequutus eſt. Integritatem autem atque hominis ſanctitatem non ſolum admirabatur, verum & aliis prædicabat; diciturque hoc fuiſſe ex Nicolai ſummi Pontificis ore prolatum: *Non minus*, ait, *ego Archiepiſcopum Florentinum Sanctorum catalogo adhuc vivum adſcribendum putarem, quam Bernardinum mortuum, quem ego multis veriſſimiſque teſtimoniis, omni approbante Eccleſia, canonica celebratione* [5] *decoravi*. Magnum profecto verbum atque immenſæ ſanctitatis teſtimonium: idque non in Bernardini detractionem, ſed in laudem Antonii, prolatum fuiſſe judicamus.

2 *Auctoritatem apud ſummos Pontifices.*

3 *Eugenio IV morienti aſſiſtit.*

4 *A Nicolao V. vivus catalogo Sanctorum dignus judicatur.*

5

18. Conſtituerat etiam idem ſummus Pontifex, ut appellationes cauſſarum & judiciorum, quæ a ſententia ipſius Archiepiſcopi fierent ad Sedem Apoſtolicam, in Romana Curia non admitterentur. [6] Exiſtimabat enim, quod judicaſſet vir ſanctus nulliuſcumque judicio infringendum eſſe. Nil tum ab Apoſtolica Sede petiiſſet Antonius, quod non ſive pro ſe ſive pro quovis alio facillime impetraſſet. Quin etiam quum in quadam penuria civitatis noſtræ, poſtulata primo a ſummo Magiſtratu acceptaque pecunia publica, famelicam plebem ac pauperes Jeſu Chriſti paviſſet Antonius; quum perdurante caritate annonæ ſuis ſumtibus proventibuſque Epiſcopatus, qui exiles admodum ſunt, ſupplere non poſſet, a Nicolao Papa propaſcenda plebe magnæ pecuniæ ſubſidium impetravit: neque id ſemel tantum, ſed & ſæpius a ſummo Magiſtratu conſecutus eſt. Complectebantur illum pari caritate parique benevolentia Prælati omnes ac Reverendiſſimi Romanæ Eccleſiæ Cardinales: in primiſque vir magnæ auctoritatis ac virtutis, Dominicus ſub titulo ſanctæ Crucis Eccleſiæ Romanæ Cardinalis Firmanus, qui de ſe poſt [8] obitum magnum integritatis ac ſanctitatis nomen poſteris dereliquit. Quid dicam de [9] Petro ſub titulo S. Marci, qui Eugenii Pontificis nepos fuerat? Quid de Joanne [10] ſub titulo ſancti Sixti? Quid de eo,

A quo & privilegiis donatur, 6

ac pecunia ad ſublevandam annonæ caritatem. 7

8

9

10

re primæ commiſſionis Apoſtolicæ; probant centum teſtes & plures in tertio examine, acto in alio proceſſu vigore ſecundæ commiſſionis Apoſtolicæ. Inter quos ſunt fortaſſe triginta & ultra de viſu & certa ſcientia; & fere omnes ſunt teſtes qualificati & nobiles, ita ut ſint omni exceptione majores. Sunt enim ibi etiam Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Canonici, Prælati diverſi, Theologi, Religioſi fere omnium Religionum & Ordinum, ac laicorum Nobiles equites, Doctores, Medici, & omnis generis antiquorum, ut in proceſſu patet expreſſo: & quaſi omnes Patricii Civitatis Florentinæ. Et in litteris ſuis etiam hoc atteſtatur Magiſtratus ſummus Dominii civitatis, Priores libertatis, ac Vexillifer juſtitiæ populi Florentini; multique & magni Principes, Reges, Duces, ac Potentatus diverſi; ac plures Eccleſiæ Prælati abſentes, per ſuas ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum in teſtimonium directas.

2 Additur in Summario proceſſuum num. 9. *exiſtimantes non poſſe male habere, qui a Sancto Dei benedici mererentur.* Papeb. Quam in rem Fr. Leonardus de Ser-Ubertis narrat cap. 2. num. 15. *Adhuc vivente B. Antonio hoc ſtupendum contigit miraculum, quod narratur. Fuit in civitate Florentia quædam devota & bona mulier de Pœnitentia B. Dominici, quæ virum Dei Antonium magno venerabatur affectu, tantaque eum devotione proſequebatur, quod ubicumque illum fore aut quacumque tranſiturum axaudiſſet, continuo accurreret, ut illius benedictionem poſitis genibus, ſicut & ceteri, recipere mereretur: ſeque beatam atque ab omni periculo tutam eſſe exiſtimabat illa die, qua a Sancto viro benedictionem accepiſſet. Erat enim mirabilis devotio univerſi populi ad quærendum ab illo benedixi: omnes namque, quacumque illum tranſire rumor ante clamaſſet, currebant protinus, ſenes & parvuli, nobiles & plebei, laborantes & otioſi, viri & mulieres: & flexis genibus inclinatiſque cervicibus benedictionem Sancti Præſulis exſpectabant.*

3 Obiit *Eugenius IV* anno 1447 23 Februarii Romæ, cui ſuccedens *Nicolaus V* (ut habetur in vita ſecunda num. 14) *multis precibus Antonium in Romana Curia retinere conatus eſt: ille autem Eccleſiæ ſuæ Florentinæ adeſſe cupiens, cum bona tandem Nicolai gratia rediit ad ſponſam ſuam.* Papebrochius.

4 Notandum hoc loco eſt, quod quum de Eugenii IV. ſucceſſore eligendo ageretur, noſter S. Archiepiſcopus, quamvis extra conclave eſſet, in ſecundo ſcrutinio ad Pontificatum voces ſeu calculos habuit: ut tradit Æneas Sylvius tunc orator Imperatoris Frederici in oratione coram Imperatore ipſo habita an. 1447. de morte Eugenii IV. creationeque & coronatione Nicolai V. quæ oratio edita eſt a Baluzio lib. 7. Miſcellan. p. 553.

5 Colitur S. Bernardinus 20 Maii, canonizatus anno 1430. Papebrochius.

6 In Summario num. 20 allegantur ipſius Nicolai circa hoc litteræ, in forma Brevis, productæ & regiſtratæ in primo proceſſu, *ubi eum mirabiliter laudat de ſanctitudine vitæ & Dei timore.* Idem.

7 *Summam videlicet quingentorum ducatorum auri*, ut ibidem dicitur. Idem.

8 Obiit *Cardinalis Firmanus* anno 1456. Idem.

9 *Petrus Barbus*, Eugenii ex ſorore nepos Cardinalis, creatus primum Diaconus Card. S. Mariæ novæ, poſtea Presbyter tit. S. Marci, ac demum anno 1464 Pontifex Paullus II. Idem.

10 *Joannes de Turrecremata*, ex Magiſterio Sacri Palatii ad Purpuram evectus ab Eugenio IV. Idem.

eo, qui nuper ſub titulo ſanctæ Sabinæ [11] Cardinalis effectus eſt, tum vero Epiſcopus Spoletanus erat? quo amore ac mutua inter ſe caritate, maxime ob ſimilia ſtudia, amplectebantur, conſulebatque ſæpe alter alterum in rebus dubiis? Quid de reliquis Cardinalibus loquar? quibus ita carus erat, ita benevolentia devinctus, ut omnes ſancto viro rem gratam facere ſummo geſtirent deſiderio.

In dignitate ad humillima aſpirat.

19. Neque hoc ex officioſa Antonii ambitione provenerat: nemo enim hominum erat, qui [12] minus eo ad gloriam & ad excellentiam dignitatum accenderetur. Non pecunia, non laude hominum, non vituperatione, non voluptatibus ullis movebatur Antonius: non habitum [13] Ordinis ſui, non animum, non faciem aut vultum in dignitate mutarat, cupiebatque potius, ut ſæpius ex ejus ore audivimus, ſi licuiſſet, ad ſuam reverti monaſticam cellulam, quam ad altiora tranſcendere. Memini ego, quum quidam ei ſatis impudenter, brevi eum Cardinalem futurum adulandi gratia dixiſſet, tum ille: *De ſcrobe*, inquit, *ac propinqua morte nobis, non de majori gradu ac exaltatione meditandum*. Quumque alio itidem tempore alius eum ſanctitatis nomine appellaſſet: *Sancti*, inquit Antonius, *in Paradiſo habitant, nos autem peccatores in terra*.

Legatus Florentiorum nomine Calixſtū III adiens,

20. Poſt obitum vero Nicolai, ad [14] Calixtum Tertium, qui in Apoſtolica Sede ei ſucceſſerat, a ſummo Magiſtratu noſtræ civitatis legati Romam miſſi ſunt, inter quos, ut legationi adderetur auctoritas, Antonius primo loco electus. Collegæ autem ejus Giannotius Pandulphinus equeſtris ordinis, Otto Nicolinus Juriſconſultus, Antonius Ridulfus, & Joannes [15] Medices. Qui quum Peruſio iter facientes Romam magno apparatu perveniſſent, ſtatuta die in Conſiſtorio publico ad præſentiam Pontificis [16] admiſſi ſunt. Quo in loco, qui & perſonarum auctoritate & magna hominum etiam doctiſſimorum frequentia celeberrimus erat, talis fuit ad ſummum Pontificem oratio Antonii, tanta verborum ac ſententiarum venuſtate, tantaque geſtus ac vultus gravitate vociſque ſonoritate prolata, ut ſtupentibus omnibus, non jam Theologus aut Orator, ſed miſſus e cælo Angelus prolocutus eſſe videretur. Tangebat in ea oratione abſtruſa myſteria, ſententiaſque graviſſimas adjecerat: quæ omnia nunc enumerare, quum adhuc ipſa exſtat oratio, ſuperfluum judico. 16

graviſſime apud illum perorat:

21. Qua ex re id factum eſt, ut quum Antonius magnum antea civitatis noſtræ nomen majori tum gloria majorique auctoritate illuſtraſſet, ad ſucceſſorem Calixti [17] Pium ſecundum Romanum Pontificem, eodem legationis officio fungi ſummo itidem volente Magiſtratu cogeretur. Nec fuit ea legatio priore deterior, aut apparatus aut perſonarum dignitate, in qua etiam elegans ac glorioſa fuit oratio Antonii. Fuerunt autem collegæ Antonii in hac ſecunda legatione Angelus Acciajolus Equeſtris Ordinis, Loyſius Guicciardinus, Petrus Pazius, Guillelmus Rucellarius, Petrus Franciſcus Medices [18]. Qua vero benevolentia ac dilectione Pius Papa ex tam parva, quam in illa legatione cum eo habuerat, conſuetudine Antonium complexus fuerit, quamque de ejus ſanctitate opinionem conceperit, indicavit poſtea in obitu ejus decretum ejuſdem Summi Pontificis, quam rem paullo poſt ſerioſius enarrabo. Illud ſane ad maximam Antonii laudem ceſſiſſe videtur, quod quum Pius Papa in ipſa prima aſſum-

Eodem munere apud Pium II functus,

Ab eo ad reformandam Romanam curiã deſignatur.

11 *Berardus Herulus* Narnienſis ab anno 1448 Epiſcopus Spoletanus, dicitur ab Ughello & Ciacconio per Pium II Cardinalis electus 1460. 5. Martii: ergo intra primum ab obitu Sancti annum, quando hæc Vita eſt ſcripta. Idem.

12 Fr. Leonardus de Ser-Ubertis cap. 1. n. 11. *Quid de ejus humilitate dicam? Quid ejus manſuetudinem exſequar? Hic namque quum apud omnes venerabilis atque glorioſus pro ſua ſanctitate exſiſteret, apud ſemetipſum pro ſua humilitate incredibili vileſcebat.* Ad hujus humilitatis argumentum ſpectat quod obſervavit Papebrochius ex ſecundo examine Teſtis 46. *Fr. Georgius olim Baronio de Capellis ann. LII dixit, quod ex humilitate, etiam Prælatus exſiſtens in religione, hora dormitionis & ſilentii, fratres ad orandum & quieſcendum ire jubebat, & ipſe coquinam purgabat, & vaſa & ſcutellas lavabat: & quod ſolitus fuerat, poſt celebrationem Miſſæ ſuæ quotidianæ, deſervire alteri ſacerdoti Miſſam celebranti, pro majori merito & humilitate.* In Summario proceſſuum cap. 1. n. 5. notatur Antonium etiam inventum fuiſſe *cum ſcopa verrere pavimentum.*

13 Vita tertia: *Splendidiorem nullum in veſtitu cultum quam ſoleret, factus jam Pontifex admiſit.* Unde in tertio exam. Teſtis 4 *Blaſius Paulli ann. XC. dicit de rege Hungariæ, de viſu, qui ex habitu vili ſpreverat Archiepiſcopum non cum cognoſcens: ſed audito nomine, quod fuerit ille, debitus reſtitutus honor.* Porro Vladislao V. ann. 1458 ſucceſſit Mathias, ut dubium eſſe non poſſit, quin hic de Ladislao agatur, qui in comitatu Friderici Imperatoris ann. 1452 potuit veniſſe in Italiam, immediate antequam poſtulanti Hungariæ reſtitueretur. Papebrochius.

14 Suffectus eſt Nicolao V *Calixtus III anno* 1455. 8 Aprilis. Idem.

15 *Joannes Medices*, Coſmi primogenitus, ex quo nulla poſteritas. Idem.

16 In ſecundo examine Teſt. 35. *Bernardus Caroli de Gondis de auditu a fide digno relatore dixit, quod dum Legatus Florentinorum, obedientiam Papæ laturus, acceſſit ad Urbem; Pontifex, viſo Antonio aſſurgens, illi obviam factus, ſanctitatis ſuæ odore ac fama illectus, & amplexatus eſt eum in oſculo ſancto.* Quod tamen utrum ad hanc pertineat, an ad ſequentem legationem non facile definiveris. Idem.

17 Suffectus eſt Calixto III *Pius* II an. 1458.

18 Auguſti, ante Pontificatum Æneas Silvius Piccolomineus Senenſis. Idem.

18 Addit Vita ſecunda num. 14. *Totaque Curia & ipſa Urbs ad eum viſendum & pro Sancto venerandum uniformiter accenſa properabat, nec ſecus quam Florentini tranſeuntem genuflexionibus venerabantur.* Idem.

ſumtione ſuam vellet Curiam Romanam, in quibuſdam minus decenter minuſque honeſte uſitatis, reformari; & ad id curandum aliquos ex gravioribus Cardinalibus conſtituiſſet, quos reformatores Curiæ appellavit; Antonium quoque illis ſocium, tamquam optimum ac prudentiſſimum virum, adjecit. Sed ea reformatio majori urgente neceſſitate tunc intermiſſa, & in aliud majoris quietis tempus dilata eſt.

Similem legationem apud Fredericum Imperatorem obiturus excuſat. 19

22. Quum etiam Fredericus Imperator, qui Romam ad coronam [19] Imperii capiendam profectus eſt, ad Italiam adventare diceretur; elegit ſummus Magiſtratus noſtræ civitatis Antonium legatum, qui Imperatori obviam fieret: ſed Antonius, jam ſenio atque imbecillitate confractus, id honoris ad alium deferri maluit. Hæc dico, ut intelligamus, qualis erat de prudentia Antonii deque ejus facundia opinio. Neque profecto falſa: nam ut cetera omittam, in quibus eloquentia Antonii demonſtrata eſt, illud ſane ſilentio prætexendum eſſe non cenſeo, quod, quum ex legatione, quam ad Calixtum habuit, in patriam cum collegis reverſus eſſet Antonius; quumque ad ſummum Magiſtratum, ut de more eſt, functæ legationis rationem redditurus acceſſiſſet (totum enim legationis pondus ei incubuerat) talis, tam longa, tam lucida, tamque recenti memoria fuit eorum, quæ geſſerant in legatione, copioſa enarratio, ut a divino potius quodam, quam ab humano ingenio oratio illa habita eſſe videretur. Eoque id magis animadverti, quo omnes, qui tum aderant, plurima admiratione maximoque ſtupore perculſos eſſe conſpexi. In utraque enim legatione ſancto viro comes fui, & ſecretarii officio functus.

23. Neque vero uſquam, etiam in rebus magnis, deerat Antonio animi magnitudo. Quod tum maxime patuit, quum etiam Magiſtratum ſummum non nullis in rebus coram redarguere auſus eſt. Idque potiſſimum fecit eo tempore, quo [20] Franciſcus Patavinus, qui nunc eſt Ferrarienſis Epiſcopus, tum vero Eugenii Theſaurarius, huc miſſus, ab ipſo ſummo Magiſtratu, pro vindicandis redimendiſque nonnullis noſtrorum civium, qui Romæ detenti erant, velut obſes captus eſt. Erat tum forte extra civitatem viſitationis cauſſa Antonius: qui quum hanc rem accepiſſet, magna ad urbem feſtinatione properavit, ſummumque ſtatim Magiſtratum adiit, magnaque deteſtatione, quod per illos factum erat, redarguit. Clamabat tum ſummo Magiſtratui Antonius: *Non licet quavis de cauſſa viro eccleſiaſtico violentiam afferri.* Quod niſi ab incœpto deſtitiſſent, graviſſimam in eos excommunicationis ſententiam [21] publicaſſet.

Senatum Florentinū libere redarguens, 20

immunitatem eccleſiaſticam tuetur: 21

24. In principio quoque ſui Pontificatus non minore laude dignum operatus eſt facinus. Quum enim quadam die viſitandarum

Noxios ludos tollit,

19 Hanc *Federicus* cum Eleonora conjuge accepit 19 Martii 1452. Idem.

20 *Franciſcus de Lignamine*, Ferrarienſis Epiſcopus creatus an. 1446 Menſe Auguſto: quum autem Antonius eodem anno menſe Martio Epiſcopatum inierit, apparet, quod primis ſtatim menſibus res hæc acta ſit. Idem.

21 Huc ſpectat quod in Vita tertia refertur his verbis: *Octoviri (is Magiſtratus Florentiæ, quamquam non ſupremus, vitæ & necis imperium habet) duos forte ſacerdotes, in crimine deprehenſos, ac noctu a ſatellitibus captos, quum diluxiſſet, ad Epiſcopium clangentibus tubis deduci ad Præſulem imperarunt; ſatis eſſe pœnarum ſumtum rati, quod eos publica ignominia affeciſſent: ſi quid acrius eſſent commeriti, eſſe ab Epiſcopo caſtigandos. Antoninus mirum quam moleſte tulerit: dimiſſis vero Sacerdotibus, quos tunc puniri non eſſe commodum putavit, ſtatim ad publicas ſupremi Magiſtratus ædes proficiſcitur (eſt namque ubi Octoviri quoque ſua judicia exerceant) quumque ubi aſſederant, igne quodam juſtitiæ percitus, ad eos irrupiſſet; temeritatis graviſſimæ coarguit: tum eſſe illos anathemate illaqueatos, ſeque nexibus, quibus ſe irretiſſent, non expeditu-rum (pronuntiavit) irent Romam, Summum Pontificem adirent, ad eum eſſe rem totam devolutam: diſcerent impoſterum aut nullo pacto, aut certe conſideratius alienas cauſſas tractare. Erant Octoviri, quamquam lapſi fuerant, non tamen ingenio perdito & complorato. Ubi Antiſtitis conſtantiam cognoverunt, conſcientia ducti, ſupplices litteras, quibus expediri ſe petebant, ad Pontificem dedere. Qui quum ſe totum relaturos ex Curia putarent, ecce Pontificiis litteris jubentur, uti Antonium convenirent, ac ultro ſupplices faſſi culpam, pro canonum inſtitutis anathemate ſolverentur. Antiſtes, quoniam publice peccaverant, zona collo in-dita ad fores templi juſſit procedere: atque ibi ſpectante populo converberatos terga vinculo excommunicationis liberavit. Ea res vix dici poteſt quantum omni ſexui, omni ordini terrorem, præ ſui magnitudine, incuſſerit.* Papebrochius. His addendum, quod in Summario proceſſuum traditur c. 2. n. 13. *Defenſio libertatis eccleſiaſticæ, ac publici boni; pro qua cauſſa viriliter decertavit, pugnans quandoque etiam contra Dominos Florentinos ac Vexilliferum juſtitiæ, attentantes aliquid contra eam: illoſque debite monuit: quos non parentes etiam excommunicavit, & eiſdem interdixit divina: quibus præſentibus nec abſolutis juſſit a divinis ceſſari, & fores eiſdem eccleſiæ claudi: ſacrorumque Canonum coegit eos ſanctioni parere, ac Romam mittere compulit pro beneficio abſolutionis obtinendo, ſpretis eorum minis de abdicando illum ab Epiſcopio, & civitate, & aliis multis. Quibus conſtantiſſime ſemper reſpondit, & officium ſuum intrepide eſt proſecutus: coegitque inſuper eos ſervare patrias leges juſtas, ac libertatem populi ſui tutatus eſt: ſignanter autem in obſervatione redditionis votorum ſeu ſuffragiorum per fabas nigras & albas in eorum partitis* (ideſt *ſtatutis*) *ut ſcilicet redderentur ſecrete a Magiſtratibus in eiſdem agendis & in decretis firmandis, quod redundabat contra Magnates ac contra gubernare tyrannice volentes liberam civitatem. Et id genus multa pro juſtitia, quod egerit fidenter, audacter, ac ſapienter, probatur in hiſtoriis, & a pluribus teſtibus.* Vita ſecunda a Papebrochio allegata §. 12 memoratum factum de minis exturbandi Antonini ab Epiſcopatu diſtinctius explicans, non nulla maxime notanda memoriæ prodidit. *Et quum aliquando ei minarentur, niſi abſtineret, quod eum a Pontificatu dejicerent, vel in carceres traderent, ſeu ejicerent e feneſtris palatii Dominorum: clavem illis cellæ ſuæ, quam*

rum ecclesiarum gratia civitatem perambularet, ventum est ad quemdam locum, ubi cives multi publice ad talorum alearumque
22 [22] ludum convenerant. Quod quum vidisset vir sanctus, illuc accedens, præcedente Cruce, summa cum detestatione omnia ludi instrumenta subvertit. Quum vero subsequentibus annis subito in civitate nostra ludus novus, per quem sortes fiebant, exortus esset: in quo non tantum nostra, verum & Romana civitas infecta erat, adeoque deperdita, ut omnis pene populus, relicto artium exercitio illuc ad perdendam pecuniam privatamque substantiam se converteret; tanta fuit Pastoris industria, ut sicut repente advenerat ludus detestabilis, ita repente penitus extinctus esse videretur: quod etiam Romæ postea summus Pontifex ad imitationem Antonii tolli jussit. Ex qua re unum id bonum consecutum est, quod quum quidam in nostra civitate Sacerdos

Acquisitam a sacerdote pecuniam in pauperes erogat.

ex illis sortibus aureos mille lucratus esset, intercepit eam pecuniam Antonius, ac pauperibus erogavit: erat enim tunc quoque plebs famelica in nostra civitate. Non defuit etiam tum Antonio magnitudo animi, quum sordidissimum hominem ac detestabile caput Joannis Cavini, quem hæretica pravitate infectum deprehenderat, non approbantibus id multis civibus, [23] flammis concremandum esse adjudicavit. Quid vero in hac extrema positus ægritudine, in qua etiam decessit? quibus verbis, quo animo ecclesiasticam immunitatem tutabatur? Quum enim per publicos Magistratus lata lex esset, in qua contra Canones Clericorum patrimonia tangebantur; audebat dicere, se etiam in summum Magistratum, nisi ea lex abrogata fuisset, excommunicationis sententiam, quin & si opus esset, in universam civitatem se interdictum ecclesiasticum immissurum.

Hæreticum flammis addicit, 23

Senatui censuras minatur.

Et civitati interdicit.

CA-

quam habebat in Monasterio S. Marci, ubi reciperetur, hilaris ostendebat; & quod Pontificatui, quem coactus susceperat, facile ipsis volentibus & suis Superioribus annuentibus cederet, & in carcerem, pro bono publico & sacrorum Canonum observatione, ire non formidaret. De præcipitatione vero ajebat, non se tanti meriti apud Deum esse, ut dignus corona martyrii computaretur. Et semel quum his insolentiis plurimorum fatigaretur, dimisit Episcopale palatium, & ad solitam monasterii cellam concessit, a qua deinde magnis precibus Dominorum Priorum civiumque bonorum, & signanter Magnifici D. Cosmi de Medicis, omnibus primo rite compositis, redire consensit. Et in hujusmodi contentionibus contradicentes & ei maledicentes, ut plurimum divinam ultionem sunt experti, a qua non nisi Antonii precibus aut illi conciliati vix levabantur. Huic rei attestans in secundo exam. testis 36 *D. Franciscus Apollonii de Florentia, Plebanus Plebis S. Petri de Præsciano Fesulanæ Diœcesis ann. LXXX dicit.... quod dum Dominis prædictis excommunicatis prohibuerit ingressum Ecclesiæ, jubens a divinis cessari; unus ex Dominis protulisset in eum injuriosa verba; graviter infirmatus illico fuit, nec prius convaluit, quam ab eo veniam petierit & reconciliatus fuerit.*

22 Quantum laborasset Antoninus in expurganda civitate a ludis, declarat etiam Summarium processuum c. 2. n. 11. *Quod tantæ etiam fuerit Sanctitatis & auctoritatis, exemplaritatis & reverentiæ, in propria etiam acceptus patria (quod patet privilegium esse Sanctorum ac Prophetarum) ut ludos omnes prohibitos ac inhonestos ritus excluderet a Florentina urbe; & ludum sortium, quo Florentini involvebantur, penitus exstinguere subito potuerit (cujus etiam exemplo, & multa hominis auctoritate, postea idem Romæ secutum est) ac etiam lusores expulerit de atriis publicis ac porticibus & logiis civitatis, etiam ex logia Nobb. Bonorum del Monte, sic cognominatorum, acriter reprehendendo ludentes & crimina hominum.* In quæ notat Papebrochius: In secundo Examine testis 33 *D. Philippus olim Laurentii de Buondelmontibus, auratus Eques, Nobilis & Patricius Florentinus annorum LXXXIII confirmat, quod monuit eos de familia Buondelmontium etiam sub censuris, ut clauderent logiam suam, in qua ludebatur: & deinde non parentibus illis personaliter accedens, luxores expulit, & claudi fecit eamdem.*

23 Huc referendum videtur, quod in Summario processuum traditur cap. 2. n. 15. *De magno fidei zelo, quem habuit Antonius, & quod passus non fuerit pullulare in illa errores tempore suo in Ecclesia Florentina & in provincia sua; neque etiam patiebatur in ea maleficos aut incantatores & incantatrices, & consimiles superstitiosos ac fidei adversantes; librosque magicos igni tradiderit concremandos, & hæreticum quemdam, Mag. Joannem de Cavibus dictum, adventitium accolam Florentini soli, magicum & nicromantum, ac male de Beatissima & immaculata Domina nostra semper Virgine Maria, Matre D. N. Jesu Christi pertinaciter sentientem, post canonicas monitiones ac debitum examen & justum suæ condemnationis processum, dimisit in manu Curiæ sæcularis, a qua publice demum in sua pertinacia perseverans, fuit combustus; habetur in historia D. Francisci: & Michael Christophori Guajanarius ann. LXXXIII late probat, & plures alii testes confirmant, & quidam etiam de visu.* Et quoniam de incantationibus ac magicis artibus sermo incidit, non est omittendum, quod in eodem Summario statim subditur num. 16. & duobus sequentibus: *Quum tonderetur Antonius semel a Mag. Petro, Chirurgo Florentino & tonsore, scisitabatur, quomodo se haberet in sustentatione familiæ suæ, quum litteras non haberet Latinas, & quomodo artem medicinariam exerceret, atque sanaret infirmos, & similia. Et comperto quod librum chirurgicum recepisset a quodam monacho albo, in quo studeret, & satis bene succederent sibi curæ & omnia; rogavit Archiepiscopus, ut eum librum afferret: quod Petrus libenter effecit. Archiepiscopus autem cognoscens librum incantationibus plenum, ac rebus & signis pertinentibus ad malas & magicas artes; venit ad prandium una die ad S. Marcum. Et quum quidam nobiles cives secum fuissent in claustro post prandium, fecit adduci ignem in vase fictili terreo, & ibi exposuit librum ad comburendum. Statimque aer fuit graviter obscuratus, adeo ut cives timerent, Archiepiscopo fortiter adhærentes. Qui confortavit eos dicens, quomodo libro totaliter combusto cessaret omnis obscuritas & obnubilatio aeris, sicut & postea factum est. Illis ergo civibus & Mag. Petro vocatis, declaravit librum ipsum continere incantationes, & desuper eum Missam conjurationis & ad*

voca-

CAPUT IV.

Aliæ virtutes S. Antonii, libri conſcripti.

Facultates egenorum neceſſitatibus impendit,

25. SIc merito eum, ut ſummæ virtutis virum, verebantur omnes; colebant ut Patrem, ut ſanctiſſimum virum adorabant. Neque id immerito: erat enim univerſorum civium patronus quidam ac pater patriæ, qui omnibus prodeſſet, neminem læderet; omnemque ſubſtantiam ſuam [1] pauperibus erogaret. Neque id parce, aut minutim: centum enim aureos in feſtis Paſchalibus in pios uſus & neceſſitates pauperum diſtribuere conſueverat, præter quotidianas eleemoſynas. Nihil ſibi reſervabat, nihil poſt ſe in morte, niſi neceſſariam eam-

vocationis dæmonum fuiſſe aliquando celebratam: & ubi liber ille erat, multitudo dæmonum ibi manebat: & ut aliter curaret infirmos, admonuit Petrum, qui monitis paruit, & Deus non defuit proviſioni familiæ ſuæ. Hoc dicit Magiſter Marcus filius dicti Mag. Petri ann. LXIV ſe habuiſſe ab eodem Mag. Petro Genitore ſuo. Idem dicebat, quod quum filii parvuli ipſius Mag. Petri de nocte extraherentur de lecto, & per domum tranſportarentur; & quandoque prope ignem, quandoque vero alibi diverſis locis inveniebantur in mane (opera ſcilicet peſſimorum hoſpitum, prædictum librum comitantium, uti poſtea S. Antonius palam fecit, & jam dictum eſt) cum lacrymis Sancto viro rem deferente ipſo Mag. Petro certa verba ſcripſit in pergamena manu propria, & illi tradidit apponenda juxta beatæ Virginis Mariæ imaginem in camera ſua. Quo quidem expleto cum devotione ab ipſo Mag. Petro, non eſt ulterius paſſus eam filiorum tranſportationem & mutationem, quæ omnino ceſſavit. Benedictum Nicolai de Tempis civis Florentini filium lactentem contigit lamiari a lamiis ſeu faſcinari vel facturari factura dæmoniorum aut ſtrigum: ac dum quadrimeſtris eſſet, infirmabatur morbo a medicis penitus incognito, & conſumebatur uſque ad cutem & oſſa, nullaque ſibi profecerunt umquam medicamenta, quamquam plurima ſunt intentata; & ultra hoc etiam quandoque rapiebatur de lecto, quandoque de cunis, quandoque avellebatur ex ulnis nutricis & ponebatur in pavimento & locis diverſis, nec videbatur a quo fierent omnia hæc. Parentes vero magorum uſi conſilio ſunt præ dolore, ac quaſdam ſuperſtitioſas eorum obſervantias deinde experti, quæ etiam nihil puero profuerunt. Mater autem, quæ filia ſpiritualis in ſacramentali confeſſione Archiepiſcopi fuerat, de culpa compuncta erubeſcebat accedere ad Antonium. Stimulis autem urgentibus conſcientiæ acceſſit, & cuncta confeſſa fuit. A quo graviſſime reprehenſa, & de culpæ gravitate edocta, promiſit eidem numquam ulterius ſe tale quid admiſſuram, neque admittenti præbituram aſſenſum; & ab eo ſatisfactionem accepit cum exhortatione divinæ confidentiæ, ſimulque cum promiſſione, quod & pro ſe & pro filio ſuo orationem faceret P. Antonius: qui inſuper etiam ſudariolum, quo utebatur pro naſitergio, eidem feminæ dedit, quod filio ſuperponeret cum fiducia orans. Femina vero illud devote ſuſcepit, & ſuper filium domum reverſa impoſuit & oravit. Quo facto filius ille ſubito ſanitatem recepit, & accidentia illa omnia ceſſaverunt. Teſtificantur hoc in tertio examine Joannes de Tempis ann. LXVI, & D. Lucretia vidua, ejus itemque Benedicti ſanati ſoror ann. LXIV, qui ambo audierunt omnia ſupradicta pluries & pluries a D. Felice, matre ipſius Benedicti & teſtium prædictorum.

[1] Inſignis Antonini liberalitas in pauperes, *S. Antonini Summæ Theol. Pars I.* quam levi manu Caſtillionenſis attingit, ex Summario proceſſuum luculentius explicanda videtur integramque caput tertium exſcribendum.

CAPUT III.

Caritas & liberalitas Sancti Antonii erga Pauperes miraculis illuſtrata.

Ita etiam fuerat caritate repletus ac pietate Antonius pollebat, ut bona ſua omnia, præter modicum ſuo tenui ac familiæ ſuæ honeſto victui neceſſarium reſervatum, pauperibus erogaret. Unde & inſtitutor fuit hoſpitalis ſeu ſocietatis S. Martini verecundorum pauperum mendicare erubeſcentium in civitate Florentiæ. Ubi magna ejuſmodi generis nobilium multitudo alitur ac fovetur, & ſecundum inſtituta Patris Antonii fiunt quaſi innumerabilia opera caritatis. Et in eo opere, pauperum ipſe pater pauperrime vivens pro ſe, multa ex bonis Eccleſiæ ſuæ condividebat, & in miſerabilium perſonarum filiabus nuptui tradendis præſertim largiebatur, & nullum pauperem vacuum a ſe umquam diſcedere patiebatur: qui niſi habuiſſet, aut non potuiſſet ab aliis mutuare, dabat eis propria veſtimenta & utenſilia domus; ne contingeret, Dei audito nomine, vacuum abſque caritate dimittere pro ejus amore petentem. Tangunt notando prædicta qui hiſtorias ſcribunt, & plures teſtes late idem teſtificantur, in primo & ſecundo examine.... In tertio autem idipſum teſtificantur ſupra centum teſtes, pariformiter ac latiſſime loquentes, & plures ex eis antiqui ex certa ſcientia.... & addunt aliqui ex eis, ſpiritum propheticum in hoc facto habuiſſe Antonium, dum tempora futura præſcivit & ſtatum, ad quem venturi eſſent plurimi civium nobiles, futuri egeni: quibus providere curavit etiam poſt mortem ſuam pientiſſimus Pater. Quumque Præpoſiti ab eodem tam pio operi dicerent, ſe de frumento ac neceſſariis providiſſe, ſed qui egerent deeſſe nobiles, quibus tribuerent bona proviſa, reſpondit, tempus futurum, quum non ſufficerent frumenti modia multa, etiam ad centenaria plura, ad finem operis inſtituti. Et ita rei probavit eventus, quia pluſquam ſexcentis familiis providetur, aliquibus in totum & aliquibus in partem a Præpoſitis duodecim bonis viris Societatis illius, ex inſtituto opere Sancti Patris Antonii Archi-præſulis ſupradicti. Hoc totum latiſſime probatur in ultimo examine ex dictis teſtium plurimorum, quorum nomina citare nimis prolixum eſſet.

Dum iret Antonius Romam, excelſi Dominii Florentini ad Pontificem Summum Orator, cum nobilibus aliis civibus ſuis in ea legatione collegis, obedientiæ verba laturus; & prope urbem pauperi nomine Chriſti petenti dediſſet propriam

eamque parvam ac tenuem ſupellectilem
2 dereliquit. Ædificandi quoque curam aut
Et reædificandis domibus terræmotu proſtratis.
ſollicitudinem numquam habuit: *Hoc ſucceſſoribus*, ajebat, *meis faciendum relinquam.* Verumtamen quum non parvis terræ motibus
3 univerſa eſſet Florentina civitas conquaſſata, in reſtaurationem domorum, itidemque in aliis condendis novis ædificiis, ita poſtulante neceſſitate (multum) conſumſit.

26. Et quoniam terræ motuum mentionem fecimus, adjiciendum eſt illud portentum, quod apud Caſtellum S. Caſſiani, quod a noſtra Civitate octo millibus paſſuum diſtat, biennio poſt terræmotus illos contigiſſe conſpeximus. Nam in vigilia S. Bartholomæi Apoſtoli, ſummo mane, in ipſo crepuſculo, talis tamque vehemens fuit aeris perturbatio, tanta ventorum procella, ut nullæ nedum arbores aut virgulta, ſed nec ædificia quidem ſtare poſſent. Evulſæ ſunt radicitus quercus ingentiſſimæ, aliæ truncatæ, pinus quoque groſſiſſimæ per medium fractæ ac diſtractæ ſunt, vaſtatique ſunt agri arboribus. Sed neque domus ullæ tantam tempeſtatem perferre potuerunt: omnium tecta everſa ac diſperſa, non nulla etiam integra ſublata, & longo ſpatio de loco ad locum translata ſunt: pleraque ædificia penitus

Quem ſubſecuta ingens tempeſtas, magnam ſtragem edit.

cappam; antequam portæ urbis appropinquaret, miraculoſe fuit eidem de alia cappa proviſum: quod duo teſtes probant de viſu & certa ſcientia, Blaſius Paulli, excelſi Dominii Florentini Domnicellus annorum XC, qui interfuiſſe ſe, dum hoc actualiter eveniret, affirmat; & Guidaloctus de Guidaloctis Florentinus, qui etiam ipſe interfuit & deponit de viſu; & quidam de auditu narrative teſtes concordant.

Quum ſemel barbam tonderet Antonio Prædictus Mag. Petrus, & pulſatum oſtium eſſet a paupere uno eleemoſynam quærente, & demandaſſet Antonius famulo ut daret; ille reſpondit, non remanſiſſe in ſcrinio niſi tres panes: & Antiſtes ut unum daret, præcepit, & dedit famulus. Poſt hunc alius petiit, & juſſit unum panem ſimiliter dari, & dedit miniſter. Et ſucceſſive petiit tertius, & juſſit dari illi eum, qui ſuperfuerat panem, & dedit famulus illum. Expleta autem poſtmodum tonſione, dixit tonſori Antonius, quod reſtaret ad comedendum, & famulo, ut apponeret menſam. Ille parata menſa, quem panem eſſet appoſiturus, quum ſcrinium vacuum eſſet, turbatus interrogavit. Et iens juxta Præſulis verbum ad capſam, eamdem ſubito panibus plenam invenit, & gratias de miraculo egit Domino: quod poſtea aliis in abſentia Antiſtitis ennarravit: nam eo præſente ſub ſilentio ejuſmodi reſervabant, juſſi ab eo, quæ pluries ex ſanctitate ipſius contigiſſe domeſtici referebant; ſicut dixit Mag. Marcus ab eodem patre ſuo Petro audiſſe.

Nobilis quidam pauper, habens filias nubiles, conſiliis & exhortationibus Antonii credens, confiſus in eis, ad Eccleſiam Annuntiatæ viſitandam acceſſit aliquo tempore: ut de dotibus filiarum ab eadem Domina noſtra ſibi provideretur. Et ſemel accidit, ut cœcos duos mane ante lucem inter ſe conferentes ibidem in veſtibulo Eccleſiæ audiret de pecuniis quæſtu acquiſitis & congregatis; & quod unus ducentos quinquaginta, & alter trecentos aureos congregatos haberent; alter autem in birreto conſutos, alter vero in galero ſimiliter bene repoſitos conſutos conſervarent eos, & cuſtodirent. Civis vero ille pauper ab utroque rapuit birretum atque galerum, & abſtulit inde fugiens, & ad Archiepiſcopum perrexit. Antiſtes igitur hoc audiens cœcos ad ſe citavit, & de mendacio eos reprehendit, dum ſe egere fidelibus affirmarent, & eleemoſynas pauperum indebite acciperent ab iiſdem. Et tandem cum concordia & voluntate cœcorum, primo vigintiquinque, ſecundo autem triginta ducatis dimiſſis, reliquos omnes pauperi civi nobili pro maritandis filiabus diſtribuit & conceſſit: hoc tamen injuncto, ut ea res teneretur ſecreta. Hoc tamen geſtum creditur cum Dei ac beatiſſimæ Virginis providentia in opere pio: cui concurrerunt cœcorum conſenſus in ſalutem animarum ſuarum, & Archiepiſcopi æquiſſima ordinnatis. Teſtificatur cum ſuo juramenio hoc Juriſperitus Franciſcus Ciardius, Florentinus civis ann. LXXII ſecreto ſe habuiſſe a quodam nobili Florentino fide digno.

Florentiæ contigit, quod quidam apportavit D. Archiepiſcopo Antonio paropſidem unam plenam pomis inde exſpectans ſe aliquid habiturum ab eo. Fuerunt Antonio poma grata, & donatori dixit, Dio tel meriti. *Pauper autem ille homo diſcedens, lamentabatur ſecum, quia nihil præter verba recepiſſet, abiens triſtis. Quod intelligens Antonius Præſul fecit eum ad ſe revocari, & petiit papyrum, atramentarium, & bilancem, & in papyro ſcripſit verba illa,* Deus retribuat tibi; *& ipſis poſitis in bilance vel trutina fecit ea cum omnibus illis pomis invicem ponderari: & ſtatim viſa & inventa eſt chartula pomis præponderare ſuis. Quare Archiepiſcopus, ſtupentibus omnibus & ipſo donatore inde maxime conſolato, dixit: Vide, fili mi, quam potiora dederim tibi: vade modo in pace, & grata ſint tibi dona divina: qui accepta ſchedula hoc miraculum cum devotione ac laude pluribus enarravit. Teſtificatur hoc nobiliſſima matrona D. Franciſca de Ridolfis, annorum LXXII cum juramento.* Huic porro capiti notationes quaſdam Papebrochius ſubjicit nequaquam omittendas, quibus eadem liberalitas inſignibus teſtimoniis confirmitur. In examine ſecundo, inquit ille, teſtis
23 *Marcus olim Joannis Marci de Florentia, ann. LXXVI, teſtificatur ipſum Archiepiſcopum, jam propter largam erogationem eleemoſynarum redactum ad ſummam indigentiam, conſueviſſe a penſionariis exigere pauculas pecunias, quas daret; & ab aliis mutuare.* Tum addit in primo examine teſtis 56 *Bernardus Stephani de Roſſellis de Florentia ann. LXVII, dicit, quod quum non haberet unde ſubveniret cuidam pauperi pro Deo petenti, caligas ſuas proprias, quas ſibi detraxit, dedit eidem, ne vacuus abiret.* Vita ſecunda §. 13 *quandoque mantellum ſuum, quandoque tunicam, quandoque caligas & calceos proprios, quandoque linteamina & alia utenſilia familiæ ſuæ, quandoque ſua ocularia præſtabat.* His adde, quod in ſecundo examine teſtis 46 *Fr. Georgius, olim Baronis de Capellis, Ord. Prædicatorum* dixit, quod devaſtavit ortum & viridaria magna *palatii ſui, & reduxit ad prædii formam, ut ex frumentis poſſet pauperes alere plures.*

2 Vita ſecunda num. 20. *Spolia morientis valorem quattuor aureorum non attingebant, nec in eis pretioſum aliquid, præter cochleare unum argenteum, quo electuaria ſeu medicinalia ſumere ſolebat, inventum eſt.* Pius II mulum addit, quo vehi ſolebat. Papebrochius.

3 Scipio Admiratus hiſt. Florent. lib. 22 ad an. 1453. aſſerit, 28 Septembris de nocte inchoatos motus, toto menſe Octobri ſæpe repetitos fuiſſe. Idem.

nitus ad terram proſtrata: occiſi etiam multi promiſcui ſexus viri ac mulieres, a ruinis oppreſſi. De pecoribus nihil loquor, quum in ea procella illud ſane poeticum dici poſſet:

Cum ſtabulis armenta trahit.....

26. Facta eſt igitur tum magna arborum, domorum, atque hominum ſtrages: illudque profecto multa admiratione in ea ventorum perturbatione dignum eſt, quod quum quædam Eccleſia magnam ex ea procella ruinam feciſſet, corruentibus aliis undique muris ac parietibus, ſolum tabernaculum Corporis Domini intactum ibidem illæſumque permanſit, magnum ſane noſtræ fidei argumentum. Fuit autem ea rerum perturbatio ex ventorum commotione, ſine aqua primo; mox ſubſecuta eſt ingens pluvia, nihilque in eo turbine ſalubrius fuit, quam brevitas temporis: nam octavo fere horæ ſpatio perduravit. Breve etiam terrarum ſpatium per latitudinem occupavit; non enim integros mille paſſus complexa eſt: per longitudinem vero magis magiſque ad quinquaginta millia paſſuum pluſve protracta eſt; & a Tyrrheno, ut fertur, mari elevata, per Vulterranum agrum ac Florentinum, ad Feſulanum uſque [4] pervenit. Res ſane magni portenti, ac noſtris temporibus inaudita.

Intacto tabernaculo ineverſo templo.

4

27. Erat vero Antonius (ut jam ad illum redeamus) ut in aliis accuratus, ita ſui commodi aut cultus corporis negligentiſſimus, adeo ut poſt menſes multos ad commutandas, plenas ſordibus ac pediculis, [5] tunicellas & caligas vix compelli poſſet. Quin etiam id, quod ab uno ex ejus Fratribus admodum illi familiariſſimo accepi, non tacebo. Sunt enim, quæ nunc a me ſcribuntur de Antonio, viris gravibus & his, qui jam ſolido, ut ait Apoſtolus, utuntur cibo, maximæ ædificationis cauſſa ac magnæ ſanctitatis exemplar: quid vero filii hujus ſæculi de hiſce rebus ſentiant, parvi facimus. Ajebat autem Frater ille, Antonium quadam vice, quum cibum ſumeret, petiiſſe, ut fit, vinum ſibi miſceri. Quumque Frater ille cyathum, in quo paullo ante urina fuerat, abluere & mundum reddere feſtinaret: *Sic miſceto*, inquit Antonius, *nam lotum illotumque eſſe nil refert*. In quo B. Franciſco ſimile quid feciſſe apparet, qui cinerem ferculo immiſcuiſſe dicitur, ne vitio gulæ tangeretur.

Sui negligens.

5

Hebr. 5.14.

Ex vaſe urinario bibere nō abhorret.

28. Ut vero ſui aut voluptatis negligentiſſimus, ita erat æqui juſtique diligentiſſimus [6] obſervator. Ab eo, quod ſemel bonum rectumque eſſe noverat, nullis multorum magnorumque civium precibus flectebatur. Sic tandem cives omnes illum admodum verebantur & amabant plurimum. Quin hæc fuerunt Coſmi multa cum ſapientia verba prolata, qui ut opibus ita & prudentia ceteros civium anteire dicebatur: *Magnæ*, ajebat, *fuerunt hac tempeſtate noſtræ civitatis calamitates, majora pericula locorum, peſtis, ixediæ, terræmotuum, in primiſque occultarum ſeditionum: quæ omnia, meo judicio, noſtram evertiſſent civitatem, niſi Pontificis noſtri merita orationesque reſtituiſſent*. O præclara ac ſapienti viro digna ſententia! Is etiam, ut nuper in [7] ſucceſſore Antonii, ſic prius in ipſa Antonii [8] promotione, ſua ſuorumque poſtponens commoda, utilitati publicæ conſulendum putavit. Illud ſane non eſt prætermittendum, quod ad perfectam Antonii gloriam pertinere videatur: *Nihil* enim *deeſt*, ut Propheta ait, *timentibus Deum*. Si enim Antonio tabulis teſtamentoque dignitatem ſuam cuipiam legare licuiſſet; neminem ei, qui ſibi in Pontificatu ſucceſſit, præponendum judicaſſet: eum enim rectum doctumque virum exiſtimabat, cujus etiam judicio in dubiis variiſque ſententiis ſæpius utebatur. Sed de hoc alias. Nunc ad Antonium redeamus. Qui quum jam ſeptuageſimum ætatis annum attigiſſet (tredecim enim, ut diximus, annis Pontificatum geſſit,

6

Multas a patria calamitates arcuiſſe creditur:

7

8

Pſal. 22.1.

Ægrotans mortē prædicit:

4 Idem lib. 23 ad an. 1456 deſcribens hanc tempeſtatem, non nullos eventus notabiles ſtrictim attingit, eoſque ait in unum librum diligenter collectos a *Joanne de Rucellariis*: qui fortaſſe abbreviato nomine is eſt, cujus filium aut nepotem ex fratre Catalogus ſcriptorum vocat *Joannem Oricellarium*, ſub Clemente VII clari nominis Poetam. Idem.

5 Ecgraphum noſtrum *Fornicellas*. Idem.

6 Exemplo ſit quod Bernardus Caroli de Gondis præcitatus dixit, *quod cuidam concubinario, nolenti dimittere peccatum ſuum, noluit Antonius prædium* Archiepiſcopale, quod *jam reciderat iterum ad libellum*, tranſacto ſcilicet locationis termino denuo elocandum, *concedere*: *ſed abſtulit ab eo, & duobus ejus filiis legitimis reddidit, hac conditione, ut nihil ad Patrem perveniret.* Idem.

7 *Orlandus Bonarlius*: hic fuit Palatii Auditor, deſignatus die 11 Maii, *vir pauper, verum doctus & juſtitiæ tenax*, uti eum Pius ipſe deſcribit lib. 2 Comment. ſuorum: ſed quum ex tam inſperata promotione erectus eſſet in certam exſpectationem Cardinalatus, *adeo ſpem illam arri-*

puit, ut numquam ad ſe nuntium ex Curia venientem viderit, quin ſibi allatum pileum exiſtimaret: atque idcirco creatis poſtea Cardinalibus, quum ſui nullam factam mentionem intellexit, mœrore confectus in morbum incidit, ex quo mortuus eſt. Pius amicum occidit, dum honeſtare contendit: adeo parum eſt, quod mortalibus ex ſententia cadit. Obiit Orlandus anno 1462 natus Florentiæ: cujus etiam vitam per modum Epiſtolæ ſcripſiſſe dicitur Caſtillionenſis in Catalogo Scriptorum: nos eam Vitam non vidimus. In eo præ aliis poſcendo Coſmi prudentia laudatur: interim per urbis ſui Vexilliferum Bernardum Gerardi Florentini poſtulantes Florentinum ſibi Præſulem dari, maxime commendarant juvenem nobilem, Nicolaum Janozzi, Pandolfini filium, qui poſtea Leone X Epiſcopus Piſtorienſis & Cardinalis creatus eſt. Idem.

8 Auctor Vitæ tertiæ hujus integritatis mercedem divinitus acceptam facit duos ſummos Pontificatus, in Coſmi poſteritatem collatos, in Leone ſcilicet X & Clemente VII. Idem.

ſit, ad quem, quum quinquageſimum ſeptimum ageret annum, aſſumtus eſt) febri quadam lenta correptus, quam phlegmaticam plures Phyſici appellant, non vehementi, ſed longa ægritudine laboravit. Quumque cœpiſſet morbus ingraveſcere, vehementiorque eum febris vexaret; acceſſi ego ad lectum, in quo jacebat; conabarque, ut ſit ægrotis, ipſum amantiſſimum Patrem conſolari, ſimulque bonam ſpem & convaleſcentiam pollicebar. Ad quod vir ſanctus: *Fiat*, inquit, *voluntas Dei*. Et paullo poſt ſubjunxit Prophetæ verba, quæ ſcribuntur in Pſalmo: *Dies*, inquit, *annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni*: quaſi 9 prævidiſſet vitæ ſuæ terminum, quum ad eam

Pſal. 30. 10. *Ante quam non multo tempore Summam ſuam perfecit.* 9

9 Antoninum quidem cæleſti ſpiritu futura prævidiſſe, & occulta cordium penetraſſe, multis probatur. De ſpiritu prophetico non nihil habes not. 1. ex cap. 3. Summarii proceſſuum ibidem deſcripti num. 19. & in calce ejuſdem Summarii, illud præterea traditur, quod Maria de Cayetta matrona Neapolitana inter multa hoc de S. Arciepiſcopo teſtata eſt, *quod de quarumdam morte infra annum futura prædixerit, & ita evenerit: & de duabus, qualiter faturæ eſſent religioſæ & bonæ, & ita evenit: & de quibuſdam filiis viduæ in tribulatione ab eodem viſitatæ prædixit, qualiter clariſſimi omnes, docti, ac divites evaſuri forent, & matrem conſolaturi: & ita evenit; quia unus Archiepiſcopus, Doctor alter, tertius vero mercator famoſiſſimus, & omnes ditiſſimi ſunt effecti, juxta prænuntiatum ab Antonio verbum.* De occultis autem detectis hæc in eodem Summario leguntur cap. 1. num. 5. *Notitia occultorum & cognitio ſecretorum cordis ac contingentium futurorum, quæ non niſi ex divina revelatione cognoſci potuiſſent Antonio non defuerunt: quod probatur per depoſitionem Presbyteri Franciſci Petri Antonii, ann. LXXXV, qui dicit de ſe ipſo, cui contigit ab Antonio revelari, quæ ſoli ſibi tantum in corde conſcia fuerant; & de ſocio ejuſdem teſtis, cui Antonius ſimiliter revelavit cordis ſecretum: Presbyteri Balthaſaris ann. LXVI, dicenti ſe noviſſe quſdam, qui non ſecuti monita P. Antonii ſic revelantis ac bene monentis, male finierunt... His aliiſque teſtibus de auditu accedunt Soror Antonia, monialis S. Luciæ ann. LXII quæ audivit a patre ſuo, illud ſciente, ex eo quod ſibi ac ſuæ familiæ ſeu domui acciderat, quod erat per Antonium revelatum: & D. Franciſcus Cæſaris de Petrucciis, Prior Innocentium de Florentia, qui dicit de quodam Monacho, volente litteras Antonio exhibere, nec cognoſcente illum, quum inveniſſet eumdem cum ſcopa verrere pavimentum. Cui Antonius ad cor monachi cœpit loqui de contentis in litteris eiſdem, non adhuc viſis; & animum prædicti monachi converterit ad redeundum, unde exire diſpoſuerat, ſcilicet ad monaſterium animo perſiſtendi.* Et quoniam de Sancti Antiſtitis revelationibus incidit ſermo, non omittendæ ſunt revelationes duæ eodem primo capite Summarii recenſitæ, quæ in praxim utiles futuræ ſunt. Itaque num. 7 ſcribitur: *Dum etiam Sanctus ille Antiſtes elevaretur ſemel in oratione exiſtens, fuit eidem divinitus revelatum, qualiter in Civitate Florentiæ quidam pauperculus cerdo, pauperibus inſerviens in quodam parvo S. Paulli hoſpitali, par ſibi in merito eſſet, ſimiliterque par ei futurus in gloria. Quem Sanctus diligenter quæſitum invenit, tritoque examine vitæ illius peracto, comperit, quia cum maxima caritate pauperibus miniſtraret in hoſpitali prædicto, atque ſerviret cum humilitate & patientia multa; & quod continue laboraret manibus ſuis, ut de labore proprio parciſſime viveret, & de reſiduo egenis faceret caritatem. Comperit inſuper ultra hæc, quod domi retineret ſecrete leproſum unum, cui propriis manibus miniſtrando faceret ſervitia opportuna, non ſecus ac ſi Chriſti perſonæ ſervi-*

ret, horrorem ulcerum ac fœtorem ſuperans caritatis fervore: a quo tamen leproſo opprobria & ingratitudinem reportabat, pro ſui mercede laboris: quæ tamen omnia patientiſſime tolerabat, ab opere non deſiſtens, ſed perſeverans in caritate. Quod admirans quum noviſſet Antonius, leproſum, qui etiam ſecum de benefactore conqueſtus fuerat, de ingratitudine reprehenſum dimiſit; benefactorem vero hortatus eſt ad perſeverandum in opere ſancto, declarans illi in cælo mercedem multam a Domino reſervari: ſe vero indignum putabat tam perfecto Domini ſervo & tantis meritis coæquari; & gratias bonitati divinæ tribuens, quod ita miſericorditer ſecum ageret, ſtimulis continuis ſeipſum excitabat ad augmentum fervoris divini amoris in fundamento humilitatis. De hoc Franciſcus Ser-Joannis Andreæ de Spigliatis ann. XLVI cum juramento affirmat habuiſſe a patre ſuo, familiari olim domeſtico Archiepiſcopi Antonii, dum vivebat. Item D. Magdalena vidua, uxor olim Dominici de Paganucciis, ann. LXIV, quæ dicit ſe idem audiviſſe a Chriſtophoro de Succis, patre ſuo viro antiquo, olim familiari & notiſſimo ipſius Archiepiſcopi, & num. 8. *Vidit etiam quandoque vir Dei Sanctos Angelos ſuper domunculam parvam, dum die feſto tranſiret per civitatem in populo S. Ambroſii Florentiæ. Et ingreſſus domum illam, ut cognoſceret cauſſam viſionis, invenit quod vidua paupercula ibidem inhabitaret, habens filias tres, quas in timore Dei boneſte vivere docuerat, labore manuum ſibi victum neceſſarium acquirentes, diſcalceatas, & fere nudas, & eo die feſto eas laborantes invenit. De quo ſervili opere eas aliquantiſper reprehendit, non judicans tamen in eis fuiſſe peccatum, ex quo Angelos Dei viderat ſuper eas: ſed hortabatur ad divinam confidentiam de providentia ſua, pollicituſque eſt etiam eis eleemoſynam ſe daturum, ut non cogerentur ita labori inſiſtere feſtis diebus, ac eleemoſynas ſatis copioſe tribuebat eiſdem. Inde vero ad certum tempus ſuper eamdem domum vidit dæmones loco Angelorum. Et iterum ſciſcitatus de cauſſa viſionis, trito examine cognovit, quod ex abundantia eleemoſynarum dimiſiſſent illæ nimium de labore manuum, & a priſtina ſua devotione declinaſſent ad vanitates ornamentorum ac veſtium, feminis paſſionibus actæ. Igitur Antonius ipſas de ingratitudine & abuſu beneficiorum Dei acriter reprehendit: tuncque declaravit eis de myſterio Angelorum Dei & dæmonum, & hortatus eſt eas, ut juxta ſolitum morem devotioni vacarent diebus feſtivis, & labori inſiſterent temporibus ſuis, ne in tentatione ulterius inciderent. Et ex hoc facto probavit, quantum ſit commendabilis ſtatus paupertatis ſuper divitias peccatorum multas, & quantum conferat ad ſalutem: & partem dimiſit de eleemoſynis, quas nimium pingues antea conferebat illis. Habetur hoc in tertio examine ex dictis D. Magdalenæ viduæ præcitatæ & D. Orectæ viduæ filiæ Marci de Nellis ann. LXXIII, ac etiam D. Marc Antonii Geminianenſis, Phyſici & medici Florentini ann. XL, qui audierunt prædicta ab antiquis relatoribus, ut in proceſſu & examine latius patet.*

eam jam Ætatem, ut paullo ſuperius dixi-
10 mus, perveniſſet. Impoſuerat 10 etiam non multo antea extremam manum ingenti libro magnoque volumini, quam Summam appellavit. Quam longo tempore, magno labore, multoque artificio conſcriptam (ut paullo poſt docebo) non ad meatus ſiderum naturæque occultas vires demonſtrandas, ſed ad dandam edocendamque ſalutis ſcientiam ediderat: quæ in edocendo timore Domini, cum perceptione mandatorum ejus ac operis conſummatione, poſita eſt. In quo libro quidquid ad conſiderationem ſpeculationemque ſacratiſſimæ theoriæ, quidquid ad nobiliſſimarum virtutum acquiſitionem, *Ejus laus.* quidquid denique ad beate beneque vivendi uſum pertinere videatur, dilucide ſapienterque conſcriptum eſt. Nihil ibi prætermiſſum, nil obſcure, nil conciſe mutilateque dictum; eaque de cauſſa magno eum volumine neceſſario concluſit. Non enim de univerſalibus tantum rebus ſcripſit; verum etiam ad particularia quæque deſcendens, ad hunc noſtrum vivendi uſum & ad ſingularem quamdam humanæ vitæ operationem, doctrinam accommodavit.

11 *Et diviſio in partes.* 30 Quam etiam 11 quinque partitam eſſe voluit. Et in prima parte de anima in genere, deque ejus nobilitate ac de immortalitate animæ diſputavit, de infuſione ejus in corpore, de ejus potentiis, quæ extrinſecus ſunt, de intellectu ac voluntate, de paſſionibus animæ, item de cauſſis peccati, de peccato ac nocumento ejus, item de ſeptemplici genere legum, cujus principium eſt: *Quam magnificata ſunt opera tua, Domine!* &: *Vade ad formicam, o piger.* In ſecunda parte de ſeptem vitiis in ſpecie, & de eorum ramis, in primiſque de ſuperbia eorum capite: & in primo titulo tractavit de ſimonia & uſuris diffuſe, in ſecundo de reſtitutionibus, item de juramento ac perjurio, item de voto ac tranſgreſſione voti, poſtremo de infidelitate ejuſque generibus, quæ incipit: *Tu contribulaſti capita draconum in aquis, tu confregiſti capita draconis.* In tertia de officiis cujuſque hominis, cujuſque conditionis, de omni arte atque uſu vivendi, utiliſſimum ſane opus: quod etiam de ſtatibus hominum appellavit. In quo etiam de cenſuris, de excommunicatione ſcilicet, ſuſpenſione, & interdicto, atque irregularitate copioſe pertractavit: item de ſeptem Eccleſiæ ſacramentis: quæ incipit: *Adſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* In quarta vero parte de ſeptem virtutibus, quattuor cardinalibus tribuſque theologicis; de gratia Spiritus ſancti in genere, de ſeptem donis: & in dono pietatis adjecit quadraginta ſex ſermones de Beata Virgine Maria; incipit: *Benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* In quinta vero hiſtoriam a principio orbis conditi uſque ad tempora ſua complexus eſt: quæ incipit: *Loquar propoſitiones ab initio.*

12 *Alii libri ab eo conſcripti:* 31. Alios 12 itidem breves libellos quoſdam latinos, non nullos Hetruſco ſermone conſcripſit, ut Sacerdotibus minus doctis aliiſque idiotis perſonis conſuleret: in quibus, omiſſis argumentorum diſceptationibus, nudas concluſiones brevitatis cauſſa conſcripſit. In illo vero magno opere, quam quinque partitam Summam eſſe diximus, nihil omnino dixit, quod non multis rationibus, maximiſque argumentis, omniumque etiam approbatiſſimorum Doctorum Auguſtini, Hieronymi, Gregorii, Ambroſii, Thomæ, aliorumque teſtimoniis atque auctoritate confirmatum protulerit; adeo ut nemo umquam in tanto opere quidquam minus recte, minus elimate, aut imprudenter prolatum redarguere potuerit. In qua re illud ſane multa admiratione dignum eſt, eum hominem, qui prius in Ordine ſuo, in continua ac maxima ſuorum adminiſtratione, deinde in Pontificatu, in maximis negotiorum ac rerum agendarum perturbationibus conſtitutus fuerit; potuiſſe tot librorum volumina, tam variis materiis conſcripta, tot Doctorum ac ſacrorum Canonum teſtimoniis & auctoritate firmata conſcribere. *inter graviſſima per totam vitã negotia.*

CAPUT V.

Pia mors S. Antonii, exſequiæ, miracula.

32. Quum igitur Antonius, ut paullo ſuperius diximus, jam libros ſuos, pro ſuo deſiderio, ad communem hominum utilitatem exactos reddidiſſet; quum jam Clerum civeſque ſuos ex mala vitiorum *Extremis munitus.* conſuetudine ad recte vivendi normam maxima ex parte revocaſſet; quum denique de ſe omnibus mortalibus optimum ſanctiſſimæ vitæ exemplum præbuiſſet; placuit Altiſſimo

10 Similia tradit Fr. Vincentius Mainardus, qui juſſu Clementis VII. Antonini vitam ex genuinis monumentis expreſſam concinnavit. Hujus teſtimonium quum peculiarem notitiam afferat, ommittendum non fuit. *His paullo ante quam e vita* Antonius *excederet, extremam manum impoſuerat. Nam quamquam maximam eorum partem ante Pontificatum contexuerat; Præſul tamen ſi quando poſſet otium ſuffurari, & expungendo quædam, & addendo alia recoxerat.* Vide locum apud Surium tom. 3. die 2. Maii.

11 Summa Theologica, quam recudimus, quadripartita eſt: quinta vero pars heic computatur *Summa hiſtorialis*, ut ipſe ſcriptor vitæ mox explicabit: eaque ſeparatim edita eſt nunc uno magno volumine, nunc autem in tres tomos diſtincta, nec ex Auctoris conſilio Summæ Theologicæ connexa fuit tamquam pars ejus quinta; unde quattuor tantum partes in generali prologo primæ parti præfixo pollicetur: & hiſtorialem ipſe Summam in tres partes diviſit. Utriuſque Summæ editiones ſeparatim poſt vitam dabimus.

12 Quinam ſint alii ejuſmodi libelli partim mſſ. partim editi, patebit ex Catalogo operum, qui Vitæ ſubjicietur.

simo corona debita tantorum laborum hominem non frustrari. In ea igitur, de qua nunc dicimus, positus ægritudine, curavit primo omnia Ecclesiæ, quod omnibus mandatur fidelibus, sacramenta suscipere. Quumque in die Apostolorum Philippi & Jacobi, ante crepusculum, extremam Unctionem simulque plenariam Indulgentiam, adstantibus Fratribus suis, qui sanctum virum in ea ægritudine assidue ac frequentes magna cum caritate observarunt, suscepisset; quumque illi circumfusi lecto matutinum Officium decantarent, perveniissentque ad laudes; tum vir sanctus, in ipsa jam mortis anxietate positus, magno conatu in fervore spiritus initium aliis faciens dixit: *Deus in adjutorium meum intende*. Quod immensæ pietatis signum magna fuit gemituum omnibus adstantibus ac lacrymarum reintegratio. Quum vero quasi ad ipsum vitæ terminum deveniisset, nec jam ulla nisi pauca admodum atque ea semiintegra verba proferret, hoc sæpius ex ore ejus verbum auscultantibus audiebatur: *Servire Deo regnare est*; quasi jam laboris sui præmium paratamque ante oculos mercedem intueretur. Aliud hoc item verbum sæpius proferebat: *Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio.* Quumque Fratres, qui totum jam Psalterium legerant, eosdem Psalmos reiterarent, perveniissentque ad eum versum Psalmi quadragesimi quarti, qui dicit: *Oculi mei semper ad Dominum*; ipse elevatis tum oculis erectisque ad cælum manibus, eumdem versum replicavit: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedet meos*; simulque ex continuo labiorum motu, & ex non nullis perceptis ex ore ejus verbis, intelligebatur, illum in continua tacitaque Psalmodia detineri, maximeque eum Psalmum sæpius iterare videbatur, qui in ultimis matutinis laudibus decantatur: *Laudate Dominum de cælis*, & reliqua: quo etiam in vita, ut sui Fratres asserunt, delectari plurimum consueverat. Nonnumquam etiam porrectam a Fratribus brevem Domini crucifixi imaginem complexus, tanto dilectionis deosculabatur affectu, ut adstantes omnes nullo pacto lacrymas continere valeremus. Sequenti igitur die, post festum Apostolorum, hoc est secunda Maii, & in [1] vigilia Ascensionis Domini, post longam enxietatem, spiritus ille sanctissimus, solutis corporis vinculis, ad æthereas sedes evolavit.

Et officium ac psalmos eũ adstantibus recitans,

Spe æternæ retributionis plenus,

Et Crucifixũ exoscultans, pientissime moritur.

An. MCCCCLIX.

33. Quod magnis signis verissimisque argumentis ita fuisse comprobatur: ex quibus non omnia nunc recensenda, sed quædam in laudem tantarum virtutum prætermittenda non sunt: illudque in primis, quod verissima ipsorum Fratrum narratione percepimus. Fertur enim quidam ejusdem Ordinis Frater Constantius nomine, vir magnæ sanctitatis, quum esset in civitate Asculana, & vigilans oraret in Ecclesia, [2] vidisse manifeste Antonium, eadem ipsa hora

De mortui anima ad cælum migrare conspicitur.

1 Siquidem an. 1459 pascha celebratum fuerat 25 Martii. Papebrochius.

2 Similem visionem refert Leonardus de Ser-Vbertis c. 2. n. 21. *Eadem die eademque hora, qua S. Antonius migravit a corpore, videlicet 2 die mensis Maii, anno Domini MCCCCLIX, in crepusculo diei, in Vigilia Ascensionis D. N. Jesu Christi, quædam devota mulier de pœnitentia S. Dominici, de qua jam fecimus mentionem, de ipsius B. Antonii transitu & gloria visionem habuit hujuscemodi. Erat præfata mulier in sua domo quiescens in stratu suo, die & hora jam dicta; habebatque secum matronam quamdam seniorem, quasi custodem juventutis suæ, præcipueque quum ad ecclesiam vel alias foris procederet, sociam: neque enim sine comite prodire domo sciebat, propter teneram famam pudoris. Hæc igitur anus, dum appropinquare cerneret auroram, juvenculam a somno excitat, ut dictis eorum matutinis laudibus, postea quum dies clarior illuxisset, ad Ecclesiam pergerent: Surge, inquit, quoniam prope est jam dies. Expergefacta illa surgere cœpit a lecto; sed somno oppressa (erant enim oculi ejus gravati) paullisper inclinata super stratum suum, iterum requievit, non tamen plene dormiens, neque aperte vigilans. Et ecce subito facta est super eam manus Domini, & sic inter somnum & vigiliam vidit cælos apertos, & Jesum Christum sedentem super solium excelsum & elevatum nimis, circumdatum immensa gloria innumerisque Sanctorum & Angelorum millibus circumseptum, & plena erat omnis terra majestate ejus, & vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui.*

Tunc illa hujusmodi visionem cum gaudio admirans, convertit oculos, ut videret Sanctos sui Ordinis, videlicet Fratrum Prædicatorum: & ecce vidit innumeram multitudinem Fratrum dicti Ordinis, quorum singuli pro suis meritis diversa claritate fulgebant. Inter reliquos autem conspexit inclytum Patriarcham S. Dominicum in pulcherrima atque ornatissima mansione; & juxta eum vidit gloriosum Doctorem S. Thomam de Aquino, claritate decorum, suo Angelo medio inter utrumque: penes vero Thomam aspexit tabernaculum pulcherrimum & mansionem ornatissimam vacuam, uno etiam Angelo medio inter S. Thomam & sedem vacantem. Quumque mulier tam suavi visione pasceretur, ecce unus de ministris Regis æterni cum baculo sine virga aurea (sicut portare solent ministri Papæ hodiernis temporibus) cœpit annuere circumstantibus voce & gestibus, ut locum venienti darent: videbaturque sibi, quod inter alia diceret hæc verba, transiens per eam, quæ adstabat, mediam multitudinem, Fate largo, fate largo: hoc est, Cedite, cedite: date locum. Ipsa autem mulier, ut illi apparebat in visione, erat in paradiso, in loco inferiori super pavimentum stratum tapetis & pulcherrimis pannis; ibique sedens cum innumera multitudine Jesum in decore suo læta aspiciebat: majores autem Sancti juxta ipsum Regem gloriæ, in gradibus & locis eminentioribus, collocati erant singuli in ordine suo.

Quumque Angelus ille minister Domini sollicite ageret, ut locus daretur venienti; mulier, quum juxta eam ille transiret, secum audacter loquitur, interrogans eum & dicens: Quidnam est hoc? cur, ut locum cedamus tanta celeritate, jubes? En, inquit, B. Antonius Ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Florentinus, modo sæculum hoc triste relinquens, cælum ingressurus est locandus in sede sibi dispositа; & paratam sibi in Domo Dei patris mansionem, pro suis laboribus & meritis, accepturus

2

ra, qua ex hac vita migravit, glorioſum ad cæleſtem patriam evolaſſe. Utque illud ita eſſe majori confirmaretur argumento, vidit eadem hora alium Fratrem, qui etiam in alia civitate tunc obierat, non jam ad cælum, ſed ad purgatorias ſedes deſcendere. Quod quum ille aliquandiu reticens, ex lætitia inſueta vultuſque hilaritate diſſimulare non poſſet; pulſatus precibus diu a Fratribus, tandem id, quod vidiſſet, magno cum gaudio enarravit, & de morte utrorumque poſt aliquos dies id ita eſſe certa rei experientia compertum eſt. In ipſo quoque exſequiarum die, dum corpus in Eccleſia S. Marci poſitum eſſet, acceſſit mulier, quæ altero latere debilitato ac ſtupido diu manca fuerat; tactoque ſancto corpore, antequam Eccleſia recederet, integritatem virium cœpit.[3]

Contracta ſanatur ad contactum corporis:

34. Sed antequam ad reliqua, quæ volumus ſigna narrare, accedamus, dicendum eſt, quali eum honore in ipſo funere Pius Romanus Pontifex honeſtare ac glorioſum reddere voluerit, qui tum forte in civitate Florentina aderat, & ad celebrandum id Concilium, quod diætam appellavit, Mantuam properavit. Primum igitur omnium, ſtatim poſt obitum Antonii, funus ipſum diligenter ac magnifice curari,[4] pro viri ac civitatis dignitate, mandavit; quamplureſque Epiſcopos alioſque Prælatos ad funus deducendum accedere, & omnem Archiepiſcopi defuncti familiam longis pulliſque veſtibus indui, ad quod etiam bona pars civium magnæque auctoritatis viri honeſtandum acceſſerunt. Reverendiſſimus quoque Cardinalis S. Marci, de quo ſuperius mentionem fecimus, tum amicitia tum pietate commotus, in ipſa Cathedrali Eccleſia officio exſequiarum adeſſe[5] voluit. Primum igitur ad Eccleſiam majorem deductum, unde rite officio celebrato ad Eccleſiam S. Marci & Conventum Prædicatorum veſperi,

quod ſplendidis exſequiis a Pio II cohoneſtatum,

& ad cœnobium Prædicatorum delatum,

magna populi ſubſequente multitudine, corpus translatum: ſic enim ipſe teſtamento legaverat, ut juxta Fratres ſuos humi conderetur. Videres tum univerſam commotam civitatem, a majoribus uſque ad minores; & tam mares quam feminas, ad ſancti viri manus pedeſque deoſculandos accedere; hinc gemitus, inde ſuſpiria; a multis lacrymæ, a non nullis querulæ voces edebantur. Neque hoc tantum ipſa civitas fecit vicique in ſuburbiis poſiti; verum ex montibus undique deſcendentes, ac de remotis regionibus innumerabilis populus accedebat. Addiderat etiam ſummus Pontifex maximum ejus viri ſanctitati teſtimonium, ut quicumque ad ſanctum corpus benedictaſque manus deoſculandas acceſſiſſet, ſeptem annos ſeptemque quadragenas indulgentiæ ac culparum remiſſionis conſequeretur. Factumque eſt ex nova ſemper ſupervenientis populi atque advenarum multitudine, ut ſanctum corpus in ipſa Eccleſia aliquot dies videndum omnibus deoſculandumque neceſſario poneretur, nec niſi octava die poſt ejus obitum ſepulcro condi poſſet. Illudque ſane multa admiratione dignum eſt, tanto tempore reſervatum corpus exanime, nullum tetrum odorem edidiſſe: quin potius mirabili ſemper fragrantia redolebat, videbaturque omnium judicio venuſtior lætiorque in mortuo facies quam fuerat in vivo, inſuper manus pedeſque, nullo rigore contracti, nulloque maculati livore cernebantur: quod certe omnibus id cernentibus magnũ ſanctitatis ſignum eſſe ducebatur.[6]

conceſſis venerantibus illud indulgentiis,

toto octiduo nil graveolens proflat.

35. Ad ſigna vero, quæ hactenus poſt ejus obitum viſa ſunt, non omnia tamen, enarranda accedamus. Sed ut paullo ante dixeramus, non ſunt etiam omnia prætermittenda: ne eam partem, quæ multis fortaſſe in eo nobiliſſima eſſe videatur, intactam relinquamus; utque etiam piis mentibus

pturus. Vix Angelus verba finierat, quum jam jam omnes cum gaudio Antonium exſpectarent. Et ecce matrona illa, morae impatiens, juniorem ſociam ſuam iterum vocans, excitavit eam, & continuo viſio illa diſparuit. Mulier vero nimium dolens, quia finem tam admirabilis viſionis videre non meruit, ſimile quiddam reſpondiſſe fertur, ſicut B. Ambroſius, qui in Miſſa obdormiens, ad exſequias rapitur B. Martini, ſed excitantibus eum Clericis ſuis, finem funeralis officii explere non potuit. Notavit ergo mulier tempus, & invenit, quod eadem die & hora R. P. Antonius migravit ad Chriſtum. Unde quis dubitet virginem ac doctum Antonium juxta Virginem & Doctorem Thomam eſſe locatum in cælis, cujus doctrinam & vitam eſt imitatus in terris.

3 Idem narratur in Summario miraculorum poſt mortem num. 7. & citato Franciſco additur, *cui concordat dictum Bernardi Stephani de Roſellis ann. LXVII in primo examine teſtis 56. Qui affirmat ſe vidiſſe plures, dum inſepultum corpus in Eccleſia ſervaretur, euntes & redeuntes ad ſatisfaciendum votis, pro ſanitatibus inde receptis.* Papebrochius.

4 *Neque enim*, inquit Vita tertia, *quidquam de eo ſtatuerat: tantum dum morbus ingraveſceret, ſi quid domi fuerat, dividi pauperibus imperaverat.* Idem.

5 Addit Vita ſecunda, quod Cardinalis hic *multis lacrymis funus Antonii eſt proſecutus: cujus manus etiam ſæpius eſt devotiſſime deoſculatus, illaſque propriis lacrymis irrigavit.* In ſecundo examine teſtis 8. *Marcus Joannis Marci de Stroziis, ann LXXII, dicit, quod inter deoſculantes pedes defuncti, Cardinalis Venetus* (idem ſcilicet, qui a titulo Card. S. Marci) *lacrymis rigavit pedes illius.* Idem.

6 De ſepultura in Vita tertia ſic legitur: *Ut ardor ille currentium populorum paullulum refrixit, ſepulcro tandem intulerunt. Ne vero ultimam illius voluntatem infringerent, qui teſtamento caverat, uti eodem conditorio, in quo cœnobitæ, clauderetur (id vero pro chori foribus excavato antro, humili ac depreſſo loco, ſitum eſt) aliud choro aſſidens, temporarium ac paullo eminentius exſtruxerunt; ita factum eſt, ut voluntati ejus obviam non iretur, & ſanctitatis aliqua ratio ac dignitatis haberetur.* Idem Papebrochius.

bus aliqua ex parte satisfactum esse videatur. Pauca igitur ex illis certissima perstringemus; simulque eum singulis diebus nova semper addi videatur, aliis hoc munus copiosius absolvendum relinquemus. Narravit mihi nuper vir quidam, Leonardus Antonii civis Reatinus, non ex infima plebe, se hujus sancti viri meritis non tantum bonam valetudinem, verum etiam incolumitatem ac vitam consecutum. Nam quum ad balneas [7] Porrectæ profectus in gravissimam febrem incidisset, adeo ut jam de sua salute diffideret; recordatus sanctitatis Antonii Pontificis, facto voto statim convaluit. Filiolum quoque suum, qui de alto loco ad terram ceciderat, quum medici jam de ejus morte patri meditandum præciperent; magna cum fiducia pater sancto viro Antonio natum unicum toto mentis affectu commendavit, & paullo post filium se habere incolumen intellexit. Hæc mihi Leonardus ipse longiore narratione cum lacrymis recensebat: in cujus rei testimonium ad sepulcrum Antonii, magnam sui, ac filioli parvam imaginem apposuerat.

Quidã voto facto a periculosa febri liberatur, 7

alius ab instanti morte ex gravi lapsu,

36. Accepimus etiam a fide dignis, mulierem quamdam, hinc civem ac nobilem, quum in pariendo diutius laborasset, nec difficultati partus ullum remedium invenire posset; suppositis alligatisque ejus ventri paucis admodum pilis, qui ex barba Antonii jam mortui abrasi conservatique fuerant, illico partus facilitatem ac perfectionem consecutam. Reverendissimus vero Cardinalis S. Sixti, vir magnæ scientiæ atque auctoritatis, quum ætate simul ac morbo confectus, Senis ad civitatem Florentinam accederet, nuntiatusque ei esset obitus Antonii; oculis simul ac mente ad cælum erectis, a sancto viro magnum sensibiliter ægritudinis suæ ac corporis passionum levamen impetravit.

Cardinalis S. Sixti a morbo,

Quumque postea civitatem intrasset, ad sepulcrum Antonii supplex cum lacrymis in testimonium tantæ sanctitatis accessit, ibique lampadem gloriosam accendi voluit. Quid Luisius, qui fuerat Antonii domesticus? Nonne patrem suum Jacobum, qui ob infirmitatem ex amentia noctu domum exire, & solus in tenebris civitatem circuire consueverat, nec ab hoc morbo ulla medicorum cura biennio sanari poterat; quum pro eo filius sancto viro votum feciisset, incolumen ac sanum parentem recepit? quod mihi postea ipse Luisius proprio ore recensuit.

quidam a diuturna amentia,

37. Alius item adolescens, Nicolaus Sacchetus nomine, civis noster, quum gravissimo apoplexiæ morbo correptus esset, quumque de ejus vita penitus medici diffiderent, eo quod ultra viginti & quattuor horas insensibilis perduraret; contigit, ut duo ex Fratribus Prædicatoribus, qui ad visitandum infirmum accesserant, quum illum pene mortuum esse conspexissent, reversi domum, positis genibus ad sepulcrum Antonii oraverunt pro illo. Qui statim sequenti die, stupentibus omnibus, convalescere cœpit; sicque non multo post incolumitati est restitutus. Possem alia multa signa hujusmodi enarrare, quæ prætermittenda censeo: pluris enim facienda judicamus, quæ in ejus vita ac moribus vidimus, quæque ex ejus doctrina ac sapientia bona nascuntur, quæ superius enarravimus, quam ipsa miracula.

alius ab apoplexia,

38. Quin etiam antequam ex hac vita decederet Antonius, non caruit ejus vita [8] miraculis. Quum enim aliquot annis ante obitum, pro officio Pastorali suffraganei sui episcopi Pistorienſis diœcesim visitaret (est enim Florentina civitas urbi Pistorii Fesularumque metropolis) quumque ipsas quoque Alpes visitando circumiret, pervenit ad officinam quamdam ferri [9] fundendi.

8

9

Quum-

7 *Balnea Porrectæ* in finibus Bononiensibus ad Rhenum fluvium visuntur trans Apenninum. Papebrochius.

7 Alia Antonini adhuc viventis intercessione patrata miracula ex aliis monumentis suppetunt. Ex his aliqua heic appingam. In Summario processuum c. 4. n. 32. *Contigit etiam semel, quod quum Antonius visitaret diœcesim suam, venit ex improviso ad oppidum Cornachiariæ. Et quum non haberet Plebanus quod apponeret Episcopo ad comedendum, rete unum parvum accepit, & posuit in fonte oppidi, ubi pauci pisciculi erant & parvi. Et post modicum rediit ad extrahendum rete, & statim miraculose ac præter spem suam invenit piscium multitudinem magnam captam esse in eo atque comprehensam: de quo gratias egit Deo & propter hospitis tanti gratiam & consolationem credidit factum miraculose a Deo (similiter & alii crediderunt omnes) sicut in piscatura Petri Christo Domino præsente contigit. Hoc testificatur in suo dicto nobilis vir Bernardus de Gondis.* Et ad calcem ejusdem Summarii referente Papebrochio D. Maria de Cayeta matrona Neapolitana ex consanguinea sua *habuit multa de sanctitate Antonii testimonia: inter quæ hoc unum recolit, quod tempore famis fecerit ab eis fieri cibaria quædam cum farina oleo & melle pro hospitibus ab eodem Antonio receptis pascendis; & quod per septem continuos annos, haurientes continuo in omni necessitate de vasis prædictis oleum & mel, numquam defecit, sed abunde ibi miraculose fuit. Item de planta limonum, Antonii manibus conserta, quod brumosa hieme, cunctis aliis deficcatis, illa sola viridior, quam antea umquam fuisset, remanserit.*

9 In prima parte Summarii n. 8. vocatur *Fabrica, seu fucina ferri* (hanc autem tabulæ notant inter Apenninum in finibus Mutinensibus trans Dardaniam fluvium; aut *Fabricas* pluraliter, in finibus Bononiensibus ad Brismonem) & sequentis miraculi referuntur plures testes ex auditu eorum, qui viderunt: inter quos in primis notandus *Nobilis Franciscus Albizi civis Florentinus, ann. LXXXV. qui dicit hoc ex certa scientia; quia videlicet vidit librum editum a D. Baldovino de Baldovinis socer dicti testis, qui fuerat Notarius Antonii, & cum eodem in visitatione præsens, dum fuit miraculum factum: & quod in eo libro inter alia plura miracula ab ipso D. Baldovino scripta de visu, & ab Antonio operata hoc ipsum de fabrica fuit scriptum, quem librum uxor ejusdem testis filia Baldovini præfati commodato dedit Priori Bonsolazii Cistercienſis Ordinis, qui numquam restituit illum.* Papebrochius.

ferri fluxū ex fornace propter blaſphemias inhibitum,

Quumque ipſe una cum ſuis comitibus, videndæ novæ fabricæ deſiderio, officinam intraſſet; fertur quidam ex iis, qui fabrili operi intenti erant, calore ignis ac labore fatigatus, quum eos intrantes officinam conſpiceret, idque moleſte ferret, cœpiſſe perturbati animi verba ac blaſphemias proferre. Mirum eſt profecto quod fertur. Cœpit ſtatim ferrum congelari, adeo ut nullo igne, nullo labore, nullaque arte fundi poſſet, ſicque tota illa nocte perduravit. Sequenti mane officinæ magiſter, ſancto, ut videtur, ſpiritu afflatus, ad Antonium accedit; eumque ſummis precibus exorat, ut ad officinam accedens, ſuper illam ſignum Crucis ejuſque benedictionem infunderet. Quod quum feciſſet Antonius, motus viri precibus, ferrum, quod prius duriſſimum fuerat, ſtatim fundi cœpit. Hoc mihi ii, qui cum ipſo Præſule præſentes fuerant, mox ut in patriam reverſus eſt, magna cum gratulatione retulerunt. In alia item viſitatione ſuæ diœceſis, ejus ſcilicet partis, quæ eſt Bononiam verſus, quæ Mugellus nuncupatur; quum perveniſſet ad quamdam plebem, nuntiatumque eſſet ei Plebanum loci graviter ægrotare, acceſſit vir ſanctus ad lectum ægroti. Quumque ſuper eo quoddam Evangelium certaſque orationes perlegiſſet, paullo poſt Sacerdos, qui prius de ſalute ſua parum ſperabat, cœpit integerrimæ valetudinis vires aſſumere. In qua re non dubitabant omnes, qui adſtiterant, id Antonii orationibus impetratum fuiſſe.

benedictione ſua reſtituit:

agroto valetudinem,

ſterili fœcunditatem impertit.

39. Illud ſane mihi profiteri licet, quod in noſtra familia experimento didici. Quum enim alio item tempore Eccleſias rurales viſitaret Antonius, & me alioque propinquo meo impetrante ad villam noſtram Caſtillionenſem [10] divertiſſet, ibique pernoctaſſet; quum ſequenti luce diſceſſum pararet, cœpi apud illum calamitatem noſtram deplorare ex eo, quod quum tres eſſemus in familia noſtra, ex quibus unus ſolummodo Danthes nomine uxorem eamque multis annis ſterilem haberet, brevi de exſtinctione antiquæ familiæ dubitari facile poterat; ſimulque benedictionem domui noſtræ, in auxilium ſuſcipiendæ prolis, ab eo dari petii atque impetravi. Factum eſt non multo poſt, ut ea, quæ multos annos apud virum ſuum ſterilis fuerat, ipſo adhuc vivente Archiepiſcopo, primo feminam, reliquos mares omnes, eoſque venuſtos cœperit filios procreare, continueque in ſuſcipienda nova prole hactenus [11] perſeverat. In qua re ego benedictionem ſancti viri tantum valuiſſe non dubito, ut deſiderii noſtri compotes efficeremur. Hæc de ſignis, quæ partim in vita, partim poſt obitum ejus viſa ſunt, quum multa alia ac pene infinita recenſeri poſſint, pro tempore dicta ſufficiant.

10

11

EPILOGUS.

40. NOn poſſum autem hujus tanti viri mortem atque abſentiam non ſummo mœrore ſummoque deſiderio proſequi. Dicitur B. Ambroſius, quum ei obitus cujuſdam optimi ac præſtantiſſimi viri nuntiatus eſſet, multis lacrymis faciem irrigare cœpiſſe. Quumque ille, qui id nuntiaverat, admiraretur, hominem graviſſimum in tantam, ut ita dixerim, animi mollitiem flecti, ac cauſſam tanti fletus perquireret: Non eſt, inquit Ambroſius, deflenda tanti viri carentia, qualem vix multa tempora producere conſueverunt? Merito igitur ejus obitum defleverunt omnes boni omneſque viri religioſi, qui frequenter ad eum accedentes conſulebant hominem in rebus dubiis, quibus tamquam oraculum quoddam totius Italiæ, certiſſimas irreprobabileſque veritatis ſententias proferebat. Defleverunt eum non immerito pauperes Jeſu Chriſti, quibus patronus alter ac tamquam pius pater exſtiterat. Tota denique civitas, velut publico luctu, ſanctum virum pioque deſiderio proſecuta eſt: in primiſque optimi cives atque optimates, qui illum tamquam ſanctum virum non ſolum venerabantur atque colebant, verum etiam verebantur, maximam ſe in ejus morte feciſſe jacturam profitentur: tanta erat apud illos auctoritas ſancti viri. Illudque ſane inauditum ac multa admiratione dignum eſt, quod, dum ejus funus ad Eccleſiam S. Marci deferretur, animadvertentibus cernebatur: ut enim, dum viveret, concurrebant univerſi viri ac mulieres ad locum, qua illum tranſeuntem intelligebant, ſubmiſſique in terram ac proni ſanctum Præſulem adorare conſueverant; ſic exanimi tum corpori ac feretro inclinati, poſitiſque in terram genibus, non curantes etiam pluviam, quæ tunc forte ingruebat, omnes non tantum cives, verum & advenæ, qui tum multi in noſtram civitatem propter præſentiam ſummi Pontificis advenerant, tamquam conſuetam ab eo benedictionem accepturi, conſuetam adorationem, licet mortuo, humiliter ac devote præſtabant, magnum de ſua erga eum fide ac reverentia teſtimonium red-

obitus S. Antonii omnibus luctuoſus:

quo ad ſepulturā elato, omnes veluti ad benedictionem ſe proſternunt.

10 Plura hujus nominis loca ſunt in Hetruria, cognominibus diſtinguuntur: ut ſunt *Caſtiglione di Peſcia* Lucenſis diœceſis, & *Caſtiglione Aretino*; *Fiorentino di Lunigiana*, & *di Valdorcia*: quod autem hic intelligitur in confinio Bononienſi, tabulæ vocant *Caſtiglione de Gatte*, vel *dei Gatti*, ideſt *Cattonum*. Papebrochius.

11 In Summario præcitato num. 15. idem narratur, & dicitur mulieri nomen fuiſſe *Marietæ*, ipſaque ſeptem omnino filios mares peperiſſe, quos feliciter educarit; ibidemque inter alios teſtes aſſignatur *Bernardus*, *filius Danthis ac Marietæ ann. LIX*, *qui habuit hoc ab eiſdem parentibus*, & *Nicolaus Junctæ ann. LXX. qui novit omnes filios ac filiam Danthis ac Marietæ*, *atque etiam ipſum Danthem & D. Franciſcum Canonicum*, *a quibus idipſum audivit*. Idem Papebrochius.

reddentes, majorem de tali jactura luctum oſtendentes. Quis tantam calamitatem Chriſtiano populo inflictam non deploret? Quis tam præclarum juſtitiæ ac veritatis lumen exſtinctum non defleat? Vereor ego profecto, ne poſthac ſublato e medio tanto lumine in obſcuram tenebrarum caliginem atque in graviſſimas temporum rerumque omnium perturbationes protrahamur: cujus rei jam quædam magnarum calamitatum ſigna ſuboriri videntur. Totus fluctuat Orbis undique, Eccleſiæ vires labefactæ jam pluribus annis magno conatu contra impios hoſtes atque atrociſſimos infideles in caſſum hactenus laborarunt: Galli jam non nullas Italiæ partes occuparunt, & ad majora accinguntur. Suſpenſi ſunt omnium populorum ac Principum animi: magna quædam Lunæ ſoliſque eclipſes, brevi futuræ, ſignificare: majora his temporibus prophetiæ quædam minari videntur. Quem ſit res exitum habitura, incertum eſt, utinam bene vertat! Amen.

Hactenus Franciſcus Caſtillionenſis (cui hoc unum addendum ſupereſt S. Antoninum, cujus proceſſus canonizationis ſub Leone X. profectus fuerat, inter ſanctos elatum fuiſſe a ſucceſſore ejus Hadriano V. die 31. Maii an. 1523. At quum Pontifex paullo poſt vita functus eſſet, Bulla canonizationis nondum confecta, Clemens VII. iſtam ſtatim edidit eodem anno die 26. Novembris. Cooptatus fuit in ipſa canonizatione Antoninus Sanctis Confeſſoribus atque Doctoribus, & ut *officium* ejus *veluti pro uno Confeſſore Pontifice & Doctore tam publice quam privatim* perſolveretur, in ipſa Bulla mandatum fuerat. Id autem cur non obtinuerit, cauſſam affert Proſper Lambertinius lib. 4. præſtantiſſimi operis de Canonizatione SS. part. 2. cap. 12. num. 9. pag. 106. nimirum *quia ad recitationem in univerſa Eccleſia, juxta alibi dicta non ſufficit conceſſio, quæ fit in Bulla canonizationis, ſed nova requiritur declaratio*: quod aliquot exemplis confirmat, & hac ratione alios quoque ſanctos Doctoris titulo ceteroquin digniſſimos, præter S. Antoninum, veluti Doctores non coli in tota Eccleſia oſtendit.

CATALOGUS

Operum editorum & manuſcriptorum S. Antonini Archiepiſcopi Florentini.

1 SUMMA THEOLOGICA in quatuor partes diſtributa, de qua vide Præfationem. In editionibus notandis annorum ſeriem ſequemur & memorabimus partes certo anno præſignatas; neque enim totam Summam, ſed unam vel alteram tantum partem ab aliquibus typographis editam invenire licuit. Mentionem etiam faciemus ſive bibliothecarum Veronenſium, quæ rariores editiones exhibuerunt, ſive Auctorum, qui de illis alibi inventis meminerunt.

1474 Pars II. *Venetiis per Franciſcum de Hailbrun & Nicolaum de Francofordia* fol. in Bibliotheca Joannis Franciſci Muſelli, Eccleſiæ Veronenſis Archipresbyteri, ac de litteris optime meriti; & in Bibliotheca PP. Minorum Sancti Bernardini.

1477 Pars II. Venetiis *Impenſis Joannis de Colonia ſociique ejus Joannis Manthen de Gheretzen* fol. in Biblioth. S. Bernardini.

1477 Pars II. Spiræ *per Petrum Drach Viceſim. Auguſt.* fol. P. Peregrinus AntoniusOrlandius in libro Italice inſcripto *Origine & Progreſſi della Stampa* pag. 185. PP. Quietif & Echard tom. 1. Scriptor. Ord. Prædicat. & Albertus Fabricius tom. 1. Biblioth. mediæ & infimæ ætatis integram Summam 4. voluminibus impreſſam tradunt Spiræ per Petrum Drach.

1477 Pars III. duobus voluminibus diſtincta Venetiis in officina Nicolai Jenſon Gallici fol. in Biblioth. PP. Prædicatorum S. Anaſtaſiæ, & Minorum S. Bernardini.

1478 Partes omnes Norimbergæ ſine nomine impreſſoris vol. 4. fol. Orlandius pag. 142. Hæc editio laudatur etiam a Quietif & Echard, ac a Fabricio.

1479 Pars I. Venetiis per Nicolaum Jenſon Gallicum fol. in Biblioth. S. Anaſtaſiæ, & S. Bernardini.

1480 Pars IV. Venetiis per Nicolaum Jenſon fol. in Biblioth. S. Anaſtaſiæ, & S. Bernardini.

1480 Pars II. Venetiis per eumdem Jenſon. fol. in Biblioth. S. Anaſtaſiæ, & apud nos. Huic ſecundæ parti brevis admonitio legitur præmiſſa Franciſci Monelienſis in laudem officinæ Jenſonianæ, in qua commendantur *prima, ſecunda, tertia, & quarta pars* Summæ editionis Jenſonianæ; ita ut hoc anno integra totius Summæ editio a Jenſon perfecta videatur. PP. Quietif & Echard Summam integram ſcribunt Venetiis editam a Jenſon an. 1477. & 1479. Fabricius autem 1477. ſed niſi alicubi proſtent partes omnes iis annis editæ, conjectura noſtra probabilior videbitur.

1480 Pars III. Venetiis per Leonardum Wild de Ratisbona fol. in Biblioth. S. Anaſtaſiæ.

1481 Pars I. & II. Venetiis per eumdem Wild fol. in Biblioth. S. Anaſtaſiæ, & apud nos.

1481 Pars IV. Venetiis ſine nomine typographi fol. apud nos. Exiſtimo tamen & hanc partem prodiiſſe ex officina ſupradicti Wild, ex cujus typographia omnes 4. partes 1480. & 1481. non tantum laudarunt, ſed & viderunt in 4. voluminibus in Bibliotheca Pariſienſi Quietif & Echard.

1483 Partes omnes Memningæ, editio laudata a Fabricio, Dupinio, aliiſque.

1485 Pars III. Venetiis *diligentia & impenſis Magiſtri Andreæ de Catharo* die XXI. menſis Aprilis fol. in Biblioth. S. Anaſtaſiæ, apud nos, & alibi.

1486 Summa tota Norimbergæ fol. max. vol. V. quorum ultimum continet quintuplicem Tabulam rerum notabilium, de feſtivitatibus S. Mariæ, de locis S. Scripturæ, de epiſtolis & evangeliis totius anni, ac tandem de Sanctis : quæ tabula Joannem Molitorem Ordinis Prædicatorum Conventus Colonienſis habet auctorem, ac in pleriſque poſterioribus editionibus invenitur, & etiam ſeparatim edita. Hæc editio Norimbergenſis viſa fuit a Quietif & Echard, atque a Fabricio laudatur.

1487 Pars I. *Opera ac impenſis Petri Drach Conſularis Spirenſis Kal. Octobris* fol. Orlandius pag. 186.

1487 Summa integra Venetiis fol. laudatur a Quietif & Echard, atque a Fabricio.

1496 Eadem Pariſiis. Hæc editio ab uno Fabricio laudatur.

1496 Eadem Argentinæ per Joannem Groeninghen. volum. III. magnis. Quietif & Echard, Papebrochius in adnotationibus ad Vitam S. Antonini, aliique plures.

1503 Eadem Venetiis per Lazarum de Soardis vol. IV. in 4. in Biblioth. S. Anaſtaſiæ, & apud nos ; quæ editio ab aliis minime eſt recenſita.

1511 Eadem Lugduni recenſetur a ſolo Fabricio.

1516 Eadem Lugduni pariter vol. II. Quietif & Echard, atque Fabricius.

1520. & 1521 Eadem Lugduni per Joannem Cleyn. Quietif & Echard cum Fabricio.

1521 Eadem Pariſiis *per Magiſtrum Andream Bouchard expenſis Joannis Petit præfatæ civitati bibliopolæ* vol. IV. in 4. in Biblioth. S. Anaſtaſiæ & apud nos.

1529. & 1530 Eadem Lugduni *in officinæ Joannis Mareſchal impenſis ejus* & honeſti viri Vincentii de Portonariis, & Melchioris & Gaſparis Frefchel Bibliopol. Lugdunenſ. vol. IV. fol. in Biblioth. PP. Carmelitarum Excalceatorum, ita tamen ut pars II. exhibeat in fronte an. 1530. quarta vero pars in fine dicatur edita an. 1529. XII. Febr. aliæ vero partes I. & III. nullo anno ſignentur. Hanc autem editionem Lugdunenſem laudant Quietif & Echard, atque Fabricius tamquam anni 1529.

1541 Eadem Lugduni. Quietif & Echard cum Fabricio.

1571 Eadem *Venetiis apud Bernardum Juntam & ſocios* vol. IV. in 4. laudatur a Quietif & Echard, atque Fabricio : nos vero ſolam ſecundam partem reperire potuimus.

1582 Eadem *Venetiis apud Juntas* vol. IV. in 4. curante F. Ludovico Rubeo, qui, ut ex ejus nuncupatoria diſcimus data die 22. Octobris an. 1582. labores ſuos in S. Antonini Summa corrigenda cum Luca Antonio Junta communicavit. Hæc editio a multis laudata, a Quietif & Echard *nitidiſſima* appellata, noſtræ editioni potiſſimum uſui fuit. Illud tamen monendum, nos vidiſſe quidem omnes quattuor partes hujus editionis notatas an. 1582. at reperiſſe in non nullis exemplaribus hujus editionis partes II. & IV. ejuſdem tituli & formæ ſignatas an. 1581.

1591 Eadem Venetiis vol. IV. fol. laudata a Quietif & Echard, Fabricio, Dupinio, aliiſque ; quam nos Veronæ fruſtra quæſiviimus.

S. Antonini autographum Florentiæ apud S. Marcum Ord. Prædicat. habetur, & in ſacrario jure merito ſervatur.

II. SUMMA HISTORIALIS, ſive Chronica tribus partibus diſtincta ab orbe condito ad annum MCCCCLVIIII. prodiit.

1480 Venetiis vol. III. fol.

1484 Norimbergæ per Antonium Koberger vol. III. fol.

1491 Baſileæ per Nicolaum Refler cum emendationibus Joannis de Gradibus vol. III. fol.

1512 Pariſiis apud Nicolaum Wolfium.

1517 & 1525 Lugduni per Joannem Cleyn.

1725 Lugduni induſtria Jacobi Myt vol. III. fol.

1585. & 1586 Lugduni ex officina Juntarum cum ſcholiis Petri Maturi Soc. Jeſu vol. III. fol.

Et hujus operis authographum ſervari Florentiæ in ſacrario S. Marci dicitur a Quietif & Echard.

III. DEFECERUNT, ſive Summa Confeſſionalis, Summula de Confeſſione, Confeſſionale, Tractatus de Confeſſore, opus idem variis titulis ſignatum in Mſſ. & editionibus. Hujus operis duo papyracei codices exſtant in Muſelliana Bibliotheca, alter in folio parvo, in octavo alter. Primus hac inſcriptione prænotatur : *Incipit extractum pulchrum de Summa magna pœnitentiæ compilatum a Reverendiſs. in Chriſto patre & Domino Domino Antonio Archiepiſcopo Florentiæ Ordinis Prædicatorum S. Dominici.* Principium : *Defecerunt*, & in fine : *Explicit*

confeſſionale perutile ſatis de audientia confeſſionum in omni ſtatu & gradu, & de omni peccato mortali & veniali, & de omni caſu vel ſententia, editum a Reverendiſſimo Fr. Antonio Archiepiſcopo Florentiæ Ordinis Prædicatorum, extractum a quadam Summa magna confeſſorum. Amen τελος 1462. *die* 22. *Decembris.*

Scripto in gran preſſa, ſi che abbiate me per ſcuſſa madre reverenda, ſi el non ſta cuſſi bene, chomo a uvi piaquerebbe, perche dice el traverbio feminile, che toſto e bene non ſe conviene. Pregate Idio per me pechator.

Duo in hoc Mſ. obſervanda ſunt. Primo ab alio Mſ. & editis differt primus hujus opuſculi tractatus de Confeſſore. In alio enim Mſ. editis ſimili eadem totidem verbis continentur, quæ leguntur in tertia parte Summæ tit. 17. & ſolum capitibus 4. 5. 6. & ultimo partis ſecundæ hujus primi tractatus, quædam diſferuntur de caſibus confeſſionis iterandæ, de attritione atque contritione, quæ abſunt quidem a titulo 17. at ſatis indicantur titulo 14. partis tertiæ cap. 18. & 19. At in laudato Mſ. horum omnium compendium habetur in hoc ipſo primo tractatu de Confeſſore, unde recte *extractum de Summa magna & compilatum* a S. Antonino totum opuſculum appellatur, quum in aliis editis & Mſſ. ſolus ſecundus tractatus interrogatorium exhibens, Summæ magnæ compendium exhibeat. Deinde hoc opuſculum ab Auctore, dum intra clauſtra degeret, ſcriptum apparet. Licet enim in titulo & in fine ab amanuenſi hujus codicis deſcriptum fuerit Archiepiſcopi nomen, in ipſo tamen opere, immo & in titulo ſecundi tractatus ſolius *Fratris* nomen deſignatur, ita ut opuſculum deſcriptum agnoſcatur ex exemplari, quod Antonino nondum Archiepiſcopo exaratum fuerat. Sic autem in fine tractatus primi legitur: *Ut ego Fr. Antonius audivi a fide dignis.* Et paullo poſt in Interrogatorii, ſeu ſecundi tractatus titulo: *Incipit interrogatorium Fr. Antonii de Florentia.* Ex his autem omnibus colligi poteſt, hunc manuſcriptum codicem primam hujus opuſculi imaginem continere totam compendio excerptam e magna Summa, quam ante Archiepiſcopatum ab Auctore lucubratam ex Mainardo alibi vidimus; deinde vero Auctorem ipſum, ut videtur, intentionem mutaſſe, ut loco primi tractatus compendio excerpti, ipſum titulum 17. partis tertiæ poneret.

Mſ. alter Muſellianus nitidiſſimus hanc inſcriptionem præfert: *Incipit Summula Confeſſionis utiliſſima, in qua agitur, quomodo ſe habere debeat confeſſor erga pœnitentem in confeſſionibus audiendis, quam edidit Reverendiſſimus vir ac in Chriſto pater Dominus Fr. Antonius Archiepiſcopus Florentinus Ord. Fr. Prædicatorum.* Prope finem tractatus primi hujus opuſculi hæc leguntur, quæ hic apponenda cenſeo. *De materia omnium ſupradictarum excommunicationum tam Pontifici ſummo, quam Epiſcopis uniuſcujuſque diœceſis, tam a jure quam per extravagantes & proceſſus curiæ, vide plenius & clarius ac diffuſius, ſi vis videre, in titulo de cenſuris Eccleſiaſticis in* 4. (*lege tertia*) *parte meæ Summæ ſive compilatæ per me Fratrem Antonium Archiepiſcopum Florentinum.* Huic opuſculo alia manu non tam accurata additur alter brevis tractatus, de quo poſtea; deinde hoc legitur in fine codicis: *Explicit die* 20. *menſis Novembris* 1488. *ſub prioratu Fratris Jeronimi de Urceis in conventu.... Ordinis Fratrum Prædicatorum.* Rubricæ in utroque codice rubris caracteribus deſcriptæ fuere.

Editiones hujus opuſculi plures ſunt, hæ nobis tantum notæ: qua in re illud præmonendum videtur pleraſque hujus opuſculi editiones alios S. Antonini tractatus, de quibus poſtea, & potiſſimum tractatum de Reſtitutionibus ſubjectos habere.

Quietif & Echard editionem laudant in Bibliotheca Regia exſiſtentem in incunabulis typographiæ peractam in fol. parvo abſque anno, loco, & nomine typographi.

1472 Romæ apud Georgium Laver in 4. Quietif & Echard cum Orlandio.

1474 Venetiis impenſis Joannis de Colonia Agrippinenſis, & Joannis Manthen de Gheretzen in 4. in Biblioth. PP. Prædicat. S. Anaſtaſiæ.

1476 Norimbergæ. Orlandius pag. 142. nomine *Confeſſionalis*.

1478 Neapoli per Joannem Adam de Polonia cum litteris & inſtrumentis Nobilis Viri Nicolai Jacobi de Luciferis de Neapoli, ſumtibus vero utriuſque mutuis 1. Febr. in 4. nomine *Confeſſionalis*. P. Orlandius pag. 128. Quietif & Echard hanc editionem laudaverunt, & viderunt; ſed eam tribuunt alteri operi Italico noſtri Auctoris.

1480 Venetiis per Joannem de Colonia & Joan. Manthen Gheretzen in 4. Quietif & Echard. In Bibliotheca S. Anaſtaſiæ vidimus alia opuſcula noſtri Sancti edita ab iiſdem typographis & eodem anno in 4. ſed in eo exemplari hoc opuſculum non habetur, ut habetur in editione an. 1474.

1483 nomine *Summulæ Confeſſionis* Venetiis per Antonium de Strata Cremonenſem in 4. Orlandius pag. 39. Quietif & Echard.

1484 Memmingæ. Quietif & Echard, Papebrochius, Orlandius, aliique plures.

1484 Venetiis per Dionyſium de Beruchelis & Pelegrinum Socium. in 8. die 15. Octobris nomine *Summæ Confeſſionis*. Orlandius pag. 277.

1490 Argentinæ in 4. Quietif & Echard.
1492 Ibidem in 4. Orlandius, Quietif & Echard.
1496 Ibidem Orlandius
1499 Ibidem Quietif & Echard.
1502 Lugduni per Joannem de Wingle in 8. par. Quietif & Echard, qui raram existimant hanc editionem.
1514 Venetiis per Petrum de Gregoriis Bergomensem die quinto Decembris in 8. Hæc editio eadem continet, ac eumdem titulum præfert, ac superior Lugdunensis.
1516 Parisiis. Quietif & Echard.
1529 in fronte libri: in fine autem sic: *Impressum Venetiis sumtibus Heredum q. Nobilis Viri Domini Octaviani Scoti Modoetiensis ac sociorum anno Domini* 1530. *die* 19. *Jannuarii* in 8.
1555 Lugduni apud Theobaldum Paganum in 12. Quietif & Echard.
1564 Ibidem per Benedictum Boyerium, in 16. Quietif & Echard.
1572 Venetiis in 16. Quietif & Echard. Aliæ forte editiones hujus opusculi majori diligentia invenientur, sicuti & sequentis.

IV. INSTRUZIONE DE' SACERDOTI, ovvero Somma Antonina composta volgarmente. Hoc opusculum Italice scriptum a S. Archiepiscopo ob ignorantes instruendos, non est Italica versio superioris opusculi, ut quidam existimant, sed opus distinctum, sicuti est aliud ab eo, de quo inferius: de quibus Castellionensis Antonini familiaris meminit in Sancti Vita cap. 4. num. 31. his verbis. *Alios itidem breves libellos quosdam latinos, non nullos Hetrusco sermone conscripsit, ut sacerdotibus minus doctis aliisque personis consuleret.*

1472 Bononiæ in 4. pulchris characteribus sine nomine typographi. Hæc rariſſima editio exstat in Bibliotheca V. Cl. Comitis Ottolini Ottolinii, qui non solum delectatur insignium librorum copia, sed inter ipsos etiam versatur lectione atque meditatione fere continua, nobisque illos pro sua humanitate communicat. Hujus editionis initium placet heic appendere, cum inde operis scopus melius appareat. *Jesus. Maria. Dominicus. Prohemio. Incomenza uno tractato vulgare o sia confessionale composito per lo Reverendissimo padre Beato frate Antonino de lordine de frati predicatori arzivescovo di Fiorenza: El quale se intitola Medicina de lanima. Et e diviso in cinque parte principale. Ne la prima parte de li dieci comandamenti. Ne la seconda de li septe peccati mortali. Ne la terza de li Sacramenti de la Chiesia. Ne la quarta se tracta de le vertu exornante lanima. Ne la quinta sono poste le excomunication de la leze.* Principium. *Quia tu scientiam &c.*

1534 Venetiis cum inscriptione: *Opera composta in volgare da S. Antonino Arcivescovo Fiorentino per instruzione de' Sacerdoti.*

1546 *Vinegia per Francesco Bindoni & Mapheo Pasini compagni del Mese di Marzo* in 8.
1551 Ibidem per eosdem *del mese di Ottobrio* in 4.
1573 *Venetia appresso i Guerri* in 16. cum titulo *Somma Antonina &c. correcta & illustrata dal P. Francesco da Trevigi Carmelitano.*
1575 Ibidem per eosdem in 16.

V. Aliud opusculum Italice scriptum, unice vidi in Bibliotheca memorati Comitis Ottolini Ottolinii sine titulo, sine loco, anno, & nomine typographi, editum caracteribus Romanis in incunabulis typographiæ in 4. Sic incipit: *Omnis mortalium cura &c. Dice sancto Severino in el libro che fece della philosophica consolatione.* His autem versibus a typographo forte additis explicit:

Ne te detineat sævi fera regia ditis,
Hæc lege: quæ facili sunt modo scripta manu
Monstrantur sancto quæ sint fugienda libello:
Hoc certum est sacræ religionis opus.

Hoc opus memoratum video a P. Orlandio pag. 277. his verbis: *Summa dicta Omnis mortalium cura* Ven. 1480. per Nic. Jenson fol. & .... 1488. 4. PP. Quietif & Echard pariter hujus operis meminerunt, sed confuse. Illud autem prætereundum non est, a P. Orlandio pag. 135. laudari opus S. Antonini hoc titulo: *Interrogatorio sopra le Confessioni in 4. impress. havuta la copia di optimi exemplari a petitione di Ser Pietro Pavini da Pescia, per Ser Lorenzo Morgiani, e Gio: di Magonza. Adi xxii. di Febrajo.* Editum Florentiæ 1496. Hoc autem titulo quodnam Italicum indicetur opusculum, alii videant: neutrum enim ex memoratis interrogatorii formam exhibet.

VI. CONCLUSIONES & Decisiones in foro conscientiæ collectæ ad instantiam Fratris Dominici de Catalonia. Hoc Antonini opusculum cum quæstionibus Dominici, Lugduni typis Joannis de Wingle an. 1502. editum viderunt PP. Quietif & Echard, qui hæc scripsere Tom. 1. pag. 809. *Ordine autem retrogrado* Antoninus *ad quæstiones respondet, primo ad ultimam, tum ad penultimam, & sic deinceps ad primam usque, cui ultimo satisfacit.* Sed quum nobis contigerit hoc idem opusculum videre Venetiis editum an. 1514. ad calcem Confessionalis S. Antonini eodem titulo ac modo vulgati ac in editione memorata Lugdunensi, observavimus quidem Fr. Domicum LXIX. quæstionum decisionem ab Antonino per litteras petiisse, hunc vero ordine retrogrado illi respondisse usque ad quæstionem XLII. cui *per saltum* subdit decisionem quæstionis XXXII. deinde responsum dedisse aliis septē quæstionibus nullo numero signatis, ac tandem

dem quæſtionibus XXXVIII.XXXVII. XXXVI. & XXXV. nulla mentione facta de reliquis XXXI. Apparet hoc opuſculum ſcriptum fuiſſe ab Antonino Eugenio IV. vivente, antequam ad Florentinam cathedram aſcenderet, dum ſine libris æger balneis uteretur. Huic opuſculo alia ſubjicitur epiſtola ſcripta an. 1438. cui ſe ſic ſubſcribit Auctor: *Fr. Antonius de Florentia Vicarius*. Deinde: *Sequuntur XXI. dubia declarata per Reverend. Fratrem Anton. de Flor. Archiepiſcopum Florentiæ Ordinis fratrum Prædicatorum*. Principium tale. *Reverendiſſime pater placeat reſpondere ad dubia ſequentia*. Dubitari non poſſe videtur, quin hoc opuſculum Auctori noſtro tribuendum ſit, ſi poſtremum quæſitum vigeſimum primum excipias, in quo alia a ceteris quæſitis ratione Fr. Petrus de Arimino & Antonius de Florentia interrogati, in eamdem ſententiam reſpondiſſe traduntur, ac tandem concluditur alia quadam obſervatione *ſecundum Archiepiſcopum Florentinum*, quæ poſterior additio eſſe poteſt, ſicuti & forte additiones poſteriores ſunt allegationes Summæ, quæ in fine quam plurium deciſionum leguntur.

VII. DE RESTITUTIONIBUS. Hic tractatus totus legitur tit. 2. Partis II. Summæ, a qua extractus fuit. Solum ſeparatim editum numquam vidimus, ſed poſt Interrogatorium in pleriſque editionibus opuſculi a nobis recenſiti num. III.

VIII. DE EXCOMMUNICATIONIBUS, ſuſpenſionibus, interdictis, irregularitatibus, & pœnis. Eſt integer titulus 24. Partis III. Hunc tractatum ſeparatim editum vidimus cum alio tractatu de Sponſalibus & matrimonio extracto pariter e titulo primo Partis III. Summæ.

1474 Venetiis impenſis Joannis de Colonia Agrippinenſi & Joan. Manthen de Gheretzen in 4. in Bibliotheca S. Anaſtaſiæ.

1480 Ibidem apud eoſdem in 4. in Biblioth. eadem S. Anaſtaſiæ.

IX. DE VIRTUTIBUS. Norimbergæ apud Antonium Koburger 1472. fol. Hoc opus IV. Parti inſertum eſt.

X. DE SEPTEM SACRAMENTIS tractatus editus ſæculo XV. ſine notatione loci, anni, & typographi fol. laudatur ab Orlandio pag. 277. aliiſque. Hoc titulo fortaſſe editus eſt ſeparatim titulus 14. Partis III. Summæ.

XI. TRIALOGUS de Chriſto & duobus diſcipulis euntibus in Emmaus, in quo explicantur omnia, quæ de Vita, Morte, & Reſurrectione Domini prædicta ſunt. Editus eſt ſæculo XV. abſque notatione anni & loci. Orlandius pag. 819. Quietif & Echard. Fabricius autem laudat editionem Florentinam an. 1680. 4.

XII. SERMONES de laudibus B. Virginis ex Parte IV. Summæ tit. 7. de dono Pietatis excerptos F. Petrus Alva ſeorſim excudi curavit, ac in Tomum alterum Bibliothecæ ſuæ Marianæ intulit, ac edidit Matriti e typographia Regia 1648. fol. Nec aliud eſt commentarium Antonini in cap. 1. Lucæ a Sixto Senenſi laudatum, quam horum ſermonum pars hoc principio: *Miſſus eſt* &c. Ita Quietif & Echard. Ex Fabricio autem placet hic obſervare, in Tractatu Tractatuum, ſeu Oceano Juris Venetiis per Zilettum edito fol. occurrere tractatus Auctoris noſtri ex Summa exſtractos Tom. XIV. pag. 338. *De interdicto Eccleſiæ*. pag. 342. *De Suſpenſione*. pag. 366. *De excommunicatione*. pag. 403. *De irregularitate*; & Tom. VII. pag. 78. *De uſuris*.

XIII. Tractatus de VIDUITATE ad uxorem Laurentii Medicis Coſmi magni fratris. Mſ.

XIV. Quæſtio de ORNATU Mulierum, & quidam tractatus. Exſtat Mſ. cod. 120. Florentiæ apud Annunc. Servitarum. Ita de hiſce duobus ineditis opuſculis Quietif & Echard. In primo Mſ. Muſelliano, de quo egimus num. III. Interrogatorio inſeritur tractatus duorum foliorum hoc titulo. *Determinatio Reverendi Fratris Anthonii Archiepiſcopi Florentiæ ordinis Prædicatorum ſuper multiplices novitates veſtium & ornamentorum muliebrium*. P. Montfaucon pag. 507. Bibl. Biblioth. recenſens codices Ambroſianos Mediolani, pergamenum Mſ. memorat, ubi habetur, *De ornatu mulierum determinatio*.

XV. Tractatus varii de CASIBUS Conſcientiæ. Florentiæ Mſ. apud Servitas cod. 123. Quietif & Echard. Utrum iidem ſint, ac ii memorati num. VI. alii videant.

XVI. *Capitula Theologica S. Antonini, quorum primum de triplici militia ſcilicet clericali, ſpirituali, & laicali*. Florentiæ ad S. Marcum Arm. 3. cod. Mſ. 15. papyraceus. Quietif & Echard.

XVII. DE DECIMIS brevis tractatus exhibetur prope finem in laudato Mſ. primo Muſelliano.

XVIII. *Tractatus Archiepiſcopi de peccatis mortalibus & filiis eorum*, brevis & alia manu ſcriptus an. 1488. in codice Mſ. altero Muſelliano, de quo pariter meminimus num. III.

XIX. *Sermones de Tempore & de Sanctis* ei adſcribũtur a Simlero & Pocciantio. Princip. *Convertimini ad me*. Penes quos fides, nam nulla horum aliunde mihi notitia. Ita P. Echard, quem miror iſta ſcripſiſſe, quum eoſdem Sermones diſtincte memorent duo Auctores Antonino pene coævi Jacobus Philippus Bergomenſis, & Joannes Trithemius, qui & principium libri Sermonum de tempore exhibet.

XX. *Annotationes de donatione Conſtantini*. Coloniæ 1535. Difficile tamen exiſti-

mave-

maverim opus esse integrum Antonini: nam quæ de ea donatione habet Summæ Theologicæ Part. II. tit. 22. cap. 5. §. 16. ex Fr. Augustini de Ancona Eremitæ Augustiniani tractatu de potestate Summi Pontificis omnia excipit: & Chronici Part. I. tit. 8. cap. 2. §. 8. incertam habet hanc donationem. Ita P. Echard.

XXI. *Flos Florum opus quadragesimalium sermonum.* in 8. absque anno, loco, & nomine typographi sub nomine S. Antonini: at opus plane spurium, Antonino indignum, qui & ipsemet in his sermonibus citatur, ac proinde auctoris recensioris fœtus. Idem opus postea prodiit sub nomine nostri Gabrielis Barleta; ut hinc inferas hujus quadragesimalis auctorem admodum esse incertum. *Sermones de B. Virgine pro sabbatis quadragesimæ* ex hoc opere excerptos F. Petrus Alva in Bibliothecam suam Marianam intulit, ac Tomo II. edidit. Sic optime P. Echard Tom. I. Scriptor. Ord. Prædicat. pag. 819.

TESTIMONIA SELECTA DE S. ANTONINO ARCHIEPISCOPO FLORENTINO.

EPITAPHIUM SEPULCHRALE

Hic est ille tuus Pastor, Florentia, pro quo
Non cessas mœstas spargere rore genas.
Patribus haud priscis pietate Antonius impar,
Qui scripsit quidquid Littera sacra docet.

Pius II. Lib. II. Commentariorum.

PEr idem tempus migravit in Domino Antoninus, Ecclesiæ Florentinæ Archiepiscopus, Ordinis Prædicatorum professus, vir memoria dignus. Domuit avaritiam, conculcavit superbiam, libidinem prorsus ignoravit, potu ciboque parcissime usus est: non iræ, non invidiæ, non alteri passioni succubuit: doctrina Theologica emicuit: scripsit plura volumina, quæ docti laudant. Prædicator acceptus in populo, quamvis scelerum infectator vehemens, correxit Cleri & populi mores, lites diligenter composuit, inimicitias, quoad potuit, ex urbe pepulit, proventus Ecclesiæ inter Christi pauperes distribuit, in cognatos & affines suos (nisi admodum inopes essent) nihil contulit, vitreis ac fictilibus tantum vasis est usus: familiam, quæ parva illi fuit, modicis contentari voluit, & ad philosophiæ leges vivere. Mortuo nobile funus ex publico ductum, in domo nihil repertum est præter mulum, quo insedere solitus erat, & vilem supellectilem; cetera manus pauperum asportavere. Civitas (nec vana putanda opinio est) ad vitam illum migrare beatam putavit.

Christophorus Landinus in Apologia pro Dante & Florentinis edita an. 1481.

Ma leggete vi priego i gran volumi di Antonino, il quale per santità di vita e per grandezza di dottrina fu da Eugenio IV. (benchè molto ricusasse) proposto alla Fiorentina Chiesa. O vero pastore e degno, al quale non solo la Fiorentina, ma la Romana Chiesa fusse commessa! Nessuno ne' nostri tempi fu più assiduo nelle meditazioni, nessuno scrisse nè più cose, nè più utili, nè più dotte.

Fr. Jacobus Philippus Bergomensis Eremit. S. Augustini in supplemento Chronicarum ad Ann. Christi 1454.

Antonius Etruscus Florentinus Archiepiscopus Ordinis Prædicatorum sanctæ vitæ & morum honestate vir, & sacrorum dogmatum accurate doctus, hac tempestate ob litterarii ornamenti gloriam & sanctimoniæ præstantiam apud Italos & quam maxime Etruscos magno habitus fuit in pretio. Qui ex ingenii sui magnitudine quædam prægrandia volumina, magno sane confecta labore ac accuratissimis lucubrationibus, posteritati commendavit, quæ quidem legentibus atque audientibus magnam afferunt eruditionis voluptatem. E quibus exstat Summa magna, in quattuor partibus seu voluminibus divisa, sacerdotibus utilis & necessaria; atque libellus ad instructionem confessorum; aliique Historiarum in tribus voluminibus distincti. Scripsit præterea Sermones de tempore & de Sanctis

& alia quædam. Tandem anno ſalutis noſtræ 1459. ſexto nonas Maii deficiens non ſine magna ſanctitatis opinione, quum crebris clareret miraculis, apud ſanctum Marcum in ea urbe Florentia Ordinis ſui ſepultus fuit.

Ugolinus Verinus lib. 2. de Viris Illuſtribus Florentinis.

apud Ughellium Tom. 3. Italiæ Sacræ pag. 173.

Temporibus noſtris Antonius alter Aquinas
Moribus, exemplo, ſcripto Thomaſus habetur:
Infectos cleri mores correxit & urbis:
Commiſſumque vigil paſtor defendit ovile,
Ne lupus inſidiis caperet, vel ne improbus hoſtis
Incuſtoditas pecudes laceraret; & omni
Arte gregem morbo incolumem ſervavit ab omni:
Antoni venerãde pater, quo carmine laudes
Percurram! meritas tibi quas Florentia grates
Exſolvat? tu ſiderei nunc incola cæli
Adſis, & patriæ tolle impia ſemina belli:
Tolle famem & peſtem, & quid mortalis egeſtas
Suſtinet, ut vigeat mens recta in corpore ſano.

Joannes Tritbemius Abbas in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Antoninus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Archiepiſcopus Florentinus, natione Italus, vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & ſæcularium litterarum non ignarus, ingenio excellens, & clarus eloquio, in declamandis ſermonibus ad populum famoſus & celebris opinionis, nec minus vita & converſatione, quam ſcientia reverendus, ſcripſit multa & præclara volumina, quibus ad ædificationem militantis Eccleſiæ magnifice laboravit. Ex quibus exſtat opus magnum & celeberrimum in IV. non parvis voluminibus diviſum, quod prænotatur

Summa caſuum conſcientiæ	lib. 4. *Quam magnificata ſunt.*
Chronica ingens & notabilis	lib. 3. *Loquar propoſitiones ab.*
Inſtructorium Confeſſorum	lib. 1. *Defecerunt ſcrutantes.*
De Cenſura Eccleſiaſtica	lib. 1.
Sermones de tempore	lib. 1. *Convertimini ad Dominum.*
Sermones de Sanctis	lib. 1.

Et quædam alia. Moritur poſt multos ſtudii ſacrati labores, non ſine opinione ſanctitatis, ſub Federico Imperatore III. anno Domini 1459 Indictione VII. ſexto nonas Maii, ſepultus apud S. Marcum ſui Ordinis conventum.

Summarium Proceſſuum impreſſum anno 1519. laudatum in Bulla Canonizationis apud Papebrochium Tom. I. Maii pag. 335.

Manifeſtiſſime apparet, qualiter univerſaliter evaſerit doctus, etiam in ſacra Theologia & Juriſperitia, & adeo quod inter Doctores Eccleſiæ ſcripſerit tot & tanta, ita fideliter & tam diligenter, quod in pretio habeantur a cunctis: quod eveniſſe fatendum eſt, & quia diligentiſſimus fuit, ac tempus minime conterens, quod ſapientiſſime dividebat, numquam otioſus exiſtens, & quia totus Deo devotus erat. Unde vere concludi poteſt, quod pro majori parte hujus præclariſſimi viri ſana, catholica, vera, & famoſiſſima doctrina fuerit deſuper illi ex divino dono infuſa, licet etiam aliqualiter acquiſita, quod eſt inter miracula computandum.

Adrianus VI. quum Antonini canonizationem perageret, inter miſſarum ſolemnia hanc Orationem decantavit.

Ex Bulla Canonizationis.

Gregem tuum quæſumus, Paſtor æterne, cuſtodi, & quos B. Præſulis Antonini, a te virginitatis & pietatis ſpeciali prærogativa dotati, doctrina ſalutis illuſtras, ejuſdem etiam ſemper tuere præſidiis. Per Dominum.

Clemens VII. in Bulla Canonizationis.

Horas fere omnes diei ac noctis ad arcana Dei contemplanda, ac verbum ejus evangelizandum, & ea ſcribendum, quæ ad communem utilitatem & Chriſtianam religionem pertinent, ſedulo ac jugiter impendebat, non ſolum viva voce prædicando tunc viventibus, ſed & poſteris plurima librorum optimorum, tum in ſacris litteris, tum in naturalibus, tum maxime in moralibus ſcientiis monumenta utiliſſima relinquendo, prodeſſe ſtuduerat.

Vincentius Mainardus Geminianenſis Procurator Ordinis Prædicatorum.

ex Vita S. Antonini juſſu Clementis VII. lucubrata, & ab eodem Pontifice peculiaribus litteris in Brevis formam ſcriptis approbata apud Surium Tom. III. pag. 32.

Conſcribendis, quos nobis tanta omnium ordinum atque adeo totius Orbis utilitate reliquit, libris incumbebat: de quibus, quoniam latius cogniti ſunt, quam ut neceſſe ſit a me nunc aliquid dici longius, verba non faciam. Illud certe poſſe mihi videor affirmare, ſcripſiſſe multos acutius, nullum Antonino utilius ſua ſcripta digeſſiſſe. Quis enim (obſecro) eſt, qui ſe in ejus libris velut in ſpeculo non perſpiciat, ad quod ſui vultus, ideſt, animæ lapſus & vitia non emendet? Quis tam ſublimi ingenio, quis tam obtuſa acie, ut non poſſit uterque pro ſuo captu ſatur abire? Monet ut nemo alius, delectat ut quivis, docet ut alium non deſideres. Nuſquam levis, ſemper tutus, ubique incorruptus, & ne ſuis quidem, ſicubi labuntur, parcens.

Idem

Idem ibidem pag. 43.

Scripta illius, quod a veritate non cadant, fidem faciunt tam frugifera, tam omnibus expetita, ut jam nullo in pretio bibliotheca quantumvis nobilis habeatur, quæ Antonini vigilias non habuerit: nullus, quantamcumque congeriem librorum acervarit, patet ſe aliquid abſque illius lucubrationibus poſſidere.

Vincentius Borghinius

in opere Italice inſcripto *Della Chieſa e Veſcovi Fiorentini*.

Al morto Arciveſcovo di Firenze ſucceſſe quel tanto dotto e tanto ſanto, e che tanto ha ſcritto, Antonino de' Predicatori, chiamato fra Dottori Scolaſtici l' Arciveſcovo.

Michael Poſciantus Ord. Servorum B. Mariæ

in Catalogo Scriptorum Florentinorum.

Sed omnia hæc (opera S. Antonini ab eodem enumerata) volumina quattuor, quæ *Summa Summarum* intitulatur. In his enim quidquid ad conſiderationem ſpeculationemque ſacræ Theologiæ, quidquid ad nobiliſſimarum virtutum acquiſitionem, quidquid denique ad bene beateque vivendi uſum pertinere videtur, dilucide ſapienterque ſcriptum eſt: nihil ibi prætermiſſum, nihil obſcure, nihil conciſe mutilateque dictum reperitur.

Martyrologium Romanum die II. Maii.

Florentiæ S. Antonini Epiſcopi, Ordinis Prædicatorum, ſanctitate ac doctrina celebris.

Petrus Angelius apud Papebrochium Tom. I. Maii pag. 356.

Scripta pie ſancteque Patrum patefecit, & omnem
Vivendi docuit cum ratione modum.

Hieronymus Piati Soc. Jeſu

in opere Italice inſcripto *Del bene dello ſtato de' Religioſi* lib. 2. §. 29.

Antonino dall' iſteſſo Eugenio forzato a prendere la catedra di Firenze, non dimoſtrò minor pietà e prattica in governare, di quel che moſtraſſe erudizione e dottrina ne' libri, che ſcriſſe... Della prudenza ſua non occorre che noi favelliamo: avvegnachè in iſtato privato era nelle coſe dubbioſe a tutti come un oracolo, nè ſolamente a cittadini, ma agli ſtranieri ancora.

Antonius Poſſevinus Soc. Jeſu

in Apparatu ſacro verb. *Antoninus*.

Vir ſanctitate & doctrina inſignis... ſcripſit plura, & quidem cum laude, uti cum labore, ſi tum argumentum, tum ſæculi illius minus limati ſtatum cogitemus; quæ multis præbuere occaſionem ſua ſcripta ditandi, & ex ejus laboribus illuſtrandi.

Cardinalis Robertus Bellarminus Soc. Jeſu

in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Sanctus Antoninus, patria Florentinus, Ord. Prædicatorum, ac poſtea Florentiæ Archiepiſcopus, vir doctiſſimus & ſanctiſſimus.

Ferdinandus Ughellius Abbas

Tom. 3. Italiæ Sacræ.

Hujus itaque (ſcilicet Joannis Dominici præceptoris S.R.E.Cardinalis præſtantiſſimi) quum Antoninus tum pietatis tum doctrinæ lac abunde ſuxiſſet, eos deinde in omni doctrinarum genere protulit fructus, quos vix ingentia ab eo ſcripta volumina continere poſſe videntur: ejuſque exiſtimationis fuit apud mortales, ut per Archiepiſcopum apud Scriptores unus Sanctus Antoninus intelligatur.

Jacobus Gaddius

de Scriptoribus non Eccleſiaſticis.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus ... inſignis Theologus omnem Theologiam fuit complexus quattuor voluminibus egregiis, quorum titulus eſt, *Summa Summarum*: & alia opera ad Eccleſiaſticam ſpectantia ſcripſit.

Breviarium Romanum Lect. iii. die x. Maii.

Poſt multos labores, multis etiam editis inſignis doctrinæ libris..., mortem lætus aſpexit.

Joannes Cabaſſutius

in Juris Canonici Theoria & Praxi lib. III. cap. XXIX.

Conſultius eſſe duco lumen mutuari a duobus eruditiſſimis, ſapientiſſimis, & publica totius Eccleſiæ veneratione celebratiſſimis doctoribus, Sancto Thoma, & qui hunc ipſum allegat & ſequitur ducem, Sancto Antonino Archiepiſcopo Florentino.

Ignatius Hiacynthus Amat de Graveſon

in Hiſtoria Eccleſiaſtica Sæc. XV. Colloquio V.

Summam doctrinalem quattuor in partes diſtributam compoſuit, quæ tutiſſimam ſalutis viam docet, & ad bene informandos Fidelium mores, dirimendoſque conſcientiæ caſus ſaluberrima ſuppeditat documenta, quæ omnibus animarum rectoribus prorſus neceſſaria ſunt.

NOI RIFORMATORI DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto dalla Fede di Reviſione, e Approvazione del P. *Frà Lauro Maria Picinelli Inquiſitore di Verona*, nel libro intitolato: *S. Antonini Archiepiſcopi Florentini Ordinis Prædicatorum Summa Theologica in quattuor partes diſtributa, poſterioribus Conciliorum, præſertim Tridentini, ac Pontificum Romanorum Decretis, aliiſque Obſervationibus &c. Prælectionibus illuſtrata, Vita Auctoris &c. aucta*, non v' eſſere cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente dall' Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza ad *Agoſtino Carattoni Stampator di Verona*, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite Copie alle pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 4. Giugno 1742.

Alviſe Mocenigo Proc. Rif.
Zuane Querini Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a C. 37.

Agoſtino Bianchi Seg.

SAN-

SANCTI
ANTONINI
SUMMÆ THEOLOGICÆ
PARS I.

PRÆLECTIONES
IN PRIMAM PARTEM
SUMMÆ THEOLOGICÆ
S. ANTONINI
PRÆLECTIO I.
DE PRINCIPIIS
DECIDENDORUM CASUUM CONSCIENTIÆ ANTIQUIS ET RECENTIORIBUS,

Quæ ſcilicet S. Antoninus cum antiquis adhibuit, quæque his contraria invexerunt Probabiliſtæ: unde ille in Probabiliſtarum numerum perperam a non nullis adſcriptus demonſtretur.

§. I.

Quantum interſit in his principiis non errare. Principia falſa in propoſitionibus damnatis.

Decidendi periculum & difficultas in dubiis moralibus.

1. INter moralis Theologi & Confeſſarii dotes illa, quæ idoneam ejuſdem ſcientiam requirit, præcipuum locum ſibi vindicat. Inter hujus autem ſcientiæ partes ea ſane, quæ in controverſis opinionibus dubiiſque caſibus definiendis verſatur, majorem difficultatem, majuſque periculum affert. *Quoties confeſſor ſe ingerit ad confeſſiones audiendas, toties ſe offert ad reſpondendum de quolibet, & interdum de caſibus inopinatis, & alias inauditis, & de quæſtionibus perplexis valde.* Antonini verba ſunt; quibus difficultas exprimitur: periculum autem demonſtrant, quæ ſubjicit paullo poſt: *Quia ſi Confeſſor judicat licitum, quod eſt illicitum, tam Confeſſor quam pœnitens in foveam cadunt* &c. quibus ſimilia ex S. Bernardino Senenſi ibidem adnotat. 1. recitavimus.

part. 3. pag. 963. c.

Decidendi principia quam caute eligenda.

2. Quum porro in deciſionem caſuum conſcientiæ principia decidendi maxime conferant, videndum eſt etiam atque etiam, ne in principiis erremus: qui enim in his errant, in deciſione pariter caſuum eos errare neceſſe eſt. Quod ſi hæc principia apud omnes certa eſſent & una, etſi adhuc metuendum nonnihil eſſet, nequis error in uſu ipſorum obreperet; minus tamen laborandum videretur. At quo maximis premamur anguſtiis, alii alia principia totoque cælo diſcrepantia inculcant. Quidam nimium rigidi ſolam evidentem veritatem approbantes, ubi res evidens non ſit, tutiorem ſemper partem eligendam deprædicant, nullamque eo caſu mitiorem opinionem, nullam probabilitatem, neque ſi maxima ſit, cui nonniſi levis & ſcrupuloſa ſententia opponatur, ſequi nos poſſe contendunt. Hinc illa propoſitio: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*. Sed eadem ab omnium antiquorum doctrina ac moribus aliena per decretum Alexandri VIII. de medio ſublata eſt.

Falſa principia, & damnatæ propoſitiones.

Nimii rigoris propoſitio.

3. Quum vero proniores fere ſint homines ad indulgentiam, quam ad rigorem; plures principiis laxioribus uſi ſunt, & plures item propoſitiones laxa principia ingerentes damnatæ inveniuntur. Non nulli probabilitatem quamtumvis tenuem tutam decidendi regulam propoſuerunt, ita ut *generatim, dum probabilitate intrinſeca ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, conſiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agere* pronuntiarint. Ad probabilitatem etiam, quæ mores tute dirigat, unum Auctorem ſufficere, eumdemque juniorem, qui unus contra communem veterum ſententiam aliquid licere docuerit, non defuerunt, qui traderent hac propoſitione: *Si liber ſit alicujus junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tamquam improbabilem*. At utræque hæ propoſitiones jure fuerunt proſcriptæ, altera ab Innocentio XI. n. 3. altera ab Alexandro VII. n. 27. Utinam tamen radicibus præciſis ſublatæ eſſent pariter complures opiniones laxæ, quæ vel unum & modernum auctorem primo habuere, vel e tenuis probabilitatis principio duxerunt originem. At quando tam malis licet ex principiis natæ, permultos, qui hæc principia olim nondum proſcripta ſequebantur, invenere patronos, a quibus uti probabiles ex unius junioris auctoritate, aut ex

Propoſitiones facilitatis nimiæ.

pro-

probabilitate tenui ſuſceptæ fuerunt; a pleriſque non radicem malam, ſed tot patronorum ſuffragia ſpectantibus, tamquã vere probabiles hodie adhuc circumferuntur, &, quod pejus eſt, uſurpantur in praxi; neque cogitatur, illas non alia ratione tot auctorum calculos obtinuiſſe, niſi quod ea principia olim tuta haberentur: quod poſteriores nequaquam obſervantes, calculis calculos addidere. Cautio itaque in hoc magna adhibenda eſt, ne cui damnata principia fugienda cognoſcuntur, propoſitiones, quæ ex mala arbore progenitæ, bonæ eſſe non poſſunt, inconſideranter obrepant. Sed hæc obiter. Non nulli vero probabilitatem gravem ſolummodo adprobantes hanc tutam morum regulam ubique traduxerunt, etiamſi agatur de ſacramentorum miniſtro, de infideli, de judice, uti traditur his tribus propoſitionibus recitatis in Decreto Innocentii XI. Propoſ. 1. *Non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione baptiſmi, ordinis ſacerdotalis aut Epiſcopalis.* Prop. 2. *Probabiliter exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Prop. 4. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.*

§. II.

Novæ probabilitatis principium exponitur. Ratio decidendi apud veteres. Certum principium apud ipſos ad licite agendum moralem certitudinem requiri, hodie a Probabiliſtis ipſis conceſſum. Status quæſtionis conſtituitur.

Principia probabilitatis.

4. SEd his propoſitionibus ab Apoſtolica Sede proſcriptis alii non deſunt, qui, his damnatis principiis & caſibus excluſis, licere defendunt decidere pro quavis benigna ſententia probabili, dum hæc gravibus vel rationibus, vel auctoribus, aut utriſque innitatur; idque tute licere judicant, etiamſi contraria tutior opinio magis probabilis ſit, ideſt rationibus & auctoribus gravioribus fulciatur, ac fulciri judicetur. Immo ſunt qui præterea tradunt, licere adhuc illam benigniorem ſententiam ſequi, ſi a ratione graviſſimis auctoribus fulta non ſolum minus probabilis, ſed falſa etiam videatur, dum ex aliorum auctoritate poſſit judicari probabilis: quod tamen judicandũ fere ſemper eſſe inculcant, tum ne quis ſuo judicio nimium tribuat, tum ne ex ſuo judicio aliis laqueum injiciat. Hoc principio qui utuntur, facile ſe ſe a quibuſque difficilioribus caſibus ac controverſiis expediunt: ſatis enim ipſis eſt, varios auctores conſulere, & aliquos graves invenire (graves autem pleroſque ac fere omnes exiſtimant) qui benignam opinionem defendant, ut illam tamquam probabilem traducere poſſint ad praxim, quæcumque magis probabiles & auctoritates & rationes ex oppoſito objectæ, eamdem minus probabilem, aut etiam falſam ſuadeant. In tanta porro auctorum eorumque benigniorum copia reperire aliquos, qui benigniores opiniones fere in omnibus caſibus propugnent, ſi non uti veras, ſaltem uti probabiles (id enim quoque eodem principio ad tute agendum ſatis eſſe defenditur) perfacile eſt.

5. Principium hujuſmodi, quod *probabilitatis* appellant, favet ſane plurimum infirmitati hominum; nec ab eodem eſſet ulla ratione diſcedendum, ſi verum eſſet, & ab antiquis receptum ac probatum inveniretur. Ejus quidem principii defenſores non nulla veterum teſtimonia, ubi *probabilis* mentio, aut aliæ formulæ eodem pertinentes recurrant, colligere ſtuduerunt, ut antiquos non aliud principium ſequutos oſtendant: & inter ceteros, quos allegant e veteribus, Antoninum potiſſimum inculcant, ut hoc clypeo muniti, ſe ſe a quibuſque telis tutiſſime protegant. Itaque quum hoc cognoſcere atque ſtatuere tantum interſit, quantum intereſt in principiis maximi uſus nequaquam errare: principia decidendi, quibus uſus eſt Antoninus, juvat diligenter inquirere, accurateque demonſtrare. Id autem ut ex æquo præſtarem, totum in hanc editionem parandam Auctorem legens, ſingula loca notavi, ubi inter controverſas opiniones ancipiteſve caſus ſententiam dicens, principia indicat, quibus ad ſententiam eligendam ductus agnoſcitur, eaque diligenter proponere hujus prælectionis officium erit. Quum porro Antoninus antiquorum ſemper veſtigiis inſtiterit (ut in Præfatione fuſius innuimus) eorumque recitet plerumque deciſiones, quæ magis placuerunt, citius quam ſuas, ibique principia decidendi ab aliis veteribus tum Theologis, tum Canoniſtis adhibita frequenter memorentur: in cognoſcendo de Antonini principiis, de principiis quoque quamplurium antiquorum eodem duce cognoſcemus; quod non inutile fuerit exponere: ſic enim antiqua perſpicientur principia, quibuſcum collata *probabilitas*, uti a recentioribus explicatur, vetus ne ac tutum principium ea ſit, an novum ac meticuloſum luculenter conſtabit.

Cur de hoc principio a nobis agendum.

Ratio decidendorum caſuum apud veteres qua fuerit.

6. Quum apud veteres nullæ editæ eſſent Summæ morales, nulli Theologici libri, quibus pleræque contrariæ opiniones in rem moralem inductæ & editæ ſunt; ſoli practici quidam caſus dubitationem afferebant, de quibus nullæ Auctorum allegari poterant ſententiæ, unde tolleretur (vel ſi contrariæ eſſent) *augeretur potius dubitatio. In iis autem caſibus paſtores populi, a quibus ejuſmodi dubitationum petebatur declaratio, maxima circumſpectione ac prudentia uſi, quidquid poſt diligens examen verius ac probabilius videbatur, id reſpondebant, conſulebantque, ut fit in rebus ceteris, in quibus prudens & ſanum judicium requiritur.

** Vide Antoninum part. 1. tit. 4. c. 8. §. 3. pag. 276. b.*

tur. Si vero ob implicatam ancipitemque casus naturam, nihil utrinque persuaderi & judicari probabilius poterat; casus habebatur dubius, in quo tutiorem partem eligendam præcipiebant, cavendumque a periculo peccandi, ut ipsi canones clamitant. Non aliam definiendorum casuum regulam apud antiquos invenire licet; nec aliam Theologi item & Canonistæ veteres, & cum his Antoninus secuti sunt. Licet enim per istos varii editi fuerint libri, in quibus variæ opiniones quibusdam in casibus defendi & audiri cœperunt, in decidendo tamen inter ejusmodi controversas sententias eamdem omnes institerunt viam, iisdemque priscorum Patrum & pastorum principiis omnes ducti inveniuntur, ut ex iis, quæ ex Antonino allegabo, exploratum fiet.

Morali certitudo ad licite agendum requisita. Part. 1. pag. 103. c.

7. Ad licite agendum *moralem* certitudinem, quæ dubium omne prudens excludat, omnino requiri non uno loco Auctor tradit, ac præsertim part. 1. tit. 3. c. 10. §. ult. in fine. Plura in id afferre opus non est, quum omnes etiam Probabilistæ, certis & sacræ auctoritatis & rationis evidentissimæ argumentis victi, id jam ultro fateantur cum P. Sanchez in decalogo l. 6. c. 3. *Omnimoda certitudo de rebus moralibus haberi nequit, & ad eam Deus non obligavit, sed ad operandum cum morali certitudine*, quæ scilicet saltem requiritur, ut operemur *ex fide*: nam *omne, quod non est ex fide, peccatum est*, inquit Apostolis ad Rom. 14. ubi *ex fide* a S. Bernardo aliisque redditur *ex conscientia*, idest conscientia seu persuasione indubitata ac certa, qualis, servata propositione, in rebus ad fidem pertinentibus requiritur, quamque *firmam credulitatem* S. Antoninus vocat part. 3. tit. 1. c. 3. §. 2. qua nimirum, ut quis e. gr. a jejunio excusetur ratione laboris, *debet se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio*, ut colligitur ex decreto Alexandri VII. damnantis propos. 30. vel qua exsecutor Apostolicarum dispensationum in expendendis causis, ob quas dispensatio data fuit, *hujusmodi probationum genere* assici debet, *quo de illarum (causarum) veritate moraliter certus reddatur*, atque ita solum *Apostolicæ litteræ .... sine ulla hæsitatione ad debitam exsecutionem deduci possint*, ut in Bulla Benedicti XIV. diei 25. Feb. an. 1741. palam declaratur: quæ duo Ecclesiastica documenta ad moralis certitudinis naturam simul ac necessitatem demonstrandam mirifice conferunt; hæc enim sola prudens dubium excludit, in quo prudenter & licite agi non posse ipsi Probabilistæ consentiunt. Alia fusius persequitur Dissertator a nobis impugnatus, qui licet Probabilista, hujus tamen moralis certitudinis necessitatem optime statuit. Integrum ejus testimonium & argumenta recitavimus epist. 2. adversus eumdem c. 1. Hoc porro inter omnes certo atque constante, in eo nunc sola vertitur quæstio, num in qualibet opinione probabili, quæ alia opinione item probabili, sive æqualibus sive majoribus argumentis impugnetur, ejusmodi certitudo haberi queat. Id contendunt Probabilistæ. Quid vero cum veteribus senserit Antoninus, nobis fuse explicandum est, ut ne tamen deinde omissuri simus quæ a Probabilistis post Auctoris mortem enatis excogitata fuerunt: id enim quoque, ne quid difficultatis supersit, ad perfectam hujus controversiæ cognitionem exponendum intelligo. Itaque in duas partes hæc Prælectio dividetur, quarum prima Auctoris ac veterum, altera Probabilistarum principia exhibebit, quæ etsi posterius inventa, satis ex ejusdem ac veterum principiis rejecta cognoscentur. Alia deinde Prælectione ipsius Ecclesiæ doctrinam ac veluti sententiam inter hæc principia subjiciendam credidimus, quam quum pro antiquis Auctoris principiis omnino stare invenies, ad hanc maximi usus ac necessitatis quæstionem dissolvendam nihil desiderabis.

Part. 3. pag. 28. c.

Etiam a Probabilistis.

Status quæstionis.

PARS I.

S. ANTONINI PRINCIPIA EXPONUNTUR.

§. III.

Quibus principiis Auctor usus sit inter duas opiniones contrarias æque vel fere æque probabiles.

Benigna opinio æque, vel fere æque probabilis ac ejus contraria dubium parere, & dubia, non autem probabilis ab Antonino habita.

8. INter rationes contrariarum opinionum æque vel fere æque probabiles dubium enasci Auctor constanter affirmat. In prima parte tit. 3. c. 10. §. 10. eam **proprie & stricte dictam dubitationem vocat, videlicet prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem.* Dubitandum autem in hoc casu esse prudenter totus contextus suadet: nam solam dubitationem scrupulosam ac levem, †*si dubitet leviter quis per modum scrupuli*, abjici & contemni, & contra *tale dubium* operari posse, unice tradit. Similiter tit. 20. cap. unic. §. 16. *dubium probabile a dubio scrupuloso* distinguens, illud tum haberi ait, *quum scilicet rationes sunt ad utramque partem quasi æquales*; istud *autem, ubi scilicet ex levi suspicione timet quis esse in aliquo actu peccatum*: & istud unum, non vero illud deponendum expresse affirmat. Integrum testimonium num. sequenti recitabitur. Parte secunda tit. 2. c. 4. §. 1. rem quamdam affirmat dubiam *in foro conscientiæ, quia rationes sunt ad utramque partem.* Et in tertia parte tit. 14. c. 19. §. 8. *dubium probabile* adstruit, *quod habet rationem non magis ad unam partem, quam ad aliam*, & addit: *Hoc est proprie dubitare: secus est de dubio scrupuli.* Tandem pluribus in locis, quorum præcipua paragrapho sequenti indicabuntur, definiturus inter controversas sententias, si nulla ipsi persuaderetur ob vim rationum utriusque partis æque vel fere æque probabilium, *dubiam* rē esse pronuntiavit,

**Part. 1. pag. 198. b.*

†*ibid. c. pag. 857. a.*

Part. 2. pag. 382. a.

pag. 784. b.

vit, a qua se se expedire non posset.

Tutior in dicto casu est eligenda.

9. Neque vero iis in casibus *speculativã* tantum dubitationem admisit, sed etiam *practicam*; siquidem in praxi eam ob dubitationem, non alterutram probabilem, etiam benignam ac minus tutam opinionem, de qua una dubium est, utrum sit licita, sequi nos posse; at solam tutiorem, quæ est certo licita, omnino sequendam ubique docet: hæc enim una via ab antiquis est cognita, ut in ejusmodi dubiis, quæ alteram partem tutam habent, praxis certo tuteque dirigatur. Præiverunt his canones, qui *in dubiis tutiorem semitam eligendam* sanxerunt; canones vero id sumsere a traditione Patrum & a ratione ipsa, quæ dubium & grave seu probabile peccandi periculum sub gravi culpa vitandum præcipit: grave autem & probabile periculum imminet ea in re, quam probabilibus gravibusque argumentis illicitam esse dubitamus. *Hinc est*, inquit S. Antoninus parte 1. tit. 3. c. 10. §. 10. *quod Thomas & alii dicunt, quod ille qui agit id, de quo est dubium, utrum sit mortale, vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis*. Licet enim probabile sit, illud non esse peccatum; cum tamen simul probabile judicetur esse peccatum; dubium inde probabile, & periculum item probabile peccandi enascitur, cui se se exponit temere, qui ei parti, in qua tantum periculum agnoscitur, nulla superveniente ratione, quæ dubium prudenter tollat, se se committit. Unde Auctor sequitur: *Quum ergo in aliqua materia morali sunt variæ & contrariæ opiniones; ille qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio*: & mox explicat de dubio proprio atque probabili ex æqualitate rationum ad utramque partem, quod prudenter deponi nequit; solam enim scrupulosam dubitationem ex levibus conjecturis, queis scrupulosi agitantur, deponi posse insinuat. In eamdem sententiam tit. 20. explicaturus illam canonum regulam: *In dubiis tutior via est eligenda*. *Nota*, inquit, *quod est dubium probabile, & est dubium scrupulosum. De probabili hic loquitur; cum scilicet rationes sunt ad utramque partem quasi æquales, & peccatum grave est se exponere tali dubio, ubi est mortale. Est aliud scrupulosum, ubi scilicet ex levi suspicione timet quis esse in aliquo actu peccatum, ubi non est; & istud ad consilium boni viri est deponendum*. Similiter tit. 9. c. 1. §. 3. inter regulas discernendi peccata mortalia hanc decimo loco statuit: *Decima regula. Exponere se periculo mortalis peccati est peccatum mortale: vel sic agere incertum, & dimittere certum, quod sit mortale, non per conjecturas leves, aut ex suspicione trepida & scrupulosa proveniente ex nimio timore cadendi in via Dei, est mortale; sed intelligitur, dum tale est vehementer & probabiliter incertum æque sicut oppositum vel magis; tunc enim illud, quod agitur, non carebit mortali culpa: aliter non oportet*. Vides constanter solum scrupulosum dubium excipi, non autem probabile, in quo tutiorem partem ita eligendam tradit, ut minus tutam benignamque, tametsi probabilem, sententiam homines sequi sine gravi culpa non posse affirmet.

Part. 1. pag. 198. b.

pag. 857. a.

pag. 571. a.

Idem constanter eruitur ex non nullis practicis Auctoris decisionibus.

10. Neque in decisionibus casuum particularium a regula tot locis inculcata quicquam discessit. Quum hoc tempore casus proponuntur, certa fere solutio afferri solet; turpeque plerisque videtur, si casum difficilem fateantur, in quo dubitare se indicent, nec posse in partem alteram definire. Id corruptioni nostrorum temporum, occultæque istiusmodi Theologorum superbiæ vertendum est, qua se homines, idest ignorantes, in multis cognoscere, & profiteri nolunt: & idcirco subitis definitionibus in incertum prolatis, quæ prudentiores movere solent, nihil verentur, ne identidem dicant *malum bonum, & bonum malum*, quod Scriptura maxime exsecratur; nec intelligunt, se hac ratione ingentia & insanabilia sæpe vulnera doctrinæ morum inferre, quæ si alii cautiores curare velint, ab iis, quibus hæ subitæ responsiones arridenti, velut scrupulosi, vel nimium rigidi traducuntur. Contraria vero Sanctorum Patrum, omniumque vere doctorum hominum praxis semper fuit, qui quum non ignorarunt in humana vita multa difficiliora incidere, quæ hominibus quamtumvis doctis incerta sunt; tum vero magnæ temeritatis esse definierunt, de re incerta certo pronuntiare, ut S. Hieronymus, S. Gregorius, & S. Bernardus inter ceteros observarunt. Hinc quum in praxi casus ejusmodi proponerentur; spatium sumebant ad cogitandum, ut in ceteris humani levioribus quoque rebus vel hodie fieri mos est; & si nihil certum adhuc invenirent, cognoscentes cum [1]S. Gregorio, *quia in rebus ambiguis absolutum* [2] *non debet esse judicium*, rem incertam & dubiam relinquere ac fateri non verebantur, inquientes, ut in re simili quondam dixit S. Bernardus: *Neque enim possum, unde certus non sum, certam proferre sententiam*; vel, ut S. Thomas: *In his enim quæ dubia sunt, non est de facili præstandus assensus*: nam *omnis quæstio, in qua de peccato mortali agitur, nisi expresse* (nota definitionis conditionem) *veritas habeatur*, [3] *periculose*

Contraria non nullorum praxis reprehensa, qui semper definiunt, & dubitare turpe credunt.

Antiquorum hac in re principia & praxis Antonino conformis.

Hier. in Epist. ad Philemon. pag. 451. Greg. ad Constant. Mediolan. l. 8. epist. 30. Bern. in Cant. serm. 17. n. 4.

1

2

Epist. 8. ad Brunonem.

Quodlib. 3. art. 3.

Quodlib. 9. q. 7. art. 15.

3

1 Hunc locum allegat S. Antoninus part. 2. tit. 5. c. 10. §. 2. p. 704. b. ubi hanc praxim pluribus statuit.

2 Sic in humanis item judiciis judices quoque Ethnici difficiliores causas dimittere solebant indefinitas ea antiqua formula: *Non liquet*: quam pro casibus conscientiæ adhibere quisque posset. uti sane in illis familiaris fuit Alexandro VII, quum auditis pro praxi quoque propria Theologorum, & Canonistarum consiliis, nullum satis convincens inveniret, quemadmodum Cardinalis Pallavicinus in Ms. vita illius narrat lib. 3. c. 4.

3 Hunc S. Thomæ locum sæpe allegans Antoninus, quum de difficili quæstione agitur, rem indecisam relinquere maluit, quam tantum periculum determinando subire. Vide inter cetera part. 2. tit 3. c. 5. §. 4. pag. 472. d.

loſe determinatur. In quo ne pro praxi res haberetur incerta, tutiorem interim partem, quoad certius pateat, ſequendam, & a minus tuta ſuperſedendum reſpondebant: *Quid enim opus eſt in tantum diſcrimen ambiguitatis caput mittere?* uti in caſu ſimiliter dubio præcepit Auguſtinus, qui definiendi temeritatem pluribus in locis reprobavit. Plures antiquos ejuſmodi caſus afferre poſſem, quibus conſtans hæc praxis luculenter demonſtretur. Sed ne nimium digrediar, hæc innuiſſe ſuffecerit. Solum omittendum non videtur, ex hac antiquorum cautione manaſſe, ut ad ejuſmodi temeritatem vitandam difficiliora dubia referrentur ad [4] Epiſcopos, ad [5] Concilia, & præſertim ad [6] Summum Pontificem (ut olim quoque [7] Hebræis mandatum fuerat) a quibus Eccleſiaſtica & tuta haberetur definitio: unde nonnullæ Epiſcoporum litteræ, canones Conciliorum plures, & permultæ decretales Summorum Pontificum adhuc ſuperſunt, in quibus caſus perdifficiles definiuntur, vel referendi præcipiuntur. Ne hæc utiliſſima diſciplina in antiquo flore perſeveret hoc tempore, recentiorum quorumdam præſumtio Theologorum effecit, qui nulla de re ambigentes, hiſce definitionibus non indigent. Sed horum morem Romana Eccleſia nec probavit umquam, nec probat: quæ propterea ſacras Congregationes inſtituit, ad quas dubia decidenda referantur, Epiſcopoſque, ut referant quæ difficiliora contingunt, noviſſime etiam monitos voluit. Quod ſi ipſæ quandoque Congregationes inter varias propoſitas quæſtiones nonnulla *differunt*, quæ *differendi* formula ex ipſarum Congregationum ſtilo quæſtionem adhuc *dubiam* ſine certa reſponſione dimiſſam indicat; nonnumquam vero in ejuſmodi dubiis tutius ad cautelam præſcribunt, quippe quod tutiorem partem in dubiis pro praxi ſequendam conſtantes & certiſſimæ earumdum Congregationum regulæ produnt, ut Prælect. II. §. 2. oſtendemus: hæc omnia ex antiquo Eccleſiaſtico more dimanant, quo & nonnulla ſemper dubia fuerunt, quæ prudenter definiri nec poſſunt, nec debent; & in hiſce dubiis dubia praxis non fuit, quæ tutiorem partem a periculo expeditam habuit. [8] Si Romanæ Congregationes, ipſique Summi Pontifices ita ſe gerunt, uti ſe & docti & Sancti ſemper geſſere; quid privatis eſſet agendum, niſi ſe illis omnibus doctiores & prudentiores habere velint. Hæc non tam ad coercenda audaciora quædam ingenia, quam ad vindicandum Antoninum in nonnullis caſibus ambigentem, & ad tutiora declinantem prænotanda fuerunt. Inſigniora ipſius loca jam ſubjicio.

De fid. & oper. c. 19.

Inſtruct. pro viſit. ad limina in Append. Concilii Rom. an. 1725.

Practica Auctoris deciſiones

11. Itaque part. 2. tit. 1. c. 8. §. 13. caſu quodam propoſito, in quo ex una parte Innocentius & Joannes Andreas pro illicito ſtabant, ex altera Hoſtienſis & Joannes de Lignano pro licito, cum utriuſque partis argumentis premeretur, ut dubitationem prudenter deponere non poſſet, his verbis concluſit: *Quia ergo dubium, tene certum, & dimitte incertum*. Sequenti autem paragrapho inducit Innocentium ſimiliter reſpondentem, a quadam emtione, de qua probabilis erat hinc & hinc Auctorum diſputatio, *abſtinendum uti dubia, utrum ſit licita*. Ipſe autem allatis ex Ulrico argumentis pro benigna ſententia, adhuc dubius in fine ejuſdem paragraphi ſic concludit cum Guillelmo: *Quod iſte aſſerit licitum contractum, non videtur clarum, ſed dubium, & ideo cavendum*. Rurſum tit. 3. c. 5. §. 4. poſita controverſia, in qua pro benigna ſententia multa adducuntur, concludere non veretur: *Mihi adhuc remanet materia dubia, & ideo cavendum* ab ea ſcilicet benigna ſententia, ac tutiori interim adhærendum. Pari ratione in tertia parte tit 8. c. 4. §. 1. in quæſtione quadam celebri, & a gravibus auctoribus utrinque agitata, quorum argumenta fuſe proſecutus eſt Auctor part. 2. tit. 1. c. 11. ſicut eo loci rem dubiam reliquit, ita & heic ſcribens: *Quia dubium, ideo dimittendum*. Iterum eodem c. 4. §. 2. de alia controverſia agens, non abſimiliter ait: *Eſt tamen materia multum intricata, nec bene clara, & ideo non amplianda*, ut ſcilicet dicatur licitum, ſed reſtringenda, ut tutius ſequendum conſulatur. Titulo autem 1. c. 11. cum perſpectam non haberet veri-

Part. 2. pag. 133. c.

pag. 137. c.

pag. 139. c.

pag. 474. b.

Part. 3. pag. 309. c.

pag. 312. a.

4 Bernardus epiſt. 61. ad Ricuinum Epiſcopum Tullenſem: *Ipſi quoque, ſicut & ceteri hominum, quoties graviter aliqua cauſſa inter nos oboritur, quam per nos definire aut neſcimus, aut nequimus, aut non audemus; Epiſcopali, ut dignum eſt, ſententiæ reſervamus; & niſi Summi prius Sacerdotis* (ideſt Epiſcopi) *vel judicio, vel conſilio confirmati, ſecuri non ſumus*. Id autem ex divino jure derivat, quo *ex ore Sacerdotis lex requirenda præcipitur*. Vide qua obſervantia recipiendæ ſint Epiſcoporum ſententiæ, & quam perperam nonnulli recentiores, eas ipſas paſtoralibus decretis, vel in ſynodis Epiſcopali auctoritate latas perinde habeant, vel etiam minoris, quam privatorum opiniones Doctorum, qui ſane cum S. Bernardo comparandi non ſunt.

5 Concilia provincialia olim bis in anno præcepta fuere a Concilio Nicæno, Antiocheno, & aliis *propter Eccleſiaſticas cauſſas, & quæ exſtiſtunt, controverſias diſſolvendas*, ut dicitur in Antioch. c. 20. Vide etiam Cypriani epiſt. 13. ubi ipſo quoque perſecutionis tempore difficilem cauſſam ad Concilium, quum primum haberi poterit, diſcutiendam remittit.

6 Innocentius I. epiſt. 4. ad Felicem Epiſcopum Nucerianum. *Mirari non poſſumus dilectionem tuam ſequi inſtituta majorum, omniaque, quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos quaſi ad caput atque ad apicem Epiſcopatus referre, ut conſulta videlicet Sedes Apoſtolica, ex ipſis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet.*

7 Confer S. Thomas 12. q. 105. a. 2. ad 7.

8 Hac eadem moderatione uſus Benedictus XIV. non nulla in ſuis operibus indeciſa reliquit, illa præſertim, quæ a Congregatione Concilii veluti dubia dimiſſa fuerunt. Vide inter alia part. 4. de Sacrific. Miſſ. §. 2. n. 20. p. 479. circa quæſtionem, in qua Congregatio laudata *diſtulit reſolutionem*, ex n. 22. p. 480.

veritatem in quadam difficili controverſia, in qua *plures Theologi & Canoniſtæ*, imperio Pontificis collatione habita, *non convenerunt in concluſione*, aliis affirmantibus, negantibus aliis poteſtatem cujuſdam Pontificiæ diſpenſationis; etſi ad affirmantes inclinare videatur; ex ea tamen contrarietate opinionum & auctoritatum valde dubius, ſic definit: *Et quia tenendum eſt certum & dimittendum incertum*, (addit nonnulla in obſequium Pontificis diſpenſantis) *ideo nulli conſulendum eſt, ſed omnino prohibendum procurare diſpenſationem etiam a Papa* &c. Similiter quoque in Antonini *Reſponſis pro foro conſcientiæ* ad quæſtiones morales P. Dominici de Catalonia, quæ in Veneta editione an. 1514. ſubjecta leguntur *Summulæ* Antoninæ *Defecerunt* inſcriptæ, quum [9] de officio defunctorum in certis feriis dicendo quæſtio propoſita fuiſſet, utrum *ex præcepto* dicendum ſit a nonnullis Fratribus, quum in choro dicitur, reſpondet: *Dubium eſt mihi; & melius eſt pie dubitare, & tutiorem viam in ſervando illud tenere, quam temere definire*: ubi vides inculcari vitandam temeritatem certo definiendi, quod dubium eſt; & ſimul tutiorem viam in dubio ſervandam indicari.

pag. 43. a. b.

9 *pag. 177. col. 4.*

Idem confirmatur alia formula aliis in deciſionibus adhibita.

12. Frequentior autem Auctoris & veterum formula, qua idipſum explicatur, eſt uno verbo de *tutiori* opinione lectorem commonere; qua monitione noluerunt ſane indicare, quænam opinio ſit tutior, quum id per ſeſe ſatis conſtet; ſed dubios ſe eſſe, tutiuſque in ejuſmodi dubitatione ſequendum inſinuare voluerunt. Quam in rem Auctor in ſpeciali dubio voti ſcripſit 2. partis tit. 11. cap. 2. §. 10. *Exſiſtens in dubio, an tranſgrediatur votum, & per conſequens peccet mortaliter, tenetur ſe ponere in tuto, ut ſcilicet votum non tranſgrediatur*. Hic idem ergo ſenſus eſt vocis *tutius*, ubicumque ingeratur, ut tutioris in dubio ſequendæ obligationem indicet. Inter plurima Antonini loca, in quibus eadem vox *tutius* in eamdem ſententiam accipienda continetur, hæc pauca tetigiſſe ſatis fuerit. In laudata parte 2. tit. 1. cap. 5. §. 13. in quadam quæſtione allata primum benigna celebrium Scriptorum ſententia, ſubjicit mox aliam aliorum ſtrictiorem, nec aliud definit niſi hoc: Et iſta *eſt tutior opinio*: & ſimiliter cap. 11. §. 6. *Tutior opinio eſt Joannis Dominici, qui dicit hoc eſſe illicitum*. Cap. 7. §. 27. duabus propoſitis opinionibus primam ſuadet, *quia prima opinio tutior eſt*; & §. 45. loquens de quodam contractu ait cum Laurentio de Ridolfis: *Tutius eſt abſtinere*. Cap. 9. in fine proœmii: *Quia hæc opinio tutior eſt, ideo conſulenda*. Pari formula tit. 10. cap. 4. §. 1. *Bonaventura in tertio Sententiarum ponit utramque opinionem, & neutram reprobat: ſecunda tamen tutior, & conſulenda*.

Part. 2. p. 1134. b.

pag. 53. b.

pag. 167. c.

pag. 106. c.

pag. 121. d.

pag. 145. b.

pag. 1073. a.

Vox conſulo præceptū aliquando proponit, non vero ſemper cōſilium.

13. Ne quis autem verbum *conſulo* pro conſilio accipiat, notandum eſt, hoc verbum, quod in re noſtra ab antiquis fere ſumebatur pro *interrogare*, vel *conſilium petere*, poſteriori ætate uſurpatum fuiſſe vice verſa pro *reſpondere* iis, qui de rebus dubiis interrogant, vel conſilium petunt. Ita etiam quæ antiqui *reſponſa prudentum* appellaſſent, dicta inveniuntur *conſilia*, quod ad deliberationem conſultationemque ante reſpondendum ſecum præhabitam referri poteſt: conſulere enim eſt etiam deliberare, uti & conſilium deliberatio eſt, unde vulgata phraſis *conſilium capere*. Sicut autem verbum *conſulo* in petentibus conſilia non meri conſilii, ſed juſtum, quod pro rei natura videretur, reſponſum quæſitum indicat; ita in reſpondentibus pro caſus natura, quam conſultus innuit, nunc conſilium, nunc præceptum declarare poteſt. In caſu quidem, quo opinio benigna probabilior operanti judicetur, & perſuadeatur uti vera in eam rationem, quam poſt aliquanto explicabimus; tutiorem ſequi, quum benigna probabilior ſit tuta, meri conſilii eſt; & in hanc nonnumquam ſententiam veteres verbum *conſulo* inveniuntur adhibuiſſe, ut conſilium, non præceptum inculcarent; qua ratione Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 16. poſitis quattuor caſibus, in quibus lucri turpis reſtitutionem haud ex præcepto faciendam eſſe judicabat, hæc appoſuit: *In his quattuor caſibus prædictis, quamvis conſulendum ſit, quod lucra facta in hujuſmodi, pauperibus erogentur; non tamen videtur hoc eſſe de neceſſitate ſalutis*. Et in hac hypotheſi, ubi de probabiliori longe ſententia ſermo eſt, addit poſt pauca, tutiorem viam ſemper *conſulendam, ſed non imperandam*. In caſu autem, quo non probabilior, ſed dubia res habeatur, nec dubitatio ſit prudenter excluſa, ut Auctor in præſenti controverſia præſumit; *conſulere* tutiorem partem idem eſt ac præceptum ingerere: in dubio enim teneri ex præcepto eum, qui dubitat, tutiorem partem eligere, ne peccandi periculo ſe committat, ipſis Probabiliſtis fatentibus vidimus num. 8. Hoc idem confirmabit ille Antonini locus ex parte 2. cap. 11. §. 9. ubi in controverſia de quadam jurium emtione, quæ variis opinionibus, ab aliis licita, uſuraria ab aliis defendebatur, laudat conſilium Laurentii de Ridolfis, qui licet pro vindicanda eadem opinione pluribus diſſeruiſſet, *concludendo tamen conſuluit omnibus, quod debeant ſe ab hujus emtione abſtinere; quia ex quo docti viri in hujuſcemodi contraria ſibi invicem ſentiant, negari non poteſt, quin ſaltem dubium ſit, talem emtionem licitam, vel illicitam; & juris regula dicit, quod in dubiis tutior via eſt eligenda*. Vides adhiberi vocem *conſuluit*, & nihilominus inculcari præceptum tum voce *debeant*, tum ex regula juris, quam in dubio probabili præcepti vim habere Antoninus pluribus in locis affirmat. Confer num. 9. Quæ autem duo ad ſuadendam meri conſilii vim afferri teſtimonia poſſunt

pag. 152. a.

Ibid. c.

Part. 2. p. 172. d.

9 Vide autem hac in re poſteriorem declarationem Pii V. Conſtit. 64.

poſſunt ex eodem Auctore, ea cum conſiderabimus inferius num. 22. ad ſolam dubitationem ſcrupuloſam, non autem ad probabilem pertinere patebit. Ceterum cur *conſulendi* verbum verbo *præcipiendi* Doctores prætulerint, ubi tutioris quoque in dubio probabili eligendæ debitum ipſis certiſſimum innuerent, exinde factum credo, tum ne 10 certam in ſe præſtarent tutiorem 10
ſententiam, quæ forte (ut in controverſiis poteſt contingere) aliis melius intelligentibus falſa deprehendi poterit, ut notabimus num. 24. tum etiam forte ne auctoritatem imperii, quæ Prælatis ac ſuperioribus competit, in conſulentem exercere viderentur. Quæ tamen nihil impediunt, quominus in vero dubio probabili, ſi non prudenter deponatur, tutiorem omnino ſequendam iidem certiſſime ſenſerint.

§. IV.

Principia decidendi, cum ſententia benigna eſt minus probabilis.

14. QUod porro valet in benigna ſententia æque probabili & dubia, ac ejus oppoſita; id multo fortius valet in ea, quæ minus tuta ſimul ac minus probabilis ſit: multo enim majus dubium circa illam verſatur, ac errandi peccandique periculum majus; quod ut declinemus, magis multo urget præceptum allatæ regulæ: *In dubiis pars tutior eligenda eſt*. Etſi res per ſe ſit manifeſta, aliquot tamen Auctoris loca recitare libet, in quibus eas ſententias, quæ probabiles quidem, ſed minus probabiles, ac minus tutæ videbantur, probabilioribuſque ſive rationibus, ſive auctoribus impugnari, haud eſſe ſequendas ſtatuit. Parte 2. tit. 3. cap. 5. §. 4. opinionem benignam, licet multorum, *ideo non videri tutam, nec ſequendam* affirmat, *quia Doctores, qui contrarium dicunt, ſanctitate & ſcientia Theologiæ & juris ſunt longe præſtantiores*: quod idem eſt ac dicere, quia contraria ſententia ab auctoritate eſt probabilior, benigna autem minus probabilis. Et licet plura ſubdat, ut benignam defendat, auctoritatemque oppoſitorum doctorum enervet; adhuc *tamen*, concludit, *mihi remanet materia dubia & ideo cavendum*. Similiter eadem parte 2. tit. 1. cap. 5. §. 4. de alia opinione benigna loquens ait: *Iſtud ultimum dubium non videtur tutum nec tenendum, cum ſolemniores Doctores contrarium dicant*. Et §. 18. caſum decidit *ſecundum communiorem & tutiorem opinionem, & pene ſecundum omnes*. Cap. 7. §. 9. *Sed tutior & communior eſt* &c. quam ſubinde benignæ minus communi ſeu minus probabili præferendam inſinuat. Idem liquet ex tit. 9. cap. 10. §. 1. *Sed tutior & rationabilior eſt opinio Archidiaconi* &c. a quibus non abſimiliter part. 3. tit. 16. cap. 1. §. 12. *Et ideo tutior & rationabilior videtur opinio* &c. Tandem in eadem parte tertia tit. 24. cap. 17. *Hoc benignius ſecundum Hoſtienſem, ſed primum verius ſecundum Joannem Andream*; quo loco benigniorem non licere ſequi, cum adverſetur *veriori* ſeu probabiliori, palam præſumitur.

Part. 2. pag. 473. a. *pag. 474. b.* *pag. 41. c.* *pag. 64. c.* *pag. 94. d.* *pag. 1000. c.* *Part. 3. pag. 874. e.* *pag. 1325. e.*

§. V.

Quid, cum benigna ſententia eſt probabilior. Diſtinguendum, num modicum, an multum excedat in probabilitate.

De illicito uſu benignæ ſententiæ probabilioris, quæ in probabilitate modicum excedit.

15. NUnc videndum, quid Auctor ſenſerit de benignis ſententiis, cum veriores ſeu probabiliores ſunt. Ne vox *probabilior* fucum faciat, duæ probabiliorum opinionum ſpecies diſtinguendæ. Aliæ enim multum, aliæ modicum & leviter tantum contrarias excedunt. Neque idem in re præſenti de utriſque ferendum eſſe judicium, aperta Auctoris ac veterum ab eodem allegatorum teſtimonia ac deciſiones demonſtrant; probabiliores enim benignas ſententias, cum leviter tantum excederent, habitæ fuerunt veluti dubiæ, in quibus tutius ſequendum eſt: eas vero ſolas, quæ præſtarent multum, tute poſſe nos ſequi apud eoſdem indubium fuit. De ſingulis aliqua fuſius. Et primo de iis, quæ leviter aut modicum excedunt. In id autem repete primo locum Auctoris deſcriptum num. 9. in quo definiens *dubium probabile*, ac prudens, illud eſſe ait, *quum ſcilicet rationes ſunt ad utramque partem quaſi æquales*. Non *æquales* mere ſcripſit, ſed *quaſi æquales*, & has perinde *ac æquales* prudens *& probabile dubium* parere tradidit. *Quaſi æquales* enim dicuntur rationes, quarum aliæ aliis modicum præſtant: *quod autem parum eſt, quaſi nihil accipit ratio*, ut idem Auctor tradit parte 1. tit. 4. cap. 8. §. 1. Sane quæ modicum excedunt, licet *ſpeculative* probabiliorem efficiant ſententiam, non tamen *moraliter*, nec aptæ ſunt, quæ contrariarum fere æqualium rationum vim elidant prorſus ac retundant. Hoc ergo caſu dubitatio aliqua probabilis atque prudens relinquitur, nec gignitur ea moralis certitudo, quam ad licite operandum neceſſariam vidimus num. 8. Hinc Auctor eo caſu, *quo rationes ſint ad utramque partem quaſi æquales, peccatum grave eſſe* ait, *ſe exponere tali dubio*, quemadmodum grave eſſe alibi docuit, ubi rationes utrinque *æquales* ſint.

Part. 1. p. 857. a. *pag. 272. e.* *pag. 257. a.*

Idipſum cõfirmatur aliquot deciſionibus particularibus.

16. Id luculentius ex particularibus aliis deciſionibus patebit. Parte ſecunda tit. 1. cap.

10 Ita etiam Auguſtinus ab Honorato Thiavenſi Epiſcopo conſultus de caſu morali, num Epiſcopis in perſecutione fugere liceret, ſuam ſententiam ita propoſuit ep. 228. ut ad conſulta ſe *reſcripſiſſe* affirmet; *ſed ne meliorem*, addit num. 14. *ſi in veneris, ſequaris ſententiam, non præſcripſi*, quod certæ omnino ſententiæ & imperii fuiſſet.

cap. 8. §. 17. propoſita quæſtione, *utrum licitum ſit emere pignora a manifeſtis uſurariis*, quæ ex alia controverſia pendet, num in uſura dominium transferatur, benignam ſententiam *communiorem, ſibique magis placere fatetur*; quod idem eſt ac dicere, & auctoritate & perſuaſione propria abs ſe judicari magis probabilem; rationeſque pro eadem probabiliores allegat. Immo *nullum etiam doctorem adhuc legi*, inquit, *qui aſſerat hoc illicitum*. Nihilo tamen minus, quia hæc omnia non tanta erant, ut eumdem plane perſuaderent, dubiumque omne prudens adimerent, his deciſionem claudit: *Verum quia materia non eſt, uſquequaque clara, nemini conſulendum eſt ut faciat:* quæ ſane non ſcripſiſſet, ſi licitum judicaſſet ſequi benignam ſententiam magis probabilem, quum nondum omne dubium prudens ab animo ſuſtulit. Quid porro ſubdat, *poſt factum non condemnandus*, explicabimus num. 30. Rurſum cap. 1. §. 5. proponit deciſionem Laurentii de Ridolfis, qui etſi in benignam partem uti probabiliorem declinet, eamque uti veriorē defendat; *conſuluit tamen, quia dubium, ideo ab hujuſmodi abſtinendum*. Similiter §. 9. alia in controverſia eumdem Laurentium laudat, qui licet *concluſive teneat* quamdam emtionem eſſe licitam, & *licet ad omnes reſpondeat rationes tenentium talem emtionem illicitam* (quæ ſane probabiliorem ſententiam demonſtrant) *concludendo tamen conſuluit omnibus, quod debeant ſe ab hujuſmodi emtione abſtinere: quia ex quo docti viri in hujuſmodi contraria ſibi invicem ſentiant, negari non poteſt, quin ſaltem ſit dubium, talem emtionem licitam vel illicitam: & juris regula dicit, quod in dubiis tutior via eſt eligenda*, extra de Sponſ. cap. Juvenis; *& ad idem facit dictum Auguſtini* de pœnit. Diſt. 7. Si quis, *dicens: Tene certum, & dimitte incertum:* quæ item repetuntur & laudantur paullo poſt. Ibidem pariter recitata benigna ſententia Antonii de Butrio celebris Canoniſtæ, quum nihilominus Auctor non plane eidem acquieſceret, concludendum duxit his ejuſdem Canoniſtæ verbis: *Nota, quod in dubio abſtinendum eſt ab illo contractu, de quo poteſt probabiliter dubitari, an ſit licitus, vel illicitus*. Poteſt autem dubitari probabiliter, quum rationes oppoſitæ judicantur *probabiles*, ſive æquales, ſive fere æquales in probabilitate ſint, ut ex Antonino ſuperius didicimus. Legatur totus ille paragraphus, & quum apparebit manifeſte, Auctorem probabilius conari defendere contractum, de quo ibidem ſermo eſt; tum concluſionem obſervans, qua omnia antedicta revocantur in dubium, ideoque cavendum ab eo contractu traditur, Auctoris veterumque ab eodem allegatorum ſenſum praximque cognoſces. Quod idem manifeſtius fiet ex univerſali concluſione, quam ponit §. 29. ubi poſt defenſam late emtionem quorumdam jurium, adhuc velut dubius (allatæ enim auctoritates rationeſque benignæ ſententiæ non plane perſuaſerant) ſic finem imponit: *In hujuſmodi ergo, quia in dubiis tutior via eſt eligenda, ut dicitur* de Sponſ. cap. Juvenis, *ideo conſulendum eſt unicuique, ut ab emtione hujuſmodi abſtineat, ſicut concludit præfatus Laurentius in ſuo tractatu de uſuris, quamvis* (nota iterum) *rationibus probet, dictum contractum ſuſtineri poſſe ut licitum, ut patet ſupra, & ſicut etiam concludit Innocentius in ſimilibus contractibus, qui dubii ſunt ſuper cap.* Conſuluit. de uſuris. Huc referri etiam poſſunt illa tit. 3. cap. 5. §. 4. ubi poſtquam Auctor ita reſpondere niſus eſt argumentis benignæ ſententiæ oppoſitis, ut eam probabiliorem indicaſſe videatur, hæc ſubdit: *Tamen mihi adhuc remanet materia dubia, & ideo cavendum.* Similiter in tertia parte tit. 14. cap. 19. §. 7. communiori opinioni tutior præfertur ex Paludano, quem in controverſia de circumſtantiis peccati notabiliter aggravantibus, num confitendæ ſint, Auctor inducit ſcribentem, *quod quamvis iſta*, negativa ſcilicet, *ſit communis opinio; tamen alia eſt tutior, ſcilicet, quod confiteatur eas*; quæ tutioris ſententiæ adnotatio, & dubium de communi (uti a Paludano tum credebatur) ſeu de probabiliori ex auctoritate doctorum ſententia, & præceptum de tutiori eo in dubio ſequenda palam præſumit, ut num. 12. monuimus. Simili de cauſſa tit. 24. cap. 11. communiori opinioni opponitur tutior: *Communior prima opinio, ſecunda tutior.* Hæc de probabilioribus ſententiis ex auctoritate: a ratione autem hæc accipe. Eadem parte 3. tit. 4. cap. 2. §. 9. veriori, uti ex ratione judicatur, tutior præfertur. *Credo opinionem Innocentii veriorem; tutius tamen eſt* &c. Rurſum tit. 15. cap. 3. ad quæſtionem 15. *De ſubtilitate juris poſſet ſuſtineri hæc opinio; tamen tutius eſt, ut conſulit ipſe Hoſtienſis, quod fiat renuntiatio* &c. Quod *de ſubtilitate juris defendi poteſt*, eſt utique probabilius ſpeculative, non tamen practice atque moraliter, ut id eſſe debet, quod tute in praxi ſequi velimus. Probabiliorem ergo ſententiam, quæ levi exceſſu tutiori præſtet, tutam eſſe morum regulam Auctor non ſenſit, quum tot in ſententiis ab auctoritate & ratione probabilioribus, quæ tamen non plane perſuaſerunt, tutius adhuc ſequendum præſcripſerit. Hæc certa ejus doctrina magis magiſque conſtabit ex dicendis numero ſequenti, ubi non rationes graves atque probabiles, ſed ſolos ſcrupulos prudenter abjici poſſe Antoninum cum antiquis ſenſiſſe demonſtrabitur. Tutior enim opinio, ſi non multum in probabilitate excedatur, graves probabileſque rationes auctoritateſve præ ſe feret, quæ ex eadem Auctoris doctrina non niſi temere contemni poterunt.

Part. 2. p. 143. a.

Ibid. c.

pag. 166. b.

pag. 172. d.

pag. 173. b. c.

pag. 174. b.

pag. 189. b.

pag. 474. b.

Part. 3. p. 783. a.

pag. 1319. e.

pag. 221. b.

pag. 837. d.

Quid quum benigna ſententia eſt longe probabilior.

17. Itaque, ut de alia probabiliorum libertati faventium opinionum, quæ multum in probabilitate tutioribus præcellunt, ſpecie dicam, illud advertendum eſt, quod ipſa experientia teſte cognoſci poteſt, nimirum quod quū altera opinio alteri in probabilitate

tate multum præſtat; hic probabilitatis exceſſus ita alterius opinionis argumenta extenuat atque elidit in mente hominis, qui eam multo probabiliorem judicat, ut ipſa argumenta, quæ aliis hominibus non æquali probabilitate affectis gravia & probabilia cenſentur, illi videantur levia, ſcrupuloſa, improbabilia, & *reſpectu illius* (ut ex P. Martino de Eſparza addit P. Thyrſus Gonzalez Soc. Jeſu Generalis diſſ. 10. cap. 2. §. 2. num. 77.) *opinio tutior ſit improbabilis, & nixa fundamento tenui & levi*. Hinc benigna opinio eo in caſu *unice probabilis* eidem homini judicatur, ut idem Thyrſus monet: & quum ſcrupuli prudenter abjiciantur, eidē opinioni adhæreri prudenter poteſt firmo conſenſu, qui moralis certitudo appellatur: & hac ratione (addit Cardinalis de Laurea) *illa major probabilitas vere ac proprie meretur appellari certitudo*, quæ ad licite agendum neceſſaria eſt. Hanc, quæ Probabiliſtarum ſententia eſt, neque aliam *probabilioritatem* tenuiſſe cum veteribus Antoninum multis oſtendo. Primo fatetur quidem variis in locis licere ſequi opinionem, quæ operanti *videtur magis rationabilis vel communior*, ideſt magis prababilis: at ejuſmodi opinionem, uti licite ſequamur, non debere relinquere dubium ullum in animo, quod probabile & prudens ſit, ſed ſolum ſcrupuloſum, quod levibus argumentis excitetur; & hoc unum ſcrupuloſum dubium poſſe deponi, liquet manifeſte ex duobus teſtimoniis deſcriptis num. 8. Appendam etiam locum ex 1. parte tit. 3. cap. 10. §. 10. ubi peccare affirmat eum, *qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, ſumendo proprie & ſtricte dubitationem, videlicet prout rationes ſunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam, quam ad aliam. Sed ſi dubitat leviter* (nota *leviter*, quod ſolam dubitationem levem & ſcrupuloſam ſignificat) *quis per modum ſcrupuli, ſicut dubitat ſeu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipſi ſententiæ, quod tamen formidat de oppoſito: ſic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus doctoris, & habet rationes probabiles pro ipſa magis, quam pro oppoſita opinione*. Solam *probabilioritatem* admittit, ſeu *rationes magis probabiles*, unde & non multo poſt, ut homo licite operetur inter opiniones controverſas, efflagitat, ut *ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam & credulitatem formet de eo, quod credit tamquam de probabiliori parte*. At ex quo huic opinioni, quæ probabilior judicetur, non vult opponi dubium grave, ſed *leve per modum ſcrupuli*; profecto haud intelligit exceſſum probabilitatis levem, cum quo dubium prudens atque probabile ex ipſo Auctore conſiſtit, ut vidimus num. 9. ſed valde excedentem flagitat probabilioritatem, quæ non niſi cum levi dubitatione & ſcrupuloſa jureque deponenda componitur. Hanc probabilioritatem, quæ notabiliter ſuperet,

Probabilioriſtarum in hoc ſententia.

Tom. 2. in 3. Sentent. diſt. 11. art. 4. poſt num. 249.

Eadem ſententia Antonini & antiquorū. Part. 2. tit. 4. cap. 6. §. 3. pag. 605. c.

Soli ſcrupuli contemnuntur prudenter, non autem opinio, quæ judicetur probabilis. Part. 1. p. 198. b.

Ibid. c.

pag. 200. b.

indicant etiam illa ejuſdem loci, ubi certitudinem moralem, quam, ad licitam operationem requirit, *conſurgere*, ait cum Gerſone Cancellario Pariſienſi, *ex probabilibus conjecturis groſſis & figurabilibus magis ad unam partem, quam ad aliam ſe habentibus*: ubi *groſſis & figurabilibus* pro *valde probabilioribus* dixit. Hæ quidem ſolæ mentem ita afficiunt, ut in opinione contraria deprehendantur meri ſcrupuli, quos ſolos Auctor deprehendi vult, ut licite contemnantur, & prudens habeatur opinio moraliſque certitudo (*certitudinem probabilis conjecturæ* vocat part. 2. tit. 3. cap. 5. §. 4.) *quæ non omnes ſcrupulos abjicit, ſed ſufficit, ut contemnat & ſuperet eos*. Conſule part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 17. ubi in ipſis factis non *dubium ſtricte & proprie*, ſed illud unum, quod *large pro levi ſcrupulo* habetur, jure deponi tradit: unde & part. 3. tit. 28. cap. 2. §. 6. *Si probabiliter dubitat*, inquit (ideſt ex argumentis, quæ utrinque æque, vel fere æque probabilia judicantur) *debet a promotione & miniſterio abſtinere, ne periculo ſe committat, & multo magis ſi omnino credit. Si autem habet temerariam opinionem*, quæ ex ſolis levibus & ſcrupuloſis argumentis originem ducit, *deponat eam*. Vide etiam tit. 1. ejuſdem tertiæ partis cap. 3. §. 2. *Quarto nota* &c.

pag. 204. a.

Part. 2. p. 473. a.

Part. 1. p. 204. a.

Part. 2. p. 206. a.

Part. 3. p. 1457. c.

pag. 28.

18. Hæc una probabilitas ab antiquis probata invenitur, & opinio perinde probabilior ſæpe ab iiſdem *probabilis* abſolute dicitur, quod ea una probari & in praxim deduci prudenter poſſit; uti Probabilioriſtis recentioribus cum P. Thyrſo Gonzalez eadem vocatur *unice probabilis* operanti, propterea quod operanti, cui illa prorſus perſuadetur ob probabilioritatis exceſſum, contraria opinio levibus conjecturis fulta & improbabilis judicatur. Quod ſi iſtam adhuc alicubi probabilem illi vocant, eo ſenſu vocant, quo a Probabilioriſtis recentioribus appellantur probabiles ſententiæ, quas in concurſu longe probabilioris improbabiles ipſi exiſtimant, nimirum quod aliis, a quibus defenduntur, argumenta ipſarum videntur gravia & probabilia. Hac ratione benignam probabiliorem ſententiam ſequi poſſumus relicta minus probabili, quæ ſcilicet probabilis videtur aliis, nobis autem tanto minus probabilis creditur, ut præ probabiliori levis & improbabilis judicetur. Illud interim ex hactenus dictis ſequitur, quod quum Antoninū invenies deſcendere in mites ſententias, quas *probabiliores*, *communiores*, *veriores*, aut *efficaciores* affirmat, de probabilioribus ejus generis intelligendus eſt, quas ſive ex auctoritate, ſive ex ratione, ſive ex utraque ita multum præſtare tutioribus credidit, ut in his meros ſcrupulos & contemnendos deprehenderit. Hinc quæ probabiliores quidem aliquatenus viſæ ſunt, ſed non tanta probabilioritate præſtabant, ut in oppoſitis non meros ſcrupulos animadverteret, ſed rationes & auctoritates graves, quas *fere æquales* appellat; rem dubiam ſibi adhuc eſſe, & tutiorem partem eligendam judi-

caſſe

caſſe num. 16. vidimus. Stet igitur non alias probabiliores minus tutas ſententias Antoninum probaſſe in decidendis morum controverſiis, niſi quæ longe probabiliores eſſent, contrariæque tutioris ſententiæ argumenta in ſcrupulorum ordinem redigentes, firmam ac prudentem perſuaſionem, moralemque certitudinem in operantibus gignerent.

Cautio adhibenda ne in probabiliori ſententia adſtruenda peccemus.

19. In hac vero perſuaſione obſervandum maxime eſt, ut rationes auctoritateſquæ idoneæ, non vero cupiditas & concupiſcentia longe probabiliores nobis ſententias mites repræſentent ac perſuadeant. Contingere nimirum facile poteſt, ut non nulli benignas ſententias probabiliores longe habeant præ tutioribus, iiſdemque prorſus aſſentiantur; non quod rationes vel auctoritates per ſe longe probabiliores id poſtulent, ſed quod humana cupiditas, cui illæ ſententiæ favent, eaſdem probabiliores ſuadeat; *unuſquiſque enim faciliter credit, quod appetit*, ut S. Thomas monuit. Id autem inter controverſas ſententias eo facilius evenire ſolet, quod in cupiditatis defenſionem aliquæ rationes & auctoritates graves, atque, uti vocantur, probabiles præſto ſunt. Licet enim ubi æque vel fere æque probabilia ſunt argumenta, dubitandum ſit prudenter, ut vidimus, immo etiam neceſſario, cum inter æqualem probabilitatis vim intellectus neceſſario hæreat, ignarus, cui potius parti adhæreſcat: cupiditatis tamen & concupiſcentiæ eſt viam reperire, qua benignæ ſententiæ fundamenta fortiora & probabiliora judicentur (quæ enim favent, in ea libentius intenditur, & mens a contrariorum conſideratione evocatur, vel ita diſtrahitur, ut favorabilia perfacile ſuadeant) omneſque ſubinde conſcientiæ remorſus eo nomine compeſcuntur, quod probabiles graveſque rationes & auctoritates ſecuti ſimus, quæ nobis non æque probabiles, ſed probabiliores cenſentur. Quot opiniones hac via in praxi obtinent & dominantur, quæ ſi non eſſent cupiditatibus faventes, nullum approbatorem defenſoremque inveniſſent? Non nulli ex ipſis Probabilioriſtis hac eadem via ejuſmodi aliquando opinionibus patrocinantur uti probabilioribus, quæ valde dubiæ & æque probabiles ſunt. Utinam etiam ejuſdem concupiſcentiæ cauſſa probabiliores quibuſdam non viderentur quædam ſententiæ, quæ ab univerſis antiquis inveniuntur rejectæ, & a pleriſque etiam recentium rectius judicantium improbabiles plane habentur: unde illas, ſi ab aliquo perito interrogentur, neque auctoritate, neque ratione ſtatuere probabiliter poſſunt, & multo minus objectis auctoritatibus, rationibuſque graviſſimis reſpondere; ſed hærent, tergiverſantur, divertunt, obmuteſcunt, vel ita levia afferunt & inſulſa, ut non ratio, ſed indulgendi cupiditas ipſos permoviſſe cognoſcatur. Quæ res non nullis etiam accidit, qui probabiliſmum impugnant; in praxi enim uti probabiliores venditant opiniones laxiſſimas, quas vel ipſi Probabiliſtæ non numquam exhorrent, nec ipſo probabiliſmo defendere uti probabiles audent.

2. 2. q. 60. art. 3. in corp.

Concupiſcentiæ perſuaſiones vitandæ.

20. Sed ut ad Auctorem redeamus, is non ſolum morem eorum reprobavit, qui *ex nimia vel inordinata ſui benevolentia inclinant & præcipitant conſcientiam ad illud, quod appetit*; verum etiam illos non duxit excuſandos, qui aliqua concupiſcentia potius, quam argumentis ex ſe longe probabilioribus ducerentur ad aſſentiendum alicui parti, vel ſententiæ, quæ in controverſia utrinque probabili verſaretur; eoſque tum quoque a peccato non futuros immunes ſenſit, ſi etiam veræ parti adhæreſcerent. Id jure colligere mihi videor ex part. 2. tit. 3. c. 11. §. 9. ubi loquens de ſchiſmate in creatione duorum Pontificum, in quo *rationabiliter & probabilis haberetur ratio de jure dubitandi* quoad utramque partem, pro qua graves utrinque Scriptores & ſancti homines ſtarent, hanc concluſionem ſtatuit, quod ſcilicet; *ſi quis moveatur ad inhærendum uni* (ſcilicet Pontifici unius partis) *magis quam alteri, non ex conſcientia & veritate cognita, ſed ex temporalitate*, ſeu ex concupiſcentia, *ut quia unus magis juvare poteſt, vel majora beneficia conferre quam alter; ille eſt in malo ſtatu animæ ſuæ adhærendo etiam vero*; quod intellige, etiamſi temporalitate vel concupiſcentia inclinante, ea pars, cui adhæret, multo probabilior judicetur, uti a quibuſdam nulla alia de cauſſa multo probabiliores cenſetur quædam benignæ ſententiæ, quam quod libertati favent, & a concupiſcentia ad eas ſibi perſuadendas inclinantur. Hinc forte S. Archipræſul ſibi maxime timens, in decidendis pluribus controverſiis illi quoque benignæ parti adhærere noluit, quæ probabilior videbatur, ac in tutiorem nihilominus deſcendit, ut num 16. obſervavimus: idque præcipue factum vidimus, ubi de dubiis contractibus agitur, in quibus concupiſcentia perfacile decipit. Magna igitur cautione utendum eſt; ubi inter probabilia verſamur; deponendaque in primis omnis affectio; tum vero, perinde ac ſi res, quæ noſtri nihil intereſt, ageretur, ex rationibus auctoritatibuſque dijudicandum, videndumque quanta ſit in ſe benignæ opinionis probabilitas; & niſi ea, omni affectu ſemoto, in ſe longe major deprehendatur, & ſcrupuli haud temere credantur, quæcumque obſtant; ipſi in praxi adhærendum non eſſe Auctor cum antiquis conſtantiſſime ſenſit. A ſcrupuloſa tamen conſcientia, qua ambigimus in omnibus, timemuſque, ubi timor non eſt, maxime cavendum: & imitandus in hac re Auctor aliique veteres, qui ubi probabiliores multo ſententias viderunt, eis adhæſere, nec e contrariæ ſententiæ argumentis, quæ nihil movebant, ſcrupulos ingerendos, tutiorique ſemper opinioni inſiſtendum arbitrati ſunt. Hæc itaque conſtans fuit S. Antonini in decidendis morum controverſiis ratio, cum altera opinio tuta eſſet, altera non item: nam ſententiæ licet minus

Auctor eas reprobavit. Part. 1. tit. 3. c. 10. §. 3. pag. 182. c.

Part. 2. p. 537. c.

tutæ

tutæ non dubitavit aſſentiri, cum eo exceſſu, qui dubium prudens tolleret, probabilior judicaretur; inter æque vero vel fere æque probabiles, quæ prudens dubium relinquebant, tutiorem, quæ nihil dubii habet, ſequendam credidit.

§. VI.

Conſcientia perplexa diſtinguenda a probabili. Ratio decidendi in hac perplexitate conſcientiæ.

Quæ conſcientia perplexa.

21. Unum controverſiarum genus conſiderandum ſupereſt, in quo pars utraque peccandi periculo expoſita eſt. Heic autem ſi ex æquali, ac fere æquali probabilitate dubium incidat, nec alibi tuta pars deprehendatur, ſed utrinque peccandi periculum immineat (quod ad conſcientiam *perplexam* veteres referunt) id in praxi ſatis tutum judicavit cum omnibus antiquis S. Antoninus, ſi majus periculum, ſeu majus malum declinaretur. In hanc rem part. 1. tit. 3. c. 10. §. 3. loquens de *conſcientiæ perplexitate*, *puta quum videt ſe quis inter duo operabilia poſitum, quorum alterum oportet agere, & quodcumque fecerit, impoſſibile eſt non peccare*, quod ſcilicet neutrum tutum ſit, neutrum peccandi periculo vacet; hanc ex can. 2. Concilii Toletani octavi ann. 653. celebrati regulam allegat: *Duo mala licet omnino cautiſſime ſint præcavenda, tamen ſi periculi neceſſitas unum ex his perpetrare compulerit, id debemus reſolvere, quod minori nexu noſcitur obligare*: diſt. 13. cap. 1. Licet autem ejuſmodi *perplexitas* conſcientiæ accidere fere ſoleat ex ſtulta aliqua opinione, vel præſumtione, a qua ſi homo ſe non expediat, ut debet, adhuc in culpa eſt, ut ibidem Auctor obſervat; contingere tamen nonnumquam poteſt in quibuſdam caſibus dubiis vel controverſiis etiam citra culpam, uti ſane evenerat in caſu Toletani laudati, in quo de pœnis graviſſimis in ſceleratiſſimos ex jurejurando inferendis dubitabatur, num contra jusjurandum eſſet eas temperare in eorum gratiam, qui ad pœnitentiam reverſi miſericordiam deprecabantur, perplexaque in hoc erat Epiſcoporum conſcientia, *dum alterno periculorum objectu ſe prolatæ ſententiæ compugnarent*: hinc enim ſi jurata ſententia temperaretur, occurrebat juramenti violandi periculum; ſi vero exacte ſervaretur jusjurandum, miſericordiæ violandæ, deterrendique multos a pœnitentia periculum ingruebat. In hoc ergo caſu ita ab illis Epiſcopis minus malum, ſeu minoris mali periculum eligendum judicatum fuit, uti jamdiu ante præſcriptum fuerat a Magno Gregorio in c. 40. Job. His ſcilicet in anguſtiis minus malum, moralis mali naturam exuit, illudque eligere eſt tutiorem partem eligere. Inſignis hoc in propoſito eſt can. *Inquiſitioni* de Sent. Excommunicat. in quem Antoninus part. 3. tit. 1. c. 3. egregie commentatur, ſimulque ex eo liquet, quantum inter mere probabilem & perplexam conſcientiam interſit, ita ut, ubi dubium incidat, & quidem probabile, tuta pars eligenda ſit, ubi pars altera ſine periculo tuta eſt; quod ad quæſtionem de conſcientia mere probabili pertinet: ubi vero nihil ſit periculi expers, quod pertinet ad conſcientiam perplexam, minus malum eligere oporteat. Caſus ponitur de muliere, quæ poſt conſummatum bona fide matrimonium dubitare cœpit, num cum dirimente impedimento contraxerit. Duplex autem oriri poteſt hac in re dubitatio, num reddere hoc in dubio poſſit viro petenti debitum, & num etiam poſſit non rogata petere. Ita vero Innocentius III. quæſtionem ſolvit: *Diſtinguimus, utrum habeat* (mulier) *conſcientiam hujuſmodi* (ideſt dubium) *ex credulitate levi & temeraria, an probabili & diſcreta*. Et primum de conſcientia *levi, ac temeraria*, quæ in ſolos ſcrupuloſos cadit, reſpondet: *Et quidem ad ſui paſtoris conſilium, conſcientia levis & temerariæ credulitatis exploſa, licite poteſt non ſolum reddere, ſed & exigere debitum conjugale*. Dein ſtatuturus de *probabili & diſcreta* conſcientia, quæ ex gravioribus probabilibuſque argumentis rem utrinque probabilem efficit, ſubjicit: *Verum quum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili & diſcreta, quamvis non evidenti & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet, ne in alterutro contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam*. Videſne aliter decidi de reddendo, aliter de petendo debito? In quæſtione, num liceat probabiliter dubitanti petere debitum, ubi non petere citra periculum eſt, deciditur non eſſe petendum, propterea quod in dubio probabili, quod probabiles rationes utrinque præſumit (quod enim ex una tantum parte probabile eſt, moraliter certum eſt, nec niſi levem & temerariam dubitationem recipere poteſt) pars tuta eligenda eſt, non vero utralibet, ut Probabiliſtæ contendunt, idque *ne contra judicium conſcientiæ committat offenſam*. Argumenta nimirum probabilia, quæ in dubitationem conjecerunt probabilem, conſcientiam ſatis admonent de peccandi periculo, quod caveri tute poteſt ac debet, quodque ſi contemnatur, peccatum exinde admitti ipſa conſcientia indicat; quo reſpiciens etiam Cicero ſcripſit: *Dubitatio cogitationem*, ideſt indicium, *affert injuriæ*. Hinc enim S. Antoninus loco allegato: *Non debet petere, quia exponeret ſe periculo*; & *Auguſtinus dicit: Tene certum & dimitte incertum: Non petendo, certum eſt quod non peccat*. Et poſt pauca: *Si aliquid eſt ita dubium, quod una pars certa, alia dubia an ſit peccatum, debet tenere certum, & dimittere incertum, quia quandocumque poteſt ſe liberare a periculo peccati, tenetur. Unde manifeſta eſt ratio, quia non debet petere; quia certum eſt, quod non petere eſt licitum*. Quam mire hæc Probabiliſtarum ſiſtema evertunt! In alia vero quæſtio-

Part. 1. p. 183. b.

Quid in ea agendum.

Diſtinctio inter perplexam, & probabilem conſcientiam.

Inſignis canon de triplici conſcientia, ſcrupuloſa, probabili, & perplexa, ac varius modus decidendi in ſingulis.

Caſus conſcientiæ ſcrupuloſæ.

Caſus conſcientiæ probabilis.

De offic. lib 1.

Part. 3. p. 28. d.

pag. 29. b.

Caſus conſcientiæ perplexæ.

ſtione, num reddi debitum poſſit, perplexæ conſcientiæ locus eſt, quum utrinque periculum impendat, *quia ſi eſt matrimonium*, inquit S. Antoninus, *negare eſt injuſtitia; ſi non eſt matrimonium, reddere eſt luxuria*. Quum porro injuſtitiæ periculum a Pontifice majus judicatum fuerit; hoc citius evitandum, ac proinde reddendum eſſe debitum ſanxit, *ne contra legem conjugii committat offenſam*. Simili perplexa conſcientia affectus ſubditus militiæ obligatus, quum de juſtitia belli dubitat, obedire debet ex Auctore eadem part. 3. tit. 4. c. 2. §. 2. quod minus periculi eſt in obedientia, quam ex jurejurando & juſtitia debet. Tandem ut alia omittam, quod variis in locis ejuſdem tertiæ partis tit. 25. affirmatur, excommunicatos dubios vel occultos, quum ſe ingerunt, nequaquam vitandos, ad perplexam conſcientiam pertinet: licet enim urgere præſumſerit Ecclaſiaſticum præceptum vitandi excommunicatos; fortius tamen obligare & prævalere credidit præceptum naturale de non lædenda proximi fama, nec propalando ejus crimine, quum occultum vel dubium eſt. Male ergo hæc transferentur ad conſcientiam probabilem, ac ſi benigniorem partem in dubio utrinque probabili poſſe nos ſequi S. Antoninus tradiderit. Hæc interim ſunt, quæ idem Auctor in decidendis caſibus principia ſecutus eſt, a quibus quantum diſtent recentiora Probabiliſtarum principia, facile Lector intelligis.

Ibid. c.

§. VII.

Reſolvitur objectio ex duobus locis petita, ubi Antoninus tradere videtur, tutiorem partem ſequi non eſſe præcepti, ſed conſilii. Quo ſenſu docuit, licere inter opiniones controverſas utramlibet ſequi.

22. HActenus conſtitutis duo tantum (ne quid diſſimulem) ex univerſis Antonini ſcriptis objici poſſunt, quæ Probabiliſtis favere aliquatenus videntur. Primo quod principium illud, *in dubiis tutior pars eſt eligenda*, quo potiſſimum in ſuperioribus Auctor eſt uſus, duobus in locis conſilii, non autem præcepti eſſe inſinuat. Dein quod ita tutiores ſequatur ſententias, ut benignas non idcirco damnandas, nec iis, qui illas ſequuntur, abſolutionem negandam pluries tradiderit: ex quo colligi videtur ſenſiſſe illum, inter controverſas ſententias utramque probabilem opinionem licite quempiam amplecti. Quum hæc duo omnia ſint Probabiliſtarum argumenta, quibus Auctorem inter ſuos accenſendum exiſtimant, accurate expendenda ſunt. Et quoad primum in parte 1. tit. 3. cap. 10. *de conſcientia* §. 10. ubi tutiorem viam in dubiis eligere conſilii eſſe affirmat, aliaſque ponit regulas de ſententia benigniori præferenda, obſervandum in primis eſt totum ejus paragraphi textum de ſcrupuloſis agere, ac in eo, ut ſcrupulis remedia afferantur, verſari. Quæ ibidem recitat, apud Joannem de Tambaco in Conſolatione Theologiæ, & apud Joannem Nider in Conſolatorio timoratæ conſcientiæ totidem fere verbis leguntur, ac ex iis forte hauſit Antoninus: omnes autem eadem in ſcrupuloſorum remedium præferunt. Quæ porro doctrinæ diriguntur ad ſcrupuloſos, ad eos diriguntur, qui levibus & inanibus (ut ſcrupulos Auctor definit) dubiis moventur, non autem ad illos, qui ex gravibus & probabilibus dubitant, ac proinde ab unis ad alios transferendæ non ſunt, uti optime cavetur in *Directorio in exercitia* tom. 2. Regularum Soc. Jeſu cap. 38. de regulis tradendis num. 2. *Regulæ, quæ agunt de ſcrupulis, non eſt cur dentur iis, qui nullis ſcrupulis agitantur*. Diſcriminis ratio eſt manifeſta. Quod enim contra dubitationem levem & inanem valet, contra dubitationem vere gravem atque probabilem non æque valet. Hinc iidem Auctores Joannes de Tambaco, Joannes Nider, & S. Antoninus alibi ſæpius, ubi de dubiis agunt, quæ gravibus argumentis æqualibus, vel fere æqualibus excitantur, aliter loquuntur, & tutiorem partem ex præcepto eligendam conſtanter ſanxerunt. Plura ex Auctore allegata invenies num. 8. & ſeqq. quæ ſi repetes, expreſſe diſtinctum invenies inter dubium ſcrupuloſum atque probabile, ut non in hoc, ſed in illo tantum a tutiori via declinare, atque benigniorem amplecti poſſimus. Quin num. 17. teſtimonium recitavimus ex hoc ipſo cap. 10. *de conſcientia* §. 10. ubi poſt allatam ſententiam de tutiori via ex conſilio eligenda, *quando alia etiam via poteſt eligi tuta* (tuta autem eſt, quæ ſolis ex ſcrupulis dubitationem habet) ea ſubjicit, quibus dubitantem ex gravi motivo, reum peccati accuſat, ſi contra tale dubium agat; eum vero, qui contra meros ſcrupulos pugnat, abſolvit, dum tamen hic ipſe adhæreat opinioni magis probabili, *bonamque* (ut poſt pauca additur) *ſibi conſcientiam formet de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte*. In eamdem rationem cetera ejuſdem paragraphi de ſolis ſcrupulis ac ſcrupuloſis, quos unos juvare Auctor ibidem nititur, intelligenda ſunt, ut nihil poſitis ſuperius doctrinis adverſetur. Ita ſane quum ait ex. gr. *inter duram & benignam circa præcepta ſententiam, benigna eſt potius ceteris paribus interpretatio facienda*, id ad ſolos ſcrupuloſos expreſſe dirigendum indicat, hæc mox in ratione ſubjiciens, *quando nimis ſcrupuloſe & timide præcepta interpretantur*.

Hæ doctrinæ male ad probabilia dubia trăsferuntur. pag. 503. edit. Lovanien.

Part. 1. p. 198. a.

pag. 200. b.

pag. 199. a.

23. Quod ſi de opinionibus ſubinde loquitur, quæ graves utrinque Auctores habent, & non ſcrupuloſum, ſed probabile dubium excitare poſſunt; & nihilominus vel ex quodam Alberti magni dicto, vel ſuis verbis affirmat, licere, quamcumque ex illis ſequi: id eatenus intelligendum eſt (ut eodem paragrapho explicat) *dummodo*

Part. 1. p. 198. a.

De ſcrupuliſis dubiis Auctor loquitur.

Inter probabiles opiniones benigniorem ſequi nos poſſe Auctor admiſit ſolum, ſi dubiũ probabile excludat.

Part. 1. p. 200. b. do homo *ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam formet de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte.* Hoc ergo unum vult, quamcumque opinionem licere, *ſi bona conſcientia* (non *concupiſcentia*) probabilior credatur. Quo reſpiciens paullo poſt, poſtquam ſcripſit: *Ergo a ſimili licet unam*, ideſt alterutram e controverſis, *opinionem in moralibus tenere*, pag. 203. b. hanc cautionem ſubjecit: *juxta limitata ſuperius*, quum ſcilicet *bonam conſcientiam de probabiliori parte* requiſivit. Et ſimiliter part. 2. tit. 4. cap. 6. §. 3. *Quum in aliqua materia variæ reperiuntur opiniones, ſine præjudicio ſalutis ante determinationem Eccleſiæ licet quamcumque earum tenere* (nota tamen conditionem, quam requirit) *ita tamen alteri inhærere, quæ ſibi magis videtur rationabilis, vel communior*, ideſt ratione vel auctoritate probabilior. In quam plane ſententiam Albertum Magnum ſenſiſſe, reſponſumque ejus, quod fertur, interpretandum eſſe, ex certis ipſius teſtimiis, quæ proponam adnot. 7. in cap. 10. tit. 4. primæ partis palam fiet. Quum porro probabiliori parte adhuc poſita in eo probabilitatis gradu, qui prudentem dubitationem excludit, moralemque parit certitudinem, ſcrupuloſi dubitare nihilominus poſſint; his ut conſuleret, hæc poſt pauca ſubjecit in loco allegato ex prima parte, ad licite agendum *ſufficere talem certitudinem, quæ non ſemper omnes ſcrupulos abjiciat, ſed ſufficit, ut contemnat & ſuperet eos*. Adeo certum eſt totum eum paragraphum de ſolis ſcrupulis & ſcrupuloſis agere, non de dubio probabili & gravi, ut probabilem opinionem non aliter ſequi licere doceat, niſi ſi probabilior longe credatur, ut certitudinem pariat moralem, qua poſita, ſi qui ſuperſint ſcrupuli, abjiciendi ac deponendi ſint. Nihil ulterius ex toto hoc paragrapho, ſi bene conſiderentur & conferantur ſingula, elici poteſt; & ſic Antoninus ſibi conſtare invenitur, qui aliter ſecum pugnaret mirum in modum, ſi præceptum tutioris ſequendæ in dubio probabili negaret hoc in paragrapho, quod aliis in locis tam conſtanter aſſeruit. Quod enim ſcribitur in ſecunda parte tit. 1. cap. 11. §. 31. *non de ſalutis neceſſitate* eſſe, *in dubiis tutiorem viam eſſe eligendam* (qui alter locus objici poteſt) id non Auctor ex ſuo, ſed ex aliorum ſenſu objectat, eorum tamen, qui contractum quemdam uti probabilius licitum defenſabant, nec aliorum contra ſentientium opinione ad probabile dubiũ movebantur: unde iidem ſequenti §. 32. quum fatentur peccare eum, qui in dubio ſe exponit peccandi periculo, *ſumendo proprie dubium, quum ſcilicet non magis declinat ad unam partem, quam ad aliam ſecundum rationem* utique probabiliorem; tum vero palam inſinuant, in contractu, de quo erat quæſtio, dubitationem ejuſmodi poſſe excludi & auctoritate *multorum ſapientum*, qui eum contractum *licitum aſſeverant*, & ratione etiam, qua *quis credat omnino*, ideſt longe probabilius, *talem contractum eſſe licitum*. Quæ omnia iſtorum quoque Auctorum mentem nihil in re præſenti a generali principio, quod ſtatuimus, diſcrepare palam oſtendunt. Antoninus vero tanto minus hoc loco diſcrepat, quanto his Auctoribus in ea particulari controverſia non plane aſſentiens, dubiuſque aliquantum de ipſorum opinione eum contractum defendente, quam etſi forte probabiliorem putavit, non tamen probabilitate tanta excedentem, ut contrariæ ſententiæ argumenta levia & ſcrupuloſa judicaret, his verbis concludere maluit paragraphum ſequentem: *Timendum eſt, ne ibi ſit culpa, & ideo conſule abſtinendum*. Ibid. c. Antequam vero hinc alio tranſeam, illud ex dictis hoc numero colligere licet, quam in ſententiam accipienda ſint plura alia Auctoris loca, ubi eos excuſat, qui aliquam controverſam opinionem ſequuntur; ſemper enim intelligendus eſt, ut memoratis in locis explicat, dum, qui ejuſmodi opinionem ſequitur, *bonam ſibi conſcientiam formet de probabiliori parte*, pag. 200. b. quæ ſcilicet ſibi videatur *magis rationabilis vel communior*. Quod ſi *aliquem Doctorem* alicubi tantum exigit, cui quis innitatur, eum exigit *autenticum atque famoſum*, ut expreſſe docet part. 3. tit. 17. c. 16. *autenticum* autem intelligit *Doctorem ſanctitate & ſcientia maximum*, qualem appellat in prima parte tit. 3. cap. 10. §. 10. cujus quidem auctoritati acquieſcat animus *juxta limitata ſuperius*, ita ſcilicet ut *bonam ſibi conſcientiam formet de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte*. Quod ſi in ſpeculativis quæſtionibus, ſicubi Sancti ipſi inter ſe diſſideant, ſententiæ & interpretationi ex. gr. S. Gregorii Magni, qui ſane Doctor eſt *autenticus atque famoſus*, non aliter adhærereri Auctor jubet, niſi *quia magis conſona rationi, vel quia majoris ſcientiæ, & ſanctitatis, & auctoritatis habetur*; quorum alterum ſententiam a ratione probabiliorem efficit, ab auctoritate alterum: id multo magis requiret in quæſtionibus practicis, in quibus errare periculum majus affert, & in quibus citra omnem probabilem dubitationem *bonam conſcientiam, firmamque credulitatem* ſive a ratione ſive ab auctoritate *probabiliorem* diſertis verbis efflagitat, qua ſcilicet benignæ ſententiæ ita probabilius acquieſcat hominis animus, ut in contraria tutiori opinione nihil probabilitatis proprie talis, ſed meros ad ſummum ſcrupulos, eoſdemque contemnendos ineſſe judicet, uti variis ex teſtimoniis ſuperius allegatis liquet. Obſcuriora enim vel breviora loca ex aliis clarioribus & explicatioribus illuſtrari ac ſuppleri oportere exploratum eſt omnibus. Certe niſi quis S. Antoninum ſibi contrarium & contradicentem velit inducere, hæc teſtimonia aliter interpretari non licet. In eamdem ſententiam explicanda etiam illa, quibus pœnitentes aliquatenus excuſat, qui alienam a confeſſario ſententiam ſequuntur, dum vel ex aliquo celebri Auctore,

Part. 2. p. 605. c.

Part. 1. p. 201.

pag. 204. a.

Part. 2. p. 190 b.

Ibid. c.

Quatenus, & quibus Auctoribus detulerit.

Part. 3. p. 963. d.

Part. 1. p. 200. b.

Part. 1. tit. 17. c. unic. §. 18. pag. 822. a.

vel ex peritorum consilio illam secuti sint. Sed de his plura paragrapho sequenti.

§. VIII.

Alia loca explicantur, ubi Auctor opinionem benignam ab iis quoque, qui eam non credunt probabilem, haud quaquam damnandam, nec absolutionem iis, qui illam sequuntur, negandam tradit. Cautio pro Prædicatoribus circa opiniones controversas. Monitio pro illis, qui alia in concionibus, alia in confessionibus, vel consiliis ingerunt.

Objectio nihil suffragatur probabilitati, quum aliquot Probabilioristæ idem ingerant.

24. ITaque jam venio ad alterum, in quo præsertim insistunt Probabilistæ, ad ea nimirum Antonini loca, ubi inter controversas opiniones, ac in dubio utrinque probabili, haud damnandam a Theologis vel Confessariis monet minus tutam sententiam, quæ graves patronos habeat, nec iis, qui eamdem sequentur consilio peritorum, absolutionem negandam contendit. Similia his locis quum apud nonnullos antiquos legantur, hæc Probabilistæ mirifice efferunt, & hac potissimum de causa eosdem antiquos secum stare gloriantur. At deserti omnino ab antiquitate ii dicendi sunt, qui hoc tam pusillo argumento tamquam potissimo ad se se invitos rapiunt. Id autem ne glorioſius dictum credatur, singula enucleatius explicanda sunt. In primis quod S. Antoninus (idem dic de ceteris antiquis, quos allegat) opinionem minus tutam in dubio probabili nequaquam damnandam monet, Probabilistis adeo nihilum prodest, ut tutiorem sequendam simul præcipiat. Aliquot id genus testimonia sequentibus numeris indicaturi sumus: nunc satis sit unum locum recitare ex tertia parte tit. 5. c. 2. §. 9. *In his, quæ concernunt forum conscientiæ, in dubiis tutior via est eligenda*, extr. de sponsal. c. Juvenis; *nec tamen de facili contraria opinio condemnanda* Istam vero haud damnari idcirco jubet, quod in dubio nesciatur, vera ne, an falsa sit, temeritatisque esset maximæ, peccati damnare, quod incertum est, utrum peccatum sit, necne. Deinde vero quod non opinionem solam, sed eos ipsos, qui ejusmodi opinionem sequuntur, haud damnandos alicubi monet, non de iis loquitur, qui eam opinionem sibi pariter dubiam vel æque probabilem sequuntur, sed de iis, qui *bonam ejusdem opinionis conscientiam* persuasionemque habent tamquam *de probabiliori parte*, uti palam colligitur ex testimoniis allegatis antecedenti paragrapho. Id autem nihilum approbat operantes ex novitio probabilismo, ut Probabilistæ colligere ex hisce locis nituntur; sed mere non damnat Probabilioristas, qui opinionem, ipsi Antonino quidem dubiam, at sibi longe probabiliorem ex veteri regula sequuntur. Quod si his absolutionem non propterea negandam alicubi addit; id unice probat solos operantes ex opinione probabiliori modo jam dicto, idest solos pœnitentes Probabilioristas, in confessarii dubio absolvendos Auctorem sensisse, quod quam male transferatur a Probabilistis ad statuendum auctoritate S. Antonini probabilismum, nemo non videt. Enimvero etsi nonnulli ex recentioribus Probabilioristis in hoc severius sentiant (qua de controversia dijudicare meum in præsentiarum non est) alii tamen probabilismi impugnatores acerrimi ejusdem cum Antonino sententiæ sunt, opinantes similiter, eos absolvendos in dubio, qui ex persuasione sibi longe probabiliori sententiam confessariis dubiam sequuntur, ut videre est apud P. Thyrsum Gonzalez Soc. Jesu, qui sane uti Probabilista idcirco traduci non potest. Videant ergo recentiores Probabilistæ quam perperam in probabilismi suspicionem inducant Antoninum alioſque nonnullos antiquos, quos hac eadem in re certi Probabilioristæ sequuntur.

Antonini loca nihil favent.

Part. 3, pag. 148. c.

Neque favet, quod Cõfessariis præscribit.

Vide P. Elizalde de Rect. doctr. mor. part. 2. lib. 6. q. 20. §. 11.

De rect. usu opinion. Dissert. 14. c. 9.

25. Ne quid vero ex arbitrio confinxisse videar, quum affirmavi Auctorem in solo confessarii dubio absolvendos credidisse pœnitentes, qui benigniorem sententiam sibi non peræque dubiam, sed persuasam habent, ipsa ejusdem Auctoris loca, in quibus & alii veteres allegantur, proferenda sunt. Prima parte tit. 3. c. 10. §. 10. hæc habet ex Petro de Palude: **Si confessor dubitaret* (nota solum *dubitantem* hæc spectare) *utrum illud, de quo confitens non pœnitet, nec confitetur, esset mortale, & ipse confitens dicit, quod consilio peritorum illud fecit, de quibus ex vita & scientia probabile est, quod non consulerent nisi bene* (quæ verba pœnitentis persuasionem probabilissimam arguunt) *illi judicio se potest conformare*, & eumdem proinde absolvere. *Secus autem esset, si esset certus de opposito*. En exceptum confessarium, qui de contraria opinione non dubitat, sed *certus* est. Tum addit ex Goffrido de Fontibus, confessarium dubitantem *debere proponere pœnitenti, quod bene studeat de hoc*, quod scilicet confessario dubium est, *seipsum per prudentes informare, eo quod alii tenent contrariam opinionem*; & sic dubitationem quamdam pœnitenti incuti vult, ut ne temere illi parti adhæreat. Eumdem Paludani laudati textum iterum recitat part. 3. tit. 14. c. 17. §. 15. Goffridi autem testimonium uberius affert tit. 17. c. 20. §. 2. qui locus idem est, ac qui in Latina Summula *Defecerunt* totidem verbis describitur. *Dicit Goffridus in quodlibeto* 9. *quod, si est certum, illud esse mortale, tunc quicumque confessor debet ei facere conscientiam de eo, quum confessor ordinetur ad utilitatem ejus; sed utilitas ejus est, quod sciat statum suum, nec debet eum absolvere, sed reputare eum indispositum ad recipiendam absolutionem, dum manet in tali statu. Sed si dubium sit, utrum sit peccatum mortale, & opiniones sunt inter magistros, sicut utrum sit licitum*

Auctoris sententia de solo casu loquitur, in quo Confessarius dubius sit, pœnitens autem opinionem benignam probabilius persuasam habeat.

**Part. 2. p. 201. b.*

pag. 101. a.

Part. 3. pag. 977. c.

tum emere reditus ad vitam ; tunc aut confeſſor eſt ordinarius ejus, ita quod tenetur audire confeſſionem ejus ; & tunc, ſi ſit illius opinionis, quod illud non ſit peccatum, debet eum abſolvere ſimpliciter. Si autem credit, quod ſit peccatum, debet ei conſcientiam facere, quod confitens diligenter ſe informet de illo facto, utrum ſit peccatum. Sed dato, quod ille non vellet cognoſcere illud non eſſe peccatum, nihilominus ex quo eſt ordinarius, tenetur eum abſolvere, nec reputare eum inhabilem ad abſolutionem, quia ex ratione, & non protervia hæc opinio eſt. Ordinarius autem in abſolvendo debet ſequi commune 1 *judicium Eccleſiæ, non ſuum. Si autem ſit confeſſor delegatus, qui in nullo tenetur confitenti, niſi velit ; ſi credit illud eſſe mortale, non debet eum abſolvere, quia ex mera voluntate dependet, ut abſolvat, vel dimittat : debet enim ſequi in abſolvendo proprium judicium, & peccaret abſolvendo. Hæc Goffridus.* Quæ hic traduntur de diſtinctione inter confeſſarium ordinarium, & non ordinarium ; non probantur in loco allegato primæ partis auctoritate Richardi Claramontani, quum non minus obligatus pœnitenti a nonnullis credatur ordinarius, quam alius quilibet, quum confeſſiones audire orſus eſt. Quod porro diſtinguuntur caſus, ubi *certum eſt* rem eſſe peccatum mortale, & ubi ſolum confeſſarius mortale eſſe *credit* ; *certum* appellare Auctor videtur, quod expreſſa Eccleſiæ auctoritate, vel manifeſta ratione certum peccatum eſt, ut nonniſi culpabilis vincibiliſque ignorantia intercedere poſſit, qua pœnitens affectus, indiſpoſitus judicandus ſit : *credit* autem videtur pertinere *ad opiniones inter magiſtros* controverſas, ubi etſi confeſſarius unam partem probabilius credat, non tamen ea adeo habenda ſit manifeſta, ut certa ſit, & error eidem ſubeſſe non poſſit, nec alii aliter ſentientes judicandi ſint pertinaces & indiſpoſiti, penes quos *ex ratione, non ex protervia hæc opinio eſt.* Hæc ſolum dicta videntur, ne facile confeſſarius ſuæ, licet tutiori, opinioni ita adhæreat, ut certam illam credat, quum in controverſia eſt ; & ut in dubium aliquod inductus, cum pœnitente mitius agat.

1

Part. 1. pag. 202. a.

Confer inferius num. 28.

Secus tenuit Auctor, ſi confeſſario caſus dubius non ſit.

26. At ſi dubium ea conſideratione inducere non poſſit, ſive quia rationes vel auctoritates ſacræ judicentur manifeſtæ, ſive alio ex capite : hunc certe abſolvere non poſſe pœnitentem Auctor tradit aperte eodem tit. 17. c. 16. Poſtquam enim dixit a confeſſario cavendum, ne præcipitet ſententiam *de mortali, quando non eſt certus & clarus*, uti cavendum eſt, *ubi in aliqua materia ſunt variæ opiniones quamplurium & ſolemnium doctorum* ; monuitque, ut in his *conſulatur ſemper quod tutius eſt, non tamen condemnet contrariam facientes, ſeu contrariam opinionem tenentes, nec propter hoc deneget abſolutionem ; ſed, ut dicit Guillelmus, dicat confeſſor, quod illud faciendum, non eſt tutum, ſed dubium, & ideo ſibi bene provideat* (ubi aperte de caſu loquitur, quem confeſſor nonniſi dubium judicet) poſtquam, inquam, hæc monuit, indicat quidem in controverſis quamplurium auctorum ſententiis ita fere dubitandum a confeſſariis, ne temere decidant ; *ſi autem*, addit, *omnino conſcientia confeſſarii dictaret illud eſſe mortale, nec poſſet conſcientiam deponere*, ideſt dubitando, *quod tamen deberet ad conſilium ſapientium, nullo modo debet facere contra conſcientiam, quia peccaret mortaliter*. Itaque quũ confeſſor inter controverſas quoque ſententias certo credit peccatum, quod pœnitens agit, non poſſe iſtum abſolvere Auctor ſenſit, ſed ſolum, quum in ea contrarietate dubius eſt.

Part. 3. pag. 963. b.

Ibid. c.

Ibid.

27. Idipſum alia obſervatione mirifice confirmo. Quum variis in locis, in quibus particulares caſus agitantur, eamdem monitionem Auctor poſuit, ne contrariam opinionem ſequentibus negetur abſolutio ; tum vero id ſemper monuit in ſolis caſibus, de quibus ipſe dubius erat (qui ſane ſoli memorantur in laudato cap. 16.) numquam in illis, in quibus certa & probabilior ipſi ſententia inſederat. Singula loca & quæſtiones indicare juvat. Part. 2. tit. 1. c. 11. §. 29. eam monitionem adhibuit, quum ageretur de emtione jurium Florentiæ, quæ ipſi dubia ſolummodo eſt ex eodem paragrapho, & ex contraria auctoritate ſolum dubia, quum ex ratione probabilior judicaretur, ut liquet ex §. 6. Rurſum eodem titulo c. 23. §. 13. de caſu item dubio vendentium ornamenta mulierum, quorum abuſus gravis præſumendus non ſit, *perſuadendi ſunt*, inquit, *tales ad dimittendum opera & venditionem talium vanitatum, non tamen cogendi per negationem abſolutionis*, & rationem ſumit a dubio : *Dubia enim in meliorem partem ſunt interpretanda*. Caſus item mere dubius ab Antonino habetur ille, qui exponitur tit. 4. c. 5. §. 8. de mulieribus ſe ſe ſuperflue ornantibus, ut *non poſſit clare percipi, utrum ſit mortale, vel veniale* ; & in hoc ſcribit : *Non videtur tunc præcipitanda ſententia, ut dicit Guillelmus Speculator in quodam ſimili, ut ſcilicet deneget propter hoc abſolutionem, vel illi faciat conſcientiam de mortali : quia faciendo poſtea contra illud, etiamſi illud in ſe non eſſet mortale, ei erit mortale, quia* omne, quod fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam 28. *quæſt.* 16. Ex his. *Et quum promtiora ſint jura ad ſolvendum, quam ligandum, Diſt.* 50. Ponderet, *& melius ſit Domino reddere rationem de nimia miſericordia, quam de nimia ſeveritate, ut dicit Chryſoſtomus* 26. *quæſt.* 7. Alligant ; *potius videtur abſolvendum & divino examini dimittendum*. Solum præcipit, ut confeſſarii *talia deteſtentur, & reprehen-*

Id totum confirmatur aliis practicis Antonini deciſionibus.

Part. 2. pag. 189.

pag. 167.

pag. 326. c.

pag. 599. d.

Ibid. c.

1 *Judicium Eccleſiæ* is ſequi dicitur, qui non damnat, quod nondum damnavit Eccleſia : ubi *judicium* late vocatur *non condemnatio* ; quæ tamen approbatio non eſt ex Innocentii XI. decreto diei 2. Martii an. 1679. nec tutas reddit omnes opiniones, quæ vel ante damnationem poſſunt *animabus perniciem inferre*, ut liquet ex Alexandro VII. Vide Prælect. II. n. 12.

hendant, & perſuadeant ad dimittendum, quum ſint nimia & exceſſiva, ut communiter accidit, non tamen ita indiſtincte aſſerant eſſe mortalia. Dubium tamen hoc potius facti, quam controverſæ quæſtionis eſt, in quo conſulenda in hunc eumdem locum noſtra adnotatio 5. Ad quæſtionem vero inter Auctores ea tempeſtate controverſam pertinet *dubium* de die communionis paſchalis propoſitum tit. 9. in proœmio c. 9. in quo etſi tutiorem viam
pag. 995. a. ſequendam Antoninus pronuntiet: *Quia tamen multi prædicatores & magni prædicant aliquando contrarium, illi*, inquit, *qui ex doctrina eorum putantes ſibi hoc licere* (nota & hic perſuaſionem præſumi) *contrarium faciunt, non puto condemnandos ut tranſgreſſores præcepti.* Similiter part. 3. tit. 1. c. 20. §. 5. de conjugali copula tempore menſtrui, quum inter varias opiniones Auctor ambigeret,
Part. 3. pag. 84. c. hæc ex Guillelmo ſubjicit: *Confeſſor in hujuſmodi non debet præcipitare ſententiam, ſed reprehendere & probibere, quantum poteſt, nec propter hoc debet negare abſolutionem nolenti ab hujuſmodi abſtinere.* Tandem tit. 17. c. 16. nuper memorato, ubi abſolutionem non negandam præcipit, duos caſus dubios ex. gr. affert, alterum de emtione jurium Florentiæ, alterum de iis, qui decimas non ſolvunt,
pag. 965. b. *ubi non eſt de more; parati tamen ſemper ad dandum, ſi Eccleſia peteret, quod quidam dicunt eos in ſtatu damnationis, ut Innocentius; alii quod non, ut B. Thomas, Joannes Andreas, & Archidiaconus.* Hæc univerſa ſunt loca, ubi peculiaris alicujus caſus Auctor meminit, in quo abſolutionem haudquaquã negandam contendit, omneſque ſunt caſus eidem dubii & incerti: nec unum locum reperire licuit, in quo ſententiam ſibi certam defendens, licet inter aliquos Auctores controverſam, abſolvendos contrarium agentes ſimiliter monuerit. Itaque ſtet, Antoninum cum ceteris, quos laudat, id unum ſenſiſſe, confeſſarium in ſolo dubio, non autem in ſententia ſibi certa, haud debere ſine abſolutione dimittere pœnitentes, qui contrariam minus tutam opinionem ſequuntur, ſi modo ex perſuaſione illam ſequantur *reputan-*
Part. 2. pag. 89. c. *tes* (uti part. 2. tit. 1. c. 11. §. 29. de juribus montium loquens explicat) *illa licita eſſe ex rationibus, ſeu conſiliis habitis a ſapientibus circa hæc*: quæ ſane verba pœnitentium perſuaſionem a ratione ſive ab auctoritate probabiliorem palam indigitant. In certa
Part. 3. pag. 965. c. autem confeſſarii ſententia, quæ *dictaret illud eſſe mortale, nullo modo debere eum facere contra conſcientiam abſolvendo, quia peccaret mortaliter*, ipſum Antoninum teſtatum audivimus part. 3. tit. 17. c. 16.

Antonini cautio de dubiis ſententiis exiẽdi nequit ad plures noſtrorum temporum opiniones.

28. Cautio porro illa, quam Auctor confeſſariis proponit, ne temere ſententiam certam præcipitent in controverſiis, ad illas controverſias pertinet, quæ magnos utrinque, & celebres, & *Autenticos*, quos vocat, Auctores habent; non autem ad illas, quæ a quibuſdam excitatæ ſunt nullo ſolemni Auctore ſuffragante. Hinc part. 2. tit. 1. c. 16. §. 2. cuidam ſententiæ adhærere non dubitat, *licet aliqui contrarium dicant*, eam rationem afferens, quia *non inveni aliquod jus, vel Doctorem ſolemnem hoc expreſſe dicentem*: & ſimiliter part. 3. tit. 17. c. 16. *Quum illud tale*, inquit, *eſſet contra communem opinionem doctorum, & communiter ſic ſervatur a ſapientioribus, quamvis aliquem doctorem* (confeſſarius) *audiret contrarium tenere, non de levi debet illi adhærere.* Raræ erant id genus controverſiæ Antonini ætate, quum nonniſi ea fere defenderentur, quæ graviſſimis argumentis vera videbantur, cujuſmodi argumenta graves item & ſolemnes Auctores approbantes invenerunt: ac propterea in his, ſi benigniora non perſuaderent, fere erat dubitandum, nec temere damnandi, qui aliquas ſententias benigniores defenderent ac ſequerentur. At hac tempeſtate, quum plures opiniones divulgatas videamus, non tam inauditas antiquis, quam ab ipſis communiter reprobatas, & inductas recentius a nonnullis, qui illas probabilitatis ſubſidio defenderunt, & plerumque etiam defenderunt non uti veras (adeo enim irrationabiles ſunt, ut nemini veræ videri potuerint) ſed uti probabiles tantum; quis non videt, ejuſmodi opiniones ex præſtituta Antonini regula non debere quemquam movere, nec ad has eam cautionem ex mente ipſius eſſe extendendam, quam in antiquorum ſolemnium Auctorum gratiam ille præſcripſit? Sed hæc, quæ longioris diſputationis materiam ſuppeditarent, attigiſſe ſufficiat.
Part. 2. pag. 252. b.
Part. 1. pag. 965. d.

Concluditur.

29. Interim vero illud ex hactenus dictis palam conſtitutum vides, probabiliſmo nihil prodeſſe hæc teſtimonia, in quibus S. Antoninus abſolvendos cenſuit in dubio, qui benigniores ſolemnium Auctorum ſententias confeſſariis dubias ſequuntur. Quum enim pœnitentes non ex probabilitate, ſed ex probabiliori perſuaſione eaſdem ſequuti præſumantur; ex una parte Probabilioriſtas tantum, non autem Probabiliſtas ea teſtimonia juvant: ac præterea ex parte alia, quæ confeſſarium inter opiniones probabiles dubitantem tangit, iis in caſibus non mere probabilis, ſed perplexa conſcientia eumdem confeſſarium proprie afficit, cui dubium utrinque periculum imminet, ſi vel abſolvat pœnitentes quamtumvis perſuaſos, vel abſque abſolutione dimittat: minus autem periculi in abſolvendo, quam in dimittendo ingruere ab Antonino judicatum eſt. Quum enim probabiliorem ſententiam ſequi, per omnes liceat; ea vero quæ a pœnitente cenſetur probabilior, a dubitante Confeſſario non judicetur manifeſte falſa, quam negata abſolutione prohibere omnino debeat; ſed ejuſmodi, quam ſi omnino prohibeat, forte verum prohibeat: hoc in dubio minus periculi ab Antonino habitum nonnullis videtur, abſolvendo permittere certo licitum probabilioris ſententiæ uſum ei, qui forte errat, quam dimittendo eumdem licitum uſum illi prohibere, qui in eo forte non errat; quod idem eſſe ajunt, ac ob incerti erroris

dubi-

dubitationem & principii certo liciti, & forte ipsius veri usum prohibere ei, qui principio certo licito utens, non dubium, sed verum se sequi arbitratur, & forte etiam sequitur. Adde tandem, quod tutius adhuc suaderi, metumque de periculo pœnitenti injici Auctor jubet: quod sane non inculcasset, si probabilitatem tutam morum regulam credidisset, uti Probabilistæ contendunt, qui proinde sequentibus opiniones probabiles nihil periculi, sed omnia tuta pollicentur. Quæ omnia mere ad vindicandas a probabilismi suspicione vel accusatione plures Antonini sententias dicta accipiantur.

Vid. supra num. 25.

30. Huic autem disputationi antequam finem impono, alia duo locorum genera expedit observare, in quibus cautionem hoc ipso paragrapho explicatam, ne in dubio opiniones damnentur, faciliſque pronuntietur sententia, opportune alia quadam ratione vel occasione Antoninus urget; quorum alterum ad confessarios pertinet, ad Prædicatores alterum. Primum locorum genus ad confessarios pertinens illud est, quo Auctor nonnullis in rebus *ante* & *post factum* distinguendum monet, ita ut *post factum* quidem non damnentur, qui opinionem aliquam confessario dubiam bona fide sequuti sunt; & solum *ante factum* ea non approbetur, sed potius, si fieri possit, impediatur & prohibeatur. Ita parte 2. tit. 1. cap. 5. §. 8. loquens de permutationibus præbendarum inter Canonicos ejusdem Ecclesiæ, in quibus aliqui auctoritatem superioris requirebant, laudat Joannem de Imola dicentem *ante factum hoc esse tenendum ut tutius.... tamen prius factum forte procederet opinio contraria*. Rursum cap. 8. de dubio, num liceat emere pignora ab usurariis, ait: *Quia materia non est usquequaque clara, nemini consulendum est, ut faciat*, ideſt emat ejusmodi pignora. *Post factum non condemnandus*. Item part. 3. tit. 1. cap. 11. in fine in alia quæstione Auctori valde dubia circa quamdam matrimonii dispensationem, num valida sit, necne: *Nulli consulendum est*, inquit, *sed omnino prohibendum procurare dispensationem.... Sed si post contractum, & multo magis consummatum tale matrimonium obtinuit dispensationem.... dimittendum est negotium judicio Dei, nec condemnandum*. Huic affine est illud Augustini in lib. *de Fide & operibus* cap. 19. ubi dubium quoddam matrimonium *ante factum* contrahi vetuit; *post factum* vero condemnare, dissolutionemque ante baptisma præcipere ausus non est. *Quæ dubia sunt crimina, omni modo conandum est, ne fiant tales conjunctiones: quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere? Si autem factæ fuerint, nescio utrum ii, qui fecerint, similiter ad baptismum non videantur debere admitti*. Hæc cautio *post factum* in matrimonio necessaria maxime est, quum illud dissolvere in dubio, si forte validum fuerit, periculum afferat. In ceteris vero, quæ nihil periculi habent, quid illi in dubio post factum certo damnentur, quos errare certum non est? Sed quum certum non sit eos non errare, cur *ante factum* eos a periculo non revocemus? Hac ratione per se manifestissima ductus Benedictus XIV. *De Sacrific. Missæ* part. 4. §. 2. num. 99. eamdem distinctionem maxime probavit, & in celebri apud Theologos controversia, utrum dubitans, num jejunus sit, communionemque sumere, vel Missam celebrare possit, opiniones utrinque probabiles transmittens, iisdem expendendis locum esse censuit, *quando actus jam perfectus sit, non vero antequam fiat*: hoc enim secundo casu, inquit, *a communione & celebratione abstinendum est*. En ipsa ejus verba cedro digna: *Ciascuna di queste opinioni ha i suoi fondamenti, e noi non lo neghiamo: ma nello stesso tempo stimiamo bene di asserire aver luogo l'esame delle medesime, quando l' atto è già fatto, ma non quando deve farsi. Per esempio, uno s' è comunicato, o ha detta la Messa, e poi esaminando la sua coscienza, dubita, se mangiò, o se, quando mangiò, era passata la mezza notte: ed in queste circostanze entrerà il bilanciare, qual sia vera, e quale delle dette opinioni debba abbracciarsi. Ma quando tal uno non s' è per anco comunicato, o non ha detta la Messa, ma volendo comunicarsi, o dir la Messa, gli nasce il dubbio, se mangiò, o se la mezza notte era passata, quando mangiò; dee tanto nell' uno, quanto nell' altro caso astenersi dalla Comunione, e dal celebrar la Messa*. Soli Probabilistæ secus tradere possunt, quibus sive ante, sive post factum probabilis opinio æque tuta regula est, & non solum iis, quibus persuasum est illam esse veram, sed iis quoque, qui eam dubiam agnoscunt, quos ab ea certo abstinere oportere, & certi criminis condemnandos, si huic periculo se se exponant, nec Antoninus, nec ulli veteres dubitarunt. Hæc de primo genere, quod Confessarios tangit.

Alia Antonini distinctio ante, & post factum.

Part. 2. p. 48. d.

pag. 143. c.

Part. 3. p. 43. b.

pag. 550. tom. 2. edit. Bononien.

31. Nunc venio ad alterum, quod ad prædicatores spectat, quibus Auctor eamdem, quam confessariis, cautionem præscribit, ne de dubiis morum sententiis certo pronuntient. In prædicationibus enim quum Dei verbum populis sit adnuntiandum, nihil nisi certum & exploratum adferendum est: quumque Christi, non autem scholastica cathedra sit, supra quam prædicatores sedent; exinde Christi doctrina, non vero hominum opiniones explicandæ sunt: quæ si quando memorandæ videantur, eas ut opiniones, non ut certa dogmata traducere licebit. Neque refert, quod tutiora prædicentur. Aliud enim est opiniones tutiores promovere, aliud vero easdem uti certas prædicare. Quum de dubiis opinionibus agitur, tutiores promovere non opinio, sed regula per canones & Patres certissima omnino est, ut ex hactenus dictis liquet: unde & Apostolus Paullus dubitantibus de licito quarumdam escarum usu, ab iisdem abstinendum esse prædicare non dubitavit; quem-

Cautio a Prædicatoribus adhibenda in opinionibus controversis.

Quæ in concionibus certo ingerenda.

Quid in dubiis.

quemadmodum & cavendum præcepit *ab omni ſpecie mala*, in qua peccata dubia certiſſime recenſentur. At videndum, ne certum malum dicatur, quod tamquam dubium cavendum promovetur: forte enim alii melius intelligentes malum non eſſe verius cognoſcent, nec ex dubia prædicatoris opinione laqueus animabus injiciendus eſt, ac ſi aliud agentes ex opinione ipſis probabiliori, certo evadere peccatum non poſſint. Hæc ex Auctore manifeſta fient. Part. 2. tit. 1. cap. 11. §. 29. agens de quodam contractu valde dubio, num ſit uſurarius, poſtquam cautos eſſe juſſit confeſſarios, hæc pro prædicatoribus ſubjicit: *Multo magis in prædicatione in hujuſmodi materia non eſt præcipitanda ſententia, quod ſit mortale, ſeu uſurarius contractus, ut dicit etiam Cancellarius Pariſienſis in generali loquens de dubiis materiis de mortali: & hoc ne injiciatur laqueus animabus, 27. quæſt. 1. can.* Viduas. *Sed nec etiam prædicare expedit licitum eſſe contractum, ne via paretur cupiditati; ſed vel nil dicendum de tali materia, aut ſi dicatur aliquid, oſtendendo dubium eſſe, & per conſequens perſuadendo ab abſtinentia iſtius contractus, ut tutior via eligatur.* Id verum eſt in iis, quæ vere dubia ſunt, in quibus *prædicandum cum magna diſcretione, quum populi ad dilatandam conſcientiam ſint proni; & ideo quæ tutiora ſunt, dicenda ſunt*, inquit idem S. Auctor cap. 16. in fine; ſed ipſa tutiora ita fere dicenda, ut quæſtio vitetur: *Nec enim oportet omnem veritatem aperire in prædicatione propter periculum abutentium ſententiis veritatis, qui proni ſunt ad conſcientiam dilatandam*, ut explicavit eodem cap. §. 1.

Parte 2. pag. 189. d.

pag. 261. b.

pag. 251. b.

Cavendum a ſcrupulosis præſertim in cõcionibus.

32. In iis vero, quæ ſcrupuloſa ſunt potius, quam dubia, ſeu contra communem ſententiam ſunt, hæc cautio multo magis adhibenda eſt, ne ſcrupuloſa, etſi tutiora, a prædicatore ingerantur. Longius hac in re teſtimonium ex eadem 2. parte tit. 2. cap. 6. exſcribendum eſt. *Sicut enim prædicator*, inquit Antoninus loquens de quadam reſtitutionis remiſſione, quam quidam ſcrupuloſius in dubium vocarunt, *debet ſibi cavere a prædicando ea, quæ habent homines inducere ad malum, & ab alleviando mala: ita debet ſibi cavere a prædicando ſcrupuloſa & ardua, quando communis opinio eſt in contrarium; hoc enim eſſet injicere laqueum animabus, quod fieri non debet, 27. quæſt. 1.* Viduas. *Audiendo enim talia & non ſervando, quum ex auditis formet ſibi conſcientiam, hoc ſibi neceſſario fiendum, qui habuit hujuſmodi remiſſionem, & ex difficultate nolit ſe ponere ad faciendum, erit in malo ſtatu ratione conſcientiæ ſibi factæ ſuper eo, in quo bene poterat tranſire cum bona conſcientia.* Subjicit porro ſcandalum, quod hinc enaſci facile poteſt, ſi quæ ſcrupuloſa prædicantur, in confeſſionibus ſubinde deſerenda ſint. *Si prædicator in prædicatione hoc dicat, ſcilicet non ſufficere remiſſionem, niſi &c. & poſtea in audientia confeſſionis faciat contrarium, & dicat illi ſufficere; nonne ex hoc poteſt ſequi magnum ſcandalum contra doctrinam prædicationis? Ex hoc enim poterunt homines credere, ſic eſſe de multis aliis, quæ prædicatores dicunt, ſcilicet quod non ſunt ſimpliciter vera, ſed ad terrorem dicta: & ſic periclitet doctrina fidei.* Optima cautio in opinionibus præſertim ſcrupuloſis, de quibus hoc poſtremo textu potiſſimum agitur.

pag. 395. c.

Abuſus nonnullorum cõfeſſariorum, qui alia in prædicationibus probant, vel inculcant, alia in confeſſionibus ſequuntur.

33. Sed hoc tempore ejuſmodi cautione in prædicationibus opus fere non eſt, ubi non ſcrupuloſa, nec dubia, ſed certa & tuta ingeruntur. Potius in confeſſionibus reprehendendum maxime eſt, ea, quæ certa ac tuta in concionibus prædicantur, non æque exigi in confeſſionibus, ſed permitti contraria, quæ tuta non ſunt, immo laxa potius & falſa; & ab iiſdem nonnumquam permitti, qui ea in concionibus acriter perſtringunt, & damnant: quod quanto ſit populis ſcandalo, & quantam animabus perniciem inferat, nemo non videt. Hinc enim haud æqua de divino verbo, quod in concionibus annuntiatur, opinio vulgo enaſcitur; & quum per exaggerationem dici multa in concionibus creduntur, tum vero ipſum divinum verbum exaggerationi, non veritati ſæpiſſime deputatur; ita ut quæ in praxi ſequenda ſint, non a divino verbo per prædicatores tradito, ſed a privatis Confeſſariorum vel Theologorum conſiliis ac opinationibus petendum exiſtimetur, illique ſe tuti apud Deum judicent, qui non ejus verbum ab Evangelicis miniſtris publice nuntiatum, ſed eorum potius, a quibus ejus Evangelicum verbum privatim quandoque deſeritur, conſilia ſequuntur. Quod ſi excuſationis gratia dicas, ad Evangelicum Chriſti verbum non omnia ſpectare, quæ præſertim tuta in concionibus inculcantur; male ego ea inculcari contendam e cathedra Chriſti, quæ Chriſti verba non ſunt. Sed quum ea ſemper in ſacris concionibus ſimiliter tradita obſervare quiſque poſſit, & ab iiſdem antiquis ſanctiſque Patribus tradita, qui ex Paulli præcepto non tam rerum ſubſtantiam, quam ipſam *verborum formam*, ne a tradito verbo declinarent, in concionibus retinere ſedulo ſtuduerunt; ea ad certum Dei verbum pertinere dubitare non licet. Potius ab hoc divino verbo Confeſſarios Theologoſque nonnullos deſciſcere, quum in privatis conſiliis contraria permittunt vel conſulunt, magna mihi ſuſpicio eſt. Enimvero quis de verbo Dei, ac de ſana tutaque doctrina dubitet in concionibus, in quibus fere non niſi e ſacris libris ac traditione Sanctorum, quæ verbum eſt Dei, teſtimonia allegantur? Ab his autem fontibus quum nonnumquam diſcedatur in confeſſionibus privatiſque Theologorum conſiliis, in quibus non ex illa Scripturarum Patrumque doctrina, ſed ex privatis fere Scriptoribus praxis dirigitur; quid mirum, ſi ea tuta & ſana doctrina deſeritur, aliaque dubia, quæ Dei verbum non eſt, immo a Dei verbo quandoque diſcedit, ingeratur? Ita porro evenit, ut,

Præjudicium detegitur, & expugitur.

2. Timot. 1. 13.

quum

cum Sacrorum librorum, & Sanctorum Patrum doctrina in concionibus tradatur, ex Auctorum vero privatorum opinionibus confessiones regantur, & vita; illorum *doctrina in templis* fere *maneat, haud vero transeat ad mores*, ut dolens observavit P. Michael de Elizalde Soc. Jesu Theologus præstantissimus.

De recta doctrina morum parte 2. lib. 6. quæst. 6. a. 6. p. 188.

34. Sed aliam non debere esse concionum doctrinam, confessionum aliam, omnes sanæ mentis homines facile intelligent. *Illud perpetuo quærere soleo*, inquit laudatus Theologus, *utrum quæ ex Scripturis & Sanctis in templis efferuntur, vera sint, an falsa. Si falsa (quod absit) nec quidem in templis essent ingerenda. Sin vero vera sunt, ut utique sunt; ergo etiam in schola, & in libro morali, & ubique vera sunt. Fieri ergo nequit, ut aliud sit verum templorum; & non hoc, sed aliud sit verum librorum moralium; & uno modo ex suggestibus sacris instituendi simus de via salutis, & prorsus alio alibi.* Non alia quidem fuit veterum & Sanctorum doctrina. *A principio plane non fuit sic*, subdit idem Elizalde. *Neque enim Apostolorum in primis tempore alia ipsi in concionibus dabant, & alii deinde Theologi, ex quorum dictis esset vivendum, supererant: aut alia ipsi tamquam ministri sermonum & verbi Dei annuntiabant, & alia deinde tamquam Theologi epistolis suis aut verbo edocebant. Neque martyrum tempore, nec ætate Doctorum fuit ista sacrorum oratorum Theologorumque divisio, ut alii quidem Theologi essent, & alii dein verbi Dei annuntiatores, & alia ac alia utrique docerent..... Neque vursus illi ipsi summi viri quasi unam facultatem homilias suas & conciones sermonesque tradebant; ac deinde quasi rem prorsus aliam morum disciplinam moralemque Theologiam, ex qua viveretur, consignabant: sed conciones, homiliæ, sermones, & Theologia moralis, morum disciplina, & hoc genus omnia unum idemque erant: unde nulli nobis suppetunt eorum libri, alii quasi concionatorii, alii vero prorsus alii, qui Theologici morales vocarentur; & opera etiam illa, quæ de concionibus non sunt, talia exsistunt, quæ ex concione dari possent, ejusdem plane naturæ, unius doctrinæ, ex eisdemque libris compacta, atque verbis Dei conferta.* Post quæ observans nostri ævi abusum, quo *utraque ista facultas differt adeo & distat, ut nullæ vix duæ aliæ discrepent magis*, veteris moris desiderium acuit egregiis illis verbis: *Utinam ergo conciones eas habeamus, quæ in scholis quoque valeant! utinam Theologiam eam, quæ in templis etiam ædificet! & utraque ista facultas in unum conspirans se se invicem juvet, nec altera dissipet, quæ altera plantavit rigavitque.* Quod si huic justo desiderio in praxi non satisfiat, cautiorum erit hominum non aliam a concionibus, idest a Dei verbo ex Scripturæ & Sanctorum doctrina in concionibus tradito disciplinam sequi, nec speciosо Theologorum nomini fidere: nam *Theologia omnis, quæ vere Theologia sit, scilicet ex Scripturis Sanctisque collecta, eadem illa docet, statuit, & promovet; aliæ autem, si quæ essent, doctrinæ hominum Theologia non sunt, & cavendæ magis essent*, ut idem Elizalde ex Evangelio opportune monet.

Ibidem.

Ibid. p. 187.

35. Cogitandum videlicet hac in re illud maxime est, præcepisse Christum, ut sequamur, quæ ab ipsis Scribis & Pharisæis e cathedra Moysi traduntur, non autem ea, quæ illi pro praxi privatim docent: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* Cui mandato ne contrarium credatur illud in eodem Matthæi Evangelio præmissum, quo cavere idem Christus jussit *a fermento*, idest, uti mox explicatur, *a doctrina Pharisæorum & Saducæorum*: illud primum pertinere intelligitur ad doctrinam, quam e cathedra Moysi Pharisæi quoque puram & tutam, ut in sacris libris continetur, in Synagogis tradebant; hoc vero ad illa *mandata* & *traditiones hominum*, quæ e cathedra publice ingerere non ausi, in privatis sermonibus atque consiliis ad vitam suam aliorumque dirigendam usurpabant, horum quidem causa *cæci* effecti, & *duces cæcorum*, ut Christus ipse testatur: unde Augustinus tract. 46. in Joannem num. 6. inter duas hasce doctrinas distinguens, *Sedendo*, ait, *cathedram Moysi legem Dei docent; ergo per illos Deus docet: sua vero illi si velint docere, nolite audire, nolite facere.* Utinam hac eadem regula a Christo jam præfinita Christianorum praxis nunc quoque regeretur, ut ea isti susciperent, quæ e cathedra Christi in concionibus incorrupta fere traduntur; si quæ vero privatim in confessionibus vel consiliis audiunt contraria concionibus, ab iisdem caverent tamquam a fermento, quod ad Christi cathedram non pertinens, non Dei, sed hominum doctrina & traditio est, a qua Christus cavendum præmonuit.

Potius Prædicatoribus, quam Confessariis vel Theologis ut plurimum fidendum, quum contraria ingerunt.

Matth. 23. 2.

cap. 16.

Matth. 15.

Ibid. v. 14. & Luc. 6. 39.

36. Ne vero hæc calumniose dicta credantur, ratio & praxis ipsa facile suadebunt. Rationem, cur in concionibus purior doctrina sit, in privatis autem consiliis & confessionibus facilius corrumpatur, non obscure indicat Augustinus serm. 137. alias de Verbis Domini 49. ubi n. 13. observat, in Ecclesiæ cathedram ad concionandum *ascendere aliquando aut presbyterum, aut Episcopum; & non dicit aliud*, inquit, *de superiore loco, nisi ne rapiantur res alienæ, ne fraudes fiant, ne scelera admittantur. Non possunt dicere aliud, qui cathedram Moysi sedent, & ipsa de illis loquitur, non ipsi.* A quo Evangelico doctrinæ genere, cui populus assuetus est, si concionatores laxioribus sententiis discederent aliquantulum, *aures plane offenderent fidelium*, ait memoratus sæpe Elizalde, *nec Evangelium exponere, sed profanare censerentur. Ipsa itaque cathedra, sanctitudo etiam loci, &, ut ita loquar, publicitas, & Evangelium denique ipsum, quod quoquo modo demum tractant & exponunt, nec prorsus præterdicere audent, eos tenet, ne aliter dicant & doceant.* At in confessionibus & consiliis privatis cum uno vel paucis agendum est,

Ratio efficax propenitur.

Ubi sup. a. 4. pag. 185.

qui

qui fere non veritatis & Evangelii audiendi, ſed cupiditatis fovendæ ſtudio conſilia exquirunt illa virtuali formula : *Loquimini nobis placentia* ; cujuſmodi eos quoque fuiſſe Auguſtinus laudato loco deſcribit n. 14. qui abs ſe conſilia petebant : *Multi a nobis conſilia mala petunt, conſilia mentiendi, circumveniendi*, &c. Quibus ſi te Michæam præbeas, pro veritate contra cupiditatem reſpondens ; periculum erit, ne audias, quod Michæas de Rege illo, cui vera reſponderat, audivit : *Non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum* ; vel quod Chriſtus ipſe : *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Rari porro ſunt, qui pectus conſtans & Evangelicum præ ſe ferentes, dicere cum eodem Auguſtino poſſint : *In nomine Chriſti, ſi Domino placet quod dicimus, nullus talis nos tentavit, & invenit quod volebat in nobis*. Quum enim corruptæ naturæ difficile accidat aliis diſplicere, annuere autem facillimum ; perfacile inveniuntur, qui facilitate hac reſpondendi abrepti, ea probent privatim, quæ in [2] concionibus publicis probare non auderent (immo quandoque nec ſignificare vellent aliis peritioribus ac piis, quibus illa defendere ſatis æque non poſſent) eoque facilius illa probent, ſi conſuetudine, ut vocant, quæcumque ſit, recepta fuerint, & multo magis, ſi alii plures in confeſſionibus atque conſiliis ſe ſe ſimiliter gerant : hæc enim in patrocinii argumentum aſſumuntur frequenter ; quæ tamen ſi auctoritate ſacra deferantur, vel impugnentur, perpetuo [3] reprobavit antiquitas. Hoc ex fonte (ut veniamus ad praxim) permultæ laxiſſimæ propoſitiones a Pontificibus etiam magnam in partem damnatæ manarunt, quas in libris quidem pro confeſſionibus atque conſiliis, non autem in concionibus reperire facile licet. Hinc vel hodie evenit, ut uſuræ, quæ in concionibus & Scriptura & Patribus reprehenduntur tamquam [4] frequentes, in confeſſionibus & conſiliis privatis nullæ fere uſpiam reperiantur : ut theatra, choreæ, aliæque occaſiones peccandi, quæ pro concione coarguuntur vehementer, & perſtringuntur a Patribus, inculpata ferme tranſigantur a confeſſariis in praxi, eas excuſationes facile ſuſcipientibus, quas ſanctos Patres conſtanter reprobaſſe certiſſime conſtat : ut æs alienum, & mercedes, quæ ſolvenda prædicatores ex Scripturis inculcant, ſine ſolutione diferri ſinantur iis, quorum exceptiones nemo Patrum probaret, ſed culparent omnes non modicum, ut quotidianæ creditorum ac mercenariorum querelæ illas juſtiſſime culpant. Sed infinitus eſſem, ſi vellem ſingula perſequi.

1. Reg. 22. 18. Jo. 6. 61.

Quæ praxis eſt.

37. Fuere omni ævo nonnulli, qui vel *dum plauſibiles eſſe capiunt*, ut Cyprianus in quibuſdam presbyteris animadvertit epiſt. 9. vel, ut Auguſtinus de aliis loquitur in Enchiridio n. 18. *humana quadam benevolentia* decepti, humanæque infirmitatis miſerti, faciliora cogitarunt in praxi, quibus etiam contraria quædam in ipſis Scripturis *pro ſuo motu mollienda* viſa ſunt, *& in leniorem flectenda ſententiam, quæ putant* (inquit ibidem Auguſtinus n. 29.) *in eis terribilius eſſe dicta, quam verius* : adeo vel tum privatus ſenſus a divino verbo diſcedens, exaggerationes quaſdam oratorias in eodem ſomniabat. At id genus homines tum fere rari, & a pleriſque reprehenſi. Nunc autem vereor, ne ſine coercitione ſatis idonea nimium multum excreverint. Id autem probabilitati, ſeu abuſui ejus vertendum maxime eſt, non quod alterius ſententiæ homines humana illa indulgendi tentatione capti laxiora permittere non poſſint, ſed quod probabilis opinionis nomen facilius operetur, tutaque id genus omnia ſuadeat ; idque quum apud Probabiliſtas facile obtineat, alterius etiam ſententiæ hominibus præjudicio eſt, qui ex illorum facilitate in invidiam traducti, ſi renuant (ut laudatus Cyprianus ſuo quoque ævo deprehendit epiſt. 22.) tentatione magna afficiuntur, ut non abſimiliter cedant atque conniveant. His interim fortis & invitus animus a Deo optimo maximo precandus eſt, ne ullo humano reſpectu torrente rapiantur : ceteris autem optandum, ut eadem concionum doctrina in confeſſionibus & conſiliis utantur, certa ſpe freti, ut ſi utraque & Prædicatorum & Confeſſariorum Theologorumve doctrina conveniret in unum, nec altera alteram emolliret, ſeu verius deſtrueret, Chriſti fideles magno ac ſalutari metu percuſſi, vitam pravam corrigerent, ac mutarent in melius, colligereturque fructus immenſus. Verum neſcio, utrum hoc, quod optare & petere licet, ſperandum facile ſit, an metuendum potius, ne ita homines laxis hiſce Confeſſariorum Theologorumque ſententiis ſenſim incaleſcant, ut contrario prorſus niſu in conciones paullatim traducatur hæc diſciplina a Prædicatoribus ipſis, ac proinde confeſſionum & corruptæ praxeos doctrinæ doctrina concionum accommodetur ; quemadmodum aliquot ejuſmodi ſemina nonnullis quo-

Animadverſio in antiqua & noſtra tempora.

pag. 77. c. & 78. a.

2 Non omittendus hac in re inſignis locus P. Elizalde quæſtione allegata §. 4. p. 185. *Videre ergo reflectereque confeſſores conſultoreſque poſſent, ſi vellent, utrum ea, quæ clam & in occulto reſolvunt & docent, auſuri eſſent palam & coram ex alto dicere, & quæ in aures ingerunt, prædicare ſuper tecta. Quod ſi rubor eſſet, verecundia impediret, populus etiam forte ſcandalizaretur ; regula eſt : Quæ dicunt, nolite facere.* Quot conſilia hoc ſolo experimento haud ſequenda dignoſcerentur.

3 Ita ex gr. Auguſtinus in lib. *de Catechizandis rudibus* quædam peccata recenſet, quæ inter plures Chriſtianos uſu recepta, patronos etiam ac defenſores habebant. At nihilominus unumquemque catechumenum moneri voluit : *Quum ergo videris multos non ſolum hæc facere, ſed etiam defendere atque ſuadere ; tene te ad legem Deo, & non ſequaris prævaricatores ejus : non enim ſecundum illorum ſenſum, ſed ſecundum illius veritatem judicaberis*, n. 48.

4 *Non defecit de plateis ejus uſura & dolus*, &c. pſ. 54. v. 12. Patrum teſtimonia plura ſunt, quæ recitare non vacat.

quorumdam concionibus injecta audivimus, quæ tamen auditorum admirationem, indignationem, & fremitum excitarunt. Nimium fortaſſe hac velut in Appendice immoratus ſum; ſed rei ipſius gravitas plura potius, quam pauciora poſtularet.

Concluſio primæ Partis.

38. Habes tandem hoc & ſuperiori in paragrapho expenſa & explicata, quæcumque adverſus præſtituta principia ex univerſo Antonini opere pro Probabiliſtis elici poterant. Quæ ſi nihil infirmare illa principia poſſunt (adeo explorata eſt pluribus ex locis Auctoris ſententia) nihilque præterea invenire Probabiliſtis licet ſive ex Summa, ſive ex operibus aliis: perperam omnino inter Probabiliſtas recenſetur, qui in decidendis conſcientiæ caſibus principia probabiliſmo oppoſita & diſerte ſtatuit, & perpetuo atque conſtanter adhibuit.

PARS II.

DE PROBABILISTARUM PRINCIPIIS.

§. IX.

Sola reflexa principia adſtruunt Probabiliſtæ, quæ ex præſtitutis ab Antonino principiis nova & inania oſtenduntur.

39. INter quamplurimos, qui probabiliſmum laudant & probabiles ſententias in praxi licitas habent, haud ſcio, utrum omnes intelligant, quatenus a veris Theologis probabilitatis patronis id licere tradatur. Quum enim ad licite agendum moralis certitudo, quæ dubium ſaltem practicum excludat, per omnes etiam Probabiliſtas neceſſarium ſit, ut vidimus num. 7. olim quidem nonnulli Probabiliſtæ videntur exſtitiſſe, qui hanc moralem certitudinem haberi poſſe crediderunt ex qualibet auctoritate vel ratione etiam minus probabili, cui animus acquieſcens, dubium contrariis argumentis excitatum tute deponat. At agitata deinceps enucleatius controverſia, ipſi Probabiliſtæ viderunt hoc non poſſe defendi: rationes enim & auctoritates mere probabiles, quæ aliis rationibus & auctoritatibus æque vel fere æque probabilibus, nec prudenter contemnendis impugnantur, afferre non poſſe eam moralem certitudinem, quam ipſæ non habent, explorate cognoverunt. Ex hujuſmodi nimirū rationibus & auctoritatibus utrinque probabilibus, affirmari quidem ſimul poſſe intellexerunt, *probabile eſt hoc licere*, & *probabile eſt non licere*; at affirmari præterea poſſe *certum eſt licere* (uti ad moralem certitudinem requiritur) & ex iiſdem directis auctoritatum ac rationum principiis *certum* affirmarii quæ ſolum probabilia, non autem certa judicantur, impoſſibile præviderunt, tum quod certum ex probabili enaſci non poteſt; tum etiam quod fieri ſimul nequit, ut ex iiſdem principiis directis certum ſit licere, quod non licere probabile creditur. Itaque jam in hoc Probabiliſtæ nobiſcum conveniunt, ad licite agendum dari oportere aliquod principium moraliter certum, ex quo uno moralis certitudo ad licite agendum neceſſaria derivari poſſit: quumque hoc principium certum in rationibus & auctoritatibus benignæ ſententiæ probabilibus, quas principia directa appellant, haudquaquam ſuppetat; confugerunt ad principia reflexa, in quibus ſi nihil certi afferatur pro ſententiis benignis æque vel minus probabilibus, his non licere uti prorſus fatentur. Hæc jam ſententia eſt Probabiliſtarum communis, quam qui ignorant, non video, quominus aliter utentes ſententia probabili, vel ex Probabiliſtis ipſis peccato condemnari debeant.

Probabiliſtarum ſententia.

Vide Epiſtolam 3. adverſus diſſertatorem.

50. His interim præmiſſis, Probabiliſtas peritiores audire mihi videor, qui quum propoſitis Antonini ac veterum teſtimoniis ſe ſe adactos videant in anguſtum; ne ea ſibi contraria eſſe credantur, dubitandum quidem ex iis dicent inter opiniones æque vel fere æque probabiles, quatenus principia ipſarum directa ſpectentur, ac in ejuſmodi dubio, quamdiu principiis reflexis certis non tollatur, tutiorem viam eligendam ſe quoque fateri prædicabunt. At reflexa quædam, non probabilia, ſed omnino certa principia ſe habere ſubjicient, queis quodcumque probabile eſt, certo licet. Exemplum, quo id intelligatur, in re quidem morali eſſe poteſt illud, quo dubium ſit, num quis caſus in lege Principis aliquid interdicente comprehendatur. Rationes & Auctores hinc & hinc graves, qui afferri utrimque poſſunt, ſunt principia directa utrinque probabilia, ex quibus dubia utrinque res eſt, nec certitudo moralis induci poteſt. Itaque in hoc dubio, ſi nihil aliunde certi ſuperveniret, tutius eſſet agendum, ac res uti prohibita vitanda eſſet, ne quis violandæ legis periculo ſe committeret. At fac, Principem legem aliam tuliſſe, qua declararit caſus dubios in ſuis legibus nolle comprehendi. Hæc lex generalis certum eſſet principium, quo dubium omne ex directis principiis ortum tolleretur, & principium reflexum appellari ſolet. Si Probabiliſtis reflexa quædam principia perinde certa afferrent, quibus certe liceret, quod eſt utrinque probabile; probabiliſmus jure reprehendi non poſſet. At vereor, ne magni ſponſores ſint, qui reipſa nihil præſtent.

Explicatur quæ ſint directa principia, & quæ reflexa.

51. Nulla certe ejuſmodi principia nota fuerunt S. Antonino & antiquis, qui nulla id genus in decidendis caſibus indicarunt, nullis umquam uſi ſunt; quæ ſane ſi cognoviſſent, non ſemper in dubio tutiorem eligendam inculcaſſent. Hoc primum falſæ pollicitationis indicium eſt mihi quidem graviſſimum, quum in doctrina & regulis morum æque ac in fidei dogmatibus inane prorſus ac falſum eſſe debeat, quod anti-

Principia reflexa Probabiliſtarū univerſim exploſa.

quitati ignotum fuit. Adde quod reflexis aliquot principiis non caruerunt antiqui, ut in casibus perplexæ conscientiæ est illud §. 6. num. 21. fusius descriptum: *De duobus malis minus eligendum*. In casibus autem conscientiæ utrinque probabilis nullum aliud ab iisdem receptum video, quam toties repetitum ab Antonino, & e sacris canonibus sumtum: *In dubiis tutior via eligenda est*: quod sane unum principium a tota antiquitate confirmatum stare non posset, si vel unum probabilitatis principium certum daretur. Quum autem istud stare profecto debeat, ne tota condemnetur antiquitas; ex eo uno omnia Probabilistarum principia, quæ simul nequeunt consistere, plane evertantur necesse est. Hæc universim dicta satis esse possent, ut sanæ mentis homines ejusmodi principiis nihil siderent. Sed ut apertiora quædam ex Antonino promamus, qui etsi illa principia nondum a quopiam excogitata nequaquam novit, ejusmodi tamen doctrinas in suo opere inspersit, quæ illa fere singula refellere queunt. Eja jam ipsa producamus in medium, & ad S. Auctoris calculos revocemus.

§. X.

Exploditur Antonini testimoniis primum reflexum principium ab incertitudine legis ductum.

42. HOc principium maximo conatu a Probabilistis effertur. Quum inter opiniones probabiles, inquiunt, dubium exsistit, utrum lex in proposito casu obliget; lex perinde incerta vel nulla est, vel non est sufficienter promulgata. Utrumlibet dicatur, certo non obligat, quum nullæ leges obligent, quæ vel latæ, vel sufficienter promulgatæ non sunt. Inter opiniones ergo probabiles ac in probabili dubio, lex quæcumque sit in controversia, certo nihil ligat, ac idcirco certum hinc principium suppetit, quo nullam tutioris partis sequendæ obligationem urgere certo liquet. Acute hæc & subtiliter dicta. Itaque ubi S. Antoninus cum omnibus antiquis ex dubio certam obligationem sequendæ tutioris partis constanter arguit, Probabilistæ contraria prorsus illatione nullam omnino esse certissime collegerunt. Hoc uno principio, si teneat, omnis dubitationibus practicis apud antiquos frequentibus intercluſus est aditus, nec malum nisi certum & expressum vitandum est, non autem dubium, quod sola hujus principii ignoratione declinandum veteres præcepere. Apud intelligentes vel hæc una consideratio novum Probabilistarum inventum satis refellit.

43. Singula quidem Antonini testimonia superius allata, ubi in dubio viam tutiorem sequendam pronuntiavit, totidem sunt veluti cunicula, quæ totam ejus reflexi principii molem evertunt. In his enim testimoniis incerta lex præsumitur, non in facti solum, sed & in juris sæpe dubio; & nihilominus certa tutioris eligendæ obligatio inculcatur. Quod si auctoritate sola nequaquam contentus, rationem etiam postules, qua Probabilistica ratiocinatio penitus elidatur; eam satis indicat S. Antoninus, ubi tutioris præcipiendæ rationem afferens, illud ingerit, ne dubium & grave peccandi periculum adeamus, quod sane esset peccatum grave. Ita in 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. S. Thomæ & aliorum veterum auctoritatem allegans, *Thomas*, inquit, *& alii dicunt, quod ille, qui agit id, de quo est dubium, utrum sit mortale, vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis*. Hæc porro verba certam legem præsumunt, qua certo prohibetur, ne quis se gravi peccandi periculo exponat; quam quidem legem ne ipsi quidem Probabilistæ inficiari queunt, quum illam sæpe adstruant, dum non alia de caussa probabiles peccandi occasiones vitandas agnoscunt. Quin quum in ipsis dubitationibus practicis, quas homo deponere nolit, vel nequeat, tutiorem partem sequendam & ipsi præcipiant; non alia ratione præcipiunt, quam ne homo probabili peccandi periculo se committat; quod certam periculi probabilis vitandi prohibitionem ac legem præsumit. Ipsa Probabilistarum verba alibi dedimus. Id porro si adeo est evidens, ut ipsos adversarios in eo consentientes habeamus; etsi in dubio incerta sit particularis lex, de qua dubitatur; adest tamen certa lex generalis, quæ probabile peccandi periculum cavendum certo præcipit: & hæc generalis lex a Probabilistis quoque agnita, satis est, ut in dubio probabili certam tutioris partis sequendæ obligationem imponat. In dubio nimirum probabili certo probabile est, rem, de qua dubitamus, esse peccatum: quod autem certo probabile peccatum est, etsi certum peccatum non sit, certum tamen peccandi periculum continet: probabile enim peccandi periculum non aliunde nisi ex gravibus & probabilibus peccandi argumentis imminet atque cognoscitur. Ex certa igitur lege, quæ probabile peccandi periculum vetat adire, cavendum certo est hocce periculum, ne eidem nos committentes certo peccemus. Itaque certo illicita est in dubio eadem res, ac proinde tutior pars est omnino sequenda.

Part. 1. p. 198. b.

Principium certum, quo Probabilistarum principia reflexa eliduntur.

44. Hæc aperta est demonstratio ejus rationis, quam S. Antoninus ex omnium sensu veterum attulit: eademque manifesta est confutatio probabilistici principii, quod ab incertitudine legis ductum, leges particulares dubias respicit; præterit autem illam generalem certissimam, quam iidem ipsi alibi adstruere coguntur, quamque unam S. Antoninus & antiqui omnes inculcarunt in dubiis, ac ex ea praxim certo dirigi, certamque rei dubiæ prohibitionem dimanare cognoverunt: unde exstat egregia illa Guillelmi Parisiensis regula: *Si dubium est, utrum liceat, vel non liceat, ipsa dubietas certitudo est*,

lib. de collat. Benef. cap. 6.

eſt, & determinatio, quod procul dubio non licet.

45. Verum eſt, Probabiliſtas reponere deponendam eſſe dubitationem, ut periculum peccandi tollatur. At præterquam quod dubitationem jure deponi poſſe in dubiis probabilibus non aliter cognoverunt veteres, niſi per rationes longe probabiliores, probabile amplius non judicetur in benigna parte eſſe peccatum (ſi enim id adhuc judicetur probabile, probabile eo ipſo peccandi periculum cognoſcitur imminere, ac proinde de peccato prudenter dubitare neceſſe eſt) præter hæc, inquam, id dubium deponi per Probabiliſtas nequit, niſi certo, principio; pro certo autem principio, ſi unam incertitudinem particularis legis ingerant intacta generali illa lege, quæ una in caſu certe obligat, & una ab antiquis urgetur, nihil conficient. Quid enim refert, particularem illam legem incertam non ligare, ſi liget generalis certa lex, quam particularis legis incertitudo nihilum deſtruit? Hinc ſane principium iſtud reflexum apud acutiores Probabiliſtas, uti incongruum agnitum ac rejectum accepimus. Audiendus P. Vaſquez, qui etſi Probabiliſta fortaſſis non eſt, ut ego in hiſtoria probabilitatis aliquatenus oſtendam, Probabiliſta tamen vulgo habetur, & apud Probabiliſtas magnam fidem & auctoritatem obtinet. Is ergo 1. 2. diſp. 156. cap. 2. num. 8. *Hinc autem*, inquit, *ſequitur*, *manifeſte* (hæ formulæ notandæ) *decipi eos*, *qui putant*, *eum*, *qui dubitat*, *an lex aliqua lata fuerit*, *& promulgata in Curia*, *ea lege non teneri*, *eo quod ipſi non ſatis promulgata cenſeatur*. Nonne hæc tota probabiliſtici principii ratio? Subdit autem Vaſquez: *Falluntur igitur primum in doctrina ipſa*, *ſiquidem in dubiis tutior pars eſt eligenda*, *& hæc regula in hoc caſu vim habet juxta notata a nobis diſt.* 65. *cap.* 3. *Deinde in ratione decepti ſunt*, *eo quod*, *ut ex dictis conſtat*, *aliud eſt promulgatio*, *aliud autem eſt notitia legis*: *& quamvis is*, *qui dubitat de lege*, *non haberet notitiam ſufficientem legis*, *ut ea teneretur*; *tamen non poſſet dici carere promulgatione legis*, *ſi revera in Curia promulgata fuiſſet*, *ſed notitia ſufficienti illius. Verum*, *ut diximus*, *ea dubitatio ſatis eſt*, *ut ratione ejus tutiorem partem ſequi debeat*, *ſicuti loco citato oſtendimus*. Pudorem hæc verba Probabiliſtis deberent offundere: quumque in re præſenti exigatur principium omnino certum, ut ipſi fatentur, ſatiſque ſit, ut a tuta morum regula excludatur, ejuſmodi principium non eſſe certum; quid erit ſentiendum, quum primum hoc, quod inter præcipua afferunt, principium tot & auctoritatis & rationis documentis fallax prorſus, inane & iners convincatur?

§. XI.

Evertitur alterum principium reflexum petitum ex regula: In dubiis melior eſt conditio poſſidentis.

46. ALterum principium illud ſit, quod Probabiliſtæ frequentiſſime obtrudunt: *Indubiis melior eſt conditio poſſidentis.* Hoc principium ſumtum eſt ex Regula 65. Juris in Sexto his verbis expreſſa: *In pari delicto*, *vel cauſſa melior eſt conditio poſſidentis*. *In dubio* autem pro *in pari cauſſa* idcirco ſuppoſitum eſt, quod par cauſſa ſeu rationes utrinque pares dubium progignant. Quum porro hæc regula ex duabus juris civilis legibus compacta, non ad internum conſcientiæ forum dirigendum pertineat, ſed ad externum, ad quem quidem unum illam aptat S. Archiepiſcopus part. 1. tit. 20. §. 41. ubi eamdem ex propoſito explicat; quumque ea in ejuſdem fori externi uſum ad materias juſtitiæ potiſſimum porrigatur, quatenus ſcilicet judices in pari cauſſa, ex qua dubium enaſcitur, poſſeſſorem a re poſſeſſa deturbare non debent: multi quidem celeberrimi Probabiliſtæ ei reflexo principio in aliis materiis morum & in foro conſcientiæ locum nullum eſſe cognoverunt, ut P. Honoratus Faber inſignis Probabiliſta dialogo 2. teſtatur: *Multi*, *iique graviſſimi Auctores extra materiem juſtitiæ nec præſumtionis*, *nec poſſeſſionis rationem habendam eſſe cenſent*, *ut Vaſquez*, *Azorius*, *Perez*, *Sayrus*, *Salas &c.* At alii minus cauti illud a materiis juſtitiæ & a foro externo ad omnes morum materias, & ad internum quoque forum perperam traduxerunt, contendentes in dubio libertatem eſſe in poſſeſſione certa agendi, quidquid dubium eſt, utrum liceat necne. Si porro ex iis quæratur, unde certam ejuſmodi poſſeſſionem ſtatuant, ut certum inde principium ſumatur; hærebunt, nec niſi vitioſum circulum facere, aut nondum probata hypotheſi niti invenientur. S. Antoninus porro ceterique veteres, quum inculcarunt principium: *In dubiis tutior via eſt eligenda*, nullam libertatis poſſeſſionem cognoverunt, ſed potius certiſſimam obligationem, qua libertas certo ligatur in dubio. Tum enim in poſſeſſione certa eſt lex illa æterna, quæ vetat, ne quiſquam probabili periculo ſe ſe committat, cui legi ſuperiori paragrapho luculenter conſtitutæ nulla humana libertas præjudicium creare, ſed obſequi ac ſubmitti debet. Hinc *pro anima*, non *pro libertate* morum dubia in tutiorem partem interpretanda Auctor cum veteribus docuit, ut ſequenti paragrapho videbimus. Non aliter egerunt canones ab iiſdem allegati, quos duces illi ſecuti ſunt: propoſitis enim dubitationibus facti, vel juris, non *pro libertate*, ſed *pro tutiori parte* deliberarunt.

Spectat hæc regula ad forum externum, & præſertim ad materias juſtitiæ.

Male a Probabiliſtis traducta ad forum internum, & ad omnes materias.

Aliter veteres ſenſere pro foro interno.

47. Immo in ipſis rebus juſtitiæ, quum dubia eſt reſtitutionis obligatio, etſi in foro externo

Etiam in materia juſtitiæ.

terno pro poſſeſſore decideretur, in interno tamen pro parte tutiori reſtitutionem præ-
Parte 2. p. 151. b. cipiendam Antoninus cum aliis docuit. Ita part. 2. tit. 1. c. 9. §. 12. in dubio, an maritus reſtituere debeat dotem, quam ab uſurario recepit; licet in bonæ fidei poſſeſſione eſſet, *tutius* tamen ex Summa Piſana reſtitutionem præcipit iis faciendam, quibus uſurarius tenebatur. Similiter tit. 4. c. 12. §. 17. propoſito caſu ejus, qui dubitare incipit, num res bona fide emta, aut dono accepta ſit aliena, licet dubitatio poſt cœptam bonæ fidei poſſeſſionem enata ponatur, reſtitutio-
pag. 205. e. nem nihilominus imperat ex Alenſi: *Ad hoc dicit Alexander de Ales in quarto, quod regulare eſt, quod homo talem rem reſtituere obligatur, quando conſcientia dictat, quod ſit res aliena, vel quum dubitatur eſſe alienam, ſive obtinuerit per donationem, ſive per emtionem..... Et ratio hujus eſſe poteſt*, ſubdit Antoninus, *quia nullus ſe debet exponere periculo peccati mortalis; ſed retinendo in tali dubio exponit ſe periculo furti.* Adeo vero in ejuſmodi
pag. 206. a. dubio reſtitutionem efflagitat, ut tum quoque, quum *non ſciretur dominus, vel non inveniretur*, poſſeſſor *poſt debitam diligentiam inquiſitionis eroget pauperibus, vel ſibi a pœnitentiario, ideſt confeſſore, ſi indigeat, ut pauperi aſſignetur*. Neque ergo in omni caſu juſtitiæ in foro interno valere credita eſt regula:
Ubi ea regula valeat pro foro interno. *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*. In iis ſolis juſtitiæ caſibus hæc regula internum quoque forum reſpicit, quum ex pacifica diuturni temporis poſſeſſione, quam nemo petitor turbavit, vehemens oriatur argumentum credendi rem legitimo dominio acquiſitam fuiſſe, cui poſſeſſioni nulla niſi levia argumenta opponantur. Hac enim in hypotheſi tute acquieſcere poteſt animus, non ex mero principio: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, ſed quod ejuſmodi poſſeſſio legitimi dominii vehementiſſimam præſumtionem affert, quæ contrariis argumentis ita præſtat, ut omne dubium prudens impediat; hac enim una de cauſſa præfata juris regula poſita fuit, & *in præſumtione fundata* dici ſolet. Quam in rem An-
pag. 206. a. toninus loco allegato hæc addit: *Et ſumitur hoc dubium ſtricte & proprie, non large pro levi ſcrupulo. Quod ſi irrationabiliter format ſibi dubium, puta quia emit ab eo, qui rapuit ab inimicis in bello manifeſte juſto, & cum aliis debitis circumſtantiis; deponat dubium ad conſilium ſapientis*. Obſerva & hic, ſolum dubium a ſcrupulis profectum poſſe jure deponi, non autem dubium *ſtricte & proprie*, quod ſcilicet probabilibus argumentis promovetur.

Cõcluditur adverſus principium præfatum. 48. Sed quidquid eſt de caſibus laudatæ regulæ propriis, dum Probabiliſtæ extra hos juſtitiæ fines eam regulam in libertatis poſſeſſionem nituntur extendere, vereor, ne vindicandæ libertatis ſpecie, non libertatem vindicent ſpiritus ac filiorum Dei propriam, quæ concupiſcentiarum libertati reſiſtit; ſed unam libertatem concupiſcentiarum propriam filiorum carnis, quæ ſpiritus libertati adverſatur. Qui tamen ſi oculos ſpiritus intenderent in illud Paulli: *Vos autem in libertatem vocati eſtis, Fratres, tantum ne libertatem in occaſionem carnis detis*: quum intelligerent libertatis poſſeſſionem, quam inculcant, *in occaſionem carnis* palam vergere; tum vero illud principium ac regulam Chriſtiano homine indignam plane cognoſcerent. Libertati ſpiritus favendum nobis eſt, quæ quum concupiſcentiis carnis opponatur, ei tanto magis quis favet, quo concupiſcentiarum libertatem magis coërcet: quod ſane cum ſemper curandum eſt, tum vero in dubio omnino faciendum, in quo certæ exſtat legis poſſeſſio, quæ vetat, ne probabile peccandi periculum adeamus.

§. XII.

Tertium reflexum principium: In dubiis humaniora vel benigniora præferenda ſunt, *ex Antonino item refellitur.*

Spectat ad ſolum forte externum, & ad judicia de aliis. Part. 1. tit. 20. c. unic. §. 15. pag. 856. c.

49. AD eumdem forum externum, ubi de aliis judicium fertur, hoc quoque principium ſpectat, quod ad forum internum a Probabiliſtis perperam traducitur. Quum ſcilicet judicandum eſt de proximo, *dubia ſunt in meliorem partem interpretanda, ſcilicet ea facta*, explicat S. Antoninus, *quæ dubium eſt, quo animo fiant*: id enim nobis tutius eſt, ne malum de proximo cogitantes, ubi res incerta eſt, temerario judicio peccemus. Quum ſimiliter de pœna inferenda in tribunalibus agitur, *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, ac in dubio, *quum ſint partium cura obſcura, reo potius favendum eſt, quam actori*, uti habetur in duabus regulis, in quas Auctor fuſius commentatur: id
Ubi ſup. §. 5. & 35. In caſibus conſciētiæ perplexæ. enim quoque tutius eſt; caſuſque id genus ad perplexam potius, quam ad probabilem conſcientiam pertinent, judicique inter duo pericula poſito, ut vel nocentem abſolvat, vel damnet innocentem, *ſatius*, ideſt minus periculi, *eſſe nocentem abſolvere, quam innocentem condemnare*, Auctor ex legum præfinitione judicavit.

§. 5. pag. 851. b.

Aliud in dubiis conſcientiæ. 50. Alia autem ratio ab eodem habita eſt in foro conſcientiæ, ubi eum dubia in tutiorem partem ſemper inflexiſſe vidimus. Quin in ipſis pœnis, de quibus quum agitur, etſi in foro externo humanior in dubio ſententia ferenda ſit, tutiorem tamen in foro conſcientiæ ſequendam pluries definivit. Sic in dubio, num quis in irregularitatem inciderit, licet in foro externo damnari non poſſet, in interno tamen tutius præcipit part. 3. tit. 28. cap. 2. §. 6. *Si autem de hoc dubi-*
Part. 3. p. 1457. d. *tatur, melius eſt tenere certum, & ſe reputare ut irregularem*: ac poſt pauca: *Si probabiliter*
Ibid. e. *dubitat, debet a promotione & miniſterio abſtinere* (ac ſi irregularis eſſet) *ne periculo ſe committat*: & §. 7. *Aut non poteſt diſcerni,*
pag. 1459. b. *& tunc propter dubium irregularis judicatur*. Similiter in alio dubio excommunicationis & aliarum pœnarum propoſito tit. 24. cap.
pag. 1363. c.

52.

52. *Tutius eſt dicere, quod incurrant omnes prædictas pœnas*; & cap. 54. relata ſententia rigidiore, quod incurratur pœna: *Et hoc*, ſubdit, *eſt tutius, quam ejus contrarium*, ideſt quam ſententia benignior; & cap. 74. *Si dubitatur de intentione, in dubio eligenda eſt via tutior, ut reputet ſe excommunicatum ſecundum Hoſtienſem & Guillelmum, & ſic quærat abſolutionem.*

pag. 1366. e.

pag. 1390. c.

Pœnæ non extendendæ ad caſus non expreſſos.

51. Quod ſi alicubi pœnas odioſas in dubio nequaquam extendendas affirmat; quum id ad caſus in legibus non expreſſos pertineat, non rem dubiam, ſed certam præſumit; certa enim lege cautum eſt, ne pœnæ ultra expreſſos caſus extendantur. Hinc illa tit. 24. cap. 1. *Conſtitutio eſt pœnalis, ideo in dubio debet recipere interpretationem in partem mitiorem*: & illa cap. 22. *Hæc eſt pœnalis, & ideo reſtringenda*, ad caſus non expreſſos in lege pœnali porriguntur; nam, ut ait tit. 26. c. 2. §. 2. *Satis eſt, quod in hoc dubio non eſt expreſſum in jure*: ac proinde tit. 24. c. 34. quamdam pœnam legibus ſtatutam extra caſum expreſſum non porrigendam affirmat; *quia iſtud quum ſit pœnale, reſtringendum eſt, ut ſic verba non extendantur.* Hinc etiam intelligitur, quos caſus reſpiciat regula: *Odia ſunt reſtringenda*: pœnas enim legibus ſtatutas potiſſimum ſpectat, quæ ad caſus expreſſos reſtringendæ ſunt. Hæc de caſibus certo non expreſſis. Quædam tamen dubitationes incidere poſſunt, num caſus aliqui in lege pœnali ſatis non contineantur & exprimantur. In his autem dubitationibus tutiorem partem in foro conſcientiæ eligendam Auctor docuit, ſi præſertim leges illæ quantumvis pœnales favorem alicui præſtent, ac uti favorabiles ampliandæ videantur. Ita Auctor part. 3. tit. 24. cap. 1. §. 1. quoſdam cenſuit in excommunicationem incurriſſe, licet alii *contrarium dicerent*: *nam licet canon ſit pœnalis, propter quod videretur eſſe reſtringendus, non ampliandus; eſt tamen favorabilis attento ordine clericorum, cui indulgetur, & ideo ampliandus, Extra de reg. jur. Odia*: & ſimiliter c. 22. quamdam pœnam extendi ait etiam *ad patronum, ſi ſit clericus vel perſona Eccleſiaſtica*: nam *nec hoc eſt odioſum, ſed favorabile Eccleſiarum favore. Si autem patronus eſt laicus, pœna locum non habebit; quum conſtitutio dicat clericos vel Eccleſiaſticas perſonas*, in quibus ſcilicet laici nullo modo nec implicite quidem continentur; unde ad hos extendenda non eſt conſtitutio. Tandem pro univerſali regula valeat, quod tradit c. 27. ubi & excommunicationem metu extortam valere, & abſolutionem extortam non valere ſentit, *quia utrobique animæ conſulitur, quod eſt faciendum in dubio*. Si ergo in dubio conſulendum eſt animæ; tutior utique pars, qua eidem conſulitur, non odioſa, ſed favorabilis haberi debet, ita ut ille in dubio favorabiliorem partem eligat, qui eligit tutiorem.

pag. 1397. d.

pag. 1329. e.

pag. 1420. d.

pag. 1345. e.

Quid in dubio.

pag. 1300. c.

pag. 1319. e.

pag. 1335. c.

52. Quam in rem egregie S. Thomas 2. 2. quæſt. 60. art. 4. poſtquam ſcripſit dubia circa proximum in meliorem partem interpretanda, ſubdidit dubia circa ſe ipſum *interpretanda in pejorem partem*; hujuſque propoſitionis hanc rationem ſubjecit, *quod quum debemus noſtris malis adhibere remedium, expedit ad hoc, ut ſecurius remedium adhibeatur, ut ſupponatur id, quod deterius eſt*: quam rationem Auctor quoque laudat part. 2. tit. 3. c. 8. §. 1. & Gloſſa ſimiliter affirmavit *generale eſſe, ut, ubi vertitur periculum animæ, præſumatur in deteriorem partem*, illudque præterea monuit, quod rigidior ejuſmodi interpretatio in conſcientiæ foro adhibita, quum animæ conſulat, *licet videtur deterior, tamen melior & tutior eſt*, adde *& favorabilior animæ favore*, ut *Eccleſiarum favore* Antoninus dixit. Male igitur laudatum principium de benigniori ſententia præferenda uſurpatur a Probabiliſtis, quum illud ex Auctoris omniumque cum eodem pariter ſentientium antiquorum teſtimoniis vel in foro tantum externo valeat, ubi benignior eſt ſimul tutior; vel, ſi quando adhibitum fuit in interno, non alia benignior & favorabilior ibidem habita fuerit, quam quæ deterior & tutior eſt.

Part. 2. p. 504. b.

§. XIII.

Quartum principium reflexum, quod ducitur ab ignorantia invincibili, quam perperam obtrudatur.

53. VEnio jam ad principium reflexum, quod omnium maxime a Probabiliſtis inculcatur. Inter opiniones probabiles, inquiunt, ſi dubium ſit, utrum opinio ſit vera, nec adhibita quavis diligentia veritas internoſci queat, veritatis ignoratio erit procul dubio invincibilis. Hinc porro ſiquis in hoc dubio falſam opinionem ſequatur, certo non erit in culpa, quippe quem ignorantia invincibilis a peccato prorſus excuſat. Ex ignorantiæ igitur invincibilis capite, quum certum ſit errores excuſari, certum quoque eſt licere quamcumque opinionem probabilem ſequi, quum in ipſo errore peccandi periculum penitus abſit. Quæ ratiocinatio ſi valeat, nullum erit crimen falſi & temerarii judicii de proximo, quum inter rationes utrinque probabiles veritas invincibiliter lateat. At ignorationem veritatis cum errore confundunt, & ex altera alteram invincibilem traducunt Probabiliſtæ: quæ tamen duo ſi diſtinguantur, totius argumentationis æquivocatio palam fiet. Quum enim non mera veritatis ignorantia: quæ per ſe ad operandum non dirigit, ſed error, quo licere putamus, quod non licet, ſit actionis cauſſa; ſatis eſt errorem eſſe vincibilem, ut actus contra legem excuſari non poſſit. Quum porro inter opiniones probabiles quavis adhibita diligentia neſciri poteſt, utra ſit vera; veritatis ignoratio invincibilis eſt, & eatenus ignorare veritatem culpa caret. At non idcirco eſt invincibi-

Proponitur hoc principium.

Æquivocatio ejus detecta.

Error inter opiniones probabiles & vincibilis, & culpabilis ostenditur & benigna sententia.

bilis error, quem, ignorata licet invincibiliter veritate, suspendendo assensum & dubitando vincere & fugere possumus: neque enim ad errorem vitandum scire veritatem oportet; sed satis est suspendere assensum & dubitare. Porro inter opiniones utrinque probabiles, ubi gravia & probabilia errandi indicia suppetunt, quum possimus dubitare prudenter, errorem possumus vincere: quum vero ex prudentiæ regulis & peccandi periculo, quod imminet, dubitandum sit (*non enim est absque præsumtione, quod aliquis de ignoratis sententiam ferat, & maxime in quibus periculum exsistit*, ut notavit S. Thomas quæst. 3. de Malo art. 7.) non solum errorem possumus vincere, sed etiam debemus: ita ut error in his casibus nec invincibilis sit, quippe qui dubitando vinci poterat, nec sit inculpabilis, qui vinci etiam debebat. Hac quidem ratione non excusantur a peccato qui malum de proximo temere judicant, ubi veritas invincibiliter occulta est: probabilia enim dubitandi argumenta si veritatis impediebant notitiam, satis tamen de erroris periculo commonebant, qui, judicium cohibendo, fugi poterat atque debebat. Neque idcirco incerta est agendi regula: nam tutam opinionem sequi possumus, quæ quum periculo certe careat, vera practice est, quatenus eam sequentes certo non peccant. Hinc ut ad Auctorem tandem accedam, dubitandum in dubiis probabilibus nobis esse, & tutiorem partem in his dubitationibus eligendam ita docuit, ut peccati non solum accusarit, qui aliter agens errat, sed qui errandi periculo se committit, ut pluribus ex testimoniis jam recitatis intelligere licet.

Vide sup. n. 20.

Ubi Auctor invincibilem ignorantiam admisit, vel non.

54. Quæ porro de ignorantia ab eodem traduntur, multo luculentius rem conficient. Plura possem loca afferre, in quibus solius facti, ac humani juris ignorantiam invincibilem videtur adstruere, non autem juris naturalis, vel divini, etiam si quis erret in hac parte vel nihil ibidem mali ineesse putans, vel opinionem secutus illorum, qui malum non esse defendunt. Perspicua videntur loca a nobis descripta adnot. 4. in cap. 14. tit. 4. partis primæ pag. 321. ubi Auctor errores contra naturale jus peccati condemnat tum in eo, *qui sibi non facit conscientiam, existimans illud licitum*; tum in eo, cui *consuleretur* ignoranti *a peritissimis contrarium veritati*. Quæ si stricte & late, uti sonant, accipienda essent, videant quæso Probabilistæ, qui errores in probabili dubio susceptos tueri possint, dum Auctor ne ex persuasione quidem propria ac peritorum consilio incidentes excusat.

Solos errores; sententiæ longe probabilioris excusavit.

pag. 189. a.

55. Sed quidquid de his Antonini locis sentiendum sit, de quibus plura diximus adnotatione allegata, & emolliri præterea explicarique possunt ex insigni testimonio nuper observato partis 2. tit. 1. c. 11. §. 28. in fine, ubi ea loca accipienda innuuntur de rebus clare & aperte contrariis juri naturali: quidquid, inquam, de his locis sentiendum sit, negari quidem non posse videtur, quin ex eodem Auctore aliisque antiquis ab eodem laudatis excusari debeant ab omni, vel saltem a gravi culpa illi errores, in quos ex peritorum consilio & persuasione probabiliori aliquando incidimus: nam in laudata prima parte tit. 3. c. 10. §. 10. Ulrici auctoritatem allegans: *Siquis*, inquit, *de aliquo agendo dubio magis peritos consulat, de quo nullam habet expressam auctoritatem, utrum ita sit, vel non; dummodo formet sibi bonam conscientiam, etiamsi res aliter se habeat, quam id, quod sentit, & quod sibi consultum fuerit, excusatur; quia fecit, quod potuit, & Deus plus non requirit*. Observa autem conditionem, quam ad ejusmodi errores purgandos efflagitat, *dummodo sibi formet bonam conscientiam*, quod paullo ante apertius explicarat sic, dum de opinionibus utrinque probabilibus ageret: *Dummodo ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam & credulitatem formet de eo, quod credit tamquam de probabiliori parte; & præcipue quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc, quod sit illicitum*. Vides ergo *bonam conscientiam*, quæ a culpa excuset, illam appellari, non qua cuilibet opinioni adhæretur, sed qua adhæretur *probabiliori* ex Auctore pluribus expositæ num. 17. contra quam scilicet meri scrupuli deprehendantur, qui prudenter abjiciendi sunt; non autem si deprehendantur rationes, quæ judicantur æque vel fere æque probabiles, inter quas dubitandum prudenter esse idem Auctor ostendit, ut ex testimoniis §. 3. recitatis colligitur. Illa ergo sola, quæ *probabiliori* parti innititur *conscientia bona*, illa, inquam, sola, si errorem contineat, excusabilis ab Auctore habetur, eamque propterea unam intelligit, quum *probabilem ignorantiam* a peccato excusantem alibi appellat. Ita quum part. 2. tit. 1. c. 11. §. 28. eum errorem excusat, qui est *ex probabili* ignorantia, *puta quia consuluit peritos in tali materia, a quibus sibi dicitur illud tale non esse mortale*: id firmam opinionem homini, qui nihil contrarium audiit, persuasam indicat. Similiter accipienda illa partis 3. tit. 17. c. 16. *Nisi forte eum probabilis ignorantia excuset, puta si habet aliquem doctorem autenticum & famosum, cujus opinioni innititur*: quod de persuasione probabiliori dictum ostendimus §. 8. n. 28. *Ignorantia* nimirum *probabilis*, sive *probabilis error* ille in canonibus habetur, in quo nulla *probabilia* dubitandi, vel errandi indicia suppetunt: unde eos, qui perinde errarunt, excusatione digni habiti sunt. *Probabilem* vero dictam fuisse ignorantiam, sive errorem, qui contra probabilium argumentorum prudentem in dubitationem injicientium vim inductus fuit, apud antiquos nusquam reperies: quibus sicut eo in casu nolle dubitare, sed opinari magnæ temeritatis est habitum; ita errorem, qui sic opinanti accideret, *probabilem*, seu excusatione

pag. 200. b.

Quam appellaverit, ignorantiã probabilẽ. pag. 188. c. 169. a.

Secus indicavit de erroribus inter opiniones æque, vel fere æque probabiles.

ne

ne dignum nequaquam haberi posse crediderunt, nisi excusatio temeritati detur. Concludam egregio Antonini loco ex part. 3. tit. 25. c. 1. §. 1. ubi inter excusationes ab excommunicatione minori contrahenda referens *ignorantiam facti probabilem*, hanc perinde adstruit, si vel factum plane ignoretur, vel prodierit tantum *ex levi fama*, quæ movere hominem non debet. In fama autem gravi, quæ probabile dubium moveat, adeo non admittit ignorantiam probabilem, ut doceat omnino debere hominem inquirere veritatem, *si non plane scit, & interim eum vitare in occulto, vel in publico* (citra scandalum) *donec fuerit certificatus*. In dubio ergo utrinque probabili nullam erroris excusationem probabilem ignorantiæ invincibilis titulo Auctor novit, nec licere putavit, ei parti se se exponere, quæ erroris periculo probabiliter est obnoxia, sed tutius interim agendum præcepit, *donec* homo *fuerit certificatus*, certitudine scilicet illa morali, quæ in controversis quæstionibus ex longe probabiliori sententia unice prodit, ut superius observavimus.

Part. 3. pag. 1409. c.

pag. 1410. a.

56. Soli nimirum errores, qui Probabilioristis nonnumquam obrepunt, probabiles & excusabiles sunt, vel, ut ad summum cum Augustino alibi notavimus, veniales: ii autem, in quos Probabilistæ incurrunt, nec probabiles, nec excusabiles, nec veniales haberi queunt, quippe quibus se se ingesserunt temere, quum illos vitare possent, atque deberent (quod errores & vincibiles & culpabiles satis demonstrat) hique manifeste contra legem illam certissimam apertissimisque rationis & auctoritatis documentis traditam operentur, quæ, ne gravi peccandi & errandi periculo nos exponamus, vetat, quod adversus Auctoris ac totius antiquitatis praxim superius constitutam pugnat, & in propositionem 3. ab Alexandro VIII. condemnatam videtur etiam incidere. Quum vero argumenta utrinque probabilia suppetunt, ut in præsenti hypothesi a Probabilistis ipsis præsumitur; permoveri quidē utrisque debet homo prudens, nec alterutra contemnere, quamdiu gravia & probabilia judicantur; at ex hoc ipso, quod alterutram partem non debet contemnere nisi imprudenter, neutri adhærere, neutram sequi prudenter potest. Ex argumentis scilicet, quæ vel fere æque probabilia utrinque habentur, dubium prudens enascitur, quod S. Antoninus deponi non posse docuit, nisi imprudenter: & in hoc dubio res incerta efficitur, in qua certam proferre sententiam non prudentis, sed temerarii hominis habitum semper fuit. Ad licitum opinionis usum, & consequenter ad prudentiam requiri ab Auctore & ab ipsis Probabilistis vidimus moralem certitudinē, quam quum unice producat principium aliquod moraliter certum, probabilia utrinque argumenta dubia per se & incerta parere nequeunt. Ratio itaque probabilis & gravis, quæ ex altera opinione suppetit, quæque in data hypothesi moraliter certa non est, ad licitum ejus opinionis usum & ad prudentiam nequaquam sufficit; adeoque male effertur prudenter agere eum, qui probabilem, uti hic accipitur, opinionem sequatur. Mirum sane & incongruum accidit, Probabilistas, qui principium moraliter certum efflagitant, pro principio afferre effatum hoc, probabilia tantum argumenta ingerens, quæ iisdem fatentibus dubia sunt, & a morali certitudine absunt quam longissime. Æquivocatione autem intoleranda falluntur, decepti vocibus *probabile* & *prudens*; quumque prudens hominum regula nec sit, nec dici possit, nisi quod unice probabile & moraliter certum est, ut ipsi alias fatentur; iidem sui velut obliti, dum hoc principium inculcant, probabile utrinque & incertum pro certa prudentiæ regula perperam venditant.

ex lib. de Fide & oper. c. 19. in Respons. Italic. ad P. Segnerii ep. c. 5. §. 7.

Vide supra num. 10.

Vid. n. 7.

§. XIV.

Duo alia principia reflexa expuncta.

Non operatur prudenter, sed imprudenter, qui probabilem opinionem sequitur in sensu Probabiliſtarū.

57. ALia supersunt reflexa principia, sed levioris momenti, quæ facili negotio disjiciuntur. Quisquis sequitur, inquiunt, opinionem probabilem, probabilia & gravia argumenta sequitur, quæ prudentem hominem prudenter movent, ac propterea prudenter agit, nec peccat. Probabilia & gravia argumenta prudentem hominem movere, ne illa possit nisi imprudenter contemnere, inficiari potest nemo. Rursus quum argumenta probabilia & gravia in altera tantum opinione elucent, nec in altera post diligens examen deprehenduntur, nisi argumenta levia, quæ prudentem movere non debent; posse prudenter hominem non solum gravibus illis argumentis moveri, sed iisdem adhærere, & eam opinionem sequi, quæ in dicto casu unice probabilis est, & moraliter certa, ii soli inficiari queunt, qui ne probabilissimam quidem opinionem ac moraliter certam licere sequi opinantur,

Principii ductum ex difficultate ac gravitate jugi impositi a Probabilioristis explosi.

58. Addunt tandem loco reflexi principii, in Probabilioristarum sententia grave nimium & durum esse divinæ legis jugum, quod suave & leve Evangelica docet auctoritas, & hac via damnatum iri multos, quos mitiores sequi sententias liquet. Sed hæc quam inania sint, Antonini & veterum praxis docet, qui quum ex traditione scirent, divinæ legis jugum non a probabilitate, sed a caritate & gratia suave & leve esse, qua sane una facillimum fit obsequi præceptis aperte difficillimis, & eam arctam viam ingredi, quæ ducit ad vitam; quum hoc, inquam, scirent, tutiorem viam cum Probabilioristis in dubio probabili sequendam utique præceperunt, nec tamen intolerandum onus exinde conquesti sunt. Hominibus Deum & Dei legem ex animo diligentibus quum nihil rationabilius videbitur, quam in periculo gravi atque probabili

Unde Dei jugum suave.

babili peccandi partem tutiorem eligere, quæ periculo caret; tum vero, eodem opitulante Deo, nihil in eo difficile accidet, vel si qua exsurget difficultas, ut in aliis certis præceptis subinde oboritur, eodem auxiliante facile superabitur. Verendũ autem Probabilistis est, ne dum contraria traduntur, iis faveatur hominibus, qui quum nec Deum, nec Dei legem ex toto corde diligant, intolerabilia sibi fingunt & prædicant divina præcepta, queis se obligari nollent. Intolerabilis certe dicenda esset lex illa, quæ probabile peccandi periculum vitari jubet; quam tamen certam ipsi quoque non diffitentur. Id porro, quod dicitur, plurimos hac via damnatum iri, principii loco esse non potest. Quum enim certum ex Evangelio sit latam esse viam, quæ ducit ad perditionem, & multos in ea ambulare; e contra vero arctam esse viam, quæ ducit ad vitam, & paucos eam invenire; certum est plurimorum damnationem, quæ certissima est, nihil probare nisi adversus eos, qui latiorem viam, qua plures salventur, conantur aperire. Si enim negandum esset illud, quo admisso plures damnantur; neganda esset divina lex, Evangelium item negandum, cui quum parere plerique nolint, plerique in damnationem incurrunt. Porro in præsenti controversia certa lex est, quæ probabile peccandi periculum interdicens, tutius in dubio probabili sequendum mandat, ut liquet ex §. 10. n. 43. Hanc autem legem negare, ut plures se se ei periculo volentes objicere, eique legi parere contemnentes a damnatione subducantur, nulla ratione, nulla auctoritate licet. S. Antoninus quidem similem objectionem alicubi ratam habuit, ubi agebatur de opinione moraliter certa, quæ quum non nisi levibus argumentis oppugnaretur, nullum probabile peccandi periculum afferebat. At in part. 3. tit. 15. c. 1. §. 9. agens de opinione probabili quidem, sed dubia, huic objectioni, *quia nimia multitudo damnabitur, si dicatur esse mortale*, respondere cum Goffrido non dubitat, *quod per hoc dictum & sequaces palpabant crimina, & ea insanata relinquebant*; adeo ejus objectionis nullam rationem habuit, nisi aliunde benignæ opinionis veritas ita monstretur, ut omne dubium prudens, omne probabile peccandi periculum adimatur. Hæc autem Probabilistarum reflexa principia, si tam inania & fallacia sunt, ut rationi auctoritatique manifestissimæ palã repugnent, quis iis uti tute potest, ut dubitationem prudenter deponat? Quod si cui præjudiciis irretito non prorsus inania & fallacia videantur; negare tamen non poterit, quin probabilia saltem & gravia non sint, quæ contra attulimus, ita ut ea principia sint saltem dubia, seu non omnino certa. Hoc autem in præsentiarum satis est, ut dubitatio inter probabiles opiniones exorta iis principiis deponi prudenter nequeat: ad id enim principium certum, quod moralem certitudinem pariat, omnino requiritur, ut

Part. 3. pag. 813. d.

iidem Probabilistæ, quos heic impugnamus, fatentur.

§. XV.

postremum principium ductum ab auctoritate Probabilistarum expenditur.

59. AT hi fortasse se desertos videntes omni principio a ratione petito, ad auctoritatem confugient, & plurium Probabilistarum catalogum texentes, quorum pietatem & doctrinam commendant, horum auctoritatem uti principium certum obtrudent. Hoc quidem uno, vel potissimo principio pleroſque ductos, & persuasione ipsis certissima detentos facile credo. At si intra meræ auctoritatis limites consistamus (ut consistere quidem oportet, si aliud principium a ratione certum non afferatur, quod nondum allatum vidimus) plurium licet Scriptorum auctoritas certum principium esse non potest, nisi si nulli, vel pauci & parvi nominis Scriptores contrarium sentiant. Ubi enim Auctores utrinque celebres pugnant, auctoritas hinc & hinc divisa se se invicem infringit, & elidit quodammodo, neutrique parti certitudinem præbet: cur enim hæc potius, quam altera pars tamquam certa præferatur, ubi nullum aliunde certum argumentum suppetat? Hinc autem dubias non autem certas ab Antonino habitas vidimus sententias, in quibus graves auctores contraria opinantur: quumque certa una pars esse nequeat, quin opposita falsa sit; in celebrium Scriptorum pugna, ex mero auctoritatis nomine, vel utraque pars suis auctoribus munita certum principium præbere debet, vel neutra. Male ergo Probabilistæ suorum Scriptorum auctoritatem obtrudunt uti principium certum, quum plurium item gravissimorum Scriptorum auctoritatem contrariam habeant. Quod si hos nullius auctoritatis esse reponant, ut proinde suorum auctoritas certa sit; advertant, quæso, hoc judicium ex mera auctoritate, quæ utrinque præsto est, ferre non posse, nisi contraria Probabilioristarum auctoritas, quæ nullius ponderis habenda contenditur, a ratione derelicta ostendatur certo aliquo rationis principio, quod levia & inania eorum argumenta demonstret: neque enim alia via auctoritatis vis elidi potest. Ita porro ab auctoritate ad rationem transitus fieret, & principium a ratione certum esset afferendum, quale nondum allatum fuit, nec afferetur umquam. Itaque ab auctoritate uti tali nullum Probabilistis principium reflexum certum superesse potest. Mira sane res hic accidit. Quæstio inter Probabilistas & Probabilioristas versatur; & quum in hanc dirimendam principium certum, quo probabilis dubitatio certo tollatur, afferendum esse omnes conveniant; Probabilistæ se ipsos suamque solam auctoritatem satis per se pro princi-

Merum auctoritatis principium in valde controversis quæstionibus ac divisis auctorum sententiis certum principium esse non potest.

pio

pio certo allegant, quod satis absurdum & a more decidendi ceteras alias quæstiones alieniſſimum est. Probabilioristæ certum principium præferunt certissimæ legis, quæ probabile peccandi periculum adire vetat. Hanc legem ipsi Probabilistæ certam fatentur, quoad principium certum non proferatur, quod probabile periculum ab opinionibus benignis & utrinque probabilibus excludat. Deficiunt principia a ratione; Probabilistæ vero sua auctoritate periculum illud abesse affirmant, & hoc satis pro principio certo haberi volunt ad eludendam illam ipsam certam legem, quam negare non possunt. Ita ne confusa & vitiosa argumentandi ratio prævalere apud prudentes & peritos poterit?

Quantum præstet auctoritas Probabilioristarum.

60. Quid porro si auctoritas cum auctoritate conferatur? Mitto nunc recentiores cujusque ordinis & dignitatis Probabilioristas, qui & Probabilistis numero pares, ne dicam plures, editi jam sunt, scientia vero, eruditione, pietate multo celebrantur, ut eorumdem catalogo ostendere possem. Hæc enim auctoritas etsi universim contrariæ longe præstare judicetur a multis; quum tamen id invidiæ plenum adversarii non facile credant, ad antiquorum auctoritatem ab ipsis quoque maximi faciendam provocandum intelligo. Antoninus itaque omnesque antiqui tum Theologi, tum Canonistæ contra probabilitatem cum tota antiquitate aperte dimicant, ut hac in Prælectione pluribus ostensum est. Quis adversus tantam auctoritatem tamquam certum principium obtrudere audeat auctoritatem Probabilistarum; ac si omnis antiquitas nullius, vel levis auctoritatis esse dicenda sit, quæ potius tanta est, ut contraria quævis auctoritas, veluti nova, & antiquitati contraria, certis Theologicis & Ecclesiasticis regulis repellatur?

Antiquorum auctoritas Probabilistis non favet.

61. Probabilistæ quidem, ut se se in eo tueantur, plures antiquos secum sentire deprædicant. At quod deprædicant; nec probant, nec probare queunt: immo apertissimis documentis falso deprædicare convincuntur. Exemplo sit S. Antoninus, quem potissimum sibi faventem præferunt, & in Probabilistarum catalogo præcipuum nominant. Si ergo hunc perperam faciunt suum, quem tot & tam apertis in locis probabilitati repugnantem ostendimus, quid censendum de aliquot aliis antiquis, quos nec tantopere suos efferunt, & ab Antonino ipso secum allegatos cognovimus?

Recentiorum quæ.

62. Auctoritatem vero Probabilistarum, qui posterioris Antonini ævi omnes sunt, ad calculos vocare, hujus Prælectionis atque propositi non est. Id alibi aliquatenus præstitimus, & in alio opere præstabimus etiam fusius, ubi Probabilismi historiam texentes, & plures ac præstantiores ex eodem catalogo subducendos, & plurimos recentiores maximi nominis atque doctrinæ eisdem contrarios monstrabimus. Quum igitur Probabilistæ deserti sint a recentioribus non paucis, quos sibi perperam arrogant; quum plures & doctrina & pietate celebres iisdem acriter oppugnent; quum tandem antiqui omnes eorum principiis resistant, ut ne unum pro se allegare explorate possint: quis hanc tantam auctoritatem ita contemnere audeat, ut contrariæ auctoritatis principium tamquam *certum* præferre queat? Quid, si addatur explicatior posteriorum Pontificum, sacrarum Congregationum Urbis, Episcoporum, ac ipsius proinde Ecclesiæ mens & auctoritas contra Probabilistas peræque pugnans, quam mox enucleatius exponam? Si quis adhuc *certum* auctoritatis probabilisticæ principium velit & credat; is procul dubio non principio certo, sed potius certo præjudicio palam ducetur. Mihi interim satis erit, iis, qui ratione, non præoccupationibus aguntur, Antonini principia proposuisse & vindicasse, ut institutum nostrum postulabat. Adversarios vero, qui nondum acquiescunt, hoc unum rogatos volo, ut antequam de re gravissima ac maximi periculi plena postremum deliberent, Ecclesiæ sententiam, quam sequenti Prælectione subjiciam, attente legant, atque considerent: forte enim hujus auctoritas, quæ nondum ab ullo Scriptore ob oculos posita fuit, uti per nos fiet, illos coercebit, ut ne saltem suorum auctoritati, ac principiis certitudinem tribuant.

Auctoritas potior Ecclesiæ.

PRÆLECTIO II.

ECCLESIÆ SENTENTIA

De principiis in decisione casuum conscientiæ adhibendis, Antonini & antiquorum principiis consona, recentioribus autem Probabilistarum contraria: quæ ex Romanorum Pontificum, Sacrarum Romanæ Ecclesiæ Congregationum, & Episcoporum posterioris Antonino ævi documentis eruitur.

PROŒMIUM

In quo idea hujus Ecclesiasticæ sententiæ proponitur.

1. SUperiori Prælectione in duas partes distributa, hinc S. Antonini & antiquorum, hinc autem recentiorum Probabilistarum principia expendimus: & licet principia Auctoris tanta & auctoritate, & ratione, & antiquitate protecta, Probabilistarum principiis multum prævalere ex dictis cognoscere quisque possit; tamen ne quid forte nos ex præjudicato aliquo affectu in medium attulisse videamur, optimum factu credimus, si in-

ter principia tam pugnantia, perorata jam veluti cauſſa, ſubjiciamus Eccleſiæ judicium, quo omnis lis dirimatur. Neque antiquos vulgatoſque Eccleſiæ canones heic appello, qui tutiorem partem in dubio eligendam præcipientes, Probabilioriſtis cauſſam adjudicant, nec niſi per ſummam vim aliorſum diſtorqueri a Probabiliſtis queunt. Satis illos Auctor identidem appellavit, quum certam ex iiſdem decidendorum caſuum regulam cum omnibus antiquis ſumſit. Inſtituti conſiliique noſtri eſt, ea Eccleſiæ documenta, quæ Antonini mortem ſubſecuta, ab eodem allegari non potuerunt, in medium proferre: quum præſertim id in præſentem cauſſam maxime conferat, ut Probabiliſtis os obſtruatur, antiquos canones ea ratione declinantibus, quod olim nondum agitata probabilitatis controverſia editi fuerint. Eccleſiæ autem judicium ſententiamque ſi appellem ea Eccleſiaſtica monumenta, quæ in hanc cauſſam poſteriores Romani Pontifices, Sacræ Congregationes, & Apoſtolorum ſucceſſores Eccleſiæque doctores Epiſcopi in ſynodis, vel paſtoralibus inſtitutionibus epiſcopali jure ediderunt; nemo, ut arbitror, repugnaverit.

2. Quum enim Chriſtus ſuam Eccleſiam Apoſtolorum & Epiſcoporum inſtitutioni commiſerit; ſola ipſorum doctrina ex inſtitutione Chriſti doctrina Eccleſiæ eſt, & ex ipſa Eccleſiæ praxi non alia habita ſemper fuit Eccleſiæ ſententia, quam quæ ab Apoſtolorum ſucceſſoribus declarata ac propoſita fuit. Quidquid loquerentur privati homines, privatam opinionem conficere potuit, non autem Eccleſiæ doctrinam, niſi ſi ab Epiſcopis ac Romanis Pontificibus probata fuiſſet. Quum ergo Romanorum Antiſtitum, ſacrarum Congregationum, ac Epiſcoporum teſtimonia proferuntur, ipſius Eccleſiæ ſententia proponitur. Quum porro hac in controverſia concordes illi invenientur in ſtatuenda ſententia, quæ probabilitati opponitur; nihili faciendum erit quidquid contra privati doctores docuerint, vel doceant: eaque una Eccleſiæ ſententia habenda erit, contra quam iſtorum auctoritas nihil poterit.

CAPUT I.

Romanorum Pontificum documenta proponuntur.

§. I.

De propoſitionibus damnatis in materia probabilitatis. Specialia afferuntur pro illicito uſu juriſdictionis probabilis, quem quidam a condemnatione ſubtrahere perperam nituntur.

3. A Romanis Pontificibus ducamus exordium. Inter laxiores propoſitiones ab his condemnatas non tota quidem probabilitas expreſſe proſcribitur, ſed pars ipſius tantum in propoſitionibus §. 1. Prælect. 1. deſcriptis circa judices, circa ſacramentorum miniſtros, circa negotium fidei, & circa probabilitatem tenuem ſane, at quæ e probabilitatis finibus nequaquam excedat. Inſtituti præſentis illud unum eſſet, documenta ex Pontificibus proferre, quibus non hæ ſolæ probabiliſmi partes, ſed totus univerſim probabiliſmus perſtrictus ſuadeatur. Verum quum in ea quoque probabilitatis parte, quæ memoratarum propoſitionum damnatione ſublata eſt, nonnulli probabiliter, ut ſibi videntur, cenſeant, a damnatione probabiliſmi in ſacramentis ſe poſſe ſubtrahere juriſdictionem probabilem, contendentes damnatum ab Innocentio XI. fuiſſe tantummodo uſum opinionis probabilis vel probabilioris, quæ ſcilicet dubium aliquod prudens involvat, circa ſacramentorum materiam & formam, non vero etiam circa juriſdictionem probabilem, qua propterea adhuc licere uti arbitrantur: hoc maximi momenti negotium, quod, ſi falſo nitatur fundamento, animabus perniciosiſſimum futurum eſt, haud quaquam prætermittendum exiſtimo. Hujus itaque diſtinctionis, quam iſti Auctores inducunt, nullum ex una parte veſtigium in damnata propoſitione eluceſcit: ex alia vero parte utroque in caſu probabilis materiei ac formæ, & juriſdictionis probabilis eadem damnationis ratio locum habet. Quum enim ea propoſitio damnata fuerit ob fruſtrandorum ſacramentorum periculum, cui hæc inter opiniones probabiles exponuntur; non minus periculo objicitur ſacramentum ex. gr. pœnitentiæ, ſi materia vel forma probabilis tantum, aut probabilior, & dubia ſit, quam ſi probabilis, vel probabilior, aut dubia ſit juriſdictio. Hinc Antoninus part. 3. tit. 17. cap. 11. *tutiorem viam* Religioſis præſcribit in juriſdictionis dubio, quum *non eſt clarum, qui caſus ſint reſervati*.

Juriſdictio probabilis comprehenditur propoſitione damnata circa probabilitatem in ſacramentis, ita ut juriſdictione probabili uti non liceat.

Part. 3. p. 960. c.

4. Atqui contrariæ defenſores ſententiæ, ut hoc argumentum per ſe evidens infringant, ſeu eludant potius, latum afferunt diſcrimen inter juriſdictionem, atque inter materiam & formam. Hæc enim duo poſtrema quum a Chriſto præfinita fuerint, Eccleſiæ voluntati ac poteſtati non ſubſunt, ut jurisdictio ſubeſt. In dubio igitur probabili, inquiunt, circa materiam & formam cum Eccleſia ſupplere non poſſit, ſi quæ forte ineptæ ſint; ſacramenta probabili periculo exponerentur: unde in hac parte propoſitio jure damnata intelligitur, ut ne ſimiliter accipienda ſit de dubio juriſdictionis probabilis, quam Eccleſiaſticæ voluntati ac poteſtati ſubjectam, ſi forte deſit, Eccleſia piiſſima mater certiſſime ſupplet. Si hoc *certum* probare ita facile eſſet, ut facile eſt affirmare; certum hinc principium ſuppeteret, unde probabilis & dubia juriſdictio certa fieret. At multa a Probabiliſtis certa dicuntur, quæ vix probabiliter ſuaderi poſſunt. Auctores, qui ante Innocentium

Effugium adverſariorum.

Evertitur.

tium XI. hanc ſententiam defenſarunt, Eccleſiam ſupplere uti probabile tantum fere promoverunt, quod tum ad licite agendum in ſacramentis probabilitas ſatis eſſe crederetur. Solum poſt propoſitionem damnatam ab eodem Pontifice, probabilitate a ſacramentis excluſa, *certum* affirmatum legitur, quod ipſis Probabiliſtis *probabile* antea viſum fuerat, ut nihil tamen certius allatum umquam ſit. Tota enim ratio, cur Eccleſia ſupplere juriſdictionem dicitur, in hypotheſi quadam ſita eſt ex pietate ejuſdem matris Eccleſiæ ducta, quæ meræ congruentiæ, conjectationis, & (ſi vis etiam) probabilitatis limites non excedit; certitudo autem evidentiora omnino efflagitat. Num Eccleſia, inquiunt, piiſſima mater perire ſinet tot animas, queis ex juriſdictione probabili abſolutio conlata eſt? Non ne poteſt ſupplere juriſdictionem, ſi deſit? Si autem poteſt, nonne in tot animarum ſalutem ſupplere dicenda eſt, ne de pietate ejus indigne ſentiamus? Quid ſupra congruum atque probabile in hac ratione, quæ tamen unum & totum adverſariorum fundamentum eſt, eluceſcit?

Ratio aparet. 5. Immo ne probabilitatem quidem ſatis firmam hac ipſa in ratiocinatione deprehendere mihi videor. Hæc enim ratio ſi in juriſdictione probabili valeret, peræque, vel etiam multo magis valeret in reſervationis ignorantia. Si enim utrobique juriſdictio vere nulla ſit, majorem utique Eccleſiæ ſupplentis pietatem meretur caſus ille, quo confeſſarius reſervationē plane ignorans, de ea pietate Eccleſiæ nihil præſumit; quam ille, quem idem confeſſarius probabiliter tantum reſervatum non eſſe exiſtimans, ita ut probabiliter ſimul videat eſſe reſervatum, Eccleſiæ pietatem tentare, & experiri, eaque nimium præfidenter ac ſine neceſſitate ſciens & volens abuti quodammodo videtur. Nihilo tamen minus quum quis bona fide peccatum certo reſervatum confitetur apud eum, qui eam reſervationem plane ignorat, non ne abſolutio per reſervationem impedita, nulla eſt, ita ut, ſi deinceps id deprehendatur, confeſſio per ſe reficienda ſit, quemadmodum olim ſenſerunt, vel præſumſerunt omnes in Concilio Baſileenſi, quum hac de re collatio habita fuit, ut liquet ex duobus Antonini locis: ubi præterea in caſu quoque impoſſibilis, vel difficillimi remedii, quo confeſſio refici nequeat, nihil de Eccleſiæ, quæ ſuppleverit, pietate præſumtum indicatur, ſed ſolum rem committendam ſummo Sacerdoti Jeſu Chriſto, qui ſcilicet aliis viis ſuppleat, ex. gr. ingerendo pœnitenti actum contritionis, qui culpam deleat, vel efficiendo, ut ille in ſubſequenti aliqua confeſſione, ſaltem Jubilæi tempore, ab habente juriſdictionem in reſervata abſolvatur, aut per aliud aliquid ſimile. Ita quoque part. 2. tit. 3. c. 11. §. 9. tempore ſchiſmatis in ea parte, quæ illegitimum Papam ſequuta, juriſdictione certo caret, pro iis, qui bona fide confitentur,

Abſolutio ignoranter etiam inculpabiliter data in caſu certo reſervato, nulla eſt.

Part. 3. tit. 17. c. 12. pag. 961, & c. 21. §. 3. pag. 989.

in abſolutione ſupplere defectum dicitur idem Chriſtus, non autem Eccleſia, de qua hoſce defectus & juriſdictionem ſupplente veteres illi ne ſomniarunt quidem: adeo hoc poſterius & novum inventum eſt. In eadem ſententia nunc pariter omnes conveniunt, quot quot inter caſus confeſſionis iterandæ illum recenſent, ſi quis apud eum confeſſus ſit, qui juriſdictione legitima ſive in toto, ſive ex aliquo reſervato caruiſſe dignoſcatur. Quin non ne hoc idem certum eſſe debet etiam per omnes, vel ſaltem pleroſque contrariæ ſententiæ patronos eo præſertim in caſu, quo unicum peccatum reſervatum, vel reſervata excommunicatione affectum citra ullam neceſſitatis anguſtiam confeſſioni ſubjectum & abſolutum ignoranter fuerit, in quod ex facilioribus ipſorum quoque principiis nulla nec directa, nec indirecta abſolutio cadere poſſit? Non directa quidem, quum hæc vel per ipſos in reſervata ferri nequeat extra mortis articulum, niſi ſpecialis facultas ſuppetat, ut ex alibi dicendis patebit: neque vero indirecta, quippe cui (uti eam ipſius defenſores explicant) locus non eſt præter neceſſitatis caſum; immo nec in ipſo caſu neceſſitatis locus eſſe poteſt, ubi aliud peccatum non reſervatum, quod directe abſolvatur, quis non confiteatur, & minus multo, ſi excommunicatio reſervata, niſi prius ſublata directe fuerit, abſolutionem cujuſvis peccati impediat, atque irritam reddat: uti intelliges ex dicendis part. 3. not. 7. in c. 19. tit. 14. Videam num quis hiſce difficultatibus preſſus, hoc quoque caſu (ut non nemo ſcripſit) Eccleſiam certo ſupplere, & in reſervatione pariter certa certam ignoranti confeſſario juriſdictionem, qua directe & valide abſolvat, dare comminiſcatur: quod univerſæ antiquitati omniumque præſumtioni contrarium, & gratis aſſertum ſi ſemel admittendum ſit, nihil ex juriſdictionis defectu ab ignorantia confeſſariis timendum eſſet, ne forte abſolvant, quod ob reſervationem non poſſunt, inanemque in eo metum Synodi aliaque Eccleſiaſtica monumenta injeciſſent; meliorque in hac parte ignorantium, quam doctorum confeſſariorum eſſet conditio: quæ omnia auditu horrida ſunt. Ex his itaque non ſupplet Eccleſia, nec animarum periculo ſuccurrit, ubi juriſdictio ex ignorantia etiam invincibili reſervationis uſurpata, vere deeſt; & ſupplere ac animabus ſuccurrere dicenda erit, ubi juriſdictio æque deſit aſſumta ex opinione incerta, de qua prudenter dubitari poterat, & oportebat? Neque reponas, in primo caſu ſermonem eſſe de reſervatione certa, non autem (ut in præſentiarum agitur) de juriſdictione probabili. Nam qui hoc opponit, velim conſideret, nos heic reſpondere & convellere fundamentum ductum ex animarum periculo, cui ut Eccleſia ſubveniat, juriſdictionem, ſi forte deſit, ſupplere dicebatur: periculum vero animarum æquale eſt, ubicumque ju-

Part. 2. pag. 537. d.

Part. 3. pag. 777.

risdictio desit, sive ea confessarius ex opinione probabili, sive ex reservationis ignorantia utatur. Quum porro jurisdictio, vel reservatio reipsa sit, vel non sit, sive quum hæc ignoratur, sive quum illa probabiliter creditur; jurisdictio per se, si vere desit, ex opinione probabili non major exsistit, quam quum ex reservationis ignoratione præsumitur; adeo ut, nisi suppleat Ecclesia, ad eam conferendam, ubi desit, opinio probabilis non magis proficiat, quam ignorantia. Hinc quidem non ex mera opinione probabili per se jurisdictionem conferri adversarii contendunt, sed ex animarum periculo, cui in jurisdictionis defectu supplendo Ecclesiæ pietatem prospicere existimant. Id ergo periculum quum æquale sit in ignorantia & in opinione probabili; vel nullo in casu Ecclesia supplere dicenda est, vel in utroque, ac in ignorantia multo magis, ne Ecclesia animabus prospicere dicatur in errore, qui probabiliter cognosci & repelli poterat, ut in opinione probabili accidit; & non in eo, qui omnino & forte etiam invincibiliter ignorabatur. Quodsi hactenus dicta rationem adversariorum a pietate Ecclesiæ ductam omni probabilitate non videantur exuere, certam saltem eam non esse convincunt, quatenus demonstrant certum non esse Ecclesiam supplere: quod tamen ad subducendam a data propositione jurisdictionem probabilem omnino certum esse deberet.

Ecclesia ipsa se non supplere jurisdictionē probabilem, ubi forte desit, declaravit.

6. Sed quid pluribus hac super re argumentando distinemur, si Ecclesiæ ipsius sententiam audire possumus? Frustra enim Principis mens in dubio aliis argumentis quæritur, quum ipsum Principem adire licet. Quæramus igitur de Ecclesia, num in quæstionibus de jurisdictione probabili rationem habens animorum periculi, seu etiam probabilitatis, jurisdictionem, si forte desit, velit supplere; ejusque declarationem postquam audierimus, nihil erit quod hac super re controverti amplius possit. Sive enim affirmet se iis in casibus jurisdictionem dare, vel datam præsumere, sive neget; quum ejus præsertim sit eam dare, vel non dare, quicumque secus inclamarint, nihil conficient. Ecclesia autem satis loquuta mihi videtur, quum quæstiones omnes vel casus de dubia jurisdictione quantumvis probabili sibi propositas ita diremit, ut se jurisdictionem nequaquam supplere satis declararit, vel saltem præsumserit. Tres insigniores ac certioribus publicisque monumentis celebres afferam, quibus nihil aliud adversum invenire licuit.

7. Primum quæstio probabilis de probabili jurisdictione fuit illa, num in decreto Tridentini sess. 23. c. 15. comprehendantur etiam Prælati, quibus eligendi sibi confessarii jus est, ita ut his non liceat simplicem sacerdotem eligere in confessarium, si ab Ordinario loci approbatus non fuerit. Ad hanc quæstionem discutiendam Romæ deputata fuit Congregatio decem Cardinalium, quorum quinque in partem affirmativam inclinarunt, in negativam item quinque ob rationes, quas refert P. Suarius disput. 28. de Pœnit. sect. 4. n. 7. adeo res utrinque probabilis erat. Quid ad hæc Gregorius XIII. Pontifex maximus, qui in ea opinionum & consiliorum discrepantia consultus fuit? Non eam sane hypothesim ille novit, quum (eodem Suario referente) respondit: *In re dubia tutius est adhærere decreto Concilii Tridentini*; ne scilicet simplicem sacerdotem ab Ordinario loci haud approbatum in confessarium iidem Prælati eligant. In quo quum decidendi rationem ex dubio quantumvis probabili deduxerit, ita ut non definierit nullam vere esse jurisdictionem; sed dubiam, seu (ut adversarii appellant) probabilem reliquerit, atque præsumserit; palam est mentem ejus fuisse, in omni probabili jurisdictionis dubio, jurisdictione probabili ei dubio adnexa utendum non esse, ac propterea communem in hoc regulam de tutiore parte in dubiis eligenda sequendam credidisse. Hoc autem quum sequendum in ea dubia quantumvis probabili jurisdictione præscripsit, non censuit utique Ecclesiam in ejusmodi jurisdictione, si forte desit, certe supplere; quod si censuisset certum, tutius eo in dubio sequendum non respondisset.

Casus dubii habendi sunt uti reservati.

8. Quæstio item utrinque probabilis de jurisdictione est illa, num casus *dubie* reservati, quos scilicet probabile est in reservatione comprehendi, & probabile item est non comprehendi (alterutra enim probabilitate deficiente nihil dubii esse posset) a quovis confessario absolvi possint, donec certo reservati non sint. Affirmabant id probabiliter nonnulli, ac ii præsertim, qui in probabili dubio probabilem jurisdictionem certam defendebant. At Sacra Congregatio Concilii ex *speciali mandato* Clementis VIII. in decreto edito anno 1601. die 9. Januarii ejusmodi thesim ratam non habuit, quum casus *dubie* quoque reservatos absolvi vetuit: *Nequis ..... sub prætextu privilegiorum, ab ullo ex casibus clare vel dubie In Bulla* in cœna Domini *legi solita contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis, vel reservandis absolvat*. Neque pro nova reservatione hæc verba habeantur, ac si ideo casus dubii absolvendi non sint, quod hoc decreto reservati fuerint. Nam præterquam quod Sacra Congregatio Concilii interpres, interpretativam, ut Auctores monent, auctoritatem per se jure ordinario exercens, novum jus fere non inducit, sed illud legitime interpretatur, quod per se ante constitutum, ipso jure obligabat: præter hoc, inquam, ipsa hujus decreti verba ita simul prohibent casuum *clare*, *vel dubie* reservatorum absolutionem, ut sicut *clare* reservatorum novam reservationem non afferunt, ita nec *dubie* reservatorum afferant; sed meræ explicationis vim habent, qua casus *dubie* & *clare* in reservatis contenti, peræque reservati declarantur, vel præsumuntur,

tur, ut quibus *a clare* reſervatis non licet abſolvere, iiſdem nec *a dubie* reſervatis ulla probabili juriſdictione, quæ in dubiis exſiſtit, abſolvere liceat. Enim vero id patebit multo magis, ſi conſideremus, hocce Sacræ Congregationis decretum latum fuiſſe in Regulares, qui privilegiorum nomine hanc ſibi juriſdictionem pro caſibus non tam dubie, quam certo reſervatis arrogabant. Porro exploratum eſt, hanc ſolam prætenſam privilegiorum vim Congregationem hoc decreto voluiſſe elidere, nihil autem in reſervatis ipſis innovare: ita ut decretum nihil aliud ſignificet, niſi eamdem reſervationem privilegiatos tenere, ac non privilegiatos, quod privilegia in hac parte nihil ſuffragentur. Caſus ergo *dubie* reſervatos æque ac caſus *certæ* reſervationi ſubjectos per ſe abſolvi non poſſe citra ſpeciale expreſſum privilegium (qualia illa Regularium non ſunt) hoc decretum præſumit, ut ne hujus decreti vi reſervati dici queant; ac propterea probabilis juriſdictionis, quæ in caſibus dubiis intervenit, nullam per ſe rationem habendam manifeſte indicavit. Neque obſtat, quod particula *dubie* non legatur in alio mitiori decreto, quod ejuſdem Clementis VIII. juſſu die 26. Nov. an. 1602. editum fuit. Nam ſi primum decretum in rem noſtram jus novum non condidit, ſed vetus præſumſit ac declaravit; jam ſatis eſt, ſemel declaratum vel præſumtum fuiſſe caſus dubios habendos eſſe uti reſervatos, ut ſemper id verum ſit, quandiu jure novo expreſſo certa juriſdictio non ſit collata in eoſdem dubios caſus, quæ per meram ejus vocis omiſſionem certo collata dici non poteſt. Ceterum cum hoc ſecundo in decreto æque omiſſa fuerit vox *dubie*, ac vox *clare* reſervatos (*caſus, qui in Bulla Cœnæ Domini legi conſueta continentur*) ſi per omiſſionem vocis *dubie* collata dici deberet facultas in caſus dubios; per omiſſionem vocis *clare* in caſus quoque *clare* reſervatos facultas tradita dicenda eſſet: quod nemo concedet. Id porro unum mitius hoc poſteriori decreto ſancitum fuit, ut reſervatio prioris decreti pro iis Regularibus, qui certis privilegiis uſu receptis utebantur, ad ſolos caſus reſtringeretur Bullæ Cœnæ Domini, & ad alios paucos ibidem nominatos, non vero ad reliquos, qui ante hoc decretum reſervati fuerunt; ac præterea ut *pœna inhabilitatis audiendi confeſſiones* priori decreto lata ſubduceretur. In ceteris vero omnibus cum confirmetur primum decretum; confirmatur etiam quidquid de caſibus *dubiis* inter reſervatos computandis nulla hujus poſterioris decreti formula irritum, ex ipſo periculi jure declaratum, ſeu potius præſumtum fuerat. Quod ſi per ſe valet in caſibus Apoſtolicæ Sedi *dubie* reſervatis in memorata Bulla Cœnæ, in aliis omnibus reſervationibus ſive Pontificiis, ſive Epiſcopalibus eadem ratione valet, niſi exploratum privilegium vel delegatio certam abſolvendi juriſdictionem in aliquibus, aut in omnibus concedat; vel niſi caſus dubii certa declaratione excipiantur a reſervatis, uti per nonnullos Epiſcopos alicubi factum ſcio, & fieri etiam expediret, niſi forte ex nonnullorum, ſicut nimium facile opinantium, ubi non eſt opinandi locus, ita multo facilius dubitationes inducentium, ubi dubitandum non eſt, abuſibus timeretur. Hinc ſane his certis facultatibus excluſis, jam ante hoc ipſum decretum, ne in dubios quoslibet caſus confeſſarii ſe ſe ingerant, veluti per ſe illicitum cavit ſynodus Amerina an. 1595. cap. 139. *Quum forte quid pœnitens confitebitur, quod ancipitem deliberationem habere videatur, & dubitat confeſſor, an ad id remittendum peccatum, ſatis ipſe habeat juris; potius quam errore labatur, unaque inde ſecum in eumdem caſum pœnitentem trahat; petat ab eo, ut tantiſper exſpectet, dum ipſe aut libros adeat, aut peritiores ſe conſulat. Nec ipſum pudeat fateri, quod ſibi non liquet; nec pœnitens ferat graviter, abſolutionem ſuam in aliam diem diferri, ut de ſe juſtum & e canonum fonte hauſtum judicium feratur: tam enim ſua intereſt, falſam & ab jure inanem abſolutionis ſententiam non referre, quam graviter delinquit confeſſor, ſi temeritate atque inſcitia, injuſte & contra quam fas eſt, judicat, aut ſibi non conceſſam poteſtatem nefarie arrogat.* Ubi vides naturale jus inſinuari univerſim obtinens, quo ob ſacramenti fruſtrandi periculum dubia juriſdictione nequaquam utendum præcipitur.

Error communis ſine titulo colorato juriſdictionem certam non dat.

9. Tandem, ut alia præteream, probabilis eſt quæſtio (quam Paſſerinus allegatis utrinque auctoritatibus fuſe recenſet de Statu hominum quæſt. 187. art. 1.) num ſolus error communis ſine titulo, ut vocant, colorato juriſdictionem tribuat, ita ut valeant confeſſiones habitæ apud ſimplicem ſacerdotem, qui approbatus vere non eſt, ſed vulgo approbatus cenſetur: & in hoc quidem caſu pietas Eccleſiæ juriſdictioni ſupplens a multis effertur, ut in communi errore juriſdictio tribuatur. Hæc quidem ratio aliæque Congregationi Concilii propoſitæ fuerunt pro vindicanda juriſdictione in caſu graviſſimo Patavino, in quo agebatur de multis Jubilæi tempore confeſſis bona fide apud quoſdam ſacerdotes, qui errore communi confeſſarii legitimi putabantur, ac præterea ſe ſe uti legitimos confeſſarios geſſerant *in opinione probabili quorumdam auctorum*: Quid ad hæc Sacra Congregatio? Nihil quidem detraxit probabilitati ejus opinionis; at eam certam non habens, & de pietate Eccleſiæ, juriſdictionem, ſi deſit, ſupplentis nihil præſumens, eas confeſſiones ob probabilis tantum juriſdictionis dubium invalidas eſſe habendas reſpondit die 11. Decembris an. 1683. quumque eas iterandas eſſe docuerit, non ſolum ubi homines *id reſciverint*, ſed etiam ubi *de invaliditate confeſſionis dubitaverint*, in dubio utique de juriſdictione, de qua tum agebatur, eam pietatem ab hominibus ipſis vulgo non

præſu-

præſumendam ſatis declaravit. Vide fuſe relationem caſus & Congregationis decretum ex ipſo regiſtro editum tom. 4. Notificationum Benedicti XIV. notific. 17. in fine. Quod ſi ea Eccleſiæ pietas juriſdictionem ſupplens ex hoc decreto præſumenda non eſt in ipſo errore communi ; quum opinio probabilis de juriſdictione , quæ vere non adſit , error ſit , qui communi errori a Probabiliſtis æquiparatur ; neque in opinione probabili erit præſumenda.

10. Hæc in triplici caſu juriſdictionis probabilis conſtans Eccleſiæ declaratio , a qua aliis item in caſibus , ſi ipſi loquendum eſſet, nihilum diſcederet , pro legitima Eccleſiæ ſententia habenda eſt. Qui contrarium propugnant , nihil æquale ſacræ auctoritatis, quæ legitima ſit , afferre queunt. Privati auctores , quos allegant , privatum quidem ſenſum afferunt , a quo juriſdictio nequit conferri ; non autem idonei teſtes ſunt mentis Eccleſiæ , quæ juriſdictionem una affert , quum præſertim ii, qui Eccleſiaſtica auctoritate pollent , & juriſdictionem conferunt , eo Doctorum ſenſu nihili habito , contrarium reſponderint. Hos ſi quis audire recuſet , ut illis obſequatur , ſimilis illi erit , qui in intelligenda lege legislatori ipſi ſe ſe explicanti non fidat , ut privatis hominibus probabiliter ex ſuo ſenſu interpretantibus ſeu potius diſputantibus aures accommodet. Hæc probabilitatis laxiſſimæ faſcinatio quædam videri poteſt , quam in aliis quibuſdam alio in caſu deprehendi, qui,quum probabile dicatur a nonnullis Auctoribus , juriſdictionem cuivis ſacerdoti ita per Tridentinum eſſe collatam in articulo mortis , ut omnes etiam ſimplices ſacerdotes hoc caſu approbati habendi ſint , etiam ſi confeſſor alias approbatus adſit ; hanc privatorum ſcriptorum opinionem , uti appellant , probabilem tanti faciunt , ut eam præferre Romano Rituali non dubitarint, in quo aperte juriſdictio cuivis ſacerdoti ea ſolum conditione tribuitur, *ſi periculum mortis immineat, approbatuſque confeſſarius deſit* : quod Tridentini mentem , ſi quam dubitationem afferret , autentice explicat. Adeo poteſt in nonnullis mentibus probabilitatis præjudicium ! Sed hæc non placebunt iis , qui juriſdictionem Eccleſiaſticam non e privatis ſcriptoribus, ſed e libris publicis ipſius Eccleſiæ eruendam norunt ; & cum in re quavis , tum præſertim in ea, quæ ad ſacramentorum valorem pertinet , cum Benedicto XIV. concludent , actiones noſtras *haud quaquam regendas opinionibus dubiis , ſed tutis , & ſententiis ſacrarum Romæ Congregationum præferendis omnino privatorum auctorum opinationibus, qui ex proprio arbitrio ſcribunt quod libet, ut ne Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſulant , cujus moderatrix Romana Sedes eſt, & eſſe debet.* Italice : *Non volendo noi regolare le noſtre azioni colle opinioni dubbie , ma ſicure , e colle opinioni delle ſacre Congregazioni di Roma, che prevalgono a quelle degli Auttori privati , che ſcrivono ciò che loro aggrada, ſenza riflettere all' Eccleſiaſtica diſciplina , della quale la Santa Sede è , e deve eſſer la regolatrice.* Hactenus de peculiari probabilitatis uſu in ſacramentis damnato , ut certum omnino maneat , ex Eccleſiæ mente eamdem juriſdictionis habendam eſſe rationem, ac materiæ & formæ ſacramentorum , & utraque in parte probabilitatem ab Innocentio XI. fuiſſe excluſam.

Tom. 5. Notif. 18.

§. II.

Documenta Alexandri VII. & Innocentii XI. contra univerſam Probabiliſtarum ſententiam.

11. NUnc ad propoſitum propius accedentes , adverſus univerſam probabilitatis doctrinam Pontificia documenta afferamus , quibus tamen nullam Theologicam damnationis notam ex meo ſenſu probabiliſmo inurere , ſed Alexandri VII. ac Innocentii XI. qui eidem peperciſſe creduntur , res geſtas atque decreta perpaucis cognita proferre vel interpretari conſilium mihi eſt , ut quid illi de probabilitate ſenſerint , exploratum fiat. Libet in primis Theologicam quamdam animadverſionem ex utriuſque Pontificis decretis elicere, quæ probabilitatem indirecte quidem , at ſatis vehementer perculſam ſuadebit , expreſſiora & magis directa deinceps prolaturus. Alexander VII. in decreto an. 1665. plures propoſitiones confixurus,hæc præmitti in præfatione juſſit : *Sanctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore , complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari , partim noviter prodire.* Similiter ex mandato Innocentii XI. hæc præfixa decreto an. 1679. quo plures aliæ propoſitiones damnatæ fuerunt : *Sanctiſſimus Dominus Noſter Innocentius Papa Undecimus prædictus , ovium ſibi a Deo creditarum ſaluti ſedulo incumbens , & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis ... proſequi volens &c.* Illa verba *opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas , & animarum perniciem inferentes* , nec non illa *ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis* , ad propoſitiones utroque in decreto damnatas aperte referuntur , & damnationis quodammodo cauſſam proponunt , quod nimirum hæ propoſitiones *noxiæ* eſſent , ac proinde *ab innoxiis ſegregandæ* , & ita eſſent *noxiæ*,ut *animabus perniciem inferrêt*. Hæc non futurum poſt damnationem tempus , ſed præteritum ſpectant ; idcirco enim damnandas fuiſſe eas propoſitiones cenſueverunt Pontifices maximi,non ut *noxiæ* eſſe, & *animarum perniciem inferre* inciperent , quæ ante fuerant *innoxiæ*, & *ſine pernicie* ulla obtinebant (ſic enim verius quodammodo non propoſitiones,ſed pontificia decreta *noxia perniciem intuliſſent*) ſed ne *noxiæ* amplius eſſent, nec *perniciem animabus inferrent*. *Noxias* ergo

Dum propoſitiones probabiles noxias & perniciosas animabus etiam ante damnationem fuiſſe declarantur , probabilitas non tuta ſatis monſtratur.

ante

ante damnationem eas vere fuiſſe, & *intuliſſe animabus perniciem* negari non poteſt.

Ejuſmodi propoſitiones in Probabiliſtarũ ſenſu fuiſſe ante damnationem probabiles demonſtratur.

12. Verum etſi hæ poſt edita decreta e probabilitatis gradu deciderint, tamen penes illos, qui eaſdem ante condemnationem defenſarunt, vel ſecuti ſunt, probabiles vere fuiſſe dubitandum non eſt. Legatur Amadei Guimenii liber, in quo plures ex propoſitionibus ab Alexandro VII. proſcriptis continentur, ut in libello ſupplici ad Congregationem Indicis ipſe Guimenius confeſſus eſt; cumque is ad vindicanda quorumdam Auctorum nomina, apologiam ſcripſerit earumdem propoſitionum (ut ne tamen judicium ſuum proderet; ſic nempe ipſe ſe ſatis defenſum cenſuit) quanto & auctoritatis & rationum, quæ ex probabiliſmi regulis graves videbantur, ſuffragio illæ munitæ fuerint, palam fiet. Et quoniam auctoritas in probabiliſticam rationem potiſſimum ſpectanda eſt, ut opiniones judicentur probabiles; adeo numeroſus Auctorum catalogus pro illis ſingulis allegatur, ut in epilogo Guimenius non dubitarit ſcribere: *Plerumque, ut vidimus, inter Auctores communes ſunt*. Etſi porro vox *communis* apud homines id genus non ſtricte, ſed latiſſime accipienda ſit, ut alibi oſtendimus; nihilque dubitem, quin alii etiam Probabiliſtæ ante condemnationem illas rejecerint ut omnino falſas, nedum improbabiles; negari tamen nequit, quin multos habuerint defenſores magna argumenta præferentes, ex quibus probabiles vere eſſe & haberi ab aliis potuerunt. Sicut enim quod aliqua propoſitio falſa ſit, non impedit, quominus nobis falſitatem ignorantibus videri poſſit probabiliter vera (ſecus pro una veritate probabilis opinio haberi poſſet) ita quod aliqua propoſitio ſit improbabilis, uti ob rationes graviſſimas ab hominibus acrioris mentis cenſetur, nihil prohibet, quin apud alios, qui earum rationum vim non capiunt, ſive non advertunt, aliaque documenta cogitant, quæ gravia & probabilia ipſis videntur, nihil, inquam, prohibet, quin apud hos ſatis ſit, ut in ipſorum mente ea opinio in Probabiliſtarum ſententiam ſit vere probabilis; quum præſertim ſola veritas ſeu falſitas eſſentialis res ſit, ac propoſitionibus ipſis intrinſeca, quæ aut objecto conformes ſunt, & proinde veræ; aut ſunt deformes, & idcirco falſæ: probabilitas vero, ſive improbabilitas nonniſi *ab extrinſeco*, & *per accidens* iiſdem contingat, ab intellectu ſcilicet hominum, qui varie ſentiunt, quum veritas vel falſitas evidens ipſis non eſt. Itaque ſi inique de proximo præſumere & judicare nolumus, ac ſi homines contra conſcientiam docuerint, vel ſecuti ſint opiniones, quas falſas vel improbabiles judicarent; opus eſt ſane dicere, eos, qui illas tradiderunt, vel ſecuti ſunt, id feciſſe, propterea quod eaſdem ſive ratione, ſive auctoritate, ſive utroque ex capite probabiles ducerent, quod in Probabiliſtarum morem idem eſt ac dicere, eaſdem propoſitiones vere fuiſſe probabiles. Hinc ſane ipſi Probabiliſtæ æquioris judicii probabiles illas ſuo modo affirmant, quæ tamen editis Pontificiis decretis e probabilitate dejectæ fuerint. Si ergo nihilominus Pontifices ejuſmodi propoſitiones *noxias*, & *animabus inferentes perniciem* pronuntiarunt, & pronuntiarunt pro eo quidem tempore, quo erant probabiles, & penes illos quidem, qui eas uti probabiles ſive docebant, ſive ſequebantur; jam in probabilitate opinionum nihil tutum eſſe declaratum vides. Illis ergo ſententiis tunc probabilibus nihil proderat incertitudo legis, nihil libertatis poſſeſſio, nihil benigniorum prælatio, nihil invincibilis ignorantia, nihil prudentia, aut Chriſtiani jugi ſuavitas, aut Auctorum catalogus, vel cetera quæcumque afferantur reflexa Probabiliſtarum principia. Si vero hæc reflexa principia in opinionibus tum probabilibus non valebant, ut tutas redderent ſententias eo tempore probabiles; neque valebunt in ſententiis nunc quoque probabilibus: utrobique enim par probabilitatis ac principiorum ratio. Noxiæ tum erant propoſitiones probabiles nondum damnatæ, animabuſque inferebant perniciem: idem timendum etiam nunc de probabilibus reliquis, licet damnatæ non ſint, uti ex apertis Pontificum laudatorum verbis timendum eſt: hincque ſatis reprobatum a Pontificibus apparet, quidquid de tuta probabilitatis regula a Probabiliſtis traditur.

Segneri Epiſt. de Probabil.

Reſponſ. ad P. Segnerium pag. 334. not. 1.

Oſtenditur modum opinandi *reprehenſum ab Alexandro VII. eſſe probabiliſſimum.*

13. Aliud autem ex Alexandri decreto obſervare maxime intereſt, quo probabiliſmus apertius impetitur. Ibi nimirum gravibus notis inuritur quidam *opinandi modus*, qui *in rebus ad conſcientiam pertinentibus irrepſit, alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela*. Hunc autem *modum opinandi* non alium eſſe quam probabiliſmum, teſtem locupletem habeo coævum Alexandro VII. Auctorem, Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtodem, & rerum in Congregationibus ea tempeſtate actarum peritiſſimum Stephanum Gradium, qui duplex hujus rei teſtimonium poſuit. Primo id innuit ſatis expreſſe non in quopiam libello multos poſt decretum annos in aliqua remota urbe edito, ſed in *Voto*, uti appellant, quod juſſu Sacræ indicis Congregationis ſcripſit, eidemque porrexit paucis poſt Alexandri decretum menſibus, ut de mendacio & calumnia nihil extimeſceret, de quibus convinci & reprehendi facile poterat, ſi ſcientibus loquens, falſum narraſſet. In hoc autem Voto de probabiliſmo verba faciens, *doctrinam hanc a S. Inquiſitione reprobatam fuiſſe*, & *menſibus præteritis damnatam* pronuntiare non dubitavit, ut ex P. Honorati Fabri Soc. Jeſu Dialogo 6. intelligimus. Quibus cum S. Inquiſitionem appellavit, appellavit procul dubio laudatum Alexandri VII. decretum, quod quidem

Inſignis in hanc rem teſtis profertur, & hiſtoria ita inſignis.

Apologet. doctrinæ moral. pag. 127.

dem ex Inquiſitione Generali nuper prodierat. Non alia autem ratione probabilitatis doctrinam *reprobatam* & *damnatam* fuiſſe ab Alexandro in eo Inquiſitionis decreto niſi in *modo opinandi*, qui in ejus decreti præfatione reprobatur, idem Gradius in alio opere exploratius declarat. Quum enim P. Faber memoratus laudatum Gradii Votum via neſcio qua obtinuiſſet, confutationemque ipſius publicaſſet in Gallia an. 1670. hoc effatum erroris coarguit, monens in materia probabili ab Alexandro damnatam non reperiri niſi propoſitionem 27. *Si liber ſit alicujus junioris* &c. quæ totam doctrinam probabilem non complectitur. At Gradius in *diſputatione* cum eodem P. Honorato Fabro, quam Romæ edidit an. 1678. eumdem docuit, ſe ea cenſura non ſpectaſſe propoſitionem 27. ſed illas decreti formulas *modus opinandi* &c. quibus *propter fidelem illius temporis notitiam* (*neque enim obſcura res erat*) Summum Pontificem voluiſſe probabiliſmum notare diſerte affirmat. Exponit etiam, qua id ratione contigerit. Pontifex ſcilicet auditis propoſitionibus partim innovatis, partim invectis, idque cauſſæ in probabiliſmum potiſſimum referens, *cœperat impetum*, inquit, *egregius honoris Dei zelator, gravia omnino ac ſevera de hac re tota* (ideſt de ipſo probabiliſmo, ut ex contextu liquet) *ſtatuendi, & malum, ut ajebat, in ſua fonte ac radice funditus exſcindendi, diſerta edita conſtitutione, ex qua finium hujuſmodi regundorum leges, & actiones facile peterentur. Nec vero quicquam propius fuit, quam ut id faceret; feciſſetque ſine dubio, niſi interveniſſet ejus conſilio Cardinalis Pallavicinus, cui accuratiorem deliberationem deſiderare ea viſa res eſt, quam ut celeriter, quod apparebat futurum, explicari poſſet; ac multo fore conſultius, ſi dilata tantiſper pleniori cenſura, ipſæ in præſentia opiniones nominatim configerentur, ut factum eſt: nam ſcandaloſæ, non abſolute, ut tibi videtur, ſed ut minimum ſcandaloſæ judicatæ ſunt; adjectaque præfatio, quæ, licet ſub involucro verborum, vere manifeſtum facit decernentis animum ab hac philoſophandi de moribus ratione alienum, quam propterea, ut vides, appellavit modum opinandi contrarium Evangelicæ ſimplicitati Sanctorumque Patrum doctrinæ &c.* Huic autem Gradii explicationi & teſtimonio nec P. Faber, nec quiſquam alius uſquam reſpondit.

Notæ tres affixæ modo opinandi in decreto Alexandri VII. ſoli probabiliſmo cōveniunt.

14. Enim vero ſi characteres, quibus is *modus opinandi* in decreto ipſo diſtinguitur, cōſideremus diligenter; eos nulli niſi probabilitatis doctrinæ convenire deprehendemus. Tres autem illi ſunt, ideſt quod recens *irrepſerit*, quod *ſit alienus ab Evangelica ſimplicitate Sanctorumque Patrum doctrina*, & quod ex eo, niſi tollatur de medio, *ingens irreptura ſit Chriſtianæ vitæ corruptela*, quatenus ſcilicet ex eodem in dies *complures opiniones Chriſtianæ vitæ relaxativas ... partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire* Pontifex dolenter audierat. Uni probabiliſmo hæc mire congruere, quis non intelligit? Quo-

De novitate probabiliſmi.

ad novitatis cenſuram, qua modus ille opinandi *irrepſiſſe* traditur, *probabile* quidem apud antiquos legitur, ſed in ſententiam a novitia probabilitate plane diverſam, ut P. Faber duobus in locis fateri coactus fuit. *Illa vox* probabile *apud antiquos idem ſignificat, quod rationabile, acceptum, autenticum, ut multis exemplis confirmare poſſem.* Sic in Dialogo 4. de opinione probabili pag. 72. Apologetici. Vide etiam Dialog. 7. pag. 154. ubi duo etiam affert exempla: *Sic dicuntur Scripturæ probabiles, loca Patrum probabilia:* & nos in probabilitatis Hiſtoria non alias *probabiles* & approbatione dignas, ac in praxi licitas fuiſſe habitas oſtendemus, niſi quæ perſuaderentur ſententiæ, ac uti veræ longe probabilius judicarentur. Modus itaque appellandi probabiles, & in praxi licitas opiniones, quæ non approbantur uti veræ, ſed dubiæ cenſendæ ſunt, novitius plane eſt. Equidem probabiliſmum novum eſſe recentiorum inventum, quod ignorarunt antiqui, quodque poſt medium decimum ſextum ſeculum in lucem prodiit, & Probabiliſtæ plures teſtantur, & in Probabiliſmi hiſtoria luculentius demonſtrabitur. Quod ſi hic non eſt opinandi modus, qui recens irrepſerit; haud ſcio, quis alius allegari queat: neque enim de particulari aliqua propoſitione Pontifex loquitur, quum *opinandi modum* perſtringit, ſed indicat generalem aliquam regulam, quæ in tota Theologia manuducens uni probabilitati convenire poteſt.

Vide Prælect. 1. n. 18. pag. CX.

Quatenus probabilitas a ſimplicitate Evangelica abſit.

15. Quam porro commode eidem ſoli competat alterum, quod ſit modus *alienus ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina*, facile eſt intelligere. Eam *ab Evangelica ſimplicitate alienam* evidenter probat P. Elizaldi Societatis Jeſu argumentum his expreſſum verbis part. 3. l. 8. quæſt. 7. n. 2. *Evangelium ſimplex eſt, & omni duplicitati rupugnat, & habet* eſt, eſt, non, non. *Modernus contra moraliſmus duplex eſt, & bilingui illa probabilitate utitur, & habet* eſt, *ſimul* & non: *quum ſua regula ſit probabilitas contrariarum & contradictoriarum propoſitionum* (uti liquet ex Excobarii Theologia problematica, ubi quævis controverſia his formulis deciditur *eſt, non eſt*, aut *licet, & non licet*, quod idem reipſa faciunt alii Probabiliſtæ, dum contrarias & contradictorias opiniones uti probabiles & licitas approbant) *ſicque a ſimplicitate prorſus diſtat.* Quum porro doctrina SS. Patrum, quæ ad Evangelicam normam ſimpliciſſima fuit, ab hac duplicitate abſit quam longiſſime; a SS. quoque Patrum doctrina eadem probabilitas diſcrepat.

Quatenus ex probabiliſmo corruptio moralis fluxerit.

16. Hoc tandem ex fonte manare *ingentem Chriſtianæ vitæ corruptelam*, quatenus ex eodem *complures opiniones Chriſtianæ vitæ relaxativæ partim antiquatæ iterum ſuſcitentur, partim noviter prodeant*, inficiari poteſt nemo. Si enim in veterem morem eæ ſolæ opiniones defenderentur licere, quæ uti veræ aut longe probabiliores cenſentur; iiſque tan-

tum-

tummodo licitus ipſarum uſus traderetur, quibus ex intima conſcientia perſuadentur; quum impoſſibile fuiſſet plures opiniones induci, quæ neminem hactenus perſuadere potuerunt; tum aliæ multæ nonniſi raros defenſores inveniſſent, quum rariſſimi admodum ſint, qui eas ſibi in memoratam rationem perſuaſerint. Hinc factum arbitror, ut aliis temporibus, in quibus ignorantia fuit maxima, praxis autem corruptiſſima viguit, opiniones tamen id genus raræ & apud raros etiam Scriptores legantur. At ſuperiori ſæculo inducta noviter probabilitatis regula, qua licitum traditur, non ſolum quidquid verum, aut longe probabilius creditur, ſed etiam quidquid judicatur probabile, etiamſi minus probabile, immo & falſum operanti videatur; cui probabilitati ſufficere etiam creditum eſt argumentum aliquod grave, quod ſcilicet mentem vehementer moveat, quamvis non perſuadeat: perfacile hac via fuit, uti probabiles & licitas proponere, excitare, vel inducere complures laxas ſententias, quæ Chriſtianam vitam inficerent; & niſi hæc via præcidatur ex Alexandri conſilio, major ſemper in dies irruptura eſt corruptela, quam adhuc graſſantem videmus in Theologicis eorum ſcriptis, qui licet a damnatis propoſitionibus caveant, ab hac tamen regula modoque opinandi non cavent. Hinc porro confirmatur, quod in primi caracteris examine diximus, *modum opinandi* ab Alexandro VII. notatum haud eſſe illum, quo uti probabiles venditantur opiniones falſæ & improbabiles (quæ aliquorum interpretatio fuit) id enim invenitur commune omni ætati, quum ſemper erratum ſit probabiliter: ſed illum eſſe, quo ejuſmodi opiniones propoſitæ fuerunt uti probabiles modo a Probabiliſtis uſitato, quibus quidem eas, quantumvis laxas, probabiles vere fuiſſe, non improbabiles, oſtendimus paullo ante: id enim ejus ætatis proprium fuit, & id unum *irrepſiſſe* dici potuit. Quum ergo ſinguli hi characteres a Summo Pontifice indicati, & magis multo omnes ſimul uni probabiliſmo aptentur, præterea nulli doctrinæ; demonſtratum ſatis videtur, hunc unum eſſe illum *opinandi modum*, quem quidem ea formula Alexandrum VII. voluiſſe perſtringere Gradius ejus ætatis teſtis locupletiſſimus prodidit.

Modus opinandi *ab Alex. VII. reprehenſus, eſt probabiliſmus.*

17. Neque vero Innocentii XI. mens, qua & oſtenderet probabiliſmum ſe reprobare, & ab aliis quoque reprobari voluit, tantis auctoritatis vel rationis probationibus indiget. Ipſum enim decretum juſſu ejuſdem Pontificis latum in Inquiſitione Generali Romana, quæ Congregatio etiam S. Officii vocatur, doctrinam probabilem aperte nominat, ejuſdemque ſupremi ac ſanctiſſimi Antiſtitis voluntatem præceptumque exhibet, quod adverſus eamdem doctrinam ipſi P. Generali Soc. Jeſu ab Aſſeſſore S. Officii ſignificatum fuit. Duplicem ejus decreti editionem vidi, at non ita exactam, uti in autenticis ejuſdem S. Officii manuſcriptis continetur, ad quorum propterea exemplum illud heic appendendum judicavi. Ejus autem ferendi hæc occaſio fuit. P. Thyrſus Gonzalez, qui inſignis ejuſdem Societatis Generalis poſtea fuit, tunc autem merus Theologus in Hiſpania habitabat, opus celebre ſcripſerat adverſus doctrinam probabilem, contra quod aliquid impedimenti ab adverſaria parte timeri poterat. Id ut reſcivit Innocentius XI. ex ipſius Thyrſi litteris, hoc decretum in Congregatione S. Officii edendum mandavit.

Eximium monumentum Innocentii XI. contra probabiliſmū.

Die XXVI. Junii 1680.

Facta relatione per P. Lauriam contentorum in litteris P. Thyrſi Gonzalez Soc. Jeſu Sanctiſſimo noſtro directis, Eminentiſſimi dixerunt, ſcribendum per Secretarium Status Nuntio Apoſtolico Hiſpaniarum, ut ſignificet dicto P. Thyrſo, quod Sanctitas ſua benigne acceptis & non ſine laude perlectis ejus litteris, mandavit, ut ipſe libere, & intrepide prædicet, doceat, & calamo defendat opinionem magis probabilem, nec non viriliter impugnet ſententiam aſſerentium, licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem in concurſu probabilioris ſic cognitæ & judicatæ; eumque P. Thyrſum certum faciat, quod quidquid favore opinionis magis probabilis egerit, & ſcripſerit, gratum erit Sanctitati ſuæ.

Injungendum pariter P. Generali Societatis Jeſu de ordine Sanctitatis ſuæ, ne ullo modo permittat Patribus Societatis ſcribere pro opinione minus probabili, & impugnare ſententiam aſſerentium, licitum non eſſe ſequi opinionem minus probabilem in concurſu magis probabilis ſic cognitæ & judicatæ; verum etiam relate ad omnes univerſitates Societatis mentem Sanctitatis ſuæ eſſe, ut quilibet pro ſui libito libere ſcribat pro opinione magis probabili, & impugnet contrariam prædictam, eiſque jubeat, ut MANDATO Sanctitatis ſuæ omnino ſe ſubmittant.

Sequuntur in eodem S. Inquiſitionis MS. duo alia, ſed brevia ejuſdem diei decreta: dein hæc leguntur.

Die VIII. Julii 1680.

Intimato prædicto ordine Sanctitatis ſuæ P. Generali Societatis Jeſu per R. P. D. Aſſeſſorem, reſpondit, ſe in omnibus quanto citius pariturum: licet nec per ipſum, nec per ſuos Prædeceſſores fuerit umquam interdictum ſcribere pro opinione magis probabili, eamque docere.

Quid hoc decreto manifeſtius contra probabilitatem ex Sanctiſſimi Pontificis mente afferri poteſt? Addere poſſem aliud non leve documentum Benedicti XIII. At quum in Concilio Romano a pluribus Epiſcopis ſuſceptum & approbatum fuerit; illud Epiſcoporum & ſynodorum teſtimoniis ſuo loco congruentius inferemus. Superius * vero Benedicti XIV. teſtimonium dedimus ex Bulla diei 23. Febr. an. 1741. ubi ad licitam Apoſtolicarum diſpenſationum executionē, non *probabilitatis*, ſed *veritatis* cauſſarum *moralem certitudinem*, quæ omnem probabilem *hæſitationem* excludat, palam requirit.

Vide infra c. 3. n. 44.

* *Prælect. I. n. 7. pag. XCVII.*

CAPUT II.

De Romanis Congregationibus, quæ in decidendis casibus conscientiæ principia sequuntur contraria novitiæ probabilitati.

Quatenus principia a Romanis Congregationibus adhibita in decisione casuum nobis pro regula esse debent.

18. SUmmis Pontificibus Sacras Romanas Congregationes subjicio, quippe quæ & Pontificum vices quodammodo gerunt, & ex Pontificibus auctoritatem habent. Dubii scilicet casus, qui difficilem solutionem ferrent, ad Romanam Sedem ex toto orbe delati semper sunt; Pontificesque in eo sedulam operam præstiterunt decisionem afferentes in epistolis, quarum plures collectæ in unum, Corpus Canonicum componunt. Quum vero dubitationes ejusmodi in dies crescerent in immensum, Pontifices pluribus curis distenti, Congregationibus respondendi facultatem delegarunt quodammodo, ita tamen ut in difficilioribus vel gravioribus causis Pontificia approbatio peteretur, de quo in variis Bullis a Fagnano indicatis lib. 1. *de Constit.* cap. *Quoniam* a num. 6. plura legi possunt. Duo autem Romana tribunalia in rem nostram maxime conferunt, Congregatio scilicet Concilii & Pœnitentiaria, quibus præsertim dubii casus ad forum conscientiæ pertinentes passim proponuntur, earumque responsiones vel decreta* pro conscientiarum norma ex ipsorum institutione Pontificum habenda sunt. Si ergo hæc Sacra tribunalia non ex doctrina probabili casus ipsos utrinque probabiles decidant, sed ex probabiliori, vel tutiori; satis exinde probabilitas ab iisdem reprobata liquebit: neque enim probabilius vel tutius deciderent, nec ad id obligarent, si probabilitatem sequi licere crederent; secus laqueum injicerent animabus nequaquam ferendum, nec quid in casibus propositis agendum ex debito est, vere deciderent, sed ad id, quod per se non obligat, ultra petitum adigerent, quod sane dicendum non est. Quam animadversionem pro iis etiam, quæ ex Episcopalibus ac synodicis decretis in eamdem sententiam allaturi sumus, memoria retinere plurimum interest. Unde autem melius eorum tribunalium in dubiis decidendis regulam cognoscere possumus, nisi ex iis, qui Romanarum rerum peritissimi sunt?

* *Vid. Lambertin. tom. 1. Notific. 10. circa medium.*

19. Et principio quidem commemorandus est Cardinalis Gabriel Paleottus Sancto Carolo amicissimus, & in Romanæ Curiæ negotiis diutius occupatus, qui in præclaro libro *de Sacri Consistorii consultationibus*, quem an. 1594. *in consiliorum tutiorem rationem* sacro Cardinalium cœtui direxit, ex ipsis Pontificum decretis atque canonibus, quorum normam Congregationes sequuntur, hasce decidendorum casuum regulas, non unius Consistorii proprias, sed aliis omnibus Congregationibus Cardinalium ac tribunalibus communes, egregie præscripsit part. 5. quæst. 13. his verbis. *Quum non de rebus, sed de hominibus, nimirum de actionibus, sive de factis ipsorum hominum agitur; ita in his versari debemus, ut, si revera dubitationem habent, & animus in his dijudicandis in contrarias partes distrahitur, semper in tutiorem partem, si ex alterius electione periculum peccati imminet, juxta Sanctorum Patrum sententiam judicemus.* Deinde: *Non loquimur de judicandis actionibus alienis, sed de judicio, quod quisque de rebus suis facere debet in foro interiori, quas, ubi dubium est de peccato, in tutiorem partem interpretari debemus, ut a pœnæ spiritualis periculo longius arceamur; sapientis enim est cum beato Job dicere*: Verebar omnia opera mea. Non aliam sane regulam a probabilitate plane alienam in decisionum praxi sequutam Congregationem Concilii, testis est Prosper Fagnanus, qui complures annos ejusdem Congregationis fuit a Secretis. Vide Commentarium ejus in cap. *Ne innitaris, de Constitut.* num. 347. Cardinalis item de Aguirre pro ea peritia, quam in ipsis Congregationibus Romæ obtinuit, idipsum testatur in præfat. ad Concilia Hispaniæ num. 24. *In sacris hisce Congregationibus quotidie occurrunt innumeræ causæ, quarum decisio ex sacris Conciliorum Canonibus pendet: ubi autem variæ Auctorum occurrunt sententiæ, illa omnino prefertur, quæ, omnibus hinc inde consideratis, tutior videtur, aut juri & æquitati conformior.* Idque ex ipso Ecclesiæ spiritu ac traditione canonum derivare deinceps affirmat.

De sacra Congregatione Concilii.

De sacra Pœnitentiaria.

20. De Pœnitentiariæ more locuples est testis Cardinalis Lambertinus, nunc autem Benedictus XIV. tom. 4. Notif. 20. *La sacra Penitentiaria, che sempre s' appiglia alle opinioni più sicure*: & fusius Cardinalis Vincentius Petra multos jam annos Major Pœnitentiarius in tractatu *de Sacra Pœnitentiaria Apostolica* typis edito anno 1712. ubi c. 9. *de opinionibus servandis in sacra Pœnitentiaria* fuse disputat, hæc inter cetera habet num. 6. *In opinionum vero electione Sacra Pœnitentiaria eas amplectitur ac sequitur, quæ saluti animarum obesse non possunt, & propterea non se credit cuicumque Doctorum in judicio, nisi veritate fulciatur. Quod si inter oppositas sententias versetur, ut vere ambiguum & dubium maneat, quod solide statui debeat; tutiorem partem præeligit, a qua omnino distet quælibet ruinæ spiritualis suspicio, ut animadvertit Syro in citato libello de Minoribus Pœnitentiariis quæst. 7. prælimin. & P. Thesaurus in praxi Sacræ Pœnitentiariæ MS. tit. 43. num. 5.* qui postremus e Societate Jesu, unus e Pœnitentiariis minoribus S. Petri, vivebat an. 1634. ut idem Card. Petra notat cap. 10. Addit porro num. 7. cap. 9. eamdem esse praxim decidendi in ceteris Romanis tribunalibus. *Hujusmodi vero stilus procedendi, quem sequitur Sacræ Pœnitentiariæ officium, amplectuntur quoque quælibet tribunalia majora urbis, atque consuetudini inhærent Summorum Pontificum, qui semper in certiorem partem confugere solent, quo-*

De aliis Romanis Congregationibus.

quotieſcumque intercedit aliquod ſalutis periculum. Profert deinde variarum Congregationum teſtes & exempla, hujuſque rei eam ſubjicit cauſſam, quod *profecto ſummorum Pontificum ſemper fuit & eſt veluti quoddam axioma: In dubiis via eſt tutior eligenda, & quod certius exiſtimamus, tenere debemus*: idque ſeptem celebribus canonibus e corpore Canonici Juris decerptis, ubi hoc idem inculcatur, diſertiſſime confirmat. In hanc eamdem ſententiam Benedictus XIV. qui olim in minoribus ex aſſiduo uſu praxim & regulas Congregationum Urbis optime calluit, Notific. 6. tom. 2. num. 17. allata quadam opinione, quæ inter probabiles ac tute ſequendas vulgo circumfertur, non ita ſe ſe gerere teſtatur Romanas Congregationes, quæ non probabilitatem, ſed vere *tutas* ſententias ſequuntur. *Queſte coſe*, inquit, *che paſſano con tanta franchezza nelle ſcuole e negli ſcritti de' Maeſtri* (quæ propterea opiniones probabiles appellantur, ac tutæ ex Probabiliſmo habentur) *non godono poi queſta ſorte felice, quando ſi portano a Tribunali, ne' quali ſi vuol andar al ſicuro e ſi fa l'eſame delle materie colle dovute ponderazioni*. Allegat porro Sacræ Pœnitentiariæ & Congregationis Concilii reſponſiones ac praxim: quas propterea non opinionum in Probabiliſtarum ſenſu probabilium rationem habere, ſed *tutiur* in dubio ſequutas ſemper & ſequi tot varii temporis Auctorum teſtimoniis accipimus.

Objectio explosa.

21. Neque reponas, id agere tribunalia Romana, quod hæc de opinionum veritate non autem de probabilitate reſpondeant. Nam quum ſermo ſit de iis tribunalibus, quæ pro interni præſertim fori regimine reſpondent; non diverſa eſſe debet ipſorum in decidendo ratio, ac cujuslibet Theologi & confeſſarii, qui pro conſcientiæ foro interrogatur: ut vel utrique reſpondere ex probabilitate poſſint, vel neutri. Adde quod ſermo hic eſt de caſibus utrinque probabilibus & dubiis, in quibus Romanæ Congregationes, quum veritatem ſatis expreſſam non diſcernunt, nec ex veritate cognita reſpondere poſſunt; non ex probabilitate, ſed ex tutiori ſententia dubitationes dirimunt, idque in conſcientiæ foro agendum præſumunt; neque enim novam legem condunt, ſed quod ex lege eſt, quum interrogantur, reſpondent. Itaque tantarum Congregationum praxis in decidendis dubiis ceteris omnibus exemplo eſſe debet, ut idem decidendi modus ſervetur, quum caſus dubii in interno foro proponuntur (neque enim nobis privatis alia via licet inſiſtere, eamque tutam polliceri) magnumque inde argumentum elicitur, ut probabiliſtica diſciplina tantæ auctoritati contraria rejicienda noſcatur.

Principiis potius ſacrarii Congregationum, quam Probabiliſtarum ſtandum eſt.

22. At forte quiſpiam harum omnium Congregationum regulas & praxim alia ratione declinabit, quam a nonnullis ingeſtam moleſte audivi; qui quum aliquo in dubio, in quo benignius defendebant probabiliter, ac ſequendum certo pronuntiabant, ad Romanarum Congregationum mentem ac deciſionem exquirendam provocarentur; reſpondere non dubitarunt, haud opus eſſe iſtorum tribunalium ſententiam quærere, ex quibus nihil niſi *tutius* in dubio exſpectandum eſt, ut ipſorum regulæ & ſtilus teſtantur. Hinc porro ad Auctores potius, vel ad Theologos, qui ex Auctoribus reſpondent, recurrendum inſtabant, quod non certa, nec tuta, ſed opiniones & probabilitates audire placeret. Mirum hoc mihi maxime accidit, iiſque omnibus accidet, qui Eccleſiæ ſpiritum & antiquitatem callent. Semper enim in dubiis certum & tutum quæſitum fuit; quod ſi per ſtudium, vel peritorum conſilia inveniri non poſſet, ad Romanam ſedem relatum conſtanter, ut certa & tuta inde ſolutio peteretur. Nunc vero ne certa & tuta audiantur, & ut liberum ſit probabilia ſequi, nec ad eam Sedem, nec ad Congregationes ab eadem Sede pro ejuſmodi negotiis inſtitutas recurri amplius volunt. Itaque, ſi hiſce hominibus ſtandum ſit, jam Romana Petri Sedes non eſt amplius illa cathedra, ex qua totus Chriſtianus Orbis ſanam doctrinam diſcere debet, & in qua dubia diſſolvenda ſunt, fratreſque confirmandi. Hoc quoque probabilitatis præjudicium eſt non mediocre, quo in dubiis ſatis certa & tuta opinionum probabilitas creditur, ut nec Romam conſulere (ut fecerunt veteres, qui hanc probabilitatis vim ignorarunt) nec certiorem tutioremque definitionem quærere neceſſe ſit: niſi potius id pernicioſum ac vitandum exiſtimetur, quum tutæ ejuſmodi reſponſiones & declarationes Romanæ licitum alterius probabilis opinionis uſum impediant. Nihil de aliis nonnullis multo audacioribus dico, qui Congregationum reſponſa ac deciſiones, ſicubi afferantur, nihili vel minimi habent, licereque putant ab iiſdem diſcedere eo nomine, quippe quia ejuſmodi magiſtratus Romani ſemper in dubio tutius ſequuntur, ut ne tamen contrarium improbabile fiat: quod unum ſi ſemel admittatur, jam ſuperflua fuiſſet tot Congregationum inſtitutio, tot ipſarum curæ & deciſiones eſſent ſuperfluæ; facile enim omnia hoc uno principio eluduntur. Interim vero ejuſmodi homines ſatis hoc ipſo fatentur, probabilitatem, ex qua nec Romanam Sedem, nec Congregationes propoſitos caſus decidere agnoſcunt, ibidem reprobari, quod hujus paragraphi propoſitum mire confirmat. Ad hæc autem qui ſani conſilii ſunt, Romanamque Eccleſiam omnium magiſtram agnoſcunt, harum Congregationum principiis & praxi, quibus in dubio probabili, quod ſolvi nequeat, non utrumlibet, ſed tutius reſpondetur, omnes etiam confeſſarios ſe ſe accommodare debere rectiſſime ſentient: neque enim aliud pœnitentiæ forum in tribunalibus Urbis eſſe poteſt, in aliis vero Orbis tribunalibus aliud: neque quum illa in dubio reſpondent quod tutius eſt, pro alio quodam, & non potius

Animadverſio in nonnullos, qui in dubiis conſcientiæ Congregationes interrogari nolunt. Vide Prælect. I. n. 11. p. 111.

Ibid. not. 6

Alii audaciores reprehenſi.

pro pœnitentiæ foro reſpondent, ut ſane pro hoc eodem foro ipſi olim Romani Pontifices tutiora ſimiliter reſpondentes in dubio, hanc eamdem reſpondendi regulam iiſdem Congregationibus præſtituerunt. Itaque hic brevius repetenda illa Benedicti XIV. relata num. 10. *Nos in noſtris actionibus regendis non dubias opiniones, ſed tutas ſequimur, quas Romanæ Congregationes ſequuntur.*

CAPUT III.

Documenta Conciliorum, Synodorum, & Epiſcoporum contra doctrinam probabilem.

In quibus monumẽtis Epiſcopi uti Epiſcopi, ſeu auctoritate Epiſcopali loquantur.

23. VEniam demum ad Epiſcopos, quos hac in re cum Romanis Pontificibus, Sacriſque Congregationibus concordes videbimus. Epiſcoporum vero auctoritatem quum appello, non quælibet dicta vel ſcripta ab Epiſcopis dico, ſed quæ auctoritate cathedræ & Epiſcopali ediderunt. Ejuſmodi autem non ſunt libri privatim editi a nonnullis, in quibus privatorum perſonam gerunt, non Epiſcoporum. Decreta in ſynodis vel Conciliis lata, & paſtorales litteræ, quas ex Epiſcopali officio in Chriſtiani populi, & ſuarum Eccleſiarum regimen ac inſtitutionem promulgarunt, ſola ſunt Epiſcopalis dignitatis & auctoritatis opera, quibus illi ſe eos præſtant Eccleſiæ Doctores, quos Chriſtus ſuæ Eccleſiæ præpoſuit, ut illos obaudire, eorumque vocem ſequi debeant oves, quæ in Chriſti Eccleſia eſſe velint, Chriſtique inſtitutioni repugnare contumaciter nolunt. Hinc Epiſcoporum doctrina, quæ hiſce in monumentis continetur, Epiſcopalis & Eccleſiaſtica eſt, non autem illa, quæ privatis in voluminibus res quamtumvis Theologicas differentibus proſtat. Itaque privatis hiſce libris prætermiſſis, Epiſcoporum decreta, & litteras paſtorales conſulamus. In rem autem præſentem ut eorum exploremus Epiſcopalem doctrinam, opportunum duxi legere, quas regulas ſanxerint pro Congregationibus caſuum conſcientiæ. Quum enim ejuſmodi Congregationes inſtitutæ præſertim ſint pro decidendis caſibus, ut in foro conſcientiæ confeſſariis definiendi ſunt; regulæ procul dubio hiſce deciſionibus perſcriptæ ab Epiſcopis ſive in ſynodorum decretis, ſive in paſtoralibus epiſtolis, certum Epiſcoporum judicium ſententiamque proponent. Hac mente quotquot ejuſmodi monumenta reperire licuit, diligenter evolvi; & quæcumque nactus ſum hanc materiam attingere, in præcipiendis regulis probabilitati contrariis omnia concordare deprehendi. Nam ubi de definitione caſuum agitur, niſi dubium vehemens Epiſcopo deferendum mandetur, ſemper ex probabiliori vel tutiori ſententia decidendum præcipitur. Pauca quidem id genus monumenta conſulere licuit (neque enim obviæ facile ſunt ſingularum Eccleſiarum ſynodi ac Epiſcoporum litteræ) at ex paucis, quæ in manus noſtras venerunt, colligere licebit alia plura, quæ in eamdem ſententiam allegari poſſent, ſi omnium Eccleſiarum documenta inſpicere potuiſſem. Pro iis vero, qui Theologicis diſputationibus fuſe & ſubtiliter agitatis aſſueti, breves & præciſas Epiſcoporum ac Synodorum ſententias forte contemnent, quæ rem nec ad ſcholaſticam methodum, nec ſcholaſticis vocibus exegerunt, illud monendum eſt, Eccleſiaſticæ auctoritatis hoc proprium ſemper fuiſſe, regulas paucis obviiſque verbis præſcribere, nec in rationibus ſcholaſticis (a quibus Eccleſiaſtica juriſdictio non pendet, ut privatorum pendet auctoritas) vel afferendis vel refellendis immorari. Eccleſiæ enim præſidibus regulas præcipientibus non eatenus obſequendum eſt, quatenus rationum ab eiſdem allegatarum vis poſtulat, ſed uti a S. Spiritu reguntur, & ex illa auctoritate, quæ ipſis a Chriſto in Eccleſiæ regimen tradita, ovium obſequium ac obedientiam requirit eo Evangelico textu præceptam: *Qui vos audit, me audit* &c. Non alia fere ratione Conciliorum canones, non alia Summorum Pontificum Bullæ editæ ſunt. Itaque regularum, quas pro decidendis caſibus conſcientiæ ex Epiſcopalibus vel ſynodalibus monumentis afferemus, brevitatem nemo deſpiciat. Solum obſervetur, num in regulis ejuſmodi quicquam probabilitati favens eluceat, an principia prorſus contraria ſtatuantur, certaque præſumantur; quod poſtremum eo magis valet; hac enim proponendi ratione ea principia habita ab Epiſcopis patet tamquam omnino per ſe certa ac minime controvertenda, qualia efferri ſolent, quæ e ſacris canonibus, ex traditione, certaque perſuaſione indubia judicantur.

Ejuſmodi non ſunt Theologici libri ab Epiſcopis ſcholaſtice editi.

Principia ab Epiſcopis præfinita pro congregationibus caſuũ conſcientiæ attendẽda, & ſequẽda.

Quæ illa ſint.

Monitio pro iis, qui ſubtiliora requirunt.

In ejuſmodi monumentis nihil favet probabilitati, ſed principia contraria inſerũtur.

24. Itaque allaturus Epiſcopalia monumenta, quæ poſt enatam probabilitatem edita fuere (probabilitas an. circiter 1577. ortum habuit, ut in hiſtoria demonſtrabo) initium ſumam a S. Carolo, qui forte primus hiſce Congregationibus regulas præfinivit. Is ergo in libello, cui titulus: *Inſtructiones Congregationum diœceſanarum*, edito poſt quartum Concilium provinciale an. 1580. & inſerto parti 4. Actorum tom. 1. hæc præſcribit tit. 21. *De deffinitore. Ejus munus erit, ubi omnium ſententias audierit, ſummatim colligere quæ fuſe dicta ſunt, prætermiſſa commemorare, falſa a veris, dubia a certis, ſingularia a communibus ſecernere, & quæ verior doctrina ſit, exponere, ac rem denique omnem explicare. Ut vero muneris ſui partes præclare obeat, magnum in eo ſtudium ponet, ut graviſſimos quoſque ſcriptores evolvat, optimas ſententias ſeligat, quas bene notas planeque perſpectas habeat.* Audin? Non aliam ſententiam a definitore eligi vult, niſi *veriorem & optimam*, quam *bene notam planeque perſpectam habeat*. Hæc autem non alia certe eſt, niſi quæ longe probabilior judicetur.

Ex S. Carolo, poſt an. 1580.

In dubio autem peritiorum consilium inquiri jubet eodem tit. 21. vel Archiepiscopum ipsum adire, ut titulo primo monuit: qui ut accuratum ejusmodi dubiorum examen haberet, congregationem instituit ex peritissimis viris, quam *Pœnitentiariam* appellavit, in qua easdem Romanæ Pœnitentiariæ, cui præfectus fuerat, regulas in opinionum delectu ac definitionibus observatas fuisse nihil dubium est. Ipsum sane S. Archiepiscopum, ubi veritatem *plane perspectam* non haberet, ex probabiliori longe sententia tutiores opiniones semper inculcasse & statuisse, omnia ejus decreta, quæ dubios ex. gr. contractus vetant &c. palam ostendunt.

Ex synodo Aquinate an. 1581.

25. A decretis pro Congregationibus casuum conscientiæ divertere parumper liceat, ut huic S. Caroli decreto subjiciam testimonium synodi Aquinatis a Flaminio Filonardo Episcopo habitæ an. 1581. & noviſſime etiam confirmatæ a successore ejus Josepho de Carolis an. 1721. in qua pro Confessariorum praxi statutum liquebit, quod S. Carolus pro Congregationibus casuum præscripsit, & statutum tam diffita in civitate atque provincia, quæ Carolinum decretum sub idem tempus, vel etiam aliquanto post editum probabilius ignoravit: adeo sola & constans Ecclesiæ praxis eam legem & regulam sequebatur, quam pro Congregationum definitionibus statutam vidimus atque videbimus. Itaque cap. 47. *de Sacramento pœnitentiæ*, hæc leguntur: *Caveat Confessor, ne facile pronuntiet esse mortale, quod certo nesciat esse tale: sed in dubiis inclinet in tutiorem partem; & proprio deinde studio, peritorumque consilio (quod semper in rebus difficilioribus est adhibendum) rem compertam pœnitenti indicet.* Hæ postremæ voces *rem compertam*, ex quibus totius sententiæ intellectus potissimum pendet, idem sunt & significant, ac illæ apud S. Carolum *sententias bene notas atque perspectas*, idest moraliter certas, quæ dubium excludant: & hæc ejus decreti mens est, eas solas sententias posse Confessarium pœnitentibus indicare atque permittere, quæ *rem compertam*, seu, ut S. Carolus ait, *bene notam & plane perspectam*, idest moraliter certam reddentes, dubium prudens, si quod incidit, excludant; in quo etsi nec certo nec facile pronuntiandum est esse mortale, quod tale esse certo nescitur; inclinandum tamen est *in tutiorem partem*, quoad *res comperta* modo dicto non sit. Redeamus ad statuta pro Congregationibus casuum.

Pag. 148. edit. Romanæ an. 1738.

Ex synodo Sabinensi an. 1594.

26. Cardinalis Gabriel Paleottus S. Caroli amicissimus non dissimilem sane regulam sequendam præsumsit, quum in instructione Italice scripta pro Congregationibus casuum conscientiæ & promulgata in synodo diœcesana Sabinensi an. 1594. ac nuper inserta a Cardinale Annibale Albano in Appendice synodi Sabinensis an. 1737. p. 92. hoc præcepit: *Trovandosi che li pareri sieno differenti, e che la Congregazione non sappia risolvere in quel, che deve scegliere come più vero, allora scriverà il tutto all' Auditore di S. Signoria Illustrissima, quale avrà cura di mandar la decisione del P. Teologo.* Idest. *Si opiniones discrepare inveniantur, neque Congregatio definire sciat, quod tamquam verius sequendum est, totum Auditori Episcopi scripto significabitur, cujus erit P. Theologi decisionem mittere*: ubi non aliud *definiendum* certo præsumitur, nisi quod *tamquam verius sequendum est*, adeo ut, si hoc non liqueat, definitionem haudquaquam pronuntiari velit, sed Theologum consulendum, cui eamdem decidendi legem propositam Paleottus adeo certum habuit, ut si *verius*, ideſt *multo probabilius* non detegatur, tutius tandem sequendum crediderit, ut ipsis sacris Cardinalium Congregationibus, & Conciſtorio jamdiu ante præfinierat ex observatis cap. 2. num. 19.

Ex synodis Tarvisinis an. 1601. & 1642.

27. Aloysius Molinus Episcopus Tarvisinus in decretis synodalibus collectis an. 1601. part. 3. cap. 28. *de Congregationibus* num. 9. *Quando autem præcipue differendum erit de iis, quæ circa casus conscientiæ proposita in medio fuerint, sedeant omnes, sententiam quisque suam promat, quomodo melius potuerit, verborum prolixitates, atque ambages prætermittat, ut & ceteris vacet posse dicere. Sententiam prior dicat, qui ultimum locum in congregatione tenet, ita ut ab inferiori inceptus ordo, in superiores singillatim ascendens, in Primicerium desinat, qui quidem probatiorem propositæ rei intelligentiam sequens, difficultatem solvat.* Quid est *probatior intelligentia* vel sententia, nisi *probabilior? Probabiliorem* quidem expresse præcepit in hoc eodem decreto iisdem fere verbis repetito Marcus Maurocenus ejusdem urbis Episcopus in synodo Tarvisina an. 1642. cap. 35. *Dum disputatio*, inquit, *casuum incipit, primo loco loquatur, qui ultimum in Congregatione locum sortitur, ita ut ordo ab inferioribus incœptus ad superiores gradatim ascendens, terminet in Primicerium, qui probabiliorem opinionem sequutus difficultatem solvat.*

Ex synodo Ariminensi an. 1624.

28. Cyprianus Pavonius Episcopus Ariminensis in synodo an. 1624. tit. 12. cap. 13. *De Parochorum Congregationibus. Casus propositi*, inquit, *argumentis scholasticis non tractentur, sed SS. Patrum auctoritatibus, aut aliqua Summistarum ratione, quæ usu experientiaque magis recepta videatur.* Quæ ratio *magis recepta*, nisi quæ communior & probabilior habetur?

Synodus Patavina an. 1624. & alia 1647.

29. Marcus Cornelius Episcopus Patavinus in synodo septima an. 1624. part. 3. cap. 1. agens de minoribus casuum Congregationibus, quæ e duodecim electis viris compactæ, casuum in majoribus Congregationibus excussorum definitionem in prima majori Congregatione declarandam mature statuebant: *Ibi*, inquit, *quæstionum in præterita majori Congregatione propositarum decisio habeatur, quam in ejusdem initio ex duodecim unus, quod Patribus, collatis inter se sententiis, tutius & probabilius visum fuerit, majori quam potest brevitate & perspicuitate recitet.* Notanda illa *tutius* & *probabi-*

babilius. Hæc confirmata & recusa jussu Georgii Cornelii in Constitutionibus synodalibus anni 1647.

Cōstitutiones Bergomenses an. 1628. & 1636. cum pastorali novissimi Episcopi an. 1735.

30. Augustinus Priolus Episcopus Bergomensis in synodalibus Constitutionibus an. 1628. quas *gravissimis in consultationem viris adhibitis* idem Episcopus sanxit, ut *depravati labentibus temporibus mores, & Ecclesiastica in dies labescens disciplina restitueretur*, part. 3. tit. 4. inter propositas Congregationum habendarum regulas, hæc pro casuum decisione præscribit: *Varias Doctorum sententias circa quæstiones propositas insinuare expedit, ut probabilior seligatur*. Hoc decretum confirmatum fuit ab Aloysio Grimano Episcopo in synodo an. 1639. decreto 23. & novissime ab Antonino Redetto in epistola pastorali edita die 5. Januarii an. 1735. his verbis: *Acciocchè poi dalla diversità delle opinioni non nascano dubbj, sappiano doversi queste portar in campo, a fine di scieglier la più probabile conforme è stabilito nella Priula Sinodo &c.*

Galli Episcopi plures.

31. Cum Episcopis Italiæ in eamdem sententiam consenserunt etiam Galli, qui probabilitatem a decisionum regula palam excluserе. Antonius Godeau dum esset Episcopus Grassensis in Institutionibus synodalibus hæc statuit: *In declaratione casuum contingentium sit vobis hæc generalis regula, ut eam semper eligatis opinionem, per quam Deus magis glorificatur, quæque majorem cum arcta Evangelii via habet conformitatem. Maxime vero periculosa est illa.... quod probabiliore relicta, liceat minus probabilem sequi*. Idem legitur fusius in Mandato edito an. 1659. quum Vencienſi cathedræ præsideret. Mitto litteras pastorales ac mandata aliorum plurium hujus ævi Archiepiscoporum & Episcoporum Galliæ, qui contra libellum plures laxissimas propositiones defendentem excitati, probabilitatem una reprobarunt. Hæc enim apud Gonettum & Contensonium obvia cuique esse possunt, ubi & aliorum Episcoporum Belgii epistolæ & decreta commemorantur. Ad Italos redeo.

Constit. Tarvisinæ an. 1661. & 1670.

32. Joannes Antonius Lupus Episcopus Tarvisinus in Constitutionibus synodalibus an. 1661. cap. 24. *De parochorum conventibus*, in quibus casus deciduntur: *Ad Primicerium*, inquit, *spectabit, ubi omnes suam dixerint sententiam, probabiliorem & communiorem afferre, atque propositas difficultates enodare*. Cum hoc concinens Bartholomæus Gradonicus ejusdem urbis Episcopus in synodo an. 1670. cap. 29. de iisdem parochorum conventibus ait: *Postquam omnes suam protulerint sententiam, Primicerii munus sit probabiliorem & communiorem afferre*.

Constitutiones S. Francisci Salesii editæ & auctę ab Episcopo Genevensi.

33. Sub hæc tempora Constitutiones synodales S. Francisci Salesii Episcopi Genevensis collectæ & nonnullis additionibus auctæ ab ejus successore Joanne d'Aranton d'Alex editæ fuerunt, ac inter has parte 4. tit. 9. cap. 2. ubi de confessariorum scientia agitur, præscripto primum confessariis *optimorum librorum & Casistarum* delectu, ne forte in eos incidant, qui *ingentem invexerunt laxarum opinionum numerum, quæ mergunt hominem in interitum, & quæ Evangelium in problema* (utrinque probabile) *commutant*: hæc dein subjiciuntur de ipsarum opinionum, quæ probabile dubium afferant, delectu. *Quam in rem opportunum duximus, omnibus confessariis eam salubrem admonitionem tradere, quam magnus Cardinalis Bellarminus Nepoti suo dedit*. „ Si quis „ (*ait sapiens & pius vir*) velit in tuto salutem suam collocare, is omnino debet „ certam veritatem inquirere, & non respicere, quid multi hoc tempore dicant, „ aut faciant. Et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino „ tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita, ad minus tutam partem „ declinare. Agitur enim de summa rei, „ quum de salute æterna tractatur; & facillimum est conscientiam erroneam induere, & eo modo conscientia non remordente, ad eum locum descendere, ubi „ vermis non moritur, & ignis non extinguitur. „ Ita duorum celebrium Ecclesiasticorum, Cardinalis Bellarmini, & Genevensis Episcopi, testimonia in hoc uno prodeunt: & sicut Bellarminus in recitato textu ex epistola ad Nepotem sumto non de improbabilibus, sed de controversis utrinque opinionibus a Nepote interrogatus, non quamlibet probabilem, sed inter probabiles tutiorem viam eligendam sensit, ne animæ salus æterno periculo committatur: idipsum probavit & Genevensis ille Episcopus, qui synodalibus Constitutionibus idem Bellarmini testimonium in confessariorum institutionem inserendum indicavit.

Cardinalis Bellarminus.

Cōstitutiones Volaterranæ an. 1684.

34. Octavius Rubeus Episcopus Volaterranus in Constitutionibus an. 1684. tit. 11. pag. 30. *Deinde discutiantur duo casus conscientiæ.....referendo sententias Doctorum hinc inde, & firmando opinionem semper probabiliorem clarius & fusius*.

Farfensis synodus an. 1695.

35. Maximi porro faciendum est testimonium synodi diœcesanæ Farfensis sub insigni Cardinali Carolo Barberino habita an. 1685. quippe cui non solum interfuerunt duo Episcopi Franciscus Giangerolamus Civitatis Ducalis, & Joannes Franciscus de Laurentiis Venusinus Antistes; sed ipse Joannes Franciscus Albanus, qui postea fuit Clemens XI. directionem ac sedulam operam commodavit. In hac itaque synodo c. 5. observanda proponitur *Instructio pro directione Congregationum casuum conscientiæ*, quæ Italice scripta in Appendice describitur. Hic autem pag. 872. hæc in rem nostram statuuntur: *Dovrà esser cura del presidente, che la disputa* (de' casi) *non rimanga sospesa, ma sempre si concluda con stabilire l' opinione più certa e più sicura*. Viden' *certiore & securiore?*

Vide p. 353.

Albanensis an. 1689.

36. Anno 1687. ab Eminentissimo Cardinali Flavio Chisio Episcopo Albanensi celebrata fuit synodus, Romæ edita an. 1689.

& ibidem seſſ. 2. c. 5. decidendorum casuum ratio ad Instructionem Italicam Appendici insertam remittitur. Heic autem pag. 345. suam quemque sententiam scribere, omniumque sententiarum compendium ad ipsum Episcopum remitti jubet, ut Theologi examini ac judicio subjiciatur, qui tamen non nisi *certiorem & securiorem* opinionem eligere & approbare, ex eaque casum definire debebit. *Nella Cattedrale leggerà poi il P. nostro Theologo la risoluzione da lui presa per stabilire l' opinione più certa e sicura con li suoi argomenti e motivi.*

Tarvisini Episcopi Decretum an. 1690.

37. Subjiciam decretum Joannis Baptistæ Sanudi Episcopi Tarvisini, qui in synodo an. 1690. cap. 29. *de Parocorum Congregationibus*, *Primicerius*, inquit, *qui omnium ultimus disputationem claudet, probabiliorem aut magis communem sententiam afferat.*

Synodus celeberrimi Cardi. M. Antonii Barbadici an. 1692.

38. M. Antonius Barbadicus Cardinalis celeberrimus, Episcopus Montisfalisci & Corneti in synodo habita an. 1692. cap. 32. rationem casus definiendi sic præscribit: *Præfectus auditis omnium sententiis, suam proferet opinionem, distinguendo, definiendo, dividendo, ampliando, limitando, ut veriorem atque communiorem sententiam ostendendo, ad quod peragendum ei majori studio, quam ceteris opus erit.* Nota *veriorem atque communiorem*.

Provinciale concilium Beneventanum an. 1693.

39. An. 1693. habitum Beneventi fuit Provinciale Concilium sub Vincentio Maria Cardinali Ursino, postea Benedicto XIII. ad quod quattuordecim Episcopi convenerunt. Ibi autem tit. 17. cap. 9. Congregationibus casuum *in qualibet provinciæ civitate & foranea Vicaria* congregandis exsequenda proponitur methodus, quæ *ab eadem* synodo *approbata* in Appendice describitur. Heic autem in rem nostram num. 5. ejusdem Concilii Patres decisionem casuum ex *veriori* opinione a Præfecto faciendam præcipiunt. *In fine della discussione il P. Prefetto brevemente determini quella conclusione, che la di lui dottrina stimerà più vera.*

Instructio Card. Denoff an. 1697.

40. Pluries recusa ob celebritatem in plurium manibus versatur *Instructio pastoralis de Sacramento Pœnitentiæ* an. 1697. edita ab Eminentissimo Card. Joanne Casimiro Denoff Episcopo Cæsenate, in qua a recentiori probabilitate se aversum pluribus in locis prodit, ac præsertim sub initium, ubi *scopula*, in quæ offendunt, & naufragium patiuntur nonnulli, vocat quasdam libertati faventes sententias, quæ *quum tradantur a Doctoribus catholicis, nec ab Ecclesia adhuc proscriptæ sint* (idest in recentiorum sententiam *probabiles*) *videntur multis posse tute & clausis oculis in praxim deduci: essendo insegnate da Dottori catolici, e non per anco disapprovate dalla Chiesa, pare a molti, che possansi seguir a chius' occhi*: tum subdit, damnatas propositiones, quæ antea erant similiter probabiles, exemplo esse oportere; *& hæc observatio*, inquit, *viros prudentes satis commonere deberet de cautione in aliarum opinionum delectu adhibenda, ut eas serio expendant, amplectanturque illas tantum, quæ ad veritatem magis accedunt* (idest probabiliores) *eas vero, quæ cupiditati favent, tamquam suspectas rejiciant. Questa osservazione dovrebbe essere ad uomini prudenti avvertimento bastevole per camminar cauti nel discernimento dell' altre, esaminandole seriamente, con intenzione pure d' abbracciare quelle, che più s' accostano alla verità, e di rigettar come sospette le favorevoli alla cupidigia.* Alia ejusdem generis testimonia, quæ ex eadem institutione afferri possent, prætermitto.

Constitutiones Card. Cybo Episcopi Ostiensis an. 1698.

41. Concludam sæculum decimum septimum insignis Cardinalis Alderani Cybo Episcopi Ostiensis & Veletrini Constitutionibus promulgatis in synodo an. 1698. & Romæ editis an. 1699. ubi tit. 32. servanda mandatur Instructio pro Congregationibus casuum conscientiæ, quæ in Appendice legitur pag. cxc. Eadem porro est ac illa, quam synodo Farfensi subjectam vidimus, idemque *de statuenda opinione certiore atque tutiore* præceptum continet. Reddam Latine, quæ Italice scripta fuerunt. *Curandum erit a præside, ne disputatio suspensa maneat, sed semper concludatur, stabiliendo opinionem certiorem & securiorem.*

Clerus Gallicanus quanti faciendus ex P. de Comargo Soc. Jesu.

42. Ineunte sæculo decimo octavo Clerus Gallicanus in generalibus comitiis an. 1700. novitiæ probabilitatis doctrinam reprobasse notum est omnibus, de quo satis erit si P. Ignatii de Comargo Soc. Jesu Theologi Hispani verbis utamur ex præfatione operis inscripti, *Regula honestatis moralis*, Neapoli impressi an. 1702. Hæc autem ille §. 6. pag. xv. *His tot & tantis auctoritatis monumentis accessit nuper insigne suffragium universæ Ecclesiæ Gallicanæ, quæ in generalibus Cleri Comitiis anno* 1700. *celebratis modernum, ac benignum probabilissimum specialissime reprobavit decretis jam vulgatis & notis, quorum exemplar apud me habeo, & quorum verba ipsa perlibenter exprimerem, nisi consulerem brevitati: sunt etenim gravissima & digna eximia pietate ac sapientia tantorum Præsulum omni laude majorum. Non licet tamen omnia præterire, vel eo saltem titulo, quod in illis habeamus irrefragabile etiam testimonium veritatis, quam nuper statuebamus, de unanimi consensu Doctorum antiquorum in nostra sententia tradenda, qui quanti in caussa ista faciendus sit, leviter saltem insinuabimus. Conventus ergo, quum in ipso proœmio spem suam & votum præmisisset, ut aliquando Summi Christi Vicarii salubre opus moralem Theologiam purgandi aliquando tandem perficiant, inferiores omnes Pastores onere isto, & cura levantes*, Dum expectamus, *inquit*, fore, ut

Conventus Gallicani Cleri anno 1700. in ipso proœmio pag. 6.

„ tantum opus more Majorum & canoni-
„ co ordine perficiant: nos interim Cardi-
„ nales Archiepiscopi & Episcopi in unum
„ congregati, ne dirum virus serperet &c.

Mox, post multa in idipsum, ac post recensionem complurium opinionum moralium expresse ac signanter damnatarum, accedit tandem ad fundamentum, & caput moralis doctrinæ, usum videlicet opinionis probabilis, circa quem duo extrema cavenda docet, rigoris nempe ac beni-

benignitatis . Tum reprobato in primis errore Tutioriſtarum per hæc verba , Abſit vero , „ ut probemus eorum errorem , qui ne- „ gant licere ſequi opinionem vel inter „ probabiles probabiliſſimam : *ut extremum oppoſitum pariter reprobet , nimirum ſententiam benignam , ſententiam noſtram optime expoſitam ſtatuit tamquam regulam unicam in conflictu variarum opinionum ubique neceſſario tenendam , niſi ſponte velimus tutiorem partem ſequi* : Denique ſtatuit, ut nemi- „ ni liceat eligere eam ſententiam , quam „ non veritati magis conſentaneam duxe- „ rit . *Poſt hæc vero immediate ac continenter ſubdit :* Quod ergo in praxi eam nobis li- „ ceat ſequi ſententiam , quam nec ipſi ut „ probabiliorem eligendam judicemus (*at- „ tende*) hoc novum , hoc inauditum , hoc „ certis ac notis Auctoribus poſtremo de- „ mum ſæculo proditum , & ab iiſdem pro „ regula morum poſitum , repugnat huic „ effato a Patribus celebrato , *Quod ubique , quod ſemper , quod ab omnibus* , nec „ habere poteſt Chriſtianæ regulæ ſecuri- „ tatem . Hoc initium malorum eſſe , at- „ que omnium antedictarum corruptela- „ rum caput , & doctrinæ conſecutio , & „ ſeries temporum oſtendit . Hoc ab An- „ teceſſoribus noſtris , viris fortibus ac „ religioſis cenſorie notatum , hoc ſæpe re- „ prehenſum , hodieque reprehendi , nullo „ incuſante , immo bonis probantibus , dif- „ fiteri nemo poteſt . Nos quoque his de „ cauſſis &c. *Quæ invitus abrumpo , & quibus datas regulas comprobant , & illuſtrant pluribus Sacræ Scripturæ teſtimoniis . Hactenus ſapientiſſimi ac vigilantiſſimi Præſules , in actis , quorum titulus eſt , Cenſura & declaratio Conventus Cleri Gallicani , edita Pariſiis an.* 1700. Hæc ex P. Camargo : cui teſtimonio plura non addam , illud unum monere non prætermittens , poſt tantam Gallicani Cleri declarationem , cui omnes alii Galliarum Epiſcopi aſſenſi ſunt , neminem in Galliis eſſe , qui contrarium defendat.

Ibid. pag. 46.

Epiſcopi Hiſpani.

43. Gallicanis Epiſcopis Hiſpanos ſubjiciam . Non antiquiores illos appello Fagundez de Torres Calaguritanum, Joannem Palafoxium Oxomenſem , & Ludovicum Creſpium Placentinum Epiſcopos , quos *hortatu Eminentiſſimi Cardinalis Ducis Balthaſaris de Moſcoſo Archiepiſcopi Toletani ... cœpiſſe communi conſilio exagitare probabiliſmum tunc longe & late graſſantem* teſtatur Hiſpanus fide digniſſimus Cardinalis de Aguirre . Recentiores Hiſpaniæ Antiſtites voco . Exſtat nimirum perrarus quorumdam Hiſpaniæ Epiſcoporum libellus ad Clementem XI. miſſus an. 1717. cujus exemplar typis impreſſum ab Epiſcopo Benedicti XIII. intimo acceptum , exſcribendum curavi . In hoc autem illi deteſtata pluribus enormi laxitate diſciplinæ moralis , quam hiſce temporibus in praxi late pervagatam ex ipſa diuturna experientia teſtantur, originem hujus corruptionis in præfatione primum inde derivant , quod quum adverſus eam laxitatem Janſeniſtæ inſurrexerint , ex eo pluribus eadem laxitas minus quam par eſt cœperit diſplicere , *immo aliquibus omnino placere , eo nimirum prætextu allectis , quod ſic a Janſeniſmi partibus magis receſſiſſe viderentur* . Dein vero in ipſa diſputatione ejus laxitatis cauſſam referunt præſertim in illud moderni laxioris probabiliſmi principium , quo tuta prædicatur quæcumque opinio ab aliquo , vel aliquibus Auctoribus probis & doctis uti probabilis defenditur . Licet vero unum memoratum laxioris probabilitatis principium, quod potiorum laxitatum fontem arbitrati ſunt , hac diſputatione refellendum ſibi propoſuerint , non autem totam probabilitatis doctrinam ; hanc tamen ſe *in tuto collocare* nolle palam profitentur §. 18. ac præterea & rationum & auctoritatum argumenta eidem principio opponunt , quibus non illud unum , ſed totus probabiliſmus evertitur , ut iidem nonnullibi obſervant , ubi præſertim Antoninum allegant , inſignioraque teſtimonia ejus proferunt in ſuperiori Prælectione a nobis recitata , quibus ſola *probabilior* ſententia approbatur , ac moralis exigitur certitudo , quæ adverſum ſe meros *ſcrupulos* patitur atque contemnit . Tandem ne quid de horum Epiſcoporum ſententia dubitemus, inter propoſitiones, quas ab Apoſtolica Sede de medio tollendas cenſent , eas deſcribere non dubitant, quæ totius probabilis doctrinæ principia & capita continent . Aliquas ex. gr. heic appendam .

Præfat. ad Collect. Concil. Hiſpan.

Propoſ. 1. *Ut opinio ſit ab intrinſeco certo probabilis , ſufficit , quod fundetur ratione valida , quæ non ſit evidenter falſa .*

Propoſ. 5. *Ut autentice & ab extrinſeco opinionem uti probabilem habeamus , ſufficit , quod etſi illius fundamenta ignoremus , ſciamus tamen gravem , vel graves auctores ut bene fundatam eam tenere .*

Propoſ. 10. *In dubiis generatim , & adhuc extra materiam juſtitiæ , melior eſt conditio poſſidentis contra legem .*

Propoſ. 11. *Illa regula , Tutior pars eſt eligenda , præceptum non continet , ſed conſilium , niſi in caſibus a jure expreſſis .*

Propoſ. 13. *Lex quæ opinioni ſubjacet , non obligat : unde omnis opinio probabilis præſtat , vel arguit , quod lex non obliget , & quod non ſit ſufficienter promulgata .*

Propoſ. 28. *In omni opinione probabili invenitur ignorantia invincibilis , & ea formalis certitudo , quæ ad honeſtatem requiritur ; dummodo probabilitatis opinionis non ſit adeo tenuis , quod potius debeat improbabilis reputari .* Nonne judicata hactenus hos Hiſpanos probabiliſmo contrarios ſatis demonſtrant ?

Ex noviſſimo Concilio Romano .

44. Concludam plurium Epiſcoporum , Romanæ Eccleſiæ Cardinalium , ac ipſius Summi Pontificis Benedicti XIII. auctoritate , qui in poſtremo Romano Concilio non aliam decidendorum caſuum regulam approbarunt , quam quæ a ceteris Epiſcopis propoſita , ut vidimus , ſemper fuit , quæque probabiliſmi regulis omnino repugnans, ex ſolis *verioribus* ac *magis fundatis* , ideſt , *probabi-*

babilioribus doctrinis, casus non speculative tantum, sed & *practice* decidendos præcipit. In eo enim Concilio, cui præter Pontificem interfuerunt Cardinales XXXII. Archiepiscopi V. Episcopi XXXIX. Procuratores Cardinalium IV. Episcoporum autem XXVI. tit. 5. c. 9. mandatur, ut in Congregationibus casuum conscientiæ propositi casus definiantur, & *practice exerceantur*, juxta methodum, quæ in Appendice subjicietur: quæ verba *practice exerceantur*, decisionem utique casuum ex præscripta methodo faciendam in praxim traduci oportere palam insinuant. Porro in Appendice decidendi methodus in Instructione Italice edita, & a Concilii Secretario subscripta, num 17. declaratur his verbis: *In fine della discussione il Prefetto o qualche altro.... determinerà la conclusione del caso proposto con quelle sole dottrine, ch' egli stimerà più vere e più fondate*: quæ sic Latine redduntur: *In fine disputationis Præfectus aut alius aliquis..... definiet casum propositum, iis doctrinis, quæ ipse veriora & magis fundata*, idest probabiliora, *judicabit*.

45. Adfuit huic Concilio Romano per Procuratorem Sebastianus Pompilius Bonaventura Episcopus Montis Falisci & Corneti, cujus celeberrimæ sunt pastorales Institutiones Italice scriptæ & editæ an. 1727. In his autem non tantum generali approbatione laudat Instructionem pro Congregationibus in eodem Concilio latam, nec solam methodum ibidem statutã præcipit, sed etiam in eo gaudet, quod in sui Seminarii scholis in ejusdem methodi rationem tam in fidei, quam in morum & disciplinæ materiis *teneantur sententiæ magis communes atque tutæ*, praxisque usitatior atque recentior servetur. *Non avendo poi noi altre scuole per la scienza di Religione, che quelle, le quali sono aperte nel Seminario, abbiamo la consolazione di esser ben sicuri, che in tutte le parti di questa scienza, cioè e ne' misterj della fede, e nella dottrina de' costumi, e nella disciplina della Chiesa, si tengano le sentenze più comuni e sicure, e le pratiche più usate e più ricevute, fuggendo quelle novità e singolarità d' opinioni, che furono sempre pericolose in questa materia.* Idest: *Quum in Religionis scientia non alias scholas habeamus, nisi quæ in Seminario apertæ sunt, maximum nos gaudium incessit, quod certi simus, in universis hujus scientiæ partibus, ideſt in mysteriis fidei, in morum doctrina, & in disciplina Ecclesiastica communiores tutioresque propugnari sententias, & praxim magis usitatam atque magis approbatam servari, derelictis iis singularibus novisque opinionibus, quæ hisce in rebus maximum semper periculum crearunt*. Sic in prima parte ad c. 1. tit. 1. Quæ sane verba studium ac diligentiam ante Romanum quoque Concilium ab eodem Episcopo adhibita convincunt, ut ne in suo clero aliæ quam *probabiliores* vel *tutiores* opiniones reciperentur. Idipsum magis magisque declarabitur, si legantur, quæ fuse præcipit de Collationibus Ecclesiasticis ex cap. 9. tit. 15.

Alii post Concilium Romanum Episcopi, quia præfixis ibidem principiis nihil discedent. Pag. 59. Pag. 67.

Pag. 29.

Similiter Benedictum XIV. qui olim in minoribus, ut ajunt, eidem Romano Concilio multis in rebus utilis fuit, tomo 5. Notificationum, quas anno 1740. suis Bononiensibus pastorali zelo proposuit, antequam in conclave Romam transiret, & ad Romanam Sedem pluribus & rebus præclare gestis & scriptis atque editis libris promeritam eveheretur, se **uti actionum regulam nolle suscipere dubias opiniones, sed tutas*, ut Romanis Congregationibus mos est, notificat. 18. testatum meminimus paullo ante. Si alia aliorum, qui eidem adfuerunt Concilio, edita fuissent in hanc rem documenta; haud aliter tradidisse, nec aliam quam quæ ibidem probata fuit, definiendis casibus regulam rationemque præcepisse invenirentur: sicuti non aliam quidem præscripsit Onuphrius e Marchionibus Elisei Episcopus Urbeventanus in Constitutionibus synodalibus an. 1726. sess. 3. cap. 9. pag. 189. nec non Placidus Panzacheri Episcopus Tiburtinus in Synodo diœcesana an. 1729. licet Romano Concilio non interfuerint. Itaque cum Romano Pontifice, & loquente etiam in Concilio, ac decidendarum morum quæstionum legem ferente, tot & Cardinales & Episcopos consentientes vides, neque eos solum, qui eidem Concilio subscripsere, sed quotquot præteritis quoque temporibus in eamdem sententiam conspirasse & decrevisse observavimus.

De Benedicto XIV.

**Vide sup. cap. 1. n. 10. pag. CLIX.*

EPILOGUS.

Quanta sit auctoritas hactenus proposita, & quam jure in ea judicium Ecclesiæ agnoscendum sit.

46. HÆc autem tam aperta & consentientia istorum judicia, a quibus nullũ in Ecclesiasticis id genus monumentis invenire dissonum potui, quanta esse apud Catholicos debent, ut probabilismum, cui hæc judicia contraria vident, rejiciendum intelligant? Enimvero si Ecclesiæ judicium non aliud est, quam quod Episcopi Ecclesiæ Pastores ferunt; non est dubium, quin hæc Episcoporum judicia appellari possint judicium Ecclesiæ, cui acquiescere deberent omnes, qui se Ecclesiæ sententiam audire & sequi profitentur Quum enim Ecclesiæ judicium quæritur, non quid privati Auctores tradant, spectandum est, quorum suffragia nullam in Conciliis judicandi vim habent; sed videndum, quid illi doceant, qui ex Episcopali charactere divinoque jure constituti sunt Ecclesiæ pastores & judices, decidendique facultate ex Christi institutione potiuntur. Quicumque Episcopi non sunt, sunt in Ecclesia oves, quæ pastores Episcopos sequi debent, non autem quæ temerario ausu se duces præstituant, ut Episcoporum doctrinæ suam præferant. Quidquid cum Episcoporum sententia concordat, a quocumque tradatur, Ecclesiæ doctrina

eſt, & ab Eccleſiæ filiis uti legitimum ratumque ſuſcipitur: quidquid autem diſcrepat, doctrina Eccleſiæ non eſt, & ab Eccleſiæ filiis ut adulterinum & ſpurium rejicitur. Igitur ea ſola doctrina, quam ab Epiſcopis cum Romanis Congregationibus, Summiſque Pontificibus traditam, & in praxim inductam vidimus, ut doctrina Eccleſiæ agnoſcenda eſt; quumque ab ea diſſentiat recentior probabilismus, hic non ſuſcipiendus, ſed uti aliena & peregrina doctrina eſt repudiandus.

Urgetur argumentū contra Probabiliſtas.

47. Quid? Opiniones complures, dum vere probabiles quondam erant, *noxias & animabus perniciem inferentes* duobus Pontificibus exiſtantibus accepimus: nos autem privatis doctoribus, qui quum omnes opiniones vere probabiles tutas prædicant, eaſdem *noxias, & animabus inferre perniciem* negant, aſſentiri aut credere præmalemus? Audivimus probabilitatis doctrinam ab Alexandro VII. notatam uti *modum opinandi ab Evangelica ſimplicitate, & SS. Patrum doctrina alienum*; & hanc nihilominus uti rectam & certam morum regulam ex privatorum hominum ſenſu judicare poterimus? Romanarum Congregationum, Pontificumque praxim in dubiis morum decidendis probabiliora, vel tutiora ſequi intelleximus: & nos contrariam praxium contrariaque principia a privatis ingeſta præferemus? Epiſcopos tandem in decretis paſtoralibus atque ſynodis hanc regulam ferentes accepimus, ut ex probabiliori vel tutiori ſententia pro interni fori norma caſus decidantur; & nos privatos duces, quos nec Deus Eccleſiæ præfecit, nec Eccleſia Præſules & Doctores ſuos novit, Epiſcopis derelictis ſequi, ac diverſas regulas ab iiſdem inſinuatas ſuſcipere, tutaſque dicere audebimus? Si hoc non eſt aperte errare, quis errabit umquam?

Animadverſio adverſus principium reflexum ab auctoritate a Probabiliſtis ductum. Obſervatio ex defenſore probabilitatis utiliter adhibita.

48. Saltem hæc Pontificum, Congregationum Romanarum, Epiſcoporumque auctoritas tantane eſſe non debet, ut impediat, quominus auctoritas Probabiliſtarum, ac Probabiliſmus ipſe certum principium judicetur? Nicolaus quidem Pegulettus (*intellige P. Gabrielem Gualdum Vicentinum Clericum Regularem*, inquit P. Molinarius Ord. Præd. in Præfatione operis inſcripti *Scrutinium de opinionibus* &c.) Pegulettus, inquam, inſignis probabiliſmi defenſor & propugnator, unius Cleri Gallicani auctoritatem tanti æſtimavit, ut vel in Indice *Tractatus Probabilitatis*, quo Probabiliſmum vindicare omnibus nervis contendit, notatum voluerit *ob reverentiam Illuſtriſſimo Clero debitam nequimus uti in praxi opinione benigna æqualiter vel minus probabili*, quod duobus in locis inculcat c. 30. n. 22. & c. 3. n. 3. Rationem autem affert n. 23. cap. 30. *Si ad operandum licite requiritur, quod ultimum judicium ſit certum; quomodo potero judicare certum eſſe me recte operari ſequendo opinionem, quam ultra plures Theologos Concilium nationale compoſitum a tot Epiſcopis & quidem doctiſſimis & piiſſimis condemnat?* Si hæc recte dicta

Voce Galliæ cœtus.

Inſtauratur & concluditur totū argumentū a judicio Eccleſiæ ductum.

ſunt, ubi ſoli Gallicani Epiſcopi in mentem veniunt; quid ſi præterea Hiſpanos & Italos omneſque, qui decidendorum caſuum regulas præfinierunt, non aliter ſentientes cogitemus; & cum iis concordantes Sacras Congregationes Urbis, Romanoſque Pontifices? Nonne ex his omnibus in unum collectis indubia prorſus conflatur Eccleſiaſtica auctoritas; qui ſi coiviſſent in generali Concilio ſententiam dicturi, haud ſibi contrarii, non alias decidendis morum controverſiis regulas præſtituiſſent? Nō minoris certe ſunt Epiſcoporum ſuffragia, quæ in ſuis ſedibus vel ſynodis particularibus diſperſi, quam quæ in Concilio generali collecti ferunt, ſi cum Romano Pontifice ſimul ferunt, ut adverſus Queſnellianos plures catholici luculentiſſime demonſtrarunt. His ergo loquentibus & Eccleſiam docentibus ex divino illo jure, quo in fide & moribus Eccleſiam regere debent, obaudiant & obſequantur, quicumque Eccleſiæ filii ſuæ ſaluti volunt tute conſulere, præfixaſque ab iiſdem decidendorum caſuum regulas veluti Eccleſiaſticam ſententiam in hac magna controverſia habeant, quæ S. Antonino cum veteribus, & cum Probabilioriſtis Antonini ac veterum aſſeclis litem adjudicat. Quod ſi quis contraria probabiliſmi principia damnare omnino nolit, quod ea non omnino directe, ut ajunt, damnata, Probabiliſtæ catholici adhuc propugnent: quum tamen in illis Eccleſiæ regulis nihil ſuffragii hæc principia reperire queant; quis umquam iiſdem fidens, & præſcriptas ab Eccleſia regulas deſerens, ſe tutum ac certum præferre poſſit? Sanioris conſilii homines & Eccleſiaſticæ auctoritatis vim callentes plura non deſiderabunt.

PRÆLECTIO III.

DE INDULGENTIIS

In eum Antonini locum part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 3 pag. 602. *Nec credunt, quod propter has indulgentias generales minus teneantur agere pœnitentiam in hac vita: & horum dictum ſatis videtur concordare æquitati.*

CAPUT I.

Diſtinguenda in indulgentiis, quæ ad fidem, & quæ ad diſciplinam & ſcholas pertinent. Quæſtio præſens. Unde orta, & quatenus definienda.

Prælectionis cauſſa.

1. CElebris hæc Auctoris ſententia eſt apud eos, qui per plenarias licet indulgentias non omne pœnitentiæ & ſatisfactionis debitum ſemper ſublatum credunt. Ne vero hæc ſententia offenſioni eſſet nonnullis, qui eam nimium

rigi-

rigidam & a communi ſenſu alienam, poteſtatique Eccleſiaſticæ injurioſam putant; nonnulla in eumdem textum proprio loco adnotare ceperam. At quando incidentibus hac in diſceptatione nonnullis, & vindicando catholico dogmati circa indulgentias, & indulgentiarum praxi dirigendæ maxime utilibus longior proceſſit ſermo, quam qui adnotationis limites pateretur: Prælectio ſeparata de Indulgentiis lucubranda fuit, in qua unum illud Auctoris teſtimonium explicandum & vindicandum mihi propono.

Quid in Indulgentiis certum de Fide ex Tridentino.

2. Et ne certa cum incertis confundantur (quod frequenter æquivocationum quamplurium origo eſt, ut in præſentiarum maxime accidit) in Indulgentiarum materia, quæ obſcura per ſe, multis etiam controverſiis apud Scholaſticos difficillimis obnoxia eſt, nihil aliud tamquam certum & de fide credendum Tridentina ſynodus propoſuit in poſtrema Seſſione (ut in *Expoſitione doctrinæ Catholicæ* Romæ probata Boſſuetus orthodoxorum dogmatum vindex præſtantiſſimus, ipſis hæreticis ob indulgentias nobiſcum indignatis declaratum voluit) niſi quod *poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa* ſit, earumque uſus, quem *antiquiſſimum* agnovit, ſit *Chriſtiano populo maxime ſalutaris ac retinendus*; & nihil quidem aliud niſi hoc ipſum profeſſio fidei a Pio IV. præſcripta circa indulgentias credendum exprimit. Cui declarationi quum

Quid ſpectet ad diſciplinam.

addatur a Tridentino: *In his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur*: id ſatis oſtendit (obſervante eodem Boſſueto) *modum diſpenſandi indulgentias ad diſciplinam pertinere*, non vero ad fidem. Quod ſi diſpenſandi modus ad diſciplinam ſpectans moderandus eſt, quum enervandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ periculum affert; quid cenſendum erit de modo recipiendi, ſi ejuſmodi inducatur, qui *nimia facilitate Eccleſiaſticam diſciplinam enervet*? De modo diſpenſandi dijudicandum nobis non eſt, qui Eccleſiæ præpoſitis ſubjici, non autem de iiſdem ſententiam ferre, nec diſpenſationis modum ipſis præſcribere debemus. At modum recipientium conſiderans, vereor, ne ad diſciplinam maxime enervandam ille pertineat, quo indulgentias promiſcue omnibus injuncta opera exſequentibus, ſi in gratia ſint, æque proficere vulgus exiſtimat, & ita proficere, ut, ſi plenaria ſit indulgentia, nulla vel levis pœnitentia imponenda ſit etiam maximo peccatori, nihilve eidem elaborandum ſuperſit, ut de peccatis commiſſis pœnitentiam agat, ac ſi indulgentia omne pœnitentiæ debitum aboleverit. Id quidem ſi verum vulgo credatur, nonne exſtinguetur, vel refrige-

Quæſtionis præſentis ratio, intacta fide, ad diſciplinam pertinens.

Vulgaris ſententiæ cenſecutio nes.

ſcet in hominum animis ejus congruæ pœnitentiæ & ſatisfactionis ſpiritus, quam & in Scripturis & a Patribus tantopere commendatam ex præcepto Chriſti, peccantibus poſt baptiſma maxime neceſſariam definivit Tridentina ſynodus, adeo ut ad plenam peccatorum, quæ poſt baptiſmi gratiam contraximus, remiſſionem *ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, divina exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſimus?* Nonne hac ex opinione, ſi obtineat, facile conſequetur, & ut pœnitentes *occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui ſancto in graviora labantur, theſaurizantes ſibi iram in die iræ*; & ut confeſſarii nulla vel *leviſſima quædam opera prograviſſimis delictis injungentes, peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant*; quod omnino cavendum eadem S. ſynodus monuit? Id ſane eſſet enervare non meram diſciplinam Eccleſiaſticam, ſed diſciplinam ejuſmodi, quæ divinum pœnitentiæ ac ſatisfactionis præceptum ſartum tectum cuſtodire ſtudet, ac propterea eſſet ipſum divinum præceptum elidere, ac dignos pœnitentiæ fructus ab eodem præſcriptos indulgentiæ nomine amputare ſeu potius impedire. Quod ſi qui inculcant & ſentiunt, ut pœnitentibus faveant, metuo, ne iiſdem [1] maxime obſint; nam ſi hæc, quæ ab ipſis traduntur, falſa ſint, inani ſpe illos fallunt, eoſdemque, dum hac doctrina a ſatisfactionibus hujus vitæ abducunt, pœnis gra-

cap. 2. ſeſſ. 14.

cap. 8.

viſſimis in purgatorio luendis incaute reſervant.

Origo ejus ſententiæ ex quibuſdam Bullarum formulis.

3. Verum ut hujuſce opinionis originem recolamus, hanc induxerunt quædam perperam intellectæ Bullarum formulæ, quibus Summii Pontifices plenariam indulgentiam largientes, injuncta opera exſequentibus omnium peccatorum, ſeu pœnitentiarum ac pœnarum temporalium abſolutionem concedunt; nec non ipſum *plenariæ* indulgentiæ nomen, quod *plenam* omnium remiſſionem ſignificat. Sed qui hæc ingerunt pro vulgari intellectu vindicando, illud conſiderare deberent, haſce formulas non perinde eſſe accipiendas, nec ab ipſis Pontificibus fuiſſe acceptas, ut diſciplina Eccleſiaſtica, ac divinum præceptum exinde enervetur, quod Tridentina ſynodus cavendum præmonuit: & ſiquidem illi hæc prædicant, ut poteſtatem Eccleſiaſticam efferant; id cogitent velim, efferendam quidem eſſe eamdem poteſtatem, at non ita, ut enervet diſciplinam, nec ut tollat ſatisfactionis ac pœnitentiæ opera, quæ Chriſtus præcepit, nec ut Chriſtianorum negligentiæ faveat, quod eſſet eam poteſtatem *in deſtructionem* adſtruere, quam *in ædificationem* traditam Scriptura teſtatur. Quin ſciant, ſe hac ratione nihil conferre in auctoritatem Eccleſiæ, cui obſequi ſtudent, ſed potius eidem

Hæ formulæ explicandæ.

maxi-

[1] In ſimilem ſententiam dantes & promittentes quibuſcumque lapſis ex libellis martyrum omnium peccatorum remiſſionem (quod indulgentiæ ſpecies erat) iis nihil prodeſſe, ſed obeſſe affirmat Cyprianus in libro de Lapſis & epiſt. 10. *deceptioni* id factum accenſet.

maximum creare præjudicium : hinc enim Eccleſiæ clavibus contemtui expoſitis, hæretici indulgentiarum poteſtatem abnegantes, calumniandi & oppugnandi argumentum capiunt, ut illam nimium elatam juſte negare judicentur; & Catholici quidam liberiori ingenio utentes, etſi indulgentiarum poteſtatem non negent, de iiſdem tamen ita diſſerunt, ut non meram vulgarem opinionem expungere, ſed ipſam poteſtatem in dubium vocare videantur. Itaque & ut Catholico dogmati proſpiciatur, & ut conſulatur diſciplinæ, ab hac ſententia temperandum, nec deferendam S. Antonini doctrinam, Catholici ſaniores exiſtimant. Nequid vero difficultatis ex objectis Bullarum formulis ſuperſit, ipſiuſque doctrinæ æquitas dilucidior appareat; in ipſarum indulgentiarum jus atque naturam juvat ante diligentius inquirere, ut conſtituto prius & ſatis etiam vindicato ab hæreticorum obtrectationibus Catholico de Indulgentiis dogmate, ex quo nihil contra Antonini ſententiam elici poſſe cognoſcetur; indicataque deinde ea capitali controverſia, quæ in rem noſtram inter Catholicos agitatur; ad certum ac genuinum earumdem formularum intellectum a vulgari ſenſu alienum ſenſim manuducamur.

Cur ante explicationē formularum vindicandum ac explicādum de Indulgentiis dogma.

CAPUT II.

Catholicum de indulgentiarum poteſtate, antiquitate, & utilitate dogma a Tridentino definitum ſtatuitur, & explicatur.

§. I.

Generalis indulgentiarum notio eſt abſolvere vel relaxare pœnas canonicas. Duæ indulgentiarum antiquarum ſpecies diſtinguuntur, quarum altera commutationem quamdam cum abſolutione exhibebat, & his ſimiles noſtræ indulgentiæ. Utraque hæc abſolvendi, & commutandi poteſtas in poteſtate clavium a Deo Eccleſiæ tradita continetur. De applicatione theſauri ſatisfactionum nonnulla ſubjiciuntur.

Poteſtas abſolvendi a pœnis canonicis, quę in indulgentiis univerſim exferitur, ad poteſtatem clavium pertinet.

4. QUum per ſacramentum pœnitentiæ non tota pœna ſimul cum culpa ſemper remittatur a Deo, ac propterea ſatisfactio ex Dei inſtitutione ad integritatem ejuſdem ſacramenti, & ad plenam remiſſionem neceſſaria ſit, quæ ſi integra in hoc ſæculo non ſolvatur, in purgatorio luenda erit; ſolemne Eccleſiæ fuit pœnitentes certis pœnis gravitati criminum proportionatis ſubjicere, quibus mitius multo & cum merito ſatisfacerent Deo in hoc mundo, quam ſine merito & multo acerbius in purgatorio; quum præſertim hac etiam via carnales homines, qui pœnis hujus ſæculi, quas ſentiunt, magis moventur, quam futuris, quas nondum experti ſunt, a peccato magnopere revocentur, & quaſi freno quodam coerceantur, medelamque in iiſdem inveniant peropportunam peccatorum reliquiis & vitioſis habitibus male vivendo comparatis, ut Tridentinæ ſynodi Patres obſervarunt. *Seſſ. 14. c. 8.* Hæ autem pœnæ ac ſatisfactiones pro ſingulorum criminum qualitate taxatæ in ſacris canonibus, quos Pœnitentiales vocant, pœnitentes ita obligabant, quum vigebat ea canonum diſciplina, ut citra culpam eas præterire ac declinare propria auctoritate non poſſent, nec inconſultis Epiſcopis eorum canonum conditoribus diſpenſare & relaxare quidquam in eo liceret presbyteris, quibus pœnitentium cura commiſſa eſſet. Sicut autem ex poteſtate clavium, quarum eſt ligare & ſolvere, fuit hæc pœnitentiarum impoſitio; ita etiam ejuſdem poteſtatis clavium erat pœnitentibus, quum expedire videretur, taxatas pœnas relaxare vel ex toto vel in parte. Sic Paullus Apoſtolus, qui *in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, & ejus *virtute*, quæ ſane erat poteſtas clavium, inceſtuoſum Corinthium in publico conventu *Satanæ tradiderat in interitum carnis*, ideſt a communione fidelium ſeparatum, ac ita ſatanæ veluti ethnicum quodammodo traditum, pœnitentiæ publicæ ſubjecerat, dum ſcripſit epiſtolam 1. ad Cor. c. 5. (uti ſane de pœnitentia, quæ carnem affligit, *interitum carnis* interpretantur plerique veterum apud Morinum lib. 6. de pœnit. cap. 11. n. 11. nec non recentiorum plures ſtatuunt ex contextu) non multo poſt, dum dedit ſecundam ad eoſdem epiſtolam, *in perſona* item *Chriſti*, ideſt eadem clavium poteſtate eidem inceſtuoſo de pœnitentia remiſit, ſatis habens ἐπιτίμιαν, hoc eſt pœnitentiam, quam ille per annum circiter toto ſpiritu exegerat. Vocem ἐπιτίμιας pro pœnitentia acceptam vide laudatum Morinum l. 1. c. 1. n. 14. Hujus itaque remiſſionis, ſeu relaxationis, quæ æquiſſime dicta eſt [2] *Indulgentia*, auctoritatem ſeu poteſtatem in poteſtate clavium a Deo Eccleſiæ traditam contineri dubitare non licet.

Indulgentiarū notio generaiis.

5. Quod ut clarius intelligatur, haud credendum profecto eſt, in indulgentiis immediate & directe abſolvi homines a purgatorii pœnis, in quas Eccleſiæ militanti immediatum & directum jus nullum eſt, ut Cardinalis Bellarminus obſervavit lib. 1. de Indulgentiis c. 14. (ubi proinde indulgentias formulas, quæ in indulgentiis conferendis remiſſionem vel abſolutionem a peccatis largiuntur, ex ipſa vulgari legalium quoque formularum acceptione intelligendas eſſe de remiſſione vel abſolutione non a culpa, ſed a pœna, quæ ex canonicis legibus culpæ debetur.

Confirmatur indulgentias eſſe abſolutiones a pœnis canonicis.

[2] Hoc nomen in eamdem ſignificationem antiquum eſſe ipſæ Ethnicæ leges teſtantur, indulgentiam eodem ſenſu appellantes remiſſionem vel abſolutionem criminum quoad pœnam legibus debitam, ut patet inter cetera ex L. 3. tit. 38. lib. 9. Cod. Theod. unde confirmare licet Bullarum

tias defunctis non impertiri ullo modo ait *per absolutionem*, sed *per modum suffragii*) sed immediate ac directe absolvi a solis pœnis Canonicis, quæ Ecclesiasticæ potestati subsunt. Enimvero quæcumque antiqua indulgentiarum exempla ad hanc potestatem adstruendam adducuntur sive ex Scriptura, sive ex Patribus, sive ex Conciliis antiquis, nonnisi remissæ canonicæ pœnitentiæ testimonium præbent. Hinc etiam *remissiones* apud veteres, & in ipso jure canonico dictæ leguntur indulgentiæ, quod de pœnis per canones injunctis remitterent: unde in antiquis indulgentiarum formulis, quæ supersunt, hæc fere est, *de pœnitentiis injunctis relaxamus* &c. quumque cursu temporis, deleta fere pœnitentialium disciplina, pœnitentiæ injunctæ essent canonicis minores; tam *de injunctis*, quam *de injungendis* secundum canones indulgentias esse accipiendas ex Pontificum mente Theologi & Canonistæ liberaliores contenderunt: adeo hæ solæ canonicæ pœnæ per indulgentias remissæ, etiam quum pœnitentia canonica desiit, intelliguntur. Neque in aliam sane sententiam hoc quoque tempore quadraginta dierum ex. gr. vel septem annorum indulgentia explicatur ab omnibus, nisi quod sit remissio, vel absolutio quadraginta dierum vel septem annorum pœnitentiæ, 3 quæ per canones pro peccatis luenda fuisset. Quod si in partiali, ut vocant, indulgentia verum est; etiam in totali, seu plenaria erit verum: ita ut quemadmodum partialis dicitur, quæ remittit partem pœnitentiæ canonicæ; ita totalis vel plenaria dicatur, quæ totam remittit, de quo inferius fortasse plura. Quum igitur vera remissio & absolutio ab hisce canonicis pœnitentiis, quæ clavibus Ecclesiæ subsunt, ex institutione sint indulgentiæ; harum potestas ad potestatem clavium, quæ a Deo Ecclesiæ tradita est, pertinere manifestissime noscitur. Num vero & quatenus in indulgentiis præter absolutionem a pœnis canonicis impertiatur vera absolutio a pœna Deo pro peccatis debita, statuemus num. 16.

3 *Vid. num. 27. infra.*

Duæ species indulgentiæ apud antiquos.

6. Hæc generalis indulgentiarum natura est, quarum tamen duæ præcipuæ veluti species considerari queunt. Nunc enim relaxatæ leguntur canonicæ pœnitentiæ nullo opere injuncto, uti quando pœnitentibus in impositis pœnis magno studio ac fervore naviter laborantibus remittebatur aliquid de præstituto pœnitentiæ tempore, propterea quod fervoris magnitudo diuturniori tempori præstaret, superaretque correctionis studio eorum pœnitentiam, qui statutum tempus segnius servarent, ut S. Gregorius Nyssenus scripsit in epistola canonica ad Letojum can. 11. sive quando pœnitentibus in periculo mortis succurrendum esset, ut communicare ipsos liceret; quod quum facere nondum exacta pœnitentia canonica vetitum esset, satius judicatum fuit, ipsos in eo discrimine ab eadem absolvere, quam sine communionis viatico dimittere, ut liquet ex Cypriano ep. 54. ex Innocentio I. epist. 1. ex Nysseno can. 1. & aliis, qui quum monent, hoc in casu pœnitentes, si convalescerent, debuisse relaxatis pœnis adhuc satisfacere; palam est nullam earumdem pœnarum commutationem factam fuisse, qua semel impleta, nihil fuisset, quod supertites ad pœnitentiam supplendam cogerentur. Alia vero relaxatio facta ob aliquod opus, nunc grave & fere æquale, ut in redemtionibus per eleemosynam, aut in Cruciatis ac laboriosissimis peregrinationibus accidit; nunc autem levius, in quo 4 commutatio partim intervenit, pro eo quod æqualitatem præfert, partim vero absolutio & remissio ejus, quod in canonicis pœnis excedit: & hæc quoque commutatio, non minus quam absolutio, fit virtute clavium, quarum est non minus relaxare & absolvere, quam commutare. Indulgentiæ, quæ nostris temporibus impertiuntur sive ab Episcopis, sive a Pontificibus, hujus postremæ speciei omnes sunt; relaxantur enim semper graviores pœnæ canonicæ levioribus multo operibus injunctis, in quod commutatio partim cadit, partim absolutio, ita ut in indulgentiis ejusmodi duplex vis & potestas clavium exerceatur.

Prima est mera absolutio sine ullo opere injuncto.

Vide Morinum de Pœnit. l. 10. c. 16. num. 3.

Altera cū injunctione aliquot operum, & hæc commutationē quamdam exhibet, quæ item est propria potestatis clavium.

4

Indulgentiæ nostri temporis sunt partī communes rationes, partim absolutiones.

7. Quum

3 *Secundum taxationem factam sive a sacerdote, sive a jure, sive a justitia divina*, inquit Auctor de quadraginta dierum indulgentia part. 1. tit. 10. c. 3. §. 3. pag. 601. quod postremum de *divina justitia* idcirco additum videtur, non quasi ille respiceret purgatorii pœnas a Deo iis taxatas, qui in hoc mundo non satisfaciunt (palam enim statim subdit, sermonem non esse in indulgentiis *de diebus purgatorii*, *sed mundi*) sed ut indicaret easdem canonicas pœnas, quas, si remissa pœnitentiarium disciplina, nec sacerdotes, nec jus in hoc mundo subeundas præcipiant; divina tamen justitia exigente deberemus subire, ut eidem in hoc mundo satisfieret: & ita quadraginta dies indulgentiæ hodie sunt dies totidem pœnitentiæ *injungendæ*, seu *qui deberent injungi* saltem ex justitia divina: ut Paludanus explicat ibidem allegatus not. 4.

4 Vide Joannem Lingon. tit. 1. c. 1. & alios apud Morinum lib. 10. de Pœnit. c. 16. ubi proinde redemtiones *commutationes* appellat n. 4. sicut & commutationes habitos probat c. 19. n. 2. labores in Cruciatarum expeditionibus susceptos &c. uti & indicant illa Concilii Claromontani verba can. 2. *Iter illud pro omni pœnitentia ei reputetur*. Commutationem quoque esse indulgentias probavit Guillelmus Episcopus Parisiensis de Sacramento Ordinis cap. ult. apud eumdem Morinum c. 21. n. 9. Neque solum commutatio agnita, ubi pœnitentiæ canonicæ in opus æquale vel fere æquale commutatæ fuerunt, sed etiam quum in posterioribus indulgentiis commutatio in levius opus intervenit: unde Albertus in 4. Sent. Dist. 20. art. 16. eam indulgentiarum seu relaxationum definitionem a Magistris allatam memorat: *Est satisfactionis majoris in minorem competens & discreta commutatio*. Et Similiter S. Bonaventura in 4. Dist. 20. q. 2. *Commutatur pœna, ad quam tenetur (peccator) judicio Ecclesiæ adhuc in minorem in relaxatione*, seu in indulgentia.

Tertium & præcipuè in indulgentiis applicatio thesauri satisfactionum.

7. Quum vero injuncta leviora opera, in quæ exferitur [5] commutatio, per se parem vim satisfaciendi Deo nequaquam habeant, ac haberent pœnitentiæ illæ canonicæ multo graviores, de quibus ex indulgentia multum relaxatur; ne pœnitentes inde damnum capiant, unde ipsis succurrere & prodesse consilium fuit (quod *deceptioni* potius & *crudelitati* quam *relaxationi* & *pietati* vertendum affirmant S. Bonaventura in 4. Sent. dist. 20. q. 2. & Alexander Alensis part. 4. q. 23. art. 1. *quia tunc ad diminutionem pœnæ præsentis sequeretur incomparabiliter gravior in foro Dei*) ad supplendum defectum pœnitentiarum graviorum, quæ in suo quidem foro Ecclesia remisit, at in foro Dei absolute nequit absolvere, hæc pœnitentibus injuncta opera apte exsequentibus ex thesauro sibi relicto applicat satisfactiones Christi atque Sanctorum, per quæ omni ipsorum debito apud Deum ex superabundantia satisfieri potest. Hinc quidem S. Bonaventura loco, quem notatione quarta allegavimus, postquam docuit in indulgentiis commutari pœnas graviores canonicas in minores, quæ in injunctis operibus continentur, statim subdit: *Et pro alio residuo*, quod scilicet per indulgentiam remittitur, *merita Ecclesiæ satisfaciunt*. Hoc quoque tertium in indulgentiis maxime considerandum, quod veluti novum plurium dicteriis carpitur, Sanctorum Communione præsupposita, clavium virtute ac jure perfici probe defenditur.

5

§. II.

Thesauri satisfactionum, quæ in indulgentiis applicantur, fundamentum. Ejus applicandi antiquitas ac potestas vindicata. Utilis hæc applicatio ad delendum pœnæ debitum apud ipsum Deum, unde indulgentiarum potissima utilitas exsistit.

De Sanctorum communione, cujus dogma applicatio thesauri præsumit. In symbol. art. 9. n. 25.

8. EX communione Sanctorum, quam Catholica docet Ecclesia, sicut spiritus unitas ipsius Catholicæ Ecclesiæ propria efficit, ut quidquid in hac unitate est, commune sit omnibus; ita quæcumque ab uno pie sancteque ex eodem (uti debet) spiritu fiunt, vel suscipiuntur, *ad omnes pertinent, & ut illis prosint, caritate, quæ non quærit, quæ sua sunt, efficitur*, quemadmodum ex catholico dogmate Romanus Catechismus luculentius exponit. Licet autem omnia ex Sanctorum communione omnibus communia, prosint item omnibus: non tamen æque singulis prosunt, sed peculiari vi iis possunt proficere, quibus peculiari communicatione applicantur. Hinc orationes & sacrificia speciatim applicata, iis, pro quibus offeruntur, præcipuam utilitatem afferunt; & satisfactiones similiter: unde unum pro alio satisfacere posse, & ejusmodi satisfactiones, non minus quam orationes, ei, pro quo offeruntur, apud Deum posse proficere ex eadem Sanctorum communione persuasum & constans in Ecclesia fuit, ut idem Romanus Catechismus docet. Hac quidem de causa S. Joannem Apostolum, qui lapso in latrocinia discipulo satisfactiones se communicaturum sponderat illis verbis: *Ego pro te satisfaciam Christo*, & orationes ad Deum pro illo jam pœnitente fudisse, & *continuis jejuniis una cum eo se macerasse* in promissam satisfactionum communicationem, memoriæ prodidit Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 3. hist. cap. 23. eademque ratione de pœnitentibus sermonem faciens S. Ambrosius lib. 1. de Pœnit. cap. 15. eos non tam suis, quam *operibus quibusdam totius populi purgari, & plebis lacrymis ablui, & redimi a peccato* (quod satisfaciendi vim exponit) plebis scilicet Christianæ, quæ pro pœnitentibus plorabat, & opera satisfactoria offerebat Deo, diserte pronuntiavit, hanc rationem addens: *Donavit enim Christus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes* (idest ex omnium Sanctorum Communione) *redimeret, quæ Domini Jesu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur*: quæ omnia merita ac satisfactiones & Christi capitis & Sanctorum satisfactioni pœnitentium vere prodesse indicant; hæcque ab ipso Christo Ecclesiæ *donata* ac relicta, ut ejusmodi satisfactioni proficerent, sunt profecto ille, quem Clemens VI. aliique *thesaurum Ecclesiæ* appellarunt, ut hocce nomen, quod rei significatæ veritatem & antiquitatem continet, fastidire nemo catholicus debeat. Multo minus sane vocari in dubium potest, num ipsius thesauri satisfactiones & merita, velut aliena, communicare & juvare pœnitentes possint; quod esset ipsam Sanctorum Communionem in dubium vocare. *Tota Ecclesia*, inquit laudato loco Ambrosius, *suscipit onus peccatoris, cui compatiendum & fletu & oratione & dolore est; & quasi fermento ejus se totam conspergit, ut per universos ea, quæ superflua sunt, in aliquo pœnitentiam agente, virilis misericordiæ aut compassionis velut collativa quadam admistione purgentur*: quæ verba vim satisfactionis ex caritate, cui Communio Sanctorum innititur, *collativa quadam admistione* communicari pœnitentibus optime insinuant.

De satisf. num. 76.

Vi illius unus pro alio satisfacere potest.

Thesaurus Ecclesiæ defensus, nec non ejus antiquitas.

9. Et ut vetustiora etiam promamus exempla, quæ ad indulgentias proximius pertinent, hoc quidem Communionis fundamento antiquissimi martyres suas passiones & satisfactiones pro pœnitentibus interposuerunt, ut ipsis in satisfactionem susceptis, cum iisdem pœnitentibus per indulgentiam de pœnitentiarum canonicarum rigore ac tempore remittetur. Hujus satisfactionis illustre

Antiqua exempla satisfactionis unius pro alio indulgentiarum propria ex libellis martyrum pro lapsis.

5 Testimonia Alberti, & S. Bonaventuræ superiori notatione recitata ad nostri temporis indulgentias pertinent. Alia addere non est opus.

illuſtre teſtimonium ſuppetit ex epiſtola
lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 2. Viennenſis & Lugdunenſis Eccleſiæ apud Euſebium, ubi de Martyribus, qui pacem & remiſſionem lapſis dederunt, traditur: *Neque enim faſtu & arrogantia intumuerunt adverſus lapſos, ſed ea, quibus abundabant, bona indigentibus liberaliter miniſtrabant, materna quædam viſcera miſericordiæ geſtantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum ſalute coram Deo Patre fundentes*: quo in teſtimonio *ea, quibus abundabant, bona indigentibus liberaliter miniſtrata*, ſatisfactiones ipſorum ſuperabundantes ex communione caritatis atque Sanctorum lapſis communicatas ſignificare videntur. Apertiora ſunt Tertulliani verba, quibus poſtquam catholico ſenſu in libro ad Martyres cap. 1. confeſſus eſt,
6 pœnitentes [6] *pacem*, ideſt remiſſionem pœnitentiæ, ante quam exactam & plenam pax ſeu reconciliatio non dabatur, *a martyribus in carcere exorare conſueviſſe* (quod vetuſtiorem conſuetudinem indicat) hancque conſuetudinem laudans, eiſdemm artyribus ſuaſit, ita ſe ſancte cuſtodirent ad mortem, ut eam pacem *aliis præſtare poſſent*: dein lib. de Pudicitia cap. 22. hujus pacis præſtandæ rationem ac fundamentum in communicatione ſatisfactionum ex Eccleſiæ mente collocatum diſerte oſtendit. Licet enim hunc librum ſcribens, dum hæreticus eſſet, neget, quod in libro ad Martyres probaverat, poſſe ſcilicet Martyres remiſſionem pœnarum obtinere pro lapſis, idque ea ratione neget, quod Martyribus non ſuperſint ſatisfactiones, quas pœnitentibus communicent: *Sufficiat Martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati vel ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere, quod ipſe pro magno fuerit conſecutus.... Si vero peccatores, quomodo oleum faculæ tuæ ſufficere & tibi & mihi poterit?* hac tamen ipſa ratione Martyrum ſeu potius Eccleſiæ in Martyrum oblationibus ſuſcipiendis mentem & fundamentum, quod rejicere nititur, ſatis indicat, ex communione ſcilicet ſatisfactionis ſumtum, quam ille quamtumvis hæreticus abſolute non negat, peccatoribus poſſe prodeſſe, ſi quid ſatisfactionis in martyribus ſuperſit; ſed ſolum negat ſupereſſe in illis quidquam, quod per Sanctorum communionem aliis poſſit applicari; quam opinationem Catholicæ Eccleſiæ ſenſus ac conſuetudo Martyrum libellos ſuſcipiens ſatis refellit. In eamdem ſententiam ſunt, quæ ex Cypriano ac Romano Clero ad Cyprianum afferri documenta poſſent, in quibus de ejuſmodi libellis Martyrum plura & uberrima occurrunt teſtimonia, quæ hujus Eccleſiaſticæ conſuetudinis ejuſdemque rationis ac fundamenti fidem faciunt. Neque moveant loca, quæ hiſce libellis Cyprianum & Romanum Clerum minus faviſſe vel reſtitiſſe produnt. Neque enim idcirco libellos a Martyribus oblatos iſti rejecerunt, quod ſatisfieri per alios non poſſe crederent; ſed quod per abuſum nonnullorum, vel etiam ex fraude libelli & ſubſidia Martyrum paſſim obtinerentur a lapſis negligentibus, qui hoc nomine *pœnitentiam agere & Deo ſatisfacere detrectarent*; *Vide ep. 29. Cyprian.* nollebatque ſanctiſſimus Epiſcopus, nec Romanus Clerus patrocinia & ſatisfactiones Martyrum iis ſuffragari, qui tanto beneficio eſſent indigni, ne liberalitas Martyrum in Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac in ipſorum reorum perniciem cederet, nec non in deſtructionem Evangelii, quod pœnitentiam peccatoribus tantopere inculcat. Ceterum quando pro lapſis, qui in pœnitentia laborarent, Martyrum libelli ſuſcepti ab iiſdem fuerunt, & in eorum gratiam de injunctis pœnis canonicis ex indulgentia remittendum non dubitarunt; ſatisfactiones utique Martyrum pœnitentibus poſſe proficere ſatis demonſtrarunt.

10. Neque vero eas apud Eccleſiam ſolum, *Apud Deŭ quoque hæ unius ſatisfactiones pro alio valebant.* ſed & apud Deum in ſatisfactionem poſſe crediderunt, ut ex aliquot eorum teſtimoniis evidentiſſimum fit. Non afferam illud, quod lapſi Martyrum libellis confiſi, *pacem ſibi non tam peterent, quam vindicarent, immo jam & in cælis* (ideſt apud Deum) *habere ſe dicerent*; id enim nimis arroganter dictum Romanus Clerus reprehendit epiſt. 30. Quamquam & hoc non omnino contemnendum videtur, quum fidem faciat dogmatis de utilitate libellorum & indulgentiarum apud ipſum Deum, quod vulgo obtinebat, & ſolum per exceſſum nimis multo efferebatur, ut noſtris quoque temporibus accidit: de quo deinceps erit ſermo. Moderatiora ſunt illa Cypriani epiſt. 12. ubi illos, *qui libellos a Martyribus acceperunt, prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſe* affirmavit: & epiſt. 13. *Auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt*. Similiter *pag. 378. edit. Ven.* in libro de lapſis: *Credimus quidem poſſe apud judicem plurimum martyrum merita, & opera juſtorum*, quæ ſcilicet libellis Martyrum per indulgentiam applicantur: de his enim Cypriano erat ſermo. Et eodem libro ſub finem: *Poteſt ille* (Deus) *indulgentiam dare, ſententiam ſuam poteſt ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere: poteſt* (nota libellorum & ſatisfactionum Martyrum effectum) *in acceptum referre, quid quid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint ſacerdotes*: quæ verba opportuniori loco explicabimus n. 18. Tandem Celerinus Confeſſor epiſt. 20. inter Cyprianicas duabus lapſis & pœnitentibus Numeriæ & Candidæ libellos

6 *Pax* nimirum, quam *jus communicationis* Cyprianus vocat epiſt. 9. erat ipſa communio precum publicarum & Euchariſtiæ, a quibus pœnitentes poſt miſſam cathecumenorum palam de Eccleſia, certa ſolemni formula, arcebantur, antequam canonicæ pœnitentiæ ſatisfacerent, niſi cum ipſis de pœnitentiis debitis per indulgentiam remitteretur: quod ut fieret, & ita paci & communioni reſtituerentur, Martyrum patrocinium interpellarunt pœnitentes, & hac ratione *pacem exoraſſe* a Tertulliano dicuntur.

libellos veniæ & indulgentiæ a Martyribus Chartaginenſibus precatus, *credo enim*, inquit, *Chriſtum ſecundum earum pœnitentiam & opera .... eis, vobis Martyribus ſuis petentibus, indulturum*. Hæc erat antiquæ Eccleſiæ fides de iis libellis, quibus quum Martyres adhuc vivi ſuas ſatisfactiones pœnitentibus communicabant, non apud Eccleſiam tantum, ſed & apud Deum eiſdem prodeſſe credebantur: unde & Joannes Apoſtolus, quem pro latrone ſatisfeciſſe commemoravimus, non apud Eccleſiam ſolam, ſed præſertim apud Deum ſatisfecit, ut ejus indicant verba ſuperius deſcripta ex Clemente Alexandrino apud Euſebium: *Ego pro te ſatisfaciam Chriſto*.

Mortuorũ etiam Sanctorũ ſatisfactiones vivis poſſunt applicari, atque proficere.

11. Num quod poſſunt Sanctorum viventium merita & ſatisfactiones, mortuorum non poſſunt? Quod merita & ſatisfactiones vivorum pro aliis applicari queant, ex Sanctorum Communione eſt, quæ non minus inter vivos, quam inter hos & Sanctos in caritate defunctos intervenit. Hac ex radice Sanctorum merita & interceſſiones Eccleſiæ militanti proficiunt in rebus pluribus: quidni in ſatisfactionem? Neque enim merita & ſatisfactiones ipſorum poſt mortem, cum Deo jam indivulſe copulati, omnique peccandi periculo expertes, nullis ſatisfactionibus opus habent, inferioris ſunt conditionis, ac fuerunt in vita, quum aliquot ſubinde lapſibus obnoxii, aliqua quotidiana remiſſione ac ſatisfactione indigebant. Immo paſſiones iſtorum etſi proficere potuerint in vita; non tamen ad remiſſionem canonicarum pœnarum, ſeu ad indulgentiam oblatæ, vel acceptatæ videntur, niſi poſt conſummatum eorum martyrium. Hinc ſane Martyres illud tantum petiere in libellis, quos in lapſorum gratiam S. Cypriano dederunt, ut poſt pacem Eccleſiis redditam, ac proinde poſt ipſorum martyrium, pœnitentibus, qui mererentur, pacem & remiſſionem indulgerent, ut liquet ex Epiſt. 9. & 10. ac proinde S. Antiſtes de nonnullis conqueritur, qui nondum tradita Eccleſiæ pace, celeres pacem lapſis dederint Epiſcopo inconſulto, *ante ipſum pene Martyrum exceſſum*, ubi tamen particula *pene*, per illos ipſos, quos veluti diſciplinæ corruptores ob nimiam celeritatem coarguit, non ante, ſed poſt exceſſum Martyrum iſtorum libellos lapſis ad indulgentiam profeciſſe ſubindicat. Hinc & Celerinus Confeſſor Romæ captivus ad Lucianum Carthagine Confeſſorem & captivum ſcripſit, una cum Confeſſoribus ceteris peteret ab Epiſcopis, ut *quicumque* ex Confeſſoribus ipſis *prior coronatus fuerit*, ideſt poſt conſummatum martyrium, hujus intuitu, *Numeriæ & Candidæ* lapſis ac pœnitentibus *peccatum remitterent*; & Lucianus Celerino reſpondens ſimiliter prodidit, ſibi a Martyre Paullo, quum adhuc in corpore eſſet, dictum fuiſſe: *Luciane, coram Chriſto tibi dico, ut ſi quis poſt arceſcitionem*, ideſt mortem, *meam abs te pacem petierit, da in nomine meo*: in quam eamdem voluntatem ceteri Carthaginenſes Confeſſores & Martyres *ex compacto* conſenſiſſe ibidem traduntur. Licet porro ex Cypriani epiſt. 22. ſcriptos & datos conſtet a Martyribus adhuc in carcere poſitis libellos; non tamen dati, ut ipſis vivis offerrentur: vel ſiqui oblati incaute fuerunt aliquo e tormentis ſuperſtite; haud tamen ſuſcepti ab Epiſcopis inventur niſi libelli eorum, qui conſummaſſent martyrium: non quod viventium ſatisfactiones communicari non poſſint, ſed quod illæ martyrio conſummato in tuto eſſent, & vehementer adauctæ, maximique eædem haberentur ad ſatisfaciendum pro purgatorii pœnis ex ejus effuſione *ſanguinis, qui flammas & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret*, ut eidem Cyprianus non dubitavit ſcribere epiſt. 8. Hactenus ergo dicta palam faciunt, communionis Sanctorum, quam credimus, illud eſſe, ut Sanctorum non tam viventium, ſed mortuorum præſertim ſatisfactiones & merita in ſatisfactionem noſtram proficere poſſint: eaque ut proficiant, quibus applicantur, ſicut fuit deſiderium Paulli aliorumque Carthaginenſium Martyrum, ut ex allegato teſtimonio didicimus; ita & ceterorum omnium Sanctorum conſilium & cupiditas fuit, ex quibus quum ſatisfactiones ſibi ſuperfluas, ne inanes eſſent & vacuæ, in ſatisfactionem noſtram ex communione Sanctorum ab ipſo Chriſto inſtituta Eccleſiæ reliquerint; ex his omnium Sanctorum ſatisfactionibus Eccleſiæ relictis una cum ſatisfactionibus Chriſti, a quo illæ totam vim habent, conſtat ille *Eccleſiæ theſaurus* indeficiens, quem *theſaurum communionis Sanctorum*, ideſt ſatisfactionum Chriſti Sanctorumque appellare non immerito poſſumus, quem ſane approbatum ab ipſa Tridentina ſynodo, quum ſeſſ. 21. cap. 9. indulgentias *cæleſtes Eccleſiæ theſauros* appellavit, reprobare nemo poteſt, niſi qui ſatisfactionum & Sanctorum communionem, ideſt articulum fidei certiſſimum, reprobare velit.

Eccleſiæ theſaurus rurſum vindicatur.

Vide etiam ep. 21. Luciani ad Celerinum.

Epiſt. 9.

Epiſt. 20. inter Cypricas.

Epiſt. 21.

§. III.

Quatenus hujus theſauri diſpenſatio ad jus clavium pertineat. Utilitas peculiaris in indulgentiis noſtrorum temporum.

12. HOc autem communionis fundamento præjecto, peculiare clavium jus eſſe ſemperque fuiſſe in hoc theſauro, ſeu in his ſatisfactionibus applicandis ad indulgentiarum effectum, ex ipſis libellis Martyrum demonſtratur, qui eoſdem libellos Epiſcopis ſubjicientes, eorumdem auctoritatem implorarunt, ut ſuis ſatisfactionibus, quas pro lapſis offerebant (ſi videretur) ſuſceptis, pœnas canonicas, quas claves Epiſcopales præſcripſerant, earumdem virtute clavium relaxarent. Licet enim aliquot audaciores

presby-

presbyteri inventi aliquando fuerint, qui libellis ipsis abutentes, inconsulto Episcopo, pacem lapsis dederint, quod sine relaxatione pœnitentiarum fieri non poterat; hoc tamen a S. Cypriano & ceteris omnibus reprobatum uti Episcopali juri contrarium, ab ipsorum quoque Martyrum sententia abfuit, qui Episcopalem in eo auctoritatem ex traditione ac Evangelio ipso cognoscentes, libellos non aliis nisi Episcopis porrexerunt, eorumdemque arbitrio ac potestati reconciliationem ac indulgentiam in lapsos submisere, ut idem Cyprianus non uno in loco testatur. Quin hæc res adeo erat apud omnes constans atque solemnis, ut Lucianus ipse, qui in libellis dandis in Paulli Martyris nomine nimium inconsideratus & facilis, Cypriani reprehensionem meruit; non præterivit tamen Episcopos, apud quos totam *causſam exponendam*, ut lapsi, quibus libelli traditi a Martyribus fuerant, *facta exomologesi pacem haberent*, Celerino rescripsit. Hinc audaciori quidem formulæ tribuenda sunt illa, quibus Martyres in nonnullis ad ipsum Cyprianum litteris ab eodem Luciano scriptis dicebantur *pacem dedisse*, quam non dedisse tamen illos per se, sed ab Episcopo postulasse in ipsis libellis, quos lapsis dederant, liquet ex illis Romani Cleri ad eumdem Cyprianum verbis epist. 30. *Si dandam illis* (lapsis) *pacem Martyres putaverunt, cur ipsi non dederunt? cur illos ad Episcopum, ut ipsi dicunt, remittendos censuerunt?* Licet ergo Martyres satisfactiones suas ita lapsis posse proficere crederent ex communione Sanctorum, ut canonicis pœnitentiis posset per illas suppleri, & cum lapsis de pœnitentiæ rigore per indulgentiam relaxari: quum tamen hoc relaxandi jus Episcoporum proprium scirent, communicabant quidem lapsis pœnitentiarum canonicarum loco satisfactiones suas (de qua communicatione apertiora testimonia dedimus num. 8.) & ita pacem iisdem, quantum erat ipsorum, dabant; at simul datis ad Episcopos libellis, easdem satisfactiones perinde communicatas significantes, vel præsumentes, petebant, ut, si justum videretur desiderium, illæ per eosdem Episcopos Dei personam gerentes acceptarētur, lapsique potestate clavium absoluti a pœnis canonicis, paci Ecclesiasticæ redderentur. Hæc itaque libellorum ejusmodi, qui antiquum indulgentiarum testimonium ponunt, erat veluti summa: hinc communicatio satisfactionum Martyrum, hinc Episcopalis juris in iis suscipiendis ac pœnitentiis relaxandis auctoritas: de quibus sane utrisque satis meminit S. Cyprianus in lib. de Lapsis in fine, quum horum libellorum ac indulgentiarum vim non tam apud Ecclesiam, quam apud Deum diserte indicans, sperandum esse ait futurum, ut *Deus in acceptum referat, quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes*. Non solos Martyres appellat, qui libellis communicationem satisfactionum offerentibus vel præsumentibus, relaxationem & pacem lapsis *peterent*; sed Episcopos etiam addit, quos *Sacerdotum* nomen apud antiquos & apud Cyprianum ipsum fere designat, qui scilicet eam oblationem acceptantes, potestate clavium, pœnitentiarum remissionem & absolutionem *facerent*; & ita hos Martyribus quodammodo præfert, ut Martyribus nudam petitionem, his autem, ideſt virtuti clavium, potiorem vim & efficientiam attribuat. Adeo Episcopale jus, communione Sanctorum & satisfactionum communicatione præsumta, in concedendis indulgentiis potissimum exseri atque requiri agnitum fuit.

Epiſt. 9. 10. 31. & 30.

Epiſt. 22.

Epiſt. 21.

Epiſt. 16.

13. Ne vero in sola relaxatione pœnitentiarum, & non etiam in ipsa acceptatione vel applicatione satisfactionum, quas offerebant Martyres, hoc Episcopale clavium jus lapsis specialiter profeciſſe credatur, præter locum recitatum num. 10. in quo quum *Deus in acceptum referre* dicitur, non tam *quod petierint Martyres*, quam *quod fecerint Sacerdotes*; non tam profecto Martyres, quam Sacerdotes aliqua ratione contuliſſe videntur in eas satisfactiones, quas *Deus in acceptum referret*: præter hunc, inquam, locum duo alia ejusdem Sanctissimi martyris testimonia observanda sunt, in quibus satisfactionem, quæ per Sacerdotes pœnitentibus virtute clavium imponitur, maxime commendat. *Satisfactio & remiſſio per Sacerdotes*, inquit libro de Lapsis, *apud Deum grata est*: ubi satisfactionis per Sacerdotes impositæ prærogativam efferre videtur: quod clarius illa indicant epist. 11. quibus satisfactionem sane vi clavium impositam innuens, eos, qui per ipsam satisfaciunt, *per Episcopos & Sacerdotes Domino satisfacere* scribit. Certe satisfactio a Confessariis præscripta, pœnitentibus magis prodesse creditur, quam quæ sponte suscipitur: & hanc ejus satisfactionis prærogativam præ satisfactione privata iis Cypriani formulis indicatam putarim. Porro sicut satisfactio pœnitentibus imposita, ex Sacerdotum, qui eam imposuerunt, persona & potestate utilior est; ita & aliena satisfactio ex communione Sanctorum alicui communicata, si per Episcopos vel Summum Pontificem communicetur, eadem istorum persona & auctoritate magis erit Deo grata, & pœnitentibus magis proficua. Neque hoc postremum creditu difficile sit. Quum enim aliena satisfactio, quæ ex Sanctorum communione transferri in alium potest, quamtumvis applicata ab eo, qui pro alio satisfacit, non transferatur tamen actu (ut omnes fatentur) nisi acceptante Deo, qui per se alienam solutionem acceptare non cogitur, sicuti princeps decretam alicui reo pœnam ab alio acceptare nequaquam tenetur; certior est acceptatio Dei, quum ea satisfactio huic per Sacerdotes publicam Ecclesiæ personam gerentes, quam quum per privatos offertur: adeo ut ipsorum quoque Martyrum pro lapsis oblatio facta Deo, non ita certam hujus acceptationem habuerit,

Confirmatur eadem clavium vis in dispensatione vel applicatione thesauri.

pag. 783. a.

antequam per Episcopos susciperetur, uti habuit, postquam accessit Episcoporum ecclesiastica auctoritas, cui datum scimus, ut quidquid in terra solveret, solutum haberetur in cælis; cujusque oblatio apud Deum, omnium privatarum oblationum efficacissima est, id quod facilius intelliges ex dicendis n. 24. Hinc ii soli lapsi, quos imperitiæ & audaciæ S. Cyprianus & Romanus Clerus coarguunt, quum per libellos Martyrum ante omnem acceptationem Ecclesiæ pacem *jam in cœlis habere se dicebant*, satisfactiones privato nomine ab ipsis Martyribus oblatas, a Deo susceptas eo ipso putabant, quod reprehensum legimus epist. 30. E contra vero lapsi vere prudentes & cauti, *quamvis libello a Martyribus accepto, ut a Domino satisfactio sua admitti posset*, admissis scilicet in satisfactionem, quæ sibi deerat, supplendam, oblatis Deo, quemadmodum & ipsi orabant, satisfactionibus Martyrum; non acquieverunt tamen, nec satisfactum omnino credidere, nisi libellis per Episcopum susceptis, certior divina acceptatio redderetur, ut colliges ex epist. 27.

Alia confirmatio.

14. Quod si auctoritas clavium, seu Episcopale jus in satisfactione pœnitentibus applicanda vel olim requisita fuit, quum Martyres ipsi per se, vel alii eorum speciali mandato suas satisfactiones cuipiam applicarent; hodie multo magis requiratur oportet, quum Sanctorum merita nec ab iisdem, nec ab aliis eorum peculiari mandato cuipiam sint applicata. Etsi enim Paulli & aliorum Carthaginensium Martyrum desiderium, cujus superius meminimus, omnibus Sanctis commune vigeat, ut satisfactiones sibi superfluæ nobis prosint; hæ tamen nemini singillatim applicatæ, sed collatæ in communem veluti thesaurum, inter communia Ecclesiæ bona accensentur, quorum distributio non cujusque particularis personæ, sed principis juri competit: sicuti in Religiosorum Congregationibus *Prælatis illarum competit communia suffragia peculiaribus personis applicare, ut in aggregationum, ut vocant, tabellis continetur. Ita S. Thomas in 4. dist. 20. art. 3. *Sancti autem*, inquit, *in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, hujusmodi opera fecerunt (alias absque omni indulgentia remissionem consequeretur) sed communiter pro tota Ecclesia; & sic prædicta merita sunt communia totius Ecclesiæ: ea autem, quæ sunt communia multitudinis, distribuuntur secundum arbitrium ejus, qui multitudini præest.* Hinc ergo præcipuo quodam jure nunc Ecclesiæ claves in indulgentiis desiderantur, ac antiquis temporibus fuerint a Martyribus expetitæ, quum proprias satisfactiones certis personis communicarunt. De potestate igitur Ecclesiæ a Christo tradita in indulgentiis dubitare nemo potest, nisi qui de Communione Sanctorum & de clavibus ipsi Ecclesiæ traditis, idest de duobus certissimis Ecclesiæ dogmatibus dubitare velit. De antiquo item ejusdem potestatis usu, quem Martyrum libelli pro lapsis demonstrarunt, satis liquet: & ita duo illa Tridentini capita explicata vides, quibus indulgentiarum tradendarum potestatem ac antiquitatatem asseruit. Immo & tertium illud de utilitate ejusdem usus, si moderate adhibitus in disciplinæ perniciem non cedat (ut eadem synodus declaravit) ex ipsorum Martyrum satisfactionibus, quæ apud Deum prodesse lapsis credebantur, sufficienter constitutum videtur.

Vid. S. Bonav. 4. Sent. d. 20. q. 3. in fine, & S. Thom. ead. dist. a. 3.

Hactenus statuta duo, quæ Tridentinum Concilium de indulgentiis definivit, potestas, & antiquitas.

De earum utilitate, quod est tertium a Tridentino definitum.

15. Neque offendat, quod frequens nunc sit, & omnibus patens indulgentiarum usus, qui olim rarissimus, & non nisi lapsis magna pœnitentia laborantibus permissus legitur. In quo ne quid præsenti Ecclesiæ vitio des, ut nonnulli audacter & imperite faciunt; diversa temporum disciplina contemplanda est. Antiquis illis temporibus, quum canonum pœnitentialium vis, & Christianorum fervor vigebat, haudquaquam expedire judicatum fuit, hanc disciplinam plurimis ex capitibus utilem relaxare; ac propterea indulgentias passim tradere, quæ ab ea pœnitentia revocarent homines, cui ea tempestate se se subjiciebant, in pœnitentiæ & pœnitentium ipsorum perniciem cedere putabatur: idque propterea adversus Evangelicam legem, & in lapsorum necem vergere Cyprianus & Romanus Clerus declararunt. At nunc, quum caritate frigescente plurimorum, ac pœnitentialium disciplina jamdiu sublata, nulli sint, qui canonicæ pœnitentiæ subsint; quid periculi est, indulgentiarum remissionem frequentius offerre? Immo quum hac occasione lucrandarum indulgentiarum spe excitentur homines ad plura Christianæ pietatis opera & pœnitentiæ, quæ alias non facerent: nonne indulgentias identidem concedere utilius est, quam non concedere? Tantum ergo abest, ut pœnitentiæ spiritum relaxent hodiernæ indulgentiæ, quin promovent potius; hocque sane consilio, ut illum promoveant, a Pontificibus impertiuntur, ut liquet ex Bullis ipsis Jubilæi, in quibus digni pœnitentiæ fructus ex Evangelico præcepto commendantur, & ad eos edendos invitantur fideles: atque ut *hos salutares pœnitentiæ fructus promtius proferant, plenariam indulgentiam concedimus*, inquit S. Pius V. in Bulla an. 1566. quibus similia alii Pontifices ingerunt. Itaque si semper quidem indulgentiarum usus utilis & salutaris fuit; nunc certe, quum pœnitentiam adeo promoveat, utilissimus & maxime salutaris haberi debet, ut eum *in Ecclesia retinendum* Tridentina synodus jure docuerit atque præceperit. Solum cavendum maxime est, ne hac indulgentiarum occasione sumta, pœnitentiæ spiritum peccatoribus omnino necessarium enervet, vel exstinguat illa sententia, qua post sumtam indulgentiam plenariam vel Jubilæum nihil superesse traditur debiti, cui per pœnitentiam satisfaciendum sit: quæ una doctrina ab

Utilitas Indulgentiarum peculiaris hodiernis temporibus.

Quid in usu indulgentiarum cavendum.

An-

Antonino nequaquam probata (non autem indulgentiæ ipſæ per ſe) in diſciplinam pœnitentiæ, & in pœnitentium plurimorum perniciem vergeret. In hoc autem, quod proprium noſtri propoſiti eſt, quum non dogma, ſed mera 7 ſcholaſtica agatur diſputatio, ſeparatim a dogmate in ſequentibus fuſe differemus.

CAPUT III.

De indulgentiarum effectu circa delendam pœnam Deo pro peccatis debitam, quæ communicatione ſeu applicatione ſatisfactionum Chriſti atque Sanctorum apud Deum ipſum relaxatur. Hæc communicatio cujuſmodi ſit, & qua ratione fiat, definitum non eſt, ſed Scholis permiſſum. Quæſtio in hoc celebris. Probabilius videretur ſatisfactiones memoratas applicari per modum ſolutionis Deo oblatæ, cujus tamen acceptatio quoad quantitatem ſoli Deo nota eſt.

16. QUidquid in indulgentiis ad ſatisfaciendum Deo, & delendam pœnam pro peccatis debitam prodeſt, ex ſatisfactionibus Chriſti atque Sanctorum, quæ in indulgentiis nobis communicatur, prodeſſe certiſſimum eſt. Tria vero illa a Tridentinis Patribus definita de *poteſtate*, *antiquitate*, & *utilitate* indulgentiarum, nihil aliud probant, niſi poteſtatem eſſe in Eccleſia communicandi illas ſatisfactiones, uſu antiquiſſimo communicatas fuiſſe, & utile eſſe eaſdem communicare: at quomodo communicentur, & quantum cuique utilis in praxi ſit ejuſmodi communicatio, æqualiter ne omnibus, an ſecus, nec definitum eſt, nec ex definitis ullo modo ſequitur. Immo plures id genus controverſias in indulgẽtiarum materia obſcuras & perplexas valde, iiſdẽ Tridentinis Patribus propoſitas ſcimus a Mutinenſi Epiſcopo, a quibus, ut facilior & brevior adverſus hæreticos ederetur circa indulgentias definitio, abſtinendum ille ſuaſit, uti & factum fuit. Inter haſce vero quæſtiones ab eodem Epiſcopo propoſitas & ſine ſolutione relictas, hæc prima in rem noſtram maxime confert, *num indulgentiæ ſint abſolutiones*, *an compenſationes*, *an ſuffragia*. In indulgentiis quatenus & vera *abſolutio* a pœnitentiis canonicis, quæ remittuntur, & *compenſatio* item aliqua ſeu commutatio pro injunctorum operum parte interveniat; ex* ſuperius dictis apertiſſimum eſt. In applicatione autem ſatisfactionum Chriſti atque Sanctorum, de qua nunc agimus, abſolutioni locus eſſe non videtur, quum nec Eccleſia abſolute tollat, vel tollere poſſit debitum temporalis pœnæ, quod Deus poſt ſacramentum pœnitentiæ ſibi ſolvendum retinuit; nec recte dici poſſit abſolutum, quod aliena ſatisfactione reſarciendum eſt ex Eccleſiæ theſauro: ubi enim aliquid reſarcitur ex alieno, ſolutio verius fit, quam abſolutio: niſi forte abſolutio latius ſumatur pro eo, quod ſolutione ex alieno ſuſcepta, reus abſolvatur a ſolutione ejus ſatisfactionis, quam ipſe ex ſe, non ex alieno debebat: quæ tamen abſolutionis ſpecies Dei potius eam ſolutionem acceptantis eſſe videtur, quam Eccleſiæ, quæ mere eam ſolutionem offert & ſolvit Deo, ut dicemus num. ſequent. Hinc autem demonſtratum apparet, quod propoſitum num. 5. huc reſervavimus, nimirum Eccleſiam, quæ in indulgentiis proprie abſolvit a pœnis canonicis ſuæ poteſtati ſubjectis, proprie non abſolvere a pœna temporali a Deo poſt remiſſionem culpæ retenta, a qua ſi proprie abſolvere poſſet, ſolutione ex ſatisfactionum theſauro non indigeret. Quare S. Thomas, qui in 4. Sent. diſt. 20. q. 3. quæſtiuncula 1. abſolutionis vim in indulgentiis omnium latius defendit a quacumque pœna ſive per canones, ſive Deo ipſi debita; abſolutionem tamen proprie dictam non agnoſcens niſi a pœnis canonicit, pœnam Deo debitam non abſolvi *ſimpliciter*, ideſt proprie, *loquendo*, ſed ſolvi fatetur, dum his verbis ad ſecundam objectionem reſpondet: *Iſte, qui indulgentias ſuſcipit, non abſolvitur ſimpliciter loquendo, ſed datur ſibi*, nimirum ex Eccleſiæ theſauro, *unde debitum ſolvat*: & ſimiliter quæſtiuncula 2. in fine: *Nihil de hac pœna* (Deo debita) *dimittitur, ſed unius pœna* (ideſt ſatisfactio) *alteri computatur*.

17. Quid quid autem id eſt, hæc ſolutio, quæ ex alienis ſatisfactionibus in indulgentiis fit, in ſe ſpectata (ut poſtremum S. Thomæ teſtimonium ſubindicat) quædam compenſatio eſt, qua perſonalis noſtri reatus ſatisfactio aliena ſatisfactione apud Deũ compenſatur pro ea parte, quæ injunctorum operum ſatisfactionem excedit. Porro quævis ſatisfactio per ſe ipſi prodeſt ſatisfacienti, nec in alium transfertur, niſi pro eo applicetur, ideſt offeratur Deo, ut omnibus notum eſt: unde in indulgentiis applicationem ſatisfactionum Chriſti atque Sanctorum omnes neceſſariam agnoſcunt. Hæc autem applicatio, ſeu oblatio haud dubie nec abſolutio eſt, nec propria compenſatio vel ſolutio, ſed mera ſolutionis oblatio, quæ impetrationis ſpeciem præfert, ac neceſſaria maxime eſt præſertim in ſatisfactione ex alieno, in qua ita Deus exorandus eſt, ut alienam ſatisfactionem pro noſtra propria, quæ debetur, ex gratia acceptet, quemadmodum judex exorandus eſt, ut ſatisfactionem ex. gr. filii pro patre reo

in

Controverſia in Tridentino propoſita, & non ſoluta.

Applicatio theſauri ſatisfactionũ non videtur propria abſolutio, unde pœna Deo pro peccatis debita proprie non abſolvitur in indulgentiis, ſed ſolvitur ex alieno.

**Vide n. 5. & 6.*

Videtur indigere oblatione Deo facta.

7 Hinc Petrus Sotus Pontificius Theologus in Tridentino in Inſtruct. Sacerdotum lect. 1. de Indulgentiis libere permiſſam in hoc catholicis Theologis controverſiam, ad fidem non pertinere diſerte ſtatuit.

Oblatio & impetratio in applicatione ſatisfactionum.

in ſolutum accipiat. Sanctorum itaque & Chriſti merita etſi uti ſatisfactoria ſolutionis vim habeant; applicatio tamen ipſorum pro ſolutione perſonali, offerentis preces efflagitat; ac propterea in indulgentiis ita ſolutioni locus eſt ex Eccleſiæ theſauro, ut ſimul locum habeat oblatio & impetratio, quæ ſuffragii nomine appellari ſolet. Suffragium nimirum quum apud Romanos diceretur certa quædam voluntatis ſignificatio in creandis magiſtratibus &c. quæ utilis plerumque erat illi, pro quo ſuffragium ferebatur: Theologi auxilium, quod ſive orando, ſive aliis operibus pro aliis utiliter impendimus, & offerimus Deo, ſuffragium appellarunt. Hinc Eccleſiæ ſuffragia vocantur ſacrificia, preces &c. quæ pro defunctis offeruntur: & ſimiliter ſatisfactiones pro iiſdem oblatæ in indulgentiis, *per modum ſuffragii* defunctis prodeſſe Pontificiæ Bullæ teſtantur. Simili de cauſſa *Sanctorum ſuffragia* in Breviariis inſcribuntur illæ etiam Eccleſiæ preces, quibus Sanctorum merita pro vivis offeruntur: cumque in hiſce meritis Sanctorum ſatisfaciendi vis inſit, quæ in indulgentiis per oblationem & preces Eccleſiæ nobis applicatur; ipſorum utique ſatisfactiones nobis item prodeſſe per ſuffragium dubitandum non videtur. Hanc forte in ſententiam S. Thomas in 4. Sent. diſt. 20. quæſt. 5. art. 4. ad 1. indulgentias *ſuffragia Eccleſiæ* appellat, in quibus Sanctorum ſatisfactiones nonniſi per oblationem & applicationem Eccleſiæ ſuffragantur. Plures quidem indulgentiarum Bullæ hujus oblationis & impetrationis teſtimonium præbent: inſignis autē præter cetera eſt locus Inſtructionis editæ a peculiari Congregatione ſuper Indulgentias juſſu Innocentii XII. & ad omnes Epiſcopos in inſtitutionem fidelium miſſæ die 1. Dec. ann. 1699. ubi ea vis clavium in indulgentiis Romano Pontifici tribuitur *in aperiendis Eccleſiæ theſauris, in quibus recondita ſunt infinita paſſionis & mortis Jeſu Chriſti merita, nec non merita ejus ſanctiſſimæ matris ſemper Virginis Mariæ & omnium Apoſtolorum, Martyrum, atque Sanctorum Paradiſi, ut* (notetur quæ ſit vis clavium) *hæc æterno Patri pro ſatisfactione noſtrorum criminum offerantur*. Italice autem in ipſo originali Romæ edito hæc verba ſunt. *Il ſupremo Vicario del noſtro pietoſiſſimo Redentore come univerſal diſpenſatore delle richezze ſpirituali ne ha facilitato il modo di ſodisfare col mezzo dell' Indulgenza dell' Anno Santo, aprendo in queſto tempo con le chiavi della divina poteſtà .... i teſori della Chieſa, ove ſi conſervano gl' infiniti meriti della paſſione e morte di Gesù, e quelli della ſua Santiſſima Madre ſempre Vergine Maria, e di tutti gli Apoſtoli, Martiri, e Santi del Paradiſo, per offerirli all' Eterno Padre in ſodisfazione delle colpe da noi comeſſe*. Hoc oblationis apertiſſimum documentum eſt. Impetrationis autem teſtimonia deinceps dabuntur num. 19.

De acceptatione Dei requiſita, & quæ in indulgentiis.

18. Hæc autem oblationis, & impetrationis, ſeu ſuffragii ſpecies, in indulgentiis, quæ ita alienæ ſatisfactionis ſolutio eſt, ut applicatione, ideſt oblatione ac impetratione indigeat Eccleſiæ, indiget pariter acceptatione Dei, uti in humanis quoque judiciis acceptatio judicis, cui aliena ſatisfactio offertur, omnino requiritur: ac proinde ejus ſuffragii quanta ſit vis, ex eo cognoſcere licebit, ſi cognoſci poſſit, quatenus ejuſmodi ſatisfactionum oblatio a Deo acceptetur. Quod aliena ſatisfactio iis, pro quibus offertur, prodeſſe poſſit, dogma certiſſimum eſt ex communione Sanctorum, quam cum Deus inſtituit, ea ut poſſet prodeſſe, inſtituit. At num ſemper & æqualiter proſit omnibus & ſingulis, pro quibus offertur, ex communione Sanctorum non ſequitur; unde licet oratio pro aliis apud Deum interpoſita ex eadem Sanctorum communione prodeſſe queat; non tamen ſemper aut æque omnibus, pro quibus interceditur, eam prodeſſe certum eſt, ut ex Auguſtino inferius dicemus. Num vero indulgentiis, quibus Sanctorum & Chriſti ſatisfactiones applicantur, & offeruntur Deo, majus aliquid tribuendum ſit; ne quid ex ingenio videamur afferre, conſiderare iterum juvat libellos Martyrum, qui veterum indulgentiarum imaginem exhibent. In his ſane non aliam niſi interceſſionis & ſuffragii vim antiqui Patres deprehenderunt, quæ fiduciam quidem pariat, non autem certi ac determinati, & multo minus æqualis effectus omnimodam fidem. Apertiſſimum eſt Cypriani teſtimonium in libro de lapſis, ubi de Martyrum libellis ex propoſito diſſerens, quibus pax & indulgentia fuerat lapſis promiſſa; etſi * *credere quidem* ſe profeſſus fuerit *poſſe apud judicem plurimum Martyrum merita*, & ita poſſe *ut ille poſſit in acceptum referre quidquid pro talibus petierint Martyres*; tamen oblatis pleniſſimæ indulgentiæ libellis æque pro omnibus lapſis, qui ad pœnitentiam redierant, non æque exiſtimandum ait de ſingulis, nec æque ab omnibus ſuſcipiendos, niſi *ante ſciamus*, inquit, *illos de Deo impetraſſe, quod poſtulant .... Neque enim ſtatim videri poteſt de divina majeſtate conceſſum, quod fuerit humana pollicitatione promiſſum*. Subdit autem in eamdem rem plura Scripturarum exempla, quibus cum meræ impetrationis vim Sanctis apud Deum attribuit, tum vero hanc effectus non omnino certi ſuadere contendit: *Nec* enim his, *ſi rogarent*, inquit, *Deus ſe conceſſurum dixit .... Adeo non omne quod petitur, in præjudicio petentis, ſed in dantis arbitrio eſt: nec quidquam ſibi uſurpat & vindicat humana ſententia, niſi annuat & cenſura divina*: quæ ab exemplis Sanctorum pro delictis ſe ſe interponentium ad libellos Martyrum perperam fuiſſent a Cypriano traducta, niſi eamdem in iſtis, cum ſuas ſatiſfactiones Deo offerunt, impetrationis vim ineſſe judicaſſet. Hinc etiam Celerinus egregius Chriſti Confeſſor Romæ, ſimili ſententia pro duabus ſororibus lapſis indulgentiarum libellos petens, ſperare ſe ait,

*Quæ in antiquis indulgentiis fuerit. Meram fiduciam ſuffragii propriam, non autem certum, determinati, ac æqualē effectum antiqua teſtimonia præferunt. *pag. 386. b. pag. 379. a.*

Ibid. e.

jam

Epiſt. 20. *jam Chriſtum eis, vobis Martyribus ſuis petentibus, indulturum*, ſcilicet, ut mox addit, *per veſtras ſanctas orationes, in quas nos fidimus, quoniam eſtis amici, ſed & teſtes Chriſti*. Cetera teſtimonia, quæ pro ejuſmodi libellorum virtute Martyrum *prærogativam, auxilium, merita apud Deum adjuvare poſſe* lapſos ingerunt, nihil ultra impetrationem efflagitant, & impetrationem quidem effectus non plane certi, *Deo ipſo ſciente*, inquit Romanus Clerus epiſt. 31. *quid de talibus* lapſis *faciat*, quibus ſcilicet ex libellis Martyrum pax in neceſſitate ante exactam pœnitentiam dabatur ex Cypriani epiſt. 12. & 13. Nulla præterea majorem vim exprimentia in tota antiquitate invenire licuit, quod & Suarez confiteri debuit in 3. part. diſp. 49. ſect. 2. num. 11. *Cyprianus dicit remiſſiones has ſolitas fuiſſe fieri per interceſſiones Martyrum, quia auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſent, indicans, ſatisfactionem illorum per modum ſuffragii prodeſſe lapſis ad remiſſionem apud Deum. Neque aliquid certius de uſu illorum temporum invenire potui*. Ab his autem antiquis indulgentiarum exemplis ſi non diſcrepant indulgentiæ poſteriorum temporum, quæ ſane diſcrepare non debent, ne quid novum in Eccleſiam invectum contra Tridentini definitionem dicamus; noſtræ pariter indulgentiæ ejuſdem ſuffragii vim habere dicendæ ſunt.

Eadem eſſe debet vis in indulgentiis recentioribus.

Suffragii vis a Theologis & Canoniſtis pluribus antiquis tributa indulgentiis.

19. Enimvero plures Theologi & Canoniſtæ veteres, qui primis indulgentiis in hodiernam formam editis coævi vel ſuppares extiterunt, ſuffragii vim eamque effectus cuilibet non æqualis & certi in iiſdem agnovere. Paullus Presbyter Paſſavienſis, qui circa an. 1200. ſcripſit Summam de Pœnitentia a Duvallio editam Miſcel. tit. 1. indulgentiarum vim ex eo præſertim repetens cap. 15. *quia Eccleſia obligat & conſtituit ſe orare pro illo*, cui indulgentia conceditur, offerendo ſcilicet Deo ſatiſfactiones Chriſti atque Sanctorum, ſuffragii profecto & impetrationis vim indulgentiis attribuit. Similia habet S. Raymundus in Summa lib. 3. de Pœnit. & Remiſſ. §. 63. qui præterea poſtquam eamdem ſuffragii rationem ingeſſit, quia Pontifex indelgentiam concedens, *obligat eum, qui facit remiſſionem, immo & totam Eccleſiam, ut ſuffragetur ei*: de quantitate indulgentiæ deinde quæſtionem proponens, num is, cui tota Eccleſia perinde ſuffragatur, *erit liberatus totaliter, an in parte, & in quota parte?* reſpondet: *Hæc omnino nec ſcio, nec credo aliquem mortalem ſcire, niſi eſſet alicui divinitus inſpiratum*. Et §. 64. affirmans iterum *per orationes & ſuffragia Eccleſiæ fieri* remiſſionem, ſubdit: *Non eſt certus, utrum ſit adhuc tota illa pœna remiſſa, ut ſupra: cum nullus poſſit ſcire*, ut dixerat paullo ante, *numerus talium*, ſibi ſuffragantium in Eccleſia, *nec per conſequens poteſt ſcire remiſſionis menſuram*. Guillelmut Altiſſidorenſis lib. 4. Summæ tract. 6. cap. 9. de Relaxationibus: *Eccleſia meretur alicui per preces ſuas remiſſionem pœnæ. Ergo cum aliquis dat obolum ad fabricam Eccleſiæ* (pro quo dabatur indulgentia) *dimittitur ei pœna non ſolum ratione dati, ſed ratione precum Eccleſiæ, quæ obligat ſe ad orandum pro eo*. Et poſt pauca de effectus ſeu quantitatis acceptatæ incertitudine: *Neſcit* homo, *quantum proſint ſibi ſuffragia Eccleſiæ*. Et loco cit. q. 3. *Papa habet hanc poteſtatem, ut faciat Cruceſignatos participes omnium ſuffragiorum Eccleſiæ*: quæ non ita certa deinde agnoſcit, ut nulla pœna ſolvenda ſuperſit. Neque hæc Eccleſiæ interceſſio difficilis videatur, ac ſi theſaurum ſatiſfactionum ab indulgentiis excludat; hæc enim cum idcirco exigatur, ut ſatiſfactionum theſaurus applicetur, & offeratur Deo; non ſolum non excludit, ſed potius præſumit. Sicuti vero hi aliique, qui in eamdem rem allegari poſſent Auctores, dum ſolum memorant Eccleſiæ preces atque ſuffragia, eum præſumſere theſaurum, quem Eccleſiæ preces & ſuffragia offerunt Deo: ita ceteri, qui unius theſauri fecere mentionem, non excluſere Eccleſiæ ſuffragia & preces, quæ ad eum theſaurum applicandum * & offerendum Deo neceſſaria ſunt. Hinc alii, qui accuratius hac de materia ſcripſerunt, & theſaurum & preces Eccleſiæ ſimul expreſſere. Legendi inter ceteros P. Chriſtianus Lupus in ſingulari tractatu de Indulgentiis cap. 7. & P. Euſebius Amort in diſſert. prælimin. Hiſt. de Indulgentiis §. 4. qui noviſſimus omnium in reſp. ad primam objectionem obſervat, omnem *oblationem, qua Deo offeruntur propria vel aliena juſtorum opera pro effectu indebito, involvere tacite aliquam deprecationem*. Quin part. 2. Hiſtoriæ §. 165. pag. 387. ex ipſis Pontificum Bullis indulgentias concedentibus idipſum confirmat, in quibus *Summi Pontifices & Epiſcopi conteſtantur, ſe per modum ſupplicantis orare Deum, ut intervenientibus ſimul Sanctorum precibus & meritis remittat pœnitenti debitas pœnas*: & aliquot Pontificia teſtimonia ex multis ſubjicit. Hi autem Auctores eadem ratione indulgentiarum effectum non ſemper plenum, nec determinatum diſerte ſtatuunt. Vide Lupum in opuſculo memorato cap. 6. quæſt. 3. qui antiquas præſertim indulgentias conſiderat, & P. Amort deſcribentem loco allegato recentiorum indulgentiarum teſtimonia, quibus cum Pontifices *de divina miſericordia, & Sanctorum interceſſione confiſi*, pœnitentias ſe relaxare pronuntient; fiduciam quidem & ſpem divinæ acceptationis præferunt, non autem certam ejus promiſſionem, nec æqualem omnibus remiſſionis menſuram præſtituunt.

**Vid. num. 17. ſupra.*

20. Ratio etiam efficaciſſima videtur. Satiſfactio enim, quæ pro culpa Deo perſolvitur, non ex condigno ſatiffacit, ſed ex congruo; quatenus ſcilicet a Deo in ſolutum acceptatur ex meritis Chriſti, qui pro nobis condigne ſatiffecit, & ex quo *ſatisfactiones noſtræ vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre*. Porro inter ſatiffactionem, quam pro nobis pendemus,

Ratio antedictorum efficax.

Trident. ſeſſ. 14. c. 8.

ac

ac eam, quæ pro aliis exhibetur, multum intereſt. Satiſfactiones noſtræ pro nobis oblatæ, ſi nihil aliunde impediat, ſunt certa ſolutio, quam Deus in ſolutum ex certa promiſſione accipiet. At aliena ſatiſfactio (ſi illam excipias, quæ ex ſatiſfactionibus Chriſti per ſacramenta certis promiſſis applicatur) etſi, ut prodeſſe nobis poſſit, in inſtituenda communione Sanctorum ipſe Deus inſtituit; non tamen ut ſemper & æqualiter omnibus proſit, cuipiam pollicitus invenitur; ac propterea non ita certa ſolutio ſemper eſt, quin dubitari de illa poſſit, num ac quatenus acceptata ſit. Eadem ſatiſfactionis videtur ratio, ac orationis. Oratio idonea pro ipſo orante certum effectum ſortitur, non item pro aliis; propterea quod res pendet ab acceptatione & promiſſione Dei, quæ pro ſolis orantibus explorata eſt, ut Auguſtinus obſervavit tract. 102. in illa Joannis: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ita ſane intelligendum eſt*, inquit num. 1. *quod ait*: dabit vobis, *ut ea beneficia ſignificata ſciantur his verbis, quæ ad eos, qui petunt, proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro ſeipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuslibet aliis, quia non utcumque dictum eſt* dabit, *ſed* dabit vobis. Num diſpar ratio habenda erit ſatiſfactionum, quæ pro alio offeruntur, de quibus nulla ſpecialis Dei promiſſio allegari poteſt? Quare quum hæc ipſa ſatiſfactionum oblatio impetrationis ſpeciem contineat, ut paullo ante monuimus; ſi impetratio pro aliis certam omnino promiſſionem & effectum non habet, nec habebit utique ſatiſfactionum in indulgetiis oblatio. Hinc ſane, ut arbitror, etſi jam inde a Tridentinæ ſynodi initio ingeſta de indulgentiis doctrina, ab hæreticis illorum temporum potiſſimum agitata, illi Patres catholice crederent, ſatiſfactiones Chriſti atque Sanctorum nobis per indulgentias communicari; ſatiſfactionibus tamen propriis inter omnes ſatiſfaciendi vias nihil eſſe, vel fuiſſe umquam tutius & certius definire non dubitarunt in decreto de ſatiſfactione cap. 8. ſeſſ. 14. *Neque vero ſecurior ulla via in Eccleſia Dei umquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem a Deo pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent*. Id quod comparatione cum indulgentiis expreſſe inſtituta jamdiu ante prædixerat Gregorius VIII. qui in dedicatione Eccleſiæ a ſe Beneventi conſtructæ indulgentiam rogatus a populo, reſpondit, Petro Cantore teſte: *Tutius eſt, ut agatis pœnitentiam, quam vel tertiam partem, vel aliquotam vobis remittam*. Cui ſententiæ cohærens olim etiam S. Cyprianus, *maluit lapſos per plenam ſatisfactionem, quam per indulgentiales Martyrum libellos reparari, & hanc reparationis viam affirmavit apud divinum tribunal eſſe multo ſecuriorem*, ut ex libro de lapſis obſervavit P. Lupus de Indulgen. cap. 6.

Paritas ſatisfactionis & orationis.

In Summa mſ. de Sacramentis apud Morinum l. 10. de pœnit. c. 29. n. 7.

CAPUT IV.

Certus tamen in ſe, at non æqualis in omnibus indulgentiarum effectus æquiſſime creditur, pro diſpoſitione varia ſuſcipientium metiendus. Diſcrimen inter indulgentias pro vivis & illas pro mortuis.

Ratio æquiſſima proponitur.

21. NEque vero hæc ita accipi velim, ut ſatisfactiones Chriſti atque Sanctorum ab ipſa poteſtate Eccleſiaſtica applicatæ & oblatæ Deo in indulgentiis nihil certi producant in iis, qui injuncta opera rite exſequuntur. Quando enim de dignis agimus; Eccleſiæ oblatio pro his acceptari credenda eſt a Deo, qui & earum ſatisfactionum communicationem, & Eccleſiaſticam in eo poteſtatem inſtituit. At quum non omnes æque digni ſint, quibus æqualis indulgentiarum fructus communicetur; haud æqualiter acceptatæ videntur pro omnibus, ne dicantur æque prodeſſe ſive magis, ſive minus dignis, minuſque pœnitentibus, & iis etiam nuper peccatoribus maximis, qui etſi ex indulgentiæ præſumtione nihil, vel fere nihil præter injuncta opera in pœnitentiæ fructibus laborare velint; in indulgentiarum tamen fructu percipiendo ferventioribus minuſque peccatoribus æquiparentur; quod æquitati minus congruum Antoninus cenſuit. Illud autem æquitati præſertim divinæ, quæ non perſonas, ſed merita reſpicit, maxime congruum videri poteſt, quod ſicut in juſtificatione impii per ſacramentum pœnitentiæ non æqualem omnibus juſtitiam confert, ſed *partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem*, ut Tridentina ſynodus loquitur ſeſſ. 6. capit. 7. ita pariter ſe gerat in remiſſione pœnarum per indulgentias, adeo ut iſtarum effectus ex diſpoſitione pœnitentium menſuram recipiat; non quod indulgentia non majorem pœnam deleat, quam delent opera & fervor, quo quis indulgentiam lucratur (hoc enim unum qui daret indulgentiis, nihil daret; & hæc una ſententia eſt, quæ fallaciam Eccleſiæ ingerens, a pleriſque jure reprehenditur) ſed quod pro majori, vel minori ſuſcipientium indulgentias præparatione ac fervore, præter ſatisfactionem ejuſmodi diſpoſitionum propriam, major vel minor ſatisfactio vi ipſius indulgentiæ a Deo acceptata, in pœnæ remiſſionem utiliter conferat. Certe ſatisfactiones Chriſti atque Sanctorum, quæ animabus mortuorum in indulgentiis applicantur per modum ſuffragii, haud æqualem omnibus fructum pariunt, ut praxis docet Eccleſiæ, quæ permittit plures miſſas *privilegiatas*, ut vocant, celebrari pro eadem anima, cui una miſſa indulgentialis ſufficeret, ſi [8] ejuſmodi plenariæ indulgentiæ [8]

8 Simile efficaciſſimum argumentum nonnulli urgent ex indulgentiis vivorum pro articulo mortis

tiæ totum effectum æqualiter pro omnibus sortirentur. Sane vivorum pro mortuis suffragia, de quibus Augustinus scripsit in Enchiridio n. 29. *Eis prosunt, qui quum viverent, ut eis hæc postea possent prodesse, meruerunt*, pro ipsorum meritis magis vel minus prodesse judicanda sunt, ut etiam indicant, quæ a S. Doctore ibidem subjiciuntur: *Quibus autem prosunt* (animabus utique purgatorii) *aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio*: ubi *plena remissio* pleniori merito, *tolerabilior* autem *damnatio*, ideſt pœna mitior vel brevior, minori merito responsura præsumitur, quatenus scilicet ii, pro quibus suffragia offeruntur, ea ut sibi magis, vel minus prodessent, meruerunt. Quod autem de suffragiis viventium pro defunctis verum est, idem de indulgentiis censendum, quæ per modum item suffragii iisdem applicantur & prosunt. Quidni idipsum dicamus de indulgentiis vivorum, quibus alienæ satisfactiones sunt mera suffragia? Ita sane Martyrum satisfactiones ac indulgentiales libellos lapsis apud Deum ad peccatorum remissionem profuisse *secundum eorum pœnitentiam & opera*, Celerinus Confessor ad Lucianum scribens præsumit. Et cum in eamdem sententiam S. Cyprianus epist. 10. discerni a Martyribus voluit eorum, quibus indulgentiæ libelli traderentur, merita & pœnitentiam; eos autem, qui nihil discernentes, plenæ indulgentiæ libellos promiscue omnibus darent, erroris reprehendit: tum vero Romanus Clerus epist. 30. de illis ipsis loquens, qui ex iisdem Martyrum libellis pacem & indulgentiam pleniſſimam præferebant, nimiæ præsidentiæ hos accusat, nisi si & libelli Martyrum, & Confessorum, qui steterunt, pro ipsis preces, condigna eorumdem pœnitentia & humilitate adjuventur: *Quoniam & facilius impetratur, quod petitur, quando is, pro quo petitur, condignus est, ut quod petitur, impetretur*: in quibus vides, indulgentiarum fructum ex merito ac dispositione pœnitentium, qui indulgentiam promeruerint, palam deduci. In antiquissimis sane remissionibus & indulgentiis hæc semper cautio & animadversio uti maxime necessaria adhibita fuit, ut pœnitentia pro modo culpæ major vel minor, quæ indulgentiam mereretur, Deoque acceptam suaderet, semper præcederet. Ita nec Paullus incestuoso Corinthio pœnitentiam remisit, nisi postquam per annum circiter inter primam & secundam epistolam intermedium in pœnitentia ita laboravit, ut dolore & tristitia pene absorberetur: nec Joannes Apostolus, qui pro prædone illo a nobis memorato n. 8. Deo se satisfacturum receperat, eidem indulsit, aut Ecclesiasticæ paci eumdem restituit, nisi postquam *una cum eo* se aliquandiu maceravit; quod factum certam & satisfactionum communicationem, & pœnitentiæ remissionem complectens, evidens & antiquissimum indulgentiæ exemplum & modum exhibet.

Vid. lib. de Cur. pro mort. c. 1.

Vide Alber. Magn. 4. Sent. dist. 45. art. 2. ad 2.

Epist. 10. inter Cyprianic.

22. Neque opponas hac ratione nihil præcipuum haberi in indulgentiis pro vivis ac in illis pro mortuis. Nam in vivorum indulgentiis & vera absolutio a canonicis pœnis, & commutatio item aliqua cum injunctis operibus intervenit, quorum neutrum in indulgentiis mortuorum locum habet; ut ex S. Bonaventura observare licet in 4. dist. 20. q. 5. Satisfactiones autē Christi atque Sanctorum si non alia ratione vivis, alia autem mortuis applicentur, nihil mirum est, quum in eas nec absolutio, nec commutatio cadat, sed mera alienæ solutionis oblatio, quæ sive pro vivis, sive pro mortuis offeratur, nonnisi deprecando offerri potest, ut ex ipsis Ecclesiæ collectis liquet, in quibus Sanctorum merita per intercessionem æque pro mortuis ac pro vivis offeruntur Deo: nisi quis forte in applicatione satisfactionum per indulgentias aliam vim pro mortuis excogitet, pro vivis aliam, quam explicare & probare non facile poterit. Enimvero Eminentissimus Bellarminus indulgentiarum vindex præstantissimus l. 1. de Indulg. c. 16. quæst. 3. discrimen indicans inter indulgentias pro vivis, ac pro defunctis, has defunctorum animabus prodesse ait, *non per modum absolutionis juridicæ, sed per modum solutionis*, quatenus Pontifex *offert Deo ex thesauro satisfactionum, quantum necesse est ad eas liberandas*; in Indulgentiis autem vivorum vera & juridica seu *judiciaria absolutio* intervenit, *annexam habens solutionem ex thesauro*, uti statuit c. 5. absolutio, inquam, a meris canonicis pœnitentiis, quod & ipse fatetur, non autem a pœna in purgatorio debita, pro qua compensanda (quum absolvi per Ecclesiam non possit) satisfactionum solutio ex Ecclesiæ thesauro Deo offertur; quibus plane congruunt ea, quæ & ratione & auctoritate statuimus num 16. Itaque quum in hac solutione Deo offerenda nihil propriæ absolutionis sit pro vivis; in ipsa autem hujus solutionis oblatione nihil peculiaris juris interſit sive pro vivis sive pro mortuis offeratur; quis in hujus solutionis effectu apud Deum disparem vivorum ac mortuorum rationem contendat? Solum vivi, ut hæ satisfactiones sibi magis prosint, quæ pro meritorum ratione prosunt magis vel minus, & pluribus & ferventioribus pœnitentiæ fructibus in ipsa indulgentiarum acquisitione edendis digniores se possunt efficere, quod mortui non possunt.

Discrimen inter mortuorum & vivorum indulgentias.

23. Neque vero ingeras opus esse, ut potestas clavium in hac ipsa applicatione satisfactionum aliquid magis possit præter merum suf-

Objectio explosa.

tis, quæ si æqualem effectum parerent in omnibus, qui cum plenaria indulgentia obierunt, nullis vivorum suffragiis indigerent. Nam vel vita functi sunt in mortali culpa; & iis sicut non profuit indulgentia, ita neque suffragia prosunt: vel excesserunt, uti præsumitur, in gratia; & indulgentiam plenariam consecuti, nullo opus habent vivorum suffragio; quod tamen praxis Ecclesiæ reprobat.

ſuffragium; nam hæc eadem clavium vis exſeritur etiam in indulgentiis mortuorum, quibus tamen nonniſi *per modum ſuffragii* eæ ſatisfactiones applicari traduntur. Quid quod S. Thomas loquens quidem de vivorum indulgentiis in 4. Sent. diſt. 20. quæſt. 4. & tres applicationes, ſeu communicationes ſatisfactionum diſtinguens, duas privatas, quæ auctoritate Eccleſiæ carent, tertiam publicam Eccleſiæ auctoritate munitam, hoc inter ipſas præcipuum diſcrimen ſtatuit, quod *per illas communicationes* privatas *quamvis homo ſolvatur a reatu pœnæ quantum ad Deum, tamen non ſolvitur a debito faciendi ſatisfactionem injunctam, ad quam obligatus eſt ex præcepto Eccleſiæ: ſed per tertiam communicationem homo etiam ab hoc debito abſolvitur*: ubi claves Eccleſiæ in indulgentiis exigit ad abſolutionem pœnæ canonicæ, ad quam privata auctoritas non extenditur (unde illas privatas applicationes negat poſſe appellari indulgentias) non autem ut communicatio illa ſatisfactionum, peculiari quodam modo præter ſuffragium, Eccleſiæ clavibus applicetur. 9

9 *Alia objectio.*

24. Quod ſi ſubjicias, hac in ſententia ad ſatisfactionum communicationem ſuperfluas eſſe claves Eccleſiæ, quum quiſque poſſit ſibi Sanctorum ſatisfactiones per orationem applicare, & offerre Deo: reponam ſtatim, hoc, ſi quid probat, probare etiam pro animabus purgatorii ſuperfluas eſſe Eccleſiæ claves in indulgentiis, quæ iiſdem proficiunt: nam ipſis pariter ſatisfactiones Sanctorum per orationem applicare & offerre Deo quiſque poſſet. Sed ut intelligatur, quid præcipuum hac in re præſtet, & conferat Eccleſiæ auctoritas, præter quam quod ejus eſt communem theſaurum virtute clavium aperire, & diſpenſare, qui communitati præſidens, clavibus Eccleſiæ potitur, non autem cujuſcumque privati, ut fuſius diximus num. 14. (quæ clavium vis & in vivorum, & in mortuorum indulgentiis requiritur) in ipſa oblationis & applicationis vi obſervandum maxime eſt, quanti ſit Eccleſiæ publica oratio præ oratione privata. In oratione privata unus pro ſe orat & offert; in publica autem, quæ præſertim auctoritate Eccleſiæ indicitur, tota orat & offert Eccleſia, quod quanto efficacius ſit, nemo non videt. Orante ſcilicet Eccleſia non hujus vel illius privati, qui forte minus dignus eſt, ſed omnium, etiam Sanctorum, ac per Sacerdotes præſertim, Eccleſiæ ipſius ſpiritus orat, quem Auguſtinus l. 1. in Maximinum c. 9. eſſe illum ſpiritum credit, de quo Paullus ad Romanos c. 8. v. 26. *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: quod non congruit privatæ orationi ſingulorum, quæ ſæpius imperfecta & inefficax eſt, ſed orationi omnium etiam Sanctorum ac præſertim Sacerdotum, quos Eccleſiæ totius nomine deprecantes, ſpiritus Sanctus *gemitibus ſanctorum deſideriorum interpellare facit;* harumque orationum & gemituum ſpiritus *inenarrabilis* & efficaciſſimus eſt. Huic autem orationi publicæ tanta vis ineſt, eodem Auguſtino teſte l. 3. de Baptiſ. n. 22. ut peccata, quæ in Eccleſia dimittuntur poteſtate clavium, *per orationes Sanctorum ſpiritualium, qui ſunt in Eccleſia, tamquam per columbæ creberrimum gemitum* dimittantur: quam in ſententiam n. 23. Eccleſiam appellat, *per cujus gemitus peccata ſolvuntur;* & poſt pauca: *Remiſſa peccatorum per orationes Sanctorum, ideſt per columbæ gemitus datur.* Quibus in locis etſi remittendorum peccatorum vis clavium Eccleſiæ propria, ſoli Sacerdotum, Eccleſiæ perſonam gerentium, quorum tantum ſunt claves, orationi in reconciliatione pœnitentium olim adhibitæ competit, ut alio opere fuſius oſtendam; nihil tamen prohibet, quin in hoc ipſum maxime etiam contulerit ceteri oratio populi, quam Sacerdotum orationi additam & in peccatorum remiſſionem impetrandam perutilem 10 S. Ambroſius, aliique Patres prodidere. Quodſi orationi Eccleſiæ in ipſam peccatorum remiſſionem tanta vis eſt: quis ad impetrandam etiam remiſſionem pœnæ peccatis debitæ, eamdem orationem Eccleſiæ, quum ſatisfactiones Sanctorum offert Deo, non efficaciſſimam habeat? S. Paullus Corinthiorum Eccleſiæ pro inceſtuoſo remiſſionem deprecanti annuit, & de pœnitentia debita eidem remiſit, ut ſupra obſervavimus; & remiſit quidem, non humana auctoritate, ſed *in perſona Chriſti*, apud quem hoc acceptum iri non dubitabat. Num apud ipſum Chriſtum minorem vim habebit ipſa univerſalis Eccleſia, quæ, oblatis etiam Sanctorum & Chriſti ſatisfactionibus, remiſſionem pro peccatoribus deprecetur? Hac autem ex ora-

Eccleſiaſticæ auctoritatis & orationis Eccleſiæ præcipua vis in indulgentiis.

10

9 Similia leges apud S. Bonaventuram eadem diſt. 20. quæſt. 3. in fine, ubi præterea loquens de Epiſcopis, qui Eccleſiæ clavibus potiuntur, nec non de indulgentiis, quas iidem earumdem virtute clavium vivis conferunt, negat eos poſſe indulgentias, ſeu (ut olim vocabantur) relaxationes facere iis, qui alienæ diœceſis ſunt; quia licet eiſdem communicare poſſint Eccleſiæ theſaurum, ut religioſorum Prælati ſuorum Ordinum ſuffragia aliis ſibi non ſubditis communicare queunt; a pœnis tamen canonicis earumdem clavium virtute abſolvere nequeunt illos, qui ipſorum juriſdictioni ſubjecti non ſunt, ut ad Cantuarienſem Archiepiſcopum expreſſe ſcripſit Alexander III. can. *Quod autem conſuluiſti, de Pœnit. & remiſſ.* eam rationem afferens, *quod a non ſuo judice ligari nullus valeat, vel abſolvi*. Ex quibus confirmatur multo apertius, abſolvendi vim propriam clavium ac in indulgentiis exſertam, in iis ipſis, qui claves habent, exigi ob ſolas pœnas canonicas, quæ relaxantur; non autem ob applicationem theſauri, quam quidem non abſolutionem, ſed meram ſolutionem eſſe vidimus num. 16.

10. Ambroſ. l. 2. de Pœnit. c. 10. & in Luc. l. 7. n. 225. Hinc pœnitentes ſe populi Eccleſiam ingredientis precibus commendabant; & Hieronymus epiſt. 30. ad Oceanum: *Epiſcopi, Presbyterorum, & populi* preces pro pœnitentibus memorat, &c.

ratione totius Ecclesiæ, quoad satisfactionum applicationem & oblationem, Ecclesiasticæ auctoritatis & indulgentiarum præcipua vis est. Hinc Innocentius XI. in Bulla Jubilæi 11. Sept. 1681. ex eo præsertim efficacem Indulgentiæ effectum sperare se ait, *si ad privatas nostras totius Christiani populi*, ideſt totius Ecclesiæ, *orationes adjungantur*; & proprius in peccatorum remissionem hanc rationem profert Innocentius XII. in Bulla Jubilæi 17. Maii 1699. *Plenissima enim obtinetur peccatorum abolitio, quando una est Ecclesiæ totius oratio.* Hic nimirum earum orationum, quæ in indulgentiis injunguntur, finis est non minimus, immo forte etiam præcipuus, ut pro remissione peccatorum Christiani populi indulgentiam suscipientis tota oret Ecclesia; sicque verum fit, quod multi veteres tradidere allegati n. 19. ex quibus non immerito P. Lupus scripsit in tract. de Indulgentiis cap. 7. quod quum summus Pontifex indulgentias indicit, totum universæ Ecclesiæ *corpus per Apostolicas claves invocatum jam pro nobis peccatoribus postulat a Christo Domino ac ejus Patre Deo, quod olim designati martyres pro lapsis per indulgentiales libellos ab Episcopis postulabant.* Quamquam, ut proprius loquamur, olim quoque Ecclesia per Episcopos suscipiens libellos Martyrum, eorum satisfactiones offerebat Deo, sicuti nunc omnium Sanctorum & Christi merita in indulgentiis Deo offert atque commendat: quæ preces Ecclesiæ quum Deo acceptiores multo sint, quam quæcumque privatæ; harum indulgentiarum effectus ex hac Ecclesiæ auctoritate est multo efficacior. At quemadmodum *secundum pœnitentiam & opera* satisfactiones Martyrum ab Ecclesia licet oblatas magis vel minus prodesse lapsis olim existimatum fuit; ita & nunc credendum est de nostris indulgentiis, quæ non aliam, sed eamdem veterum naturam ex Tridentino sortiuntur. Igitur ut Ecclesiæ auctoritas sarta tectaque sit, satis est, indulgentias precibus ejus commendatas dignis proficere, non vero oportet illas æque proficere magis & minus dignis, quod æquitati (ut Auctori nostro visum est) nequaquam congruit. Id sane vis precum, quibus satisfactiones Sanctorum & Christi offeruntur Deo, minime postulat, nisi certa Dei promissio in hanc rem afferatur, quam nullibi invenies.

Vide num. 21.

25. Quod si claves Ecclesiæ in ipsa satisfactionum applicatione majori ac efficaciori vi exseri velis, ac illa, quam simplex oblatio & impetratio exserit, vi scilicet quadam absoluta ac ferme *ex opere operato*, ut scholæ loquuntur, qualis in sacramentis exseritur; idipsum consequetur. Neque injuriosum indulgentiis erit, si earum virtutem in remissione temporalis pœnæ peccatis remissis debitæ non majorem adstruamus, quam sit virtus sacramentorum pœnitentiæ, extremæ unctionis &c. in quibus eadem pœna non tam *ex opere operantis*, quam *ex opere operato* remittitur. Applicantur in his sacramentis peculiari modo merita Christi in satisfactionem, ac ex ipsa institutione Christi certa promissione infallibilique effectu applicantur; nec tamen infinita licet merita infinitæ satisfactionis vim continentia, applicantur nisi finite, ut ajunt, nec æqualiter omnibus non indignis, sed aliis plus, aliis minus pro dispositione majori, vel minori, ut ex Tridentino colligi potest: unde & Antoninus loquens de virtute sacramenti pœnitentiæ in remissionem pœnæ temporalis, *Virtute clavium*, inquit, *diminuitur & de pœna debita temporali plus & minus, secundum quantitatem contritionis & laboris & prius opere injuncto satisfactionis.* Quid majorem effectum eisdem Christi satisfactionibus tribuamus in indulgentiis, ut per has æque inæqualibus prosint, quæ per Sacramenta non æque prosunt? Num Christus in temporalis pœnæ remissionem id Ecclesiæ dedit, ut plus virtutis traderet in indulgentiis, quam [11] sacramentis ipse dandum judicavit? Immo vero quum Christus justissimis de causis a Tridentino memoratis sess. 14. cap. 8. totum pœnitentiæ & satisfactionis debitum remitti noluerit per sacramentum pœnitentiæ, uti per baptismum remittit; in indulgentiis autem eædem causæ concurrant; credibile non est majorem iis vim reliquisse. Hoc esset enervare disciplinam & spiritum pœnitentiæ, quod per indulgentias fieri non posse, Tridentina synodus definivit. Neque hinc quidquam adimitur efficaciæ indulgentiarum, sicut nec sacramentorum efficaciæ adimitur: multo minus autem præjudicium creatur potestati Episcoporum atque Pontificis, qui thesauri satisfactionum non domini, sed distributores constituti sunt. Quin si Dominus Jesus Christus in sacramentis pœnitentiæ extremæ unctionis &c. ita se distributorem præferre voluit, non Dominum, ut pro dispositione suscipientis suæ satisfactiones in remissionem prodessent (id quod rectæ distributionis proprium est, quatenus hæc a donatione distinguitur, ut in indulgentiarum quidem negotio Henricus Gandavensis observat) num Pontifici atque Episcopis, qui meri dispensatores sunt, aliam liberiorem & dispoticam facultatem in indulgentiis permisit, ut nullam rectæ dispensationis regulam servent? Id sane non persuasum fuit S. Bonaventuræ, qui

Part. 1. tit. 10. c. 2. §. 9. pag. 607. d.

quodlib. 15. quæst. 14.

Si etiam absoluta sit indulgentiarum vis, hæc tamen pro dispositionis modo operari videtur.

[11] *Mirum sane videri potest*, inquit Eusebius Amort p. 249. Part. 2. Hist. indulg. *si Deus nullius sacerdotis, aut Episcopi, nec summi Pontificis ratum habet judicium, in Sacramento pœnitentiæ imponentis notabiliter justo minorem pœnitentiam, ubi tamen potissimus est usus clavium ad thesaurum passionis Christi; & tamen idem Deus extra sacramentum tam amplam reliquisset jurisdictionem etiam laico juxta S. Thomam hic art. quæst. 2. cap. communicabilis potestatem, ut omnis pœna ex meritis Christi & Sanctorum etiam irrationabili dispensatione condonari posset.*

qui proinde in 4. dist. 20. quæst. 5. scripsit: *Dicendum, quod si Deus per se ipsum sic miseretur, ut semper velit tenere suam justitiam; multo fortius Dei Minister. Unde dispensatio bonorum Ecclesiæ discrete, & cum moderamine supplenda est; alioquin, nisi discrete fieret, Deus non acceptaret.* Et Cardinalis Cajetanus paritati sacramentorum insistens. *Dispensatio credita Petro, imitari debet dispensationem factam ab ipso Christo. Constat autem quod Christus* (in sacramentis) *eumdem thesaurum dispensat commensurate juxta concurrentes conditiones* &c. *Ergo ipsi Vicario commemoratam quoque applicationem dicti thesauri credita n esse rationabile est: & est tanto rationabilior, quanto actio sacramentalis eminentior est, & efficacior causa media est, quam actio jurisdictionalis, qua da nr indulgentia.* Quam rationem præsentiens Gersonius in tractatu de Oratione & ejus valore, non majorem indulgentiarum, quam Eucharistici sacramenti vim satisfactoriam credi posse putavit. *Credendum est, quod Eucharistiæ sacramentum continet in se plenitudinem gratiæ. Nihilominus quoad satisfactionem pro reatibus culparum constituit hoc sacramentum Deus in numero, pondere, & mensura, ita ut sit valoris finiti. Sic de Indulgentiis prout sunt satisfactoriæ.* Igitur illud Christi Lucæ 7. ℣. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit*, quod valet in sacramentis, in indulgentiis etiam valet, ut pro dispositionis mensura plus pœnæ remittatur, vel minus: quo referri possunt etiam illa apud S. Marcum cap. 4. ℣. 24. & 25. *Videte quid audiatis: in qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis: qui enim habet, dabitur illi:* & plus quidem habenti dabitur amplius, quam minus habenti, ut parabola quoque, Evangelica simili sententiæ præmissa apud Matthæum 25. & apud Lucam 29. mirifice confirmat.

lib. 1. tract. 15. quæst. 1. cap. 8.

CAPUT V.

Ratio, ut videtur, demonstrativa ex Antonino & aliis, ac ex ipsarum indulgentiarum natura affertur. Totum confirmatur testimoniis Pontificum. Formulæ Bullarum, quæ difficultatem movere solent, congrua interpretatione explicatæ. Dinstinguitur hæc ab alia strictiori sententia. Adhuc in vulgari opinione ostenditur non cessandum ab operibus pœnitentiæ.

26. HOc totum demonstrabit, ut mihi videtur, argumentum, quod Antoninus efficacissimum suggerit. Indulgentias supplere locum pœnitentiarum, quas ex canonibus subire deberemus, ita ut tantum ad delendum pœnæ debitum indulgentia prosit, quantum profuissent pœnitentiæ canonicæ, si exactæ fuissent, communis sententia est. *Qui lucratur indulgentiam viginti annorum*, inquit S. Auctor hac ipsa paragrapho, *tantum sibi valet ad remissionem pœnæ pro peccatis suis, quantum illi valuissent viginti anni in pœnitentia injuncti, si illis viginti annis pœnituisset*: & si niliter post pauca indulgentiæ unius anni hunc sensum exhibet: *Tanto minus punieris in purgatorio, quantum esset, si uno anno continue egisses pœnitentiam.* Atqui illi ipsi anni canonicæ pœnitentiæ numquid æque valuissent omnibus ad satisfactionem æqualem sive magis sive minus devotis atque ferventibus? Nullo modo. *Pœnitentia*, subdit ibidem Auctor, *quanto fit in majori caritate, tanto est magis satisfactoria.* Eadem ergo ratione indulgentiæ, quæ pœnitentiis ejusmodi earumque valori subrogantur, magis ad satisfactionem proficient, quo magis in caritate & majori cum fervore dispositioneque suscipientur; minus autem cum minori; & ita (inquit Auctor initio paragraphi) *sicut in mundo quadraginta dies pœnitentiæ plus valent uni perficienti cum majori devotione: quam valeant alteri: ita quadraginta dies indulgentiæ plus valent illi, qui cum majori caritate seu rei datæ quantitate accedit.* Similis est Innocentii IV. sententia in cap. *Quam ad, de pœnit. & remiss. Licet generaliter fiat indulgentia..... tamen unus plus alio habet intra metam a Prælato constitutam, secundum quod plus devotus est, plus laborat, vel majoribus periculis se exponit.* Et Innocentius V. in 4. Sent. dist. 20. quæst. 3. art. 1. iisdem fere verbis recitato postremo Antonini textu addit: *Valent ergo omnibus suscipientibus quadraginta dies indulgentiæ dati tantum, quantum valent eisdem quadraginta dies pœnitentiæ in præsenti, non tamen æqualiter omnibus, sicut nec quadraginta dies* (pœnitentiæ) *æqualiter valent omnibus. Secundum quod quilibet se magis disponit, plus valent ei: omnibus tamen valent, quantum videntur sonare, in genere.* Hæc ratio evidens omnino mihi videtur. Si enim indulgentiæ tantum debiti apud Deum remittunt, quantum remisissent canonicæ pœnitentiæ, quæ per indulgentias relaxantur, quibusque per applicationem thesauri satisfactionum suppletur, ut superius ostendimus: pœnitentiis autem canonicis, quas alter ferventius, remissius alter perageret, majus vel minus pœnæ debitum apud Deum pro majori vel minori dispositione ac fervore remissum fuisset: procul dubio indulgentiæ quoque pro dispositione majori, vel minori, qua quis indulgentiam pœnitentiæ canonicæ loco suscipit, plus minusque satisfactionis communicant.

Antonini argumentū efficax.

Part. 1. p. 601. c.

pag. 601. a.

Valet in indulgentiis partialibus. Ibidem a.

27. Neque putes aliter esse censendum de plenariis indulgentiis, quę totam pœnam peccatis debitã remittunt, ac de partialibus, quibus pœna ex. gr. quadraginta diebus pœnitentiæ delenda condonatur. In indulgentia enim universim sumta ex una parte sola canonica pœnitentia remittitur, qua quis pœnæ Deo pro peccatis debitæ satisfeciisset, uti statuimus

Item in plenariis.

mus n. 5. & 16. ex alia vero parte ne hanc ob remiſſionem homo detrimentum capiat, ſi debitum Deo ſolvendum in alia vita ſuperſit, ad reſarciendum hoc damnum tantum ſatiſfactionis ex theſauro Eccleſiæ applicatur, [12] quantum quis ſatiſfeciſſet ea canonica pœnitentia, quæ remiſſa fuit: quod ſi ex dictis ſuperiori numero verum eſt in partialibus indulgentiis; cur non æque in plenariis verum erit, quæ a partialibus non differunt, niſi, ut ajunt, ſecundum magis & minus? Hoc ergo diſcrimen inter partialem & plenariam indulgentiam intercedit, quod in partiali indulgentia pars tantum pœnitentiæ canonicæ remittatur, & pars item ſatiſfactionis eidem remiſſæ pœnitentiæ reſpondens communicetur modo dicto; in plenaria autem tota remittatur pœnitentia canonica, ac tanta applicetur ſatiſfactio, quanta toti canonicæ pœnitentiæ, ſi peracta fuiſſet, reſpondeat: ſicque tantum debitum pœnæ deleatur apud Deum, quantum quis ſive partiali, ſive plenaria pœnitentia deleſſet. Itaque eadem eſt partialis & plenariæ indulgentiæ ratio: ac propterea ſicut unus ferventius, remiſſius alter aliquam partem, vel totam canonicam pœnitentiam exſequutus, majus, vel minus pœnæ debitum apud Deum pro varia diſpoſitione deleſſet: ita pro majori vel minori, partialis vel plenariæ indulgentiæ ſuſcipiendæ diſpoſitione magis vel minus de ſatiſfactione canonicæ illi pœnitentiæ reſpondente participat.

Quanta veterum ac recentiorum auctoritas huic ſententiæ faveat.

28. Longum nimis eſſet, ſi vellem omnes & veteres & recentiores recitare, qui in hanc æquiſſimam ſententiam concurrentes, pro diſpoſitionis menſura indulgentiarum effectum metiendum contendunt. Adeat quicumque velit P. Euſebium Amort, qui indulgentiarum Hiſtoriam Romæ probatam noviſſime edidit: ibique inter Auctorum, quorum teſtimonia fuſe deſcribit, plures inveniet ejuſdem ſententiæ, & ex antiquis quidem pleroſque maximi nominis S. Raymundum, S. Bonaventuram, Innocentium, Paludanum, Ricardum de Mediavilla, Aſteſanum, Raynerium, Joannem Nider, Hadrianum, Dionyſium Cartuſianum &c. ex recentioribus vero non paucos inſignes, & nonnullos etiam minime rigidos, qui etſi indulgentias plurimum extulerint, in hanc tamen ſententiam æquitate ipſa rapti fuerunt, uti accidiſſe videtur eximio Suarez, qui part. 3. de pœnit. diſp. 50. ſect. 5. n. 16. ait: *Indulgentia non habet in omnibus æqualem fructum, ſed majorem in eo, qui meliori diſpoſitione illam lucratur. Quæ interpretatio conſentanea eſt optimæ providentiæ, ut fideles diligentius ſe ad indulgentias lucrandas præparent, eſtque ſatis apta ad rem totam explicandam.* Et Cardinalis Pallavicinus lib. 2. Hiſt. Concil. Trident. cap. 4. hanc ſententiam, magnis patronis defenſam agnoſcens, *rationabilem* fatetur, quam adverſus hæreticos catholicum de indulgentiis dogma impugnantes obtrudere catholice liceat; quod dictum volui, ne quidam puſilli ſententia vulgo obtinente abrepti, in hac, quam tutatus ſum, de errore ſuſpicentur. Pro hac eadem opinione ipſe P. Viva de Jubil. quæſt. 6. art. 5. allegat etiam Coninck, Layman, Cordubam omiſſos a P. Amort, qui eos ſolos, quos ipſemet legere potuit, deſcripſit; alioſque ego, ſi neceſſe eſſet, addere poſſem, ita ut hæc ſententia ab ipſa Theologorum atque Canoniſtarum auctoritate contrariæ nihil cedat. Sed quæ ex ipſa veterum indulgentiarum natura ex Sanctis Patribus delibavi, potiora eſſe debent iis, qui indulgentias noſtri temporis natura ab antiquis non diſcrepare cognoſcunt.

Accedit auctoritas Pontificia.

29. Neque alia ſane ſententia ipſis Romanis Pontificibus in recentioribus indulgentiis conferendis inſedit. Certe Bonifacius VIII. in celebri Bulla *Antiquorum*, quæ primi Jubilæi, ideſt pleniſſimæ indulgentiæ imaginem exhibet, hæc verba inſeruit: *Unuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius, & devotius frequentabit.* Ubi quid, rogo, eſt, *indulgentiam* ceteroqui plenariam *efficacius conſequetur*, qui Baſilicas *amplius*, nimirum pluries, & *devotius frequentabit*, niſi ex majori labore ac devotione majorem indulgentiæ efficaciam derivare, quam non ita efficaciter, hoc eſt non æque plenam, conſequatur, qui minori devotione ac labore utatur? *Mens Papæ eſt* (commentatur hunc locum Hadrianus VI. in 4. de clavibus concluſ. 2.) *quod, niſi ſufficienter devote viſitaverint, pleniſſimam indulgentiam non aſſequuntur, ſed infra ad proportionem devotæ viſitationis, & ſic ſemper, qui devotius & amplius viſitaverit, efficacius indulgentiam conſequatur.* Similiter Gelaſius II. in litteris apud

12 Id ſane univerſum præſumſiſſe videtur ipſe S. Thomas, qui indulgentiarum vim maxime extulit, quum in 4. Sent. diſt. 20. quæſt. 3. ad 4. *conſulendum* eſſe dixit *eis, qui indulgentiam conſequuntur, ne propter hanc ab operibus pœnitentiæ injunctis abſtineant.... præcipue quia quandoque plurium ſunt debitores, quam credunt.* Quum enim de iis palam loquatur, qui vere *conſequuntur indulgentiam*; quid eos ad pœnitentiam adhuc cohortandos putavit ea *præcipua* ratione, *quia quandoque plurium ſunt debitores, quam credunt:* niſi quod certum habuit non omne debitum deleri per indulgentiam, ſed illud tantum, quod canonica pœnitentia, quam indulgentia ſupplet, deletum fuiſſet; adeo ut ſi quando major pœna peccatis alicujus debeatur, quam quæ per canones injungitur (quo ſenſu a ſingulis timendum eſſe ait, ne *plurium ſint debitores, quam credunt*) huic non totum pœnæ debitum per indulgentiam ſoli pœnæ canonicæ ſive partiali, ſive totali reſpondentem deletum credi debeat: unde vel hac ex conſideratione adhuc poſt indulgentiam a pœnitentiæ operibus ceſſandum non eſſe jure ſuaſit? Congruentiorem hujus loci interpretationem excogitare non potui: quæ ſi probetur genuina, S. Thomæ in rem noſtram præſumtio exploratiſſima eſt.

apud Baronium ad an. 1118. num. 18. *pœnitentiarum ſuarum remiſſionem & indulgentiam concedit cooperantibus Cruciatæ ſecundum laborum ſuorum, & beneficiorum ſuorum Eccleſiæ impenſorum quantitatem*; & Alexander III. in Concilio Lateranenſi pro Cruciata an. 1179. cap. 27. pari formula injungit Epiſcopis, *ut ad eorum arbitrium ſecundum modum laboris major eis indulgentia tribuatur*; & Nicolaus IV. in Bulla Cruciatæ contra Turcas an. 1291. indulgentiam concedens iis, qui aliquid pro ſacri belli expenſis erogarent, affirmat quemque hanc indulgentiam lucraturum *juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum*; quæ eadem verba repetit Martinus V. in Bulla Cruciatæ contra Huſſitas 13. Aprilis an. 1421. Neque ſecus alii Pontifices ſenſerunt: quod qui de illis exiſtimant, eiſdem & eorum auctoritati male conſulunt. Sicut enim *infamare Martyrum dignitatem* ii a Cypriano dicebantur, qui ajebant, ipſorum mentem & voluntatem fuiſſe, ut lapſi promiſcue omnes ex ipſorum indulgentialibus libellis ab omni pœnitentiæ debito abſolverentur; ita injuriam poteſtati Eccleſiaſticæ creant, qui parem Pontificibus mentem in plenariis indulgentiis attribuunt. Sicut autem hocce con-
13 ſilium ab Epiſcopis & 13 Romana præſertim Eccleſia olim longiſſime abfuit; ita & nunc, ut memorati Pontificum textus declarant.

30. Quibus teſtimoniis ne contradicant formulæ, quæ Bullis inſertæ, *plenariam* indulgentiam, ac omnium peccatorum, ideſt pœnarum, remiſſionem proponunt ac pollicentur, non ita abſolute accipiendæ ſunt (quod vulgo fieri ſolet) ut ſine ulla, niſi injunctorum operum conditione, æque plenum omnibus effectum promittant. Per omnes in indulgentiis *rationabilis* requiritur cauſſa, ſine qua ipſarum vis dubia, & per multos etiam nulla. *Theſaurus, unde indulgentiæ dantur, non eſt in manu Pontificis, ut pro ſuo ſolo libitu, cui vult, donet efficaciter; ſed apud Deum reconditus eſt. Quando igitur Deus non probat, ſed apud Deum illicita eſt donatio; quomodo credendus eſt etiam ipſe donare, & quodammodo proferre ex theſauro ſuo ad verbum non recte æſtimantis Prælati?* Verba ſunt Petri Soti Theologi percelebris Concilii Tridentini, qui catholicum de indulgentiis dogma probe callebat. Ad cauſſam autem rationabilem plures referunt diſpoſitionem pœnitentium, quam ſane S. Cyprianus aliique veteres in indulgentiis potiſſimum ſpectabant, ut ſuperius vidimus. Hanc cauſſam, quæ a nobis pendet, præconcipere ac præſumere ſemper Romanos Pontifices, etſi non exprimant, diſerte affirmat S. Bonaventura in 4. diſt. 20. quæſt. 6. ita ut pro hujus cauſſæ ſeu diſpoſitionis quantitate indulgentiæ fructus communicetur. *Ille*, inquit, *qui dat indulgentias, quum eas tribuit, conſiderat cauſſam, pro qua reputat eum dignum tanta gratia; & ſecundum quod plus vel minus accedant homines ad illam cauſſam, plus vel minus participant de indulgentia, ut v. gr. ſtationes Romæ inſtitutæ ſunt, ubi ſunt indulgentiæ determinatæ. Hoc inſtituerunt SS. Patres propter peregrinos, qui veniebant de locis remotis, nec exiſtimaverunt eſſe dignum tantæ gratia eum, qui eſt natus juxta Eccleſiam, ſicut eum, qui per longam venit viam; unde nec tantam recipit indulgentiam, ſed aliquantam. Concedo igitur quod indulgentiæ, quantum ex parte dantis, tantum valent, quantum promittunt..... nec* tamen *æqualiter omnibus; ſed ſecundum exiſtimationem ejus, quam habuit vel habere debuit, qui indulgentiam fecit, quam non oportuit exprimere; quia omnes fideles debent illud in corde præſupponere, quod dona & miſerationes S. Spiritus donentur cum æquo libramine*. Hunc Seraphici Doctoris locum alii ſubinde Theologi exceperunt atque probarunt, inter quos Hadrianus VI. vel S. Thomam, qui adverſus videri poteſt, in eamdem ſententiam adducit. Præclare admodum celeberrimus S. Thomæ commentator Eſtius in 4. diſt. 20. §. 10. propoſita neceſſitate cauſſæ rationabilis & ſufficientis, quam in indulgentiis uti neceſſariam conditionem omnes efflagitant, *Cauſſam autem ſufficientem intelligimus*, inquit, *non tantum ex parte conferentis, verum etiam ex parte ſuſcipientis. Nam & in ſuſcipiente requiritur, ut aliquid faciat, quod aliquam habeat proportionem ad indulgentiæ conceſſæ quantitatem; alioquin non tantam percepturus indulgentiam, ſed minorem juxta proportionem operis. Hanc ſententiam tenent Albertus, Bonaventura, Richardus, Hadrianus VI. Cajetanus, Dominicus & Petrus a Soto; atque adeo eſt ſententia communis.* In indulgentiarum Bullis ſubauditur ſemper conditio, ſi *recipientes totius indulgentiæ ac remiſſionis digni, & idonee diſpoſiti ſint*: quam conditionem per illas voces *vere pœnitentes* ſatis indicari putant Cajetanus, Bartholomæus Fumus, & Valentinus Laurentius, quatenus *adverbio* vere *intelligitur, quod vis affectus pœnitentialis in pœnitente vigeat ſecundum veritatem, & non tantum per excluſionem contrarii; & ſic vere pœnitens hoc modo non poteſt eſſe, niſi ſollicitus ad ſatisfactionem per ſe ipſum*: ut loquitur Laurentius in opere, cui titulus *de Indulgentiis* Cracoviæ A. 1593. lib. 2. cap. 3.

31. Sed quid laboramus in Auctoribus, ſi ex ipſa Apoſtolica Sede commodiorem formularum, quæ aliquid negotii videntur faceſſere, interpretationem habemus? Quum Bonifacius VIII. qui in primo Jubilæo an. 1300. *plenam, largiorem*, & *pleniſſimam* indulgentiam dederat, rogatus fuiſſet, *quomodo iſta ſe compatiantur; dico*, inquit antiquus Gloſſagraphus, *Papam interpretatum fuiſſe, in Conſiſtorio me præſente, hanc indulgentiam adeo plenam, prout clavium poteſtas ſe extendit*; quod idem videtur ac dicere, *quantum*

ex

13 *Abſit enim ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere* &c. inquiebat Clerus Romanus epiſt. 31. ad Cyprianum.

De Formulis Bullarum conditionate accipiendis.

Cauſſa rationabilis in indulgentiis requiſita etiam ex parte recipientium.

Inſtruct. Sacerd. Lect. 2. de Indulg.

apud Amort de indulg. part. 2. pag. 64.

de Lapſis pag. 380. a.

in 4. de Clavib. quæſt. 2.

Conditio ſubaudita.

Cajet. tract. 10. de Indulg. q. 1. Fumus Summa Armilla v. Indulg. num. 43.

Formulæ Bullarum explicatæ.

ex parte dantis, ut explicavit S. Bonaventura loco paullo ante memorato: *Indulgentiæ, quantum ex parte dantis, tantum valent, quantum promittunt*, si recipientium dispositio totius effectus capax sit. *Plenæ* igitur ac *plenissimæ* indulgentiæ ex parte Ecclesiæ applicantur omnibus, quæ omnibus vellet æque proficere: quemadmodum & Christus æque plenus est omnibus, plenamque remissionem omnibus in sacramentis exhibet: atque ex ea plenitudine, *prout potestas clavium se extendit*, indulgentiæ sunt & vocantur *plenariæ*, licet omnibus æqualis fructus haudquaquam capacibus non æque plenum effectum conferant. *Plenæ enim dicuntur indulgentiæ*, ut notarunt iisdem fere verbis duo insignes Theologi Estius, & Sylvius, *quarum ea vis est, ut plenam is, qui sit præparatus, accipere queat remissionem peccatorum*. Quamquam & quoad effectum ac recipientes ipsos indulgentiæ ejusmodi *plenariæ* sunt suo modo, quatenus scilicet effectus, licet inæqualis pro inæquali recipientium dispositione, *plenus* tamen suo modo est, prout *quisque secundum dispositionem suam capere potest*, subdunt laudati Theologi; in eam scilicet rationem, quam in sacramentis omnes agnoscunt, in quibus Christus plenus in se, omnibus digne recipientibus plenam, quam ferre & capere possunt, gratiæ mensuram largitur; licet pro dispositionis varietate alii majorem, minorem alii referant. Quid? Non ne hac in sententia *quadraginta dies indulgentiæ* omnes lucrantur, qui tantum pœnæ per illam delent, quantum quadraginta diebus canonicæ pœnitentiæ deleissent, licet alius deleisset majorem, minorem alius pro fervoris varietate, sicut in pœnitentia canonica, ita in suscipienda indulgentia? Similiter ergo & *plenam* illi indulgentiam lucrari vere dicentur, qui tantum pœnæ deleant, quantum plena canonica pœnitentia deleissent (in hoc enim plenariam indulgentiam a partiali diferre vidimus n. 27.) etsi varia vasuum capacitas variam effectus plenitudinem tulerit. Ita etiam *indulgentiæ valent, sicut sonant*, vere scripsit Raynerius, *non tamen omnibus æqualiter sonant, sed secundum majorem Ecclesiæ utilitatem, & majorem fidei devotionem & fervorem*. Hæc autem interpretatio omnia probe conciliat, quippe quæ & Bullarum formulis idoneam significationem asserit, & consulit æquitati, disciplinamque pœnitentiæ, ut Tridentinum cavit, nequaquam evertit: incerta enim quum sit cujusque dispositio, incertum pariter cuique est, quantum sibi indulgentia profuerit, & num totam pœnam Deo debitam deleverit, ut S. Raymundus, Altisiodorensis, aliique notarunt: ac propterea elaborare omnes debemus in pœnitentiæ operibus & ante & post indulgentias, ante quidem, ad illas plenius lucrandas, postea vero, ut, si quid ex nobis ad plenam remissionem defuit, per subsequentem pœnitentiam resarciatur.

Est. Instit. 4. Dist. 20. §. 10. Sylv. q. 25. a. 2.

Vid. sup. n. 16.

Pantheol. V. Indulg. c. 1.

Vid. sup. n. 19.

32. Hanc vero sententiam, quæ pro dispositione susciptentiũ indulgentiarum fructum cuique vindicat, nemo cum illa confundat, qua indulgentias ii tantum lucrari traduntur, qui Deo satisfacere, quantum per ipsos licet, studeant, & satisfacere adhuc etiam imposterum volunt. Nititur quidem hæc opinio eo satis congruo, ut videtur, principio, quod qui per se potest satisfacere, & non satisfacit, indignus est, cui aliena satisfactio applicetur: nam *indignus est aliena ope, qui sibi non vult opitulari, quum possit*, inquit Navarrus in tractatu de Jubilæo & indulgentiis notabil. 21. ubi hoc argumentum luculentius urget. At hac ratione, si stricte accipiatur, indulgentiis locus non esset, nisi quatenus quis per se satisfacere non posset. Quum S. Joannes Apostolus prædoni superius memorato per modum indulgentiæ propriam satisfactionem communicavit, remisit eidem de satisfactione, quam ipse per se præstare potuisset: & similiter S. Cyprianus remitti posse probavit indulgentiis Martyrum aliquid de plena illa satisfactione, quam lapsi complere integram potuissent. Præterquam quod hæc sententia irritas & inanes fere reddit indulgentias, quippe quæ vel justis injuncta opera rite exsequentibus, si eo animo non sint, ut, quoad possint, satisfacere velint, nullum indulgentiarum fructum relinquit. Nobis, qui omnes ejusmodi dignos plenariam quoque indulgentiam plene lucrari, prout dispositio eorum fert, arbitramur, id arridere non potest, jureque hanc unam sententiam uti *singularem* haudquaquam probatam credimus a Benedicto XIV. ut ne tamen nostræ, quæ non singularis, sed communior, vel plurium ac præstantissimorum certe Scriptorum est, ut superius vidimus, succensuisse judicetur. Aliud enim est sollicite elaborandum esse in pœnitentia indulgentiæ tempore, ut plenior indulgentiæ fructus percipiatur; quod solum dicimus: aliud vero, quod si quis non ita sedulo laboret, quantum potest, de indulgentiæ fructu nihil recipiat; quod pernegamus. Sed forte ii Auctores conciliari ea ratione possunt, ut illud pœnitentiæ studium exigant ad indulgentiæ fructum pleniorem; non vero ut sine eo ferventiori pœnitentiæ studio ab omni indulgentiæ fructu homines ceteroqui justos & injuncta opera exsequentes excludant; sicque in nostram & aliorum quamplurium sententiam tandem recidunt, quæ pro dispositione pœnitentium indulgentiæ fructum metitur: solam enim illi sententiam, quæ plenum & æqualem indulgentiæ effectum omnibus sive desidibus, sive ferventioribus pollicetur, probare non potuerunt; facileque acquievissent sententiæ, qua *solvantur*, ut Cajetanus voluit, *omnes quæstiones tam de nimis largo Dei foro, quam de omittendis suffragiis pro plenariæ absolutis in morte, quam de admiratione sapientum, & de oblocutionibus detrahentium; & excitentur fideles ad pœnitentiæ opera*; quæ omnia & in nostra sententia commode componuntur.

Distinguitur superior ab alia strictiori sententia.

Notific. 12. tom. 3.

De indulg. tract. 10. quæst. 1.

tur. Hæc vero quibus probabilior videbitur ex iis, quæ hactenus diſceruimus; Chriſtianis adhuc poſt ſuſceptas indulgentias deeſſe non debere pœnitentiæ ſtudium cum Antonino æquiſſimum ac veriſſimum judicabunt: quod ſane unum ut demonſtrarem pro vindicanda Auctoris ſententia, hæc omnia dicenda fuerunt.

Adhuc in vulgari ſententia non ceſſandum a pœnitentia.

33. Ceterum ſiquis aliam, quæ vulgo magis obtinet, opinionem propugnare malit; a pœnitentia adhuc abſtinendum non eſt, non eo ſolum nomine quod hæc & ad medicinam præteritorum vulnerum & ad impediendos novos lapſus efficaciſſima eſt, ſed ex eo etiam quod certi eſſe non poſſumus, num indulgentiam lucrati ſimus. Quam in rem concludam hanc Prælectionem verbis Benedicti XIV. nunc feliciter regnantis ex notific. 12. Tom. 3. *Crediamo però*, inquit, *ciò non oſtante eſſer bene il conſigliare quelli, che ſono alla noſtra cura commeſſi, ed invitarli ad aggiungere alle opere ingiunte altre opere buone, ed a fare altri degni frutti di penitenza, colla dottrina del Cardinal Bellarmino al luogo citato* cap. 12. §. Ad tertium, *ove così dice*: „ Accipiunt prudentes Chri„ ſtiani Pontificias indulgentias, ut ſimul „ etiam ſtudeant dignos pœnitentiæ fructus „ facere, ac pro ſuis peccatis Domino ſatis„ facere: *La quale ſpiega il Cardinal Pallavicino nel. cit. cap.* 12., *ove ragionando dell' uſo dell' indulgenze così parla*: „ Ne per eſſo „ rendonſi neghittoſi i Chriſtiani in ſodis„ fare a Dio con altri uffizj di pietà per „ le colpe commeſſe: avvegnachè, rimanen„ do ſempre agli Vomini incerto, ſe l' in„ dulgenza ſiaſi effettivamente acquiſtata, „ rimane in molti lo ſtimolo di aſſicurar„ ſi con ſempre novella induſtria d' ope„ re ſalutari e penali; e d' altra parte le in„ giunte per conſeguir l' Indulgenza, coll' „ eſercizio loro accreſcono la divozione, e „ inducono l' abito a farne delle ſomiglian„ ti: del che veggiamo la ſperienza quoti„ diana. „ Hactenus ex Benedicto XIV. Cui conſiderationi, ad excitandum pœnitentiæ ſtudium in iis quoque, qui indulgentiam ſe conſequutos credunt, S. Thomæ rationem a nobis expoſitam not. 12. addere juverit.

ADNOTATIONES ADDENDÆ

IN PARTEM II.

Pag. LXXXV. num. 2. *in fine poſt verba* dono remiſiſſet. Huic autem avaritiæ ut frenum fortius imponeret Benedictus XIV. Apoſtolicis litteris ad omnes Epiſcopos datis die 30. Junii an. 1741. ſanxit, *quemcumque, qui eleemoſynas ſeu ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis, quemadmodum locorum conſuetudines, vel ſynodalia ſtatuta exigunt, colligens, Miſſas, retenta ſibi parte earumdem eleemoſynarum ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi pro Miſſis celebrandis minora ſtipendia, ſeu eleemoſynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem ſeu Sæcularem, præter alias arbitrio veſtro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam, Clericum vero, ſive quemcumque Sacerdotem pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrere; a quibus nullus per aliam, quam per nos ipſos ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi non poſſit.*

Pag. 64. *not.* 12. *in fine addatur.* Poſſet tamen in hac ipſa dote ſimonia intervenire, ſi ea ob ingreſſum in religionem, aut ob alias cauſſas incongruas, non vero ob ſimplicem eleemoſynæ taxationem in ſuſtentationis neceſſitatem exigeretur, ut notavit Benedictus XIV. ex duobus decretis Congregationis Concilii; ex quibus etiam obſervat, dotem ejuſmodi in ſolius neceſſariæ ſuſtentationis ſubſidium permiſſa, atque taxata, citra ſimoniam poſſe exigi a monaſteriis pauperibus, quæ neceſſaria ſuppeditare nequeunt, non vero ab opulentis ſatiſque proviſis, quæ eam neceſſitatem allegare non poſſunt. Sanctiſſimi Patris verba omnino recitanda ſunt ex tom. 2. Notif. 9. n. 28. *Della dote, che ſi paga dai parenti di quella, che fa la profeſſione, ſi cerca fra i Dottori, ſe il pagamento di eſſa ſia ſimoniaco. Ne fu interpellata la Sacra Congregazione del Concilio da alcuni Veſcovi della Fiandra ai* 18. *d'Ottobre del* 1683. *come ſi vede nel l.* 33. *de' Decreti; e nel tempo ch' eravamo Segretario della medeſima in una cauſa di queſta noſtra Città di Bologna ai* 14. *d' Agoſto del* 1725. *e la riſpoſta fu conforme alla più commune opinione, che dandoſi la dote come prezzo dell' ingreſſo nella Religione, ſiavi il vizio della ſimonia, o ſia il moniſtero ricco, o ſia povero; ma dandoſi la dote per cauſa degli alimenti, che la monicanda dee ricevere dal moniſtero, finchè vive, non vi ſia nel patto, o nel pagamento veruna ſimonia, ſe il moniſtero è povero; il che poi non ſuccederebbe, ſe il moniſtero foſſe ricco.* Vide tom. 3. Theſauri reſolutionum Congregationis Concilii noviſſime editi p. 155. ubi tamen die 3. Aprilis an. 1725. memorata declaratio in cauſſa Bononienſi deſcribitur.

Pag. 145. *not.* 2. *adde item in fine.* Dixi *ſiquidem nec de uſura merces detur*, quod valet, ſi in uſura non transferatur dominium, ſicut nec in rapina tranſfertur. At hac de re vide not. 6. in caput præcedens.

Pag. 692. *not.* 1. *in fine.* Immo noviſſime Benedictus XIV. omnem juriſdictionem in complicem ejuſmodi cuilibet ſacerdoti complici abſtulit præterquam in articulo mortis, ſi alius ſacerdos deſit, ita ut ea nec Jubilæi, aut Cruciatæ occaſione tradita intelligatur: & illum, qui ſecus fecerit, excommunicatione Apoſtolicæ Sedi reſervata ipſo facto irretitum pronuntiat in Conſtitutione 1. Junii an. 1741.

Pag. 693. *not.* 2. *in fine.* Hæc poſtquam ſcripta fuerunt, Benedictus XIV. Conſtitutionem edidit die 4. Ianuar. an. 1742. qua omnes facultates quibuſcumque conceſſas ingrediendi, aut permittendi ingreſſum in clauſuram Monialium abrogat, quocumque privilegio ac forma traditæ fuerint, & facultatibus ejuſmodi *ſive pro ſe, ſive pro aliis temere uti audentem*, pœnis & cenſuris Apoſtolicæ Sedi reſervatis ipſo facto incurrendis multat. Non omittenda alia Conſtitutio ejuſdem Pontificis eodem die & anno edita ſuper clauſura Regularium, qua iiſdem pœnis vetat, quaſlibet mulieres intra monaſteriorum clauſtra, ſepta, cœnacula, cubicula, aliaſque officinas aut admitti, aut recipi, etiam cujuſcumque ſupplicationis, devotionis, ac indulgentiæ prætextu; & omnes licentias ac facultates quomodocumque & quibuſcumque conceſſas irritas declarat, utenteſque iiſdem, pœnas & cenſuras reſervatas ipſo facto incurrere declarat.

Pag. 764. *not.* 12. *in fine.* Id tandem ne dubium amplius ſit, duabus Apoſtolicis ad univerſos Epiſcopos litteris Benedictus XIV. effecit. Priores die 13. Maii an. 1741. datæ fuerunt, quibus jejunium ſeu unicam comeſtionem ab iis ſervandam declaratum fuit, qui juſta de cauſſa diſpenſationem a carnibus obtinent, ut tamen jejunium ſervare ſimul poſſint. His vero litteris pro ingenio liberius interpretandis quum quidam non defuiſſent, alteræ litteræ ſubſecutæ fue-

runt

runt die 22. Auguſti anni ejuſdem, quibus idem jejunii præceptum apertius declaratum atque confirmatum fuit, ut dubitare amplius non liceat. Monitum porro, ne facilis diſpenſatio concedatur, ac *utriuſque medici conſilium* debere concurrere, ac requiri decernitur. Quum vero præter jejunium utriſque in litteris cautum ſit, ne *licitis & interdictis epulis promiſcue* utantur, qui diſpenſationem memoratam conſecuti ſunt; dubium nonnullis incidit, num diſpenſati ab eſu ovorum eadem lege teneantur, ita ut cum ovis piſces edere ſimul nequeant. Sed hoc rigidius viſum eſt iis, qui conſiderarunt, hanc cautionem *referri quidem ad carnium, non vero ad ovorum etiam & lacticiniorum cum piſcibus, aliiſque licitis jejunii tempore epulis uſum*; ut optime monet Cardinalis Quirinus in litteris ea ſuper re ad Vicarios foraneos, Parochos, & Confeſſarios Brixienſes datis Romæ die 15. Febr. an. 1742. *Namque*, addit, *omnibus patet, quemadmodum in noſtra, ita in aliis quoque regionibus, ovorum & lacticiniorum uſum licite ex vi ſolummodo conſuetudinis adhiberi in quattuor anni Temporibus & in Vigiliis pariter; ac proinde illa non ita pro interdictis epulis habenda eſſe diebus jejunii*, iis ſcilicet, quibus ova & lacticinia permittuntur, *ac carnes habentur*. Hinc ſicuti per ſe carnes cum epulis alias licitis jejunii tempore apponendæ non ſunt; ita quibus uſus carnium licet, ovorum & piſcium uſus illicitus habendus eſt, *quod nefas ſit ex ea communione ſeu gulæ irritamenta, ſeu menſarum lautitiam procurare*: niſi forte quiſpiam, cujus ſtomacho ſatis foret de utriuſque medici conſilio pulmentum in jure coctum aut quid ſimile deguſtare, non gulæ, nec lautitiæ, ſed pœnitentiæ cauſſa ovis, & lacticiniis, aut piſcibus in reliquo prandio utatur, ut ſervet communem illam abſtinentiam, quam valetudinis ſuæ ſtatus minime refugit: *cenſendum eſt enim*, inquit idem Cardinalis, *dimidiatam hanc pro cujuſque viribus temperantiam, dum a Chriſtiana pietate & abſtinentiæ ipſius amore ortum trahat, potius eſſe laudandam. At quoniam facile contingere poteſt, vitium illud ſeu gulæ, ſeu lautioris victus, Chriſtianæ pietatis nomine velari; diſpenſatos omnes monemus, ut hac in re conſcientiæ ſuæ ſerio conſulant, id præterea caventes, ne quod licite ab ipſis peragitur, aliis occaſionem præbeat in variis illis miſtiſque epulis delicias ac voluptates conſectandi, omni quidem tempore a ſanctis Chriſtianæ religionis moribus abſonas, ſed eo potiſſimum, quo ad avertenda divinæ iracundiæ flagella Eccleſia populum ſuum ab eſcis carnalibus abſtinere præcipiens, auſteriorem carnis macerationem expiandis culpis, quibus in reliquo anno humana obnoxia fragilitas fuit, ex Apoſtolico inſtituto decrevit*. Hæc autem omnia eo certiora haberi debent, quod ſe de his *confidentius ſcribere* Cardinalis affirmet poſt trium menſium moram in Urbe, uti ad pedes Sanctiſſimi identidem admiſſus, *inde*, inquit, *auribus noſtris percipere valuimus ſanctioris doctrinæ documenta*.

Pag. 1223. *not.* 18. *in fine addatur*. Quin vota impuberum circa materiam, quæ patriæ poteſtati non ſubeſt, quæque proinde patriæ poteſtati nihil præjudicii creant, ita impuberibus libera ſunt, ut ſi ex defectu rationis non ſint nulla, ſed perfecta, nulla irritatione parentum irritari ſeu retractari queant. Unde enim retractandi jus parentibus vindicetur in materia, quæ eorum patriæ poteſtati non ſubeſt? Id palam fluit ex illo S. Thomæ principio 2. 2. quæſt. 85. art. 8. *Votum eſt promiſſio quædam Deo facta. Nullus autem poteſt per promiſſionem ſe firmiter obligare ad id, quod eſt in poteſtate alterius, ſed* (nota) *ſolum ad id, quod eſt omnino in ſua poteſtate*. Ita votum virginitatis ex. gr. ab impubere editum cum ſufficienti rationis uſu, quum ſit rei, *quæ eſt omnino in ſua poteſtate*, non autem parentum, qui nec ad matrimonium, nec ad celibatum cogere filios poſſunt; ex S. Thomæ doctrina *firmiter* obligabit, nec a parentibus irritari poterit, ita ut filius jam puber matrimonium ſine juſta diſpenſatione nonniſi illicite initurus ſit. Id plane conſonum eſt Auctoris menti, nec non Paludani, & ejuſdem S. Thomæ, quorum ſententiam Auctor hoc loco allegat, & approbat. Si enim hi de religionis voto loquentes, quod ante pubertatis annos aliquo modo in patriam poteſtatem cadit, adeo ut poſſint parentes impuberem puellam religionem (uti tum accidere poterat) ingreſſam e monaſterio revocare ex can. *Puella* 20. q. 2. ſi, inquam, hi de ejuſmodi voto loquentes definiunt, ejuſmodi puellam poſt retractatum ad-

huc votum, jam puberem teneri monaſterium intrare, ut voto ſatisfaciat; *quia ex quo habuit uſum perfectum liberi arbitrii, quoad Deum eſt obligata*, & poſt pubertatem ea in re patriæ poteſtati ſubjecta amplius non eſt: cenſent utique votum illud, quamtumvis irritatum, coram Deo obligare, non ut illi ſatisfieri debeat ante pubertatem, quum illa hac in re patriæ poteſtati ſubeſt, ſed ut eidem ſatisfiat, quum primum licebit, ideſt quando poſt pubertatem eadem in re patria poteſtas nihil poterit: quod ſane faciendum non eſſet, ſi ea parentum irritatio in voto impuberis ipſum votum abſolute ſuſtuliſſet. Solum ergo iidem Auctores cenſuere, irritationem ejuſmodi definitam & limitatam vim habere in religionis voto, quamdiu patriæ poteſtati præjudicio eſt; non autem ulterius. Hinc ergo alia impuberum vota, ut ſimplicis caſtitatis, quæ patriam poteſtatem nihil lædunt, irritari ab iiſdem nequeunt; & obligare utique cenſenda ſunt, non ſolum ut poſt pubertatem ſervanda ſit caſtitas, ſed etiam ante, peccatumque ſit non tam contra caſtitatem, quam contra votum, ſi quis vel impubes eo voto ligatus contra caſtitatem peccet.

IN PARTEM III.

PAg. 37. *not.* 1. *in fine hæc adjiciantur*. Inſuper ex eodem Tridentino nullum jam eſt ejuſmodi impedimentum, *ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt*. Ex matrimonio autem rato quamvis nullo, quum circa ſola ſponſalia Tridentinum correxerit antiquum jus, publicæ juſtitiæ impedimentum oritur, & ad quartum etiam gradum uſque protenditur, ut in veteri jure cautum fuerat: quemadmodum probat Fagnanus in cap. *ad Audientiam, de Sponſalibus*, & ſtatuitur etiam Tom. 1. Theſauri Reſolutionum Sacræ Congregationis Concilii Proſpero Lambertinio a Secretis pag. 241.

Pag. 62. *not.* 8. *in fine*. Conferenda hoc loco ſunt, quæ in hanc rem edixit Benedictus XIV. in Apoſtolicis litteris ad omnes Epiſcopos diei 17. Nov. 1741. ubi etiam regulas optimas ſanxit pro matrimoniis, quæ *Conſcientiæ* appellantur.

Pag. 96. *Ad titulum cap.* 21. *verbo* diſſolutione *hæc ſubjicienda adnotatio eſt*. Circa judicia vero, quibus de nullitate matrimonii agitur, videnda etiam atque etiam ſunt, quæ præſcribuntur in noviſſima Conſtitutione Benedicti XIV. 3. Nonas Nov. an. 1741. ubi ad impediendas faciles & nonnumquam etiam fraudulentas matrimoniorum ſolutiones, quemdam ordinem in judiciis id genus omnino ſervandum ille præfinit, duaſque conformes ſententias efflagitat, ſine quibus matrimonium legitime diſſolutum haberi non poſſit.

Pag. 624. *lin.* 28. *ad verba* niſi populum habeat ſibi commiſſum, *hæc adnotentur*. Sermo heic eſt de paſtore, qui populo celebrare debet. Neque ſolum materiali præſentia debet eidem celebrare, ut miſſam diebus feſtis audire poſſit, ſed pro ipſo debet miſſam iiſdem diebus applicare, ut ex decreto Tridentini ſeſſ. 23. c. 1. diſerte declaravit Innocentius XI. in Apoſtolicis litteris diei 24. Aprilis an. 1699. quæ plures conſtantes declarationes ſacræ Congregationis Concilii probarunt, & leguntur Tom. 9. Bullarii edit. Romanæ pag. 501. Latius hac de re agit etiam Benedictus XIV. Tom. 1. Notific. 10. ubi præterea notat id Romæ adeo certum & evidens haberi, ut nulla vel paupertatis & incongruæ ſuſtentationis excuſatione admiſſa, ejuſmodi dubia proponi amplius vetitum ſit, & in examine ſive pro ordinibus, ſive pro confeſſionibus, ſive pro cura animarum, ille rejiciatur, qui parochum ad ejuſmodi miſſarum applicationem haud quaquam teneri probabile dixerit. Solum in caſu neceſſitatis pro iis parochis, qui minus congrua ſuſtentatione a locorum Dominis proviſi, nihil a populo ipſo acciperent, uti accidit in nonnullis caſtris Oſtienſis diœceſis, de quibus hac peculiari de cauſſa interrogavit Congregationem Cardinalis & Epiſcopus Tanarus, Congregatio die 29. Jan. an. 1724. reſpondit *teneri*, & *ad mentem: mens autem fuit*, inquit Lambertinius, qui tum erat a ſecretis, *quod ſi aliquo die feſto iiſdem pauperibus curatis aliqua eleemoſyna pro miſſa eo die celebranda offerretur, hi non privarent populum ſacrificio miſſæ, at pro benefactore applicarent, dummodo aliquo die feriato ejuſdem hebdomadæ aliud ſacrificium pro populo offerrent in ejus locum, quod die feſto celebrandum fuerat*. Hæc maxima

xima indulgentia, quam Congregatio in iis angustiis permisit. Dubitant nonnulli, an parochi, qui pinguiores reditus habent, singulis diebus pro populo applicare missas debeant. At dubium *negative* diremit eadem sacra Congregatio die 8. Febr. an. 1716. apud eumdem; & ratio forte est, quod sicut non omnibus diebus tenetur parochus missas dicere, sic nec omnibus diebus applicare tenetur. Diebus itaque dominicis & festis omnes teneri sive pauperes, sive divites certum est, unde in Instructione pro relatione in visitandis sacris liminibus a quovis Episcopo præstanda illud referendum præcipitur, *an singuli parochi ceterique curam animarum exercentes, singulis dominicis festisque de præcepto missam applicent pro populo eorum curæ commisso*: adeo hoc præceptum Romanæ Ecclesiæ certum est, Episcopisque singulis curæ esse debet, uti cordi fuit Lambertinio, dum Bononiensi cathedræ insideret; qui proinde in visitationibus de eo inquirebat diligenter, doluitque, mirum id visum fuisse nonnullis, qui contraria opinione abrepti, huic temere fidebant, inanibusque cavillationibus se se ab evidenti præcepto subducere conabantur. Vide Tom. 5. notific. 19.

Pag. 764. *not.* 2. *in fine*. Omittendum tamen nullo modo videtur, illud per omnes certum esse oportere, attritionem naturalem, tametsi honestam, ad sacramenti valorem non sufficere, damnata per Innocentium XI. propos. 57. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Ratio est evidens ex Tridentino, quod quum cap. 4. sess. 14. declaravit neminem sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque adjutorio pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; tum vero non aliam attritionem disponere ad gratiam pronuntiavit, nisi quæ sit *Dei donum*, & *Spiritus sancti impulsus*: quæ omnia *supernaturalem* timorē necessarium designant. Romæ etiam reprobatur dolor, qui Deum non respiciat: unde in examine Episcoporum rejiciuntur, qui admittunt sufficere *dolorem ex gehennæ metu ortum sine ullo respectu ad Deum, quem plures Ecclesiæ particulares jam damnarunt ut omnino insufficientem*, inquit examinator Apostolicus P. Franciscus M. Campioni Congregationis Matris Dei in *Instructione pro se præparantibus ad Confessiones audiendas* part. 1. cap. 13. num. 3. idemque in *Instructione Cleri* cap. 10. n. 24. hunc respectum ad Deum, seu ad Dei offensam aliquem amorem involvere existimat, quod nemo de offensa Deo illata vere dolere (ut ad reconciliationem omnino exigi videtur) intelligi possit, quin Deum ipsum amare incipiat.

Pag. 786. *not.* 14. *in fine tota deleatur, pro qua hæc supponantur.* Observanda heic est reservatio Apostolica, de qua vide not. 1. in c. 8. tit. 5. part. 2.

Pag. 789. *not.* 19. *in fine*. Hæc quum edita fuissent, in manus meas venit rarum opus *De inconstantia in fide* Cardinalis Albitii, qui postquam cap. 18. num. 39. memoravit recitatam declarationem Congregationis, a Fagnano allegatam etiam in *repetit.* cap. *Quoniam, de Constit.* num. 28. ubi ex communi veterum, & Antonini sententia eam a Cardinalibus editam prodit, cujus potissimum declarationis auctoritate multi in hanc sententiam transiere; hæc paucis nota maximeque observanda subjicit p. 103. *Sed licet maxima cum diligentia fuerint requisiti libri & registra Decretorum Congregationis S. Concilii Tridentini, dicta declaratio reperiri non potuit. Dicendum est ergo, quod declaratio prædicta facta non fuerit, vel, si facta, fuerit a prædictis libris expuncta tamquam contraria communi opinioni doctorum Theologorum, qui post Concilium* (Tridentinum) *scripserunt*. Dein hoc factum, & Innocentii XI. præceptum ea occasione prolatum refert. *Et novi etiam, quod de an. 1682. tempore Pontificatus SS. D. N. Innocentii XI. fuerit in sacra Congregatione S. Officii super ista opinione disceptatum: & quum aliqui ex Cardinalibus opinionem S. Thomæ* (hunc cum Antonino aliisque veteribus sequuta Congregatio Concilii traditur a Fagnano loco allegato) *sequerentur; fuit ad trutinam revocata. Relata re ad Sanctissimum, Sanctitas sua pro sua prudentia jussit, ne super dicta opinione disceptaretur, neque in dubium amplius revocaretur, prout mihi asseruit R. P. D. Piazza Assessor S. Officii.* Quæ ad opinionem communem post Concilium, non autem ad opinionem S. Thomæ apud antiquos communem referri videntur.

Pag. 790. *lin.* 49. *ad illa verba*, etiamsi confessio

fuisset ficta, *hæc adnotatio subjiciatur*. Certum est, eum, qui confessus est *ficte*, a culpa absolutum non fuisse, non solum si ex culpa, verum etiam si absque culpa ad confessionem fictus accesserit: is enim *ficte* confessus intelligitur, qui non sufficienter dispositus confessionis sacramentum percepit, quod quandoque cum peccato, quandoque vero sine culpa saltem gravi accidere potest, ut in eo, qui sufficientem dolorem post idoneam, ut sibi videbatur, diligentiam se edidisse credidit, quum revera sufficiens non fuit. Itaque si hæc fictio detegatur, confessionem ejusmodi iterandam esse, ut culpa absolutione sacramentali remittatur, quæ antea remissa per absolutionem non fuit, omnes jam sentiunt. At num absolutione illa priori in *fictum* pronuntiata a superiore legitimo sublata fuerit reservatio alicujus casus, vel censuræ, ita ut pœnitens fictione remota apud quemlibet approbatum, qui in eum casum vel censuram jurisdictionem non habet, confiteri & absolvi queat, plures dubitant. Certe quod Paludanus apud Auctorem hoc loco affirmat, verum esse nequit de iis *ficte* confessis, qui ex gravi culpa ad confessionem ficti accesserunt, si præsertim hæc culpa confessionem efficiat, ut videtur, sacrilegam, aut saltem *voluntarie nullam*, qua sicut non satisfit Ecclesiæ præcepto de confessione annua ex decreto Alexandri VII. damnante prop. 14. ita nec reservationis debito satisfactum credi debet, quum potissimum incredibile sit, Ecclesiam tantæ culpæ voluisse ac velle favorem præstare. Sola difficultas esse potest in iis, qui sine ulla culpa, vel cum levi tantum *ficti*, seu non satis dispositi hocce sacramentum suscepere. In his quoque reservationem & censuram tolli negant quidam etiam benigni apud P. Vivam de Jubilæo quæst. 11. art. 6. n. 1. affirmant alii. Ego vero, quum fermo sit de iis, qui post adhibitam sufficientem, ut sibi videbatur, diligentiam, ita se se dispositos putant, ut de dispositionis defectu non suspicentur, nec dubitare fortassis prudenter possint; non video, qui obligari queant ad confessionem reipsa iterandam; quidquid sit, num reservatio & censura per confessionem hujusmodi fictam sublata fuerit, nec ne.

Pag. 1112. *not.* 21. *in fine*. Simili de causa quicumque Regulares eo sunt privilegio donati, ut ab omnibus casibus Apostolicæ sedi reservatis absolvere possint; ab iis tamen casibus nequeunt absolvere, qui ita reservati sunt, ut omnes privilegiatos excludant: unde non soli casus Bullæ cœnæ, vel alii quinque excepti in decreto Clementis VIII. an. 1601. a Regularibus *intra Italiam extra Urbem* absolvi non possunt, sed nec illi, qui posterioribus Bullis, privilegiis derogatis, reservati fuerunt. Immo insignes Theologi affirmant, privilegia Regularium ad eos casus non posse extendi, qui Majori Pœnitentiario prohibiti sunt: quum incredibile sit, Regulares innumeros posse, quod Major Pœnitentiarius tam speciali auctoritate donatus non potest. Adde etiam, quod a reliquis item casibus Apostolicæ Sedi reservatis nullus Regularis *intra Italiam* potest absolvere, ex alio decreto jussu Urbani VIII. edito 17. Nov. 1628. ubi hæc facultas solis Regularibus privilegiatis *extra Italiam* permittitur, ut probat Card. de Lauræa de pœnit. disp. 19. n. 360. Tandem ex Bulla Clementis XII. 12. Febr. 1732. tom. 13. Bullar. edit. Rom. p. 215. abrogatæ fuerunt omnes facultates quibusvis etiam Regularibus antea a Pontificibus concessæ *vivæ vocis oraculo, seu per rescripta propria illorum, aut de eorum mandato*; & inter has secunda est facultas absolvendi a casibus quoquo modo Apostolicæ sedi reservatis: ut omittam ablatas etiam alias facultates dispensandi a votis, ab irregularitate, impedimentis matrimonii occultis &c. Alia forte decreta alias restrictiones fecerunt; neque enim omnia quærere consilium fuit. Caute itaque agendum a Regularibus, ne forte utantur facultatibus, quæ abrogatæ fuerunt.

Pag. 1304. *not.* 1. *in fine*. Negari tamen non potest, quin sæpius *mortis periculum pro articulo* promiscue accipiatur, ut ex ipso Rituali Romano patet: illudque periculum pro *articulo* mortis, in quo cuique simplici sacerdoti, approbato defficiente, liceat confessionem accipere, accipiendum creditur, quum quis in eo est, ut mors ejus verisimiliter timeatur, antequam confessarius approbatus accedat.

Pag. 1322. *lin.* 4. *in ea verba* impetratas litteras *notetur*. Videnda in hoc novissima Constitutio Benedicti XIV. 25. Febr. 1742. ubi Expeditores Romanos, aliosque pro Falsariis haberi vult, qui causas dispensationum Apostolicarum non satis exploratas afferunt &c.

SAN-

SANCTI ANTONINI
ARCHIEPISCOPI FLORENTINI
SUMMÆ THEOLOGICÆ
PARS PRIMA.
PROLOGUS.



UAM magnificata ſunt opera tua, Domine! omnia in ſapientia feciſti; impleta eſt terra poſſeſſione tua, pſal. 103. Contemplatur propheta in exceſſu mentis poſitus divinam majeſtatem, ſtupefactus ad magnitudinem bonitatis ejus, quam manifeſtat in operibus ſuis, & ad ipſum loquitur dicens: *Quam magnificata ſunt opera tua* &c. quaſi dicat: Mirabiliter magna demonſtrata, ubi & myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis ſatis demonſtratur, cujus ſuffragium ſemper & poſtulare & exſpectare debemus, ut opera bona noſtra, quæ ſunt ſua, ad finem perducat. Sine eo enim ſummo nulla natura ſubſiſtit, ait Plato, nulla ratio intelligit, nulla actio expedit, nec eo prætermiſſo ullum rite fundatur exordium. In primis igitur inſinuat miram potentiam, quæ patri attribuitur, ibi: *Quam magnificata ſunt opera tua, Domine.* Secundo eximiam ſapientiam, quæ filio adjicitur, ibi: *Omnia in ſapientia feciſti.* Et tertio nimiam ad nos benevolentiam, quæ Spiritui ſancto adſcribitur, ibi: *Impleta eſt terra poſſeſſione tua.*

In creatione oſtenditur potẽtia quæ patri attribuitur.

Quantum ad primum dicit Mardocheus loquens ad Deum de ſua mira potentia, quam oſtendit in creatione: *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita* &c. *Tu enim feciſti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur*, Heſter 13. Ubi oſtenditur ſua potentia maxima patri attributa, de nihilo cuncta faciens, non ex præjacenti materia ut artifex. Et hoc apparet ex eorum magnitudine continua, ex eorum multitudine diſcreta, ex eorum valitudine variata. Nam, ut dicitur Eccleſiaſtes 1. *Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* quaſi dicat: nullus, propter miram magnitudinem ejus; ſed & *arenam maris, guttas pluviæ & dies ſæculi, quis dinumeravit?* quaſi dicat: nullus: *Dinumera ſtellas, ſi potes*, dixit Dominus Abrahæ, Gen. 15. *Nec numerus militum ejus*, Job 25. Valetudinem creaturarum ſeu earum virtutem quis poteſt intelligere? Deus enim & natura nihil fruſtra operantur, quod ſcilicet non habeat aliquam virtutem, quinimmo ſpecies rerum ſunt ſicut numeri, ut quælibet ſpecies creaturæ addat unum gradum virtutis ſuper aliam. Nonne igitur apparet, *quam magnificata*, ideſt magna facta & oſtenſa ſunt opera Dei ut magnificetur potentia patris?

n ordine & diſtinctione ſapientia filii.

Quantum ad ſecundum dicitur Eccleſiaſtes 1. *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis: & Omnia per ipſum facta ſunt.* Eſt enim verbum filius Dei quaſi ars quædam omnipotentis patris, per quam, & in qua cum ſumma ratione & optima facta ſunt omnia: *Omnia in ſapientia feciſti*, pſal. Et quia ſapientis eſt ordinare ſecundum philoſophum; hinc eſt, quod omnia cum maximo ordine facta ſunt, ut omnia teneant locum ſuum ſibi decentem. Ex quo apparet pulchritudo univerſi, & mundum divina providentia regi. *Omnia utique in ſapientia feciſti.* Demum ipſe mundus eſt velut quidam liber ſcriptus intus & foris, qui docet nos ſapientiam, non ſolum de divinis cognitionem, ſecundum illud Rom. 1. *Inviſibilia enim ipſius*, ſcilicet Dei, *a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*; ſed etiam docet ſapientiam de agendis ſecundum illud Jobi 12. *Loquere terræ, & reſpondebit tibi. Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris*, da omnibus præceptum, quod poſuit, ut faciant, ad quod creata ſunt, numquam prætereunt, ſe aliis communicant, terra fructificat & arbores & nil otioſum, & multa & innumera documenta nobis tribuunt ex proprietatibus ſuis ad bene vivendum; & ſic o-

Minima terræ ſunt quattuor.

mnia in ſapientia feciſti, ideſt ad dandum nobis ſapientiam ex eis: Eccleſiaſtes 1. *Effudit eam*, ſcilicet ſapientiam, *ſuper omnia opera ſua*, & in minimis animalibus, ut formicis. Unde dicitur Proverb. 30. *Quattuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. Formicæ populus infirmus, qui præparat in meſſe ſibi cibum. Lepuſculus plebs invalida, qui in petra collocat cubile ſuum. Regem locuſta non habet, & egreditur univerſa per turmas ſuas. Stellio manibus nititur, & moratur in domibus regum.* Sapientia eorum, quæ eſt naturalis inſtinctus, docet nos ſapientiam. Et formica docet ſollicitudinem acquiſitionis ſapientiæ. Lepuſculus cautelam ab erroribus & evaſionibus: quum enim ſit animal multum timidum, & a venatoribus & canibus inſequatur, in petra ſe tutum putat; & ſapientiæ vacans, cujus *initium eſt timor Domini*, ne capiatur a venatoribus gentium & hæreticorum erroribus, in petra fidei collocat quietem ſuam & mentis inhæſionem. Locuſta inſtruit ſaltum contemplationis cum turma collationis. Ita enim paſcitur in herbis virentibus ſcripturarum ſapiens, ut frequenter ad modum locuſtæ in altum ſe levet meditationis & orationis. Nec ſolus incedit, ſed cum turba ſapientum ſentit. Stellio innuit laborem bonæ operationis; nam ſi aliquando acuto non emineat ingenio, tamen manibus bonorum operum quaſi reptans ad exſequendum quod ſapit in domibus regum, ideſt in cœtu ſapientum, collocatur, & ſic *omnia in ſapientia feciſti*.

In creaturis oſtenditur benevolentia, quæ Spiritui ſancto attribuitur.

Quantum ad tertium apparet certe ejus ad nos nimia benevolentia, quia omnia fecit Deus propter hominem, ait Auguſtinus, quæ cum tanta potentia & ſapientia facta ſunt. Et hoc eſt, quod ſubdit: *Impleta eſt terra poſſeſſione tua*. Terra homo eſt; quia terram gerit, in quam revertitur, terram terit, de terra exiſtit. Et iſtam implevit Deus poſſeſſione ſua. Poſſidet Deus cæleſtia, terreſtria, divina. Et his omnibus implevit terram, ideſt hominem, terreſtria dans ad uſum: pſal. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus* &c. Cæleſtia, ideſt Angelos ad miniſterium: Heb. 1. *Nonne adminiſtratorii omnes ſpiritus ſunt, miſſi in miniſterium eorum* &c. Quid magis Deus poſſidet, quam filium ſuum? & hominem Deo implevit, quando *Verbum caro factum eſt*, Joan. 1. *Sic Deus dilexit mundum*, minorem videlicet hominem, *ut filium ſuum unigenitum daret.* Unde aperte dici poteſt: *Impleta eſt terra poſſeſſione*. Verum inter omnia animalia ſapientiſſimus Salomon ad imitandum formicæ ſapientiam invitat dicens: *Vade ad formicam, o piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam ab ea, quæ quum non habeat ducem nec præceptorem, nec Principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat*, Proverb. 6. Ac quidem inter æſtatem & autumnum ætatis conſtitutus arbitratus ſum neceſſarium fore ex frumentis doctrinarum quædam recolligere ad mei ſuſtentationem, ne ſi contingeret ad hyemalem ſenectutem devenire, fame deficerem. Senilis enim ætas memoria & viſu debilitata caligatur, & exhauſtis corporis membris occupationibus aliquando multiplicatis non valet, nec ei tempus vacat ad revolvendum multitudinem librorum. Intelligens autem in oſſibus meis pigritiam inſitam, ad eam excutiendam conſideravi formicam inter animalia nimium & deſpectabile, ſed ſapientibus ſapientiorem illam eſſe, & ideo imitandam. Quum enim *non habeat ducem nec præceptorem* in opere ſuo, providet tamen ſibi pro hyemis tempore, quum poteſt diſcurrere. Ducem fateor me non habuiſſe in grammaticalibus, niſi in pueritia, & debilem præceptorem. Nullum habui in alia facultate, excepta parte dialecticæ, & ſatis interrupte; ſed nec Principem mihi ſtudium imperantem ex prælatione. Aviditate tamen & ſuavitate tractus veritatis, præcipue moralis ſapientiæ, ex his, quæ mihi occurrerunt legenda, pauca recollegi mihi grata. Neque enim formica omnia inventa cibaria collegit, nec pretioſiora, ſed quæ novit ſibi congrua. Illas igitur ſublimes theorias in librariis comprehenſas, magiſtris & ſcientia perfectis dimiſi. Quæ autem judicavi apta ad materias prædicationum & audientiam ad confeſſionem, & conſultationem in foro animarum, accepi a doctoribus pluribus in Theologia vel jureperitis, non intendens indoctus & omnis ſcientiæ ignarus poemata condere, ſed recollectionem facere amore fratrum pro me & meis ſimilibus, qui mecum erant, quibus nec ingenium ad altiora, nec librorum ſemper copia datur, & occupationes facultatem ſubtrahunt ad diſcurrendum per libros. Si materias tango aliquando ſuperantes tenuitatem notitiæ meæ, nec hoc diſcrepat a proprietate formicæ, quæ pondera geſtat ſe graviora virtute ſibi collata ab auctore naturæ. Ex congeſtis etiam a formica aliqua ſuperfluunt, aliqua corrumpuntur; ſic & ego non ambigo multa in hoc collectorio poſita ad ſuperfluitatem, quum aliquando impropriaverim terminos, & extorſerim expoſitiones, non, ut puto, cum falſitate ad materiam dilatandam occurrentem. Multa etiam vel nondum emendata, vel poſtea vitio ſcriptorum alterata, vel diminuta ſunt. Non parum laborat formica ad colligendum unde vivat. Laboravi & ego ſatis per multos annos & interrupte propter occupationes, etſi non magni valoris tamen tempus exigentes. Unde aliquando per menſes & annos opus dimiſi, tempus ſæpe furando aliquando neceſſarium corporis ſuſtentationi, aliquando exercitationi prælaturæ, in qua diu indignus permanſi, aliquando decentiæ religionis, ſcilicet orationis & meditationis. Adeo autem eſt formica debile animal, ut non ſolum magna, ſed & minima ut mirmycoleon, ſint ei infeſta uſque ad internecionem. Poterunt hic notatis aliquando nedum multum litterati, ſed quantumcumque ſcioli opponere & ipſa necare: *Ego autem in flagella paratus ſum*, nec faciem meam ab increpantibus averto. Dicitur etiam de formica præputia bladis congregatis auferre, ne germinent, indeque fruſtretur ſpe ſui laboris. Ne quid igitur elevationis germen exſurgeret intra ſcrutinium cordis mei, nixus ſum fere per omnia nuncupare doctores, talia, quæ notantur, referentes, & parum vel nihil de meo apponere, niſi cauſſa brevitatis truncare. Viderint ergo, qui illorum dicta condemnatione digna arbitrantur, ſi tantæ auctoritatis vel ſcientiæ ſint, ut illis poſſint obſiſtere. Non igitur plus minuſve vituperationis vel laudis mihi debet aſcribi, quam collectoribus lectionum vel ſcriptoribus librorum ab aliis editorum; unde nec nomen meum apponere volui nec titulum operi, niſi in contemtum, tamquam viliſſimam formicam, deſpectum animal, fabulando alicui nominare placuerit. Formicas quoque moleſtas eſſe alvearibus apum, ſatis apparet, quæ quum ad ſui victum dulcedine mellis attractæ hoc agunt inſtigante natura, non ut noceant, excuſatæ ſunt. Ita & excerptores ſententiarum ex variis libris graves illis eſſe ſolent, quibus excellens ingenium & plurimum otium præſtat, doctrinas copioſas & mellifluas in originalibus perſcrutari. Sed quum ipſi intendant ſuæ & aliorum inopiæ providere, non videntur culpandi, quum etiam detrimenta non illis inferant, ſed magis gloriam augeant, hebetioribus proponendo inter locutiones communes, quæ in ſuis fluentis forte numquam viderunt. Aliqua-

Quo ſtudio hanc Summ. Auctor lucubrarit.

lem

lem vero ordinem, etsi non multum serioſum, ignarus ordinis poſui pro faciliori inventione materiarum. Nam diſtinctum in quattuor partes principales feci, de vitiis & virtutibus recitare intendendo, & quamlibet partem in titulos, & titulos in capitula, & capitula in paragraphos diſtinguendo. Et in prima parte quædam generalia, videlicet de anima & de potentiis ejus, quæ ſubjecta eorum habentur. De paſſionibus tamquam principiis eorum. De peccatis in genere & effectibus eorum. De multiplicibus legibus, quibus vitia prohibentur & virtutes præcipiuntur. In ſecunda parte de vitiis in ſpecie, videlicet de octo capitalibus & eorum filiabus & ſpeciebus. De reſtitutione. De juramento & perjuriis. De votis & tranſgreſſionibus eorum. De infidelitate & ſpeciebus earum & ſuperſtitionibus. Ad ſingula vitia ſingulas prædicationes ponendo, & poſtea quæ pertinent ad caſus conſcientiæ vel declarationem materiæ. Et pro themate ſumitur verſus pſalmi, qui magis in promtu occurrit, & magis Eccleſiæ in uſu, & compendioſior in doctrina ad omnem materiam. In tertia parte de ſtatibus variis tam laicorum quam clericorum. De Eccleſiis & ſacramentis ſingulis, & de cenſuris eccleſiaſticis, & ſtatibus purgatorum & beatorum. In quarta parte de virtute in genere & ſpecie. De virtutibus, ſcilicet Cardinalibus & Theologicis in ſpecie, & de earum partibus, ſeu eis annexis. Et ſi tempus erit, agetur de ſeptem donis & gratia. Reſtaret de articulis, ſi vita communicetur, quæ non minor ceteris erit. Qui inde aliquid utilitatis hauſerit, pro me oret ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Quæ autem inducuntur teſtimonia ad probationem dictorum, ultra auctoritates divinarum ſcripturarum, & ſacrorum canonum, quæ frequenter apponuntur & ſententias proprias antiquorum doctorum Eccleſiæ, Auguſtini, Hieronymi, Gregorii, Ambroſii, Chryſoſtomi, Baſilii, Iſidori, Bernardi, Anſelmi &c. aliquando gentilium, Platonis, Ariſtotelis, Tullii, & Senecæ, adjiciuntur determinationes & dicta multorum modernorum in Theologia vel jure peritiſſimorum, quorum hæc ſunt nomina. In Theologia ſanctus Thomas, quem omnibus præpono in ſuis dictis, Albertus magnus, Petrus de Palude, Petrus de Tharantaſia, qui fuit Innocentius quintus, Durandus, Hugo Cardinalis, Guilielmus ſpeculator in ſumma vitiorum & virtutum, Dominus Joannes Dominici Cardinalis de Florentia, Raynerius in ſumma Piſana, Vincentius in ſpeculo hiſtoriali ordinis prædicatorum omnes iſti prænominati, Bonaventura Cardinalis, Ricardus de media villa, Alexander de Hales, Joannes Scotus, Nicolaus de Lyra ordinis minorum, Auguſtinus de Roma in quodlibetis, Auguſtinus de Ancona de poteſtate Eccleſiæ, Gregorius de Arimino ordinis Eremitarum. In jure in gloſſa decreti: Hugo, Bartholus Brixienſis, Bernardus. In gloſſa decretalium: Raymundus ordinis prædicatorum in ſumma ſua antiqua, Innocentius quartus, Hoſtienſis in apparatu & ſumma, Guilielmus in ſpeculo, Archidiaconus in Roſario, Joannes Andreas in novella: & in gloſſa ſexti, & Clementinarum, Joannes de Lignano, Joannes Calderinus, Joannes de Imola omnium noviſſimus doctor, Petrus de Ancharano, Laurentius de Ridolfis in tractatu de uſuris, Franciſcus de Zabarellis, Nicolaus Abbas de Sicilia, Antonius de Butrio, Petrus ordinis minorum in directorio juris, Lapus de caſtelli, Federicus de Senis in conſilio, Bartholomæus Baldus. De hiſtoriis exempla ponuntur: Gregorius in dialogo, Vincentius in ſpeculo, Martinus in chronicis, Valerius maximus, Paullus, Oroſius, De vita patrum de vita fratrum, de ſeptem donis, allegantur & multi alii ſapientes; ſed quia non ita frequenter, ipſos non curavi nominare.

Diviſio totius operis.

Præcipui auctores, quibus Antoninus uſus eſt,

TITULUS PRIMUS
DE ANIMA IN COMMUNI.

CAPUT I.

De ipſius Animæ ſimilitudine ad Deum.

VENITE, AUDITE, *& narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ*, pſal. 65. Invitat Pſalmiſta non omnes, ſed timentes Deum ad conſiderandum magnificam nobilitatem animæ rationalis, & quam innumera bona & magna contulit ei Altiſſimus. Qui enim non timent Deum, non curant talia cognoſcere, ſed ſolum corporalia, & mundana. Conſiderans autem iſtam nobilitatem animæ devotus Bernard. in lib. medic. cap. 3. O anima, inquit, inſignita Dei imagine, decorata ſimilitudine, redemta Chriſti ſanguine, deſponſata fide, dotata ſpiritu, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, particeps rationis, quid tibi cum carne? quaſi diceret: quomodo ſolum vacas corpori, providens ſibi, non tibi, ſubjiciens te ſibi, quum ſis ita nobilis & magnifica, & ipſa ita vilis & fœtida? Ejus pulchritudinem & exaltationem congrue figuravit Heſter, quæ pulcherrima naturaliter ornata per tempora multipliciter, pervenit tandem ad matrimonii conſummationem feliciter cum Aſſuero, cum ipſo ſummo monarcha conregnans. Vaſthi etiam pulcherrima regno privata, quia mandatis ejus obedire contemſit, ut patet in lib. Heſter. Interpretatur Heſter *humilis*, vel *electa in tempore*, & ſignat animam, quæ a Deo eligitur, & per humilitatem ejus electio intimatur. Hæc pulcherrima eſt in ſui eſſentia, ſed pulchrior adhuc redditur & amabilior ex ornatu virtutum. Pervenit autem ad conſummatum matrimonium cum Aſſuero, qui interpretatur *beatitudo*, figurans Dominum Jeſum Chriſtum, quum perfecte ei unitur in gloria ſuperna, regnans cum eo in æternum, ubi conſequitur omnimodam ſui perfectionem. Vaſthi autem ſignat quamlibet animam, etſi pulchram in ſui natura; ſed tamen, quia Dei mandatis obedire contemnit, reprobatur & regno infeliciſſima privatur. Ad hoc autem opprobrium venit, quia, ut ingrata & ſuperba, dignitatem ſuam, & a quo habuit, non intelligit, ſequens inſtigationem carnis. Quod innuit Salomon Cant. 1. dicens: *Si te ignoras, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum*, ideſt ſi (pro quia) te non cognoſcis,

De pulchritudine animæ.

scis, & dignitatem & conditionem tuam non attendis, *pulcherrima mulierum*, ideſt creaturarum, hoc tibi ſequitur: *Egredere*, ideſt egredieris de domo paterna ut prodigus filius in regionem longinquam de domo propriæ conſcientiæ; *abi*, ideſt abibis poſt opera carnalia, quæ ſunt ſigna *gregum*, ideſt brutorum animalium. *Homo enim quum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus* &c. pſal. 48. Hoc autem non agit, qui nobilitatem & animæ conditionem attendit. Unde Hugo de Arrha animæ ipſi loquens ait: O ſi te ipſam videres, ſi pulchritudinem tuam attenderes, numquam aliam creaturam, quam teipſam, magis amares. *Venite* ergo, *& audite, quanta fecit* Deus animæ rationali. Nam, etſi quantum ad corpus, etiam fecit multa & magna. Fecit animæ magna, quantum ad naturalia, quæ formavit: fecit animæ majora quantum ad virtualia, quibus decoravit: fecit animæ maxima, quantum ad ſupernaturalia, quæ ei præparavit. Unde, ſi de ea quæratur illud, quod Chriſtus dixit Matth. 22. *Cujus eſt imago hæc?* nam & dicit pſal. 38. *In imagine pertranſit homo*; reſponderi poteſt: Eſt imago anima increatæ Deitatis quantum ad naturalia: Eſt imago anima incarnatæ veritatis quantum ad virtualia: Eſt imago anima glorificatæ intellectualitatis quantum ad ſupernaturalia.

Anima eſt imago increatæ deitatis.

§. 1. Quantum ad primum. Anima dicitur imago Dei. Et propterea Gen. 1. *Faciamus hominem*, dixit Deus, *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: & pro hæreſi ponitur 24. quæſt. 3. can. penult. dicere, animam noſtram non eſſe imaginem Dei. Et Auguſtinus in lib. de Trin. dicit: Licet anima noſtra non ſit ejus naturæ, cujus eſt Deus; ibi tamen imago ejus quærenda eſt, quo nihil eſt melius. Hæc ergo anima non eſt ſimilitudo omnimodæ identitatis, cujuſmodi eſt filius. Unde Ambroſius tractans illud: *Deus, quis erit ſimilis tibi?* dicit: *Non utique nullus; quia imago patris eſt filius*, *De pœnit.* Diſt. 1. *Si ſacerdos*, §. *Sed hujuſmodi*. Sed eſt imago repræſentationis habens plures ſimilitudines proportionis ad ipſum Deum. Nam, ut dicitur *De ſumm. Trin. & fide cathol.* cap. *Damnamus: Inter creatorem & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos major diſſimilitudo ſit notanda.*

Novæ ſunt ſimilitudines inter Deum & animam quantum ad ſua naturalia.

Novem ergo ſimilitudines ſecundum proportionem inter Deum & animam quantum ad ſua naturalia poſſunt notari. Et prima eſt, quia Deus unus eſt in eſſentia, Deut. 6. *Deus noſter unus eſt.* Et anima noſtra una eſt in eſſentia. Licet enim corpus noſtrum a principio conceptionis habeat primo animam vegetativam, & poſtea animam ſenſitivam, & in plantis alia ſit anima vegetativa, qua creſcunt & fructificant, alia in brutis animalibus, qua ſentiunt & vegetantur; in homine tamen quum infunditur anima, ipſa anima rationalis eſſentialiter una eſt, habens perfectionem omnis animæ, ideſt non ſolum intelligendi potentiam, ſed etiam ſentiendi & vegetandi.

Secunda ſimilitudo: Deus trinus eſt in perſona, juxta illud 1. Joann. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* Et anima eſt trina in potentia, ſcilicet memoria, intelligentia, & voluntate. In hoc tamen diſſimilitudo; quia tres perſonæ divinæ ſunt Deus, ſed potentiæ animæ non ſunt eſſentia animæ, ſed vires ejus ab ea fluentes.

Tertia: Deus eſt ſimplex omnino, ita quod nulla compoſitio in eo reperitur, & neque ex materia & forma, neque ex ſubjecto & accidente, nec ex eſſe & eſſentia. Et anima noſtra ſimplex eſt quantum ad hoc: quia non eſt compoſita ex materia & forma, prout eſt homo ex corpore & anima, & alia corporalia.

Quarta: Deus eſt immortalis, 1. Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali*, &c. Et anima eſt immortalis, juxta illud Sap. 3. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*, &c. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori: illi autem ſunt in pace.* Conſiderata enim anima ſecundum ſubſtantiam ſuam, ut dicit Vincentius in ſpeculo hiſtoriali, incorruptibilis eſt, quia non eſt ex contrariis ejus ſubſtantia, nec aliquid ſuæ naturæ contrarium habet, a quo poſſit corrumpi. Similiter conſiderata quantum ad formam, quæ eſt potentia intelligendi; quia intellectus eſt capax omnium formarum intelligibilium, quæ per ſe ſunt incorruptibiles. Similiter conſiderata ad finem ſuum, qua data eſt ei virtus ſpeculativa & motiva, per quam ſe poteſt ordinare ad ſummum bonum: ſecundum hoc manet voluntate primi incorruptibilis & magnitudine pœnæ vel præmii. Ex creatione habet, ut ex actione alterius non poſſit corrumpi, niſi ex actione Dei. Ex relatione vero ad finem habet, quod velit Deus eam *non corrumpi*. Hæc ille. De immortalitate tamen animæ plenius infra eod. tit. cap. 5. probabitur.

Quinta ſimilitudo: Deus inviſibilis eſt, Joan. 1. *Deum nemo vidit umquam*. Eſt enim ſpiritus, Joann. 4. *Deus ſpiritus eſt*; & ſenſus corporalis non eſt apprehenſivus rei ſpiritualis, ſed corporalis. Quod autem dicit Jacob Gen. 32. *Vidi Deum facie ad faciem*, intelligendum eſt ſecundum Magiſtrum in 2. Sent. quia vidit aliquem Angelum in ſpecie corporali apparentem, Deum repræſentantem. Ita & anima inviſibilis eſt, quia ſpiritus eſt. Unde Chriſtus in cruce ait, Lucæ 23. *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum*, ideſt animam. Unde oculis corporeis videri non poteſt. Quod autem dicit Gregorius in 2. Dialogorum, B. Benedictum vidiſſe animam ſororis ſuæ, ſcilicet Scholaſticæ in modum columbæ in cælum aſcendere; non eſt intelligendum animam eſſe talis formæ, vel cujuſcumque corporalis, ſed ad oſtendendum puritatem illius apparuit illi tale animal ex aere formatum.

Quomodo Deus ab homine videtur.

Sexta: Deus eſt ubique, Hier. 23. *Cælum & terram*, ait, *ego impleo.* Totus eſt in toto univerſo, non concluſus, & totus in qualibet parte ejus, quia indiviſibilis eſt, & ubique influit & operatur virtus ejus, etſi non ubique manifeſtet gloriam ejus, ut in cælis. Et anima noſtra eſt tota in toto corpore, & tota in omni parte ejus: non enim vivit corpus, niſi anima præſente, inquit Auguſtinus *De pœnit.* Diſt. 1. *Reſuſcitatus*, §. *Quum enim*. Ita etiam non vivit nec ſentit aliqua pars corporis, niſi per animam; & quia anima non eſt quanta dimenſive; ideo ubi eſt, ibi tota eſt. Unde quum læditur aliqua pars minima, etiam ſentit quis dolorem, quia ibi eſt anima, quæ vivificat illam partem.

Anima in toto corpore & ſingulis ejus partibus tota eſt.

Septima: Deus eſt unum principium univerſi, ſeu mundi, a quo omnia proceſſerunt. Apocalyp. 1. *Ego ſum Alpha & omega, principium & finis.* Et homo eſt unum principium mundi minoris, ideſt totius generis humani, quod proceſſit ex eo quantum ad corpulentam ſubſtantiam. Adam enim primo ſolus formatus eſt, & de eo Eva, & ex illis alii. Hæc ſimilitudo imaginis ponitur ab Auguſtino 33. quæſt. 5. *Hæc imago*. Sed quia hic agitur de anima, non de toto homine; ideo iſta ſimilitudo Auguſtini dimitti poteſt; & ponatur alia, ſcilicet qua Deus eſt impaſſibilis, Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor*; & anima non quidem immutabilis omnino, ſed per alterationem ſeu læſionem naturaliter. Nam quod anima damnati patiatur in inferno vel purgatorio ab igne, hoc agit ignis non naturaliter, ſed ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ acerbiſſime crucians.

Octava: Deus eſt in ſe gaudioſus: & anima

eſt

est naturaliter gaudiosa, quia est apta naturaliter participare ejus beatitudinem. Unde dicit B. Thomas, quod homo non potest diu stare in tristitia, quin convertat se ad aliquod gaudium & delectationem; & ideo si non se exercet in gaudio & delectatione spiritualium, immergit se delectationibus mundi.

Nona: Deus est intelligibilis, & actu intelligit infinita, & est volibilis omnis: & anima nostra est intellectiva & in potentia ad intelligendum infinita, & volens naturaliter bonum & infinitum bonum. Magna utique sunt ista, quæ fecit Deus animæ, & ideo recolenda, & tam pulchra imago conservanda, non minus quam pictura Dei.

§. II. Quantum ad secundum. Anima est imago incarnatæ veritatis mediantibus virtutibus, 1 quas non a se habet, sed infusas a Deo. Unde anima rationalis est adhuc pulchrior, quia potior est gratia, unde procedunt virtutes, quam natura secundum Ambrosium, *De consecr.* Dist. 2. *Revera*. Et secundum hoc est anima imago veritatis incarnatæ, idest Christi, juxta illud Rom. 8. *Quos præscivit, hos & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*. Et 1. Cor. 15. *Portemus imaginem cælestis*, scilicet Christi: quod fit imitando virtutes ejus, & habendo spiritualiter novem similitudines prædictas secundum proportionem inter Deum & animam.

Anima est imago incarnatæ veritatis.

Primo videlicet, sicut anima est una, ita & tu sis totus unus cum Deo unitus, & per conformitatem voluntatis: 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo*, scilicet concordando se cum voluntate sua, ut Christus, qui dixit: *Non mea voluntas, sed tua fiat*, Lucæ 22.

Novè modis portatur imago Christi spiritualiter.

Secundo, sicut anima est trina in potentia, & tu sis trinus in dilectione, scilicet Dei tui, & proximi, secundum illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum sicut teipsum*, Luc 10. Quod fecit Christus, Apoc. 1. *Dilexit nos* &c.

Tertio, anima est simplex; & tu sis simplex, non duplex, habens in omnibus rectam intentionem; quia *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*, Luc. 11. Petrus in prima canonica cap. 2. de Christo ait: *Nec dolus inventus est in ore ejus*.

Quarto, anima est immortalis; & tu caveas tibi a peccatis; quia, ut dicitur Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*, non quantum ad substantiam, sed quantum ad gratiam, qua privatur per mortale, & per venialia disponitur ad mortale. In 1. Petr. 2. de Christo dicitur: *Peccatum non fecit*.

Quinto, anima est invisibilis & spiritualis; & tu occultes opera tua bona, ne videantur, ut vites superbiam & inanem gloriam: Matth. 6. *Attendite, ne faciatis justitiam vestram coram hominibus*. Sint ipsa opera spiritualia separata a vita carnali sensuali, *quia spiritus carnem & ossa non habet*, Luc. 24. Sic Christus mundato leproso præcepit, ut nemini diceret, Matth. 8.

Sexto, anima est in toto corpore ubique; & tu sis circumspectus quoad omnes potentias interiores & exteriores, ne ex aliqua parte diabolus valeat intrare, nec per visum, nec per auditum, nec per cor & hujusmodi: Habacuc 2. *Super custodiam meam stabo*.

Septimo, anima est impassibilis; & tu non movearis a tribulationibus & angustiis, oblitus injuriarum omnium: Levit. 19. *Nec memor eris injuriæ civium tuorum*: exemplo Christi, qui semper siluit, & patiens fuit.

Est octavo anima gaudiosa; & tu gaudeas semper, non in mundo, sed in Deo & bonis operibus. *Semper* peccator *de peccatis doleat, & de dolore gaudeat*, dicit Augustinus *De pœnit.* Dist. 3. *Si Apostolus*. Ad Philipp. 4. *Gaudete in Domino semper*.

Nono, anima est intelligibilis veritatis, & volibilis bonitatis; & tu ergo vaces veritati per lectionem & auditionem divinorum, & verum bonum, non falsum & apparens, appetas. Nam secundum Gregorium: *Qui ea, quæ Dei sunt, sciunt, a Domino sciuntur, & qui ea, quæ Dei sunt, nesciunt, a Domino nesciuntur*, Dist. 38. *Qui ea*. Semper Christus mente gaudebat, & veritatem speculabatur.

Quia etiam in baptismo anima per fidem effi- B citur sponsa Christi, ipse Jesus Christus confert ei novem ornamenta virtutum, quæ ipse habuit. Et hæc notantur in auctoritate Ezech. 16. ubi sic dicit sponsus: *Lavi te aqua, & mundavi sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo. Vestivi te discoloribus, calceavi te, hyacintho, cinxi te byssо, indui te subtilibus, ornavi te ornamento, dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, dedi inaurem super os tuum, circulos aureos in auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo: ornata es auro & argento*. Hæc ibi. Ubi considerandum, quod anima lota est aqua baptismi, & sic mundata a sanguine peccatorum. Uncta oleo crismatis, & tunc anima intus ornatur auro gratiæ, & corpus argento claræ famæ; C tunc primo induit eam subtilibus, idest camisia subtili fidei, quia transcendunt rationem ea, quæ sunt fidei. Secundo induit eam vestitu deaurato caritatis. Tertio chlamyde discoloribus, idest diversorum cōlorum, idest justitia, quæ dicitur omnis virtus; & sic varia. Quarto cingit cingulo byssino castitatis & abstinentiæ, quæ pertinent ad temperantiam. Quinto calceat hyacintho colore cæruleo, scilicet simili cælo, idest spe æternorum, & desiderio cælestium. Sexto ornat armilla in brachiis fortitudinis, & exercitio bonorum operum. Septimo ornatur torque aureo circa collum, scilicet prudentiæ. Octavo appenduntur inaures in auribus, humiliatis quidem & obedientiæ in adversis, & temperantiæ in pro- D speris. Tandem nono coronatur corona decoris in capite, scilicet perseverantiæ. Nam, ut dicit Bernardus, sola perseverantia coronabitur. His omnibus ornamentis fuit Christus ornatus. Nam quantum ad fidem habuit eam non sicut nos, quia clare Deum videbat; sed quantum ad id, quod est perfectionis in ea, scilicet assentiendo omni veritati divinitus revelatæ. Spem vero quantum ad glorificationem corporis futuram. Ut ergo portetis imaginem cælestis, *induimini Dominum Jesum Christum*, Rom. 13.

Anima in baptismo recipit a Christo novem ornamenta virtutum, quæ ipse habuit.

§. III. Quantum ad tertium, scilicet supernaturalia, quæ animæ præparata sunt, est imago glorificatæ intellectualitatis, idest Angelorum sanctorum: 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*, scilicet bona gloriæ, quæ Angeli possident in patria, ad quam homines ascendentes, æquales sunt Angelis Dei, ait Christus Matth. 22. E

Anima est imago glorificatæ intellectualitatis.

Novem autem *sunt ordines* ipsorum *Angelorum*, inquit Gregorius, *De pœnit.* Dist. 2. *Principium. Angeli, Archangeli, potestates, virtutes, principatus, dominationes, throni, cherubin, & seraphin*. Homines autem non faciunt ordinem decimum de per se in gloria, sed assumuntur animæ sanctorum ad diversos ordines Angelorum secundum differentiam meritorum. Et quamvis quilibet

1 Aliquæ editiones habent: *quæ, si naturæ sunt, non a se habet* &c.

bet ordo poſſideat aliquod donum excellenter, unde denominatur, ut dicit Magiſter in 2. Sent. Diſt. 9. nihil tamen ſingulariter. Participat ergo quælibet anima beata cum omnibus ordinibus aliquid. Nam ſeraphica eſt per amoris ardorem: interpretatur enim ſeraphin *incendens*, & Iſaiæ 31. dicitur: *Dixit Dominus, cujus ignis eſt in Sion, & caminus ejus in Hieruſalem*. Eſt anima cherubica per cognitionis plenitudinem: interpretatur enim cherubin *plenitudo ſcientiæ*. Ad Hebræos 8. *Omnes ſcient me*, dicit Dominus, *a majori uſque ad minorem*. Gregorius 4. Moral. Quid eſt, quod neſciant qui ſcientem omnia ſciunt? Eſt thronica per præmii quietam & ſecuram tentionem. Thronus dicitur ſedes nobilis, in qua quieſcitur, & firmus quis manet: Joann. 16. *Gaudium veſtrum*, ſcilicet ſupernæ gloriæ, *nemo tollet a vobis*. Joannis 10. *Ego vitam æternam do eis*, ſcilicet ovibus meis: *& non peribunt in æternum*. Eſt dominativa per ſummam puritatem. Majus dominium eſſe non poteſt quam eſſe liber a vitiis & paſſionibus & miſeriis corporis; quod non ſit niſi in gloria: Rom 8. *Ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. *In multis* hic *offendimus omnes*, ſed ibi *ſine macula ſunt ante thronum Dei*, Apocalypſ. 14. Principatum habet anima ſummæ dignitatis: nam omnes reges & principes mundi ſunt, 1. Reg. 2. *Ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Feciſti nos Deo noſtro regnum*, ideſt reges, cantant ſancti, ut dicitur in Apoc. 5. Virtutem habet in ſe ſummæ vigoroſitatis, & quoad animam in omni virtute firmatam; mutata tamen fide in viſionem, & ſpe in poſſeſſionem. Et quoad corpus factum in reſurrectione finali in mortale & impaſſibile. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, pſal. 45. *Impetus* autem *fluminis* ſignat perfectionem virtutum, quia ad uſum non præſectis vitæ, ſed perfectiſſimæ erunt in animabus: Apoc. 7. *Non eſurient, neque ſitient amplius*, &c. facientes etiam miracula plurima poſt mortem ſancti. Inter poteſtates reperitur per repreſſionem dæmonum. Nam ſicut Angeli ſancti refrænant malitiam dæmonum, ne tantum noceant, quantum vellent, & præcipue poteſtates; ita & ſancti juvant nos contra malitias dæmonum ſpiritualiter & corporaliter, ut patet ad corpora multorum ſanctorum. Archangelorum capit proprietatem anima per altiſſimam claritatem & revelationem magnorum ſecretorum: Angelorum autem per obedientiæ agilitatem: parata eſt ſemper, & nil aliud poteſt in ejus appetitu cadere, niſi quod Deus vult, ſicut & de Angelis dicitur, pſal. 102. *Facientes verbum ejus ad audiendam vocem ſermonum ejus*. Et ſic animæ per bona ſupernaturalia collata eſt imago totius cæleſtis hierarchiæ in patria. Sed ſi hic vivit vitioſe, efficitur imago diverſarum beſtiarum: Rom. 1. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei*, ideſt glorioſam imaginem Dei, *in imaginem corruptibilis hominis, quadrupedum, ſerpentum, volucrum & ceterorum*. Hinc & Boetius de philoſophica conſolatione. Evenit, ut quem diverſis vitiis transformatum videas, hominem æſtimare non poſſis. Exemplificat de diverſis vitiis variis beſtiis aſſimilatis. Superbia leoni. Inanis gloria pavoni. Invidia linci. Avaritia talpæ vel ſerpenti terram comedenti. Ira cani. Gula urſo. Acidia aſino. Luxuria porco. Timiditas cervo. Inſtabilitas avi, & hujuſmodi. Et concludit Boetius: Itaque fit, ut qui probitate deſerta in divinam conditionem tranſire non poſſit, vertatur in beluam. Quod & per figuram oſtenſum eſt in Nabuchodonoſor, *qui propter ſuperbiam ſuam eſt in bovem ex homine commutatus*, ut dicit Auguſtinus 17. quæſt. 4. *Miror*. Et tales peccatores in alia vita ſumunt imagines dæmonum. Unde Threnorum 4. *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum*. Dæmones communiter pinguntur nigri: ad innuendum obſcuritatem & horribilitatem eorum.

Anima beata participat aliquid cum omnibus ordinibus Angelorũ.

Anima quæ hic vivit vitioſe, efficitur imago diverſarum beſtiarum.

Pro majori autem declaratione ejus, quod eſt ſupra de imagine, nota quod quinque ſunt, quæ Deum diverſimode repræſentant, ſcilicet veſtigium, imago, ad imaginem eſſe, ſimilitudo, & æqualitates. Primo enim veſtigium repræſentat illud, a quo canſſaliter eſt expreſſum confuſe; ſicut impreſſio pedis relicta in pulvere, & ſimiliter cinis dicitur veſtigium ignis; & ſic quælibet creatura irrationalis dicitur veſtigium Dei, quia ipſum aliquo modo repræſentat per aliquam ſui virtutem. Unde Jobi 11. *Forſitan veſtigia ejus*, ſcilicet Dei, *comprehendes, & uſque ad perfectum omnipotentem reperies*. Secundo imago repræſentat illud, a quo eſt producta clare & expreſſe. Et hoc duobus modis, quia vel ſpeciei ſimilitudine, ſicut imago regis in filio, vel in figuræ ſimilitudine, ut patet de imagine regis expreſſa in nummo. Ponit Auguſtinus in lib. de decem chordis exemplum dicens, quod ſicut imago Imperatoris aliter eſt in nummo, aliter in filio, quia in filio eſt impreſſa ſecundum convenientiam naturæ, in nummo autem non; ſic & tu nummus Dei es. Ex hoc melior, quia cum quadam vita & intellectu es, ut ſcias cujus geris imaginem; nummus autem neſcit ſe habere imaginem Imperatoris. Ponit etiam exemplum de imagine, quæ eſt in filio & in ſpeculo. In filio enim homine eſt imago patris, & ex hoc eſt pater ejus. In ſpeculo vero imago non eſt hoc, quod ipſe homo, & ex hoc non eſt pater ejus. In filio regis eſt imago ſecundum æqualitatem ſubſtantiæ, & ex hoc rex eſt pater filii. In ſpeculo autem longe eſt a ſubſtantia; ſic a ſimili. Filius Dei eſt imago patris, & numquam dicitur eſſe ad imaginem; & hoc propter identitatem naturæ expreſſæ, quam Dei filius repræſentat. Homo vero dicitur imago Dei propter identitatem ſimilitudinis, & dicitur etiam eſſe ad imaginem propter imperfectionem ſimilitudinis. Unde dicitur Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: nam hæc propoſitio, ad, diſtantiam ſignificat. Tertio ſimilitudo repræſentat eamdem qualitatem non ut expreſſam ab alio, ut ovum eſt ſimile ovo, non tamen eſt imago ovi, quia non expreſſum ab ovo. Unde ubicumque eſt imago, eſt ſimilitudo, ſed non econverſo. Quarto æquale repræſentat illud, a quo expreſſum perfecte. Nam æqualitas non eſt de ratione imaginis niſi perfecta, qualis eſt filius Dei.

Quinque ſunt quæ diverſimode repreſentant Deum.

Ex his elicitur, quod aliqua creatura eſt, quæ nec imago eſt nec ad imaginem, ut creatura irrationalis, ſed dicitur veſtigium Dei. Aliqua res eſt, quæ numquam eſt ad imaginem, ſed imago Dei tantum ut filius Dei: Coloſſ. 1. *Eſt* filius Dei *imago inviſibilis Dei*. Et hoc propter identitatem naturæ. Aliqua creatura eſt, quæ imago Dei & ad imaginem Dei, ut homo, qui propter ſimilitudinem non æqualitatis, ſed proportionis inter Deum & ipſum dicitur imago, & propter imperfectionem ſimilitudinis dicitur ad imaginem Dei, quia ſcilicet non habet identitatem naturæ cum Deo, ſicut Dei filius. Raynerius poſt Thom. in part. 1. quæſt. 93.

Imago ubicumque eſt ſimilitudo eſt, ſed non econverſo.

CAPUT II.

De mira nobilitate animæ.

BEnedic *anima mea Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer*, pſal. 103. In omni-

mnibus operibus ſuis Dominus magnificatur, ideſt magnus efficitur non in ſe, qui augeri non poteſt, ſed in noſtri cognitione, ideſt magnus oſtenditur nobis in ſua potentia, ſapientia, & benevolentia. *Qui facit magna & inſcrutabilia & mirabilia abſque numero*, ut ait Job. cap. 5. Sed inter omnia opera ſua ab extra, vehementer magnificatur, ideſt magnus & mirabilis oſtenditur in animæ rationalis creatione & bonorum innumerabilium eidem collatione. Et ideo *benedic anima mea Domino: benedic* corde, ore, & opere, & ut frequentius benedicat, frequenter conſiderare debet ipſius animæ excellentiam, nobilitatem, & pulchritudinem ſibi collatam. Sicut enim principium ſalutis eſt cognitio ſui, ita cauſſa interitus eſt ignorantia. Siquidem *ignorantia mater cunctorum errorum* ab omnibus *vitanda eſt*, ut dicitur 38. Diſt. *Ignorantia*; & permaxime ignorantia ſui. Unde & quærenti cuidam, unde poſſet beatus effici, reſponſum fuit ab Apolline Delphico, *gnoti ſe autom*, ideſt noſce te ipſum, quod ſub allegat Bernardus ad Eugenium ſcribens. Quod ſub aliis verbis notat Job 5. dicens: *Viſitans ſpeciem tuam non peccabis*, ideſt conſiderans tuam eſſentiam, ideſt teipſum, ut exponit Helinardus. Quid enim prodeſt homini ſcire vires herbarum, virtutes cælorum, ſiderum curſus, hominum mores, naturalia cuncta, ſui notitia poſtpoſita? Ipſam autem animæ qualitatem deſcribit Salomon dicens Cant. 1. *Si te ignoras, o pulcherrima inter mulieres* &c. ut infra patet.

Ignorantia eſt mater cunctorum errorum.

Quanta ſit animæ humanæ pulchritudio, nobilitas & refulgentia, & quanta ſit ejus circa hoc ipſum ignorantia, & quomodo poſſit & per quæ media devenire, ut habeatur ipſius animæ natura, & utilis notitia & recta vita, pulchre & devote & egregie oſtendit Joannes Dominici Cardinalis in itinerarii libro, exponens dicta verba Gan. 1. *Si te ignoras, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos juxta tabernacula paſtorum*. In quibus quidem verbis ſponſus animæ Chriſtus ipſam ſponſam alloquens tria de ipſa oſtendit.

Tria conſideranda in anima.

Primum eſt defectio cognitionis naturalis, ibi: *Si te ignoras*.

Secundum eſt perfectio conditionis humanalis, ibi: *O pulcherrima inter mulieres*.

Tertium eſt inſtructio perfectionis internalis, ibi: *Egredere, & abi &c.*

Animæ perfectio.

S. I. Inchoando a ſecundo, quum ſcilicet dicitur: *O pulcherrima inter mulieres*, notatur magnitudo mirabilis excellentiæ animæ, ex tribus ibi poſitis, ſcilicet primo ex articulo vocationis, quum dicitur *o*. Secundo ex ſubſtantivo intellecto adjectionis, quum ſubditur *pulcherrima*. Tertio ex termino comparationis, ibi *inter mulieres*. Ubi ſciendum quod quum ſacræ ſcripturæ pretioſiſſima verba nullum ſuperfluum nil otioſum admittant, iſte vero articulus ſeu interjectio *o*, includatur in omni vocativo; ſequitur, quod ubi poteſt intelligi, videtur ſuperflue annotari, niſi debita ratio aſſignetur. Et ideo conſiderandum eſt, quod *o* eſt nota admirationis, durationis, compaſſionis, revocationis, affectionis, & perfectionis. Ex quibus concluditur, quod Domino prædicente quum eam vocat *o*, anima eſt admirabilis, eſt durabilis, eſt miſerabilis, eſt deſiderabilis, eſt amabilis, & eſt commendabilis.

Primo igitur dico quod *o* notat admirationem, unde quum de aliquo admiramur, tamquam ibi deficiat ſpiritus noſter, ultimam litteram proferimus ore quæ eſt ſcientiæ elementum finale *v*, & in Græco *o*. Unde & Salvator admirans, ſeu ad modum admirantis ſe habens erga Cananæam, dixit Matth. 15. *O mulier, magna eſt fides tua*. Mirabilis ſiquidem eſt anima, & a nobis incomprehenſibilis pro ſtatu viæ, & juxta intelligentiæ facultatem naturalem. Mirabilis utique in eſſentia, mirabilis in capacitate. Nam quantumcumque quis proficiat in ſcientia, nihil eſt reſpectu ejus, quod adhuc ſcire poteſt. Apparet capacitas ejus mira ex artibus adinventis pluribus & ſcientiis variis acquiſitis, ex virtutibus deſcriptis, ut infra patebit. Mirabilis eſt in divinæ imaginis confluentia, unitatem & trinitatem ſuper omnia diſtinctius repræſentans, ut ſupra patuit. Mirabilis eſt in potentiarum pluralitate, ſcilicet vegetativa, ſenſitiva, intellectiva, quarum quælibet in plures ſubdividitur, ut infra oſtendetur. Mirabilis in corporis conjunctione, quum res tam nobilis & magnifica uniatur cum re tam vili & infima, quale eſt corpus; & de hoc etiam infra cap. 6. eod. tit. Mirabilis eſt in corporali contagione, quum munda a Deo creatur, ſubito a corpore, cui unitur, inficiatur. Et non minus mirabilis in ejus per baptiſmum mundatione. Mirabilis eſt in ſui corporis exercitatione per potentias ejus, de quo infra habebitur tit. 5. per totum. Mirabilis eſt in ſui ſeparatione a corpore & operum ſuorum retributione, de quibus etiam tractabitur. Mirabilis demum in defuncti corporis reaſſumtione.

Secundo *o* eſt nota durationis, ex parte poſt, juxta illud Apocalip. 1. *Ego ſum Alpha & Omega, primus & noviſſimus*, ubi *a* denotat æternam durationem ex parte ante, quia nulla littera ante eam; O vero ex parte poſt ſignat durationem, quia nulla littera ſequitur ſecundum Græcos. Anima igitur humana non habet durationem ex parte ante, quia creata eſt in tempore; ſed ex parte poſt, quia non terminatur, ſed eſt perpetua & immortalis; & de ejus immortalitate plenius infra agetur eodem tit. cap. 5. Et ſicut finis alphabeti eſt *o* ſecundum Græcos, ita finis omnium cælorum & creaturarum eſt anima rationalis. Et ideo poſtquam omnia creata ſunt, demum ipſa creata fuit: & propter ipſam creata ſunt omnia; finis enim, etſi ſit primum in intentione, eſt tamen ultimum in exſecutione operantis. Omnia, inquit Auguſtinus ſupet Geneſim, fecit Deus propter hominem, hominem autem propter ſe ipſum.

Tertio *o* eſt nota compaſſionis, ſecundum illud Thren. 1. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus*. Conſuevit enim perſona afflicta de ſe vel alterius afflictione multum dolens, frequenter cum ſuſpiriis emittere *o*: in qua omnis fere vox terminatur languentis. Nulla etiam litterarum formatur pleno ore niſi *o*. Et nulla aptior ad clamandum quam *o*. Audi *o* anima Deum tibi loquentem & dicentem *o*, & non deſpicias receptum auribus *o*. Tibi enim compatitur, quia in peccatis fuiſti. Tibi enim compatitur, quæ tam nobilis & admiranda ad tantam miſeriam es deducta, ut peccato ſis ſubdita, & de regina univerſorum ſis corporis vilis ancilla effecta. Tibi compatitur, quæ eras cælum divinum: & facta es dæmonum phanum. Tibi compatitur, cui ſerviebant Angeli, nunc imperant dæmones. O ſi tu videres tuam dignitatem per gratiam & nobilitatem per naturam, & demum ſcires ad quam infelicitatem te deducit peccatum, quantum tu clamares *o* inceſſanter! Ille ſuſpirat, ut ſuſpirare te doceat, dolorem affligit, ut de te tu perfecte doleas. Et languores & dolores ipſe adhuc plangit in cruce & clamore valido, ut perpendas exinde quantum tu debes dolere, qui commiſiſti peccatum.

Quarto *o* eſt nota affectionis ſeu deſiderii & dilectionis, quod exprimebat pſal. 117. dicens: *O Domine, ſalvum me fac, o Domine, bene proſperare*.

rare. A pueris & turbis clamatum eſt in Hebraico Hoſanna, ex effectu eorum ad Chriſtum, Matth. 21. Volens ergo Deus inſinuare quanta affectione, deſiderio & amore vocet animam, ut ſpem generet atque dilectionem reciprocam, dicit: *o pulcherrima*: opere namque oſtendit, quidquid expreſſerat voce, quam ſcilicet ſolerter te errantem quæſivit, perditam requiſivit. Accendit lucernam fidei, totam domum per caritatem evertit invenieus, lætatur cum Angelis, & ſi coram hominibus vere triſtatur, portat in humeris, reducit ad caulas, totam curiam gaudio & tripudio jubens per ſymphoniam & chorum, etiam cum vicinis jucundari, ut parabolice habetur Luc. 15.

Quinto *o* eſt nota revocationis, ſive ſecundæ vocationis: experire in te rogo uſum vocantium, ſi alias non notaſti, quoniam qui alium vocat, in prima voce *o* non apponit, in ſecunda apponit, in tertia non replicat *o*, in quarta vero iterum dicit *o*; & ſic deinceps antequam reſpondeat ille, in diſpari ſine *o*, & in pari cum *o* format clamorem. Quum itaque audis, quod tuæ vocationi præponitur *o*, ſcito te alias ab eodem vocatam, & accuſa tarditatem tuam, & venerare cum gratiarum actione bonitatem & pietatem ſuam. Te quippe primo vocavit per creationem inſerens in natura ſui ipſius appetitum, juxta illud Boetii. Inſerta eſt naturaliter mentibus hominum veri ſummique boni cupiditas. Et nunc vocat per novi luminis infuſionem, ut altiora conſcendas. Etſi forſitan te vocavit ſummo mane pueritiæ, in tertia adoleſcentiæ, ſexta juventutis, nona virilitatis, & jam veniſti ad undecimam ſenectutis; ſaltem ſic pro te fatigato reſponde, pare vocanti, vineam intra, pro ipſo labora, plus acceptura quam tu ſcires petere, ut habetur in parabola, Matth. 20.

Sexto *o* eſt nota perfectionis: vocat enim te per *o*, ut perfecte ſequaris quam vult facere perfectam ipſe. Perfectum autem dicitur, cui addi nihil poteſt de eſſentialibus ſine ſpecifica mutatione ipſius, cui fit additio talis; & hoc modo dicti ſunt *perfectis cælum & terra & omnis ornatus eorum*, Geneſis 2. Licet enim homo potuerit eſſe perfectior in accidentalibus, ut ſcilicet non potuiſſet peccare, ſi habuiſſet majorem gratiam & hujuſmodi; in eſſentialibus vero non. Nam ſi adderet Deus aliqua animæ ſupra potentiam intellectivam, quæ eſſentialem perfectionem importarent, ipſa anima non eſſet ejuſdem ſpeciei cum prima, & ſic de aliis. Eſſentia litterarum eſt linea quædam, ſeu lineæ. O autem una linea perficitur, quæ principium fini conjungit, & ideo perfectior ceteris, ipſique *o* nulla poteſt fieri additio ſine ſui mutatione. Conſidera igitur quamdam lineam quodammodo eſſe animam tuam, cujus punctus primus eſt Deus. A puncto enim inchoatur linea, & punctus indiviſibilis eſt; ſic & Deus ex cujus manibus tu exiſtis per formationem. Medium hujus lineæ eſt fuga tua ab eo, quæ longe recedens ab ipſo longiſſimam lineam in obliquam per tranſverſum duxiſti, ab ipſo principio continue magis diſtando. At *ubi venit plenitudo temporis*, punctus primus unitus eſt ultimo, quando ſcilicet *Verbum caro factum eſt*, Joannis 1. *Verbum*, ecce punctus primus, *caro*, ecce punctus ultimus, *factum eſt*, ecce unio punctorum. Sicque venit ad perfectum humana natura hic per *o* vocitata. Quartadecima littera in alphabeto noſtro eſt *o*, & in tertia theſſeredecade unio deſcribitur naturæ in Chriſto a Matth. cap. 1. Dicit enim, quod ab Abraham uſque ad David ſunt generationes 14. & a David uſque ad tranſmigrationem Babylonis 14. & a tranſmigratione uſque ad Chriſtum 14. ubi magnum innuitur ſacramentum. Anima enim in principio antiquorum per triplex *o* ad Dominum ſuſpirabat: prima per *o* dicens: *Oſculetur me*; ſuſpiravit per ſecundum dicens: *oſculo*; ſuſpiravit per tertium dicens: *oris ſui*. Trinam enim perfectionem deſiderat anima. Prima eſt unionis, quæ fit per incarnationem. Secunda eſt operationis, quæ datur per perfectæ gratiæ infuſionem. Tertia eſt naturæ & communicationis ſeu glorificationis, quæ fit per ultimæ beatitudinis acceptionem. Prima theſſeredecas incipit ab Abraham, cui incarnandi Verbi facta eſt repromiſſio prima. Secunda incipit a David, qui tam perfectus fuit, cui Dominus diceret: *Inveni hominem ſecundum cor meum*. Tertia perfectio exoritur in tranſmigratione a Babylone ad Hieruſalem patriam repromiſſionis jucundæ, & conſummatur in Chriſto numquam intermediando. Item nota, quod *o* eſt littera quarta vocalis, ut cum te per *o* a Domino ſentis vocari, recorderis quod in patre tuo Abraham tibi promiſit: *Quarta generatione revertentur huc*, Geneſ. 15. ſcilicet ad terram promiſſionis ſupernam patriam figurantem: & de filiis Abrahæ facta eſt illa promiſſio, qui ſunt viri fideles eum imitantes. Generationes autem illæ ſpirituales ſunt, & in quolibet poſſunt intueri. Nam prima eſt per fidem, ſecunda per ſpem, tertia per caritatem, quarta per adnihilationem ſeu humilitatem; & tunc reverteris huc, quia huc me dignus eris, ideſt mei gloria. Ideo igitur per *o* te vocavi, quæ littera eſt quarta inter vocales, quia in quarta generatione virtutum ſupradictarum perficienda es, & *o* eſt nota perfectionis: O *altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus* &c. Rom. 11.

Anima deſiderat trinam perfectionem.

§. II. Secundo notatur excellentia & nobilitas animæ ex eo, quod aſſimilatur mulieri, quum dicitur *pulcherrima*, ſcilicet mulier. Ex iſto vocabulo mulieris ipſa anima comparatur Angelis, reperitur in feminis, commendatur in ſcientiis. Hæc tria ſecundum Scripturas genera rerum ſignificantur per mulieres.

Anima aſſimilatur mulieri propter tria.

Angelos ſiquidem quantum ad primum reperio a ſumma veritate tam mulieres quam viros nominatos in uno eodemque ſermone, ubi tractatur parabola ovis & dragmæ perditarum. In inventione ovis perditæ vocantur amici & vicini. In inventione vero dragmæ amicæ & vicinæ, ut habetur Lucæ 15. Sub nomine quoque filiarum Hieruſalem interpellat anima Angelorum ſubſidia, dum ait Can. 1. *Filiæ Hieruſalem, nolite conſiderare, quod fuſca ſim*, ideſt obſcurata per peccata. Dicuntur ſiquidem Angeli viri ratione victoriæ contra hoſtes noſtros dæmones, mulieres autem ratione gratiſſimæ & attrahentis venuſtatis. Utique pulchrior eſt vir muliere, ſed ſpecies mulieris magis allectiva, quam ſpecies virorum. O igitur anima, *ſi te ignoras*, pulchritudinem tuam inter Angelos quære. Eſt anima angelicæ naturæ perſimilis, & quaſi unus ex illis. Non quod ſis Angelus, nec ejuſdem ſpeciei cum eis; Angelis tamen te ſimilem puta, ut inter Angelos decorem tuum cognoſcas. Decem quidem dragmas ad uſum eumdem creator in principio de nullo ente produxit, quarum una anima eſt, quam perditam quæſivit mulier, ideſt ſumma ſapientia, accenſa lucerna in myſterio incarnationis. Ibi notatur materia lucernæ, quæ eſt terra ſecundum uſum quorumdam locorum, & lychnus cum oleo & lumine; ſic in myſterio incarnationis peracto a divina ſapientia, quæ eſt Deus, invenitur teſta corpus de terra, lychnus animæ puriſſimæ cum oleo gratiæ, & lumen divinitatis in uno homine Chriſto, & per hanc lucernam reperta eſt dragma

naturæ

naturæ humanæ una ex decem. Licet autem omnes Angeli cum animabus unius dicantur esse naturæ, hoc est in genere in quantum intellectiva; non tamen unius speciei, sicut lapides pretiosi omnes dicuntur unius naturæ generalis inquantum pretiosi; sunt tamen specie differentes, & perfectior unus altero, ut jaspis, smaragdus, saphyrus, carbunculus, & hujusmodi: sic & Angeli singuli sunt specie differentes. Nam quod Ezechiel posuit novem nomina lapidum pretiosorum de Angelis loquens, hoc refert Gregorius ad ordines ipsorum, qui novem sunt, ut Homel. exponit, non ad species eorum, quæ innumeræ sunt, quia tot quot Angeli numero secundum B. Thomam & Albertum. Animarum vero, quarum una species tantum est, omnium tanta perfectio est, ut cuilibet Angelo in gradu & in gloria possit æquari. Quinimmo anima Christi excedit Angelos cunctos, & mater ejus Virgo beatissima super omnes choros Angelorum etiam exaltata laudatur. Si igitur Angelorum pulchritudinem vales reperire, tuamque inter illas cognosces; Angelorum autem pulchritudinem admirandam prædicant comparationes, narrations, rationes. Comparantur enim luci, unde sub nomine lucis intelliguntur creati, quum dictum est Gen. 1. *Fiat lux*, secundum Augustinum stellis etiam, quæ clarissimæ sunt. Unde Jobi 38. dicit Deus: *Ubi eras.... dum me laudarent astra matutina*, ideſt Angeli, & *jubilarent omnes filii Dei*, ideſt Angeli boni tantum? *Stella* autem *differt a stella in claritate* secundum Apostolum, 1. Cor. 15. in specie; sic & Angeli. Soli quoque comparantur, Matthæi 13. *Fulgebunt justi sicut sol*; lapidibus quoque pretiosis, ut patet per Ezechielem. Narrationes quoque ostendunt pulchritudinem Angelorum. Quantæ enim venustatis sunt æstimandi, ad quorum aspectum expavit Regina cælorum: nam *turbata est in sermone* Archangeli, Luc. 1. Tremuerunt pastores, quum eis apparuit Angelus magna cum luce, ut habetur Luc. 2. Mulieres quoque sanctæ corpus Dominicum ad sepulcrum quærentes ungendum, Matth. ult. Ipse denique Aquila grandis, quæ solem verum irreverberatis oculis potuit intueri, dicens: *In principio erat Verbum* &c. cecidit ante pedes Angeli secum loquentis, ut eum adoraret, ex magnitudine fulgoris motus & gloriæ, ut habetur Apoc. ult. Vivacissimæ demum rationes Angelos speciosissimos protestantur. Quales enim servitores & ministros debuit sibiipsi creare pulcherrimus Deus omnipotens & sapientia totus, qui fecit sidera viva in convexo cælorum, qui tam splendidas stellas vita privatas in concavo fixit? Quales sunt æstimandi, qui sine fine absque medio faciem divinam, omneque decus prospiciunt, & venustantur ab eo? Quales sunt, qui omnem creaturam præcellunt, juxta illud Ecclesiastici 1. *Primum omnium creata est* * *lux*, ideſt Angelica natura, prioritate scilicet dignitatis, non temporis, ut exponit Magister in 2. Dist. 2. Quales sunt, quibus *sol & luna deserviunt*, corporaque cælestia cuncta, prout jubent ad nutum, unde & a philosophis motores orbium cælestium dicuntur? proculdubio ipsorum species vernans intellectus nostri facultatem excedit ut comprehendamus ex eo, quoniam anima nostra eis assimilata pulchrior est, quam noscere possumus, quæ quærenda inter Angelos quasi in eis fundata veritate attestante, quæ ait: Æquales sunt Angelis Dei, Matth. 22.

Angelorū pulchritudo ostenditur ex tribus.

* sapientia *legitur.*

Secunda via, per quam ducimur ad inveniendam veritatem decoris animarum, est considerare feminarum spirituales pulchritudines in scripturis commendatas, hujus rei figurativas. Sicut enim

Pulchritudo mulieris innuit decorem animæ.

quum dixit Angelus ad Mariam: *Benedicta tu in mulieribus*: & Helisabeth ad eam: *Benedicta tu inter mulieres*, voluerunt illo elogio signare prædictarum mulierum benedictiones, virginis tantæ gratiam & benedictionem copiosissime figurare, sic locutio præsens potest exponi, quum dicitur: *O pulcherrima inter mulieres*, ut sit sensus: Si inter mulieres quæsieris, pollutam te videbis. Harum autem fulgentem decorem demonstrant ista.

Sanctorum verborum studiosa narratio.

Castorum virorum amorosa sectatio.

Suorum membrorum copiosa paratio.

Quantum ad primum. Quum inter cetera bona moralia placita Deo, castitatis integræ virtus teneat principatum, quæ non solum contactu sed aspectu quoque & memoria sexus alterius amittitur, nequaquam summus ejus amator Spiritus sanctus, qui etiam de mentibus castis placidum sibi construit templum, tam sedule in scripturis sanctis mulierum memoriam faceret, atque tam crebre aliquarum pulchritudinem narraret & commendaret mirandam, nisi spiritualem animæ nos vellet docere decorem. Sicut enim unitatis & pacis singularis amator, bellorum narrationi in toto veteri testamento principaliter videtur insistere, non ut armorum tradat doctrinam, sed ut bello spirituali contra spirituales nequitias in cælestibus devotos armaret atletas fideles, ut dicit Gregorius 23. quæst. 1. *Nisi*. Sic fragilioris sexus venustatem commendat puritatis amicus animarum, ut cognoscentes decorem, toti in ipsarum conspectu conversi, opere consummato dicamus: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*, scilicet animæ. Nam quantum ad pulchritudinem corporalem earum interdixit aspectum Salvator dicens, Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Et ad animarum notitiam & amorem fere totam suam extendebat doctrinam. *Quid enim proficit homini, si lucretur universum mundum, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* Matth. 16. Quidquid igitur commendatum reperieris in pulchritudine Saræ mirabilis, spectabilis Rebecæ, concupiscibilis Rachelis, Dynæ venustæ, elegantis Arseneth, Michol amabilis, subvertentis animum fortis Bersabeæ, speciosæ Judith, Hester amorosæ, gratiosæ Thamar & aliarum, totum intellige de animabus figuratam pulchritudinem, quas si videres, nihil post Deum posses præter eas amare.

Demonstrat secundo hoc idem castorum virorum erga mulieres amorosa sectatio. Quis enim credendus est purior Adam in statu innocentiæ? Quis Abraham castior, cujus matrimonium comparatur virginitati Baptistæ? Quis mundior sancto Jacob censendus est, cui revelata sunt secreta cælestia, quæ videri non possunt nisi mundo corde. Numquid dicemus impudicos Samsonem, aut Davıd, quorum primus exstitit sanctus antequam natus, alterum vero Dominus dixit invenisse hominem secundum cor suum? de ceteris taceo. Hi tamen tales & tanti ad mulierum consortium videbantur totaliter tracti figurantium animæ pulchritudinem, ut discamus in eorum figura, quanto ad animarum decorem rapi debeamus affectu. Ecce enim primus protestatur, scilicet Adam propter hanc solvenda fore jura naturæ, & genitores relinquendos, ut patet Gen. 2. Tam pulchra est enim anima tua, ut propter hanc, si cognosceretur ab homine, relinqueretur pater, & mater, filius frater, & soror, & alii domestici, ager & domus & quidquid possidetur in terra. Si prophetavit primus Adam, sic propter animam fiendum

Omnia relinquenda pro anima.

esse gloſſavit ſecundus Adam, ſcilicet Chriſtus, Matth. 19. ſic & Abraham, qui faciliter terram, domum paternam, & cognationem deſerit, quinimmo feſtine currit dilectiſſimum unigenitum ſuum immolare; & tamen ab uxore ſua Sara non videtur posse abſcindi. Tam ſpecioſam animam esse Sara viro ſuo ſub figura ſui oſtendit, quod vidit cum ſummo esse ſtudio cuſtodiendam & numquam relinquendam. Sub aliis verbis hæc Redemtor expreſſit: *Sint lumbi veſtri præcincti*, inquit Luc. 12. *& lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis*. A nuptiis enim ad nuptias Dominus revertitur, quando animam tuam aſſumere ſibi venit uxorem. Et iterum: *Si ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam* corporis ſui, in quam abſconditus eſt divinus theſaurus animæ in vaſis fictilibus. Cuſtodi igitur animam Saram pulcherrimam, ſcilicet animam tuam, quoniam hanc non ſolum amat Abraham, ſcilicet Deus vel ſapiens quique, ſed etiam laudant eam principes infernales apud Pharaonem Regem ipſorum. Amat eam Abimelech, ſcilicet ſenſualis affectus, rapitur in ejus aſpectu truculentiſſimus Holoſernes, ſcilicet mundus, hanc, ſi poteſt, gentilis Aſſuerus conjugem facit, ſcilicet Philoſophus vel poeta gentilis. Multos habet amatores, & ideo cuſtodi eam ut pupillam oculi tui. Quod ſi te invito tollatur, quum te contingit vacare circa proximum & actualem cuſtodiam de anima tua non habere, gaude eam prius talem feciſſe, ut non conſentiat Pharaoni vel Abimelech, ſi invitaretur ad ſtuprum, nec Holoferni, ſæculo videlicet nequam. Et cum hoc ora pro ipſa, ut eam Deus ſemper a vitiis ſervet immunem. Quid mihi prædicat illa ſervitus longa Jacob ob amorem unius puellæ, videlicet Rachelis? Gen. 29. niſi quia ut iſtam animam vere habeas tuam, & non ſit aliena ſeptennio, & ſeptennio debes tuam vendere libertatem, ſtudendo ſub obedientia ſancta, devotum reddere famulatum, corpus ſubdendo, & propriam voluntatem in ſeptem operibus miſericordiæ corporalibus & ſeptem ſpiritualibus. Amor autem Samſonis ad Dalidam docet tantam esse animæ venuſtatem, ut propter hanc non contriſtandam, tota ſalus corporis ſit relinquenda. Ita volo intelligas ſalvatorem tibi ſalubriter conſulentem & dicentem, Matth. 5. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & ſiniſtram*. Dextera quippe anima eſt, corpus ſiniſtra; ſit ergo corpus ſcutum animæ, & omnia temporalia extra animam ſint ad ſui protectionem lacerata. Venit quidam ad te, petit tuam animam vulnerare per hoc, quod ad aliquod malum ipſam inclinare conatur; ſed tu prudenter cetera, quæ ſunt ſiniſtra, pone inter ipſam & animam tuam. Rapiat bona fortunæ, filios mactet, verberet carnem, amicos auferat, & omnia, quæ poteſt, mala perficiat, dummodo ad dexteram numquam pertingat, ſicut ſanctus Job prædicta plene ſervavit, ut habetur Jobi 1. & 2. Non patitur mori propheta David niſi in ſinu puellæ multum ſpecioſæ Abiſag, ut intelligas quod ante expoſuit faciendum in pſal. 118. quam id figuraliter adimpleret dicens: *Anima mea in manibus meis ſemper*, ita venuſta eſt & ſpecioſa, & a quampluribus concupiſcibilis anima, quod numquam eſt relinquenda & uſque ad mortem colenda & relinquenda, ita ut quum eam a corpore abire contingit, de manibus tuis tranſeat ad manus divinas dicendo. *In manus tuas, Domine, comendo ſpiritum meum*, ideſt animam, & ſic de ſinu tuo tranſeat ad ſinum Abrahæ, quod idem eſt.

Tertio inter mulieres pulchritudo animæ reperitur figurative, ſi conſideretur quanto ſtudio ſe ornaverunt quædam ſanctæ mulieres, de quibus in Scriptura agitur, & quod viri ſancti pudici, puellis ornamenta ſunt plurima largiti. Res pulchra mulier eſt & fortis ac dominans regi, ita ut non poſſint homines a mulieribus ſeparari, ut dicitur 3. Eſdræ 4. Quinimmo multos fecerunt apoſtatare a Deo, unde opus non eſt ei ornari, ut viros ſeducat vel placeat bonis. Quare ergo a juſtis & ſanctis ornamenta, ut inaures, dextralia ac monilia multa non antiquis, ſed juvenculis & ſpecioſis, potiuſquam indecentibus traduntur. Non utique, ut alliciant oculos ad incontinentiam, ut non ipſæ ſuperbiant, non ut magis ornatæ placeant maritis ſuis, quia tunc potius darentur antiquis quam adoleſcentibus & citius deformis, quam elegantis formæ. Subeſt igitur ſenſus ſpiritualis incluſus, quum dicitur: *O pulcherrima inter mulieres!* Quo enim pulchrior eſt mulier junior, libentius ſe ornat ad innuendum, quia ad hoc pulcherrima anima & adoleſcens, quæ numquam seneſcit, impellit, non quidem ut caro fœtida componatur, ſed ut in marcida carne ſua pulchritudo aliqualiter repræſentetur. Vel melius puto dicendum, quod quum anima pulcherrima virtutibus affectet ornari, caro ſuperba in ſemetipſam ornamenta convertit, & hinc eſt, quod novi teſtamenti primi paſtores, talia cuti non convenire declarant: 1. Petri 3. *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis &c. quarum ſit non extrinſecus capillatura aut circumdatio auri aut argenti, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus... Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe*, &c. Et 1. ad Timoth. 2. dicitur: *Ornantes ſe*, ſcilicet mulieres, *non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa, ſed quod decet mulieres* &c. Deſideratus igitur cultus ſpecioſus & mulieribus conceſſus ornatus, miram animarum pulchritudinem clamat, quum ſimile ſuum appetat ſimile.

Commendatur tertio anima ſub mulieris nomine, quum dicitur: *O pulcherrima*, ſcilicet mulier: ex eo quod nomine mulierum & ſcripturarum doctrinæ ſive ſcientiæ intelliguntur, & maxime in libris ſapientialibus. Salomon enim doctrinas & leges mulieres vocavit in Proverbiis, præcipue inter quas pulchra dicitur anima, quia in ſcripturis ſanctis, & vanis ejus admiranda ſpecies a pluribus deſignatur. Et una quidem mulier eſt poeſis vaga & compoſita, quæ ſub nomine Pſychem cujuſdam puellæ de Græco in Latinum translato, animam importantem miram elegantiam animæ deſcribit. Alia mulier loquax & ornata, eſt hiſtoria narrans animas in divina effigie viſas fuiſſe, floribus coronata, immo ſtellarum luce veſtita. Adeſt mulier tertia aſtrologia nuncupata, cujus ſtudium eſt demonſtrare humanas animas de cælo deſcendere & per ſingulorum orbium, per quos tranſitum faciunt, influentiam virtutum ſuſcipere, ſicque decoratas humana carne veſtiri. Moralis autem mulier fragrantibus roſis hinc inde cooperta, hominem fatetur conſtare ex cæleſti terrenaque natura, & ex parte prima ſpecioſa cælum ſpecioſum valeat poſſidere, & ex alia moderetur terrenis. Garrula & litigioſa mulier dicta civilis. Sequitur dictam auro texta canonica mulier, & pulchritudinem animæ conſiderandam in toto corpore juris, & amiſſam recuperandam per pœnitentiam multum inſudat. Currit ſeptima mulier, quæ ubi non eſt, ingemiſcit æger, philoſophia practica, vulgato nomine medicina dicta, & animæ pulchritudini veritatis teſtimonium reddens. Dicit auctorem ſummæ naturæ hominem ex diſtantibus ſumme in eodem genere compoſuiſſe, ex nobiliſſima ſcilicet anima, & ignobili terra. Speculativa autem mulier naturalis lapidibus pretioſis accincta, ani-

animam vocat ſidus cæleſte, cæli portionem, radium Dei, vel aliquid eſſe divinæ naturæ, non habens quid venuſtius dicat. Verum mulier fortis & ſancta theologia ſacrata, ut animarum innumera teſtimonia præteream, id dicit, quo majus non reperitur, factas animas ad imaginem Dei pulcherrimi. Ecce pulchra inter mulieres, quam facile ſcire potes, quod es pulchra creatura? Unde & Can. 1. dicit de anima ipſe ſponſus Chriſtus: *Ecce tu pulchra es, amica*, ſcilicet naturaliter, *ecce tu pulchra*, ſcilicet per gratiam adjunctam ſpiritualiter. Et Ezech. 16. *Facta es decora vehementer nimis*.

Anima cõparatur mulieri.

§. III. Quantum ad tertium, ſcilicet terminum comparationis, notatur etiam pulchritudo & nobilitas animæ ex eo, quod dicitur *inter mulieres*. Comparatio enim ejus eſt inter mulieres. In 1. Phyſicorum dicitur, quod materia appetit formam, ſicut mulier virum appetit, unde & mulieris caput ſive perfectio dicitur vir: neſcit quidem mulier ſe regere, niſi regatur a viro. Propter quod deficientibus maſculis & integro numero mulierum perſeverante, ſcribitur Iſai. 4. *Apprehendent ſeptem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum*. Quum igitur Chriſtus ſit vir animæ, quæ mulieri comparatur, quum dicitur *inter mulieres*; oſtenditur ex hoc pulchritudo & nobilitas ejus, quia naturaliter inclinatur ad Chriſtum Deum & hominem. Inclinatur utique anima, etiam ſi eſt beata, ad corpus ſuum, ſed ſicut perfectum ad imperfectum, ut videlicet perficiat vaſculum ſuum. Ad Chriſtum autem ſeu Deum inclinatur ſicut imperfectum ad ſuam perfectionem. Sed nota ſecundo, quod non abſolute diceris: *O anima pulchra*, nec etiam faciendo comparationem ad alia diceris pulchra inter viros, ſed *inter mulieres*; abſolute pulcher eſt Deus, immo pulcherrimus, juxta illud Boetii de philoſofica conſol. Mundum mente geres ſimili ſub imagine formans pulchrum pulcherrimus ipſe, caput mulieris vir eſt, caput viri Chriſtus, caput Chriſti Deus; pulcherrimus igitur Deus. Unde abſolute dicitur: *Ecce tu pulcher, dilecte mi; ecce tu pulcher*, Can. 1. quia incomparabiliter ſuper Angelos & homines pulchrior Chriſtus, inter viros & inter omnes ſanctos & Angelos: ſed pulchra anima inter omnes alias creaturas, etiam ſuper Angelos, in quantum ſcilicet deificata, id-eſt deitati unita anima humana in Dei verbo, ſed in ſe conſiderata non pulchrior Angelis.

Unde tertio nota in comparatione hac: quia non dicit inter virgines, ſed *inter mulieres*. Mulier proprie eſt femina corrupta, virgines utique Angeli ſunt, non ſolum quia corruptionis corporalis inexpertæ, ſed quia numquam in aliquo deliquerant; animæ vero poſt primam tranſgreſſionem, excepta anima Chriſti, omnes reperiuntur corruptæ originali peccato. Poſt Deum igitur & Angelos maxima reperitur pulchritudo tua inter omnes creaturas, quinimmo ut in Chriſto eſt noſtra natura, nobilior etiam Angelis reperitur; unde & ſecundum Apoſtolum ad Hebr. 1. *Quum introducit*, ſcilicet Deus pater, *primogenitum in mundum, dicit*, ſcilicet de eo, *adorent eum omnes Angeli* tamquam ſuperiorem ſuum. O igitur pulchra *inter mulieres*! & in hoc quoad primum.

Anima neſcit quid ipſa ſit.

§. IV. Quantum ad ſecundam partem, quæ pertinet ad primum membrum diviſionis principalis, notatur defectio cognitionis naturalis, ibi: *Si te ignoras*, ſi quidem neſcit anima, quid ſit anima, & quæ cetera videt, ſeipſam non videt, longe extra ſe poſita ſpeculative rimatur, & intrinſeca ſua dicitur ignorare, ſicut accidit de oculo, qui quum cetera videat, ſe non videt. Unde enim diſputantium philoſophorum tot de anima opiniones ponuntur, niſi quia nullus ſui naturam cognovit. Mox autem, ut anima eſt ſeparata, poteſt uniri per contactum alteri animæ, & videns aliam animam cognoſcit ſeipſam: ſicut & Angeli ante confirmationem, videndo ceteros, ſe videbant in illis, dignitatem propriam ex illo intuitu conprehendentes aperte. Sed dicet aliquis non inepte ſecundum regulam juris: *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, *De reg. jur.* lib. 6. cap. *Nemo*. Si igitur anima non poteſt ſe cognoſcere, ergo non obligatur ſe ſcire: & ſi non obligatur, non peccat ſe neſciendo, nec eſt digna pœna. Sed quum ignorantia ſit pœna, ergo non eſt dicenda ſe ignorare, ſed potius neſcire, ſicut & Angeli, quum non omnia ſciant, dicuntur tamen illa, quæ non noverunt, neſcire, non autem ignorare. Sed ad hoc reſpondetur, quod in Scriptura aliquando ignorantia ponitur, pro neſcientia; unde illud Pſalmiſtæ: *Quæ ignorabam*, ideſt neſciebam, *interrogabant me*, pſal. 34. Et loquitur de Chriſto ſecundum partem ſenſitivam, in qua tempore paſſionis videtur fuiſſe neſcientia, non autem ſecundum partem intellectivam, in qua non ignorantia neque neſcientia erat aliqua eorum, quæ ſunt fuerunt, & erunt, ſed omnia ſciebat. Secundo poteſt dici aliter, ſcilicet quod imputatur a ſe ignorantia; ſicut & originale peccatum, cujus eſt pœna, per propagationem derivatum eſt in poſteros a primo parente. Si enim Adam non peccaſſet, non eſſet anima corporis ſerva, ſed domina, non obcæcata tenebris peccatorum, ſed illuminata luce virtutum, cum qua ſiquidem luce, quæ fuiſſet animabus communis omnibus, ſe fortaſſis cognoviſſet & quæ modo ignorat. Tertio poteſt ſic reſponderi: ſicet anima ex toto ſe non valeat cognoſcere abſque luminis infuſione, poteſt tamen ad talem cognitionem venire, ut de ſe non præſumat, & non dicat quaſi præſumendo: *Oſculetur me oſculo oris ſui* &c. quaſi ſit hujuſmodi digna. Ignorat ergo prima

Triu ignorat anima.

Suam iniquitatem actualem,
Suam infirmitatem virtualem,
Suam inſtabilitatem, & imbecillitatem viſualem.

Suam iniquitatem.

Quantum ad primum nota, quod nullus eſt ita alienus a fide, dum vera ſpeculetur, ſequendo naturam, qui aperte non cognoſcat ſe Deo obligatum & immenſe ingratum. Iſta enim tria in natura ſpeculanti nota videntur. Primum eſt, quod unus eſt princeps, a quo cuncta procedunt, reguntur, & conſervantur in eſſe. Hæc concluſio, ſeu ſententia procedit ex dictis Platonis & Ariſtotelis, qui in naturali ſcientia potiores habentur. Secundum eſt, quod ſuo benefactori quilibet eſt obligatus ſecundum proportionem beneficiorum datorum & receptorum. Hanc non ſolum homines natura docet, ſed & muta tam fera, quam domeſtica. Ex his duobus ſequitur, quod homo ſumme Deo obligatur, a quo ſumma recepit, & recipit etiam in unoquoque momento. Tertium notum eſt omnibus, quod ingratitudo eſt magnum peccatum; gravius tamen ſecundum qualitatem dantis, dati, & recipientis. Hanc dilatat Moralis, & extra fidem, Seneca per magnam partem libri de beneficiis. Hic apud omnes naturales, ſive gentiles mos fuit in qualibet terra, unum templum ſaltem habere cum ſacerdote, qui Deum propitiaret offenſum, & beneficium laudaret. His præſuppoſitis, patet, quod homo, etſi nil aliud malitiæ geſſerit, Deo eſt ingratus, & ingratum debet maxime ſe reputare, niſi in divinas laudes ſit ſemper diffuſus, dicens: *Semper laus ejus in ore meo*, pſal. 33. Vel niſi pro ipſo ſit ſemper paratus ſe impendere totum illud frequentans a

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi &c. pſal. 115. De quibus tamen pauciſſimi reperiuntur & fere nulli, ut decet; & tamen anima habens aliquid bonæ voluntatis, audet dicere: *Oſculetur me* &c. quaſi ſit digna divino oſculo, quum fuerit multipliciter adulterata, & os habeat fœtidum & ſpurciſſimum.

Suam infirmitatem.

Secundum, quod quis ignorat, quod tamen per viam naturæ ſcire poteſt, eſt ſua infirmitas & potentiarum ſuarum debilis validudo aut nulla. Si enim ſpeculata fuerit ſub curſu naturæ ſuam defectionem temporalem, qua continue tendit ad mortem ſuam, apprehendit infectionalem converſionem; quia quidquid in ſuo uſu capit, corrumpit, & carnem ſuam fœtidam etiam vivens linit in vermes, ſuam principalem operationem, ſecundum quam potius tranſmutat, quæ Deus facit, quam ipſa aliquid producat, ſicut conſiderari poteſt in qualibet arte; dicet pro certo ſuum facere, eſſe deficere, & ſuum poſſe, impotentiam nominabit. Vis, o anima, de te gloriari, aut te extollere de potentia vel opere tuo? Audi dicentem tibi Pſalmiſtam: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* pſal. 51. Ecce tota gloria tua, ſubvertiſti regna, homines occidiſti, igne conſumſiſti multa, quæ Deus creat. Sic fecerunt Nabuchodonoſor, Alexander Magnus, Cyrus, Cæſar, Octavianus & alii. Forte libros compoſuiſti, ut Ariſtoteles, & Plato, & Plinius, Auguſtinus, Origenes, & Hieronymus & hujuſmodi, &, ut dicis, aliquid feciſti, ordinaſti eos partibus, catenaſti connexis veritatibus, repleſti, adornaſti floribus, ſanctorum rationibus colligaſti, ut B. Thomas, Albertus, Bonaventura, Richardus Ægidius de Roma & hujuſmodi, novitatibus decoraſti, quibus lætantur moderni, ſilva mulcentium aures ſecularium litterarum adumbraſti, & coloraſti figuris, & dulci curſu ſermonis, ut Lactantius, Alanus, Dantes, Franciſcus Petrarcha & alii. Erras, ſi hoc dicis te feciſſe; nam quidquid habent veritatis, affabilitatis, vel ordinis, totum eſt alienum, tua conſcientia teſte. Si quid autem in eis exſtat falſitatis, vanitatis, & defectus, totum illud egit ignorantia tua, præſumtio tua; utinam non aliquando malitia tua. Si dicis, o anima, ædificia magna conſtruxi, erexi turres, & mœnibus altis civitates plurimas auxi, ut Arphaxad, Salomon, Diocletianus, & Nembrot; ſed reſpondeat tibi veritas tua, & dicat: Stabiles montes fodiſti, & ex lapidibus inde ſublatis ruituras domos feciſti. Ecce, quia defeciſti, & non proprie feciſti. Revertere igitur ad cor Hieruſalem, & ſcias te non poſſe niſi mori, peccare, deſtruere, & corrumpere. Quum autem tibi aliquid attribuitur, vel æſtimas ex te aliquid eſſe, quum nihil ſis, & aliquid poſſe, quum ſine Deo nihil poſſis, *te ignoras*.

Suam inſtabilitatē & ẖbecillitatem viſualem vel ẖtellectualem.

Quantum ad tertium ignorat animam ſuam inſtabilitatem & imbecillitatem viſualem ſeu intellectualem, quæ tamen ex ꝑvia naturæ ſcire poteſt. Novit unuſquiſque ſe labiliſſimam habere memoriam, intelligentiam valde mutabilem, ut quum uni concluſioni oſtenſæ adhereat, audita aliqua ratione, in contrarium ad illud aſſentit. Volitivam plus variabilem, quam dies duodecim horarum varietur per eas. Ignorat ſi ſapiens fuerit, vel ſi inſipiens, ſi bonus vel malus, ſi odio vel amore ſit dignus, nec ſibi quiſpiam vitam æternam poteſt polliceri: quanti enim caſus humana rotant. Sed & quanta intellectus imbecillitas poteſt quis videre, ſi conſideret, ex quantis præmiſſis tamquam cauſſis eſſentialiter ordinatis, ad unius concluſionis intellectum oportet eum devenire. Unumquodque enim tunc arbitramur ſcire, quum cauſſas ejus ſcimus, ut principia prima uſque ad elementa, ut ſecundum doctrinam traditam a naturali, vix de aliquo ente habeat intellectus concluſionem per ſe notam aut demonſtrativam. Conſideret etiam, quod duo ſimul non valet diſtincte actualiter intelligere, ſed unum poſt aliud, niſi plurima ſimul ſub uno conſpeculetur, non diviſim, ſed conjunctim. Sicut multos ſimul Angelos cogito ſub iſto communi conceptu Angelus, Gabrielem & Michalem, prout duo ſunt, intueri non poteſt ſe determinans ad utrumque. Conſideret tertio anima, quo magiſtro regatur, vel doceatur, ſcilicet ſenſu corporeo; & ex hoc fit, ut qui caret uno ſenſu, careat & ſcientia illius objecti. In æternum enim cæcus non ſyllogizabit de coloribus. Quum ergo proſpexerit, homo ſe habere oculos veſpertilionis vel noctuæ, quomodo poteſt ad limpidiſſimi ſolis audere oculis irreverberatis lucem inſpicere? Diſce ergo te frequenter inveſtigare, ut excludatur præſumtio, qua te ignoras, multa cogitas, facis, & dicis incongrua. Et ideo *egredere, & paſce* &c. quod tertio loco poſitum reſtat declarare.

Docetur anima, quomodo poſſit venire ad perfectionē internam.

℣. II. Quantum ad tertium principale dicebatur, quod datur inſtructio perfectionis internalis, ideſt docetur anima, quomodo poſſit venire ad perfectionem; unumquodque enim naturaliter appetit ſuam perfectionem; docetur autem anima in verbis, quæ ſequuntur, dum dicitur: *Egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos juxta tabernacula paſtorum*. In quibus verbis tres quæſtiones ſunt videndæ & declarandæ. Et prima, quis ſit terminus deſerendus, ibi: *Egredere*. Secunda, qui ſit terminus requirendus, ibi: *Abi poſt veſtigia*. Tertia quis ſit ille locus collendus: ibi: *Paſce hœdos tuos*.

Anima unde debet egredi.

Quantum ad primam quæſtionem reſpondetur, quia a loco, in quo quis eſt, poteſt egredi, & non de alio; & ideo non fuit opus, quod breviloquiis magna loquens exprimeret, ſed diceret *egredere*. Reſtat ergo, o anima, ut tu ſtatum videas tuum, & non parvipendas, ubi es, quando tibi loquitur electus tuus, doctor tuus, dicens: *Egredere*, & inde exi, ſi vis obedire mandato, & ad ſupernos aſcendere gradus. Timenda eſt valde illa Domini vox, de qua dicitur Apoc. 3. *Utinam frigidus eſſes aut calidus! ſed quia tepidus es, & nec frigidus es, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo*. Et quid ſit iſta tepiditas, quaſi declarans ſubdit: *Dicis in corde tuo, quia dives ſum & locupletatus, & nullius egeo*: & *neſcis quia miſer es & miſerabilis, pauper, cæcus & nudus*. O mala tepiditas, quæ vere ſpem converſionis abſcidit! ſed illam dico malam, quæ calorem ſequitur, non autem quæ præcedit, quæ ad remiſſionem tendit fervoris, non quæ ad fervorem diſponit. Aqua enim, quæ debet caleſieri, prius tepet, quam caleat; & iſta tepiditas non eſt mala, quia tendit ad bonum. Demum poſtquam eſt calida effecta aqua, ſi igni non adhæreat, iterum ad teporem deſcendit; hæc tepiditas mala eſt, quæ tendit ad frigidum, & citius congelat in glaciem, quam ſi calida numquam ante fuiſſet. Natura enim fortius agit ubi majorem reſiſtentiam ſentit: qui enim aliquando fuit bonus igni divino applicatus, & paullatim inde recedens, calorem illum non nutrit, ſed remittit, ad talem obſtinationem deſcendit, quod in ſtomacho divinæ digeſtionis, ubi ſeparatur pretioſum a vili, bonum a malo, ſtare non poteſt. Hoc autem accidit omnibus ſpiritualibus, qui manum ſuam poſuerunt ad aratrum, & poſtea ſe retro verterunt, in inchoata pœnitentia vel religione non ſe conſervantes. Quibus timendum eſt, ne tangantur illo Apoſtoli fulmine, quo dicit: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſanc-*

ti,

ti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes filium Dei ſibimetipſis. Ad Heb. 6. *Impoſſibile* intelligit, ideſt valde difficile. Cave tibi, qui legis; cave & tu tibi, qui ſcribis. Anima vero proficiens & Deum ſuum gradatim quærens, ſecunda hac tepiditate non tenetur, ſed prima; ideoque non ſolum meretur veniam, ſed etiam juvari, ut proficiat & caleſiat perfecte. Hinc eſt quod docetur, quomodo creſcat incipiens a propria cognitione, ad quam hæc eſt via, ut ſcilicet egrediatur a ſuis, juxta illud dictum Abrahæ, Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi. Faciamque te in gentem magnam. Egredere*, inquit, *de terra tua*, ideſt de affectionibus terrenis, quibus quæris, quæ tua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, de amore divitiarum, honorum, deliciarum, conſanguineorum & hujuſmodi. *Egredere de cognatione tua*, ſcilicet ſingularis excuſationis in mente tua, vel etiam coram aliis tuorum defectuum *per verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis*, quum tamen *juſtus* (ut ait Sapiens in principio ſermonis) *accuſator eſt ſui.* Hanc autem dixerim tuam cognationem, quam ſcilicet traxiſti a primis parentibus tuis, qui culpam ſuam excuſantes in auctorem retorſerunt. Sed ſi te excuſas, ait Auguſtinus, Deum accuſas. *Egredere de domo patris tui*, ſcilicet aliqualis præſumtionis, qua tibi bona aliqualiter aſcribis, & majora quam ſint, de te credis vel tuis exercitiis, quum non ſis ſufficiens aliquid ex te, ut ex te, boni cogitare. Pater tuus primus in mundi ingreſſu ex uxero diabolus eſt: natura filius iræ propter originale. Domus ejus, in qua ab initio inhabitavit, præſumtio fuit, qua ſua virtute ad gloriam voluit aſpirare. *O præſumtio nequiſſima*, inquit Sapiens, Eccleſiaſtici 37. *unde in hominibus nata es*, quum ſcilicet undecumque habeant occaſiones ſe humiliandi. *Egredere* igitur, o anima, de prædictis, & *veni in terram, quam monſtravero tibi*, ſcilicet veræ humiliationis, quam verbo & exemplo monſtravit incarnatus ipſe dicens Matth. 11. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Faciamque te in gentem magnam*, Angelicam per conceſſum tibi lumen contemplationis & multiplicationis ſanctarum cogitationum, æſtuantium Dei deſideriorum, ignitorum eloquiorum, redolentium exemplorum, magnarum actionum. *Egredere* a proprio amore, ex quo procedit & præſumtio, & ſui excuſatio, & terrena affectio. Ipſe enim amor proprius judicium pervertit, obfuſcat rationem, intellectum obtenebrat, inficit voluntatem, viam ſalutis obſtruit, ignorat Deum, proximum neſcit, exſulat virtutes, peccata accumulat, ſuſcitat rixas, honores quærit, delectatur in hominum cæde, rapinam exercet, negligit divina mandata, corporeos ſenſus effrænat, quærit voluptates, paradiſum claudit, pandit portas inferni, & civitatem Babylonis animabus replet damnatis. *Qui ſic amat animam ſuam, perdit eam, & qui odit eam*, ſic ſcilicet quantum ad amorem proprium, *in vitam æternam cuſtodit eam*, Joann. 12. *Egredere* ergo de præſumtione, & diſce humilitatem. Et hoc eſt, quod ſubditur: *Abi poſt veſtigia gregum*; & hoc eſt, quod ſecundo quærebatur.

Quis ſit terminus ab anima requirendus.

Secundo ergo quærebatur: quis ſit terminus requirendus. Reſpondetur, quod humilitatis actus. Unde dicit: *Abi poſt veſtigia gregum*, ideſt ſequere alios, ſcilicet probos, qui ſcilicet ſunt agni per innocentiam, oves per patientiam, boves per maturitatem, aſelli per ſimplicitatem, elephantes per caſtitatem, cervi per curſum feroris, & hujuſmodi. *Et ne innitaris prudentiæ tuæ*, ut te inſtruit Salomon Proverb. 3. ſcilicet operans ſecundum tuum ſenſum, ſed alios conſule, alios imitare. Vel ſic: *Abi poſt veſtigia gregum*, ideſt conſidera in te, quibus paſſionibus vel occupationibus brutalibus peccati es dedita. Veſtigia enim ſunt ſigna relicta, ex quibus homo diſcernitur a brutis. Et hæc ſunt opera, ex quibus cognoſcitur, ſi homo vivit ut homo, aut ut brutum, & ſic poteſt ſe cognoſcere. Ubi ſciendum, quod poſtquam genus humanum *comparatum eſt jumentis inſipientibus* per peccatum, vocatus eſt homo leo per ſuperbiam, equus per furorem, vulpis per malitiam, ſyrena per deceptionem, lupus propter crudelitatem, hœdus propter diſſolutionem, capra propter ambitionem, pulex propter importunitatem; agnus autem, ſi revertitur a vitiis, ovis, ſi proſequitur per patientiam & obedientiam; & demum homo, ſi perficitur per benevolentiam. Grex enim nomen eſt brutorum collectivum, non Angelorum vel hominum; homines igitur quum ſequi, ideſt imitari habeas, conſidera, quia greges dicuntur, ut diſcas diſcernere, quos ſequaris; quod infra declarabitur. Hic autem prius nota, quod primus homo ſe fecit ſimilem *jumentis inſipientibus* per peccatum, per decem ſigna, quæ cognovit,

Homo ſimilis eſt brutis decem modis.

Per carnis rebellionem.
Per primam operationem.
Per Domini trepidationem.
Per perditam ſpeculationem.
Per inſulſam locutionem.
Per mutatam nutritionem.
Per novam inhabitationem.
Per divinam ſeparationem.
Per mortis incurſionem.
Per pellium traditionem

Quamplures fuiſſent differentiæ inter genus humanum & bruta, ſi non peccaſſet: ſed iſtorum decem per experientiam ſenſit ſimilem ſe brutis.

Quantum ad primum ante peccatum corpus voluntati, & voluntas Deo erat ſubjecta: ſed conſummato delicto, caro voluntati, & voluntas Deo rebellavit: hinc eſt, quod ſentiens rebellionem membrorum genitalium uterque erubuit, ut bruta animalia non valentes membris carnalibus imperare, ut patet Gen. 3.

Secundo texturam lanificum & hujuſmodi, quæ propria ſunt aranearum, ante peccatum homo non exercuit, nec exercuiſſet, poſt quod commiſſum folia ficus collegit, intexuit, ut ſcivit, & *fecerunt ſibi perizomata* vermium artes imitantes, Gen. 3.

Quoad tertium abſque peccato homo divinum quærebat aſpectum, ſicut fidelis ſervus remunerantem patronum libenter exſpectat. Non enim trepidavit imperantis aſpectum vel cuncta animalia ad ſe afferentis. At ubi factus eſt reus, judicis timet adventum. Sic Adam a facie ſua ſe abſcondit in ligno, veſtigia & vocem ambulantis expavens. Hoc autem brutorum eſt, ad vocem ſcilicet & ſonum domini ſui abſcondere ſe, & cum tremore latere, ut patet in pluribus animalibus.

Quantum ad quartum nota, quod eo tempore, quamvis parvo ſcilicet ſpatio horarum quinque & non ultra, quo ſine peccato ſteterat in illo loco amœno, aſſuetus erat cælica contemplari: ſed per peccatum ſe totum in ſenſuales affectiones & difficultatem intellectus ſenſit redactum. Unde non dubitavit ſe ſimilem brutis effectum: quibus ante nomina impoſuerat juxta uniuſcujuſque proprietatem naturæ, quæ fortaſſe ad ipſum per Deum fuerunt addu&a, Gen. 2. ut per cognitionem ipſorum ſe demum cognoſceret in eorum gregem tranſiſſe.

Quantum ad quintum adverte, quod expertus fuerat homo primus linguam ſerpentinam pariter

&

& humanam, optimeque noverat earum diſtantiam. Erat enim vox hominis ſimplex, veritate, modulatione & Deo plena. *Ex abundantia enim cordis ὁs loquitur*, ait Chriſtus, Matth. 12. Linguam vero ſerpentinam verſutam, fallacemque fuiſſe, non ignorabat, quum ſe jam ſciret deceptum. Demum conſcientia teſte loquendo cum Domino mentiri & ſuum infamare auctorem, ſicut ille ſerpens fecerat, ſe videbat, Gen. 3. & ſic per inſulſam locutionem ſe ſimilem ſerpenti oſtendit.

Quantum ad ſextum attende, quod diſtinxerat Dominus cibum hominis a pabulo bruti, ſicut eorum ſpecificum eſſe. Arborum enim fructum homini, fœnum paraverat jumentis. Sic erant utriuſque menſæ diviſæ; at ubi ad vitium eſt deventum, ad brutorum menſam invitatus eſt homo atque locatus, quum dictum fuit per veritatem æternam: *Comedes herbas terræ*, Gen. 3.

Quantum ad ſeptimum ſcias, quod ſicut ſequeſtraverat Dominus menſas; ita & inhabitationes conſtituerat diverſas. Locus enim hominis erat, fuiſſetque in ævum terreſtris paradiſus, in quo creatum Deus poſuit ipſum, & pars reliqua habitabilis terræ ceteris animalibus erat conceſſa. Illa erat civitas, iſta rus, illa paradiſus; templum ſecurum, iſta vero dæmonum ſilva plena timoris. Quum igitur conſummata prævaricatio foret; olim cæleſtis ad villam mittitur, ad ovile pecus, ſervus dæmonis ad dominum ſuum; atque ad portam paradiſi, ne ſit facilis ſpes redeundi, Cherubin cuſtos collocatur cum verſatili gladio.

Quoad octavum. O quam clare ſenſit ſe in brutum mutatum! niſi ratio in totum fuiſſet amiſſa, quando eſt ſeparatus a Domino, quum primo ſub Angelis ejus exſtiterat comes, & nunc eſt datus beſtiis in ſocium, quum ſciret ſimilia bene cum ſimilibus convenire, & loca proportionari locatis non ſolum ſecundum quantitatem, ſed etiam ſecundum dignitatem.

Quantum ad nonum conſidera, quod homo primus vitæ immortalis avidus erat; hanc promiſerat Dominus non peccanti, & ſub dulcedine hujus tradidit ſerpens pomum guſtandum dicens: *Nequaquam moriemini*, ſed *eritis ſicut dii*, Gen. 3. quos ille non ignorabat eſſe alienos a morte; ſciebat enim bruta cuncta mortalia fore. Quis dubitet? proinde ſe ſenſit eſſe mortalem, quum abſcondit ſe in medio ligni paradiſi, quod vocabatur lignum vitæ. Ne autem potuiſſet credere falſum eſſe illud judicium mortis, quod menti erat impreſſum, ſumma veritas dixit eidem, Gen. 3. *Donec revertaris in terram, de qua ſumtus es; quia terra es, & in terram ibis.*

Ultimo tandem, ne a mente periret, quod beſtiis ſimilis eſſet, pelle indutus eſt beſtiali. Primo namque erat veſtitus ſua nobiliſſima cute innocentiæ, quumque ſe aut ſodalem aſpiceret, hominem intuebatur, quia homo erat, quem videbat. Modo autem oculis ejus inſpicientibus ſe & generis ſui, objicitur pellis brutorum, aut lana ipſorum, non niſi quia *ſimilis factus eſt illis*. Cultus enim exterior maxime ordinatur a Deo, ut interiorem hominem pandat. Pene unicum ſignum remanſit, quo non ſe totaliter converſum in brutum eſtimaret, ſcilicet quod corpus ejus remanſit erectum. Nam dicit Ovidius:

Pronaque quum ſpectent animalia cetera terram,
Os homini ſublime dedit cælumque videre.
Juſſit & erectos ad ſidera tollere vultus.

Abi etiam *poſt veſtigia gregum*, conſiderando opera ſanctorum, qui aliquando effecti ſunt brutales per caſus vitiorum varios, & *noli altum ſapere, ſed time* (ait Apoſtolus ad Rom. 11. ut patet in

A Adam & aliis. Ecce vidiſti, quorum gregum veſtigia ſequi juberis; ſed antequam gradiaris poſt beſtialium hominum dorſa, ne capiaris per prava exempla: tertiæ quæſtionis ſolutionem exſpecta.

Anima ubi paſcitur.

Demum quantum ad tertium quærebatur, quis ſit locus colendus, ideſt ubi debeat quis habitare ad paſcendum. Reſpondetur a Spiritu ſancto, quod *juxta tabernacula paſtorum*: dum dicitur *paſce hœdos tuos juxta tabernacula paſtorum*. Pro horum declaratione pleniori tria ſunt videnda.

Primo qui paſtores hic dicuntur. Secundo quæ per tabernacula exprimuntur. Tertio qualiter hœdi hic paſcuntur.

Qui dicuntur paſtores.

Quantum ad primum ex dictis in præcedenti §. facile hoc declaratur. Nam ſi greges dicuntur B homines poſt peccatum, illi ſunt recte paſtores vocati, quibus cura tradita eſt generis humani, & officium paſtorale exercuerunt. Et illi quidem prælati, qui per oſtium, ſcilicet debitæ electionis, non intrarunt ad officium paſtorale cujuſcumque prælaturæ, ſed aſcenderunt aliunde, ſcilicet per ambitionem, intruſionem, ſimoniam & hujuſmodi, hi ſunt fures & latrones, non paſtores, ut Jaſon, Caiphas, Simon magus & hujuſmodi. Qui vero intrarunt per oſtium canonice aſſumti, & videntes lupum venientem, ſcilicet diabolum tentantem, vel tyrannum ſubditos deprædantem, vel hæreticum aut publicum peccatorem doctrina falſa & perniciosis exemplis incedentem ad interitum, & non clamant, non fugant, non ſequuntur C reprehenſionibus, cenſuris & aliis modis, quum poſſunt, ſed fugiunt tacendo: hi mercenarii ſunt quærentes de ovibus ſuis lanam & lac, & non ſalutem earum; quibus conveniunt quæ dicit Dominus Ezech. 34. *Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos; nonne greges a paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis cooperiebamini, quod craſſum, erat occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis* &c. quæ ibi ſequuntur. Ad quod etiam facit, quod ait Hieronymus ad Heliodorum 2. quæſt. 7. *Non omnes. Non omnes epiſcopi*, ſcilicet nomine, *ſunt epiſcopi*; ſed re & opere. *Attendis Petrum? ſed & Judam conſidera. Stephanum ſuſpicis? ſed & Nicolaum reſpice. Non facit Eccleſiaſtica dignitas Chriſtianum. Cornelius Centurio adhuc ethnicus dono Spiritus ſancti mundatur, presbyteros puer Daniel judicat. Non eſt facile ſtare in loco Pauli, & tenere locum Petri jam cum Chriſto regnantium. Infatuatum ſal ad nihilum prodeſt, niſi ut foras projiciatur, & a porcis conculcetur.* Hæc ille. Qui autem ponunt animam ſuam pro ovivus ſuis, hi ſunt veri & boni paſtores, quibus dicit primus paſtor Petrus: *Paſcite eum, qui in vobis eſt, gregem, non quaſi dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo.* Meminerit ſibi a Domino dictum: *Paſce oves meas*, Joann. ult. Non dixit *tonde* vel *mulge*, quod faciunt quærentes honores & divitias, non ſolliciti de animabus, ſed de decimis & oblationibus & temporalibus habendis; ſed dixit, *paſce* temporali cibo, ſi potes: nam *gloria epiſcopi eſt pauperum opibus providere*, ideſt neceſſitatibus, 12. quæſt. 2. can. *Gloria*. *Paſce* doctrina & exemplo. *Juxta* igitur *paſtorum*, non furum vel mercenariorum *tabernacula*, jubetur anima paſcere hœdos ſuos. Secundum exſtat videndum, quæ fuerint iſta tabernacula: Gen. 4. Jahel *fuit pater habitantium in tentoriis, atque paſtorum*. Ex quibus verbis colligitur, quod ipſe Jahel fuit primus, qui tabernaculum ſeu tentorium fixit paſtorum. Pro eodem ſumitur hic tentorium, & tabernaculum. Interpretatur enim Jahel *ſcientia*, ſeu *principium*, & hic pater habitantium in tabernaculis. Scientia enim ſanctorum paſtorum vocatur tabernaculum eorum; hic ergo paſcendi ſunt hœdi, a-

Paſtores veri qui ſunt.

nimæ ſcilicet juxta ſcientiam ſanctorum : regendæ enim ſunt paſſiones & affectiones, & ſi forte non valeamus per tantam perfectionem, quantam ipſi habuerunt, & ipſorum tabernacula introire; ſaltem ſtemus *juxta*, & eorum ſcientia ſit nobis via & doctrina. Sic enim *juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam ſanctorum*, Sap. 10. [1] Sunt autem ſcientiæ ſanctorum, Abel innocentia conſervata, Enoch orationis ſublimitas, Noe confidentia roborata, Abrahæ viſionis integritas, Loth conſtantia præſervata, Iſaac tolerationis animoſitas; & ſic diſcurre per aliorum exempla ſanctorum utriuſque teſtamenti, & *juxta* horum *tabernacula*, ideſt ſcientiam, *paſce hœdos tuos.*

Qui ſunt hœdi, & unde dicitur hœdus.

Sed jam tertio videndum eſt, qui ſunt iſti hœdi. Hœdus ſiquidem dicitur ab edendo, quia principaliter valet ad edendum, cujus carnes ſunt delectabiles, ſatis temperatæ complexionis, necnon & bonæ digeſtionis infirmis conceſſæ. Et ſi non occidatur hœdus, creſcit in fœtidum hircum, cujus carnes infirmis ſunt nocivæ, ſanis infeſtæ. Per hœdos ergo accipimus filios paſſionum animæ poſt naturam corruptam imitantes & laſcivientes diſſolutæ & flebiles voces. Ubi notandum, quod ſi natura humana non fuiſſet per culpam corrupta, vir unus, qui dicitur liberum arbitrium, ex tribus uxoribus, ſcilicet rationabili, iraſcibili & concupiſcibili, filios procreaſſet, filios utique honoris, & honeſtatis. At ubi poſt ituta eſt uxor, prima filia, ſcilicet ratio, quæ erat gloria viri, ideſt liberi arbitrii, vir ipſum ſequens in ſervitutem exſtat redactus, & loco liberorum legitimorum generat filios fornicationis, quos merito propter cauſſas dictas hœdos nuncupamus. Genuiſſet ſiquidem rationalis per liberam ſpeculationem veritatis in æternum fundatas, genuiſſet concupiſcibilis odium, quo vir juſtus ſine odio odit iniquos. Triſtitia ſeu tædium vitæ præſentis genuiſſet amorem ordinatum eorum, quæ ad Deum videndum adminicula parant; gaudium boni moralis & ſpiritualis. Genuiſſet iraſcibilis fiduciam perſeverandi in bono & protectionis divinæ, ſeu ſpem audaciæ ad bonum. Timor eſt qui *permanet in ſæculum ſæculi*. Corrupta proinde natura, anima affectiones gignit, quæ nominibus virtutum nuncupantur, ſcilicet ſpe, timore, amore & hujuſmodi; ſed non ſunt ejuſdem naturæ. Et propter hoc doctor veritatis quaſi capram animam vocans, filios ſuos, qui dicti fuiſſent liberi, hœdos appellat. Hœdi ſunt multi errores & falſæ intelligentiæ, quas intellectus propria ſpeculatione & præſumtione format & gignit. Hœdi ſunt odia, & difficultates virtutum; hœdi ſunt timores ſervilis, mundanus, & vanus, carnalis & profanus. Hœdi ſunt triſtitiæ amiſſionis divitiarum, conſanguineorum, honorum & aliorum bonorum. Iſti namque hœdi mutant naturam; nam parvuli, qui dicuntur primi motus & affectiones, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, & ſi occidantur, utiles ſunt ad eſum ſpiritualium, & nutrimentum vitæ ſpiritualis. Laudabilis eſt enim anima, quæ fortiter vincit ſuas paſſiones & *parvulos ſuos*, ideſt primos motus paſſionum, *allidit ad petram* fidei & conſtantiam reſiſtentiæ. Si vero in primo limine non occidantur ut hœdi, ſed creſcunt, incipiunt fœtorem emittere, quia imputantur ad peccata; producunt quoque cornua ut hirci, efficiuntur fortes, & tandem impugnantes homines ſuperant, ſcilicet animæ vires, quia aſſueta anima paſſionibus vinci, paſſiones nequit vincere; & merito, quia uſus convertitur in naturam. Ecce quomodo hœdi facti ſunt hirci; & quia noluiſti hœdum occidere, ideſt primis motibus reſiſtere; hircum habes peccatorum te cornibus ventilantem. Verum ſi anima tua facta eſt hircus caprarum, potes etiam eam per pœnitentiam magnam & obedientiam humilem Deo ſacrificare, qui propter hoc hircum pro peccatis ſibi juſſit offerri. Iſti ſunt hœdi vagi & nimium diſſoluti, nempe motus primi opinionum falſarum conſtituunt intelligentiam vagam, ut hinc inde diſcurrat, quia legere tentant in ſapientia ſua, & ſic infirmam ad omnem Scripturam ſe ponit & nihil acquirit, quia languentis ſtomachi eſt plurima deguſtare & in nullo delectari, ut ait Seneca. Similiter & ceteri hœdi paſſionum iraſcibilis & concupiſcibilis inſtabilem reddunt naturam humanam, unde eſt in commotionibus tota. Hic enim quærit divitias per inordinatum amorem concupiſcibilis, alius delicias, alter honores, & per iraſcibilem quærit unus vindictas & hujuſmodi. Jam attende ad prædictarum paſſionum, quæ hœdi dicuntur vocem ſeu balatum. Vox utique agni eſt *be*, vox hœdi eſt *me*. Prima vox eſt laudantis; ſed ſecunda, quæ ſua ſunt, quærentis, quia neſcit niſi ſe *me* dicere, & eſt vox perturbantis, quia *me* ſic prolatum adverbium videtur dolentis. Homo enim quum lamentatur in lingua vulgari, dicit *o me*, vel *oime*: omnis hic homo, quæ ſua ſunt, quærit, non quæ Jeſu Chriſti. Iſti igitur hœdi paſcendi ſunt *juxta tabernacula paſtorum*, ideſt motus paſſionum dirigendi ſunt ſecundum ſcientiam & doctrinam ſanctorum prælatorum, qui ſunt veri paſtores, & per iſta media egrediendo a præſumtione, & progrediendo in humiliatione, quum itur *per veſtigia gregum* dirigendo & corrigendo affectus ſuos in ſanctorum imitationem, anima cognoſcit pulchritudinem & nobilitatem ſuam, & hoc quum novit, omnia parvipendit terrena, & ad perfectionem ſui tendit, quouſque in Deo in gloria requieſcat. Hæc omnia ſunt extracta ex ipſo itinerarii libro Joannis Dominici, abbreviata tamen & aliquantulum aliquando immutata.

Anima noſcens ſe iſam parvipendit terrena.

CAPUT III.

De beneficiis animæ collatis quoad ſcientias, artes & virtutes.

BEnedic, *anima mea, Domino; & noli obliviſci omnes retributiones ejus*, pſal. 102. Retributiones Dei ſunt beneficia, vel quantum ad infuſionem, vel quantum ad naturalem inclinationem, vel quantum ad acquiſitionem, quæ contulit nobis contra mala, quæ incurrimus propter peccatum. De quibus malis ait ipſe pſal. 34. *Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.* Quod exponit Vincentius in 1. libro ipſius ſpeculi hiſtorialis de malis ſecutis in homine per peccatum, ponens conſequenter remedia & magna bona data a Deo contra dicta mala. Dederat Deus homini primo in ſui creatione tria bona ſibi originaliter inſerta. Primum, quod fecit eum ad ſuam imaginem. Secundum, quod fecit eum ad ſuam ſimilitudinem. Tertium, quod dederat corporis immortalitatem, ſi mandatum ſervaret. Hæc tria bona corrupta ſunt per tria mala ſequentia. Nam divina imago corrupta eſt per ignorantiam, ſimilitudo divina per concupiſcentiam, immortalitas per corporis miſeriam & infirmitatem. Homine namque recedente a Deo per

Tria bona dedit Deus homini in ſui creatione.

[1] *In editione Veneta an.* 1481. *hæc præterea leguntur*: Repetamus itaque noſtro in ſæculo defunctos paſtores: intueamur uniuſcujuſque tabernaculum doctrinale, ut impleamus illud: *Paſce hœdos tuos juxta tabernacula paſtorum*, ideſt juxta ſcientias ſanctorum. Sunt &c.

per peccatum, juxta dictum Pſalmiſtæ : Facta eſt *via ejus tenebræ* per ignorantiam, & *lubricum* per concupiſcentiam, & *Angelus Domini*, ideſt defectus, & infirmitas corporis & vindicta immiſſa *perſequens eum* per mortalitatem, donec revertatur in terram, de qua ſumtus eſt. Per Angelum enim Domini fuit data ſententia, ut a miniſtro Dei expelleretur de paradiſo. Et propter hæc tria incommoda repellenda, data ſunt ei divinitus tria remedia, ſcilicet ſapientia contra ignorantiam, virtus contra concupiſcentiam, neceſſitas vitæ propter infirmitatem, propter quæ tria inventa eſt omnis philoſophia vel artis diſciplina, ſcilicet propter ſapientiam theorica, propter virtutem practica, propter neceſſitatem mechanica; & ut de his omnibus rectius & veracius & honeſtius diſſeratur, inventa eſt Logica.

Speculativa vel theorica dividitur.

§. I. Theorica dividitur in Theologiam, Phyſicam, & Mathematicam. Theologia tractat de inviſibilibus eſſentiis inviſibilium, ut de Deo & creaturis ſpiritualibus ut Angelis : Rom. 1. *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, a creatura mundi intellecta conſpiciuntur : ſempiterna quoque virtus ejus, & divinitas.* Opus autem factum eſt duplex, ſcilicet conditionis, ut creatio mundi, & reſtaurationis, ideſt incarnationis Verbi cum ſacramentis inſtitutis, ut cognoſcatur idem eſſe creator & redemtor. De divinis pertinentibus ad Theologiam dixerunt aliqua antiqui philoſophi & Sibyllæ; & Ariſtoteles concluſit ſuam Metaphyſicam in probando unum Deum gubernatorem mundi. Plato multa dixit de Deo. Marcus vero gentilis poſuit triplicem Theologiam, ut refert Auguſtinus in fine lib. 6. de Civitate Dei, ſcilicet theatricam ſeu fabuloſam, qua ſcilicet recitabantur & repræſentabantur per mimos facta deorum in theatris cum multis turpitudinibus : civilem, qua ſcilicet colebantur dii & innumeri, in templis, qui tamen homines fuerant, vel aliquæ aliæ craturæ; & naturalem, qua ſcilicet ea, quæ dicebantur de diis, exponebantur de rebus naturalibus & proprietatibus earum; ſed omnia miſta erant, & plena fatuitatibus & erroribus, ut probat ibidem Auguſtinus; ſed vera hæc Theologia pleniſſime habetur in Biblia a Spiritu ſancto revelata, ideo veriſſima. Etiam de his agitur in lib. 5. Sent. Nam in primo de divinis, ut de Trinitate perſonarum, unitate eſſentiæ, & perfectionibus ejus, ut æternitate, omnipotentia, ſapientia, voluntate & hujuſmodi. In ſecundo de creatione Angelorum, & lapſu aliquorum, & confirmatione bonorum cum perfectione, de creatione hominis & lapſu ejus, & peccato originali inde ſecuto, de opere ſex primorum dierum, de gratia & libero arbitrio, de peccato actuali; breviſſime tamen. In tertio de myſterio incarnationis, de virtutibus theologicis, de donis & virtutibus cardinalibus multum breviter, deinde agit de decem præceptis. In quarto de ſacramentis, demum de finali judicio & ultima reſurrectione, & gloria beatorum & pœna reproborum. Super hoc lib. Sent. ſunt facta ſcripta innumera a doctoribus; huic videtur ſubalternari ſcientia juris canonici, præcipue quantum ad ea, quæ ſunt fidei & ſacramenta & declaratio articulorum & dubiorum.

De Theologia.

Theologia veriſſima Scriptura. Libri ſententiarum quid tractent.

Phyſica quid tractat.

Phyſica, ideſt naturalis ſcientia, tractat de inviſibilibus viſibilium cauſſis. Nam corpus, & ea, quæ ſunt corporis, principaliter conſiderat. Corpus autem conſideratur in generali cum partibus ſuis, aut in ſpeciali. Si in generali, ſic determinat illud Ariſtoteles in lib. Phyſicorum, ſi in ſpeciali conſideratur corpus, & tunc dupliciter, quia aut eſt incorruptibile, & ſic tractat Ariſtoteles de illo in lib. de cælo & mundo. Dicit enim ibi, quod cælum eſt corpus non generatum, nec fabricatum, nec recipiens aliquas impreſſiones. Aut corpus eſt corruptibile, & tunc aut eſt ſimplex aut compoſitum : ſi ſimplex, tunc tractat de eo Ariſtoteles in lib. de generatione & corruptione. Et loquor de ſimplicitate illa, quæ opponitur compoſitioni naturali ex quattuor elementis. Si compoſitum, aut igitur eſt animatum aut non : ſi non eſt animatum, ſic tractat de eo in lib. Metheorum, ubi Ariſtoteles determinat de impreſſionibus aeris, & grandinis generatione, & nivis & corporum mineralium & conſimilium. Si vero corpus ſit compoſitum animatum, tunc aut illud eſt anima vegetativa animatum; de tali determinatur in lib. de vegetabilibus : aut anima ſenſitiva, & de tali agitur in lib de animalibus : aut anima intellectiva, & de eo agitur in lib. de anima. Ceteri vero libri, ut de ſomno & vigilia, de more & vita, de ſenſu & ſenſato, de differentia ſpiritus & animæ &c. ſupponuntur lib. de anima & lib. de animalibus. Huic ſubalternatur ſeu ad eam, ſcilicet naturalem Philoſophiam, reducitur ars medicinæ.

Quid mathematica.

Mathematica vero quantitatem abſtractam a materia conſiderat, & ſic tractat de inviſibilibus inviſibilium formis. Quantitatum autem alia diſcreta, quæ multitudo dicitur; alia continua, quæ magnitudo dicitur, & diſcrete; alia quidem diſcreta per ſe, ut duo, tria, quattuor. Et hæc eſt materia Arithmeticæ. Alia diſcreta ad alterum, ut ſex, quater, & ſexquitertium, & hæc eſt materia muſicæ. Magnitudo vero alia eſt immobilis, ut ſphæra terræ, & hæc eſt materia Geometriæ; alia eſt materia mobilis, ut ſphæra firmamenti, & hæc eſt materia Aſtronomiæ. Hæc igitur ſunt quattuor ſpecies Mathematicæ, ſcilicet Arithmetica de numeris, Muſica de proportione, Geometria de ſpatio, Aſtronomia de motu. Elementum Arithmeticæ eſt unitas, Muſicæ eſt uniſonum, Geometriæ punctum, Aſtronomiæ inſtans.

Practica ſcientia dividitur.

§. II. Practica, quæ dicitur *a praxis*, quod eſt opus, eſt agibilium ſecundum rationem in ordine ad felicitatem civilem & ſupernam, ideſt de operibus virtuoſis, per quæ concupiſcentia, ideſt inclinatio ad malum regulatur & vincitur, & hæc Deo aſſimilatur. Dividitur ergo practica in Ethicam, Œconomicam, & Politicam, & ad hanc moralem philoſophiam reducitur ſcientia juris. Ethica eſt, quæ ſui curam gerens cunctis ſe erigit & exornat, augetque virtutibus, nihil in vita admittens, quo non gaudeat, nihil faciens pœnitendum. Œconomica eſt, quæ familiaris officii curam mediocri diſpoſitione componens diſtribuit. Politica eſt, quæ reipublicæ curam ſuſpiciens, cunctorum ſaluti ſua prudentia, ſolertia, juſtitiaque libera, & fortitudinis ſtabilitate, ac temperantiæ patientia medetur. Hæc Vincentius. Ex quibus verbis habetur, quod non poteſt quis ſeipſum bene gubernare, vel familiam, vel civitatem, & recte operari, niſi habeat virtutes. Et Cardinales quidem neceſſariæ ſunt ad civilitatem humanam bene gerendam: Theologicæ autem & dona Spiritus ſancti ad civilitatem futuram conſequendam.

Ethica.

Œconomia.

Politica.

Prudentia dividitur.

Prudentia quidem, quæ eſt recta ratio agibilium, & habet regulare rationem in ſeipſa, ſecundum Senecam habet tres partes integrales, ad quas reducuntur aliæ plures, quæ ponuntur a philoſopho in libr. Ethicor. ideſt recogitatio ſeu memoratio præteritorum, ordinatio præſentium agendorum, & providentia futurorum. Habet autem quaſi annexas & ut partes potentiales ſecundum philoſophum in lib. Ethicorum. Eubolyam, quæ eſt bene conſiliativa, & ſyneſim, quæ eſt bene indicativa, & gnomyn, quæ eſt bene judicativa in his, quæ occurrunt extra communem legem. Syneſis autem in his, quæ ſunt ſecundum communes leges

ges bene judicat; pertinet enim ad prudentem primo bene consiliari infra se circa agendum, diversa inquirendo & discutiendo; secundo bene judicare, ideſt ex consiliatis, quod melius est, eligere; & tertio, quod est principale opus prudentiæ, imperare, ideſt, exsecutioni mandare quod bene judicatum est.

Justitia dividitur. *Justitia est constans & perpetua voluntas reddendi unicuique quod suum est*, l. *Justitia*, ff. *De just. & jure*, & habet regulare voluntatem in ordine ad aliam, & partes ejus integrales sunt duæ, scilicet declinare a malo, & facere bonum erga alios. Partes essentiales sunt distributiva, quæ est circa judicia & officia, & onera, & pœnas, & præmia aliis impendenda per eum, qui habet curam aliorum; & commutativa, quæ est circa contractus & alia pertinentia ad conversationem cum hominibus, ut scilicet recte, non nocive, quis se habeat ad proximum in verbis & rebus & personis. Partes vero potentiales sunt religio, quæ est circa cultum divinum; pietas, quæ est circa honorem parentum; observantia, quæ est circa reverentiam, & honorem superiorum; obedientia, quæ est circa impletionem præceptorum suorum prælatorum; gratia, quæ est circa recognitionem beneficiorum debitam; vindica tio, quæ est punitio recta delictorum per eum, qui habet auctoritatem; veritas, quæ est in dictis & factis fallaciæ exclusio; liberalitas, quæ est debitus usus rerum in mediocribus sumtibus erga se, familiam, & indigentes pauperes; amicitia, seu affabilitas, quæ consistit in humaniter se habendo & benigne cum aliis in verbis & gestis; *Epykeja.* epykeja, seu æquitas, quæ consistit in interpretando leges, & mandata majorum magis secundum intentionem, quæ verisimiliter creditur legislatoris, quam secundum verba in casu dubio.

De fortitudine. Fortitudo est aggressio debita arduorum, ubi etiam sunt pericula mortis & firma perpessio eorum. Hæc regulat potentiam irascibilem circa audaciam & timores. Partes ejus integrales sunt duæ, scilicet aggredi ardua & difficilia proportionata sibi, & firmiter in eis permanere; sed partes potentiales sunt magnanimitas, quæ est circa honores magnos, scilicet recte se habere ad eos, non ambire nec vitare, quum expedit, nec de eis superbire; magnificentia, quæ est circa magnos sumtus debite factos, ut propter honorem Dei ædificare Ecclesias & hujusmodi, vel propter bonum reipublicæ; patientia, quæ consistit in æquanimiter ferendo adversa communia, ubi non est periculum mortis absque animi dejectione & tristitia inordinata. Circa pericula mortis est fortitudo & perseverantia, quæ consistit infirmiter proponendo pati aspera & difficilia quantocumque tempore sint duratura.

De temperantia. Temperantia consistit in moderando delectationes corporeas, & repellendo ea, quæ sunt contra rationem; & habet regulare concupiscibilem contra delectationes ciborum & venereorum. Partes ejus integrales sunt, verecundia & honestas, partes subjectivæ sunt abstinentia quoad cibos, sobrietas vero quoad potus, castitas quoad venerea, quæ castitas habet triplicem gradum, scilicet conjugalem, vidualem, & virginalem. Partes ejus potentiales, seu annexæ, sunt mansuetudo, quæ moderatur iras; clementia, quæ est diminutiva pœnarum debitarum, congruo tamen modo; modestia, quæ habet componere hominem in vestitu incessu & usu sensuum; studiositas, quæ habet animum refrænare ab inordinato appetitu & exercitio cognoscendi intellectualia vel sensitiva; humilitas, quæ facit hominem vera sua cognitione sibi vilescere, & superbiam fugat; eutropolia, seu urbanitas, quæ facit hominem in dictis vel factis

A ludicris seu jocosis congruenter se habere, ut non sit nimis aggrestis & rigidus, neque nimis levis & jocosus.

Virtutes Theologicæ quæ sunt. Virtutes theologicæ sunt fides, spes, & caritas; quæ ordinant hominem ad felicitatem æternam, & habent Deum pro objecto immediato, sed diversimode. Nam fides respicit Deum, ut summam & infallibilem veritatem, cui innititur assentiendo mente his, quæ sunt ab eo revelata in scripturis. Spes respicit Deum omnipotentem valentem ei in omnibus suffragari: innititur enim ei exspectando ab eo æterno præmio coronari, & gratiam & veniam pœnitendo sibi impartiri sua liberalitate. Caritas respicit Deum, ut summum bonum; proximum autem diligit propter Deum,
B quia Deus hoc vult, & quia factus est propter eumdem finem, scilicet ad fruendum Deo.

Dona Spiritus sancti quæ. Dona Spiritus sancti sunt quædam virtutes perfectiores virtutibus cardinalibus, sed excellentiores eis sunt theologicæ, quæ habent hominem reddere de facili mobilem ad sequendum instinctus & monitiones ipsius Spiritus sancti. Et sunt septem excludentia per quamdam adaptationem septem vitia, scilicet timor excludens superbiam, pietas invidiam, scientia iram, fortitudo accidiam, consilium avaritiam, intellectus gulam, sapientia luxuriam.

Mechanica dividitur. §. III. Mechanica autem ars dicitur *a mœchor, aris*, quia quasi intellectus ibi adulteratur, quum principaliter sit creatus ad spiritualia intelligen-
C da, & in ipsis mechanicis circa factibilia versetur. Et habet septem species, scilicet lanificium, armaturam, navigationem, agriculturam, venationem, medicinam, & theatricam. Ad hanc, scilicet mechanicam omnium rerum fabricam concurrere videtur, quæ humanis necessitatibus invenitur grata, commoda & necessaria. Lanificium est prima ejus species, ad quam pertinet omnis operatio nendi, retorquendi, consuendi, quidquid fit instrumento, colo, fuso, acu, pectine, calamistro, girgillo, alabro, in materia lini, lanæ, canapi. Et sub eis omnis usus flocorum, filtrorum, sagorum, saginarum, sportarum, &c. Armatura duas habet species, scilicet architectonicam, & fabrilem. Architectonica dividitur in cementariam, & carpentariam. Fabrilis in malleatoriam & effusoriam. Ædificiorum tres sunt partes, dispositio, constructio, & venustas. Porro fabrilis & ferraria duabus rebus constat, scilicet
D ventis & flamma. Agricultura quattuor habet species, scilicet arvum seu agrum, qui fationibus deputatur, consitum, qui nemoribus constat, ut sunt vineta, oliveta, pomerium, pascuum, qui pascuis constat, ut prata, floridum, ut hortus & rosarii. Cultura igitur multiplex est. Cinis ideſt incendium, per quod ager inutilem humorem exsudat, deinde arationis intermissio, stipularum incensio, stercoratio, satio, occatio, runcatio: Bene colendi agri ratio quattuor rebus constat, scilicet aere, aqua, terra, & industria. Oportet enim, ut
E eis locis, quos colere destinabis, aer sit salutaris & clemens, aqua salubris & facilis, vel ibi nascens vel ad vota vel imbre collecta, terra vero secunda, etsi in commoda. In vitibus putandis tria consideranda sunt, scilicet fructuum spes successura, materies, locus, qui servet ac nutriat.

Venationis species. Venatio tres habet species, scilicet ferinam, aucupium & piscariam. Ferina fit multis modis, scilicet retibus, pedicis, laqueis, præcipitiis, arcu, jaculis, cuspide, indagine, pennarum odore, canibus, accipitribus. Aucupium fit retibus, laqueis, pedicis, præcipitiis, arcu, visco, hamo. Piscatura fit retibus, sagenis, gurgustiis, hamis, jaculis. Navigatio quoque est mechanicæ species secundum prædicta, ad quam pertinet omnis

mnis induſtria emendi & vendendi. Hæc univerſa littora adit, pacem & familiaritatem cum exteris nationibus componit, & privata bona communia facit.

De medicina.

Medicina corporis vel tuetur vel reſtaurat ſalutem. Hæc continet occaſiones & operationes. Occaſiones ſunt ſex: Aer circumdans nos, cibus & potus, ſomnus & vigilia, motus & quies, exinanitio & repletio, & accidentia animæ, ideſt paſſiones inſurgentes. Operationes ſunt intus & foris: intus, ut ea, quæ intromittuntur per nares, per os, per anum ad exercitandas ſternutationes, vomitationes, & purgationes: foris, ut ſunt emplaſtra, inciſio, & uſtio.

Theatrica continet ludos diverſi generis: nam ludus aut eſt gymnicus, aut agon, aut circenſis, aut ſcenicus, aut gladiatorius. Gymnicus eſt, qui in gymnaſio exercetur, cujus quinque ſunt genera, ſcilicet ſaltus, curſus, jactus, virtus atque luctatio; dicitur autem hic virtus immenſitas virium in labore & pondere corporis. Agonum genera fuerunt curſus celeritas, ſagittandi peritia, ſtandi patientia, ad cytharam quoque & tibias incedendi geſtus, decantandi modulatio, terreſtris quoque & navalis perpetiendorumque ſuppliciorum certamina. Circenſes ludi dicti a circumeundo. Scena locus eſt intra theatrum in modum domus in ſtrata cum pulpito, ubi cantabant comici & tragœdi, ſaltabant hiſtriones & mimi, gladiatores pugnabant in amphitheatro, illic juvenes uſum armorum diverſo modo diſcebant, & modo inter ſe pugnis aut gladiis, modo circa beſtias intendebant. Eſt & ludus aleæ, choreæ, pallæ. Alea taxillis luditur, ab hac fraus & mendacium & perjurium numquam abeſt, poſtremo & damna rerum. Et propter hæc ſcelera aliquando ſunt hæc legibus interdicta. Hæc Vincentius.

Logica dividitur. Grammatica.

Logica dividitur in grammaticam & rationem diſſerendi. Grammatica autem eſt ſcientia recte loquendi, recte ſcribendi origo, & fundamentum omnium liberalium artium. Et dividitur in litteram, ſyllabam, dictionem, & orationem. Litteræ Græcæ & Latinæ ab Hebræis videntur exortæ. Apud illos enim primo dictum eſt *Aleph*, inde tractum eſt a Græcis *alpha*, & a Latinis *a*. Omnes autem litteræ apud Græcos & verba componunt & numeros faciunt. Nam *a* ſignificat unum, *b*, duo, *c*, tria, & ſic de ceteris. Ratio diſſerendi dividitur in Dialecticam & Rhetoricam. Dialectica ipſa eſt, quæ proprie dicitur Logica, ideſt rationalis diffiniendi, quærendi, diſſerendi potens. Itaque dicibile aliud incomplexum, aliud complexum; & incomplexum, aliud inhærens intra (de hoc agitur in lib. Prædicamentorum) aliud inhærens extra, & de hoc agitur in lib. Principiorum. Complexorum aliud abſolutum, & de hoc in lib. Perihermenias, ubi agitur de enuntiatione ſine reſpectu; aliud ordinatum ad alterum, & hoc vel ad omnem materiam indifferenter, & de hoc in lib. Priorum, vel ad materiam determinatam contractum, & hoc tripliciter, quia vel ad materiam neceſſariam, & de hoc agitur in lib. Poſteriorum, vel ad probabilem, & de hoc in lib. Topicorum, vel ad ſophiſticam, & de hoc in lib. Elencorum.

Di alectica.

De Rhetorica, & ejus partibus.

Rhetorica eſt bene dicendi ſcientia ad perſuadendum juſta & bona in rerum perſonarumque & negotiorum cauſſa. Rhetor eſt vir bonus dicendi peritus; vir bonus conſiſtit natura, vita, moribus, & actibus. Dicendi peritus conſiſtit artificioſa eloquentia, quæ conſtat partibus quinque, ſcilicet inventione, diſpoſitione, memoria, pronuntiatione, & fine officii, quod eſt aliquid perſuadere. Iſta autem dicendi peritia conſiſtit in tribus, ſcilicet natura, doctrina, & uſu. Cauſſarum genera tria ſunt. Deliberativum, in quo quid debeat vel non debeat, tractatur. Demonſtrativum in quo perſona laudabilis aut reprehenſibilis oſtenditur. Judiciale, in quo de ipſius facto, pœnæ aut præmii ſententia datur. Deliberativum genus duplex eſt, ſcilicet ſuaſio & diſſuaſio. Suaſorium autem tribus dividitur, ſcilicet utili poſſibili & honeſto. Demonſtrativum habet duas partes, ſcilicet laudem & vituperium. Partes orationis Rhetoricæ quattuor ſunt, ſcilicet exordium, narratio, argumentatio, & concluſio. Hæc Vincentius.

Inventor Grammaticæ & Rhetoricæ, & aliarum ſcientiarū vel artium liberaliū.

§. IV. Et nota, quod inventores artium liberalium, & mechanicarum, & philoſophiæ, & auctores librorum ipſarum communiter fuerunt gentiles & reprobi homines. In grammaticalibus principalis ponitur Priſcianus; in rhetoricis Tullius Cicero, qui & Ethnicus de divina providentia male ſenſit ſecundum B. Thomam in 1. part. quæſt. 22. quem etiam malorum morum fuiſſe oſtendit Saluſtius: ſed & ipſe Saluſtius cum Demoſthene Græco oratore permaximo infideles fuerunt. Lactantius autem (ut omittam Titum Livium lacteo fonte manantem, ſed errantem) Chriſticola fuit, ſed errorem Milleniaſtrarum ſectatus eſt; & de Spiritu ſancto minus bene ſenſit, ut patet in lib. ſuo Inſtitutionum. Inter poetas magnus fuit Homerus apud Græcos, ſed apud Latinos major Virgilius, qui ultra infidelitatem turpiſſimus in moribus fuit: nec minus eo Naſo, ſeu Ovidius, & præcipue in ſua doctrina laſciviis plena. Inter hiſtoriographos precipui, Valerius Maximus in proſa, Lucanus in metro, Svetonius, incircumciſi corde & corpore. Joſephus Judæus poſt Chriſti adventum Judaiſmum ſecutus eſt.

In logicalibus Ariſtoteles effulſit, & totius philoſophiæ monarcha, cujus parti morali Socrates ſe totum dedit, Pythagoras naturali; ſed utriuſque diſcipulus Plato utrumque complexus eſt, ut dicit Auguſtinus de Civit. Dei, lib. 8. cap. 4. Hic ſuper omnes theologus fuit, cujus doctrina antiqui ſancti doctores imbuti ſunt, ut Ambroſius, Origenes, Auguſtinus, Hieronymus, Baſilius. Errores tamen ejus plurimos abjicientes, Origenem dimittendo. Moderni vero Ariſtotelem ſequuntur propter amorem doctrinæ, ordinem, & minus errantem. Omnes hi cum ſuis ſectis Epicureis, Stoicis, & Peripateticis cum aliis, non excludendo Senecam Moraliſſimum, ſed cum vulgo idololatrantem ab extra ſecundum B. Thomam, Principes illi ſunt, qui ſecundum Apoſtolum, 1. Cor. 2. Dei ſapientiam minime cognoverunt, & dominantes ſuper beſtias, ideſt beſtiales homines & rudes, hi *principes gentium*, & ludentes *in avibus cæli*, ideſt dæmoniis, ſua curioſitate & plurima falſitate ſuggeſta illudentes homines, & illuſi ab ipſis ſpiritibus malignis congregantes ſibi aurum ſapientiæ & argentum eloquentiæ ſine fine demum *exterminati ſunt & ad inferos deſcenderunt*, ut dicitur Baruch. 3.

Arithmeticam dicitur de primoribus Pythagoram inveniſſe, qui & ſine fide fuit. Tubalachayn Muſicam, Aſtrologiam Athalas, & Tholomæus multa addidit, Geometriam Euclides & Hermenides, Ethnici omnes & inter reprobos computati. Medicinam Æſculapius primus docuiſſe refertur, quem indoctæ plebes in Deum retulerunt, ſed auxit copioſe Hippocrates & Gallenus, necnon & Avicenna, qui omnes, etſi Deum cognoverunt, non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis. Jura civilia gentiles primi inſtituerunt diverſi diverſis urbibus, & a Lacedemoniis leges Romani mutuati ſunt, ut patet in decretis, Diſt. 7. *Moyſes*. Artes plures mechanicas inſtituiſſe ex Cain progenitos inſinuat

Jura unde emanarunt.

Ge-

Geneſeos liber cap. 4. qui communiter criminoſum parentem in moribus imitati ſunt, & civitatem in mundo ipſe primus conſtruxit, quaſi innuens ad illam non pertinere, quæ ſurſum eſt, Jeruſalem. Sed & monarchæ omnes ſive Aſsyriorum ſive Medorum & Perſarum, ſive Græcorum, ſive Romanorum uſque ad tempora Conſtantini, Philippo excepto Imperatore a Decio interemto, omnes in ſua cæcitate mentis mortui ſunt, & moribus intemperantiſſimi. Et ille, qui videtur fuiſſe felicior, Octavianus ſcilicet, & mundi ſapientiæ non ignarus, laſciviſſimus deſcribitur. Hæc igitur ſcripta ſunt, ut *non glorietur ſapiens in ſapientia ſua*, quantumcumque his repletus, nec potens in potentia ſua, ſed agnoſcat verum eſſe, quod dicitur Sapien. 13. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Vere *vani*, ideſt fruſtra, quum non conſequentur finem ſuum, qui eſt ſecundum Magiſtrum in 2. diſt. 1. ut ſumum bonum intelligant, intelligendo ament, ipſoque fruantur. Sed nec ſe dejiciant & contemnant, quibus tales ſcientiæ deſunt, aut potentia vel divitiæ ſubtrahuntur, quia ſine his pleniſſime ſalus propria procurari poteſt, ac etiam proximorum non modice, ſicut experientia docet.

Doctrinæ Gentilium quatenus non contemnendæ.

Verum doctrinæ tales quoad vera & utilia, quæ ibi ſunt, contemni non debent, ex eo quod auctores fuiſſent vitioſi. Nam veritas ſecundum Ambroſium, a quocumque dicatur, a Spiritu ſancto eſt, etſi ipſi non habuerint eum, quantum ad gratiam gratum facientem. In cujus figuram præcepit Dominus vaſa aurea & argentea Ægyptiorum aſportari ab Hebræis, unde tabernaculum Domini conſtrueretur, ad ſignificandum ſecundum venerabilem Gratian. Diſt. 27. §. *Sed econtra*, quod aurum ſapientiæ & argentum eloquentiæ licet accipere ab infidelibus quaſi injuſtis poſſeſſoribus ex ſuis doctrinis, & convertere in utilem uſum Eccleſiæ. Unde Apoſtolus ad Titum allegat dictum cujuſdam philoſophi: *Cretenſes malæ beſtiæ &c.* Et hoc etiam dicit Auguſtinus, 1. quæſt. 1. *Dominus declaravit*. Verum in ſermonibus ad populum, nec videtur honeſtum nec pium eos implere doctrinis & allegationibus infidelium, quaſi ſacra Scriptura, quæ eſt vera domina omnium facultatum, ancillari videatur tamquam inſufficiens, & illæ veræ ancillæ dominari. Inde enim vileſcit Scriptura, augetur curioſitas magis, quam devotio in auditoribus & vanitas in loquentibus. Sed ſufficit aliquando ancillas vocare, ut ſancti fecerunt ad magis confirmandum ea, quæ ſunt fidei, per teſtimonia inimicorum ejus.

CAPUT IV.

De quidditate animæ, & proprietatibus ejus.

DE quidditate animæ rationalis & proprietatibus ejus, Dominus Joannes Dominici ſuper Eccleſiaſtem 36. lectione tractans illud Eccleſ. 3. *Cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem*, ideſt animam, quæ permanet in æternum; ſic dicit: Nam etſi philoſophi aliquam veritatem cognoverunt de mundo iſto, non tamen animam plene aliquis novit, niſi per revelationem Spiritus Sancti. Unde Ariſtoteles in 1. de anima dicit difficillimum eſſe accipere, quid ſit anima, & multas habet dubitationes. Duodecim autem dubitationes de ea ponentur ſecundum diverſos ſapientes: & licet philoſophi neſciverint,

Duodecim opiniones antiquorum de eſſentia animæ.

quid dicerent, diverſimode tamen deſcripſerunt eam, victi a veritate ſecundum duodecim ejus conditiones.

Platonis.

Plato dixit, animam eſſe eſſentiam vel numerum ſe moventem, quæ componebatur ex quattuor numeris, ſcilicet unitate, dualitate, ternario, & quaternario. Vocabat intellectum unitatem, dualitatem ſcientiam, opinionem ternarium, ſenſum quaternarium. Sic ergo intelligit, animam habere intellectum, ſcientiam, opinionem, & ſenſum; & ideo per ſe movet quum vult. Sed Spiritus ſanctus aliter intellexit; nam anima eſt una eſſentia: & ſic reſpondet unitati: eſt compoſita ex eſſe & eſſentia, ut dicit ſanctus Thomas, quæſt. 76. art. 5. ad 4. & hoc reſpondet dualitati: eſt ad imaginem Dei per triplicem potentiam, ſcilicet memoriam, voluntatem, & intellectum, ut ait divus doctor Auguſtinus de Trinitate; & ſic reſpondet ternario: & creata eſt, ut informet corpus compoſitum ex quattuor elementis; & ſic reſpondet quaternario.

Democritis.

Democritus dixit, quod anima eſt ex athomis ſphæricis, quæ videntur in aere in radiis ſolis. Hic fuit victus ſic dicere, quia athomi ſemper ſunt in aere, ſed non videntur, niſi ſole adveniente; ſic anima eſt in nobis, ſed agnoſci non poteſt niſi adveniente lumine divinæ gratiæ; & ſic nobiliſſima eſt, ut ſuum intellectum & quamlibet humanam notitiam tranſcendat. Magna res, inquit Bernardus ad Haymonem, eſt anima, quæ Chriſti ſanguine eſt redemta.

Empedoclis.

Empedocles dixit eam ex igne, aere, aqua & terra, lite, & amicitia: hic recepit pro anima totum hominem, ſicut frequenter facit ſacra Scriptura; corpus autem componitur ex quattuor elementis, & anima reſtabit ſecundum eum ex lite & amicitia: & hoc dicere cogitur ex inclinatione, quam habet ad corpus ex fuga & odio: nam anima juſta ſuum diligit habitaculum, & damnata odit ſuum, ut dicit divus Auguſtinus tertio ſuper Geneſim ad litteram, cap. 17.

Heraclidi.

Heraclitus tenebroſus phyſicus dicit, animam eſſe ſcintillam ſtellaris eſſentiæ: hic ejus originem tangit, quia de cælo eſt ſolum a Deo infuſa.

Alius Heracliti Ponticis.

Alius Heraclitus cognomento Ponticus, dixit, animam eſſe lucem: hic ejus eſſentiam dixit. Nam anima ſecundum Auguſtinum de eſſentia eſt Angelorum, ut ſit decimus ordo: nam Angeli per lucem intelliguntur Gen. 1. *Dixit Deus: fiat lux: & facta eſt lux*, ideſt multitudo Angelorum, ut ait doctor gloſſæ communis. Quod tetigit Salvator in parabola de muliere perdente decimam dracmam, Luc. 15. Non enim perdidit aliquem ordinem Angelorum, ſed de quolibet aliquos; hominem autem perdidit totum, quem totum ſalvum fecit in ſabbato magno in ara crucis.

Senecæ.

Seneca dixit, animam eſſe ſpiritum intellectualem ad beatitudinem in ſe & in corpore ordinatum: hic tetigit finem ejus, ut ſcilicet bene operans beatificaretur in morte, & corpus, in quo bene geſſit, in ultimo beatificaretur judicio.

Ariſtotelis.

Ariſtoteles dixit, quod anima eſt endelechia, ideſt actus primus corporis organici potentia vitam habentis: hic tangit ejus immortalitatem quod eſt vitam dans alteri & aliunde non habens; aliter eſſet in infinitum procedere: hoc diffuſius Deo dante dicetur infra in hoc eodem capitulo.

Pythagoræ.

Pythagoras dixit, animam eſſe harmoniam: hic tetigit officium, quod habet in corpore, ſcilicet illud regere & movere ſine tædio & ſine labore, immo regit cum conſonantia, ut patet in cunctis temperatis motibus corporis, & maxime linguæ, quæ melos communiter gratos facit. Iſto modo dicebat divus doctor Auguſtinus lib. de ſpiritu & anima: Anima eſt ſubſtantia quædam ratio-

tionis particeps corpori regendo accommodata. Et Remigius: Anima eſt ſubſtantia incorporea regens corpus.

Diogenis. Diogenes dixit, animam eſſe aerem; & ſic a ſe fuit motus, eo quod homo nec per momentum ſine aere vivere poteſt. Quomodo etiam dicit Iſidorus lib. 1. Ethymologiar. cap. 1, quod gentes dicebant animam quaſi ventum aere attractum, ut ventus videtur hominibus dare vitam; tamen Spiritus ſanctus coegit ſic dicere ex animæ ſumma puritate, ſicut & dixit Ariſtoteles 3. de anima, quod anima eſt ſicut tabula raſa, in qua nihil eſt depictum.

Hyparchi. Hyparchus dixit: Anima eſt igneus vigor. Et Virgilius:

Igneus eſt illis vigor & cæleſtis origo.

in 6. Æneid. Hic tetigit ejus effectum, ſcilicet ſemper amare: ait enim venerabilis Hugo de S. Victore in principio de arrha animæ: Scio, o anima, quod vita tua dilectio eſt, & ſcio, quod ſine dilectione eſſe non potes.

Hipocratis. Hipocrates dixit, animam eſſe ſpiritum tenuem per omne corpus diſperſum: hic tangit ejus incorporalitatem & modum exiſtendi in corpore, quia eſt tota in toto, & tota in qualibet parte. Itaque non eſt in uno loco corporis ſolum, ſed ubique. Et anima undecumque ſentit, ſicut in parte. Exemplum ponit Calcidius ſuper Thimeum de aranea, quæ ſedens in medio ſuæ telæ, quantulumque motum eſt, undecumque ſentit & etiam exiſtens extra medium.

Pampilo. Pampilomius dixit, animam eſſe ideam: hic tangit animæ capacitatem, quia ſcilicet anima cognoſcere apta eſt, & ex hoc convincitur in ſe habere omnium rerum ſimilitudines, ut Ariſtoteles deducit in tertio de anima; unde divus

Liber hic non eſt Auguſt. Auguſtinus in lib. de Spiritu & anima inquit: Anima eſt omnium rerum ſimilitudo. Et iterum, anima ad ſimilitudinem totius ſapientiæ facta in ſe omnium rerum gerit ſimilitudinem, quia ſimilis eſt terræ per ſenſum, aquæ per imaginationem, aeri per rationem, firmamento per intellectum, cælis cælorum per intelligentiam, lapidibus per eſſentiam, arboribus per vitam, animalibus per ſenſum & imaginationem, Angelis per intellectum, Deo per intelligentiam. Ex his patet, quod philoſophi nondum invenerunt quid eſt, *quod Deus operatus eſt ab initio uſque ad finem;* ſed ſolus Spiritus ſanctus docet, quod eſt facta ad imaginem & ſimilitudinem Dei, Gen. 1. Hæc Joannes Dominici.

Diffinitio animæ. §. I. Diffiniri ergo, vel deſcribi ſic poſſet anima rationalis ſecundum Theologos a Spiritu ſancto illuſtratos: *Anima eſt ſubſtantia incorporea, immortalis, a Deo de nihilo creata, quum infunditur corpori ſuo, ad ipſum informandum eſſentialiter, & per ſe ad perfectam beatitudinem obtinendam per gratiam & bona opera. Incorporea* dicitur contra dictos philoſophos, qui dixerunt, eam eſſe corpus ut aerem, vel ignem; quod pro hæreſi reprobatur, 24. quæſt. 3. can. penultimo. *Immortalis* dicitur contra illos, qui eam dixerunt cum corpore mori. In perſona quorum dicitur Eccleſiaſtes 3. *Unus eſt interitus hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio*; ſed hoc ut hæreticum ab Eccleſia condemnatur, ut patet. *Creata* dicitur contra Gnoſticos hæreticos, qui dixerunt, animam eſſe naturam Dei, & per conſequens non creaturam, quorum error reprobatur in dicto can. 14. q. 3. *A Deo creata* contra Simoniacos & Menandrianos inter hæreticos computatos, dicentes animas & alias creaturas ab Angelis factas. *De nihilo* dicitur contra eos, qui dixerunt factam ex ſubſtantia ſtellari, ut Heraclitus, vel ex traduce, ideſt anima generati ex anima generantis, quum generatur corpus, ſicut & corpus generatur ex corpore. *Quum corpori infunditur*, contra Origenianos, qui dixerunt omnes animas ab initio mundi creatas fuiſſe & peccaſſe, & ſecundum varietatem peccatorum in diverſa corpora infundi; quod hæreticum ponitur in dicto can. 24. quæſt. 3. *Ad informandum corpus* dicitur contra eos; qui dixerunt, animam corpori uniri, non ut forma ſubſtantialis, ſed ut motor mobili; quod reprobatur *De ſum. Trin. & fid. Cath.* cap. unico in Clem. ubi determinatur, quod anima intellectiva per ſe & eſſentialiter eſt forma corporis humani, & contrarium aſſerere eſt hæreticum. Rationes ibi aſſignat gloſſa Joannis, quas accepit a B. Thom. in 1. parte ſummæ quæſt. 76. *Ad beatitudinem conſequendam* dicitur contra eos, qui dixerunt, animas converti in dæmones, vel quæcumque animalia; quod reprobatur 24. quæſt. 3. can. penult. circa fin. Et per *gratiam* dicitur contra Pelagianos hæreticos, qui dicunt per liberum arbitrium principaliter poſſe conſequi beatitudinem, 24. quæſt. 3. can. pen. & quia gratia cum nullo mortali peccato poteſt inveniri; ideo decedentes in mortali conſequi non poſſunt beatitudinem, ſed æternam damnationem, Diſt. 25. §. *Alias autem ea*, Matth. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam.*

Quadruplex eſt finis anima. §. II. Et pro majori dictorum declaratione ſciendum, quod finis, propter quem anima rationalis eſt creata, eſt quadruplex. Primus eſt adimpletio voluntatis divinæ. Illud enim, quod Deus vult, oportet impleri, ſecundum Pſalmiſtam: *Omnia quæcumque voluit Deus, fecit.* Et quia ſic voluit, ita factum eſt, ait Ambroſius: & Apoſtolus 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* Quum ergo voluerit creaturam rationalem ſalvam facere, quia fecit quod voluit; ergo facere oportebat, ut impleretur voluntas ſua.

Secunda ratio finalis eſt reparatio ruinæ angelicæ. *Venit* enim Chriſtus ſecundum Apoſtolum *reparare quæ in cælis & quæ in terris ſunt.* Et in pſ. 109. *Judicabit in nationibus*, ſcilicet Dominus, *implebit ruinas.* Etiam quamvis Angeli mali reparari non poſſint in ſe, & boni Angeli non egeant reparatione in ſe; tamen dum loco lapſorum angelorum homines creati aſſumuntur, creſcit gaudium eorum ex numero fruentium, & ſic dicuntur reparari.

Tertia ratio, quæ incidit cum ſecunda, eſt congratulatio vel delectatio ſocietatis mutuæ, ſcilicet in multitudine conſortii angelorum. Sicut enim minuebatur numerus fruentium per numerum lapſorum Angelorum, ita augetur delectatio per numerum hominum ſalvandorum. Unde & *gaudium eſt in cælis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, Levit. 15. Quantus autem ſit numerus prædeſtinatorum, eſt circa hoc triplex opinio. Quidam enim dicunt, quod tot homines ſalvabuntur, quot Angeli ceciderunt. Alii, quod tot ſalvabuntur, quot Angeli creati ſunt & boni & mali, ſed melius & verius dicitur, quod ſoli Deo eſt cognitus numerus electorum in ſuperna felicitate locandus ſecundum Gregorium in collecta. Hæc B. Thom. in 1. p. q. 23.

Quarta ratio creationis animæ eſt præmiatio ipſius. Unde Magiſter in 2. ſent. dicit, quod Deus fecit rationalem creaturam ut ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, & poſſidendo frueretur. Et Auguſtinus dicit, quod anima rationalis creata eſt, ut Deum videret, amaret, laudaret, & ei ſerviret; ita quod videre pertinet ad actum rationis, amare ad actum voluntatis, laudare ad actum ſermonis, ſervire ad actum operis exterioris, ut iſtis omnibus fiat proteſtatio primæ veritatis, ſummæ boni-

bonitatis, immenſæ majeſtatis, æternæ felicitatis. Hæc Alexand. 2. parte, & poſt eum Raynerius.

CAPUT V.

De immortalitate animæ.

DE immortalitate animæ rationalis, quam qui negant, aſſerentes cum corpore mori, hæretici declarantur eſſe 24. quæſt. 3. can. penult. Horum errorem ponit Sapiens Sapien. 2. recitans dicta eorum, ut illud: *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus quaſi non fuerimus* &c. poſtea in inferno afflicti fatentur ſe erraſſe. Sed animam noſtram eſſe immortalem multiplici ratione, in numerabilium atteſtatione, & revelatione, oſtenſione efficaciſſime comprobatur.

Animam eſſe immortalem, a ratione probatur.

§. I. Quantum ad primum, ſcilicet per rationes. Robertus Holchot ſuper lib. Sapientiæ inducit tres rationes, quarum prima eſt ex ratione divinæ libertatis. Amicus enim providet amico ſuo omne bonum, quod poteſt, ut oſtendit philoſophus in libro Ethicorum. Deus ergo quum omnipotens ſit, & ſervos ſuos amicos vocet: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis* &c. Joann. 15. ergo providet eis de vita felici & perpetua; quod facere poteſt, & hoc eſt maximum bonum.

Secundo probatur ex Dei æquitate. Quum enim Deus ſit juſtiſſimus, nec patiatur aliquod bonum irremuneratum, ſicut nec aliquod malum impunitum, quod dictat juſtitia, hic ut videtur ad ſenſum, mali frequenter proſperantur, vel non puniuntur, ad ſufficientiam, boni vero deprimuntur ut in pluribus, vel non remunerantur ad ſufficientiam; ergo oportet animam eſſe immortalem, ut in alia vita remuneretur, vel puniatur ad plenum ſecundum ea, quæ geſſit in corpore, & hoc tangitur *De pœnit.* Diſt. 3. *Quid ergo turbamur*.

Tertio hoc declaratur ex Dei infallibili veritate. Quum enim verax ſit, mentiri non poteſt; promittit autem ſervis ſuis vitam æternam, dicens: *Ego vitam æternam do eis*, ſcilicet ovibus meis, Joann. 10. Quum ergo corpus corrumpatur, ut patet; neceſſe eſt animam eſſe immortalem, quæ recipiat vitam æternam.

B. Thomas in 1. parte quæſt. 75. ponit duas rationes. Et prima eſt, quia corruptio non invenitur, niſi ubi invenitur contrarietas. Generationes enim & corruptiones ex contrariis & in contraria ſunt. Unde corpora cæleſtia, quia non habent materiam contrarietati ſubjectam, incorruptibilia ſunt. In anima autem intellectiva non poteſt eſſe aliqua contrarietas; recipit enim ſecundum modum ſui eſſe: ea vero, quæ in ipſa recipiuntur, ſunt abſque contrarietate, quia etiam rationes contrariorum in intellectu non ſunt contrariæ, ſed una eſt ſcientia contrariorum. Impoſſibile eſt ergo, quod anima humana vel intellectiva ſit corruptibilis.

Cognitio intellectus & ſenſus diverſa.

Alia ratio eſt, quia unumquodque ſuo modo eſſe deſiderat. Deſiderium autem in rebus cognoſcentibus ſequitur cognitionem. Senſus autem non cognoſcit eſſe niſi ſub hic, & nunc. Sed intellectus apprehendit eſſe abſolute & ſecundum omne tempus; unde omne habens intellectum, naturaliter deſiderat eſſe ſemper. Naturale autem deſiderium non poteſt eſſe inane. Omnis igitur intellectualis ſubſtantia eſt incorruptibilis. Et ſi dicatur, quod omne, quod eſt ex nihilo, eſt vertibile in nihil, quia finis debet reſpondere principio: ſed anima creata eſt ex nihilo; ergo dicitur corruptibilis. Reſponet B. Thomas, quod quum dicitur aliquid vertibile in nihil, non importatur in creatura ad non eſſe potentia, ſed in creatore potentia ad hoc, quod eſſe non influat. Dicitur autem aliquid corruptibile per hoc, quod ineſt ei potentia ad non eſſe, & ſic non eſt in anima hæc potentia; unde non corruptibilis, ſed incorruptibilis eſt.

Dominus Joannes Dominici ſuper Eccleſiaſtem inducit plures alias rationes ad hoc probandum, & exinde auctoritates. Et prima eſt, quia nihil eſt, quod nos diſcernat a brutis & mutis, niſi religio & cognitio ſummi Dei. Igitur ad fruendum ſummo anima noſtra creata eſt: hæc ratio demonſtratur inductive, quoniam omne animal id cognoſcit, & ſolum quod ad ejus uſum ſpectat. Aſinus autem non cognoſcit aurum, nec margaritas, quia ad ejus uſum facta non ſunt, & ſic diſcurrendum per ſingula. Igitur ſi Deum cognoſcere in hac vita continue laboramus, natura nos docet ad hunc finem factos eſſe. Ex hoc argumento Lactantius lib. 7. inſtit. de vita beata plures elicit rationes.

Secundo nihil eſt, quod utatur elemento cæleſti, niſi homo; igitur homo ad cæleſtia tendit, & non corpus, quod in terram revertitur per mortem: immortalis eſt ergo anima, quæ illuc aſpirat. Iſta conſequentia videtur ſatis bona in materia inductive: quum cuncta animalia ſibi ſimilibus nutriantur & utantur, ut etiam in libro de nutrimento & nutrito dicitur. Antecedens ſatis patet, quia nullum animal igne utitur niſi homo. Et ſi dicis contra, quia canis & catta comedunt cocta; reſpondetur, quod hoc agunt præter ſuam naturam, quia ita bene comederent cruda, & comedunt, & libentius quam cocta, ſed ſunt inſatiabilia animalia, & capiunt, quæ ſibi dantur, quum aliunde habere non poſſint. Homo vero ex oppoſito libentius, quæ igne cocta ſunt, comedit, immo nobis videtur impoſſibile ſine igne vivere. Licet Plinius Junior lib. 6. cap. 13. dicat, quod in parte orientali quibuſdam gentibus uſus ignis fuerit ignotus uſque ad tempus Ptholomæi regis Ægypti: tunc enim primo ignem habuerunt; verum eſt, quod ex dictis in illo capite credo illos non eſſe homines. Quum igitur locus ignis ſit in cælo, ut patet omnium conſenſu & experimento, quod ſolus homo utitur igne; conſtat, ſic nos natura docente, ut pro cælo facti ſimus. Vide de hoc etiam Lactantium ubi ſupra.

Tertio ſic probatur: aut anima eſt immortalis, aut homo infelicior eſt cunctis creaturis. Secunda pars non eſt vera, ut conſtat manifeſte; ergo anima eſt immortalis. Probo conſequentiam: nam omnis res facta eſt ad aliquem finem, & quum adipiſcitur, quieſcit in eo. Hoc patet inductive: Ignis factus eſt, ut ſit in loco ſuperiori; ideo inferius exiſtens movetur ſurſum, ut illuc aſcendat; quum eſt autem, ubi eſſe debet, quieſcit. Lapidis locus eſt & finis petere centrum, & tamdiu laborat, quoad poſſit accedere, & quum ibi eſt, quieſcit, & nullum motum habet, & alibi non quieſcit, niſi violenter teneatur. Hoc idem conſidera in brutis animalibus. Canis bene paſtus quieſcit, & nil ultra quærit, quia ejus finis eſt vivere; & ſic de omnibus aliis. Omnia igitur animalia & non rationabilia ſuum finem quærunt, & tunc quieſcunt, quando in ſua perfectione conſiſtunt. Hominis autem animus in hac vita numquam quieſcit, licet corpus quieſcat in ſomnis bene paſtum; anima tamen intus exiſtens eſt ſemper in motu, quod declarant continua ſomnia. Igitur quum numquam anima ſit quieta & contenta, ſed oportet, quod ulterius quærat; neceſſe ſequitur, quod vel ad alium finem facta eſt, & ſic eſt immortalis, vel miſerri-

ma

ma eſt, quia numquam ſuum aſſequitur finem; quod fuit ſecunda pars antecedentis. Hæc ratio fundatur ex dictis devoti Bernardi lib. de contemtu mundi, ubi ait: Anima rationalis ad imaginem Dei facta, ceteris omnibus occupari poteſt. Capacem enim Dei quidquid minus Deo eſt, non implebit. Hinc eſt, quod naturali deſiderio omnes quidem ſummum bonum appetere probantur, nullam niſi eo adepto requiem habituri.

Quarto & ultimo Deus & natura nihil fruſtra operantur: quum igitur videamus nos aliqua ſumme amare, quæ ad corpus non poſſunt aliquo modo ſpectare, nec prodeſſe; ſequitur, quod alia eſt vita, quam corporis, & ad aliud facti ſumus, quam pro corpore tantum. Hoc patet; nam nos deſideramus ſcire & ſapere, quæ potius afflictionem dant corpori, quam delectationem. Nos deſideramus famam, quæ corpori nihil prodeſt, immo naturaliter nos commendamus homines virtuoſos, qui refrænant corporales motus & delectationes, atque naturaliter approbamus meliorem vitam eſſe, quam ſit corporalis; & hæc unuſquiſque poteſt in ſe intueri, quum animæ deſideria cogitabit. Hæc ratio fundatur ex dictis Torquati Boetii, 3. de conſol. proſa 2. ubi ait: Inſerta eſt mentibus hominum naturaliter veri ſummique boni cupiditas. Et de hoc Lactantius diffuſe ubi ſupra, ubi ad hanc materiam plures perſuaſorias rationes facit.

Poteſt induci & quinta ratio talis: Omne, quod eſt corruptibile, quanto magis inveteraſcit, tanto magis deficit in virtute & robore ſuo, ut patet in corpore humano, quod quum antiquatur, eſt magis debile, quam prius, quia tendit ad mortem. Sic & potentiæ ſenſitivæ, quæ ſunt affixæ organis corporeis, ut viſus, auditus, memoria & hujuſmodi, deficiunt paullatim: & tanto magis, quanto quis plus ſeneſcit. Si ergo anima eſſet mortalis, ſimiliter etiam diminueretur virtus ejus in potentiis, quæ non ſunt affixæ organis corporis, ut intellectus & voluntas; ſed hoc non eſt, immo contrarium, quia tanto quis perfectius intelligit, quanto plus vivit, propter quod dicitur Jobi 12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.*

Probatur teſtimoniis antiquorũ animæ immortalitas.

§. II. Sed quoniam plus hodie valet apud malum vulgus auctoritas antiquorum quam perſuaſionum veritas, quid antiqui de hac immortalitate animæ ſenſerunt, aliqualiter videamus.

Per poetas.

Primo namque volumus a poetis incipere, in quibus eſt magis dubia veritas, nihil videntur aliud laboraſſe, quam loqui de inferno & purgatorio, & campis Eliſiis, & cælis, in quibus animæ defunctorum, pro qualitate meritorum & demeritorum collocantur, ut patet omni intuenti. Et principaliter Virgilius in Æneidos, & Seneca fere in cunctis Tragœdiis, & qui minus dixit, in fine magni operis concluſit: *Morte carent animæ* &c. Ovid. 15. Methamorphoſum: introducit Deum de anima Herculis loquentem, & ait: Externum eſt a me, quod tranſit & in expers atque immune necis.

Per hiſtoricos.

Inde per hiſtoricos etiam tranſeundum ſub brevitate eſt, qui aliorum facta deſcribunt. Saluſtius in lib. de republ. inquit: Natura divitiarum & famæ gloria fluxa atque fragilis eſt, virtus clara æternaque habetur. Igitur præclara facies, magnæ divitiæ adhuc vis corporis & omnia alia adhuc brevi dilabuntur. Ingenia & egregia facinora ſicut anima immortalia ſunt. Item idem in Catilinario in una orationum Julii, & Catonis de pœnis animarum ſeparatarum diſſerit, Julius Cæſar, Valerius Maximus qui æque ut Saluſtius fuit Romanus ſcriptor in 2. lib. cap. 1. Indos meminit, quorum feminæ certant mori cum maritis, ut alia vita cum eis fruantur. Item ibi paullo ante immortales eſſe animas mos Gallorum approbat, qui pecunias mutuatas apud inferos recepturos ſe ſperant. Deinde dicerem ſtultos, niſi idem Brachati ſenſiſſent, quod Paliatus Pythagoras credidit. Idem lib. 4. cap. 20. & cap. 34. ubi clare hoc ponit. Idem ut patet in 1. cap. de miraculis & ſomniis. Item Lucanus Cordubenſis hiſtoricus non poeta hoc in pluribus libris teſtatur. Magni viri hoc idem tenuerunt, tamen Pagani, quia alios, non nominabo pro iſta materia. Didymus namque rex Brachmanorum ad Alexandrum magnum ſic ſcribit: Quapropter nimium vecordes vos & miſerabiles judicamus, qui originem veſtram eſſe cæleſtem non ſuſpicitis, magnamque cum Deo habere cognationem. Et iterum in alia epiſtola: Nos non ſumus incolæ hujus mundi, ſed advenæ, nec ita in orbem terrarum venimus, ut in eo libeat conſiſtere, ſed tranſire: properamus enim ad larem patriam nullis delictorum ponderibus gravati: nulla quidem conſcientiæ fronte progredimur, ut expediti ac faciles ſpatium propoſiti decurramus itineris. Item Cyrus major rex, quum veniret ad mortem, convocans filios ſuos, ut recitat Tullius in lib. de ſenectute, & Xenophon philoſophus ſcribit, ſic ait: Nolite arbitrari, o filii cariſſimi mihi, me, quum a vobis receſſero, nuſquam aut nullum fore; nec enim dum eſſem vobiſcum animum meum videbatis, ſed eum eſſe in hoc corpore ex eis rebus, quas gerebam, intelligebatis, eumdem igitur eſſe credite, etſi nullum videritis.

Per Philoſophos morales.

Ultimo ad Philoſophos morales tranſeamus. Trimegiſtus Mercurius Maximus Græcus ad Æſculapium ſic ſcribit: Omnis humana anima eſt immortalis. Item ibidem loquens de homine: Quum itaque animadverteret Deus, eum non poſſe omnium rerum eſſe diligentem, niſi eum humano contegeret tegumento, texit eum corporea domo. Taleſque omnes eſſe præcepit ex utraque natura, in unum confundens miſcenſque quantum ſatis eſſe debuiſſet. Itaque hominem conformat ex anima & corporis natura, ideſt externa & mortali natura, ut animal ita conformatum utrique ſuo originī ſatisfacere poſſet, & mirari atque orare cæleſtia, & incolere atque gubernare terrena. Item Lucretius, qui aliquando videtur ſenſiſſe oppoſitum, tandem hos verſus compoſuit:

Cedit idem retro de terra, quod fuit ante:
In terram; ſed quod miſſus eſt ex etheris oris,
Id rurſum cæli fulgentia templa receptant.

Item Tullius libro, quem de ſomno Scipionis edidit, parum poſt principium ſic ait: Conſtat certum eſſe in cælo diffinitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur. Et ſequitur: Hi vivunt, qui e corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt. Veſtra vero, quæ dicitur vita, mors eſt; & multa ſimilia in eodem libro. Item Cato cupiditate vitæ immortalis ſeipſum peremit, ut ad cælum aſcenderet anima ejus, ait Lactantius lib. 3. Item Quintilianus cap. 4. ait: Si quis ſciat, quis ſit finis bonorum, quæ vera felicitas, numquam ſibi videbitur privatura morte peritus. Item Annæus Senec. lib. de morte immatura aperte hoc profitetur. Item lib. de naturalibus quæſtionibus in principio. Item in epiſtola 4. in epiſtola 5. & ubi inquit: Stoici æſtimant, animam hominis pondere magno &c. & concludit itaque de illo, ſcilicet animo, an poſſit immortalis eſſe, hoc quidem certum habetur ibi diffuſe & bene. Item in 97. loquens de Scipione ait: Animum quidem ejus eſſe in cælo, ex quo erat, perſuadeo mihi. Idem ad Lucillum epiſtola 102. Jam diſce, Lucille, quam ſit naturale in immenſum mentem ſuam extendere. Magna & generoſa res eſt animus humanus, nullos ſibi poni niſi com-

communes cum Deo terminos patitur, Aliquando tibi naturæ arcana detegentur, diſcutieturque iſta caligo, & lux undique clara perveniet &c.

Per Aſtrologos paganos.

Lege Aſtrologos etiam paganos, ſecundum quorum opiniones Ambroſius Macrobius, ſuper de ſomno Scipionis ad hanc ſententiam reducit: Duæ ſunt portæ in zodiaco, ſcilicet duo tropici: videlicet *capricornus & cancer*, per quas animæ noſtræ deſcendunt de cælo, & poſt mortem corporum earum aſcendunt, deſcendunt quidem per cancrum, & ideo dicitur porta hominum; aſcendunt per capricornum, & ideo dicitur porta deorum, quia naturam immortalitatis deorum hinc aſſequuntur. Dicit ergo: Quum deſcendendo veniunt ad locum conditionis futuræ, auſpicantur exordium; per cetera vero animalia, quæ ſunt ſigna zodiaci tranſeuntes, perdunt cognitionem ſeu obliviſcuntur eorum, quæ habebant in cælo, quaſi ebriæ ex viſis diverſis. Verum quum anima venit per Saturnum, acquirit rationis naturam & intelligentiam; in Jove, vim agendi; in Marte, animoſitatis ardorem; in Sole, ſentiendi opinandique naturam; in Venere, deſiderii & voluptatum motus; in Mercurio, pronuntiandi & interpretandi vigorem; in Luna, plantandi & augurandi. Sic demum, ut dicunt, poſt mortem corporis per eaſdem revertitur vias & ſigna.

Medici probant animæ immortalitatem.

Medici ſimiliter hoc docuerunt. Galenus in lib. de ſpermate inquit: Sicut lux ſolis, quæ incorruptibilis eſt complens ſuum hemiſpherium nullam patitur deciſionem vel diviſionem; ſic & anima, quæ incorruptibilis eſt. Item in eodem: Sicut etiam lumen ſolis, quod incorporale eſt ab aere, & ab omni intelligentia oculorum ſeparatur ſine corruptione; ſic anima, quæ incorruptibilis eſt, ſine corruptione a corpore.

Philoſophi naturales probant animæ immortalitatem.

Deſcendo ultimo ad naturales philoſophos. Pythagoras autem, ut ait Hieronymus 1. contra Jovinianum, dixit primus apud Græcos, immortales eſſe animas, qui etiam dixit animas deſcendere de cælo, ut ſupra Aſtrologi dixerunt, & ideo lac primo ſugere, quia per lacteum circulum tranſit deſcendens: & eſt ibi initium imperii infernalis dominii, & ſupra totum pertinet ad Deum, ut recitat Macrobius ubi ſupra. Item Empedocles, qui dixit, futuræ felicitatis appetitu nihil eſſe felicius, ut ait Ariſtoteles lib. de vegetabilibus, amore immortalitatis habendæ ſeipſum in ardentis æternæ ſpecu projecit, ut teſtatur Lactan. lib. 3. Item Plato in Thimeo ait, poſt omne corpus animas in ſinu patris æterni reverti; ideo lib. 2. dicit tot animas eſſe, quot ſtellæ, & leges immortalitatis habere. Item ſatis altum conſcripſit volumen, quod Phedron appellavit, qui fere totus eſt de immortalitate animæ, ubi de pœnis inferni ſatis diſſerit. Item Diogenes dixit ſe deſcenſurum ad infernum per mortem, & cupiditate immortalitatis ſeipſum occidit, ut dicit Hieronymus contra Jovinianum, & Lactantius ubi ſupra. Item Archita Tarentinus mentem noſtram dicebat divinum numen, teſtante Tullio lib. de ſenectute. Item Ariſtoteles in pluribus locis immortalitatem animæ confitetur. Nam in 2. de anima dicit, quod anima ſeparatur a corpore quemadmodum perpetuum a corruptibili. Item promiſit ſe facturum librum, quomodo anima ſeparata a corpore intelligat, ut bene oſtendit noſter Magiſter Albertus 3. de anima, digreſſione 3. ſuper cap. 1. Item in libris Ethicorum taliter felicitatem deſcribit, ut conſtat intuenti, quod impoſſibile eſt eam haberi in hac vita. Ex quo ſequitur vel eum neſciviſſe, quid diceret, vel animam immortalem ſecundum eum eſſe. Item in lib. de pomo (ſi tamen eum fecit) determinat clare animam immortalem. Item Apulejus Platonicus in lib. de Deo Socratis ait, homines ratione plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis gaudentes &c. Item Plotinus philoſophus dicebat (ut ait divus Auguſtinus lib. 9. de civit. Dei) fugiendum eſſe ad clariſſimam patriam, & ibi patere omnia. Item Zeno philoſophus, ut refert Seneca cap. 16. in epiſt. quadam, dicebat mortem eſſe glorioſam; & ideo ſe interfecit, ut poſt mortem beatus viveret, ſicut teſtatur Lactantius ubi ſupra. Item Porphyrius, ſicut teſtatur Galenus ubi ſupra: Non eſt mirum, inquit, animam, quæ ſubſtantia incorporea eſt, poſſe ſeparari a corpore, quum ignis, qui eſt ſubſtantia corporea corruptibilis a lignis, quibus eſt conjunctus, poſſit ſeparari & reverti in ſuam materiam ſine ſui corruptione. Hæc dicta ſufficiant ad hanc materiam, ut qui non vult eſſe Chriſtianus, ſit vel rationalis homo, vel poeta, ſive civilis, aut orator, vel moralis, ſit aſtrologus aut medicus vel philoſophus naturalis, & non beſtia vel brutum animal, & quamcumque ſectam intraverit, viſa anima immortali, revertatur ad Chriſtum, qui eum beatificavit præcedentibus bonis operibus &c.

Sacra Scriptura dicit animam immortalem.

Ex ſacra Scriptura innumera ſunt teſtimonia, ſed duo ſufficiunt: Dan. 12. dicitur: *Qui in pulvere terræ dormiunt, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper:* Matth. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Auguſt. 13. quæſt. 2. *Tempus. Tempus, quod interpoſitum eſt inter hominis mortem & ultimam reſurrectionem, animas abditis receptaculis continet, prout unaquæque digna eſt requie, vel ærumna, pro eo quod ſortita eſt in carne, dum viveret.* Et Greg. quæſt. ead. *Animæ. Animæ defunctorum quattuor modis ſolvuntur*, ſcilicet a pœnis purgatorii &c. Auguſt. ult. de civit. Dei cap. 27. ait: Singula quædam dixerunt Plato & Porphyrius, quæ ſi inter ſe communicare potuiſſent, facti eſſent fortaſſe Chriſtiani. Plato dicit, ſine corporibus animas in æternum manere non poſſe; ideo enim dicit etiam ſapientum animas, poſt quantumlibet longum tempus, tamen ad corpora redituras. Porphyrius dixit animam purgatiſſimam, quum redierit ad patrem, ad hæc mala mundi numquam redituram &c. Item Dionyſius 4. de divinis nominibus dicit, quod humanæ animæ ex bonitate divina habent quod ſint intellectuales, & quod habeant ſubſtantialem vitam incomſuntibilem.

Probatur exemplis animæ immortalitas.

§. III. Probatur demum immortalitas animæ ex multis exemplis. Apparuerunt enim Judæ Machabæo Onias ſummus ſacerdos defunctus, & Hieremias propheta, qui multo tempore ante migraverat, ad animandum ipſum promittendo victoriam, ut habetur 2. Mach. cap. ult. Hiſtoria, quam Chriſtus narravit Judæis de divite Epulone ſepulto in inferno, & Lazaro, quieſcente in ſinu Abrahæ, oſtendit clare animas immortales, & ſecundum opera in futuro recipere, Luc. 26. Juvenis quidem reſuſcitatus a Joanne Evangeliſta narravit gloriam regni paratam bonis, & tormenta varia inferni pro malis, ut patet in ejus legenda.

Tres mortui reſuſcitati ad ſepulchrum Hieronymi narraverunt multa de gloria paradiſi, pœnis inferni, cruciatibus purgatorii, ut patet de miraculis ejus. In 4. Dialogorum multa exempla habes oſtendentia præmium vel pœnam animarum in illa vita, & per conſequens immortalitatem earum. B. Agnes cum magna comitiva ſanctarum apparuit poſt mortem Conſtantiæ filiæ Conſtantini, ut narrat Ambroſius. Agatha quoque Luciæ, & Petrus & Paullus Dominico ſanctiſſimo, & innumera hujuſmodi. Sciendum tamen, quod quum mors non ſit aliud, quam privatio vitæ, ſicut in anima poteſt conſiderari triplex vita, ſcilicet na-

tu-

turæ, gratiæ, & gloriæ; ita per oppoſitum triplex mors. Secundum primam vitam, quæ non eſt aliud niſi permanentia ejus, ſic eſt immortalis juxta illud Trimegiſti: Omnis anima immortalis eſt, niſi quis appellet mortem quamcumque mutationem etiam per effectum: ſic enim & anima mortalis eſt, quia mutabilis, ac etiam Angelus. Unde Apoſtolus, 1. Tim. 6. de Deo, qui omnino immutabilis eſt, dicit: *Qui habet immortalitatem* ſolus. Secundum vitam gratiæ, qua mediante Deus inhabitat animam, ſpiritualem vitam ei conferens; ſic anima moritur per peccatum mortale, quæ mors non eſt aliud, quam ſubtractio gratiæ. Sicut enim corpus non vivit, anima abſente, ita nec anima niſi Deo præſente, ſcilicet per gratiam, ut dicit Auguſtinus, *De pœnit.* Diſt. 1. can. *Reſuſcitatus*, §. *Qum enim*. Et de hac morte dicitur Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*. Secundum tertiam vitam, quam habet anima in gloria ſecundum illud ad Rom. 6. *Habetis.... finem vitam æternam*, moritur anima, dum in æternum ea privatur per damnationem, de qua morte Chriſtus, Joann. 8. *Si quis ſermonem meum ſervaverit, non videbit mortem in æternum*. Unde & Stephanus papa hortatur quemdam uxoricidam, ut deſerat ſæculum, & intret religionem, dicens: *Si forte ignoſcat infinita miſericordia Dei peccatis tuis, & refrigeret animam tuam*, ſcilicet in beatitudine, *priuſquam crucieris perpetuis flammis*, ideſt non crucieris &c. 33. quæſt. 2. *Admonere*. Illum cruciatum appellat Scriptura mortem, Apoc. 2. *Qui vicerit*, ſcilicet tentationes, *non lædetur a morte ſecunda*. Et propterea ſignanter dicit, pſal. 33. *Mors peccatorum peſſima*, prima eſt mala corpori, ſecunda animæ, pejor eſt tertia utrique finaliter; & hæc peſſima.

Triplex eſt mors.

CAPUT VI.

De unione animæ ad corpus, & de multiplici acceptione hujus vocabuli.

DE unione animæ cum corpore humano, cur facta eſt, quum anima ſit ita nobilis ſpiritualis & immortalis ad immaginem Dei; quæri poteſt, quare corpori humano, quod eſt ita vile materiale & mortale, conjuncta eſt? Quid enim eſt homo, ait Bernardus, niſi ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum, cibus vermium; cujus conceptus culpa, naſci miſeria, mori pœna; & ſic in non hominem vertitur omnis homo: quod dicitur reſpectu corporis. Ad quod & facit illud Jobi 14. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis* &c. Ad quod reſpondet Magiſter in 2. ſent. Diſt. 1. Primo quidem quia Deus ſic voluit, & quum voluntas ejus rectiſſima & ſapientiſſima ſit in omnibus, non niſi optime factum eſt. Unde & Ambroſius, *De conſecr.* Diſt. 2. *Omnia: Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra*, & quia ſic voluit, factum eſt. Adducit tamen Magiſter ſent. ibi duas alias rationes convenientiæ. Quarum prima eſt ad dandum quoddam in hoc exemplum unionis futuræ in patria inter animam & Deum, qua clariſſime Deus videtur & fruitio perfectiſſima ſequitur. Quum enim ſit infinita diſtantia inter Deum & creaturam (nam Deus infinitus, anima & creatura virtutis finitæ) potuiſſet hominibus videri impoſſibile poſſe umquam attingere ad illam perfectionem & talem unionem, niſi daretur ei aliquod exemplum alicujus conjunctionis ſibi notæ rerum maximæ diſtantium; quod ſit in conjunctione animæ cum corpore. Nam nulla proportio eſt inter animam & corpus; nam anima ſpiritualis, illud materiale; anima immortalis, illud mortale; anima inviſibilis, illud viſibile; illa nobiliſſima ſimilis Angelis propter intellectum, illud ſpurciſſimum ſimile jumentis. Et tamen quum ſit tanta diſproportio inter ea, in tanta amicitia Deus ipſa univit, ut umquam alterum vellet ab altero ſeparari, etiam in perfectis viris. Unde Apoſtolus Rom. 8. & 2. Cor. 5. *Ipſi nos primitias ſpiritus habentes ingemiſcimus, eo quod nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri*. Sicut ergo potuit Deus res ita diſtantes in tanta amicitia adinvicem conjungere: poterit, nulli dubium, & animam virtuoſi illa unione claræ viſionis & beatiſſimæ fruitionis ſecum conjungere; & ſic hujus rei fiducia figuratur.

Secunda ratio ſecundum eumdem eſt, ut anima unita corpori, ſicut ex eo ſuſtinet plura mala & bella: nam *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*; ſic inde ſibi acquirat reſiſtendo majorem coronam: quanto enim quis cum pluribus hoſtibus gerit bellum, & diutius laborat, ſi victoriam obtinet, tanto glorioſior eſt triumphus. Homo autem non ſolum impugnatur a ſuo ſpiritu, ut Angelus primus, aut a dæmone, ut Adam terrenus; ſed ab innumeris dæmoniis, a paſſionibus carnis, non tantum ſemel, ſed dum vivit. Ad quod etiam videtur facere, quod dicit Lactantius in lib. 6. Inſtit. ſcilicet quod Deus excogitavit inenarrabile opus, ut ſcilicet infinitam multitudinem animarum crearet, quas prius fragilibus & imbecillibus corporibus alligatas conſtitueret, bonum malumque medians, ut conſtantibus ex utriſque naturæ virtute proponeret, ne immortalitatem delicate aſſequerentur ac molliter; ſed ad illud æternæ vitæ ineloquibile præmium cum ſumma difficultate ac magnis laboribus pervenirent. Hæc ille.

Poteſt tertia ratio adduci ſcilicet ad majorem pulchritudinem univerſi ac oſtenſionem ſapientiæ ſuæ. Nam quanto in civitate aliqua ſunt plura rerum genera, tanto pulchrior redditur; tantoque magis ſapientia artificis major apparet, quanto plura artificia variata peregerit. Fecit Deus ergo glorioſus creaturas aliquas pure ſpirituales, ut Angelos, alias pure materiales, ut elementa & elementata cum corporibus cæleſtibus. His quoque addidit creaturam conſtantem partim ex ſpirituali, ſcilicet animam, partim ex materiali, ut corpus, ſicuti eſt omnis homo, ut dicitur extra *De ſumma Trin. & fid. Cathol.* cap. 1. In quo etiam trifario opere univerſi repræſentatur myſterium Trinitatis, dum univerſum ex tribus rerum generibus conſtituitur. Unitur autem anima rationalis corpori, quum creatur. Creatur autem anima quælibet, non a principio mundi, ut quidam hæretici dicunt, 24. quæſt. 3. can. penultimo; ſed organizato corpore humano concepto in utero matris & diſtincto per membra, tunc anima creatur, & creando corpori infunditur. Unde Auguſtinus: *Contemplemur facturam Adæ. In Adam enim exemplum datum eſt, ut ex eo intelligamus, quia jam formatum corpus animam accipit. Nam poterat Deus animam limo terræ admiſcere, & ſic corpus formare, ſed ratione infirmabatur* (infirmabatur, gloſſa, ideſt deſtituebatur) *quia primum oportebat domum compaginari, & ſic habitatorem induci. Anima certe, quia ſpiritus eſt, in ſicco habitare non poteſt; ideo in ſanguine fertur habitare. Quum ergo corporis lineamenta compacta non fuerint, ubi erit anima?* 32. quæſt. 2. *Moyſes tradidit*.

Anima nõ poteſt habitare in ſicco.

§. I. De modo unionis animæ cum corpore. Nota ſecundum Vincentium in ſpeculo hiſtoriali, quod anima poteſt conſiderari, prout eſt ſubſtantia, & ſic proprie dicitur anima quaſi animans & perficiens cor-

De modo unionis animæ cum corpore.

corpus. Et ſecundum hoc eſt in eo ſicut perfectio ſuo perfectabili, ſicut forma eſt in materia. Unde deſtructo corpore deſtruitur anima in quantum forma, non autem in quantum eſt ſubſtantia, ideſt ſpiritus. Sic enim dicitur ab *a*, quod eſt ſine, & *nenem*, quod eſt *defectus*, quaſi *ſine defectu*, quia numquam illa ſubſtantia deficit. Quod autem dicit Auguſtinus, animam non eſſe in corpore ut formam in materia, intelligendum eſt ſecundum omnem modum, quia ſcilicet anima ſeparatur a corpore ſecundum quod eſt ſubſtantia; forma vero ſecundum rem nullo modo ſeparatur a materia. Itaque non eſt anima unita corpori per modum continuationis, quia continuatio terminum habet, ſecundum quem res alteri conjungitur, nec eſt per totum illud, cum quo continuatur. Anima autem eſt per totum corpus abſque termino & ſitu. Unde dicit Auguſtinus, quod non eſt in corpore ſicut vinum in utre, ſed tota toti corpori conjuncta eſt. Eadem ratione nec per modum contiguitatis, ſed nec per modum miſtionis, quia in miſtione oportet eſſe partium diviſionem, & quia non poteſt quodcumque quantocumque corpori miſceri; anima vero quantocumque corpori conjungitur. Similiter nec per modum impreſſionis: impreſſum enim non ſubſiſtit ſine eo, cui eſt impreſſum, ut patet in forma impreſſa ſtatuæ vel ſigillo, ſed per modum agglutinationis. Quando enim egreditur vel exciditur ſemen ab homine in pueri genera tione, ſpiritus, qui dicitur ædificator & artifex, ſimul egreditur, qui diſpoſitiones acquirit in corpore priuſquam anima infundatur, & quaſi ad eam recipiendam abilitat corpus vel coaptat. Sicque iſta duo in unum glutinat; ſunt autem unum, non ut continuum vel indiviſibile, ſed unum ratione, non quia ſit eadem ratio utriuſque, ſed quia faciunt unum, cujus eſt una ratio, ſcilicet hominem. Hæc ille. Fit autem hæc unio animæ, quæ tunc de novo a Deo creatur, in capite 40. dierum a principio conceptionis quoad mares, vel 46. ut notat Magiſter ſent. poſt Auguſt. in 3. Diſt. 3. Et ut dicit Innocentius, extra *De celeb. Miſ. In quadam: Ad compoſitionem autem corporis humani elementa concurrunt, videlicet terra, aqua, aer & ignis: & ad vegetationem ejuſdem corporis quattuor humores conſimiles illis conveniunt, videlicet ſanguis, colera, flegma, & melancholia*. Hæc ibi. Colera eſt ſicca & calida, & congruit igni. Sanguis eſt calidus & humidus, & congruit aeri. Flegma humidum & frigidum, & congruit aquæ. Melancholia frigida & ſicca, & congruit terræ.

Unionis animæ ad corpus.

Quando anima unitur corpori.

Inclinationes complexionum.

Ex his humoribus habet homo inclinationem naturalem ad aliqua vitia, & ad aliquas virtutes & ſcientias. Nam cholerici inclinantur ad iram, & magnanimitatem & fortitudinem. Sanguinei ad luxuriam & ad benevolentiam & affabilitatem. Flegmatici ad pigritiam, & incuriam, & manſuetudinem & patientiam. Melancholici ad deſperationem & ſuſpicionem, compunctionem, & modeſtiam.

Quantum ad ſcientias ſecundum Joannem Dominici in Dial. ſuo poſt Albertum Mag. colerici inclinantur ad methaphyſicalia, ſanguinei ad naturalia, flegmatici ad moralia, melancholici ad poeticalia. His etiam correſpondent quattuor paſſiones animi, gaudium ſanguini, ſpes coleræ, timor flegmati, dolor ſeu triſtitia melancholiæ: & ſicut ex improportione humorum corporis generatur infirmitas; ita ex inordinatione paſſionum infirmitas peccati, quæ tandem inducit mortem. In hujus figuram dicitur Luc. 7. *Hi, qui portabant*, ſcilicet mortuum, *fleterunt*: hi qui portant mortuum in anima ex inordinatione paſſionum, ſunt gaudium mundi, ſpes longevæ vitæ, timor non valendi pœnitere vel recidivandi, dolor adverſorum, quæ ducunt ad ſepulchrum inferni. Sed gratia Chriſti ceſſando a malis reviviſcit peccator.

§. II. Unitur autem anima humana tali corpori, ſcilicet humano, valde convenienter; & ratio eſt ſecundum Thomam in 1. par. quæſt. 76. quia anima intellectiva ſecundum naturæ ordinem infimum gradum tenet in ſubſtantiis intellectualibus, in tantum, quod non habet naturaliter ſibi inditam notitiam veritatis ſicut Angeli; ſed oportet, quod eam colligat ex rebus ſenſibilibus per viam ſenſus, ut dicit Dionyſius. Natura autem nulli deeſt in neceſſariis, unde oportuit, quod anima intellectiva non ſolum haberet virtutem intelligendi, ſed etiam ſentiendi. Actio autem ſenſus non fit ſine corporeo inſtrumento. Oportuit ergo animam intellectivam tali corpori uniri, quod poſſet eſſe conveniens organum ſenſus: omnes autem alii ſenſus fundantur ſuper tactum. Ad organum autem conveniens tactus requiritur, quod ſit medium inter contraria, quæ ſunt frigidum & calidum, humidum & ſiccum & ſimilia, quorum eſt tactus apprehenſivus: ſic enim eſt in potentia ad contraria, & poteſt ſentire ea; unde quanto organum tactus fuerit magis reductum ad æqualitatem complexionis, tanto perceptibilior eſt tactus: anima autem intellectiva habet completiſſime virtutem ſenſitivam; quia quod eſt inferioris, præexiſtit perfectius in ſuperiori, ut dicit Dionyſius; unde oportuit corpus, cui unitur anima intellectiva, eſſe corpus miſtum inter omnia alia magis reductum ad æqualitatem complexionis. Et propter hoc inter omnia animalia homo eſt melioris tactus & inter ipſos homines, qui ſunt melioris tactus, ſunt melioris intellectus. Cujus ſignum eſt; quia molles carne bene aptos mente videmus, ut dicitur 2. de anima. Hæc Thomas. Quamvis autem animæ humanæ ſunt ſubſtantiæ incorporeæ in ſe, ut Angeli, non tamen ſunt ſingulæ diverſarum ſpecierum, ut Angeli, ſed omnes animæ ſive unitæ, ſive ſeparatæ ſunt unius ſpeciei, & ejuſdem perfectionis naturalis, etſi non accidentalis. Quod autem una anima ſit acutior & virtuoſior alia, procedit vel ex meliori corporis diſpoſitione & complexione, vel ex meliori exercitio, vel ex majori gratia collata. Unde Sap. 8. dicitur: *Sortitus ſum animam bonam*.

Anima unitur corpori ſibi valde conveniti.

Homo eſt melioris tactus inter omnia animalia.

In unione autem animæ cum corpore, anima ipſa, quæ a Deo immaculata creatur, maculam contrahit originalis peccati, propter quod videtur, quod non deceat divinam ſapientiam animam humanam corpori infundere. Nam nullus ſapiens ponit theſaurum ſuum in loco, in quo maculam contrahit; ſed anima humana eſt pretioſiſſimus theſaurus Dei, utpote Dei imagine inſignita: ergo non decet divinam ſapientiam animam ipſam tali corpori infundere, ex quo maculam contrahit; ſed ad hoc reſpondetur tripliciter.

De culpa originali.

Primo ſic: quia ſicut non eſſet ſapiens, qui theſaurum in loco mundo conſervabilem poneret in loco immundo; ita eſſet valde inſipiens, qui theſaurum non aliter conſervabilem non etiam poneret in loco immundo, & præcipue ſi emundandi theſaurum poſſibilitas remaneret.

Secundo poteſt ſic reſponderi, quod quamvis illi, qui in peccato originali naſcuntur, ſunt obnoxii, ut priventur illa participatione divinæ bonitatis, quæ in patria beatos efficit; tamen participant facultatem participandi illam. Unde non deficit penitus opus Dei, præcipue a fine, quum perveniendi ad finem ultimum non tollatur facultas.

Quomodo contrahitur.

Tertio ſic reſpondetur, quod macula vel culpa originalis non contrahitur ex unione animæ ad carnem, ſed ex voluntate primi parentis, qui actualiter peccando per inobedientiam infecit totam naturam humanam, quæ virtualiter erat in ipſo ſecundum rationem ſeminalem. Hæc Thomas ſuper 2. ſent. Diſt. 32. Et hinc Auguſtinus: *Traxit ergo reatum*, ſcilicet creatura naſcens, *quia unum erat cum illo, & in illo, a quo traxit, quando quod traxit, admiſſum eſt*, 1. quæſt. 4. *Jam itaque*.

Deum decuit animã infundere corpori etiã poſt peccatum primum parentum.

Non obſtante ergo infectione animæ prædicta decuit Deum animam corpori humano infundere poſt peccatum primorum parentum; & hoc triplici ratione. Et primo ex parte divinæ providentiæ. Secundo ex parte divinæ ſapientiæ. Tertio ex parte oſtenſionis divinæ juſtitiæ.

Quantum ad primam rationem clarum eſt, quod non erat decens, quod Deus ſua opera immutaret ab eo, quod providit & inſtituit, tum quia vel eſſent mala, tum quia ſi non eſſent mala, tamen potuiſſet ea facere meliora. Sed ſic ab æterno providit, & in tempore ſic inſtituit, ut homines per ſexuum commiſtionem generarentur, & quod corpori per coitum ſeminato anima infunderetur; ergo non decuit, quod Deus hoc immutaret.

Secunda ratio eſt ex parte divinæ ſapientiæ, & eſt talis: Non eſt ſapientis inducere majorem defectum, ut minor defectus evitetur, immo econverſo; ſed major eſſet defectus, ſi humanum genus non multiplicaretur, etiamſi infectum, quam ſi animæ corporibus humanis non infunderentur; tum quia ſi non multiplicaretur genus humanum, non impleretur numerus electorum, cui quodammodo omnia cooperantur; tum quia dimitteretur naturalis generationis proceſſus, qui eſt per commiſtionem ſexus; tum quia ſubtraheretur omnium rerum quidam gradus. Nam ſi anima tali corpori non uniretur, oporteret, quod omnis anima non crearetur, vel quod alterius naturæ eſſet, & ſic in univerſo hæc natura non eſſet; ſed hoc non decet divinam ſapientiam, quia tunc univerſum imperfectum eſſet.

Tertia ratio eſt ex parte oſtenſionis divinæ juſtitiæ. Ex hoc enim, quod anima unita corpori contrahit originale peccatum, unde procedit concupiſcentia & pœnalitates plurimæ in punitionem ipſius peccati, quod unum fuit traductum ab Adam in poſteros; oſtenditur, quam ſevere Deus peccata puniat. Unde Zachar. 13. dicitur: *Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea*.

Cõcupiſcẽſia uti culpa.

Sed ſciendum, quod ipſa concupiſcentia ſeu fomes dupliciter poteſt conſiderari, videlicet prout habet rationem culpæ, & prout habet rationem pœnæ. Et primo modo conſiderando, prout ſcilicet habet rationem culpæ, in quantum ſcilicet concupiſcentia eſt peccatum, & ad peccatum ſequens inclinat; ſic talis fomes ſeu concupiſcentia non eſt a Deo, ſicut peccatum actuale Adæ non habuit Deum auctorem, ſed propriam voluntatem, quæ ex peccato actuali fuit deordinata. Unde Auguſtinus inquit, quod illud, quo homo

Uti pœna.

fit deterior, non eſt a Deo. Sed ſi conſideretur ſecundo modo, prout ſcilicet concupiſcentia habet rationem pœnæ, ſic hujus pœnæ Deus eſt cauſſa, non ſicut agens vel non influens vel immittens pœnam aliquam, ſed ſicut non agens vel non influens ſuam gratiam, ex qua fomes ordinatus erat, ideſt ſenſualitas ſubdita rationi perfectæ. Hæc Thomas in ſcripto ſuper 2. ſententiarum Diſt. 32.

§. III. Notandum eſt autem, quod licet per baptiſmum tollatur pœna æternalis, quæ debetur ex peccato originali perſonæ, ſcilicet carentia divinæ viſionis; non tamen tollitur pœna temporalis, quæ debetur naturæ ex ipſo peccato originali: cujuſmodi eſt inordinata concupiſcentia, vel pugna carnis ad ſpiritum, fames, neceſſitas moriendi & hujuſmodi. Voluit autem Deus iſtas pœnas remanere poſt baptiſmum triplici ratione. Prima eſt ad manifeſtandum æquitatem, vel infallibilitatem divini judicii, ut ſcilicet illa ſententia, quam dictaverat de morte Adæ & poſteriorum ejus, immobilis permaneret; unde ab illa ſententia nemo evadit. Secunda eſt ad oſtendendum fructum paſſionis Chriſti, quia ſi Dominus curaret naturam & fomitem, filius naſceretur immunis a culpa, nec indigeret regenerari a Chriſto Deo. Ut igitur omnes paſſione Chriſti ſe cognoſcant egere, data eſt virtus ſacramento baptiſmi a paſſione Chriſti, quod ad hoc eſt ordinatum, ut pœnas remittat perſonales, non naturales, quia remedium reſpicit perſonam non naturam. Tertia ratio eſt ad amplificandum meritum liberi arbitrii, quia hujuſmodi pœnalitates ad bonum multipliciter promovent: licet enim per baptiſmum non tollantur hujuſmodi pœnalitates, tamen per ipſum baptiſmum efficitur, ut pœnæ ſupradictæ remanentes non dominentur in perſonam; ſed magis ei ſubjiciantur, & cedant in utilitatem ejus, in quantum ſunt materia virtutis & occaſio humilitatis & exercitii. Hæc Thomas in 4. Diſt. 4. & Alexander in ſummæ parte 4.

Pœnæ temporales remanẽt poſt baptiſmũ.

Quatenus fomes concupiſcẽtiæ expediat.

Et nota, quod quamvis ſimpliciter loquendo melius eſſet fomitem non habere, quam habere; tamen ſecundum quid, ideſt quantum ad aliquem ſtatum hominis expedit homini fomitem habere, ne in ſuperbiam elationis cadat, & propter alias utilitates ſupra aſſignatas. Thomas.

Anima in Scriptura multipliciter ſumitur.

§. IV. Sciendum autem ſecundum Hugonem Cardinalem ſuper pſ. 33. quod anima in Scriptura ſacra ſumitur multipliciter. Et primo quidem pro toto homine, ut ibi, Levit. 5. *Si peccaverit anima in homine*, & Exod. 1. *Erant omnes animæ eorum, qui egreſſi ſunt de fœmore Jacob, ſeptuaginta*. Nec enim animæ ſolæ egreſſæ ſunt de fœmore Jacob, ſed cum corporibus.

Secundo accipitur proprie pro ipſa forma ſubſtantiali hominis, quæ corpus informat & vivificat: Sap. 3. *Juſtorum autem animæ in manu Dei ſunt*, ideſt in providentia & protectione, *& non tanget illos tormentum mortis*, ſcilicet æternæ.

Tertio pro potentiis animæ omnibus, ut pſal. 102. *Benedic, anima mea, Domino*. Anima autem non operatur niſi mediantibus ſuis potentiis. Unde quaſi ſe declarans ſubdit, *& (pro ideſt) omnia quæ intra me ſunt*, ideſt omnes potentiæ, intellectus, voluntas, ſenſus, *nomini ſancto ejus*.

Quarto accipitur pro aliqua potentia ejus, & aliquando pro potentia vegetativa ſecundum illud: *Humiliabam in jejunio animam meam*, pſal. 34. Humiliatur enim, ideſt affligitur vegetativa potentia, dum minuitur ſibi nutrimentum cibi per jejunium: & Jobi 2. *Cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua*, ideſt vita conſervanda, quæ pertinet ad vegetativam.

Quinto pro potentia ſenſitiva, ut illud Joann. 12. *Nunc anima mea turbata eſt*: turbatio proprie eſt ſenſitivæ partis, & præcipue in Chriſto, qui illa verba dixit, non poterat eſſe aliqua turbatio rationis, quum comprehenſor eſſet: & Luc. 14. *Qui non odit animam ſuam*, ideſt affectus ſenſuales, *non eſt me dignus*.

Sexto pro ratione, ut illud pſal. 68. *Intraverunt aquæ*, ſcilicet tribulationum & tentationum, *uſque ad animam meam*, ideſt rationem ad ſuffocandum eam per conſenſum.

Septimo pro intellectu, ut illud Deut. 6. *Dili-*

ges

ges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua, ideſt ex tota voluntate & intelligentia & memoria: & Jobi 7. *Elegit ſuſpendium anima mea*, ideſt intellectus meus, *ſuſpendium* contemplationis, per quod intellectus elevatur a terrenis: *& mortem*, ſcilicet vitiorum, *oſſa mea*.

Octavo pro conſcientia, ut illud Eccleſiaſtici 14. *Juſtifica animam tuam*, ideſt conſcientiam.

Nono pro libero arbitrio, ut illud pſal. 118, *Anima mea*, ideſt liberum arbitrium, *in manibus meis ſemper*, ideſt in omnibus meis operibus, quia ſemper remanet illud ad operandum bonum vel malum.

Decimo ſumitur pro voluntate, ut Can. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea*, ideſt voluntas mea: & illud Can. 5. *Anima mea liquefacta eſt*, ideſt voluntas mea, remota omni pigritia & frigiditate, ad Deum currit, *ut dilectus locutus eſt*, mihi inſpirando; & gratiam infundendo in me.

Undecimo pro intentione, ut illud Jobi 13. *Animam meam*, ideſt intentionem, *in manibus meis porto*. Nam finis, ad quem reſpicit intentio, movet agentem ad operandum: & Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum*, ideſt voluntas, *& anima una*, ideſt intentio in Domino.

Duodecimo pro ſtatu hominis vario ſecundum illud Jobi 16. *Utinam eſſet anima veſtra pro anima mea*, ideſt ſtatus meus eſſet ut veſter. *Conſolarer & ego vos ſermonibus, & moverem caput meum ſuper vos*: ego enim afflictus ſum & miſer, & vos felices; & ſic variatur ſtatus animarum in illa vita.

Tertiodecimo pro affectu intenſo in bonum vel malum, ut Iſai. 5. quoad malum: *Dilatavit infernus animam ſuam*, ideſt dæmones & damnati: quanto plures deſcendunt ad damnationem, tanto plures appetunt damnari ſecum. Et ex defectu ſcientiæ & cognitionis divinorum in hominibus creſcit affectus, & malitia ad decipiendum in dæmoniis. Secundum iſtas acceptiones hic tractabitur de anima, ſcilicet de toto homine, de ipſa eſſentia animæ, & de ſingulis potentiis ejus.

CAPUT VII.

De quidditate hominis & ejus excellentia.

LAuda, anima mea, Dominum: laudabo Dominum in vita mea, pſal. 145. Quia in præſenti vita non operatur anima noſtra niſi mediante corpore, quum omnis noſtra cognitio ortum habeat a ſenſu; ideo a corpore & anima laudandus eſt attentione animæ, & corporis voce. Et vere frequenter debet laudare totus homo, quum in ſe receperit continentiam mundi: tantæ excellentiæ eſt ſecundum naturam, ut infra declarabitur, quia pars principalis hominis eſt anima, & totum aliquando denominatur a parte principaliori; ideo nomine animæ intelligitur aliquando totus homo, ut dictum eſt ſupra paragrapho præcedenti in principio. Et ideo nunc de toto homine agendum eſt.

Quid eſt homo.

§. I. De quidditate hominis, ſeu declaratione ipſius pulchra: hæc poteſt haberi ex verbis Salomonis, Eccleſiaſtes 2. ubi ait: *Quid eſt homo, ut ſequi poſſit regem factorem ſuum?* Ubi primo ponitur ſecundum unam expoſitionem inquiſitio: *Quid eſt homo:* ſecundo ad hoc reſponſio, ibi: *Ut ſequi poſſit* &c. Ex qua reſponſione eliciuntur tria ſecundum Dominum Joannem Dominici ſuper Eccleſiaſtem, ubi hæc omnia ponit, quæ infra ponuntur paucis adjunctis. Et primo homo eſt libertate

A prædotatus voluntatis, quia *ſequi poſſit*, quaſi dicat: talis eſt, quod ſequi poteſt. Secundo homo eſt dignitate ſublimatus entitatis, quia *ſequi poſſit regem*, ut rex. Tertio homo eſt gravitate conformatus vanitati, quia *factorem ſuum*. Dum enim dicit *factorem*, memento te factum ex limo. Et ſic ſubtiliter Salomon de homine ſub brevitate verborum & ſenſus diffuſe procedit. Nam ut naturalis reſpondet de homine, quod eſt animal rationale per libertatem arbitrii, quia *ſequi poſſit*: ut aſtrologus reſpondet, quod eſt microcoſmus, ideſt minor mundus, quia in ſe continet totius orbis dignitatem, quia *regem:* ut Ethicus reſpondet, quod eſt *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis*; unde dicit *factorem ſuum*,
B quod dicitur reſpectu corporis. Dico ergo primo, quod quæritur, *quid eſt homo*, quod Salomon reſpondet ut bonus naturalis, quod ipſe prædotatus eſt libertate voluntatis, quia *ſequi poſſit*. De hac libertate loquitur Jeſus filius Syrac, Eccleſiaſtici cap. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit præcepta & mandata ſua; ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Hæc ibi. Hoc autem liberum arbitrium, ut Magiſter ſent. ponit in 2. Diſt. 24. can. 5.
C *eſt facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſſiſtente, vel malum eadem deſiſtente.* Libertas pertinet ad voluntatem, quæ ſola inter potentias animæ libera eſt. Nam non poteſt intellectus non intelligere objectum ſibi clare præſentatum, nec poteſt intelligere objectum obſcure ſibi præſentatum, nec poteſt intelligere quando vult, & non intelligere quando non vult; aliter diceremus, quod animæ damnatorum poſſent ſe beatificare, & maxima pœna eſt ſcire ſe eſſe privatum gloria æterna, & ſcire ſe eſſe in pœnis. Si igitur anima poſſet libere intelligere, & libere non intelligere, ſequeretur, quod anima damnati poſſet libere intelligere ſe non eſſe privatam: & ſic eadem ratione poſſet ſe intelligere apprehendere Deum, & ſic eſſe beatam. Dico igitur, quod
D omnis libertas, quæ eſt in homine, eſt a voluntate, & nulla alia. Arbitrium autem dicitur rationis. Rationis eſt enim diſcernere inter bonum & malum, & ſtandum eſt ad ſuum arbitrium. Dicitur ergo liberum arbitrium facultas rationis & vuluntatis. Et ſequitur in ipſa diffinitione: *Qua bonum eligitur* &c. Et ex hoc videtur, quod non ſit in noſtra poteſtate facere bonum, quia dicit *aſſiſtente gratia*: gratia enim eſt a Deo, & eſt gratis data & gratum faciens. Nam ſi non eſſet gratis data, non eſſet gratia, ſed debitum. Igitur videtur, quod non habemus liberum arbitrium ad bonum, ſed ad malum, maxime quum determinatum fuerit alibi; quod nemo bene facere poteſt, niſi primo moveatur a Deo. Et ſic videtur,
E quod reſponſio Salomonis ſit falſa, qui principaliter ponit liberum arbitrium, *ut ſequi poſſit* homo *factorem ſuum*, & non dicit, ut recedere poſſit a factore ſuo. Hic ſub brevitate reſpondeo, quod liberum arbitrium eſt principaliter tam ad bene operandum, quam ad male operandum in nobis: nam dictum eſt, liberum arbitrium pertinere ad rationem vel voluntatem. In voluntate autem eſt naturale deſiderium ſequi & invenire ſummum bonum, ut alias dictum eſt. Et eſt per conſequens naturale odium ad fugiendum malum. Ratio autem non habet niſi judicare, quid ſit bonum, quid ſit malum: & non plus efficitur quoad judicium ad unum quam ad aliud. Ex quo ſequitur, quod libertas arbitrii fortior eſt ad bonum, quam ad ma-

De libertate hominis.

Liberum arbitrium quid ſit.

Diſcrimen liberi arbitrii & libertatis.

Libertas arbitrii unde ſit.

lum; & ideo ſapientiſſime dixit Salomon, *ut ſequi poſſit*, & non ut fugere, aut recedere poſſit.

Et ut tibi clarior ſit ſolutio dubii, qualiter ſit in noſtra poteſtate & libertate ſequi Deum & facere bonum, quamquam omne bonum primo a Deo movente procedat, nota duo familiaria exempla, quorum primum eſt divi Auguſtini ſuper illud Joann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum*. Et eſt tale. Imagineris unum piſcatorem, qui hamo capit piſcem, ille ponit hamum & eſcam, totum ponit ſub aquis. Conſidera modo, ſi eſt in poteſtate alicujus piſcis intrare in gremium piſcatoris vel non. Dicendum eſt, quod non. Nam eſto, quod piſcis capiat eſcam & hametur, ſi piſcator non traxerit ſurſum hamum & piſcem, numquam piſcis exiret de aquis nec ad piſcatorem aſcenderet; ſed neceſſe eſt ut piſcator trahat.

Qualiter anima a Deo attrahitur, & tamen libera eſt.

Conſidera ſecundo, ſi in poteſtate piſcatoris eſt trahere ad ſe piſces, quum vult. Et ſimiliter dicendum eſt, quod non. Nam ſi piſcator per mille annos traheret ſurſum hamum, & piſcis non eſſet affixus, homo numquam traheret piſcem. Quis ergo ordo eſt hujus? Et primo, quod piſcator aptet hamum involutum eſca, demum mittat in mare, deinde quod piſcis ſponte veniat & capiat hamum ſub eſca, poſtremo vero, quod piſcator trahat piſcem. Jam puto, quod habeas intentionem. Deus eſt piſcator, qui poſuit eſcam ſuorum præceptorum in hoc mari magno & ſpatioſo, ſub qua eſca latet hamus, ideſt amor; nam omnia præcepta ad amorem referuntur. Ecce ergo, quod Deus incœpit, ſed neceſſe eſt, quod tu ſequaris & vadas ad capiendum eſcam & amorem, & tunc Deus per ſuum amorem trahet te; ſi ergo tu non venis, non traheris, & ſi non te traxerit, numquam ibis ad eum. Bene ergo dicit Salomon, quum quæritur: *Quid eſt homo?* quod ipſe eſt in libertate arbitrii, *ut ſequi poſſit*. Ad hoc etiam facit, quod Auguſtinus dicit ibidem, videlicet: Noli cogitare te invitum trahi: non enim invitus trahitur animus, ſed amore. Eſt quædam voluntas cordis, cui dulcis eſt panis ille cæleſtis. Porro ſi Poetæ dicere licuit:

Trahit ſua quemque voluptas,

non obligatio, ſed delectatio; quanto magis dicimus trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitia, delectatur vita æterna, quod totum eſt Chriſtus. Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis eam, nuces oſtendis puero, & trahis eum. Hinc & Ambroſius: *Voluntarium militem ſibi elegit Chriſtus, voluntarium ſervum ſibi diabolus auctionatur*, 15. quæſt. 1. *Non eſt*. Et in hoc eſt ſimilitudo ad Deum, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, nullo cogente, & homo eſt dominus actuum ſuorum.

Homo eſt parvus mundus.

§. II. Dico ſecundo, quod quum quæritur: *Quid eſt homo?* quod noſter Salomon reſpondet, ut aſtrologus, & dicit, quod eſt dignitate ſublimatus &c. quaſi velit dicere, quod ipſe homo eſt minor mundus, qui dicitur microcoſmus. Ubi debes ſcire ſecundum Thomam ſuper Joannem in cap. 1. quod mundus eſt triplex, ſcilicet magnus, immo maximus, & eſt iſte Deus: ſecundus eſt medius, & eſt iſte mundus creatus, in quo ſumus nos: tertius eſt minor, & iſte eſt homo. Sic, puto, intelligebat Joannes, quando dicebat: *In mundo erat*, ideſt in ſeipſo, & ſic Deus eſt mundus. Et *mundus per ipſum factus eſt*, & iſte eſt, de quo Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram. Et mundus eum non cognovit*, ideſt homo, ad quem ſpectat eum cognoſcere, ſcilicet Deum. Sic etiam videtur Ambroſius hominem appellare mundum, Diſt. 35. *Sexto die*. Ubi dicit, quod *per cibos mundus haberet imminui*, ideſt homo, *per quos deſiit augeri*, vide ibi gloſſam, & rationem aſſignat Damaſcenus in 2. lib. quia mundus dicitur homo, quia participat cum omnibus creaturis mundi, propter quod etiam Gregorius dicit in Homil. ſuper illud: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, ideſt homini, qui dicitur omnis creatura ratione prædicta: habet enim in ſe ſimilitudinem quaſi omnium. Unde Alanus de planctu naturæ introducens naturam ſequentem, ſic ait: Ego ſum illa, quæ ad decorem mundanæ machinæ ſimilitudinem hominis aſſimilavi naturam, ut in ea velut in ſpeculo ipſius mundi ſtructura compareat. Sic igitur quum audis regem, intellige hominem eſſe, qui dicitur rex ut ſuus principalis, rex, qui dicitur mundus maximus; & eſt rex, quia ſicut ille rex maximus omnia pugillo tenet; ſic homo totum mundum medium in ſe continet. Et eſt alius tertius mundus, ideo vide ſtaturam hominis ſecundum Ambroſium in Hexam. de opere ſextæ diei, & Lactantium in lib. de opificio Dei additis quibuſdam, ut viſum fuerit. Primo in cælo te natum ſcias, erectus conſtitutus es, ſurſum ſpectans. Cervix vero rotunda ut cælum. Decem enim ſunt cæli, ſcilicet Lunæ, Veneris amoroſæ, Mercurii gratioſi, Solis luminoſi, Martis vigoroſi, Jovis pluvioſi, Saturni tempeſtuoſi, & Stellarum fixarum, cryſtallinum, & empyreum: primos octo videmus hic, ſed non duos ultimos: hos cælos quære in capite, & vide Solem & Lunam duos oculos, Martem & Mercurium duas aures, Saturnum & Jovem duas nares, Venerem unum os. Illi mundum illuminant & gubernant, hæc ſeptem membra totum corpus ordinant & decorant. Stellatum cælum in vertice capitis conſidera, cujus ſtellæ multæ & decus ſunt capilli, qui in homine ad decus pertinent, ut patet in his, qui ex toto ſunt capillatura privati. Cryſtallinum, quod non vides, habes in fronte, ubi eſt ſenſus communis, & empyreum in memoria quæratur. Sed hæc aliquantulum aliter notanda ſunt. Primo capilli ſunt neceſſarii contra nimium æſtum & validum frigus. Capitis pars ſuperior, unde egrediuntur capilli, poſita eſt ad defendendum cerebrum: capitis propria forma eſt ſicut navis, non proprie rotunda, ſed compreſſa aliquantulum, cujus medium poteſt dici carina, anterior prora, poſterior pupis. Et hæc figura neceſſaria fuit, ut melius in ipſo capite diſtinguerentur cellulæ ſenſuum. Frons eſt libera & aperta, ut mentis habitum pandat, & ſic a malis cogitationibus abſtrahas mentem. Supercilia ſunt munimenta oculorum, ne ſi de capite aliquid cadat, eos offendere poſſit, pilis nigris implentur, ut viſum magis confortent; ſunt effoſſi, ut habeant, unde recipiunt viſibilia; ſunt palpebræ, ut a nocumentis tegantur, quia nobiles ſunt. Septem inſuper pelliculis ipſa lux vel pupilla tegitur, ut a nullo æſtu vel frigore lædi poſſit. Duo ſunt, ut ſi unus abeſſet, alter non deſit, nec plures quam duo, quia turpitudo eſſet ipſa multiplicitas. Aures autem eadem cauſſa duæ ſunt, licet unus tantum ſit auditus ſicut & viſus non niſi unus, in quibus primo abſconduntur foramina, ne etiam lædantur ab extra. Factæ ſunt, ut occulta & inviſibilia noſcamus & tortuoſa. Cartilago cum carne extra aures in gyrum componitur: fit ad vocis dulciorem boatum, quia dum per ea inſonus revolvitur, melodiam quamdam de novo componit, & animus magis delectatur. Nares autem ad hoc ſunt factæ, ut cerebri purgamenta, & totius interioris capitis inde extrahantur. Et non eſt naſus totus ex oſſe, ſed pars ex cartilagine, quia oportet eum dilatari & contrahi. Per ipſas etiam nares odoramenta ſumuntur ad cerebri confortationem. Os denique pro

cibo

cibo ſumendo datum eſt, ut vita conſervetur. In ore enim dantur dentes ad maſticandum, ne ſtomachus gravetur cibo groſſo, & ſapidius, quæ ſumimus, faciunt deguſtare. Os etiam & dentes pro loquela formanda ſunt data, quæ velut plectro percuſſo faciunt melodiam. Eſt enim ipſa lingua, ut plectrum verberans aerem ſuper palatum & dentes & labia, quæ ſi una pars eorum deeſſet, efficeretur vox non ſonora. Hinc quanta melodia & varietas conſonantium ſit nata, qui conſiderare poſſet, in laudem ſui prorumperet creatoris, qui tam ſpecioſitatem contulit homini. Sed quod ſingularius eſt omnibus aliis linguis, ſola humana loquelam invenit, cunctis aliis animalibus exiſtentibus mutis. In hac ergo figura capitis totius cæleſtis ornatus continetur. Demum vero a cælis ad terram deſcendunt rores & impreſſiones & calores naturales, quibus mundus gubernatur continue. Et hoc eſt in homine gula, per quam ad corpus nutriendum cibaria deſcendunt, cujus pulchritudinem & gracilitatem ſi contemplatus fueris, miraberis. Inde procedunt muſculi, quaſi totius capitis baſes; quia cælum ſua fortitudine ſuſtentatur a Deo ſibi donata. Veniamus ad brachia, ubi ſunt manus & digiti decem, quæ omnia miniſtrant toti corpori noſtro, quia cæli ſunt illi, qui influunt nobis neceſſaria inferius. Sed eſt manus aperta ad largitatem monſtrandam: digiti procedunt ab uno fruſto tendentes ad unitatem docendam. Poſt omnes cælos ſequitur ſphæra ignis, quam reperies in ſtomacho, ubi intenſiſſimus calor eſt pro digeſtione fienda. Qui ſtomachus eſt velut olla, ad quam omnis calor corporis ſequitur, quum cibum ſuſceperit. Hinc dicimus bonum ſignum poſt cibum frigus, quia torus calor currit ad ſtomachum, & experimur membra eſſe ſubtiliora poſt cibum, quam ante in homine ſano, ut patet maxime de digitis mittendo & extrahendo annulum. Poſt ſphæram ignis ſequitur ſphæra aeris, in qua generantur pluviæ, nives, & grandines & impreſſiones diverſæ: ſine hoc non, nec per momentum, homo vivere poſſet, hæc in corde require, ſine quo nec per ſe aliquis videre valet, in quo generantur furta, homicida, blaſphemiæ &c. Deinde ſequitur terra confuſa cum aqua, ubi fit generatio & corruptio rerum. Et hoc quære in te homine in ventre corruptionis & genitalibus generationis. Et quia terra ſuo pondere libratur, ſive ſuper nihil eſt fundata, poſt iſtas partes duæ ſequuntur ſubtiles columnæ, quibus corpus omne vehitur non ſine miraculo grandi, quum videas boves & oves & equos & animalia multos habere pedes, crura ſimul & tybias fortiora curribus hominum; & tamen non poſſunt recte, ſed ſolum prone procedere. Igitur hoc eſt miraculum, quod terra non eſt ſuper grave corpus fundata. Iſta eſt ſolutio ſecunda: nam quum quæritur: *Quid eſt homo?* tibi reſpondetur ut aſtrologo, quod homo eſt totus mundus & perfectio omnium. Sic etiam reſpondebat Anaxagoras, qui interrogatus quid eſſet homo, ait: Menſura omnium rerum; ut habetur 10. Meth. Sic forſitan intellexit Pythagoras, quando interrogatus ad quid natus eſſet homo, ait: Cauſſa videndi cælum, ut dicit Lactan. 3. Inſtit. cap. 24. quia debemus contemplari cælum, & quum ejus pulchritudinem cognoſcimus, ad noſmetipſos reverti, & nos conſervare, ne tam nobilem creaturam damnare velimus & eum auferre a cælo. Et iſta conſideratio ſublevat ad eum; ut regem ſequaris,

De corpore hominis.

§. III. Tertia quæſtio eſt: *Quid eſt homo?* & hoc quantum ad corporis originem. Et ad hoc reſpondet Salomon dicens, quod eſt gravitate conformatus vanitati. Et ſic reſpondet ut bonus moralis & Ethicus, ſicut reſpondebat pater ſuus, qui dicebat: *Homo vanitati ſimilis factus eſt.* Facta prius interrogatione: Domine, *quid eſt homo?* quaſi pulvis, qui vento flante transfertur, quaſi limus in terram liquidam reſolutus, qui habere non poteſt firmitatem. Quapropter *quid eſt homo?* ſub interrogatione & deſpective pronuntiandum eſt. Ubi nota quod ait Priſcil. in 3. lib. quod homo quintuplicem habuit diminutionem uſque ad hanc diem. Nam antiquitus declinabatur hic *homo homonis*, ſicut utebatur Ennius, quando dicebat:

Vulturis in ſilvis, miſerum mandebat homonem.

Prima ergo ſua diminutio fuit *hic homo*, *inis*, ſecunda eſt *homunculus*, tertia eſt *homuntio*, quarta eſt *homulus*, quinta *homuſculus*. Prima diminutio eſt tantum in obliquo & non in recto; aliæ quattuor ſunt in obliquo & in recto; quia proculdubio natura humana jam primo fuit diminuta in obliquo, ſed non in recto, quia primo obliqua mulier fuit creata, quæ non eſt perfecta ſicut vir. Nullam tamen imperfectionem ex hac creatione acquiſivit Adam, ſed ipſa natura fuit imperfectior, quum ſua imperfectio, quæ latebat ad extra patuit. Secunda diminutio fuit in recto in primo peccato Evæ. Nam tunc recte humana natura acquiſivit mortem corporalem, ſed non ſpiritualem. Tertia diminutio fuit etiam in recto, quando ſcilicet ipſe Adam peccavit, quia tunc fuit ipſa mors corporis & animæ. Quarta diminutio fuit, quando habuit maledictionem & dictum ei fuit: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, Gen. 3. Quinta diminutio fuit, quando expulſus eſt de Paradiſo. Igitur ſi quæris *quid eſt homo?* reſpice *factorem*, ut recorderis te factum fuiſſe, & tunc cognoſces in ipſo eſſe brevi tempore tuæ factionis, & quantam diminutionem habuiſti. Vel prima diminutio fuit in peccato Evæ, ſecunda in peccato Adam, tertia in peccato legis naturæ, quarta in peccato legis ſcriptæ, quinta fuit in peccato habito contracto contra legem gratiæ. Et prima non fuit in recto, quia non damnavit naturam humanam, ſed omnes aliæ damnant, maxime contrahentes. Vel prima diminutio fuit, quando de Adam fuit coſta extracta, quia tunc diminutus eſt homo. Aliæ vero quattuor fuerunt, quando per peccatum quattuor elementa, ex quibus componitur homo, facta ſunt alterabilia inter ſe, & ex eorum activitate totus corrumpitur, & venit ab eſſe ad non eſſe per mortem. Igitur ſi vis ſcire *quid eſt homo*; *factorem* ſequere & conſiderabis factionem, quod de aliqua materia ſis creatus vel factus: & videbis eſſe tunc vanum. Unde Bernardus in ſuis contemplationibus ſic ait: Attende, homo, quod fuiſti ante ortum, & quis es ab ortu uſque ad occaſum, & quid eris poſt hanc vitam: profecto fuiſti, quod non eras ex vili materia poſtea factus, & viliſſimo panno involutus, menſtruali ſanguine in utero materno fuiſti nutritus, tunica tua fuit pellis, ſecundina ſic indutus & ornatus ad nos veniſti, &c. multa ibi. Et B. Ambroſius Hexam. de opere ſextæ diei ait: Nonne hæc omnia ſicut umbra prætereunt? Nonne domus tua pulvis hæc eſt & ruina? Nonne hæc omnia fabula? Nonne ſæculi theſaurus vanitas eſt? Nonne tu ipſe vermis? Reſpice in pulverem hominum, & vide quid de te, niſi cinis & oſſa remanebunt, hoc eſt ex corpore tuo? Reſpice, in quam, dic mihi, quis ibi dives, quis ibi pauper ſit, diſcerne inopes ac potentes, nudi omnes naſcimur, nudi morimur, nulla diſcretio inter cadavera mortuorum, niſi quia gravius fœtent divitum corpora dedita gulæ & luxuriæ, quam pauperis, quem audiſti crudeliter defunctum, ideſt Lazarum. Si ergo conſiderabis te factum, videbis *quid eſt homo*; quia

quid

quid vanum. Hæc omnia ibi. Macrobius etiam de ſomno Scipionis dicit: Animæ incluſæ corporibus ipſum corpus velut carcerem fœtidum, tenebris horridum, ſordibus & cruore inquinatum patiuntur: & 13. quæſt. 2. *In Eccleſiaſtico dicitur: Terram geris,* [1] *terram teris, & in terram reverteris, qui de terra ſumeris*; ſecundum autem Auguſtinum nihil informius terra. Hinc & Virgilius in 6. Æneidos

Non mihi ſi linguæ centum ſint oraque centum,
Ferrea vox omnes ſcelerum deprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere genera poſſim.

Pſal. 38. *Univerſa vanitas omnis homo vivens.* *Caro*, inſuper ait Apoſtolus ad Gal. 5. *concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, & ſic continuum bellum inteſtinum, quod bellum repræſentatur in motibus cælorum ſibi contrariis. Sic enim ſunt duo motus cælorum, ſcilicet motus primi mobilis, quod Theologi appellant cælum cryſtallinum, alii firmamentum, qui eſt ab oriente in occidentem uniformis & continuus. Alius eſt motus planetarum ad oppoſitum, ſcilicet de occidente in orientem per ſignum zodiaci; ita in homine eſt duplex motus in appetendo, ſcilicet motus ſenſualitatis, & motus rationis ex ſpiritu, qui ſunt oppoſiti. Unde & Alanus de complanctu naturæ: Sicut contra raptam firmamenti volubilitatem motu contrario exercitus militat planetarum; ſic in homine ſenſualitatis rationiſque hoſtilitas contraria reperitur. Rationis enim motus ab ortu cæleſtium oriens, occaſum pertranſiens, terrena conſiderando regirat in cælum. Econtrario motus ſenſualitatis planetarum contra rationis firmamentum in terreſtria occidens aliquando labuntur. Et nota, quod homo ultra propriam acceptionem aliquando ſumitur pro parte rationali, & dicitur homo interior: aliquando pro parte ſenſuali ſeu corpore, & dicitur exterior homo, & de utroque 2. Cor. 4. *Licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur; tamen qui intus eſt, renovatur de die in diem.* Item de primo: *Homines & jumenta ſalvabis, Domine*, ideſt rationabiliter viventes, & beſtialiter ſalute naturali, & ſalute ſpirituali, quum beſtiæ convertuntur in homines, ſicut Nabuchodonoſor per pœnitentiam. De ſecundo 1. Cor. 3. *Quum ſint inter vos zelus & contentio, nonne.... ſecundum hominem ambulatis?* Aliquando ſumitur homo pro diabolo, & dicitur malus homo: pſal. 55. *Non timebo quid faciat mihi homo*: & alibi, pſal. 139. *Eripe me, Domine, ab homine malo*, ideſt diabolo, vel meipſo ſecundum Bernardum.

[1] Hæc verba olim legebant in hoc canone; at a correctoribus Romanis fuerunt expuncta, quod & a vetuſtis codicibus, & ab originali concilii Tribuenſis abſint.

TITULUS SECUNDUS
DE POTENTIIS ANIMÆ.

CAPUT I.

De potentiis animæ in communi.

In homine eſt tantum una anima.

IN homine non ſunt plures animæ per eſſentiam differentes, ſcilicet nutritiva, ſenſitiva, & intellectiva; ſed una tantum, ſcilicet intellectiva, continens in ſe illam triplicem virtutem, ſcilicet nutritivam, ſenſitivam, & intellectivam. Unde in libro de Eccleſiæ dogmatibus dicitur: Neque duas animas dicimus eſſe in uno homine, ſicut Jacobus & alii Syrorum ſcribunt: unam animalem, qua animatur corpus, & quæ immiſta ſit ſanguini: alteram ſpiritualem, quæ rationem adminiſtrat; ſed dicimus unam & eamdem eſſe animam in homine, quæ & corpus ſua ſocietate vivificat, & ſeipſam ſua ratione diſponit.

Pro hujus majori declaratione dicit B. Thomas in 1. parte quæſt. 76. art. 3. quod Plato poſuit diverſas animas eſſe in corpore uno, etiam ſecundum organa diſtinctas, quibus diverſa vitæ opera attribuebat, dicens, vim nutritivam eſſe in epate, concupiſcibilem in corde, cogitativam (alias cognoſcitivam) in cerebro; quam opinionem Ariſtoteles reprobat in lib. de anima. Apparet autem hoc eſſe impoſſibile, ſcilicet plures animas in uno corpore eſſe differentes per eſſentiam per iſtud, quia una operatio animæ, quum fuerit intenſa, impedit aliam; quod nullo modo contingeret, niſi principium actionum eſſet per eſſentiam unum. Ponit & alias duas rationes, quas ibi potes videre.

Dicendum eſt ergo, quod eadem numero eſt anima in homine nutritiva, ſenſitiva, & intellectiva. Quomodo autem hoc contingat, de facili conſiderari poteſt, ſi quis differentias ſpecierum & formarum attendat. Inveniuntur enim ſpecies rerum & formæ differre ab invicem, ſicut perfectum & minus perfectum; ſicut in rerum ordine animata ſunt perfectiora inanimatis, & animalia plantis, & homines brutis, & in ſingulis horum generum ſunt gradus diverſi; ideo Ariſtot. in 8. Methaph. aſſimilat rerum ſpecies numeris, qui differunt ſpecie ſecundum additionem vel ſubtractionem unitatis. Et in 2. de anima comparat diverſas animas ſpeciebus figurarum, quarum una continet aliam. Pentagonum continet tetragonum, & excedit; ſic anima intellectiva continet in ſe ſua virtute quidquid habet anima ſenſitiva brutorum, & nutritiva plantarum. Sicut ſuperficies quæ habet figuram pentagonam non per aliam figuram eſt tetragona, & per aliam pentagona, quia ſuperflueret tetragona, ex quo in pentagona continetur; ſic non per aliam animam Socrates eſt homo, & per aliam Socrates eſt animal; ſed per unam & eamdem. Et licet embrio prius habeat animam ſenſitivam, tantum hæc abjicitur adveniente perfectiori, ſcilicet rationali, quæ eſt intellectiva & ſenſitiva ſimul. Hæc Thomas.

Quamvis autem in homine nutritiva & ſenſitiva communius & proprius dicantur potentiæ quam animæ,

animæ; tamen aliquando animæ dicuntur. Et de anima nutritiva poteſt intelligi illud, quod dixit Petrus Chriſto: *Animam meam pro te ponam*, ideſt vitam, quæ pertinere videtur ad nutritivam. Alienatus enim ab intellectu actu præſenti & ab omni ſenſatione adhuc poteſt vivere, ut fuit in Paullo, ſed non alienatus a nutritiva. De anima ſenſitiva dicitur Joann. 12. *Qui amat animam ſuam, perdet eam*: ibi *eam* eſt ralatio ſimplex, & eſt ſenſus: *Qui amat animam ſuam* rationalem, vere *perdit*, ideſt mortificat animam ſenſualem ſuam, ſcilicet quoad illicita, ad quæ inclinatur, ut a viſu, auditu, ab appetitu illicitorum, venereorum & hujuſmodi. De anima intellectiva intelligitur illud Jobi 13. *Animam meam in manibus meis porto*, & pſal. 118. *Anima mea in manibus meis ſemper*, ideſt diſcuſſio rationis, quæ pertinet ad animam intellectivam, *in manibus*, ideſt in operibus meis, ad conſiderandum, ſi licita ſunt vel illicita.

Et de hac triplici ſimul poteſt exponi illud Joannis 10. *Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*, ſive illud intelligitur de prælato, quoad ſubditos, ſive moraliter de quocumque virtuoſo quoad greges cogitationum, affectionum, & operationum, ut tamquam oves ſint cogitationes & actiones innocentiæ, & obedientiæ, manſuetudinis, patientiæ, ac beneficentiæ & hujuſmodi. Talis enim, ſi eſt bonus, ponit, ſi expedit, pro conſervatione ovium & animam nutritivam, ideſt vitam ſenſitivam, animam reſpiciendo, audiendo, admonendo, diſcurrendo pro ſalute eorum, animam intellectivam orando, meditando, ſtudendo, prædicando & hujuſmodi. Figura in Jacob, qui virgas populeas, & amigdalias ponebat partim decorticatas in aquis ante oves, quarum erat paſtor, dum bibebant, quæ ſecundum Gregorium in Moralibus ſignant exempla patrum, partim ſecundum hiſtoriam, partim ſecundum ſenſum ſpiritualem animabus proponenda, ut ex horum aſpectu concipiant propoſita variarum actionum virtutis, Geneſ. 30. Figura in David, qui pugnabat contra leones & urſos pro ovibus ſuis, & ſic morti ſe exponens, 1. Reg. 17. In Moyſe etiam, qui minavit gregem ovium ad interiora deſerti, ubi vidit rubrum ardentem non conſumi, Exod. 3. Sic prælatus ſuis orationibus & exemplis debet oves ſubditas ad viſionem ſupernorum perducere. Secundum hoc etiam poteſt exponi illud: *Magnificat anima mea Dominum*, Luc. 1. Nam quantum ad animam vegetativam magnificavit realiter Dominum Jeſum augmentando paullatim in utero & nutriendo: & ſic fecit magnum corporaliter. Vel etiam magnificavit generando ipſum ſine humano opere, & ſic oſtendendo in ſe magnam Dei potentiam; & ſic cum Maria ſorore Aron invitat nos ad idem dicens: *Cantemus Domino, glorioſe enim eſt magnificatus* &c. Exod. 15. *Magnificat* quantum ad ſenſitivam, *Dominum* exemplariter exponendo ſenſus ſuos, & vincendo omnes paſſiones concupiſcibiles & iraſcibiles, ut dicere poſſet illud Apoſtoli Philip. 1. *Magnificabitur Chriſtus in corpore meo*. Tertio magnificavit quantum ad intellectivam animam, videlicet affectu in divinis exſultando, ibi: *Et exſultavit ſpiritus meus*: intellectu ſe parvam cognoſcendo, ibi: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ* &c. memoria recolendo beneficia ſibi collata, ibi: *Quia fecit mihi magna*, &c. & ſacra eloquia, ibi: *Sicut locutus eſt* &c. Et ad idem invitat nos Pſalmiſta dicens pſal. 33. *Magnificate Dominum meum*; & ſic magnificavit virtualiter.

Anima unitur corpori

Unitur autem anima rationalis corpori non mediante aliquo corpore, nec mediante aliqua diſpoſitione accidentali, ſed per ſeipſam. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas in 1. parte quæſt. 76. art. 7. quod quum anima uniatur corpori ut forma, eſt impoſſibile, quod uniatur aliquo corpore mediante. Cujus ratio eſt, quia ſic dicitur aliquid eſſe unum, quomodo & ens; forma autem per ſeipſam facit rem eſſe in actu, quum per eſſentiam ſuam ſit actus, nec dat eſſe per aliquod medium. Unde unitas rei compoſitæ, ex materia & forma eſt per ipſam formam, quæ ſecundum ſeipſam unitur materiæ ut actus ejus. Nec eſt aliquid aliud uniens niſi agens, quod facit materiam eſſe in actu, ut dicitur in 8. Methaph. Unde patet falſas eſſe opiniones illorum, qui dixerunt aliqua corpora eſſe media inter animam & corpus hominis, quorum quidam ut Platonici dixerunt, quod anima intellectiva habet corpus incorruptibile ſibi unitum naturaliter, a quo numquam ſeparatur, & eo mediante unitur corpori corruptibili hominis. Quidam alii dixerunt, quod unitur corpori mediante quodam ſpiritu corporeo. Alii dixerunt, quod unitur corpori mediante luce, quam dicunt eſſe corpus, & de quintæ eſſentiæ natura, ita quod anima vegetabilis unitur corpori mediante luce cæli ſiderei, anima ſenſibilis mediante luce cæli cryſtallini, anima intellectiva mediante luce cæli empyrei. Quod ficticium & deriſibile appareret, tum quia lux non eſt corpus, tum quia quinta eſſentia non venit materialiter in compoſitionem corporis miſti, quum ſit inalterabilis, ſed tantum virtualiter; tum etiam quia anima unitur immediate corpori, ut forma materiæ. Quamvis autem ſubtracto ſeu deficiente ſpiritu, qui eſt quoddam corpus ſubtile, anima ſeparatur a corpore, & ſic deficiat unio animæ ad corpus; hoc non eſt ideo, quia ille ſpiritus ſit medium ad cauſſandum illam unionem, ſed quia tollitur diſpoſitio, per quam corpus eſt diſpoſitum ad talem unionem. Et tamen eſt prædictus ſpiritus medium in movendo, ſicut primum inſtrumentum motus, quia partes groſſiores corporis movet anima per partes ſubtiliores, ut per ignem & aerem, ideſt per choleram & ſanguinem. Sed nec mediante aliquo accidente unitur anima corpori. Ratio eſt ſecundum Thomam ubi ſupra, quia quum accidens poſterius ſit ſubſtantia tempore & ratione, ut dicitur 7. Methaphyſ. non poteſt intelligi aliqua forma accidentalis in materia ante animam, quæ eſt forma ſubſtantialis. Præter illam unionem animæ cum corpore, poteſt anima noſtra uniri cum Deo per caritatem & fervens deſiderium: pſal. 62. *Adhæſit anima mea poſt te*, ſcilicet caritatem: & 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo*. Poteſt uniri cum proximo per voluntatis conformitatem, vel in bono, ut illi, de quibus dicit Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una in Domino*: vel in malo, ut Judæi, de quibus dicit pſal. 2. *Principes convenerunt in unum adverſus Dominum*. Poteſt & uniri anima cum corpore ſuo, ideſt appetitu ſenſitivo, juxta illud pſal. 62. *Sitivit in te anima mea*, ſcilicet cupiendo diſſolvi, tibi ſumme placere, voluntatem tuam in omnibus complere, *quam multipliciter tibi caro mea*, ideſt appetitus ſenſitivus & omnia membra corporis ad idem ſubjiciuntur ſpiritui, & in unum conveniunt cum anima ad operandum virtuoſa. Solus tamen Chriſtus etiam viator habuit perfecte & omnimode hanc unionem; unde animam ſuam appellat unicam.

pori ſine aliquo medio.

Anima in unoquoque corpore eſt tota in toto & in qualibet parte tota.

§. II. Anima ſecundum Auguſtinum in 6. de Trin. in unoquoque corpore & in toto eſt tota, & in qualibet parte corporis eſt tota. Hujus rationem aſſignat B. Thomas in 1. parte quæſt. 76. dicens:

cens: Quum anima uniatur corpori, non ut motor tantum, ſed ut forma ejus; neceſſe eſt, quod ſit in toto tota & in qualibet parte tota: non enim eſt forma corporis accidentalis, ſed ſubſtantialis; forma autem ſubſtantialis non ſolum eſt perfectio totius, ſed cujuslibet partis, quum totum conſiſtat ex partibus: forma totius, quæ non dat eſſe ſingulis partibus corporis, eſt forma, quæ eſt compoſitio & ordo, ſicut forma domus, & talis forma eſt accidentalis; anima vero eſt forma ſubſtantialis. Unde oportet, quod ſit forma & actus non ſolum totius, ſed cujuslibet partis; & ideo recedente anima, ſicut non dicitur animal & homo, niſi æquivoce, quemadmodum animal pictum & lapideum; ita eſt de manu & oculo & carne & oſſe, ut philoſophus dicit. Cujus ſignum eſt, quod nulla pars corporis habet proprium opus anima recedente, quum tamen omne, quod retinet ſpeciem, retineat operationem ſpeciei. Actus autem eſt in eo, cujus actus eſt, unde oportet animam eſſe in toto corpore & in qualibet parte ejus. Hoc autem intelligendum non eſt ſecundum quantitativam totalitatem, quia hanc non habet, quia anima non eſt quanta; nec etiam ſecundum totalitatem virtutis, quia non ſecundum quamlibet ſuam potentiam eſt in qualibet parte corporis, ſed ſecundum viſum in oculo, ſecundum auditum in aure, & ſic de aliis. Sed eſt tota in qualibet parte ſecundum totalitatem perfectionis & eſſentiæ, ſicut in ſuperficie alba, tota albedo eſt in ſuperficie, & in qualibet parte ſuperficiei ſecundum totalitatem perfectionis & eſſentiæ. Potentiarum autem animæ, quia quædam ſunt in ea ſecundum quod excedunt totam corporis capacitatem, ſcilicet intellectus & voluntas; hujuſmodi potentiæ in nulla parte corporis eſſe dicuntur: aliæ vero ſunt communes animæ & corpori; unde non oportet, quod talium potentiarum quælibet ſit in qualibet parte corporis, ſed in illa corporis parte proportionata ad talis potentiæ operationem.

De qua totalitate intelligitur aimà totã eſſe in toto &c.

Eſſentia animæ diſtinguitur ab ejus potentia.

Sciendum autem, quod ipſa eſſentia animæ non eſt ejus potentia. Si enim, ut dicit Dion. cap. 5. angelicæ hierarchiæ, cæleſtes ſpiritus, ideſt Angeli dividuntur in eſſentiam, virtutem, & operationem; multo magis dicendum de anima, quæ eſt inferioris gradus in ordine intellectivorum, aliud eſſe eſſentiam, aliud virtutem & potentiam. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas in 1. parte quæſt. 77. art. 1. quod eſt impoſſibile dicere, quod eſſentia animæ ſit ejus potentia, licet quidam hoc poſuerint. Et ratio eſt, quia quum potentiam & actus dividant ens, & quodlibet genus entis; oportet, quod ad idem genus entis referatur actus & potentia; ideo ſi actus non eſt in genere ſubſtantiæ, potentia, quæ eſt ad illum actum, non poteſt eſſe in genere ſubſtantiæ. Operatio autem animæ non eſt in genere ſubſtantiæ; ſed in ſolo Deo, cujus operatio eſt ejus ſubſtantia. Unde Dei potentia, quæ eſt operationis principium, eſt ipſa Dei eſſentia; quod eſſe non poteſt nec in anima, nec in Angelo vel alia creatura. Unde ſequitur, quod nec animæ potentia eſt in genere ſubſtantiæ. Eſſentia autem animæ eſt in genere ſubſtantiæ; ergo eſſentia ejus non poteſt eſſe potentia ejus.

Alia ratio, quia anima ſecundum eſſentiam ſuam eſt actus. Si ergo ipſa eſſentia animæ eſſet immediatum operationis principium ſemper habens animam actu, haberet opera vitæ, ſicut ſemper habens animam actu eſt vivum; ſed invenitur habens animam non ſemper habere in actu opera vitæ, ut quum dormit & hujuſmodi.

Potentia animæ eſt accidens.

Si autem quæratur, quid ſit potentia animæ, ex quo non eſt ejus eſſentia; reſpondet B. Thomas ubi ſupra, quod eſt accidens, prout accidens dividitur contra ſubſtantiam. Sic enim nihil eſt medium inter ſubſtantiam & accidens, quia dividuntur ſecundum affirmationem & negationem, ſcilicet eſſe in ſubjecto, vel non eſſe in ſubjecto. Et ſic quum non ſit ſubſtantia ipſa anima, oportet, quod ſit accidens quælibet potentia ejus, & eſt in ſecunda ſpecie qualitatis. Sed prout accidens accipitur ſecundum quod ponitur unum ex quinque univerſalibus, ſic non eſt accidens potentia animæ. Nam ſecundum hunc modum aliquid eſt medium inter ſubſtantiam & accidens, quia ad ſubſtantiam pertinet quidquid eſt eſſentiale rei. Non tamen quidquid eſt extra eſſentiam rei, poteſt ſic dici accidens, ſed ſolum quod non cauſſatur ex principiis eſſentialibus ſpeciei: proprium enim non eſt de eſſentia rei, ſed ex principiis eſſentialibus ſpeciei cauſſatur; unde medium eſt inter ſubſtantiam & accidens, & hoc modo potentiæ animæ poſſunt dici mediæ inter ſubſtantiam & accidens, quaſi proprietates animæ naturales, ſicut riſibile dicitur proprium hominis, & calor proprium ignis & hujuſmodi.

Quod autem Auguſtinus dicit, quod notitia & amor non ſunt in anima ſicut accidentia in ſubjecto, intelligitur, prout comparantur ad animam, non ſicut ad amantem & cognoſcentem, ſed prout comparantur ad eam ſicut ad amatam & cognitam, quia ipſa ſubſtantialis eſſentia animæ cognoſcitur & amatur.

Et ſic etiam intelligendum, quum idem dicit, quod memoria, intelligentia, & voluntas ſunt una eſſentia; vel etiam ſecundum aliquos poteſt dici, quod hæc locutio verificatur ſecundum modum, quo totum potentiale prædicatur de ſuis partibus: quia enim tale totum adeſt ſingulis partibus ſecundum totam eſſentiam, ſed non ſecundum totam virtutem; ideo prædicatur de qualibet parte ejus, ſed non ita proprie ſicut totum univerſale. Quod etiam philoſophus dicit in 2. de anima, quod illud, quo primo ſentimus & intelligimus, eſt anima; non ex hoc ſequitur quod eſſentia animæ ſit ejus potentia, ſed quia hoc ipſum, quod forma accidentalis, cujuſmodi eſt potentia animæ, eſt actionis principium, habet a forma ſubſtantiali. Et ideo forma ſubſtantialis eſt primum actionis principium, ſed non proximum.

Potentia animæ qualia bona ſint.

§. IV. Ponuntur autem hæ potentiæ animæ eſſe bona media. Magiſter enim ſent. lib. 2. Diſt. 26. poſt Auguſtinum ponit triplicem differentiam bonorum, ſcilicet minima, media, & magna, videlicet bona temporalia, naturalia & virtualia. Et quia *omnia a Deo accepiſti*, ſecundum Apoſtolum, *recordare, quia accepiſti bona in vita tua*, dixit Abraham Lucæ 16. Temporalia quidem ad recte diſtribuendum, naturalia ad bene exercendum, virtualia ad continue agendum.

Temporalia, ut divitiæ, bona ſunt, quia organice deſerviunt felicitati ſecundum philoſophum, ideſt ſunt inſtrumenta ad vitam virtuoſam. Qui enim ſibi theſaurizat, & temporalia non diſtribuit ſecundum rectitudinem, damnationem incurrit. Unde cuidam diviti, qui ſibiipſi dicebat: *Anima mea, habes multa bona poſita in annos plurimos: comede, quieſce &c.* dictum fuit a Deo: *Stulte, animam tuam hac nocte repetent a te*, Luc. 12. Super quo Evangelio dicit Ambroſius: *Tu*, ſcilicet dives, *ſuſceptis Dei muneribus, & in ſinum tuum redactis, nil te reputas facere iniquum, ſi tam multorum vitæ ſubſidia ſolus obtineas &c.* Diſt. 47. *Sicut ii.* Bona naturalia ſunt potentiæ animæ interiores & exteriores, quibus operamur, quibus poteſt anima bene & male uti, ſicut & bonis temporalibus. Et de his poteſt illud exponi pſal. 15. *Bonorum meorum non indiges, Domine*, ideſt operum noſtrorum, quæ procedunt a potentiis. Exercere autem debet quis hujuſmodi bona

&

& bene; alias ea invanum accepit: pſal. 23. *Qui non accepit in vanum animam ſuam*, hic ſcilicet *habitabit in tabernaculo tuo*. Bene autem exercet hujuſmodi bona, quum pœnitet & ſe mortificat, ſecundum illud pſal. 38. *Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus*, ideſt, ſecundum gloſſam, feciſti tu, Deus, ut anima converſa ſit tabida, ideſt humilitate infirmata ſicut aranea, quæ etiam levi tactu manus tabeſcit, ideſt deficit a virtute ſua & vigore. Sicut anima correpta & pœnitens a contactu manus divinæ inſpirationis deficit a vigore ſuperbiæ, & moritur vitæ priſtinæ. Aranea eſt ſubtile corpus, terrena deſerit, alta quærit, emiſſione viſcerum telas texit. Sic converſus & correptus per pœnitentiam corpus extenuatur, mundi infirma contemnit, cæleſtem converſationem appetit, ſubtiles operationes ex timore Domini facit. Bene exercet anima potentias, dum intellectum & affectum ad ſuperna erigit. Unde pſal. 34. *Anima mea exſultabit in Domino, & delectabitur in Deo ſalutari ſuo, omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?* Exſultatio & delectatio animæ eſt ipſa maxima complacentia, quam habet voluntas ex cognitione & conſideratione intellectuali, divinæ providentiæ & benevolentiæ magnæ ad ipſam animam. Providentia vero *in Domino*, qui, ſi bonus eſt, providet ſervis ſuis. Benevolentia *in ſalutari*, qui ſic dicitur, quia nos ſalvat. *Oſſa* animæ ſunt potentiæ, quia ſicut oſſa inſeparabiliter inhærent carni, & dant ei robur ad operandum; ita potentiæ inſeparabiliter ſunt in anima, & ex his eſt virtus homini ad operandum. Omnes ergo potentiæ admiratione quadam cujuſdam reverentiæ debent experimentali guſtu intelligere nullum eſſe ſimilem Deo. Bonis virtualibus non poteſt quis male uti, de quibus poteſt illud intelligi Prov. 11. *In bonis juſtorum*, ſcilicet operibus virtutum, *exſultabit civitas*: Iſai. 58. *Implebit ſplendoribus animam tuam*. Virtutes ſunt ut quidam radii, quibus anima illuſtratur in baptiſmo, quæ bona debet augere juxta illud pſal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem*: nam qui accepit bonum unius talenti deſignantis aliquam gratiam, quia non auxit, ſed conſervavit, fuit eo privatus & confuſus: Matth. 25. Recordare ergo, quia recepiſti & ad quid recepiſti; & ſic ſecundum pſal. 24. *Anima ejus in bonis demorabitur*, ſcilicet ad recordandum.

Plures ſunt potentiæ animæ.

§. V. Potentias animæ eſſe plures, ponit philoſopus in 2. de cælo, & Magiſter ſent. lib. 1. Diſt. 3. quod neceſſe eſt ponere ſecundum B. Thomam in 1. part. quæſt. 77. art. 2. Nam ſicut infirmus eſt diſpoſitus ad ſanitatem, quæ eſt quædam perfectio corporis animalis, qui non poteſt conſequi perfectam ſanitatem, ſed aliquam modicam, conſequitur paucis remediis. Melius autem diſpoſitus eſt, qui poteſt conſequi perfectam ſanitatem; ſed remediis multis: & adhuc melius, qui remediis paucis perfectam conſequi poteſt. Optime autem qui abſque remedio perfectam habet ſanitatem. Ita dicendum de bonitate & perfectione rerum, videlicet, quod ille res, quæ ſunt infra hominem, ut animalia & ſenſibilia, quædam particularia bona conſequuntur, non autem perfectam bonitatem & univerſalem, qualis eſt Deus; & ideo quaſdam paucas & determinatas virtutes & operationes habent, quibus illam aſſequantur. Homo autem poteſt conſequi perfectam & univerſalem bonitatem; quia poteſt adipiſci beatitudinem, ſed tamen quia eſt in ultimo gradu ſecundum naturam eorum, quibus competit beatitudo; ideo multis & diverſis operationibus ac virtutibus ſeu potentiis indiget anima humana ad conſequendam hujuſmodi perfectam bonitatem. Angelis vero minor diverſitas potentiarum com-

A petit. In Deo autem non eſt aliqua potentia, vel actio præter ejus eſſentiam. Eſt enim alia ratio, quare humana eſt in diverſitate potentiarum, videlicet quia eſt in confinio corporalium & ſpiritualium creaturarum; & ideo concurrunt in ipſa virtutes utrarumque creaturarum.

Sciendum etiam ſecundum B. Thomam ubi ſupra, quod quædam operationes animæ ſunt, quæ exercentur ſine organo corporali, ut intelligere & velle. Unde potentiæ, quæ ſunt harum operationum principia, ſunt in anima ut in ſubjecto; quædam vero actiones ſunt animæ, quæ exercentur per organa corporalia, ſicut viſio per oculum, & auditus per aurem; & ſimile de omnibus aliis operationibus ſenſitivæ & nutritivæ partis.

B Et potentiæ, quæ ſunt harum operationum principia, ſunt in conjuncto, ut in ſubjecto, & non in anima ſola. Unde philoſophus in lib. de ſom. & vigil. dicit quod ſentire non eſt proprium animæ neque corporis, ſed conjuncti. Dicuntur autem omnes potentiæ eſſe animæ non ſicut ſubjecti, ſed ſicut principii, quia per animam conjunctum habet, quia tales operationes poſſit operari. Fluunt ergo omnes potentiæ etiam ſenſitivæ & vegetativæ ab eſſentia animæ, ſicut a principio. Sunt enim quædam proprietates naturales ejus, ſed ſubjectum eſt cauſſa propriorum accidentium, unde & ponitur ſubjectum in diffinitione accidentis.

Omnes potentiæ quomodo dicuntur eſſe animæ.

Notandum etiam, quod omnis actio procedit ab

De actione potentiæ.

C aliqua potentia, & eſt circa aliquod objectum ſeu materiam. Potentia enim ſecundum id, quod eſt potentia, ordinatur ad actum, & diverſificatur ſecundum diverſam rationem actus, & actus diverſificatur ſecundum diverſam rationem objecti. Quia enim aliud eſt color in quantum objectum viſus, aliud ſonus in quantum objectum auditus; ideo diverſa omnino actio eſt videre ab audire. Et quia diverſa ratio actionis utriuſque, ideo etiam potentiæ diverſæ, unde procedunt illi actus. Potentia autem aut eſt activa aut paſſiva. Actio autem, quæ eſt procedens a potentia activa, alio modo ſe habet quam procedens a paſſiva erga ſuum objectum. Comparatur enim objectum ad actum potentiæ paſſivæ ſicut principium & cauſſa mo-

D vens. Color enim, in quantum movet viſum, eſt principium viſionis; ſic & intelligentia eſt potentia paſſiva. Ad actum autem potentiæ activæ comparatur objectum ut terminus & finis, ſicut augmentativæ virtutis objectum eſt quantum perfectum, quod eſt finis augmenti: & ex his duobus actio reſpicit ſpeciem, ſcilicet ex principio vel fine ſeu termino; & ſic eſt neceſſe, quod potentiæ diverſificentur ſecundum actus & objecta.

Quinque ſunt genera potentiarum.

§. VI. Quinque ſunt genera potentiarum ſecundum philoſophum in 2. de anima, videlicet vegetativum, ſenſitivum, appetitivum, ſecundum locum motivum & intellectivum. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas in 1. parte quæſt. 78. art. 1. quod genera potentiarum diſtinguuntur ſe-

E cundum objecta actuum ipſarum: quanto enim potentia eſt altior, tanto objectum univerſalius reſpicit. Objectum autem operationis animæ tripli-

Triplex eſt ordo objecti ad potentias.

ci ordine poteſt conſiderari: alicujus enim potentiæ animæ objectum eſt ſolum corpus animæ unitum. Et hoc genus potentiarum dicitur vegetativum: non enim vegetativa agit niſi in corpus, cui unitur anima. Eſt aliud genus potentiarum, quod reſpicit univerſalius objectum, ſcilicet omne corpus ſenſibile, & non ſolum corpus, cui anima unitur. Eſt alterum genus potentiarum, quod adhuc reſpicit univerſalius objectum, ſcilicet non ſolum corpus ſenſibile, ſed etiam omne ens. Et ex hoc patet, quod iſta duo genera potentiarum habent operationem non ſolum reſpectu rei con-

junctæ, ſed etiam reſpectu extrinſecæ rei. Quum autem operans oporteat aliquo modo conjungi ſuo ſubjecto, neceſſe eſt rem extrinſecam, quæ eſt objectum operationis animæ ſecundum duplicem rationem ad animam comparari. Uno modo ſecundum quod nata eſt conjungi animæ & in anima eſſe per ſuam ſimilitudinem. Et quantum ad hoc ſunt duo genera potentiarum, ſenſitivum reſpectu objecti minus communis, quod eſt corpus ſenſibile; & intellectivum reſpectu objecti communiſſimi, quod eſt ens univerſale. Alio modo res extrinſeca, quæ eſt objectum operationis, comparatur ad animam ſecundum quod ipſa anima inclinatur & tendit in ipſam rem exteriorem. Et ſecundum hanc operationem ſunt duo genera potentiarum, unum ſcilicet appetitivum, ſecundum quod anima comparatur ad rem extrinſecam, ut ad finem, qui eſt primum in intentione. Et hic appetitus, qui dicitur appetitus animalis, diſtinguitur ab appetitu naturali: appetitus enim naturalis eſt inclinatio cujuſlibet rei ad aliquid ex natura ſua; & ſic naturali appetitu quælibet potentia deſiderat ſibi conveniens. Sed appetitus animalis ſequitur formam apprehenſivam, & ad hujuſmodi appetitum requiritur ſpiritualis potentia animæ, & non ſufficit ſola apprehenſio. Viſus enim naturaliter appetit viſibile ſolum ad ſuum actum, ideſt ad videndum; animal autem appetit rem viſam per appetitum non ſolum ad videndum, ſed etiam ad alios uſus. Aliud genus potentiarum eſt motivum ſecundum locum, prout ſcilicet anima comparatur ad rem exteriorem ſicut ad terminum operationis & motus. Ad conſequendum enim aliquid deſideratum & intentum omne animal movetur. Et quamvis ſenſus & appetitus ſint principalia moventia in animalibus perfectis, non tamen ſenſus & appetitus in quantum hujuſmodi etiam ſunt ſufficientia ad movendum, niſi ſuperadderetur eis aliqua virtus. Nam in immobilibus animabus eſt ſenſus & appetitus; non tamen habent vim motivam: hæc autem vis motiva eſt non ſolum in appetitu & ſenſu, ut in operante motum; ſed in ipſis partibus corporis, ut ſint habilia ad obediendum appetitui animæ moventis. Hæc B. Thomas.

Appetitus naturalis diſtinguitur ab appetitu animali.

De uſu & exercitio bono potentiarum animæ.

§. VII. Potentiarum autem animæ rationalis quum quinque ſint genera ſecundum philoſophum in 2. de anima, & omnis actio humana ab his procedens; tunc bene agitur & meritorie, quando ex gratia in anima agitur; unde pſal. 21. *Anima mea illi vivet*, ſcilicet vita gratiæ, *& ſemen meum ſerviet ipſi*. Semen ſpirituale ſeu generatio animæ eſt quintuplex genus potentiarum, quæ fluunt, & ſic generantur ab anima, quæ tunc ſerviunt Deo, quum anima vivit ei, ſcilicet ex gratia. Poſſunt & iſtæ figurari per quinque talenta tradita a Domino ſervo ſuo, Matth. 25. quæ tunc duplicantur. Unde talis intrat *in gaudium Domini*, quum ſcilicet quis exercet non ſolum inſtinctu humanæ rationis, ut philoſophi, ſed etiam divina illuſtratione gratiæ, ut ſancti. Nec poteſt iſta expoſitio incongrua reputari, quia diſſuta eſt ab his, quæ ſequuntur in illa parabola, ideſt non correſpondet eis; nam ſubditur de duobus talentis, aut uno tantum, aliis datis. Certum eſt autem, quod omnes homines habent prædictas omnes potentias. Dicit enim B. Thomas ſuper Cantica in prologo, quod illud habet locum in expoſitione litterali Scripturæ, ſcilicet quod oportet, quod non ſit diſſuta, ſed reſpondeat præcedentibus & ſequentibus; hoc autem non requiritur in expoſitione morali Scripturæ, ut patet in expoſitionibus doctorum. Debet ergo quis operari ſecundum potentiam motivam ex gratia eundo ad templum, ut Chriſtus & Apoſtoli, Act. 5. Non autem ad theatrum vel ſpectaculum: tales enim debent puniri, *De conſecr.* Diſt. 1. *Qui die*. Debet moveri ad indulgentias & laudes divinas: pſal. 145. *Lauda, anima mea, Dominum* &c. *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*, per indulgentias quoad pœnam, per laudem confeſſionis quoad culpam. Non autem debet ire ad choreas, ibi enim amputatur figurate caput Joannis Baptiſtæ, Marc. 6. qui interpretatur *in quo eſt gratia*. Debet moveri & operari ad juvandum proximos, ut Tobias, qui diſcurrebat per civitates viſitando, confortando captivos, veſtiendo nudos, ſepeliendo & hujuſmodi. Et ut Paullus, qui laborabat manibus ſuis ad providendum ſibi & ſuis; non autem diſcurrendo cum malis ad iniquitatem, de quibus Salomon Prov. 1. *Pedes eorum ad malum currunt, & ſicut anima laborantis laborat ſibi*.

De potentia motiva.

Vegetativa.

Vegetativa bene uti debet, videlicet cibis & potibus, qui deſerviunt nutritivæ & augmentativæ utendo ad neceſſitatem, non voluptatem. *Nam & Elias carnes comedit, & David aquam male concupitam*, ſcilicet de ciſterna Bethleem, *effudit*, ſcilicet non bibendo, Diſt. 41. can. *Delitiæ*. Venereis autem actibus qui deſerviunt, generative præciſe cum conjuge ſua, & non aliter ad prolem procreandam, vel debiti redditionem non ad libidinem explendam, 33. quæſt. 4. *Vir cum propria*, ibi, *Quum vero* cum gloſſa ſua.

Senſitiva.

Cum ſenſitiva bene quis commercatur, quum ſenſus exteriores viſum, auditum & alios ſub diſciplina cuſtodit rationis, non eos exercens ad curioſitatem; ut ille, qui dixit: *Juga boum emi quinque, & eo probare illa*, Luc 14. ſcilicet per curioſitatem, paſſiones inſuper appetitus ſenſitivi mortificat a vitiis.

Intellectiva.

Talentum intellectivi duplicatur, quum quis ipſum applicat ad conſideranda ſpiritualia & divina, ad intelligendum ſacra eloquia; quia, ut dicitur, Diſt. 38. *Sicut*: *Sicut ſtellas cæli non extinguit nox; ita mentes fidelium inhærentes ſacræ Scripturæ firmamento, non obſcurat mundana iniquitas*. Quod faciebat B. Virgo Maria, cui dixit Simeon: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, Luc. 2. quod exponit Ambroſius de gladio ſpirituali, *quod*, ſecundum Apoſtolum Eph. 6. *eſt verbum Dei*, quod in Scripturis poſitum valide tranſivit per animam, ideſt intellectum & mentem Virginis conferendo Scripturas ad invicem de Deo.

Appetitiva.

Talentum autem appetitivæ augetur, dum quis affectum habet ad Deum exempla Iſaiæ dicentis: *Anima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis*: vel vera amicitia caritatis afficitur ad proximum; unde de David & Jonatha dicitur 1. Regum 18. quod *anima ejus conglutinata eſt cum anima David*, ſcilicet affectu amicitiæ & caritatis. Diligere enim & deſiderare Deum & ſalutem proximi eſt actus voluntatis, & paſſiones appetitus ſenſitivi refrænat ratione.

Quinque ſunt bona nobis a Deo tradita.

Si quis autem vellet totam iſtam parabolam exponere de bonis nobis a Deo traditis, tunc poteſt dici, quod quinque talenta ſunt quinque genera bonorum, circa quæ verſantur operationes noſtræ, quæ omnes procedunt a potentiis ipſius animæ. Et primum talentum eſt bonum naturæ datum ad exercendum. Matth. 20. *Quid hic ſtatis tota die otioſi .... ite & vos in vineam meam*, ideſt animam ad laborandum. Et figuratur per talentum æneum.

Secundum eſt bonum gratiæ collatum ad agendum: 2. Cor. 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: Proverb. 4. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit* &c. Et figuratur per talentum aureum, quia ſicut aurum excedit omnia metalla, ita gratia omnia humana.

Tertium eſt bonum ſcientiæ datum ad docendum,

dum, Matth. ult. *Docete omnes gentes:* Sapient. 7. dicitur de ea *: Sine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.* Et figuratur per talentum argenteum, de quo pſal. 11. *Eloquia Domini eloquia caſta : argentum &c.*

Quartum eſt bonum potentiæ datum ad defendendum ſe & alios. Iſai. 1. *Subvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam*, 23. quæſt. 3. *Qui poteſt obviare*, & in can. ſequen. Et figuratur per talentum ferreum, quia ferrum ſua potentia & vigore domat alia metalla efficaciter.

Quintum eſt bonum opulentiæ datum ad ſubveniendum: Luc. 11. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Et figuratur per talentum plumbeum, de quo Zachar. 5. Quia plumbum vilius eſt, & gravius aliis metalis, ita temporalia ſunt vilia & gravia. Aliqui vero ex prædictis tantum duo talenta habuerunt, ſcilicet bonum naturæ & gratiæ : alii tantum unum, ſcilicet bonum naturæ, nec talis excuſatur, ſi non exercet. Hæc in Catholicon.

Potentiarũ animæ ordo ad invicem.

§. VIII. De ordine ipſarum potentiarum adinvicem dicit B. Thomas 1. parte quæſt. 77. art. 4. quod quum una ſit anima, potentiæ autem plures, ordine vero quodam ab uno in multitudinem procedatur, neceſſe eſt inter potentias ordinem ponere ſecundum dependentiam unius ab altera.

Quantum ad ordinem naturæ, prout perfecta naturaliter priora ſunt imperfectis; ſic potentiæ intellectivæ ſunt priores ſenſitivis, unde dirigunt eas & imperant eis. Et ſimiliter potentiæ ſenſitivæ ſunt priores potentiis nutritivæ animæ. Secundum vero generationis ordinem & temporis econverſo ſe habent. Nam potentiæ animæ nutritivæ ſunt priores potentiis animæ ſenſitivæ in via generationis, & ad earum actiones corpus præparant. Similiter etiam de potentiis intellectivis reſpectu ſenſitivarum. Quum autem potentiæ cognoſcantur per actus, ſicut actus unius potentiæ cauſſatur ab alio, ut actus phantaſiæ ab actu ſenſus; ſic una potentia cauſſatur ab alia: quamvis enim omnes potentiæ fluunt ſeu procedunt ab eſſentia animæ; ordine tamen quodam, ut una procedat ab anima immediate, alia mediante alia, & hujuſmodi. Et ſi dicatur, quod potentia quælibet animæ eſt accidens, ſi una potentia procederet ab alia, tunc accidentis ſubjectum eſſet accidens, quod eſſe non poteſt; reſpondet B. Thomas, quod accidens per ſe non poteſt eſſe ſubjectum accidentis, ſed unum accidens per prius recipitur in ſubſtantia quam aliud, ſicut prius quantitas quam qualitas. Et hoc modo dicitur, accidens unum eſſe ſubjectum alterius, ut ſuperficies coloris in quantum ſubſtantia, uno accidente mediante, recipit aliud, & ſimiliter de potentiis animæ.

De ſubjecto potentiarum.

De his autem quinque generibus potentiarum quamvis omnes habeant principium ab anima, tamen quædam ſunt, quæ ſolum ſunt in anima ut in ſubjecto, ut intellectus & voluntas. Et has neceſſe eſt remanere etiam deſtructo corpore, quum ſubjectum earum, ideſt anima, remaneat immortalis. Quædam ſunt in conjuncto, ut in ſubjecto, ſicut omnes potentiæ nutritivæ, ſenſitivæ, & motivæ. Et quia, deſtructo ſubjecto, non poteſt accidens remanere; ideo, corrupto conjuncto, ideſt homine, non remanent illæ potentiæ actu, ſed tantum virtute ſicut in principio vel radice. Et ſi objiciatur, quod in lib. de ſpiritu & anima dicitur, quod anima recedit a corpore, trahens ſecum ſenſum, & imaginationem, rationem, & intellectum, iraſcibilitatem, & concupiſcibilitatem; reſpondet B. Thomas, quod liber ille non habet auctoritatem; unde quod ibi ſcriptum eſt, ea facilitate contemnitur, qua probatur. Vel poteſt dici, quod anima trahat ſecum has potentias, non actu, ſed

A virtute. Si etiam objiciatur, quia Luc. 16. fuit dictum diviti : *Recordare, quia recepiſti* &c. memoria autem eſt potentia ſenſitiva; reſpondet B. Thomas quod memoria ibi accipitur eo modo, quo Auguſtinus ponit memoriam in mente, prout ſcilicet eſt pars intellectivæ, non prout eſt potentia partis ſenſitivæ.

CAPUT II.

De potentia vegetativa & ſenſitiva.

Tres ſunt potẽtiæ vegetativæ.

§. I. VEgetativa diſtinguitur in tres partes, ſive potentias, ſcilicet nutritivam, B augmentativam, & generativam. Unde in 2. de anima dicit philoſophus, quod opera hujus animæ ſunt generare, alimento uti, & augere. Pro hujus declaratione dicit B. Thomas in 1. parte, quæſt. 78. art. 2. quod vegetativam habet pro objecto corpus ipſum vivens per animam. Ad quod triplex operatio animæ eſt neceſſaria : una, per quam eſſe acquirat, & ad hoc ordinatur potentia generativa : alia, per quam corpus vivens acquirat debitam quantitatem, & ad hoc ordinatur vis augmentativa : alia, per quam corpus viventis ſalvatur & in eſſe & in debita quantitate, & ad hoc ordinatur vis nutritiva. Eſt tamen quædam differentia attendenda inter has potentias : nam nutritiva & augmentativa habent ſuum effectum C in eo, in quo ſunt, quia ipſum corpus unitum animæ augetur & conſervatur per vim augmentativam & nutritivam in eadem anima exiſtentem. Sed vis generativa habet effectum ſuum, non in eodem corpore, ſed in alio, quia nil eſt generativum ſui ipſius; & ideo vis generativa appropinquat quodammodo ad dignitatem animæ ſenſitivæ, quæ habet operationem in res exteriores; & ſic in his perfectior eſt generativa. Eſt enim rei perfectæ facere alteram, qualis eſt ipſa; ei autem deſerviunt nutritiva & augmentativa, augmentativæ vero nutritiva. Dicitur autem nutritiva deſervire generativæ potentiæ, ſecundum B. Thomam in 1. parte quæſt. ult. quod illud, quod eſt converſum per virtutem nutritivam ex alimento, D antequam convertatur in ſubſtantiam membrorum accipitur a virtute generativa ut ſemen. Et hujus ſignum ponit philoſophus, quia animalia magni corporis, quæ indigent multo nutrimento, ſunt pauci ſeminis ſecundum quantitatem corporis ſui & paucæ generationis, ut patet in Elephante. Similiter homines pingues ſunt pauci ſeminis propter eamdem cauſſam. Et propter hanc cauſſam in pueris non eſt ſemen, quia ſuperfluum nutrimenti in augmentum convertitur; & ideo non poſſunt generare; & ſic ſuperfluum alimenti eſt ſemen ſecundum philoſophum in lib. de generatione animalium.

Differentia harum.

Animalia magni corporis indigent multo nutrimẽto.

Sciendum etiam ſecundum B. Thomam ubi ſupra, quod alimentum ex cibo & potu vere con- E vertitur in ſpeciem humanæ naturæ, in quantum vere accipit ſpeciem carnis & oſſis, & hujuſmodi partium, & hoc eſt, quod philoſophus dicit in 2. de anima, quod alimentum nutrit, in quantum eſt potentia caro. Quod autem Dominus dicit Matth. 15. *Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*; non ſic intelligendum eſt, quod *omne*, ideſt totum, *quod intrat in os*, emittatur per ſeceſſum; ſed quia de omni cibo aliquid impurum per ſeceſſum emittitur. Et quia virtus omnis in corpore paſſibili per continuam actionem debilitatur, quia hujuſmodi agentia etiam patiuntur; ideo virtus converſiva alimenti in naturam corporis animalis in principio quidem eſt tam fortis, ut poſſit convertere non

ſolum quantum ſufficit ad reſtaurationem deperditi, ſed etiam ad augmentum. Poſtea vero non poteſt convertere, niſi quantum ſufficit ad reſtaurationem deperditi; & tunc ceſſat augmentum. Demum nec hoc poteſt, & tunc fit diminutio. Deinde deficiente hac virtute totaliter, deficit animal, ſicut virtus vini convertentis aquam miſtam paullatim per admiſtionem aquæ debilitatur, ut tandem totum fiat aquoſum, ut philoſophus exemplificat. Quod autem aliqui dicunt, quod alimentum non convertitur in virtutem humanæ naturæ, ſed accipitur alimentum ut quoddam fomentum, ſcilicet ut reſiſtat actioni caloris naturalis, ne conſumat humidum naturale, ſicut plumbum vel ſtannum adjungitur argento, ne conſumatur per ignem: ſed illa materia, quæ in primo homine formæ humanæ fuit ſubjecta in ſeipſa multiplicatur, & hoc modo multitudo humanorum corporum a corpore primi hominis derivatur; totum hoc reprobat B. Thomas ibi per multas rationes, probans, quod vere convertitur alimentum in naturam hominis.

De quïque ſenſibus exterioribus.

§. II. De potentia ſenſitiva: hæc eſt duplex, videlicet exterior & interior. Exterior dicitur quæ habet organa, in quibus eſt affixa, exterius viſibilia. Iſta autem ſubdiſtinguitur in quinque ſenſus exteriores, ſcilicet viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum, ut ponit philoſophus in 2. de anima. Pro cujus declaratione dicit B. Thom. in 1. part. quæſt. 78. art. 3. quod ratio numeri & diſtinctionis exteriorum ſenſuum accipienda eſt ſecundum id, quod proprie & per ſe ad ſenſum pertinet. Eſt autem ſenſus potentia paſſiva, quæ nata eſt immutari ab exteriori ſenſibili; exterius ergo immutativum eſt, quod proprie & per ſe a ſenſu percipitur, & ſecundum ejus diverſitatem potentiæ diſtinguuntur. Eſt autem duplex immutatio. Una naturalis & alia ſpiritualis. Naturalis quidem, ſecundum quod forma immutantis recipitur in mutato ſecundum eſſe naturale, ſicut calor in calefacto. Spiritualis, ſecundum quod forma immutantis recipitur in mutato ſecundum eſſe ſpirituale, ut forma coloris in pupilla, quæ non fit per hoc colorata. Ad operationem autem ſenſus requiritur immutatio ſpiritualis, per quam intentio formæ ſenſibilis fiat in organo ſenſus. Sed in quibuſdam ſenſibus invenitur immutatio ſpiritualis tantum, ſicut in viſu. In quibuſdam autem cum immutatione ſpirituali etiam immutatio naturalis. Et hoc vel ex parte objecti tantum, vel etiam ex parte organi. Ex parte autem objecti invenitur immutatio naturalis ſecundum locum, ut in ſono, qui eſt objectum auditus. Nam ſonus ex percuſſione cauſſatur & aeris commotione. Secundum alterationem vero in odore, qui eſt objectum olfactus. Oportet enim per calidum aliquo modo alterari corpus ad hoc, quod ſpiret odorem. Ex parte autem organi eſt immutatio naturalis in tactu & guſtu. Nam & manus tangens calida caleſcit, & lingua humectatur per humiditatem ſaporum. Organum vero olfactus & auditus nulla naturali immutatione immutatur in ſentiendo niſi per accidens. Viſus autem eſt maxime ſpiritualis, quia eſt abſque aliqua immutatione naturali organi vel objecti: & perfectior inter omnes ſenſus & communior, & poſt hunc auditus, deinde olfactus, tactus autem & guſtus ſunt maxime materiales. Et inde eſt, quod alii tres ſenſus non fiunt per medium conjunctum, ne aliqua naturalis tranſmutatio pertingat ad organum, ut accidit in his duobus ſenſibus.

Triplex eſt ſenſibile.

Eſt autem triplex ſenſibile objectum, ſcilicet proprium, commune, & per accidens. Senſibile proprium eſt, quod primo & per ſe immutat ſenſum, ut color viſum, ſonus auditum, & hujuſmodi. Senſibile commune eſt, quod non primo & per ſe movet ſenſum, ſed ratione ſenſibilis qualitatis exiſtentis in eo, ut ſuperficies ratione coloris eſt & hujuſmodi. Senſibile vero per accidens, quod non facit aliquam diverſitatem in mutatione ſenſus.

CAPUT III.

De ſingulis quinque ſenſibus.

De viſione.

DE viſione corporali quomodo fiat. Plato & Empedocles opinati ſunt, quod modus videndi fieret extramittendo radios ab oculis, non intus ſuſcipiendo, ſicut eſt veritas. Quod probabant hac ratione: Si viſio perficeretur ſuſcipiendo intus, tunc non eſſet neceſſe, ut quando aliquis acute vellet videre, niſi quod aperiret oculos, & quantomagis aperiret, tantomagis videret formam. Sed contrarium apparet, & hoc tenet Ariſtoteles, quia quando aliquis vult acute videre, magis conſtringit palpebras, & arctat oculos, ita quod ille conatus deſignat aliquid a ſe ejicere & emittere & non recipere. Sed quod iſta opinio ſit falſa & impoſſibilis, ſcilicet quod viſio fit extramittendo, ita quod lux pyramidalis egrediatur a viſione, ut dicunt illi, oſtenditur per hoc, quod lux non poteſt egredi a viſu niſi quattuor modis. Primo quia aut lux erit continuata cum vidente & cum tota re viſa conjuncta. Secundo aut lux in viſione conjungitur cum tota re viſa & ſeparatur tota a vidente. Tertio aut lux egrediens non eſt conjuncta cum tota re viſa, ſed cum aliqua parte ejus. Quarto aut lux perficiens viſionem ſeparatur ab utroque, ſcilicet re viſa & vidente.

Et primum quidem eſſe non poteſt, ſcilicet quod lux egrediens continuetur cum tota re viſa & vidente. Hujus ratio eſt, quia quum videamus aſtra cæli, ſequeretur, quod lux egrediens extenderetur uſque ad aſtra cæli; quod eſt impoſſibile, quum egredi non ſit niſi corporum: lux autem non eſt corpus. Secundum etiam, ſcilicet quod tota lux ſeparetur a vidente, & conjungatur cum re viſa, quod eſſe non poteſt, quia quod non contingit videntem, non videtur. Unde hoc ſimile eſſet, ac ſi quis ſentiendo tangeret manu abſciſa. Tertium, ſcilicet quod lux conjungatur cum aliqua parte rei viſæ, hoc non poteſt eſſe; quia tunc nulla res videretur ſecundum ſe totam, ſed pro parte, quæ a luce tangitur. Quartum, ſcilicet quod lux egrediens non continuetur, nec cum re viſa nec cum vidente, ſed ab utroque ſeparetur; hoc etiam non poteſt eſſe, quia ſi lux non continuatur cum vidente, non videbit. Si non continuatur cum re viſa, non videbitur. Sic ergo in vanum ponitur lucem egredi a viſu. Ad rationem autem prædictæ opinionis, quum ſcilicet dicitur, quod volens videre acute, non aperit oculos, ſed potius conſtringit; reſpondetur, quod hoc non fit, quod lux exprimatur vel emittatur a viſu, ſed potius ut cryſtallinus humor uniatur ac virtus viſiva, & adjuvetur & confortetur, quia virtus unita eſt fortior diviſa. Unde natura ordinavit cilia eminentia & groſſa & nigra, ut adjuvent viſum, ne confundatur diſgregatus a luce vel lumine exteriori. Cujus ſignum eſt, quod quum aliquis vult videre ſubtiliter & acute, obumbrat viſum, ut per umbram virtus viſiva congregetur. Albertus & Thomas in commentariis ſuper lib. de anima.

Quattuor requiruntur ad viſionem corporalem.

§. I. Fit ergo viſio per receptionem ſecundum Ariſtotel. non per emiſſionem radiorum ab oculis. Ad quam viſionem corporalem neceſſe eſt quattuor per ordinem concurrere. Et primum eſt color in objecto viſus: color enim movet dyaphanum

num ad ſui ſuſceptionem: quod motus non eſt lo- A
calis, ſed motus alterationis, quæ alteratio eſt
motus ad formam, quæ eſt qualitas rei viſæ. Ubi
ſciendum, quod color in corpore colorato eſt qua-
litas completa in ſuo eſſe naturali, immediate au-
tem eſt qualitas incompleta ſecundum eſſe ratio-
nale. Secundum, quod requiritur ad viſionem, eſt
dyaphanum, ideſt aliquod corpus perſpicuum: puta
vitrum, aqua, vel aer; quia ſi inter viſibile &
viſum non eſt medium tranſparens, ſed vacuum,
quum in vacuo non poſſit eſſe contactus; tunc viſi-
bile non immutaret, & viſus non immutaretur.
Tertium, quod requiritur, eſt lumen, quod lumen eſt
neceſſarium non quidem ex parte coloris, qui de ſe
eſt viſibilis, ſed ex parte dyaphani. Nam color quum
ſit lux obſcura ex admiſtione corporis opaci, non B
movet dyaphanum perfecte, & in ultima diſpoſi-
tione; ſed lumen in ultima diſpoſitione facit dya-
phanum receptivum coloris. Quartum, quod requi-
ritur, eſt potentia ſenſitiva ſimul cum organo: po-
tentia enim ſenſitiva eſt principium viſionis, quæ
potentia exercetur per corpus, & eſt juxta cere-
brum interius, ubi conjunguntur duo nervi ex o-
culis procedentes. Organum etiam requiritur, id-
eſt oculus, quod non debet eſſe igneum neque ae-
reum, ſed aqueum ſecundum Ariſtotelem. Et hoc
ratione perſpicuitatis, non ſecundum quod aqua:
perſpicuum enim aqueum, & magis conſervat quam
aer, & magis repræſentat. Thomas & Albertus in
commento de anima.

De quinque ſenſibus corporis. Hi figurantur per C
quinque porticus piſcinæ, de quibus dicitur Joan.
5. *In his jacebat multitudo magna languentium.*
Aqua piſcinæ ſignificat mollem & fluidam carnem,
circa quam ſunt quinque ſenſus. Vel melius. Pi-
ſcina, in qua lavabantur oves ſacrificandæ & Deo
offerendæ; propter quod dicebatur probatica a
probaton hebraice, quod eſt ovis latine, & ſigni-
ficat pœnitentiam, in qua lavantur a ſordibus
ſpiritualibus animarum oves Chriſti. Quinque por-
ticus circa ea ſunt quinque ſenſus principia pec-
catorum. In his jacet, qui infirmus eſt per pec-
catum quieſcens in hujuſmodi ſenſationibus, & quæ
ſequuntur ex eis. Ex his oportet exire, qui vult
ſanari & intrare in piſcinam pœnitentiæ; & hoc
poſt motionem aquæ ab Angelo, ideſt poſt prædi- D
catoris vel ſacerdotis admonitionem, vel Angeli
inſtigationem, aut Dei inſpirationem; virtute au-
tem crucis, quæ ibi dicitur fuiſſe tunc abſcondi-
ta, ſanatur unus tantum, ideſt qui in unitate fi-
dei & caritatis pœnitentiam agit, & qui prior,
ideſt qui habet ſollicitudinem, ideſt diligentiam ad
hoc. Hi etiam figurantur per quinque reges in ter-
ra promiſſionis, quos cruci affigi præcepit Joſue.
Hi enim ſenſus uſurpant ſibi dominium ſuper ani-
mam; ſed Chriſtus Jeſus jubet cruce modeſtiæ &
auſteritatis mortificari, ut exponit Origenes ſuper
Pentat. Unde Chriſtus, Lucæ 14. *Qui non accipit crucem ſuam* &c.

§. II. In porticu ergo viſus jacet *multitudo languentium* ſpiritualiter multipliciter, quia ſicut no- E
bilior ſenſus, ita periculoſior. Et præcipue

Ex lepra laſciviæ,
Ex hydropiſi avaritiæ,
Ex cæcitate invidentiæ.

Viſus inducit laſciviam.

Viſus, ſi non refrænatur, multum inducit ad laſciviam & luxuriam. Unde Thren. 3. dicitur: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* In hujus exemplum & figuram Dyna, quæ & egreſſa eſt de domo, ut videret mulieres &c. rapta & violata eſt a Sychen. Gen. 34. Unde Auguſtinus: *Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos*, 32. quæſt. 5. can. *Nec ſolo*. Quintilianus: Oculi ſunt tota luxuria noſtra, hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant. Narrat ideo quoſdam philoſophos, ut totam cogitationem ad mentis puritatem cogerent, ſibi oculos eruiſe. Et quamvis non benefecerint, tamen cognoverunt quantum malum ſequatur ex uſu inordinato viſus. Quod enim Chriſtus ait, Matth. 18. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum* &c. non intelligitur de materiali extractione, quod prohibetur, ſed de ſpirituali; videlicet quod ſi aſpectus alicujus rei inducit hominem ad ruinam, puta fornicationem, debet ſubtrahere non oculum, ſed actum, ideſt non aſpicere. Moraliter autem oculus dexter eſt ſtatus ſpeculativus & contemplativus, quem ſi quis videt inducere ad ruinam, vel propter dubia fidei vel ſuperbiam & hujuſmodi abutendo, debet B dimittere & tradere ſe activis.

Infirmatur quis ex viſu hydropiſi avaritiæ: ſicut enim hydropicus non poteſt ſatiari potu, ſic nec cupidus pecunia: Eccleſ. 14. *Inſatiabilis eſt oculus cupidi in parte iniquitatis: non ſatiabitur, donec conſummat arefaciens animam ſuam*: pſal. 38. *Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus*, ſcilicet cupidi, ideſt tu Deus permiſiſti deficere & conſummi. Sicut aranea ſe eviſcerat faciendo telas ad capiendas muſcas, ita avarus ad excogitandas malitias & fraudes. Aſpectus ergo rerum inducit cupiditatem earum, ſicut Achan videns regulam auream & chlamydem coccineam furatus eſt eam, Joſue cap. 7.

Adauget viſus invidiam: videns enim aliquis C
proſperitatem & excellentiam alterius, cui non
afficitur, affligitur, invidet, videre non poteſt:
Eccleſ. 14. *Nequam eſt oculus invidi, & avertens faciem deſpicit animam ſuam.* Unde ſalvator in
parabola vineæ dixit uni ex murmurantibus: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Matth.
20. Sic filii Jacob *videntes, quod Joſeph a patre plus aliis amaretur*, invidebant ei, & propter hoc
vendiderunt Iſmahelitis, Gen. 37.

§. III. In porticu auditus jacet alia multitudo infirmorum ſpiritualiter, & præcipue inducit

Quæ per auditum fiunt mala.

Iracundiæ feritatem,
Erroris falſitatem,
Mentis vanitatem.

Quum quis enim audit, quæ ſibi non placent, D
turbatur. Unde Phariſæi, auditis verbis Chriſti,
ſcandalizati ſunt, injuſte tamen, Matth. 15. He-
rodes audiens de nativitate novi regis turbatus eſt.
Matthæi 2. Unde & Chilo unus de ſeptem ſapien-
tibus mundi: Ne maledicas, inquit, proximis: au-
dies enim unde & tu triſteris: pſal. 119. *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua doloſa*, ne ſcilicet audiam ea, & ex hoc, ut
ex contumeliis & hujuſmodi iraſcar.

Auditus quum indifferenter adhibetur, inducit multos errores, dum ſcilicet creditur, quod auditur, & dicuntur partialitatum diſſeminatores vel detractores: 2. Thim. 4. *Sanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent; ad fabulas autem convertentur*: Iſai. 30. *Loquimini nobis placentia, & audiemus* &c. Eva, quia audivit ſerpentem loquentem injuriam Dei, faciliter credidit & ruit. *Non ſolum reus eſt, qui falſum de alio profert, ſed etiam is, qui aurem cito criminibus præbet*, 11. quæſt. 3. *Non ſolum*.

Inducit vanitatem, quia quum quis laudari ſe audit, inde ſuperbit vel gloriatur: ſicut Herodes Agrippa, quia libenter audiebat a populo laudes Dei ſibi dari, percuſſus ab Angelo fuit, ita ut ſcaturiret corpus ejus vermibus, Act. 12. Audiendo etiam otioſa & inutilia, mens efficitur vana & indevota tempore orationis & curioſa. Unde de Athenienſibus curioſis dicitur, quod

ad

ad nihil aliud vacabant, niſi ut audirent vel dicerent aliquid novi.

Quæ mala fiunt per odoratum.

§. IV. In porticu odoratus multitudo magna jacet infirmantium ſpiritualiter per diverſa peccata.

Invenitur in eo crudelitas,

Exercetur multa guloſitas,

Procuratur carnalis ſuavitas.

Pſal. 87. *Longe feciſti*, ideſt, permiſiſti fieri, *notos meos a me; poſuerunt me abominationem ſibi*, ſcilicet propter infirmitatem paſſionis. Martha etiam dixit Chriſto, quando juſſit tolli lapidem a monumento: *Domine, jam fœtet: quadriduanus enim eſt*, Joann. 11. Et ſic videbatur crudelis germano reſuſcitando, ne naribus ſentiret fœtorem. Multi propter hoc abominantur pauperes, & crudeles ſunt propter ſudores & fœtores eorum, nec B viſitant infirmos, incarceratos, mortuos, nec recipiunt peregrinos, ſicut dives Lazarum in domo noluit recipere ulceroſum, qui *ſepultus eſt in inferno*, & propter hujuſmodi crudelitatem dicetur multis: *Ite maledicti* &c.

Multi quærunt ſentire varios odores, & ex his inardeſcit vitium gulæ. Dicit Hieronymus quod vultur & aquila odorant tranſmarina cadavera, & ad hujuſmodi eſcam congregantur diu volando; ſic guloſi ſentientes odorem alicujus cibi multum diſcurrunt, & laborant ad illum habendum quantumcumque etiam eſſet immundum & nocivum. Unde & Joſephus narrat in libro de bello Judaico, quod Hieroſolyma obſeſſa a Tito filio Veſpaſiano, quidam ſentientes odorem carnis aſſatæ, qui diſcurrebant per civitatem, intraverunt C domum viduæ, & invenerunt filium ejus præ fame aſſatum, & jam in parte comeſtum. Et in figuram prædicta animalia, ſcilicet vultur & aquila, quæ odorem ſequuntur, & comedunt cadavera, immunda declarantur.

Quæritur a multis odor propter ipſam delectationem talis ſenſus, & ſi fieret ad confortandum cor in infirmitate, non eſſet malum, juxta illud: *Unguento, & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici conſiliis anima dulcoratur*, Proverb. 27. Sed quum ſit ad voluptatem & vanitatem, ut aliis redoleat, multum diſplicet Deo, & contra hujuſmodi dicit cominando Dominus per Iſai. cap. 3. *Erit pro ſuavi odore fœtor, pro zona funiculus, pro criſpanti crine calvitium*, &c. Et D ibi etiam reprehenduntur olfactoriola.

Guſtus inducit plura mala.

§. V. In porticu guſtus jacet aliqua multitudo languentium ſpiritualiter; nam inducit plura mala per abuſum rationis. Eſt enim obfuſcativus, ariditatis inductivus, vitæ utriuſque deſtructivus: Jobi 6. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei facta ſunt*, ideſt quæ prius ſecundum judicium rationis diſpoſueram non ſumere cibaria guſtando, cum anguſtia & remorſu conſcientiæ indifferenter ſumit etiam ad voluptatem. Guſtus enim quum delectat ſenſualitatem, obfuſcat rationem, ut quaſi videatur recte facere, quæ ex gulæ ſumit appetitu. Gregorius in Moralibus: In ipſo eſu dum furtim gula ſurrepit, edenti delectatio permiſcetur. Unde plerumque contingit, ut refectionem corporis, quam ſalutis cauſſa cepimus, cauſſa voluptatis expleamus. Exemplum in Noe & Loth guſtu dulcedinis vini ebriis factis.

Eſt ariditatis mentalis inductivus. Sicut enim guſtata ſuavitate ſpiritus, deſipit omnis caro ſecundum Bernardum; ita econverſo guſtata ſuavitate cibi ex gula, deſipiunt ſpiritualia?, pſal. 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima illorum*: Unde dicebant Num. 21. *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo*, ſcilicet mannæ, quod ſignat ſpiritualia.

Deſtruit vitam corporalem & ſpiritualem guſtus immoderate uſus: Eccleſiaſtici 37. *Propter crapulam multi perierunt*, mente & corpore. Hinc & Chryſoſtomus: *Exceſſus ciborum conſumit, & putrefacit corpus humanum, & ægritudine diuturna macerat, & tunc demum morte crudeli conſumit, De conſecr.* Diſt. 5. *Nihil*. Ad idem Innocentius in libro de miſeria hominis dicit: Tam eſt brevis gulæ voluptas, ut ſpatio loci vix ſit quattuor digitorum; ſpatio temporis vix ſit quattuor momentorum. Et dum aviditas neſcit modum, & voracitas excedit menſuram, gravatur ſtomachus, turbantur ſenſus corporis, quaſi equi ſine ratione currentes; animæ vero aurigæ non retinent frena &c. Loquitur ibi de guſtu: tam multa animalia capiuntur ad mortem per guſtum, ut piſces hamo adeſcato, aves, mures & hujuſmodi.

Per tactŭ fiunt triplicia mala.

§. VI. In porticu tactus multitudo etiam jacet infirmorum. Et licet ſit hic ſenſus per totum corpus, præcipue viget tamen in manibus.

Eſt luxuriæ perpetrativus.

Eſt injuriæ illativus.

Eſt ſubſtantiæ ablativus.

Levit. 5. *Anima, quæ tetigerit aliquid immundum.... rea eſt. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea:* Eccleſiaſtici 13. *Qui ingreditur ad uxorem proximi ſui, non erit mundus, quum tetigerit eam*: 1. Corinth. 7. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*. Eſt autem valde periculoſus omnis tactus ex libidine, & mortiferus extra matrimonium.

Per manus etiam, in quibus maxime viget tactus, læditur proximus verberando, vulnerando, occidendo, & hujuſmodi. Unde Dominus per pſal. 104. *Nolite tangere Chriſtos meos*, ideſt inunctos. Omnes Chriſticolæ ſunt in baptiſmo & confirmatione inuncti, præcipue tamen ſacerdotes: Zach. 2. *Qui vos tetigerit*, ſcilicet injuriando, *tangit pupillam oculi mei*. Unde quædam mulier pediſſequa imperatricis Arrianæ, quia tetigit Ambroſium per veſtem temere dicens, ut deſcenderet de ſede ſua, quam citiſſime mortua eſt.

Per manus autem fiunt furta, rapinæ, & multa mala opera inutilia; unde Iſai. 1. dicitur: *Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine*: Iſai. 52. *Recedite, & inde exite, pollutum nolite tangere*, ideſt faciendo aliquid illicitum. Si quis ergo aliqua harum infirmitatum gravatur, deſcendat in piſcinam pœnitentiæ, & virtute crucis ſalvabitur. Unde in figuram Chriſtus in cruce quinque vulnera ſuſtinuit magna, ſcilicet in manibus & pedibus & latere, ut ſcilicet vulnera noſtra, quæ contraximus ex quinque ſenſibus, ſanaret, & ipſos ſenſus exemplo & meditatione cruce mortificemus. Ad Galat. 5. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Propterea animæ dicitur Cant. 2. *Veni columba mea in foraminibus petræ* per meditationem plagarum manuum & pedum, *in caverna macerie*, ideſt, plaga lateris.

De cuſtodia ſenſuum, & de ſenſibus ſpiritualibus.

§. VII. De quinque ſenſibus ſpiritualibus, quibus E ſentitur Deus, dum quis bene cuſtodit ſenſus exteriores. Pro cujus declaratione ſciendum, quod anima noſtra figuratur per Hieroſolymam ſecundum doctores: *Dedi te*, ait Dominus Hierem. 1. *in civitatem munitam: te*, ideſt animam tuam. Ad munitionem civitatis ultra arma virtutum & victualia ſacrorum eloquiorum, quibus anima paſcitur, requiritur & cuſtodia diligens portarum. Unde Dominus Deuteron. 4. *Cuſtodi temetipſum*, quantum ſcilicet ad ſenſus exteriores, *& animam tuam*, ſcilicet quantum ad cogitationes interiores, *ſollicite*. *Mors* enim, inquit propheta Hier. 9. *ingreſſa eſt per feneſtras noſtras*. Nec ſufficeret cuſtodia propria, niſi adjungatur gratiæ Dei cuſto-

cuſtodia ; quod Pſalmiſta intelligens orabat dicens, pſal. 120. *Cuſtodiat animam tuam Dominus ; Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum*, ideſt ſenſationes exteriores, quibus ſimilitudines rerum ingrediuntur ad animam : *& exitum*, ideſt, interiores affectiones, quibus anima quaſi egreditur ad appetitum rerum : Matth. 15. *Ex corde enim exeunt cogitationes malæ* &c. Dicitur autem Hieroſolyma fuiſſe ſex portis munita, ut elici poteſt ex libro Nehemiæ, quæ ſignant ſex portas animæ, ſcilicet ſenſuum. Nam quum in lingua & palato non ſolum ſit guſtus, ſed etiam locutio, per quam multa & bona & mala ingrediuntur ad animam ; ideo ipſa loquela ponatur pro ſexta porta.

Prima igitur porta Hieruſalem dicebatur porta fontis Siloe, quia prope ibi erat fons Siloe, ubi illuminatus eſt cæcus, Joann. 9. Et ſignat viſum. Cuſtodienda eſt continue porta oculorum, ſicut faciebat Job dicens 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Averte oculos meos*, ait pſ. 118. *ne videant vanitatem*, ſcilicet mulierum, ſicut videns Berſabeam concupivit. Clauſo autem iſto oſtio, orat quis vere patrem ſuum in abſcondito, Matth. 6. ut dicere valeat cum Jacob Geneſ. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea*. Aperitur enim tunc oculus mentis per contemplationem. Sic Saullus quum cæcatus fuit exterius, tunc Jeſum videbat, dicit Auguſtinus, quando cetera non videbat; ideo ſancti communiter clauſis ſenſibus habent viſiones Dei.

Secunda porta Hieruſalem dicebatur porta vallis, quia in valle erat, vel in vallem ducebat. Et ſignat portam diſciplinæ, ideſt auditus, qui deſervit acquiſitioni doctrinæ ; in valle tamen humilationis, humiliter ſcilicet ſuſcipiendo doctrinam. Et hæc cuſtodienda eſt non audiendo detractationes vel nociva alia ; ſicut Eva audivit ſerpentem in Dei injuriam. Unde Eccleſiaſt. 28 *Sepi aures tuas ſpinis* ; hoc clauſo carnis oſtio, aperitur oſtium ſpiritus, auditus animæ, quo intelliguntur divinæ locutiones & inſpirationes : pſal. 84. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Can. 5. *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt*, ideſt omni tarditate & frigiditate depoſita ſecuta eſt divinas inſpirationes cum magno deſiderio : pſal. 17. *In auditu auris obedivit mihi*, ut Abraham in omnibus.

Tertia dicebatur ſterquilinii porta, quia per eam ſtercora ejiciebantur, & ſignat nares, in quibus eſt odoratus, unde egrediuntur immunditiæ cerebri, & ſentiuntur fœtores. Et hæc claudenda eſt rebus mundanis. Non enim Deus floribus & aromatibus odorem dedit ad utendum voluptuoſe, ſed neceſſarie, & ut ex hoc aſſurgamus ad bonitatem ejus cognoſcendam. Sentitur autem odor ſpiritualis ab eo, qui ſenſus mortificat in veritate per odoratum ſpiritus, qui eſt diſcretio boni & mali, ſicut inter odorem & fœtorem. Nam ſpiritualia confortant, vitia conturbant. *Naſus tuus*, dicitur de anima Cant. 7. *ſicut turris*, ideſt diſcretio, quæ eſt ita alta, ut a longe cognoſcat occultas inſidias vitiorum, & Can. 1. *In odorem unguentorum tuorum currimus*, inquit anima ad ſponſum ſuum Chriſtum, ideſt, in ſuavitate exemplorum tuæ vitæ.

Quarta erat porta vetus, quæ ſic dicebatur quaſi a principio facta & prior aliis. Et ſignat guſtum, qui a principio fuit regulatus prius aliis, dum prohibitus fuit guſtus arboris ſcientiæ boni & mali, & aliorum conceſſus. Hunc oportet cuſtodire, quia *qui cuſtodit os ſuum*, Prover. 21. ſcilicet a guſtando ſecundum rationem, & non ſecundum ſenſualitatem, *cuſtodit animam ſuam ab anguſtiis*, & tunc guſtatur per interA nam delectationem & gaudium ; unde pſal. 33. *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*. Dulcis eſt Deus in oratione, dulcior in mortificatione, dulciſſimus in contemplatione, ait Baſilius.

Quinta erat porta piſcium, quia inde apportabantur piſces, & ſignat tactum ; quia ſicut piſcis gaudet in aqua, ita tactus in mollicie. Hunc oportet claudere, non ſolum a venereis actibus, tactibus, & hujuſmodi, ſed etiam ab omnibus illicitis : Iſai. 33. Beatus, qui *excutit manus ſuas ab omni munere*, ſcilicet a lingua, ab obſequio, & pecunia, 1. quæſt. 1. *Sunt non nulli*. In manibus præcipue eſt tactus. Quidam contactus ſpiritualis & amplexus eſt animæ ad ipſum Deum per ſincerum & fervidum affectum. Unde anima Can. 2. *Dextera illius amplexabitur me*. Et de muliere ſanata ex contactu fimbriæ veſtimentorum Chriſti dixit ipſe : *Tetigit me aliquis*, Matthæi 9. Marc. 5. Luc. 8. tetigerat ipſa per devotam affectionem : tangit etiam ejus veſtimenta, qui eum imitatur. *Amplexus ſpiritualis animæ.*

Sexta porta dicebatur porta gregis, quia ibi accubabant pecudes ; & ſignat portam locutionis, unde multæ locutiones beſtiales quieſcunt & vitia. Quum ergo cuſtodiuntur bene hæ portæ Hieruſalem, intrat Jeſus in ipſam per ſenſus ſpirituales, ſcilicet viſum contemplationis, auditum exſecutionis divinarum inſpirationum, odoratum diſcretionis & ſanctæ imitationis, guſtum dulcis exſultationis, tactum ferventis dilectionis, os divinæ laudationis. Et in ipſo ingreſſu mirantur interiores potentiæ ſeu affectus. In cujus figuram dicitur Matth. 21. *Quum introiſſet Jeſus Hieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens : Quis eſt hic ?* Sed quum male cuſtodiuntur ſenſus, ejicitur Chriſtus ſeu egreditur, juxta illud : *Egreſſus eſt Jeſus* &c. & tunc intrat diabolus. Unde Hieronymus : *Si ſuſceperimus Chriſtum in hoſpitio pectoris noſtri, illico fugamus diabolum. Et ſi peccaverimus, & per peccati januam ingreſſus fuerit diabolus, protinus recedit Chriſtus*, De pœnit. Diſt. 2. *Si enim inquit*.

CAPUT IV.

De locutione & multiplici vitio ejus.

QUia membrum linguæ deſervit non ſolum ſenſui guſtus, ſed etiam locutioni ; ideo nunc agendum eſt de locutione. Et de hac dicit Sapiens, quod *mors & vita*, ſcilicet animæ & corporis, *in manibus linguæ* ſunt, ideſt in poteſtate, ſeu uſu locutionis, Prov. 18. Nam ſi quis male utatur, inde mors ei ſequitur animæ, ſicut patet in Petro, quum ore Chriſtum negavit, qui ex hoc mortem animæ incurrit. Et in quodam de populo Judæorum, qui in deſerto Chriſtum blaſphemavit lingua ſua, & ob hoc lapidatus eſt. Vita autem ex lingua procedit animæ & corporis, ſi quis bene utatur ; quod patet in publicano, qui dicit : *Deus propitius eſto mihi peccatori*, cum humilitate, juſtificatus eſt, & Chriſto dicente verbo : *Lazare, veni foras*, coram omnibus vivificatus eſt. Primo igitur oſtenditur quomodo bene quis ea uti debet. Secundo quomodo quis male utatur, & quot mala inde proveniant. Et pro primo ſumatur ad declarationem hujus verbum pſalmi 144. dicentis : *Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto ejus in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.* Ubi notantur tria genera locutionum bonarum.

Joann. 18, *Levit.* 14, *Luc.* 18. *Joann.* 11.

Prima ſecundum naturam, ibi : *Laudationem Domini*.

Secun-

Secunda ſecundum gratiam, ibi: *Et benedicat omnis caro.*

Tertia ſecundum gloriam, ibi: *Et in ſæculum ſæculi.*

De locutione naturali.

§. I. Quantum ad primum eſt conſiderandum, quod inter omnia animalia ſolum homini conceſſa eſt loquela naturaliter. Nam etſi aſina Balaam aliquando locuta eſt, illud fuit per ſpeciale miraculum, non per naturam, ſed neque verba ſua ipſa intellexit, Num. 22. Ex quo igitur creaturæ rationali eſt conceſſa lingua loquax, rationabiliter ea uti debet, non beſtialiter. Et hoc etiam oſtendit ipſa diſpoſitio naturalis oris & linguæ. Et hoc eſt, quod dicit pſal. 144. *Laudationem Domini loquetur os meum*, ideſt diſpoſitio oris mei bene conſiderata, docebit me recte loqui ſecundum rationem, & ſic conſequenter Deum laudare. Unde & de quodam muto a Chriſto ſanato dicitur, quod *loquebatur recte*, Mar. 7. Et de quodam alio, quod *locutus eſt mutus*, Lucæ 11. Circa diſpoſitionem autem oris & linguæ quattuor conſiderabimus, videlicet ejus finalem cauſſam, materiam, formam, & circumſtantiam.

Quare data ſit homini lingua.

Quantum ad primum, cauſſa finalis propter quam linguæ noſtræ data eſt locutio, eſt ut homo per eam manifeſtet cor ſuum & cogitationes ſecretas, quæ alias ab homine ſciri non poſſent. Unde dicit philoſophus, quod ea, quæ ſunt in voce, ſunt notæ earum, quæ ſunt in anima, paſſionum. Hoc ergo eſt primum, quod docet te naturaliter os tuum ſeu lingua, ut ſcilicet loquaris, quæ habes in corde, & non contrarium. Caveas, ne lingua tua ſit ſerpentina, quæ triſulcata ſeu triplex dicitur, non quod habeat tres linguas, ſed quia ita velociter movet, ut videatur habere tres linguas. Hac triplici lingua uſus eſt antiquus ſerpens, quum locutus eſt primæ mulieri. Nam & falſum dixit, & decipere intendebat, & verbum ſuum colore veritatis & utilitatis operuit. Ne igitur ei ſimilis fias, vide, ne falſum loquaris, ne per mendacium decipere intendas. Nec duplici aut ſophiſtico utaris ſermone, ſed ſicut unam linguam tantum, non duas, dedit tibi Dominus ad manifeſtandum interiorem conceptum, ita vera & ſimpliciter loquaris. Nam de loquentibus doloſe dicit Pſalmiſta pſal. 5. *Linguis ſuis doloſe agebant: judica illos, Deus*, ideſt condemna.

De materia ipſius linguæ.

Quantum ad ſecundum, videlicet materiam linguæ, nota, quod ipſa lingua eſt carnea, non oſſea, & inde multum ductilis & volubilis hinc inde per os, ut ex hoc intelligas te in locutione tua non eſſe durum & pertinacem, ſed ductilem ad retractandum, ſi quid male dixiſti, ad petendum veniam, ſi alium offendiſti, & non protervum & durum ad defendendum tuam opinionem. Unde & Auguſtinus dicit: *Magnæ ſapientiæ eſt, hominem revocare, quod male locutus eſt*, 22. quæſt. 4. Eſt enim ipſa lingua mollis & delicata, non aſpera; & hoc te docet, ut locutio tua ſit benigna, humana, non aſpera & dura. Unde dicit Sponſus de ſua, ſcilicet anima, in Cant. 4. *Mel & lac ſub lingua tua. Mel*, ſcilicet ſuavis locutionis, & *lac* refrigerationis. Et hoc, niſi oporteat aliquando aſpere loqui in correptione ſubditorum; unde Apoſtolus ad Tit. 1. *Increpa eos dure*. Eſt ipſa lingua quaſi ſemper madefacta & mollis, & hoc vel ex ſaliva procedente a ſtomacho, vel a phlegmate a capite deſcendente, vel putredine in pectore congregata; ad ſignificandum, quod locutio tua debet eſſe, vel de verbis divinis tamquam ex cibis ſpiritualibus acceptis ex ſacra Scriptura & retentis in ſtomacho memoriæ, vel de opprobriis & paſſionibus Chriſti, qui eſt caput noſtrum, vel de peccatis tuis propriis tamquam ſalivæ in pectore voluntatis aggregatis, juxta illud Proverbiorum 18: *Juſtus prior accuſator eſt ſui*; quod etiam faciebat Apoſtolus dicens 1. ad Timot. 1. *Qui prius fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus.*

De forma lingua.

Quantum ad tertium, ſcilicet formam, notandum, quod lingua eſt longa & lata & groſſa, ſed magis longa quam lata, & magis lata quam groſſa, ut intelligas, quod recte potes loqui vel de longitudine perſeverantiæ in bono, vel de latitudine mutationis ſtatus ſpiritualis, vel de ſubtilitate ſcientiæ divinæ vel humanæ: iſtud ultimum non frequenter exercendum, etſi bonum ſit; ſed ut dicitur Jacobi 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo.* Potius lingua in ſe ſubtilis eſt ingroſſanda, ſicut naturaliter fit, quando linguam quis retorquet, ſicut faciebat Apoſtolus 1. ad Corinth. 3. dicens: [1] *Non potui vobis loqui ſpiritualia, ſed carnalia*, ideſt groſſa & materialia: *tamquam parvulis in Chriſto lac potum vobis dedi.* De mutatione autem ſtatus hominis non de facili loquendum, niſi quum quis intelligit, vocationem a Deo eſſe, ſed ad perſeverandum in bono permaxime debet eſſe locutio, ſicut Apoſtolus faciebat 1. Corinth. 7. *Unuſquiſque in ea vocatione, in qua vocatus eſt, permaneat.*

Lingua quare claudatur per dentes & per labia.

Eſt etiam attendendum, quod lingua deſuper eſt longior quam ſubtus, ubi quodammodo ligata eſt, non autem ex parte ſuperiori; ad innuendum, quod locutio de inferioribus ſive terrenis debet eſſe brevis, de ſupernis vero prolixa, quod ſervavit peroptime Virgo glorioſiſſima breviſſime loquens de terrenis etiam neceſſariis. Ut illud Joann. 2. *Vinum non habent*; ſed copioſe de divinis, ut illud, *Magnificat* &c. Luc. 1.

De circumſtantibus linguam.

Quantum ad quartum, ſcilicet circumſtantiam, conſidera diligenter quot muris ſit circumquaque lingua clauſa & circumdata, ut hinc elicias, non de facili & indifferenter eſſe loquendum; non tamen ex omni parte clauſa eſt, ſed habet aperturam oris, etſi cum clauſura dentium vel labiorum, quia etiam reprehenſibile eſſet ſemper tacere: propter quod dicit Iſaias 6. *Væ mihi, quia tacui*, ſed prius frangenda ſunt verba dentibus examinationis; & hoc eſt, quod dicit Calixtus papa: *Ponderet unuſquiſque ſermones ſuos, & quod ſibi non vult loqui, alteri ne loquatur*, Diſt. 50. can. *Ponderet*. Poſita eſt etiam lingua in ore tamquam in quodam furno igneo, quia totum eſt rubeum, & ſub oculis & naribus, ut ſcias locutionem eſſe debere caritativam & diſcretam. Unde Apoſtolus Col. 4. *Sermo veſter ſit ſale conditus*, & ut videat quis quibus loquatur; & ſic *laudationem Domini loquetur os meum* iſtis obſervatis: quum enim quis ſic bene loquitur, Deum laudat exemplo Pſalmiſtæ.

De locutione benedictionis Dei in terra.

§. II. Secundo ex auctoritate Pſalmiſtæ innuitur locutio ſecundum gratiam, quum dicit: *Et benedicat omnis caro nomini ſancto ejus: omnis caro*, ideſt omnis homo. *Omnis* etiam *caro* dici poteſt omne animal: & non ſolum omne animal, ſed & omnis creatura benedicit Deo modo ſuo. Ad quod etiam faciendum invitabant tres pueri, Ananias, Azarias, & Miſael, omnem creaturam in fornace ignis poſiti, ſed ſine læſione, dicentes: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, Dan. 3.

Quadruplex verbum benedictionis

Quadruplici autem verbo *omnis caro* & omnis creatura benedicit Deum, & ſuo exemplo nos omnem carnem, ideſt omnem hominem ad benedicendum inducit.

Et primum verbum eſt, *Regratiemus.*

Se-

[1] In Vulgata legitur: *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus.*

Secundum, *Faciamus*.
Tertium, *Proficiamus*.
Quartum, *Nos non sumus, vel non stamus*.

Gratiarum actione.

Quantum ad primum regratiatur quis suum benefactorem, quando & ipsum laudat, & de eo quod concessit, quietatur, non aliud quærens, etiam quum ei servit; sic *omnis caro* & creatura quæcumque Deum benedicit & regratiatur. Laudat enim ex sua virtute & pulchritudine creatura suum creatorem, sicut vulgariter dicitur, quod opus laudat factorem; secundum quem intellectum dicebat psal. 68. *Laudent eum cæli & terra, mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Contentantur autem singula ita de esse suo & sua conditione, quod non desiderant, nec quærunt in alia transmutari. Et id, quod Deus imposuit, in hoc ei indefectibiliter serviunt & obediunt, juxta illud psal. 148. *Præceptum posuit*, scilicet eis, *& non præteribit*. Ex quo igitur omnis creatura benedicit Deo regratiando, erubescat miser homo non regratiari Deo, qui super omnes exaltatus est ab eo. O quanta ingratitudo reperitur in homine, qui nec Deum laudat, nec Deo regratiatur eum laudando, nec contentatur de statu suo, tamquam minus debito receperit a Deo suo vilificans beneficium receptum, nec observans ejus præceptum! Exemplo igitur universæ creaturæ regratietur ore, ex quo locutio ei concessa est, nomini sancto Dei in sæculum, juxta illud, quod ait Apostolus, 1. Thessal. 5. *In omnibus gratias agite*.

Actione.

Secundum verbum creaturæ est *faciamus*; nulla enim creatura reperitur otiosa, sicut nulla reperitur absque forma substantiali: forma enim, quæ dat esse rei, dat ei & operari. Unde & commentator dicit, quod qui aufert operationes a rebus, aufert essentias rerum. Facit autem unaquæque semper, quod sibi congruit; sed & *hominem*, qui primus creatus est, *posuit in paradiso voluptatis*, ut operaretur, Gen. 2. Sed natura vitiata per peccatum, ita iners & otiosa effecta est, ut majorem temporis partem sibi concessi ad operandum amittat, semper tempus exspectans ad operandum ex desidia. Unde psal. 118. *Tempus faciendi, Domine*, idest propter tempus, quod exspectant faciendi, *dissipaverunt*, scilicet homines, *legem tuam* non faciendo, quod debent. Quum igitur *omnis caro*, seu creatura benedicat Dominum operando, quod sibi convenit, & in hoc ostendit virtutem suam; nam terra fructificat, cælum illuminat, aquæ purgant, aer adjuvat diversis modis: benedicat & homo Deum suum & ore bene loquendo, & opere faciendo quod dicit.

Proficiendo.

Tertium verbum est *proficiamus*. Nascitur enim omne animal parvum, sed paullatim crescit, quousque perveniat ad debitam staturam seu magnitudinem. Sic etiam plantæ quærunt & sui conservationem: nam omne animal (ut dicit Boetius & Cicero in 1. off.) vitam tueri laborat, ut patet ad sensum. Sic & homo quærat non solum sui conservationem in esse spirituali, per locutionem confitendo peccata sua, & inquirendo ea, quæ conferunt ad salutem, sed etiam & proficiat de die in diem. Sicut ex valde parvo, quum nascitur corporaliter, crescit in magnum; ita & spiritualiter cum Apostolo ad Philipp. 3. *quæ retro sum oblitus, ad bravium* sequatur *supernæ vocationis in anteriora se extendens*.

Dicendo: Nos sumus.

Quartum verbum creaturæ est *nos non sumus*. *Ex nihilo* enim *fecit ea Deus, & hominum genus*, ut dicitur 2. Mach. 7. Et sicut ex nihilo sunt, ad nihilum tendunt, & ex sua continua mutabilitate se non esse ostendunt: solus Deus vere, est qui immutabilis est. Humilietur igitur *omnis caro*, idest omnis homo, & mentali verbo & vocali fatendo se nihil esse ex se, sed totum ex Deo dependere. Quod intellexit glorioſus Baptista, quum interrogatus quid esset, respondit se vocem esse, Joann. 1. Vox autem eo ipso, quo profertur, adnihilatur. Non ergo se homo benedicat, aliquid de se æstimando, quum nihil sit; sed *benedicat nomini sancto Dei*, a quo est, & qui semper est, *in sæculum*, idest in vita præsenti.

De locutione gloriæ.

§. III. Quantum ad tertium principale est sciendum, quod locutio gloriæ erit dissimilis a locutione vitæ præsentis; propter quod dicit Apostolus 1. ad Cor. 13. *Linguæ cessabunt*, scilicet cujusmodi hic sunt, quia nec erit ibi varietas idiomatum, nec multiplicitas docentium, nec modus iste verborum, quum ibi non sit aer, ex cujus repercussione formamus locutiones. Erit tamen ibi locutio in tali statu, qui appellatur *sæculum sæculi*, idest sæculum futurum sequens ad præsens. Et sæculum quidem dicitur ætas 60. annorum, qui est numerus signans quietem & omnimodam libertatem. Et hic est status patriæ, ad quem pervenitur ex prima & secunda locutione prædicta.

Quadruplex locutio beatorum.

Ibi autem est quadruplex locutio benedicta. Prima est admirationis & reverentiæ, quam dicunt sancti cum Angelis mente: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth*, Isaiæ 6. Secunda est appetitionis resurgentiæ. Clamant enim animæ interfectorum propter Deum dicentes, Apoc. 6. *Usquequo, Domine sanctus & verus, non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum?* In qua locutione, ut dicit Gregorius in moralibus, non est credendum eos vindictam petere de inimicis suis, quum sint in perfectissima caritate; sed locutio illa est affectus intensus, quem habent de finali judicio, & consequenter suorum corporum rehabitione; quod tamen desiderium quietatur, & ex magnitudine gloriæ animæ, quam jam receperunt, & ex certitudine rehabitionis ipsorum corporum tempore Deo beneplacito, & multiplicatione salvandorum, quæ interim procuratur. Unde ibidem dicitur, quod *datæ sunt illis singulæ stolæ albæ*, idest gloria animarum, *& dictum est illis, quod quiescerent adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum eorum*. Tertia est manifestatio cogitationis, seu cognitionis occultæ. Manifestat enim Angelus vel sanctus alter alteri suos conceptus, prout vult. Et sic dicuntur ad invicem loqui, sicut in libro Zachariæ legitur. Quarta locutio est recognitionis beneficentiæ, de qua dicitur Apoc. 7. quod seniores ante thronum Dei & Agni tollentes coronas de capitibus suis, ponebant ad pedes ejus dicentes: *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum*, idest de his bonis nobis collatis gratias tibi agimus. Et nunc quidem tantum mente gratias agunt & benedicunt; resuscitatis vero corporibus suis, credendum est, quod etiam ore laudabunt. Unde & Tobias dicit cap. 13. de superna Hierusalem: *Per omnes vicos ejus cantabitur alleluja*, quod interpretatur *laudate Dominum omnes*: & Isaiæ 51. dicitur de ipsa superna Hierusalem, quod *gaudium & lætitia invenietur in ea, gaudium* scilicet, quoad corpus, *lætitia*, quoad animam, *actio gratiarum, & vox laudis*. Dicitur autem a quibusdam, quod locutio illa corporalis, quæ insensibilis erit & suavissima, ad unum idioma reducetur, quod primum fuit in mundo; & hoc idioma Judæi dicunt fuisse hebraicum, quamvis certitudinaliter sciri non possit. Nec ibi opus erit docente, quia ut dicit Dominus per Hierem. *Omnes scient me a majori usque ad minimum*. Ut ergo valeat quis pervenire ad hanc locutionem jucundissimam & perfectissimam, utatur bene in præsenti lingua naturæ & gratiæ; & sic *ex verbis justificaberis*, ait Salvator Matth. 12.

Angeli quomodo dicuntur ad invicem loqui.

De malo usu linguæ.

§. IV. Quantum ad malum usum linguæ, unde mors sequitur corporis & animæ, propter quod dicit Salomon Proverb. 15. *Lingua immoderata conteret spiritum:* psal. 140. *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Ne declines cor meum in verba malitiæ*, ubi tria possunt notari.

Difficultatio rectæ locutionis, ibi: *Pone, Domine.*

Observatio debitæ discretionis, ibi: *Et ostium circumstantiæ.*

Multiplicatio malignæ infectionis, ibi: *Ne declines.*

Difficultas linguæ custodiendæ.

Quantum ad primum nota, quod maxima difficultas est linguam custodire, ne erret; propter quod dicit Jacobus in can. sua cap. 3. *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir:* & infra eodem capitulo dicit: *Omnis natura bestiarum, serpentum, volucrum, & ceterorum domantur, & domita sunt a natura humana; linguam vero nullus hominum domare potest, inquietum malum, & plena mortifero veneno.* Et propterea Spiritus sanctus super discipulos apparuit in specie linguarum, ut habetur Act. 2. ad ostendendum, quod ipse eam regat & dirigat. Hoc igitur cognoscens propheta, non confidens in sua virtute, sed Domini adjutorio ait: *Pone, Domine, custodiam ori meo*, idest oportet, ut custodias.

Circumstantiæ observandæ in locutione.

Quantum ad secundum oportet, quod plures circumstantiæ observentur in locutione nostra, ne sit mala; & propterea dicit, *ostium circumstantiæ labiis meis*, scilicet pone, ut sciam quando debeo loqui quando tacere; nam & tacere, quum expedit loqui, vitiosum est, & male loqui pejus. Unde Augustinus in cap. *Quisquis*, 11. quæst. 3. *Et qui mendacium loquitur, & qui veritatem occultat, uterque reus est. Ille, quia nocere desiderat; iste, quia prodesse non vult.* Neque enim aliquod opus virtuosum esse potest, nisi debitis circumstantiis vestiatur secundum B. Thomam in summa. Debet ergo loquens considerare, cui loquatur, ubi loquatur, quando loquatur, quantum loquatur, ad quid loquatur, idest ad quem finem, & quomodo loquatur. Hæ sunt circumstantiæ attendendæ in locutione.

Et quantum ad primum, scilicet cui loquatur, scire debes, quod cum excommunicatis loqui non debet, nisi in certis casibus expressis a jure 11. quæst. 3. *Cum excommunicato*, & can. sequenti. Item considerare debet, si is, cui loquitur, est prælatus, socius vel subditus. Nam prælatis loqui debet cum humilitate & reverentia, etiam quum de aliquo malo eos admoneret, & humane, sicut fecit Nathan, quum reprehendit David de adulterio commisso, ut habetur 2. Regum 12. Sociis autem, quum deliquerint, loquendum est, nihilominus reprehendendo non aspere, sed cum benignitate. Unde Apostolus ad Galat. 6. *Vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite, si præoccupatus fuerit aliquis in aliquo delicto in spiritu lenitatis.* Subditis vero secundum quod exigit conditio eorum & qualitas criminis.

Secundo considerari debet, ubi loquatur; nam in Ecclesia, quæ est locus orationis, non decet loqui de rebus mundanis. Unde extra *De immun. Eccles.* cap. *Decet*, lib. 6. dicitur, quod ibi non debent fieri parlamenta, & Apostolus 1. ad Cor. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui*: & paullo post: *Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.*

Tertia circumstantia attendenda in locutione est tempus. Nam, ut dicitur Ecclesiastes 3. *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Quum enim quis dicit suas orationes privatas seu communes, non debet tunc loqui cum aliis, nisi magna necessitas cogat. Et quum juvenis est multum, non expedit ei multa loqui, & docere alios; sed potius tacere & interrogare, seu addiscere. Unde Eccles. 32. *Adolescens, loquere in causa tua vix, quum necesse fuerit, & quum bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Sic & Christus duodenis in templo audiebat & interrogabat, ut habetur Lucæ 2.

Quarto debet attendere, ut non nimis loquatur etiam de bonis, quia *in multiloquio non deerit peccatum*, ut dicitur Proverb. 10.

Quinto debet attendere finem, propter quem loquitur; nam ubi finis malus est, etiam ipsum opus malum est. Si quis enim loqueretur de divinis rebus, ut inde laudaretur, vel deciperet alium, utique peccatum esset. Et ideo Apostolus dicebat: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite.*

Quantum ad sextam circumstantiam debet quis modum debitum servare, ut scilicet secundum materiæ exigentiam & personas modum servet, vel compassivum, ut ad pusillanimes, vel argumentativum rationibus, ut ad sapientes, vel mordicativum ad duros ad rebelles. Unde Apostolus 2. ad Tim. 4. *Argue, obsecra, increpa.* Et quia difficile est ista omnia servare; ideo Psalmista postulat a Domino hoc sibi præstari, dicens: *Et ostium circumstantiæ* &c.

Locutio indebita producit multa mala.

§. V. Quantum ad tertium principale sciendum, innumera mala procedere ex locutione indebita. Unde Jacobi 3. dicitur, quod *universitas iniquitatis lingua constituitur in membris nostris... inflammata a gehenna.* Et propterea David Dominum orat ab his malis liberari, dicens in eo, quod sequitur in prædicto themate: *Non declines cor meum in verba malitiæ: non declines*, idest non declinare permittas, *cor meum*, idest mentem & voluntatem meam, *in verba malitiæ*, idest in verba, quæ sunt mala, & peccata. Ideo autem dicit prius *cor*, postea *verba*; quia, ut Augustinus dicit, ream linguam non facit, nisi rea mens: & sicut nunc lingua mala inflammatur per desiderium a gehenna, idest a diabolo; ita postmodum in gehenna inferni cruciatur ab eo. Et propterea dives Epulo postulabat refrigerium in lingua dicens: *Mitte* &c. *ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*, Luc. 16. non quod anima linguam habeat, sed quia cruciabatur specialiter propter peccata linguæ.

Et sicut omnis nostra locutio ex litteris resultat & componitur alphabeti; ita ex lingua tot peccata oriuntur, quot sunt litteræ ipsius alphabeti, ut patebit descendendo per singula.

Primum est ergo *adulatio*, quæ in hoc consistit, quum quis verbis vel factis inordinate alteri placere quærit. Et de hac dicit Dominus per Ezechielem: *Væ, quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*, Ezech. 13. Pulvillus sub cubito & cervical sub capite ponitur, ut molliter quiescatur, quia quisquis male agentibus adulatur, hoc agit, ut peccator in culpa sua quiescat, ut dicit Gregorius 46. *Sunt non nulli.* *Væ* autem importat æternam damnationem; nam adulando laudando aliquem de criminalibus, vel etiam de bonis ad ipsum decipiendum spiritualiter vel temporaliter secundum B. Thomam in summa, mortale est, sicut fecerunt discipuli Pharisæorum, quum Christo dixerunt: *Magister, scimus, quia verax es* &c. Matth. 22. Sed & in bonis circa bona debet laudatio moderari, ne sit eis occasio ruinæ. Unde Seneca: Lauda parce, vituperato parcius. Et Eccles. 11. dicitur: *Non lau-*

laudes quemquam in ſpecie ſua, ideſt in facie.

Blaſphematio, Eſt autem blaſphemia attribuere Deo, quod ei non convenit, vel removere ab eo, quod congruit, ut quum quis dicit Deum eſſe injuſtum, vel partialem vel proditorem, vel non poſſe facere hoc vel illud. De quo vitio conqueritur Dominus per Iſaiam frequentato a populo ſuo dicens Iſai. 52. *Jugiter nomen meum blaſphematur*; quod ſemper mortale eſt, quum quis advertit ſignificata verborum. Et propter hoc Sennacherib rex Aſſyriorum, quia dicebat Deum non poſſe defendere Hieruſalem de manibus ſuis, quam obſidebat, confuſus eſt interfectus ab Angelo centum octoginta quinque millibus exercitus ſui ibi defunctis, ut habetur 4. Regum 19.

Contentio, quæ ſecundum Ambroſium eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris, quam vitandam docebat Apoſtolus 2. Timot. 2. dicens: *Noli contendere verbis; ad nihil eſt enim utile, niſi ad ſubverſionem audientium*, ubi gloſſa: Collatio debet eſſe inter ſervos Chriſti, non contentio. Fieri enim vix poteſt in contendendo, ut vinci ſe quiſque patiatur; & aliquid non extorqueat contra veritatem, ne inferiori ſe ſuccumbere videatur. Sed & pro veritate etiam, etſi efficaciter, tamen modeſte contendendum eſt.

Vid. part. 2. tit. 8. c. 3. not. 1.

Detractio, quæ eſt denigratio alienæ famæ per verba occulta, occulta ſcilicet ei, contra quem fit; quod vitium ſemper eſt mortale, quum hoc intenditur, ſive falſum ſive verum dicendo. Et gravius quam auferendo ſubſtantiam temporalem ſecundum B. Thomam 2. 2. Unde dicitur Sapient. 1. *A detractione parcite lingue*. Nam, ut dicit Alexander Papa: *Summa iniquitas eſt detrahere*, 6. quæſt. 1. Ex loquacitate etiam detrahere quandoque eſt mortale, quandoque veniale.

Excuſatio peccati. Auguſtinus: Si te excuſes, Deus te accuſat. Hoc malum generale eſſe in humano genere cognoſcens Deus, dicebat per Hieremiam cap. 8. *Nemo eſt, qui agat pœnitentiam de peccato ſuo, dicens: Quid feci?* Unuſquiſque dicit, quid feci? In quo oſtendimus nos eſſe non ſolum filios natura, ſed etiam imitatione primorum parentum, qui redarguti excuſaverunt peccatum ſuum; ſed propter hoc ex paradiſo expulſi ſunt, Gen. 3.

Fallax locutio, præcipue contra id, quod eſt in corde, quæ fallacia ſi ſit contra fidem & bonos mores neceſſarius ad ſalutem, vel in nocumentum proximi notabile, mortale eſt ſecundum B. Thomam 2. 2. Et hoc intelligitur per illud Sapient. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam*, ſed & mendacium jocoſum, vel etiam ad utilitatem aliorum dictum ſpiritualem vel temporalem, numquam eſt ſine peccato, veniali ſaltem.

Gloriatio, ſive per jactantiam ſive vanam gloriam; ſed dicit Dominus: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, nec potens in potentia ſua, nec dives in divitiis ſuis*, Hierem. 9. Et ratio eſt, quia *gloria ejus quaſi ſtercus*, ut dicitur 1. Macch. 2. Et quum quis jactat ſe, vel laudat de aliquo criminali, utique mortale eſt ſecundum B. Thomam 2. 2. Addit autem jactantia ſupra glorificationem ut plurimum falſitatem dicendo plus quam ſit; ſed dicunt damnati in inferno quidem: *Quid nobis profuit ſuperbia noſtra, & jactantia divitiarum? Ecce omnia tranſierunt ſicut umbra*, Sapient. 5.

Homicidii perpetratio, ſcilicet præcepto, vel conſilio, & hujuſmodi: pſal. 56. *Lingua eorum gladius acutus*, ſcilicet ad occidendum; & ſic turbæ Judæorum occiderunt Chriſtum hora tertia crucifixum, ſcilicet linguis Judæorum. Sed, ut dicit Auguſtinus: *Si fratri tuo mala perſuades, occidis*, *De pœnit.* Diſt. 1. can. *Noli*.

Irriſio, quum ſcilicet aliquis deridet alium ad injuriam, propter quod agit contra honorem ipſius. Et talis irriſio grave peccatum eſt circa Deum & divina; ac etiam quum fit erga parentes, & ſimiliter contra ſervos Dei. Unde dicitur Prov. 3. *Abominatio eſt Deo omnis illuſor*. Et ex pueris, qui deridebant Eliſæum vocantes calvum, quadraginta duo occiſi ſunt ab urſis, 4. Regum 2.

Cantatio, ideſt cantare vana & amatoria provocantia ad laſciviam, quod utique non eſt abſque gravi peccato. Unde & Salomon inter cetera delectabilia curiæ ſuæ dicit habuiſſe cantores & cantatrices. Et poſtea concludit, quod in his omnibus reperit vanitatem & afflictionem ſpiritus, ſcilicet per contritionem; ſed debet remiſſio hujus peccati haberi. Unde & in Vitis patrum legitur de quodam, quod propter complacentiam multam in hujuſmodi, torquebatur acriter in alia vita futura.

Laſciva pronuntiatio, ſcilicet per lenocinium, vel ſcurrilitatem, quæ eſt de verbis turpibus, & hæc ſunt gravia peccata, non ſolum quum dicuntur intentione inducendi alium ad turpia, ſicut dicit Salomon de muliere mala: Proverb. 7. *Irretivit eum multis ſermonibus*; ſed etiam quum ex hujuſmodi ſequitur ruina audientium. Unde Apoſtolus dicit, Epheſ. 5. *Scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, non nominetur in vobis*.

Maledictio hic importat imprecationem mali erga aliquam creaturam. Unde quum dicitur: Veniat tibi tale malum, & cum deliberato animo illud optatur in malum ejus, mortale eſt. Et ſic intelligitur illud 1. ad Corinth. 6. *Nec maledici regnum Dei poſſidebunt*; ſed & maledicere familiam vel ſubditos cauſſa correctionis, non eſt abſque peccato, quia non debitus modus eſt iſte corrigendi.

Nugatio incantationis, quæ utique verbis fit nugatoriis & vanis, & ſemper peccatum eſt. Aliquando etiam mortale, & de hac pſal. 30. *Odiſti obſervantes vanitates ſupervacue*. Ad quod etiam facit, quod dicit Auguſtinus 26. quæſt. 3. *Igitur*. Omnes hujuſmodi artes nugatoriæ & noxiæ ſuperſtitionis fugiendæ a Chriſtiano.

Oratio indebita, videlicet ſine intentione, interruptione, & nimia acceleratione. Oratio enim communis, ut horarum canonicarum, vel in pœnitentia injuncta, oportet, quod ſit vocalis, & etiam quæcumque alia poteſt eſſe vocalis: & quum petitur illicitum, ut vindicta inimici, vel poſſe aliquid mali facere, grave peccatum eſt, juxta illud pſal. 108. *Oratio ejus fiat in peccatum*, & illud Jacobi 4. *Petitis, & non accipitis* &c.

Pejeratio, ideſt jurare ſcienter falſum, vel quid illicitum promittendo, vel ſine neceſſitate, aut non ſervare promiſſum juramento firmatum, quum poteſt fieri & debet; quod mortale eſt, quantum ad primum & ultimum caſum. Unde Eccleſiaſtici 23. *Jurationi non aſſueſcat os tuum; multi enim ſunt caſus in illa*.

Vide part. 2. inſtit. 10. 6. 3. & ſeqq.

Querulatio, ideſt murmuratio, videlicet conqueri verbis de aliquo cum impatientia, & præcipue de ſuperioribus; quod quam grave ſit peccatum, oſtenditur in punitione ejus, 1. Corinth. 10. *Nec murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & ab exterminatore perierunt*. Et multipliciter alias puniti ſunt, ut patet lib. Numeri.

Revelatio ſecretorum vel confeſſionis vel ſigilli confeſſionis, vel aliorum in ſecreto commiſſorum, quod quum ſit in primo caſu, ſemper eſt graviſſimum peccatum mortale; in aliis, quia contra jus naturale, niſi fiat ad obviandum ſcandalis, etiam mortale: Eccleſ. 27. *Qui revelat ſecreta, perdet fidem amici*.

Suſurratio, quæ in hoc conſiſtit, ſcilicet ponere diſcordiam & malevolentiam inter amicos per

verba, dicendo uni malum de altero, quod ex se est mortale secundum Thomam 2. 2. faciendo hoc
1 ad talem finem: ad Roman. 1. *Susurrones... Deo odibiles sunt.*

Temeraria afflatio, idest dicere alicui contumeliam & opprobria in injuriam ejus. Et hoc vitium ponit Apostolus ad Roman. 1. inter alia, de quibus dixit: *Qui talia agunt, digni sunt morte*, scilicet æterna.

Verbum otiosum, de quo Christus Matth. 12. dicit: *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii*: & dicitur verbum otiosum secundum Gregorium in Moralibus, quod caret necessitate vel debita utilitate. Quum igitur tot vitia oriantur ex lingua, orandus est Deus, ut dirigat eam cum Psalmista B dicente: *Pone, Domine, custodiam ori meo* &c.

CAPUT V.

De sensibus interioribus.

Quattuor sunt sensus interiores secundum B. Thomã.

DE sensibus interioribus, quos Avicenna in lib. de anima dicit esse quinque, scilicet sensum communem, phantasiam, immaginativam, æstimativam, memorativam. Sed B. Thomas in 1. parte quæst. 79. dicit esse quattuor tantum: nam potentiam immaginativam & phantasiam pro una ponit. Pro hujus autem declaratione dicit idem, quod, quum natura non deficiat in necessariis, oportet tot esse actiones animæ sensitivæ, quot sufficiant ad vitam perfecti animalis, & quæcumque harum actionum non possunt reduci ad unum principium, requirunt diversas potentias, quum potentia animæ nihil aliud sit, quam proximum principium operationis animæ. Est autem considerandum, quod ad vitam perfecti animalis requiritur, quod non solum apprehendat rem apud præsentiam sensibilem, sed etiam ejus absentiam. Alioquin quum animalis motus & actio sequatur apprehensionem, non moveretur animal ad quærendum aliquod absens, cujus contrarium apparet, maxime in animalibus perfectis, quæ moventur motu progressivo: moventur enim ad aliquod absens apprehensum. Oportet ergo, quod animal per ani- D mam sensitivam non solum recipiat species sensibilium, quum præsentialiter immutatur ab eis, sed etiam quod eas retineat & conservet. Recipere autem & retinere reducuntur in corporalibus ad diversa principia. Nam humida bene recipiunt, & male retinent; e contrario autem est de siccis. Unde quum potentia sensitiva sit actus organi corporalis, oportet esse aliam potentiam, quæ recipiat species sensibilium, aliam quæ conservet. Rursus considerandum est, quod si animal moveretur solum propter delectabile vel contristabile secundum sensum, non esset necessarium ponere in animali nisi apprehensionem formarum, quas percipit sensus, in quibus delectatur, aut horret. Sed necessarium est animali, ut quærat aliqua vel fu- E giat; non solum, quia sunt convenientia vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter alias commoditates & utilitates sive nocumenta. Sicut ovis videns lupum fugit, non propter indecentiam coloris aut figuræ, sed quasi inimicum naturæ; similiter avis colligit paleam, non quia delectet sensum, sed quia utilis ad nidificandum. Necessarium est ergo animali, ut percipiat hujusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior, & hujusmodi perceptionis oportet esse aliud principium, quum perceptio formarum sensibilis sit ex immutatione sensibilis; non autem perceptio

1 Confer not. 1. in cap. 3. tit. 1. part. 2.

A prædictarum intentionum. Sic ergo ad receptionem formarum sensibilium ordinatur sensus proprius & communis, qui in hoc differunt, quia sensus proprius, scilicet visus, auditus & hujusmodi, judicant de sensibili proprio discernendo ipsum ab aliis, quæ cadunt sub eodem sensu, sicut visus discernit album a nigro vel viridi, sed discernere album a dulci, seu sonitum ab odore non potest, nec visus, nec gustus, nec alius sensus exterior, quia oportet, qui inter aliqua discernit, quod utrumque cognoscat. Sed pertinet hoc ad sensum communem, qui est alia potentia a prædictis, ad quem referuntur, sicut ad terminum communem, omnes apprehensiones sensuum; a quo etiam percipiuntur intentiones sensuum, B sicut quum aliquis videt se videre: hoc enim non potest fieri per sensum proprium, quia non cognoscit nisi formam sensibilem, a qua immutatur, in qua immutatione perficitur visio. Ad formarum autem sensibilium, quæ apprehendunt per sensus exteriores, retentionem seu conservationem, ordinatur phantasia seu imaginatio, quæ idem sunt. Est enim phantasia seu imaginatio quasi thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum. Avicenna ponebat diversas potentias esse, appellans phantasiam quamdam potentiam, quæ componit & dividit formas imaginatas, ut quum ex forma imaginata montis & forma imaginata auri componimus unam formam, quam numquam vidimus, scilicet montem aureum. Sed ad hoc opus sufficit C virtus imaginativa in homine; in aliis autem animalibus non reperitur hoc.

Sensus proprius & communis differunt.

Phantasia vel imaginatio.

Ad apprehendendum vero intentiones, quæ per sensum non accipiuntur, ordinatur æstimativa, & ad conservandum eas vis memorativa, quæ est thesaurus quidam hujusmodi intentionum. Cujus signum est, quod principium memorandi in animalibus fit ex aliqua hujusmodi intentione: puta quod est nocivum vel conveniens, & ipsa ratio præteriti, quam attendit memoria, inter hujusmodi intentiones computatur. Considerandum est autem, quod quantum ad formas sensibiles non est differentia inter hominem & alia animalia: similiter enim mutantur a sensibus exterioribus; sed quantum ad intentiones prædictas est differentia. Nam alia animalia percipiunt hujusmodi intentiones naturali quodam instinctu; homo autem per quamdam collationem. Et ideo quæ in aliis animalibus dicitur æstimativa; in homine dicitur cogitativa, quæ per collationem quamdam hujusmodi intentiones adinvenit, unde & dicitur ratio particularis, cui medici assignant determinatum organum, scilicet mediam partem capitis. Ex parte autem memoriæ non solum habet memoriam homo sicut cetera animalia in subita recordatione præteritorum, sed etiam reminiscentiam quasi syllogistice inquirendo præteritorum memoriam secundum individuales intentiones.

Æstimativa vel cogitativa, memorativa.

CAPUT VI.

De phantasia, seu imaginativa.

SEquitur de potentia apprehensiva interiori, quæ dicitur imaginativa seu phantastica, quod idem est. Et phantasia quidem nomen est græcum, & in latino interpretatur *apparitio*, quia in ipsa potentia fiunt & reservantur apparitiones, seu imagines sensibilium acceptæ a sensibus, quæ apparitiones dicuntur imaginationes vel phantasmata seu idola, quia repræsentant res apprehensas a sensibus. Et de hac potest intelligi psal.

38. *In imagine pertranſit homo, ſed fruſtra conturbatur.* Non ſolum enim intelligitur de imagine Dei, ſcilicet creatoris, quæ eſt in homine, in qua exiſtens, ideſt eam habens, *pertranſit*, ideſt cito tranſit de tanta nobilitate ad miſeriam peccati, a qua vix recedit. Nam etſi conturbetur variis flagellis, ut convertatur, fruſtra videtur eſſe, quia nec per illa novit reverti ad Deum. Unde dicit propheta Hier. 6. *Fruſtra conflavit conflator: malitiæ non ſunt conſumtæ*; ſed etiam poteſt intelligi de imagine phantaſiæ. Ex qua auctoritate tria poſſunt elici: & primum eſt, quod homo eſt diſcurrens per rationem, ibi: *Pertranſit homo*. Secundum eſt, quod eſt intelligens per imaginationem, ibi: *In imagine*. Tertium eſt quod eſt iraſcens, ſed non ad fructificationem, ibi: *Sed fruſtra conturbatur*.

Differt cognitio hominis a cognitione Angeli.

§. I. Quantum ad primum eſt ſciendum, quod iſta eſt differentia inter hominem & Angelum in cognoſcendo; quia Angelus intelligit ſubito abſque diſcurſu intellectus, ſed homo mortalis intelligere non poteſt, niſi per diſcurſum rationis tranſeundo ſeu procedendo per plura media de uno in aliud, & de noto ad ignotum; & ſic *pertranſit homo* in rerum cognitione. Unde & diffinitur, quod eſt *animal rationale*. Angelus autem dicitur intelligentia ſeu ſubſtantia intellectualis: & quod Gregorius dicit in homil. quod Judæis, ſcilicet paſtoribus tamquam ratione utentibus debuit apparere rationale animal, ideſt Angelus ad manifeſtandam Chriſti nativitatem, ſumitur ibi improprie rationale pro intellectuali creatura; ſic igitur *pertranſit homo*.

Homo ſine phantaſmate non poteſt intelligere.

§. II. Quantum ad ſecundum ſciendum eſt, quod in tali tranſitu ſive diſcurſu non poteſt homo intelligere niſi in imagine, ideſt in phantaſmate repræſentato intellectui. Unde & philoſophus dicit, quod neceſſe eſt quemcumque intelligentem phantaſmata ſpeculari. Sicut enim res ſenſibilis, quum videtur, multiplicat ſpeciem ſuam, ideſt ſimilitudinem uſque ad potentiam viſivam, mediante qua ſimilitudine oculus videt, & ſimilitudo illa exinde defertur potentiæ ſenſus communis, ubi diſcernitur unum ſenſibile ab altero, & exinde defertur potentiæ imaginativæ ſeu phantaſticæ, talis ſimilitudo magis ſubtiliata, & ibi reſervatur; ſic ipſa potentia phantaſtica repræſentat tales ſimilitudines, quæ dicuntur phantaſmata ſeu imaginationes intellectui, & in illis intelligit. Et hinc eſt, quod Deus a mortalibus videri non poteſt ſeu intelligi clare per eſſentiam ſuam, quia quum non poſſit intellectus intelligere abſque phantaſmate, & phantaſma ſit repræſentativum rei corporalis, non poteſt aliquid phantaſma Deum in ſua eſſentia repræſentare. Nam, ut dicitur Joann. 4. *Spiritus eſt Deus*, non corpus; & ideo clare intelligi non poteſt, niſi quis ſit alienatus a ſenſibus, ut Paullus in raptu ſuo; ſic ergo *pertranſit homo in imagine*, ſcilicet ad intelligendum.

Quantum ad tertium *conturbatur* homo frequenter ex eo, quod ea, quæ imaginatur, ſcilicet implendo deſideria ſua, quærendo divitias & hujuſmodi, non habuerunt effectum; ſed *fruſtra conturbatur*, quia inutiliter & ſine ratione, quum hæc expediant ſaluti ſuæ. *Conturbatur* & aliquando tribulationibus & adverſitatibus, ſed *fruſtra*, quia non poteſt ea vitare, Deo ſic diſponente. *Conturbatur* & ſæpe ſuis ſollicitudinibus in multiplicando temporalia, ſed & *fruſtra*, quia demum omnia in morte dimittit. Ad quod facit, quod dicit idem Pſalmiſta alibi, videlicet pſal. 72. *Sicut ſomnium ſurgentium, Domine ... imaginem ipſorum*, ideſt imaginationes mundanorum, *ad nihilum rediges*.

Bonus Angelus poteſt operari circa phantaſiam hominis.

§. IV. Nota, quod circa potentiam phantaſticam, ſive imaginativam operari poteſt poſt Deum, qui eſt prima cauſſa omnis motionis, Angelus bonus & Angelus malus, & homo ipſe per proprios actus. Et Angelus bonus operatur in ea ad inſtruendum, quod probatur ratione, auctoritate, & exemplo. Rationem aſſignat B. Thomas 1. parte quæſt. 111. quæ talis eſt: Divina ſapientia, ut dicit Dionyſius de divinis nominibus, conjungit fines priorum principiis ſecundorum; ex quo patet, quod natura inferior in ſui ſupremo attingitur a natura ſuperiori. Natura autem corporalis eſt infra naturam ſpiritualem. Inter omnes autem motus corporeos perfectior eſt motus localis, ut probat philoſophus in 8. phyſicorum. Et ideo natura corporalis nata eſt & apta moveri a natura ſpirituali ſecundum motum localem. Imaginativa igitur potentia ſive phantaſtica, quum ſit ſenſitiva & affixa organo corporali, poteſt immutari per Angelum bonum; & hoc magis particulariter declarat B. Thomas in quæſt. 111. art. 3. ubi dicit, quod apparitiones imaginariæ, quæ fiunt in phantaſia, cauſſantur interdum nobis ex locali mutatione corporali ſpirituum & humorum. Unde Ariſtoteles in lib. de ſom. & vigil. aſſignans cauſſam apparitionis ſomniorum dicit, quod quum animal dormit deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſitivum, ſcilicet a capite ad cor, ſimul deſcendunt motus, ideſt impreſſiones relictæ ex ſenſibilium motionibus, quæ in ſpiritibus ſenſualibus conſervantur, & movent principium ſenſitivum, ita quod fit quædam apparitio, ac ſi tunc principium ſenſitivum a rebus ipſis exterioribus immutaretur, & tanta poteſt eſſe commotio ſpirituum & humorum, quod hujuſmodi apparitiones etiam vigilantibus fiunt, ſicut patet in phreneticis & in aliis hujuſmodi. Sicut ergo hoc fit per naturalem commotionem humorum; ita poteſt fieri per operationem Angelorum, ex quo, ut dictum eſt, materia corporalis naturaliter ſubeſt Angelis, quoad motum localem.

Probatur hoc etiam auctoritate; dicitur enim Eccleſiaſtes 1. *Luſtrans univerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur*. Quod exponitur a quibuſdam de Sole, qui idcirco dicitur *ſpiritus*, non quod corpora cæleſtia ſint animata, ſed quia unitur eis Angelus, ſicut motor mobili ad movendum ipſum corpus ſolare virtute ſua. Dicitur autem reverti *in circulos ſuos*, quia per eoſdem gradus, per quos aſcendit per zodiacum, per eoſdem revertitur ſeu retrocedit. Auguſtinus etiam in lib. de Trinit. dicit, quod Angeli adhibent ſe ad corporalia ad aliquos effectus producendos, ſicut factum fuit per Angelos malos de ſerpentibus de novo formatis coram Pharaone incantationibus magorum, ſecundum expoſitionem aliquorum; hoc autem fieri non poteſt niſi localiter movendo. Philoſophi etiam poſuerunt ſuprema corpora moveri localiter a ſpiritualibus ſubſtantiis, ideſt Angelis.

Viſiones imaginariæ.

Oſtenditur idem per exemplum, videlicet ex viſionibus imaginariis prophetarum eis factis in ſomno vel vigilia miniſterio bonorum Angelorum. Et in hujuſmodi operatione, ſeu tranſmutatione imaginationis ſecundum B. Thomam non imprimit Angelis aliquam formam imaginariam, quæ nullo modo prius ſit per ſenſum accepta: non enim poſſet facere, quod cæcus imaginaretur colores. Sed hoc facit cauſſando motum localem ſpirituum & humorum, ut dictum eſt, ex quo motu imaginatio informatur, ut actus phantaſticus motus conſurgat ab impreſſionibus interius conſervatis & prius acceptis a ſenſibus. Et quum Angelus bonus cauſſat aliquam imaginariam viſionem, ſive in homine vigilante, ſive dormiente,

te, quandoque ſimul illuminat intellectum, ut cognoſcat talis, quid per hujuſmodi ſimilitudinem ſignificetur. Sicut in Joanne Evang. de viſionibus imaginariis, ut habetur in Apocal. de lib. clauſo ſeptem ſigilis & apertione eorum, & de ſeptem Angelis tuba canentibus, quas habuit & intellexit miniſterio Angelorum vigilans. Unde dicit ipſe capit. 1. *Significavit Deus, quæ oportet fieri cito, loquens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni.* Et Joſeph dormienti apparuit Angelus, & illuminavit eum, movendo de translatione pueri Jeſu in Ægyptum, Matthæi 2. Quandoque vero per operationem Angeli boni ſolummodo ſimilitudines rerum apparent in imaginatione abſque alia illuminatione intellectus ad intelligendum, quid ſignificet; nec tamen ſit deceptio per eos. Sed hoc contingit ex defectu intellectus ejus, cui apparent, ſicut accidit in ſomno Pharaonis de ſeptem ſpicis & de ſeptem vaccis variis, ſignificantibus ſeptem annos fertilitatis, & alios ſeptem ſterilitatis; quod tamen ipſe non intellexit, ſed Joſeph,

Gen. 41.

Diabolus operatur circa phãtaſiam hominis.

§. V. Operatur etiam Angelus malus, ideſt diabolus circa phantaſiam hominis, ſed ad decipiendum. Quod declaratur naturali ratione, canonis auctoritate, & experimentorum multiplicitate. Primum ſic declaratur: Corpora naturaliter ſubduntur & obediunt naturæ angelicæ quantum ad motum localem. Angeli autem mali, etiam ſi amiſerint gratiam, non tamen virtutem naturalem. Quum autem potentia phantaſtica ſive imaginativa ſit corporalis, ideſt affixa organo corporeo, naturaliter ſubditur etiam Angelis malis, ut poſſint eam tranſmutare cauſſando varias phantaſias ex deſcenſione humorum & ſpirituum ad principium ſenſitivum procurata ab eis.

Patet & hoc ex canone: dicitur enim 26. quæſt. 5. can. *Epiſcopi*: *Illud non eſt omittendum, quod quædam ſceleratæ mulieres poſt ſathanam retro converſæ, dæmonum illuſionibus, & phantaſmatibus ſeductæ, credunt ſe, & profitentur cum Diana nocturnis horis dea paganorum, vel cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierum equitare ſuper quaſdam beſtias, & multa terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire.* Et infra: *Quapropter ſacerdotes omni inſtantia prædicare debent populo Dei, ut noverint omnino hæc falſa eſſe, & non a divino, ſed maligno ſpiritu talia phantaſmata mentibus fidelium irrogari. Siquidem ipſe ſathanas .... transformat ſe in diverſarum perſonarum ſpecies atque ſimilitudines, & mentem, quam captivam tenet .... in ſomniis deludens, per devia quæque deducit.* Hæc ibi: & in can. *Nec mirum*, eadem quidem Auguſtinus narrat, quod in libris gentilium legitur de quadam maga dicta Circe, quod ſocios Vlyſſis mutavit in beſtias; quod magicis præſtigiis potius fingebatur, quam in rerum veritate completur alterando phantaſias hominum.

Patet hoc etiam per plura exempla. Legitur enim in Vitis patrum, quod quædam juvencula, quia aſſentire noluit cuida juveni de turpitudine eam ſollicitanti, ipſe juvenis turbatus ex hoc a quodam Judæo procuravit maleficium fieri contra illam. Quo peracto mulier converſa eſt in equam, quæ converſio non fuit ſecundum rei veritatem, ſed ſecundum ludificationem dæmonis immutantis phantaſiam & ſenſum ipſum ipſius mulieris, & aſpicientium eam, ut videretur equa, quæ erat vere mulier. Unde ducta ad B. Macharium non potuit diabolus ita operari, quod illuderet ſenſus ejus ſicut aliorum propter ſuam ſanctitatem. Nam ſibi videbatur mulier vera, non equa, cujus tandem oratione liberata eſt ab illa illuſione, dicens, hoc ſibi accidiſſe, quia non vacabat divinis, nec frequentabat ſacramenta, ut decebat; ideo

A diabolus poteſtatem habuerat ſuper eam, etſi alias eſſet honeſta. Poteſt igitur diabolus per commotionem interiorem ſpirituum & humorum operari ad immutandum actum & potentiam nutritivæ & ſenſitivæ & appetitivæ, & cujuſcumque potentiæ corporalis organo utentis ſecundum B. Thomam in 1. parte quæſt. 111. Sicut credi poteſt fuiſſe geſtum per Simonem magum incantationibus ſuis, quæ de eo narrantur. Sed nil horum poteſt diabolus facere, niſi Deo permittente, qui cum Angelis ſuis bonis frequenter reprimit malitiam ejus, decipere nos & nocere quærentis. Unde dicit Auguſtinus loquens de maleficis: *Hi permiſſu Dei elementa concutiunt, hominum mentes perturbant minus confidentium in Deo*, 26. quæſt. 5. *Nec mirum*. Horum etiam operatione per maleficam artem ſit quandoque, ut vir non poſſit videre uxorem & e converſo. Et hoc per immutationem phantaſiæ, repræſentando ei talem, ut rem odibilem & horribilem. Ipſe etiam diabolus vigilantibus & dormientibus ſuggerit repræſentationes turpium phantaſiæ ad decipiendum & inducendum ad malum. Verum, quia peccatum non conſiſtit in imaginatione, ſed in voluntate; ideo ex hujuſmodi phantaſiis per diabolum ſuggeſtis & alterationibus variis homo non peccat, niſi voluntate propria alicui malo aſſentiat.

Diabolus poteſt in cunctas potentias organicas.

Peccatum non conſiſtit niſi in voluntate.

§. VI. Homo etiam per ſemetipſum cauſſat mutationem phantaſiæ, formando phantaſmata per imaginationes ex acceptis a ſenſibus, & quandoque quidem per voluntatem ſuam voluntarie, ſcilicet imaginando, quæ prius ſenſerat, & hoc ſive de bonis ſive de malis. Quandoque fiunt & cauſſantur imaginationes per commotiones humorum procedentium ex infirmitate maniaca vel melancholica. Et ſecundum Avicennam & Albertum Maniaca paſſio lædit organum phantaſiæ, unde diminuit imaginationem. Melancholica vero paſſio diminuit judicium rationis. Unde refert ipſe de quodam maniaco, quod quum fugeret patrem, & pater eum ſecutus fuiſſet, converſus ad patrem percuſſit eum, cui pater quum diceret: Fili, quare verberas patrem? ſubito ille plorans, cecidit ad pedes patris & veniam petiit. Et ſic in ipſo fuit læſa imaginatio, quia non cognovit patrem ſuum. Ratio vero non fuit læſa, quia ſcivit, quod non debuit verberare patrem. Et quia in maniacis & melancholicis fit immutatio ſenſus, ideo maniacorum quidam plangunt, alii ſaltant, alii ſtultiſſima quaſi veriſſima opinantur, unde timent ſe tangi, ne rumpantur, credunt ſe non habere caput, ranas in ventre portare, dæmones videre aut habere. Melancholicorum autem quidam pigritiam habentes & gravedinem, amant ſolitudinem, & obſcuritatem, & ab omnibus remotionem. Immo omnibus melancholicis quædam ſunt univerſalia & ſempiterna, ſicut triſtitia, timor de re non habenda, certificatio terribilis rei & timoroſæ, ſenſus rei, quæ non eſt. Item melancholici triſtantur, timent, anguſtiantur, ſuſpicioſi ſunt, multum dormiunt, jacent in monumentis, quidam multum comedunt, & ſi ſemel retrahantur, omnibus diebus deſperant. Et iſtis omnibus proprium eſt, quod ſunt medicinæ deſiderantiſſimi. Et hæc omnia procedunt per immutationem phantaſiæ organo læſo propter dictas infirmitates: cauſſantur autem tam mania quam melancholia ex melancholicis cibis, ex triſtitia & timore, aut retentione ſanguinis fluere conſueti, aut ex nimia cerebri infrigidatione & deſiccatione, aut ex corrupto ſemine in viris, aut menſtruo ſanguine in feminis. Cauſſantur etiam ex inordinatis vigiliis, jejunio, ſtudio, ſollicitudine ac cogitatione profunda, & quidam in præfatis infirmitatibus in defectu lunæ plus laborant,

Homo ſibiipſi immutat phantaſiam.

Melancholicorum complexio.

In

In ſomno etiam phantaſia multipliciter immutatur, per varias apparitiones contingentes dormientibus, in quibus tamen de bonis vel de malis exiſtentibus homo non peccat, quia videlicet uſus liberi arbitrii ſecundum B. Thomam in 4. ſopitus eſt & ligatus, in quo conſiſtit meritum vel demeritum.

CAPUT VII.

De ſomniis quoad varias cauſſas & modos eorum.

ET quia in potentia phantaſiæ ſunt ſomnia dormientibus; idcirco de ſomniis aliqua ſunt videnda, & primo ejus diffinitionem. Philoſophus autem 2. lib. de ſom. & vigil. ſic diffinit: Somnium eſt phantaſma factum a motu ſimulacrorum, ideſt ſimilitudinum ſenſibilium in dormiente, ſecundum quod dormit, & circa hoc poſſumus conſiderare tria, videlicet, eorum ortum, effectum, & peccatum.

Diffinitio ſomnii.

§. I. Quantum ad primum, ſomnia unde oriantur, & quæ ſit cauſſa ſomniorum. Et quamvis Gregorius in lib. Moral. ac etiam dialogorum aſſignet ſex cauſſas, videlicet ex nimia ventris repletione, ex multa capitis exinanitione, ex dæmonis illuſione, ex Dei revelatione, ex hominis multa occupatione circa aliquid & præcogitatione, & ex hominis cogitatione ſimul & revelatione. De quo ultimo ponit exemplum de ſomnio Nabuchodonoſor habito de ſtatua compoſita ex quattuor generibus metallorum, deſignante quattuor ſucceſſivas monarchias mundi, ut habetur Dan. 2. Cœpit enim cogitare de ſucceſſore in regno, antequam ſomnium illud haberet, quod fuit ex divina revelatione, prout ipſe Daniel expoſuit. Sed Dominus Joannes Dominici Cardinalis in fin. libri ſui, quem appellavit *Luculam noctis*, extendens materiam, decem & novem cauſſas aſſignat. Et primo conceptui aut nativitati prædominans ſignum cæleſte non infimam cauſſam ſomniorum ponit, & ita natus ſub Mercurio in geminis exiſtente ſomnia futurorum præſcia non ignorat. Secundo cælorum influxus in ſenſus interiores rationi ſomno ſopitæ corporeos agens, quæ producturus eſt, frequenter demonſtrat; hic Pharao cum vaccis ſuis pro exemplo ponatur, Geneſ. 41. Tertio complexionum varietas diſtincta viſa producit, ſanguis ſcilicet circa ignem: cholera volatus per aerem ducit, melancholia regna, tenenda ſcilicet, phlegma circa terreſtria verſatur. Quarto pugnant miſti mutuo in memoriæ arca ſervati conceptus, & quia phantaſma hunc ab illo diſcernere nequit,

De ortu ſomniorum.

Tetrum .... definit in piſcem mulier formoſa ſupernæ.

Quinto temporis qualitates cerebrum imitatum, illo evaneſcente, evaneſcit in viſa: ſic apud Virgilium foliis arborum autumno labentibus, fit ad infernum ſomni parentem animarum concurſus: in eo libro ubi totius philoſophiæ rimantur arcana. Sexto locorum diverſitas ſuis vaporibus corpore nudis cellulas capitis ambit, ſuas ſibi proprietates relinquit, quas non ſentit vigil majoribus occupatus. Septimo quædam reliquiæ velut exuviæ exercitiis in vigiliis potentiis vitalibus adhærent impreſſæ, quæ, corpore a labore ceſſante, laborare non ceſſant. Octavo plerumque phantaſia a ceteris curis ſoluta, cudit caſu ventura, ſicut Platoni cogitanti de Socrate, Socrates occurrit. Nono perſonarum reverentia apud nonnullos meretur ſecundis cauſſis limpidius viſitari, cui membro redduntur Cygnus Socrati loco Platonis oblatus: captivitas, & mortis potio Platoni monſtrata: Octaviano Auguſto præſentia in pugna futura: caſus hoſtis Scipioni: pœna militi revelata: Æneæ Italica ſedes, & Hannibali a Jove directus juvenis ſecundus oſtenſa. Decimo ſenſus cupido addit ad idem:

Decem & novem ſunt cauſſæ ſomniorum.

..... Nam mens humana quod optat, Dum vigilat, ſperat, per ſomnum cernit idipſum.

Undecimo neceſſitas cogit vires quaſi imperando vitales exſequi ſui corporis curas, quas illud nequit exercere ſopitum; ita famelicus vacuo ſtomacho mandit. Duodecimo anima ſuis diſcipulis ſoporatis, ſpeculans ſibi ſoli rimatur arcana, quibus majori deſiderio flagrat, diſcitque ſomno prius ſæpe negata. In his ſcholis nocturnis, ut meminit Auguſtinus, quidam cupitam quæſtionem fuit edoctus: puto ibi doctorem ſtatuiſſe jam non ultra negare, quæ petierat ſæpe diſcipulus importune. Tertiodecimo, diſpoſitio dormientis membrorum, aut accidentia ambientia illa, varias, ſed correſpondentes imagines formant; ſic Ephilates putat ſe premi pondere ſtygis; & pes nudus & algens nives calcat vel lymphas. Quartodecimo cibi quamplures vaporibus ſuperiora contendunt, vana inde formantes, ut porri cum multis. Quintodecimo morbi prædominantes in corpore ægro, dum ſimilia gliſcunt, per ſomnia ſeſe perito medico pandunt. Sextodecimo ſi te linies upupæ ſanguine, dæmones in ſomnis tibi infeſtos videbis. Decimoſeptimo familiares ſpiritus conciliativi mortalis amoris, amico produnt apud Valerium infelices caſus amati: cujus generis viſiones non paucas poſſem vere notare diebus noſtris oſtenſas. Decimooctavo, per dæmonum artes plurimæ ludificationes fiunt in ſomnis, licet Apulejus his omnia ſomnia reddat. Decimonono repletio ventris nimia, ex cibi fumoſitatibus ad cerebrum adſcendentibus, vel etiam exinanitio capitis ex nimia abſtinentia multos ſomniare facit ſecundum Gregorium, ut dictum eſt ſupra. Tandem ex divina revelatione in ſomnis facta multa futura manifeſta ſunt bonis & malis, ut patet in Jacob, quum vidit ſcalam in ſomnis, Gen. 28. & Joſeph quum dixit fratribus ſuis: *Audite ſomnium, quod vidi*, de manipulis & ſtellis, Gen. 37. Scio hominem nondum defunctum in ſomnis vidiſſe noxorum animas purgatorii pœnis detentas, quarum tormenta varia & horrenda deſcribit. Hæc omnia ille.

§. II. Quantum ad ſecundum, ſcilicet effectum, ſciendum, quod ſomnia futurorum eventuum quandoque ſunt cauſſa, quandoque ſigna, quandoque neque cauſſa neque ſigna, ſed per accidens caſuale.

De effectu ſomniorũ.

Et primo quidem ſunt ſomnia cauſſa futurorum eventuum, ut quum mens alicujus ex his, quæ vidit in ſomnis, inducitur ad aliquid faciendum vel vitandum: tunc enim tale ſomnium eſt cauſſa, vel occaſio faciendi vel vitandi aliquid. Nam cauſſa eſt, ad quam ſequitur effectus, ſicut dicimus, quod interpoſitio inter noſtrum viſum & Lunam, eſt cauſſa eclypſis Lunæ, & interpoſitio Lunæ inter viſum noſtrum & Solem eſt cauſſa eclypſis Solis. Et ſicut putrefactio humoris eſt cauſſa febris; ſic etiam quædam ſomnia ſunt, quæ cauſſant & inducunt nos ad aliquem effectum exſequendum malum vel bonum. Sicut ſomnium Pharaonis de vaccis & ſpicis interpretatum a Joſeph fuit cauſſa inductiva ad congregandum triticum multum ad providendum futuræ penuriæ, Gen. 41. Et quia *ipſe ſathanas transfigurat ſe in Angelum lucis*; ideo cavendum, ne quis ſub ſpecie & credulitate divinæ revelationis ſibi factæ ex dæmonis illuſione, inducatur ad aliquid faciendum; ſicut legitur in ſecunda collatione Abbatis Moyſi de quodam, qui frequenter illuſus a dia-

Vide part. 2. tit. 12. cap. 1. §. 1.

diabolo ſub ſpecie bonorum Angelorum ſibi in ſomnis apparentium; tandem ex ejus mandato ſeu exhortatione, quem credidit Chriſtum, projecit ſe in puteum. Et de alio, qui ſimili illuſione ſeipſum circumcidit. Et de quodam alio, qui proprium filium more Abrahæ interficere voluit.

Secundo ſomnia quandoque ſunt ſigna aliquorum futurorum eventuum, in quantum ſcilicet reducuntur in aliquam cauſſam communem ſomniis & futuris eventibus. Et ſecundum hoc plurimæ recognitiones futurorum ex ſomniis fiunt tamquam ex ſignis. Signum autem vocatur, quod deſignat aliquid, licet non ſit cauſſa ipſius, ut v. g. aſperitas linguæ ſignum eſt febris, vel amaritudo linguæ & ſomnium de guſtu fellis, ſignum eſt febris inſtantis. Unde quædam ſomnia ſunt, quæ ſunt ſigna eorum, quæ accidunt circa corpus, quod probat Galenus per exemplum tale, ſcilicet; quod quidam ſomniavit ſibi fundi in ventrem picem ardentem, & æſtuare in igne picis, eo quod coleram aduſtam, nigram & incenſam habuit in ventre, & hanc, quum ſurrexit a ſomno, emiſit, & plene liberatus fuit. Ponit aliud exemplum, ſcilicet quod quidam dolens ſplenem, ſæpe contulit & ordinavit quid faceret, unde ſibi contra hujuſmodi defectum medicaretur. Et ſomniavit, quod minueret ſe ſuper manum inter duos digitos, ſcilicet auricularem & anularem, & quum evigilaret, ſic fecit, & convaluit; & ſic ſomnium fuit ſibi principium operis, quod in vigilia ſequenti fecit. Unde & medici dicunt, quod oportet valde ſomniis attendere ad cognoſcendum cauſſas ægritudinum.

Tertio dico, quod ſomnia quandoque nec ſunt ſigna neque cauſſa futurorum eventuum, ſed caſualia. Unde hujuſmodi ſomnia per accidens ſe habent ad futuros eventus. Et ſi quandoque ſimul occurrant, erit ſomnium caſuale, ideſt a caſu, v. g. ſi aliquo ambulante contingit caſu & fortuna eclypſare ſolem, ambulatio illius nec ſignum, nec cauſſa eſt eclypſationis, nec e converſo defectus ſolis eſt cauſſa vel ſignum ambulandi, & nil talium fit ſemper vel frequenter; ſed raro valde & incerte. Sic a ſimili, quod aliquis de aliquo bello futuro ſomniet, & poſtea eveniat eventus illius belli, hoc erit a caſu & per accidens; & non ideo evenit quod ſomnium cauſſa vel ſignum fuerit eventus belli. Hæc philoſophus de ſom. & vigil. Et Albertus in commen. ſuper ipſum librum.

Aliquibus ſomnia accidunt, & aliquibus non.

Sciendum etiam, quod quidam ſunt, quibus non accidit ſomnium in tota vita ſua; quidam vero ſunt, quibus, quum dormiunt, ſemper accidit ſomnium; quidam vero, quibus accidit in ſenectute, & non accidit in juventute. Et ratio primi, quia eſt multa evaporatio aſcendens ad ſuperiorem locum, iterum lata deorſum, facit multum motum; & quibuſcumque tale contingit, nullum apparet phantaſma, quia magno motu deletur, ut illi, qui profundo & gravi ſomno dormiunt oppreſſi. Quod autem aliqui alii multum ſomniant, & continuo ſomniorum ſuorum patiuntur oblivionem; hujus ratio eſt, quia motus fortiores aliqui excludunt perceptionem imaginum apparentium in ſomnis. Et ideo, qui continue poſt ſomnum fortiter moventur corpore, precipue ſi ſomnium in fine ſomni videant, omnino ſomniorum obliviſcuntur. Et nota, quod ſimilitudines phantaſmatum, quæ in ſomnio accidunt, ſunt ſimiles illis idolis vel diſſimilitudinibus, quæ ſunt in aqua. In aqua autem ſi multus fiat motus, tunc vel nulla figura ibi apparet, vel apparet inordinate & diſtorte, ut patet in eo, qui reſpicit in aqua multum mota; ſed poſt commotionem, quum fuerit quietata, hujus figuræ clare reſpiciuntur. Ratio tertii eſt, ſcilicet quod aliqui in ſenectute ſomniant, non in juventute, propter mutationem aliquam factam circa ætatem vel paſſionem. Ex eo enim, quod ſenes mutantur per calorem & humiditatem, non eſt inconveniens, ſi mutetur accidens ſomnii eorum.

Somnium in ſe nec meritti eſt, nec peccatum.

S. III. Quantum ad tertium principale ſciendum, quod in ſomniis ſive apparitionibus ſomniorum ſive de bonis ſive de malis, nullum eſt ibi peccatum, quum uſus rationis ſit ligatus per ſomnum; nec etiam meritum; ſed poteſt ibi eſſe ſignum præcedentis meriti vel peccati. Nec obſtat, quod Salomon petens ſibi ſapientiam dari in ſomniis, meruit axauditionem; tale enim meritum non acquiſivit in ſomnio illo, ſed ex præcedenti in vigilia deſiderio, cujus deſiderii ſignum illud ſomnium fuit, 3. Reg. 3. Et ad hoc facit, quod ait Auguſtinus ſuper Geneſim de bonis, quod propter affectionem a ſe bonam, quædam eorum clarent merita in ſomniis tamquam ſigna. Unde pſal. 75. *Reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi.* Dicuntur autem *reliquiæ cogitationum* illæ ſimilitudines, quæ remanent in phantaſia ex cogitationibus habitis, quæ *feſtum* agunt Domino, dum videlicet ſomniant virtuoſi læte & feſtive Domino deſervire. Similiter non obſtat, quod dicitur in veteri lege, ſcilicet quod pollutus nocturno ſomnio ingredi non valebat templum uſque ad veſperam, & niſi prius lotus, Levit. 15. Hoc enim in figuram fuit, non quod in tali immunditia etiam cum turpi imaginatione peccatum ſit; quod ſignificat ſecundum Gregorium, quod *qui tentatus immunditia veris imaginibus, in cogitatione inquinatur*, lavandus eſt prius aqua pœnitentiæ, quam ad templum, ideſt Eccleſiam, merito & gratia revertatur: *& niſi prius ignis tentationis receſſerit, reum ſe quaſi uſque ad veſperam*, quando occumbit ſol, & per conſequens deficit calor ejus, extra Eccleſiam fore *cognoſcat*, ut dicitur Diſt. 6. *Teſtamentum*.

Quando ſomnia poſſunt eſſe cum peccato.

Poteſt tamen eſſe peccatum antea vel poſtea circa materiam ſomnii. Antea quidem, puta ſi quis multum cogitat, & mentem revolvit ad aliquod peccatum malum, quod optat, ut furtum, homicidium, fornicationem, quod poſtea dormiens ſomniat perpetrare; in ſomnio quidem non peccavit, ſed ante in vigilia ex mala cogitatione. Unde Iſidorus: *Non eſt peccatum, quando nolentes imaginibus nocturnis illudimur: ſed tunc eſt peccatum, ſi antequam illudamur, cogitationis affectibus prævenimur*, Diſt. 6. can. *Non eſt*. Poſt ſomnum vero & vigilando poteſt peccatum contingere, in quantum ſcilicet aliquis voluntarie delectaretur ſuper re mala ſomniata, vel in quantum *tempus* amitteret in recogitando ſtudioſe, quæ ſomniavit, vel ex eo, quod ſomniis nimiam fidem præſtat. Sed, ut dicit Gregorius, quum multæ & variæ ſint cauſſæ ſomniorum, ut ſupra dictum eſt, & difficile ſit, cauſſam ſomnii contingentis certe cognoſcere, niſi fuerit ex Dei revelatione; ideo parum vel nihil fidei debet ipſis adhiberi firmiter. Nam per hæc diabolus multipliciter decipit homines. Unde narrat Gregorius lib. Moral. quod quum cuidam aſſueto fidem ſomniis adhibere intimatum fuiſſet in ſomniis ex diaboli illuſione, quod multum adhuc deberet vivere, expoſuit ſe totum avaritiæ per fas & nefas, ut poſſet ſibi in longinquum providere; ſed ſubita morte præventus eſt. Et in Vitis patrum Prædicatorum narratur, quod quum quidam propoſuiſſet religionem ingredi, & de exitu timeret, ſomniavit ſe in religionem ingreſſum, & exinde egreſſum; quod credens ſic debere ſibi contingere, propoſitum dimiſit religionis. Sed magiſtro Jordano prædicante circa hujuſmodi deceptiones, propoſitum reſumſit, & reli-

Non eſt adhibenda fides ſomniis.

religionem intravit, ac perſeveravit. Unde ad A
i ſa contemnenda Scriptura nos admonet dicens: *Ubi multa ſomnia, ibi plurimæ vanitates*, Eccleſiaſtes 5. & alibi: *Somnia extollunt imprudentes*, ſcilicet in ſuperbiam, Eccleſiaſtici 34. & in eod. cap. dicitur: *Multos errare fecerunt ſomnia*, falſum ſcilicet pro vero credentes. Ratio autem falſitatis in ſomniis, & deceptionis provenit ex eo, quod forma ſenſu accepta accipitur ut res ipſa. Cauſſa autem hujus in communi una eſt, videlicet quia anima judicat ſecundum eamdem potentiam id, quod eſt principale ſicut res, & id, quod eſt ſecundarium, ſcilicet id, quod fuerit phantaſma. Primum enim, ſcilicet res, anima judicat ratione; ſecundum vero anima judicat non ſenſu proprio, quia circa propria ſenſibilia numquam decipitur, immo ſemper eſt verus, eo quod de proprio ſenſibili ſemper judicat, & enuntiat id, quod eſt; ſed ſenſu communi vel æſtimatione, immaginatione ſeu phantaſia; quod probo per tale exemplum; quia ſecundum id, quo phantaſmata fiunt, ideſt ſecundum motum vel judicium factum a ſenſu proprio, puta a ſenſu viſus, ſol videtur eſſe monopedalis, ideſt unius pedis; & hoc propter diſtantiam inter ſolem & oculum. Sed alia pars animæ, quæ eſt in ſcientibus, ſcilicet ratio, contradicit ad phantaſiam, & dicit ſolem majorem eſſe tota terra.

Cauſſa erroris ſomniorum.

De ſuperſtitione autem ſeu divinatione per ſomnia habes in parte 2. tit. 12. cap. 1. Et de C
pollutione in ſomnis, habes in 3. parte tit. 13. cap. 6. §. 10.

De ſomno.

§. IV. Et quia ſomnia contingunt in ſomno, aliqua breviter de ſomno dicenda, de quo pſal. 75. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Et loquitur de peccatoribus, quorum vitam ſomno aſſimilat, quia dum bona præſentia tamquam vera & permanentia diligunt, & in eis delectantur; morte, quæ quam citius ſupervenit talibus, ſe vident privari, & nil meriti *in manibus ſuis*, ideſt operibus reperiunt, & hoc ſive ſint divites in temporalibus, ſive ſint *viri divitiarum*, ideſt pleni copiis peccatorum, ſive *viri divitiarum* ſapientialium, niſi cum eis ſit gratia Chriſti.

Triplex eſt ſomnus.

Eſt autem triplex ſomnus, ſeu ſomnus ſignificat moraliter loquendo tria in ſacra Scriptura. D
Primo pigritationem criminalem.
Secundo contemplationem ſupernalem.
Tertio migrationem mortalem.

Et primum docet nos Apoſtolus propulſare, dicens: *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*, ad Rom. 13. Secundum docet nos Chriſtus procurare, dicens: *Dormite jam, & requieſcite*, Matth. 26. Tertium docet nos Apoſtolus tolerare, dicens: *Nolo vos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini* &c. 1. ad Theſſal. 4.

Somnus ſignificat pigritiam vel negligentiam.

Quantum ad primum ſciendum, quod ſomnus ſignificat pigritiam & negligentiam propter ſimilitudinem cauſſalitatis, otioſitatis, & vanæ imaginabilitatis. Cauſſatur etiam ſomnus ex humiditate capitis, aſcendentibus vaporibus a ſtomacho ad cerebrum. Unde pueri & flegmatici, quia multum abundant in humiditate, multum dormiunt. Sic ſpiritualiter ex humiditate, ideſt affectu inordinato terrenorum, cauſſatur pigritia & negligentia, quæ multum periculoſa eſt; propter quod parabolice dicitur Matth. 13. quod *quum dormirent homines, venit inimicus & ſuperſeminavit zizania in medio tritici ſeminati*. Quum enim dormiunt pigritia & negligentia, ſive prælati erga ſubditos, ſive ſubditi erga ſeipſos; ſuperſeminat diabolus ſuperveniens *zizania* ſcandalorum, errorum, & vitiorum in Eccleſia vel in cordibus fidelium, ubi prius erat ſatum a Deo ſemen virtutum. Unde Salomon ab hoc ſomno pigritiæ excitans dicit: *Uſquequo, piger, dormies, quando conſurges a ſomno tuo? paullulum dormies, paullulum dormitabis, paullulum conſeres manus tuas, ut dormias & veniet tibi egeſtas quaſi viator, & pauperies quaſi vir armatus*, Proverb. 6. A

Aſſimilatur etiam pigritia ſomno, quia ſicut dormiens nil operatur; ita & piger otioſus manet, & nil boni facere vult. Unde pſal. 118. *Dormitavit anima mea præ tædio*, ſcilicet nil boni operando. Dormiens inſuper vana multa imaginatur; ſic & piger & negligens plenus eſt cogitationibus & deſideriis malis. Unde Proverb. 21. dicitur: *Diſideria*, ſcilicet mala, *occidunt pigrum* ſpiritualiter, ab eo auferendo devotionem & gratiam. A quo ſomno excitat Apoſtolus, ad Eph. 5. dicens: *Surge, qui dormis, & exſurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* B

Somnus ſignificat contemplationem.

Quantum ad ſecundum dico, quod ſomnus aliquando ſignificat contemplationem. Unde Can. 5. dicit anima contemplativa: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et hoc ſignificat propter ſimilitudinem ſenſualis clauſionis, corporalis refectionis temporalis determinationis. Clarum eſt enim, quod quum homo dormit, tenet ſenſus exteriores clauſos, quia nec videt, nec audit, nec guſtat, nec odorat. Sic contemplans, ſenſus claudit ad iſta terrena, quia diſtrahere habent animum a ſubtili & fixa conſideratione. Unde pſal. 131. *Si dedero ſomnum oculis meis*, ideſt ſenſibus exterioribus, *& palpebris meis dormitationem*, ideſt curioſis inquiſitionibus, quæ tamquam palpebræ oculos intellectus cooperiunt, *& requiem temporibus meis*, ideſt affectibus carnalibus; ſic *inveniam locum Domino* per gratiæ inhabitationem. Reficit etiam ſomnus, mirabiliter confortat & nutrit non minus quam cibus, ut docet experientia. Fugat etiam triſtitiam ſecundum Auguſtinum. *Delectamento ſomni conveniente nutritus ſum*, Sapient. 7. Sic & contemplatio ſuper omnia recreat, nutrit, & fortificat animam; propter quod dicit ſpiritus, ſcilicet alloquens electos ſe inferiores de anima contemplativa: *Adjuro vos, filiæ Hieruſalem, per capreas, hynnuloſque & cervos camporum, ut non ſuſcitetis, nec evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit*, Cantic. 2. Loquitur autem ſpiritus per occultum inſtinctum, adjurat per internam exhortationem & monitionem filias Hieruſalem, ideſt animas fideles *per capreas hynnuloſque cervorum*, ideſt per merita & exempla ſanctorum, qui capreæ dicuntur propter velocem curſum, ſcilicet fervoris ad divina, acutum viſum, ſcilicet cognitionis ad ſpiritualia, levem paſtum vel herbarum propter abſtinentiam circa cibaria. *Hynnuli* dicuntur, ideſt parvi cervi, propter longævitatem perſeverantiæ. Cervi enim diutiſſime vivunt propter ſupportabilitatem benevolentiæ. Cervis enim gregatim ambulantibus unus ponit caput ſuper dorſum alterius, ex hoc docentes illud ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate*. Delectantur & hynnuli inſpicere humanam faciem, quod deſignat in electis humanitatis benignitatem. *Ut non ſuſcitetis*, ſcilicet a ſomno contemplationis, *nec evigilare faciatis*, ſcilicet ad iſta mundana tractanda. Somnus quoque in infirmis, quum debite ſumitur, ſignum magnum eſt futuræ ſanationis. Unde dixerunt diſcipuli de Lazaro: *Domine, ſi dormit, ſalvus erit*, Joann. 11. Infirmi omnes ſumus in vita præſenti ſpiritualiter; perpetua autem ſanatio & ſalvatio in ſuperna gloria. Hujus autem ſperandæ perfectæ ſalutis eſt actus debitæ contemplationis: jam enim inchoare incipit ſtatum futurum. Tempus autem conveniens communis dormitionis ſecundum medicos eſt tempus ſeptem horarum. Sic E

in ſeptem horis variis, quibus Chriſtus ſuſtinuit paſſionem, debet quis dormire, ideſt attente meditari Chriſti multiplicem afflictionem. Decet etiam contemplari & maxime bona nobis in patria reſervata, ut roboremur contra adverſa. Et de hoc ſomno contemplationis pulchram habemus figuram Geneſ. 28. quando Jacob, dimiſſa domo paterna, peregre conſtitutus in Luza lapide capiti ſuppoſito dormiens vidit ſcalam de cælo in terram attingentem, & Angelos aſcendentes per eam & deſcendentes, & Dominum ſcalæ innixum eum benedicentem. Jacob ſiquidem interpretatur *luctator* ſive *ſupplantans*, & ſignificat eum, qui vitia ſupplantat eis dominans, parentes deſerit, quum affectum propinquorum abjicit, ut peregrinus in hac vita tranſit. Caput mentis lapidi ſuperponit, Chriſto ſe conformando, & clauſis ſenſibus ad exteriora contemplatur ſcalam divini conſenſus ad patriam, & demum a Domino benedictionem æternam recipit. De hac igitur dormitione poteſt illud exponi: *Lazarus amicus noſter dormit*, Joann. 11. feria ſexta quartæ hebdomadæ in quadrageſima. Et illud aliud: *Non eſt mortua puella, ſed dormit*, Matthæi 9.

Dormitio ſignificat mortem.

Quantum ad tertium dico, quod dormitio ſignificat mortem corporalem. Unde in libris Regum, quum narratur de morte ipſorum, dicitur: *Dormivit cum patribus ſuis*. Deſignat autem hoc propter trinam ſimilitudinem. Primo, quia, ſicut qui vadit dormitum, poſt ſomnum per aliquod tempus exſurgit; ita qui moritur, poſt tempus a Deo præfixum *reſurget in noviſſimo die*. Unde dicitur Dan. 12. *Qui in pulvere terræ dormiunt, evigilabunt*. Secundo, quia ſecundum diſpoſitionem, qua quis capit ſomnum, ſcilicet infirmitatis vel ſanitatis; varia videt in dormitione. Nam infirmus horribilia cernit, ſanus & quietus ſuavia intuetur. Et a dormitione quidem ſurgens infirmus totum ſe reperit fractum & debilitatum, ſanus autem roboratum & confortatum. Sic ſpiritualiter, qui capit ſomnum mortis in infirmitate peccati mortalis, videt horrenda & pavenda in gehenna ignis. Qui autem gratia ſanus aſſumit ſomnum mortis, bene purgatus videt læta & jucunda ſupernæ patriæ. Et demum in ultima reſurrectione confractior reperietur peccator, & robuſtior & felicior juſtus. Unde Apoſtolus 1. Cor. 15. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Tertio ex eo, quod ſicut ſomnus arripit aliquando hominem ex inſperato & contra ſuum velle; ita & mors hominem interimit, quum non ſperatur. *Neſcit* enim *homo finem ſuum*, Eccleſiaſtes 9. Et hoc quoad tertium.

CAPUT VIII.

De æſtimativa, & cogitationibus.

De potentia æſtimativa.

SEquitur de potentia æſtimativa, quæ etiam communis eſt nobis & brutis. Et in nobis quidem dicitur cogitativa. Unde & hic de cogitationibus inferemus. Eſt autem potentia æſtimativa, ordinativa ad apprehendendum intentiones, quæ per ſenſum non accipiuntur ſecundum B. Thomam in 1. parte, quæſt. 78. Neceſſarium eſt enim animali, ut quærat aliqua vel fugiat, non ſolum quia ſunt convenientia, vel non convenientia ad ſentiendum, ad quod ordinatur ſenſus communis & particularis exterior; ſed etiam eſt neceſſarium, ut quærat aliqua vel fugiat propter aliquas alias commoditates & utilitates conſequendas, vel nocumenta vitando; ſicut ovis videns lupum fugit, non illam indecentiam coloris, ſed quaſi inimicum naturæ; & avis colligit paleam, non quia delectat ſenſum, ſed quia eſt utilis ad nidificandum. Ad hujuſmodi igitur intentiones apprehendendum, ordinatur æſtimativa, ſicut & memoria ad eas conſervandum, & eſt communis iſta potentia nobis & brutis. Sed eſt differentia quantum ad prædictarum intentionum apprehenſionem. Nam alia animalia percipiunt hujuſmodi intentiones quodam naturali inſtinctu; homo autem per quamdam collectionem. Et ideo, quæ in aliis animalibus dicitur æſtimativa, in homine dicitur cogitativa, quia per collectionem quamdam hujuſmodi intentiones adinvenit. Unde & dicitur etiam ratio particularis, cui medici aſſignant determinatum organum, ſcilicet mediam partem capitis. Verum quia in potentia ſenſitiva & præcipue apprehenſiva non poteſt eſſe peccatum; ideo in cogitationibus hominum, prout ſunt in tali potentia, non eſt peccatum vel meritum, ſed prout eis additur, vel ſupervenit aliquis effectus bonus vel malus.

Hæc potentia differenter eſt in homine & aliis animalibus.

Nota igitur ſecundum Thomam 2. 2. quæſt. 2. art. 1. quod cogitare ſumitur tripliciter. Uno modo communiter pro quacumque actuali conſideratione intellectus, ſive perveniendo ad claram & certam cognitionem ejus, quod cogitatur, ut quum quis conſiderat, quæ ſit; ſive etiam antequam perveniatur ad perfectionem cognitionis per certam & claram viſionem. Secundo modo proprie, ſcilicet ſolum pro conſideratione intellectus cum quadam inquiſitione, antequam perveniatur ad claram notitiam rei; & hoc circa intentiones univerſales. Tertio modo pro quadam inquiſitione & diſcurſu circa particularia apprehenſa a ſenſibus; & iſto tertio modo eſt actus hujus potentiæ cogitativæ; nec tamen eſt ibi peccatum vel meritum, niſi cooperante intellectu & affectu aliquo modo. Et ſecundum hoc nunc de cogitationibus agetur, de quibus Pſalmiſta 93. *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Ubi tria de ipſis cogitationibus poſſunt notari.

Et primum eſt, quod Deo ſunt ſimpliciter denudatæ, ibi: *Dominus ſcit.*

Secundum, quod in homine ſunt multipliciter variatæ, ibi: *Cogitationes hominum.*

Tertium eſt, quod in eo ex ſe ſunt vituperabiliter terminatæ, ibi: *Quoniam vanæ ſunt.*

Deo cuncta cogitationes ſunt nuda.

§. 1. Quantum ad primum, ſciendum, quod cogitationes quæcumque notæ ſunt Deo: *Omnia* enim, ait Apoſtolus ad Hebr. 4. *nuda & aperta ſunt oculis ejus*, ideſt cognitioni. Et ita ſunt ei notæ, quod neque ab Angelo bono, neque malo, neque proximo ex ſe ſciri poſſunt. Unde dicitur Hierem. 17. *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes, qui do unicuique juxta viam ſuam. Pravum* dicitur *cor hominis*, quia inclinatum ad prava, juxta illud, Gen. 8. *Senſus hominis & cuncta cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Inſcrutabile* dicitur, quia ejus cogitationes nulla creatura ſcire valet; unde Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. *Quis hominum ſcit, quæ ſunt hominis*, ideſt in cogitationibus interioribus, *niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Quis* ergo *cognoſcet illud*, quaſi dicat: Nullus, niſi Deo revelante. Sic cognovit Eliſæus cogitationes malas avaritiæ, quibus motus fuit Gyezi diſcipulus ſuus ad petendum a Naaman Syro veſtes & argentum, ut habetur 4. Reg. 5. Solus ergo Deus ſcit cogitationes hominum. Unde ſubditur in auctoritate: *Ego Dominus ſcrutans cor*, ideſt cogitationes cordium, *& renes*, ideſt, delectationes earum in bonum vel malum, ex quibus homines tandem judicat, & non ſolum ex operibus. Unde Chryſoſtomus: *Non ex operibus judicat, ſed ex cogitationibus, & ex corde*, 2. 2. quæſt. 5. *Qui pejerare.*

Sed

Cogitatio uno modo liciter, alio non eſt cognoſci.

Sed pro majori declaratione notandum, quod cogitatio vel affectio poteſt cognoſci ab aliquo tripliciter.

Primo per ipſius in ſe certam & claram intuitionem.

Secundo per revelationem.

Tertio per conjecturationem.

Et primo quidem modo, prout ſcilicet cogitationes ſunt in intellectu, & affectiones in voluntate, ſic ſolus Deus cogitationes & affectiones cognoſcere poteſt; & hoc eſt proprie ſcire. Unde bene dicit Pſalmiſta: *Dominus ſcit*, non homo vel Angelus, ſed ſolus Deus; quod etiam atteſtatur Salomon, 1. Paral. 6. dicens: *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum. Corda*, ideſt cogitationes & affectus. Hujus ratio eſt ſecundum B. Thomam 1. B parte quæſt. 58. quia voluntas rationalis creaturæ ſoli Deo ſubjacet, & ipſe ſolus in eam operari poteſt, qui eſt principale ejus objectum & ultimus finis. Et ideo ea, quæ mihi ex voluntate ſunt, vel ex voluntate ſola dependent, ſoli Deo ſunt nota. Ex ſola voluntate hominis dependet, quod aliquis actu aliqua conſideret; quia quum aliquis habet habitum ſcientiæ, vel ſpecies intelligibiles in eo exiſtentes, utitur eis, quum vult.

Secundo modo, ſcilicet per revelationem, poteſt cognoſci cogitatio hominis, in quantum ſcilicet a Deo alicui revelatur; & ſic anima Chriſti per revelationem a verbo, cui erat & eſt unita, cognoſcit & cognoſcebat omnes cogitationes hominum. Unde & Judæis mala de eo cogitantibus C dixit: *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Matth. 9. & Lucæ 11. dicitur: *Ut vidit cogitationes eorum* &c. ſic & Petrus Apoſtolus per Dei revelationem cognovit fraudem factam per Ananiam & Saphiram de pretio poſſeſſionis venditæ, Act. 5. ſic & B. Benedictus cognovit cogitationes murmurationis, quam faciebat contra eum, qui ante eum tenebat lucernam, dum comederet, ut habetur in 2. dialogorum.

Tertio poteſt cognoſci cogitatio vel affectio hominis per conjecturationem. Et ſic Angelus bonus & malus etiam homo, poteſt cognoſcere cogitationes alterius, ſcilicet ut in ſuo affectu. Cognoſcitur enim ſecundum B. Thomam in 1. parte quæſt. 57. art. 4. interdum cogitatio non ſolum D per actum exteriorem, puta locutionem vel operationem manifeſtantem ipſam, ſed etiam per immutationem vultus. Et medici etiam aliquas affectiones animi per pulſum cognoſcere poſſunt. Et multo magis Angeli & dæmones, quanto ſubtilius hujuſmodi paſſiones occultas corporales perpendunt. Unde Auguſtinus dicit, *dæmones aliquando hominum diſpoſitiones non ſolum voce prolatas, ſed etiam cogitatione conceptas, quum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcere*, 26. quæſt. 4. can. fin. quamvis in libro retractationum dicat, hoc non eſſe aſſerendum, ſcilicet quomodo hoc ſciant; non tamen dicit, quin talia ſciant, ſcilicet per conjecturas.

De vanitate cogitationum.

§. II. Quantum ad ſecundum ſciendum, quod cogitationes hominum ſunt & multæ & multipliciter variatæ. Unde in plurali dicit, *& cogitationes hominum*. Variatæ autem ſunt non ſolum ſecundum materiam, ſed ſecundum cauſſam. Nam, ut dicit venerabilis Caſſianus in 1. coll. abbatis Moyſi, quædam cogitationes habent ortum a Deo, quædam a diabolo, quædam a carne ſeu corde proprio.

Earum cauſſa triplex

A Deo.

Et quod cogitationes habent principium a Deo, oſtendit Apoſtolus, 2. ad Cor 3. dicens: *Non quod ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis*, ſcilicet boni, *quaſi ex nobis*; *ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Omnis igitur cogitatio bona in A nobis a Deo procedit, puta quum cogitas agere pœnitentiam, jejunare, orare, virtutes acquirere, proximis prodeſſe, Deo placere, & hujuſmodi. Et ad hoc hortabatur pſal. 54. dicens: *Jacta cogitatum tuum in Domino*, ſcilicet de eo & propter eum bona cogitando.

A diabolo.

Quod cogitationes etiam aliquæ procedant a diabolo inſtigante, oſtenditur ex eo, quod Chriſto poſt reſurrectionem apparente diſcipulis, quum æſtimarent ipſum phantaſma eſſe, dixit eis Luc. 24. *Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Aſcendunt* dicit, quia male erant & falſæ; & ideo aſcendebant a dæmoniis: ſi bonæ fuiſſent, deſcendiſſent a Patre luminum. Et de Juda dicit Evangeliſta Joann. 13. *Quum miſiſſet diabolus in cor ejus, ut traderet eum*. Ubi B advertendum eſt ſecundum B. Thomam, in 1 parte, quæſtion. 111. quod dæmones non poſſunt immutare cogitationes, interius eas cauſſando, quum uſus cogitativæ virtutis ſubjaceat voluntati; quod ergo dicitur a Damaſceno & Beda, quod eſt immiſſor & incenſor cogitationum; intelligitur hoc, non quod cauſſat eas, ſed in quantum incitat ad cogitandum vel appetendum cogitata per modum perſuadentis vel paſſionem concitantis. Et hoc ipſum incendere Damaſcenus vocat immittere, quia talis operatio interius fit. Sed bonæ cogitationes attribuuntur altiori principio, ſcilicet Deo, licet Angelorum miniſterio procurentur. Ponit autem Anſelmus in libro de ſimilitudinibus pulchram ſimilitudinem circa hanc materiam cogitationum, C prout ſunt a Deo vel diabolo, ubi comparat cor noſtrum molendino cuidam, quod continue volvitur, cujus molendini dominus locat ipſum alicui, dans ſibi triplex genus victualium ad molendum, ſcilicet triticum, hordeum, & ſpeltam, cum hac conditione, quod continue molat aliquod ex illis, & hoc faciendo ſibi fideliter ſervit, & inde bene vivit. Habet autem dominus ille inimicum capitalem quærens in omnibus ei diſplicere. Unde ſciens molendinum ſuum tali locatum, occultat ſe juxta domum ejus, ut ſi talis conductor ceſſat per modicum a molendo victualia domini ſui, & quum hoc reperit, immediate ponit ſuper molendinum de rebus ſuis, videlicet picem, arenam, vel paleas, & hoc ad deſtruendum molendinum & illi D nocendum. Spiritualiter dominus iſte eſt Deus noſter univerſorum Dominus: molendinum ſuum eſt cor noſtrum, quod continue volvitur circa aliquid cogitandum. Unde Bernardus: Nil fugacius animo meo. Locat autem iſtud molendinum nobis, ut molamus, quum voluntatem præſtat & rationem ad cogitandum. Adminiſtrat & ipſe per inſpirationem triplicem materiam, ſuper qua debemus volvere cor noſtrum, videlicet cogitationes de Deo, & de ejus immenſa bonitate & gloria ſuperna tamquam triticum optimum. De virtutibus & donis ſpiritualibus, quomodo in eis proficiamus tamquam hordeum. Cogitationes de peccatis commiſſis ut doleamus, & de his, quæ poſſunt E committi, ut fugiamus tamquam ſpeltam. Et certe quum hoc facimus, Deo fideliter ſervimus, & inde tandem vivimus vita gratiæ & tandem gloriæ. Inimicus hujus Domini diabolus eſt, qui inſidiatur continue molendino cordis noſtri, & ſi videt nos non cogitare aliqua utilia; tunc ipſe ſuggerit, & ſuadet cogitationes luxuriæ maculoſas corporis & animæ tamquam picem, vel cogitationes avaritiæ graves tamquam arenam, vel leves inanis gloriæ tamquam paleas; ex quibus molendinum deterioratur. Et talis conductor niſi reſipiſcat, oportet quod moriatur ſpiritualiter, quia ex illis vivere non poteſt. Unde dicit Dominus per prophetam Hierem. 4. *Uſquequo morabuntur cogitationes apud te noxiæ?* Et Sap. 1. dicitur

de Spiritu ſancto, quod *auferet ſe a cogitationibus, ſunt ſine intellectu*, ideſt ſine ratione.

Ex proprio corde.

Procedunt & cogitationes aliquando ex corde proprio. Unde Salvator Matth. 15. inquit: *Ex corde exeunt cogitationes malæ*. Unde & in figuram dictum fuit primo parenti, Gen. 3. *Spinas & tribulos germinabit tibi*, ſcilicet terra cordis tui, etiam cultivata ſpiritualibus exercitiis, *ſpinas*, ſcilicet cogitationum, non ſollicitudinis temporalium, & *tribulos* affectionum ſenſualium: quæ cogitationes infeſtant homines importune, ſicut muſcæ frequentant cadavera. Unde & B. Antonius quaſi attædiatus ſemel ex tanta cogitationum importunitate exclamavit ad Deum: Domine, volo ſalvus fieri, ſed non permittunt me cogitationes meæ. Verum quia primi motus earum non ſunt in noſtra poteſtate, unde nec peccata, ſaltem a ſecundis motibus ſeu delectationibus earum cavendum eſt. Unde Dominus dicit per Iſaiam 1. *Auferte malum cogitationum veſtrarum*, non dicit *cogitationes*, ſed *malum cogitationum*, in quantum ſcilicet de vitiis ſunt cum complacentia ipſarum.

Triplex eſt vanitas cogitationis.

§. III. Quantum ad tertium dixit, quod cogitationes ipſæ ex ſe, ideſt defectu cogitantis ſunt depravatæ, *quoniam*, inquit, *vanæ ſunt*. Eſt autem triplex vanitas, ſcilicet pœnalitatis, iniquitatis, & inſtabilitatis, de qua triplici vanitate agit Eccleſiaſtes per totum; unde & in principio libri nominat vanitatem dicens: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*. Omnia enim creata ſunt vanitas, quantum ad mutabilitatem; & de hac agitur in cap. 1. Eccleſiaſtes uſque ad cap. 4. excluſive, ſed homo non ſolum eſt vanitas prædicto modo. Sed etiam per iniquitatem; & de hac agitur a cap. 4. uſque ad 12. excluſive. Eſt & tertia vanitas in homine, ſcilicet pœnalitatis, & ea plenus. Unde dicitur, *vanitas vanitatum*, ideſt vanus per culpam, plenus vanitate per pœnam; & de hac agitur ipſo cap. 12. in fine libri Eccleſiaſtes.

Quantum igitur ad vanitatem pœnæ, de qua Apoſtolus ad Rom. 8. *Vanitati creatura ſubjecta eſt etiam non volens*, ſcilicet pœnæ, famæ, ſitis, frigoris, & hujuſmodi; utique *cogitationes hominum vanæ ſunt*, ideſt afflictivæ: unde dicitur Sap. 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ*. Nam ſi bonus eſt homo, timet non diſplicere Deo, non incurrere peccata varia & hujuſmodi. Si malus timet, ne impediatur exſecutio ſuarum malarum cogitationum, vel ne providentia ſua circa temporalia non habeat effectum. *Timor* autem, ut dicitur in 1. canonica Joann. 4. *pœnam habet*. Frequenter enim una cogitatio pugnat contra aliam, ſcilicet *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, Gal. 5. unde ſequuntur cogitationes etiam circa curam corporis, & proviſionem etiam neceſſariorum, multum tædium, & pœnam inferunt præcipue bonis, quamvis in ſe peccata non ſint.

Secundo *cogitationes hominum vanæ ſunt* vanitate iniquitatis, de qua pſal. 5. *Cor eorum vanum* eſt, ideſt iniquum. Et quidam ita iniqui ſunt, ut etiam contra Dominum cogitent. De quibus pſal. 72. *Cogitaverunt, & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt*, dicentes Deum non habere providentiam debitam circa homines. Contra quos Hieronymus: *Quid contra Dominum cogitatis? ipſe qui creavit mundum, & conſummationem faciet ejus. Quod ſi vobis rigidus crudelis & cruentus videtur, quod genus humanum diluvio deleverit*, &c. 23. quæſt. 5. *Quid ergo*. Et ad intelligendum quomodo cogitationes efficiuntur iniquæ, ſume exemplum in nebula, quæ elevata a terra ſæpe in parte ſuperioris aeris generat nubes, quæ ibi nutriuntur, nec diſſolvuntur, niſi per magnum ventum, qui reſolvit illas & convertit, vel in aerem vel in aquam, grandinem, aut nivem. Nutriuntur autem illæ nubes in aere virtute caloris vel ignis elementalis, qui quaſi exſtinguitur per tonitrua, coruſcationes & fulgura. Sic accidit de cogitationibus: ſunt enim ut quidam vapores ſive nebulæ, quæ a terra, ſenſitivæ ſcilicet phantaſiæ vel memoriæ, aſcendunt ad altitudinem intellectus, & calore, ideſt voluntatis affectu nutriuntur, & creſcunt, & obnubilant mentem aliquando, ut ſol Chriſtus non videatur. Et hoc quando amor proprius reperitur in voluntate, qui omnem materiam in ſe bonam cogitationum pervertit ad malum. Sed ſi ventus Spiritus ſancti percutit tales nubes cogitationum, tunc exſtinguit malum ignem ſeu calorem proprii amoris. Et exinde ſequuntur tonitrua lamentationum de peccatis cum clamore petendi divinam miſericordiam, ſequuntur & coruſcationes bonorum exemplorum, & fulgura incendentium operum & verborum, pluviæ lacrymarum & hujuſmodi.

Quantum ad tertium *cogitationes hominum vanæ ſunt*, inſtabilitate ſeu mutabilitate, de quo Eccleſiaſtes cap. penult. Vanitatis arguuntur præterita; ex eo enim, quod præterita ſunt, oſtendunt inſtabilitatem; & ſic *cogitationes hominum vanæ ſunt*. Dum enim quis vult fixe aliquid de ſpiritualibus cogitare, ſubito mens ad alia evolat, ut dicere valeat illud pſal. 39. *Cor meum dereliquit me*. Exemplum patet in B. Bernardo, qui, ut habetur in legenda ejus, conquerens cum quodam ruſtico in itinere de tanta diſtractione mentis, ut unum *pater noſter* dicere non valeret ſine alia cogitatione; aſſeruit ruſticus ſe hoc facere poſſe: cui Bernardus mulam, cui inſidebat, ſi hoc agere poſſet, dare promiſit; quod quum ille attentaret, in medio ejus occurrit ſibi cogitatio de ſella &c.

§. IV. Circa evidentiam eorum, quæ dicta ſunt in 1. paragrapho hujus, ſcilicet quod Angelus non cognoſcit cogitationes noſtras, eſt ſciendum, quod cogitatio noſtra vel etiam licujus Angeli poteſt comparari ad tria, ſcilicet ad ſubjectum, quod informat, ad objectum, quod repræſentat, ad effectum, quem inclinat.

Primo enim ſi comparatur cogitatio ad ſubjectum, quod informat; tunc dico, quod Angelus poteſt ſcire vel videre cogitationem noſtram vel etiam Angelicam. Cujus ratio eſt, quia Angelus poteſt videre ſpecies exiſtentes in mente mea vel angelica. Sed cogitatio actualis eſt quædam forma & quidem actus exiſtens in intellectu æque realis & æque actualis, ſicut ſpecies, vel magis quam ſpecies. Ergo qua ratione ſpecies exiſtentes in mente mea vel Angelica Angelus poteſt videre, eadem ratione cogitatio actualis mea vel Angelica poteſt cognoſci ab aliquo Angelo.

Secundo modo poteſt comparari cogitatio mea vel Angelica ad objectum, quod repræſentat. Et ſic cogitatio mea vel Angelica poteſt cognoſci & videri ab Angelo, ut v.g. ſicut ille, qui videt ſpeciem alicujus rei in oculo alterius, & mediante illa ſpecie habet aliquam notitiam de re, cujus eſt ſpecies; ſic Angelus videns cogitationem alicujus in mente noſtra vel Angelica, cognoſcit & videt rem, cujus eſt cogitatio, vel quam illa cogitatio repræſentat. Nota tamen differentiam inter illum, qui videt cogitationem alicujus rei in mente alterius, quia non habet rem, de qua eſt cogitatio proimmediato objecto, ſed ipſam cogitationem, & mediante cogitatione habet aliquam notitiam de re, cujus eſt cogitatio. Sicut dictum eſt de illo, qui videt ſpeciem alicujus rei in oculo alterius, & mediante illa ſpecie habet aliquam notitiam de re, cujus eſt ſpecies. Ille autem, cujus cogitatio videtur habere rem, de qua eſt illa cogitatio, pro im-

Angelus quomodo videt cogitationes.

immediato objecto, & videt illam rem, de qua A est cogitatio; sicut ille, qui videt rem immediate visione corporali, perfectius videt, & aliquid potest cognoscere de ea; puta quanta sit, vel aliquid tale, quod non potest cognoscere ille, qui videt eam mediante specie exsistente in oculo alterius. Ita etiam ille, qui videt rem intellectualiter in mente per actum suum cogitandi, perfectius & plura novit de re illa, quam ille, qui videt eam mediante cogitatione exsistente in altero. Et sic quamvis Angelus cognoscat cogitationem nostram vel Angelicam, tamen cogitatio tam nostra quam Angelica potest latere aliquem Angelum, quantum ad hoc, quod non ita perfecte videt rem illam, de qua est cogitatio, videndo cogitationem in altero, sicut ille, cujus est cogitatio. B

Tertio modo potest comparari cogitatio nostra vel Angelica ad effectum quem inclinat, & tunc dico quod voluntas potest dupliciter considerari, scilicet ut habitualiter volens, & actualiter volens. Primo modo voluntas potest considerari ut habitualiter volens; & sic cogitatio nostra vel etiam Angelica latet quemcumque intellectum creatum, etiam ipsum cogitantem, quia scilicet nullus intellectus creatus videt, quid in futurum velit voluntas de eo, quod modo cogitatur, ad quem finem debeat in posterum uti. Secundo modo potest considerari voluntas, ut actualiter volens, & intendens aliquid assequi per ipsam cogitationem & rem cogitatam; & tunc cogitatio talis aliquo modo patet, & aliquo modo latet; v. g. ut si aliquis cogitet de lapide, volens actu uti eo ad projiciendum ad avem; tunc dato, quod non lateat Angelum ipsa cogitatio, quantum ad hoc, quod est quædam forma inhærens voluntati, nec lateat ipsum etiam habitudo unius ad alterum, quin sciat quod illud, quod vult voluntas, est lapis; tamen potest latere Angelum habitudo unius ad alterum, scilicet quod nesciat ad quem finem voluntas vult recogitatam: v. g. licet videat voluntatem velle lapidem, de quo cogitat intellectus meus, potest tamen ignorare rationem vel finem, quare voluntas vult lapidem, utrum scilicet ad projiciendum ad avem vel ad inimicum, vel ad ædificandum. Et sic quando idem effectus potest provenire ex multis causis, non oportet cito effectum scire, ex qua causa venit. Et sic est in proposito, sicut patet. Hæc doctor subtilis, idest Scotus, & magister Herveus Brito ordinis prædicatorum. C

Cogitatio peccati fit per quattuor causas, scilicet ad cognoscendum, cavendum, delectandum, perpetrandum.

Cogitatio peccaminosa quadruplici ratione fit.

Primo cogitatio peccati fit aliquando solum ad cognoscendum. Sicut quum quis vult disputare vel prædicare de peccato, & ideo oportet, quod de ipso cogitet, ut sciat, quomodo debeat disputare vel prædicare. Et talis cogitatio de peccato, quæ ordinatur solum ad cognoscendum ipsum peccatum, est sine omni peccato.

Secundo cogitatio peccati, quæ fit ad detestandum commissum, & cavendum futurum, est E meritoria: Isai. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. In quo verbo notantur tria. Primo confessionis humilitas, ibi: *Recogitabo*, scilicet ad confitendum tibi. Secundo confessionis integritas, ibi: *Omnes annos meos*. Tertio contritionis qualitas, ibi: *In amaritudine animæ meæ*. Oportet enim, quod quandocumque quis cogitat de peccato, de ipso contritionem habeat.

Tertio cogitatio peccati fit ad delectandum: & hoc duobus modis. Vel ad delectandum de cogitatione peccati solum, & talis cogitatio est peccatum veniale: vel ad delectandum de re vel de peccato cogitato, & talis cogitatio est peccatum mortale.

Quarto modo cogitatio peccati fit ad perpetrandum peccatum. Et tunc, si peccatum est mortale, etiam cogitatio isto fine, scilicet ut perpetretur, est peccatum mortale. Unde super illo verbo Levit. 15. *Mulier, quæ patitur fluxum sanguinis*, glossa sic dicit: Cogitationes & voluntates quamvis opere non compleantur, apud Deum pro factis habentur & puniuntur. Hæc B. Thomas in 4 Et Alexander in 2. parte summæ quæst. 35.

Finaliter circa cogitationes cordis considerare debemus causam, scilicet a quo oriuntur. Ubi *Causæ cogitationis.* nota, quod cogitationes cordis dupliciter considerari possunt, scilicet absolute in quantum cogitationes, & conditionate in quantum bonæ vel malæ. Primo ergo considerando cogitationes cordis absolute in quantum cogitationes; tunc dico, quod causa cogitationum vel radix est triplex, scilicet propinqua, mediata, & remota. Prima causa cogitationum propinqua & immediata, est apprehensio sensuum particularium per organa. Secunda causa vel radix cogitationum mediata, est imaginatio causata ex apprehensione sensuum particularium per organa. Tertia causa vel radix cogitationum remota est cor. Quod patet, quia cogitatio a corde non exit nisi per aliquam imaginationem vel phantasiam, quæ est motus factus a sensu, ut dicitur in 2. de anima. Et ideo quum dicitur Matthæi 15. *De corde exeunt cogitationes* &c. intelligitur cor esse principium cogitationum tamquam causa vel radix remota, ut patet. Hæc B. Thomas in 4. distinction 24.

CAPUT IX.

De memoria.

DE memoria. Nota, quod memoria secundum B. Thomam in 1. parte 79. art. 6. sumitur *Memoria dupliciter sumitur.* dupliciter. Uno modo prout de ratione ejus est, quod objectum ejus sit præteritum ut præteritum; & sic memoria est in parte sensitiva, una potentia distincta ab aliis sensitivis interioribus, prout supra dictum est. Sensitiva enim tantum est apprehensiva particularium. Præteritum autem ut præteritum, quum significet esse sub determinato D tempore, ad conditionem particularis pertinet. Et habet talis potentia sensitiva organum corporale, cui est affixa sicut & aliæ. Bruta eam habent.

Alio modo sumitur memoria solum pro vi conservativa specierum intelligibilium; & sic memoria est in parte intellectiva. Quamvis enim Avicenna dixerit, species intelligibiles impossibile esse in intellectu conservari, unde secundum ipsum quam cito aliquis desinit actu intelligere aliquam rem, desinit esse species illius rei in intellectu; tamen Aristoteles in 3. de anima contrarium asserit. Ratione etiam dicta positio reprobatur. Quod enim recipitur in aliquo, recipitur per modum ejus, in quo recipitur. Intellectus autem est magis stabilis naturæ & immobilis, quam materia corporalis. Si ergo materia corporalis formas, quas recipit, non solum tenet, dum per eas agit in actu, sed etiam postquam per eas agere cessaverit, multo fortius intellectus immobiliter & inamissibiliter recipit species intelligibiles sive a sensibus receptas, sive ab aliquo intellectu superiori effusas. Unde in 3. de anima philosophus dicit, quod anima est locus specierum non tota, sed intellectus. Sciendum etiam, quod species intelligibilis aliquando est in intellectu in potentia tantum; & tunc dicitur intellectus esse in potentia tantum. Aliquando est secundum ultimam completionem actus; & tunc intellectus

in-

intelligit actu. Aliquando medio modo se habet inter potentiam & actu; & tunc dicitur intellectus esse in habitu. Et secundum hunc modum intellectus conservat species, etiam quando actu non intelligit.

Memoriæ ratio exponitur.

Salvatur etiam ratio memoriæ quantum ad hoc, quod est præteritorum in intellectu ex parte actus, non ex parte objecti. Nam præteritum potest referri ad duo, scilicet ad objectum, quod cognoscitur, & ad actum cognitionis. Et quantum ad objectum per se convenit memoriæ, quæ est partis sensitivæ, præteritio. Memoratur enim animal non solum sensisse in præterito, sed etiam sensisse quoddam præteritum sensibile. Sed in quantum ad partem intellectivam pertinet memoria, præteritio accidit, & non per se convenit intellectui ex parte objecti. Intelligit enim intellectus hominem, in quantum est homo; accidit autem homini, in quantum est homo in præterito vel in præsenti, vel in futuro esse. Ex parte vero actus cognitionis præteritio per se accipi potest in intellectu, sicut & in sensu; quia intelligere animæ nostræ est quidam particularis actus in hoc vel in illo tempore exsistens, secundum quod homo dicitur intelligere hodie vel heri vel cras; & hoc non repugnat intellectualitati, quia hujusmodi intelligere, quamvis sit quoddam particulare, est tamen immaterialis actus. Et ideo sicut intellectus intelligit seipsum, quamvis ipse sit quidam singularis intellectus; ita intelligit suum intelligere, qui est quidam singularis actus, vel in præterito, vel in præsenti, vel in futuro exsistens. Et sic, ut dictum est, salvatur ratio memoriæ quantum ad hoc, quod est præteritorum in intellectu, secundum quod intelligit se prius intellexisse; non autem secundum quod intelligit præteritum, prout est hic & nunc, quia intellectus abstrahit a conditionibus individuantibus, ut hic & nunc: sed sic præteritum pertinet ad potentiam memoriæ sensitivam, quæ est particularium rerum, ut hic & nunc.

Num memoriæ & intellectus distinctæ potentiæ sint.

Et nota, quod memoria prout est conservativa specierum intelligibilium, & per consequens pertinens ad intellectum, non est alia potentia realiter distincta ab ipso intellectu. Unde & philosophus in 3. de anima, locum conservativum hujusmodi specierum attribuit intellectui: est enim intellectus potentia passiva. Ad rationem autem potentiæ passivæ pertinet conservare, sicut & recipere. Et quamvis Magister sententiarum in lib. 1. Dist. 3. dicit, quod memoria, intelligentia & voluntas sunt tres vires, ideſt potentiæ; hoc tamen, ut dicit B. Thomas, non est de intentione Augustini in 14. de Trinit. ubi de his loquens non accipit illa tria pro tribus potentiis, sed memoriam accipit pro habituali retentione animæ, intelligentiam pro actu intellectus, voluntatem pro actu voluntatis. Consuetum est enim aliquando nomina potentiarum vel habituum pro actibus earum sumi. Et sic intelligentia dicitur oriri ex memoria non sicut potentia una ex alia, sed sicut actus ex habitu.

De utili exercitatione memoriæ.

§. I. De exercito memoriæ utili, psal. 111. *In memoria æterna erit justus.* Quod potest exponi tripliciter, etiam totum quod sequitur in versu: *Justus erit in memoria* sui *æterna*, ideſt assidua, vel *in memoria æterna*, ideſt perpetua proximi, *vel in memoria æterna* Dei. Quædam enim debet recolere respectu sui, quædam respectu proximi, quædam respectu Dei. Et hoc faciendo *ab auditione mala non timebit.*

Justus tria habet in memoria.

Et de se quidem justus habet in memoria tria. Primo infirmitatem naturæ, ut sic sit cautior contra casum. Exemplum de illo, qui incedit per viam lubricam, qui caute incedit, ne cadat. Ecclesiastes 8. *Ne despicias hominem avertentem se a peccato, nec improperes ei. Memento, quoniam omnes in correptione sumus.* Exempla de David, Petro & aliis. Secundo recordandum de damnositate culpæ. Mercator recolens quantum lucrum perdidit, inde sumit materiam doloris. Malefactor considerans se deprehensum & suspendendum dolet: Apoc. 2. *Memento unde excideris, & age pœnitentiam.* Ambrosius: *Nihil est, quod tam summi doloris sit, quam si unusquisque positus sub captivitate peccati, recordetur unde lapsus sit, atque unde ceciderit, & quod ad corporea atque terrena ab illa speciosa & pulchra divinæ cognitionis intentione deflexerit, De pœnit.* Dist. 1. can. *Sunt quæ arbitrentur* circa finem. Hoc agebat Ezechias. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, Isaiæ 38. Recogitanda est brevitas vitæ ad studiose operandum. Quando enim laborans videt appropinquare finem diei vel operis vel brevitatem temporis, studiosius operatur: Eccles. 14. *Offer dignas Deo oblationes, & memento, quoniam mors non tardat.* Et Gregorius: *Tanto sollicitior esse debes, quanto morti vicinior*, Dist. 86. *Tanto.* Plato: Summa philosophia est meditatio mortis. Econtra malus recordatur eorum, quæ provocant ad malum; sicut in figuram dixerunt quidam ex his, qui exierant de Ægypto: *In mentem veniunt cucumeres, allia, & cæpe, quæ comedebamus in Ægypto.* &c. Numeri 11.

De proximo habet tria in memoria justus; & sic *non timebit ab auditione mala* tentationis, quam loquitur ei diabolus. Exempla probitatis electorum ad imitandum, sic proponuntur filiis exempla parentum & concivium, qui fecerunt magnalia, ut animentur ad imitandum: Judith 8. *Memores esse debent, quomodo Abraham tentatus est, & per multas tribulationes inventus est fidelis. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, & omnes, qui placuerunt Deo per multas tribulationes transierunt fideles.* Sic Mattathias simul reducebat ad mentem opera sanctorum.

Secundo recordanda est fatuitas reproborum ad detestandum. Bene enim corrigitur & suaviter, qui per alium corripitur. Sicut canis verberatur, ut timeat leo. Luc. 17. *Memores estote uxoris Loth.*

Tertio recordanda est necessitas miserorum ad sublevandum. Sic recordantur aves & alia animalia suorum pullorum, procurando eis necessitatem, quæ duplex est, spiritualis scilicet & corporalis. Et de corporali dicit Apostolus ad Gal. 2. quod Petrus cum ceteris Apostolis approbata prædicatione Paulli inter gentes dederunt ei in socium Barnabam, tantum ut memores essent pauperum in Hierosolymis; quod & fecerunt facientes collectas fieri de spirituali subventione. Pro hujusmodi dicitur 1. Machab. 12. *Memores sumus vestri in sacrificiis.* E contra injustus recordatur injuriarum ad vindicandum, vel bonorum temporalium aliorum ad appetendum, & miseriarum ad gaudendum ex invidia.

De Deo justus tria habet in memoria; & sic non timet *ab auditione mala*, quam immittit ei diabolus, contra Deum occulte loquendo per suggestiones. Recordatur creationis omnium ad Deum laudandum. Omnia enim nos invitant ad Deum benedicendum. Nam sicut proverbialiter dicitur: *L'opra loda il maestro*, psal. 76. *Memor fui operum Dei, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum*; sic tres juvenes in fornace reducentes ad memoriam creata a Deo, omnia invitabant ad Deum benedicendum. Secundo recordandum redemtionis hominum. Threnorum 3. *Zain, recordare paupertatis & transgressionis meæ*, ait propheta in persona Christi, *absynthii & felis.* Et subditur:

tur : *Memoria memor ero : & tabeſcet in me anima mea*. Hoc maxime animat ad conſtantiam. In hujus figuram in 1. Mach. cap. 6. dicitur, quod ſanguinem uvæ & mori ponebant ante elephantes ad animandum in pugna. Tertio retributionis operum: pſal. 70. *Memorabor juſtitiæ tuæ ſolius. Reddet Deus unicuique ſecundum opera ſua*, & in hoc peccatores decipiuntur, dum attendunt ad præſentem retributionem, non ad futuram. Unde dictum fuit diviti Epuloni : *Fili, recordare* &c. Luc. 16.

Tria reddunt hominem obliviosum.

§. II. Secundo exponitur ſic : *In memoria æterna*, ideſt perpetua, *erit juſtus*, quia de ipſo ſemper eſt recordatio in mundo, ut patet de ſanctis: Proverb. 10. *Memoria juſti cum laudibus*; & ſic non timet *ab auditione mala*, præcipue quoad bonos, qui loquuntur bona de bonis. Unde Mattathias dixit filiis : *Date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum*, ideſt memoriam bonæ famæ perpetuam, 1. Matth. 2. Tot millia annorum fluxerunt, & adhuc memoriæ juſtorum Abrahæ, Job, David & aliorum, vigent in mentibus hominum.

Tria autem ſunt, quæ faciunt obliviſci hominem, ſui, Dei, & proximi, ſcilicet proſperitas mundialis, curioſitas criminalis, voluptas carnalis. Proſperitas facit obliviſci Dei & hominum, qui eum juverunt tempore tribulationis. Exemplum de præpoſito pincernarum Pharaonis Regis Ægypti, qui quum fuiſſet in carcere ab Joſeph humane tractatus & conſolatus in expoſitione prophetica ſomnii ſui, liberatus *oblitus fuit interpretis ſui*, ut patet Gen. 40. Sic multi in mente Deum habent & amicos ſuos in tempore neceſſitatis, qui poſtea obliviſcuntur in proſperitate. Deuter. 32. *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es* &c. Seneca in lib. de beneficiis comparat legem gratitudinis & beneficentiæ ludo mutuo pilæ. Quando enim duo ludunt ad pilam, & eam alternatim reprojiciunt inter ſe; tamdiu durat inter eos ludus, & continuatur, quamdiu convenienter in eos reprojiciatur & jactetur. Si unus recipiat & retineat, vel inconvenienter projiciat; deſinit ludus, qui deſinere non poteſt, niſi ex defectu mittentis vel recipientis. Sic eſt de mutua inter amicos beneficentia & gratitudine : extende exemplum ad propoſitum. E contra dicit Apoſtolus ad Heb. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliviſci*. Hugo de clauſtro animæ : Sicut nullum momentum eſt, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate; ita nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria.

Secundum, quod reddit hominem oblivioſum, eſt curioſitas & nimia ſollicitudo circa mundum vel minus utilia, pſal. 77. *Obliti ſunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus*. Eſt enim commune proverbium, quod

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Exemplum in Salomone, qui ex eo, quod fuit nimis curioſus in præparatione ſuæ curiæ, & inveſtigatione rerum naturalium, & inquiſitione diverſarum doctrinarum, oblitus eſt Dei, ita ut idola adoraret. Dicit enim Origenes & Dominus Joannes Dominici poſt eum ſuper Eccleſiaſten, quod tot feminæ vel concubinæ, quod recitat Scriptura eum habuiſſe, fuerunt multæ & diverſæ doctrinæ variarum nationum, quas voluit videre, quæ non continebant veritatem ſapientiæ, quæ ſola eſt legitima ſponſa intellectus, quibus mentem applicando deviavit a veritate, licet communiter credatur pœnituiſſe.

Tertium, quod impedit memoriam, eſt voluptas. Unde philoſophus : Amor formæ, ideſt carnalis concupiſcentia mentis oblivio eſt, ſcilicet cauſſative. Sed ſancti viri cavent ſibi a carne ſicut ab hoſte, & ſubjiciunt rationi; & ideo ſeipſos faciunt dignos memoria in bonum. Unde Eccleſ. 45. *Dilectus Deo & hominibus Moyſes, cujus memoria in benedictione eſt*. Narrat Magiſter in hiſtoria Eccleſ. ſuper Exodum, quod Moyſes duxerat uxorem filiam Regis Æthiopiæ, & quum in patriam ſuam redire voluiſſet, impedire eum nitebatur uxor. Moyſes igitur tamquam vir expertus aſtrorum ſculpſit in annulis duas imagines hujus efficaciæ, ut altera memoriam, altera oblivionem afferret. Quumque eas paribus & ſimilibus annulis incluſiſſet, oblivionis annulum uxori tradidit, & annulum memoriæ ſecum tulit. Et ſic mulier paullatim oblita eſt viri ſui, & Moyſes recordationem habens de patria ſua libere regreſſus eſt. Moraliter exponendo ſecundum Robertum Holchot, animus noſter natione cæleſtis patriæ eſt Moyſes, qui contrahit conjugium cum carne terrena per Æthiopiſſam deſignata, quando ſcilicet corpori infunditur. Animus vero deſiderans beatitudinem vult in patriam reverti cæleſtem; ſed iſta uxor, ſcilicet caro impedit ejus reverſionem. Et ideo utendum eſt cautela Moyſi, ut ſcilicet duos annulos faciamus cum gemmis, & annulum oblivionis carni tradamus, & & annulum memoriæ animo noſtro. Annulus oblivionis eſt meditatio mortis, quia mors oblivioni hominem tradit: pſal. 30. *Oblivioni datus ſum, tamquam mortuus a corde*. Annulus memoriæ eſt cogitatio vitæ æternæ, quam habens animus, revertitur ad patriam per bona opera. Et ſic *juſtus* propter bona, quæ facit, eſt *in memoria* hominum, ut ſcribitur Eccleſiaſtici 49. *Memoria Joſiæ .... in omni ore indulcabitur*; & ſic non *timebit juſtus ab auditione mala*.

§. III. Tertio exponitur verſus ille ſic : *Juſtus erit in memoria æterna*, ideſt Dei æterni, Hierem. 2. *Hæc dicit Dominus* : *Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam*. Recordatur autem Deus electi ſui, primo prædeſtinando, ſecundo juſtificando, tertio glorificando. Et ſic *non timebit ab auditione mala*, quam audient reprobi in fine, quibus dicitur : *Ite maledicti in ignem æternum* &c. Matth. 25.

TITU-

TITULUS TERTIUS
DE POTENTIA INTELLECTIVA.

CAPUT I.

De intellectu possibili & agente realiter distinctis.

Intellectus est potentia animæ, & non ipsa essëtia ejus.

DE intellectu, quem dicit philosopus in libro de anima esse potentiam animæ. Quod autem intellectus sit potentia animæ, & non ipsa essentia ejus, probat B. Thomas in 1. parte quæst. 79. art. 1. sic: Tunc solum immediatum principium operationis est ipsa essentia rei operantis, quando ipsa operatio est ejus esse. Sicut enim potentia se habet ad operationem & ad suum actum; ita se habet essentia ad esse. In solo autem Deo idem est intelligere, quod suum esse. Unde in solo Deo intellectus est ejus essentia. In creaturis autem intellectualibus intellectus est quædam potentia intelligentibus. Et sciendum secundum B. Thomam ubi supra, quod philosophi ponunt quattuor intellectus; scilicet intellectum possibilem, intellectum agentem, intellectum in habitu, & intellectum in actu seu adeptum. Quorum quattuor intellectus agens, & intellectus possibilis sunt realiter diversæ & distinctæ potentiæ, sicut & in omnibus aliis. Alia est activa, alia passiva. Alia vero tria distinguuntur secundum tres status intellectus possibilis, qui quandoque est in potentia tantum; & sic dicitur possibilis: quandoque vero in actu primo, qui est scientia; & sic dicitur intellectus in habitu: quandoque in actu secundo, qui est considerare; & sic dicitur intellectus in actu, seu intellectus adeptus. Hunc autem actum intellectus importat proprie hoc nomen intelligentia: signat enim ipsum actum intellectus, qui est intelligere. Unde non differt intelligentia ab intellectu, nisi sicut actus a potentia sua. In quibusdam tamen libris de Arabico translatis substantiæ separatæ, quas nos Angelos dicimus, intelligentiæ nuncupantur; forte propter hoc, quod semper hujus substantiæ actu intelligunt.

Damascenus etiam ponit quædam, quæ sunt non diversæ potentiæ, sed diversi actus intellectus. Primo enim simpliciter aliquid apprehendit, & hic actus dicitur intelligentia. Secundo id, quod intelligit, ordinat ad aliquid aliud cognoscendum vel operandum; & hæc vocatur intentio. Dum vero persistit in acquisitione ejus, quod intendit, vocatur excogitatio: dum vero id, quod excogitatum est, examinat ad aliqua certa, dicitur scire vel sapere. Nam sapientiæ est judicare. Ex quo autem habet aliquid pro certo tamquam examinatum, cogitat quomodo possit illud aliis manifestare. Hæc est dispositio interioris sermonis, ex qua procedit exterior locutio. Omnia hæc sunt actus unius potentiæ intellectivæ.

Actus intellectus declarantur.

De intellectu possibili.

§. I. De intellectu possibili. Hæc potentia est potentia passiva. Unde philosophus dicit 3. de anima, quod intelligere est quoddam pati. Sed sciendum secundum Thomam in 1. parte, quæst. 79. art. 2. quod pati tripliciter dicitur. Uno modo propriissime, quando scilicet aliquid removetur ab eo, quod patitur; quod convenit ei secundum naturam, vel secundum propriam inclinationem, sicut quum aqua frigiditatem amittit per calefactionem, aut quum homo ægrotat vel tristatur. Secundo modo dicitur aliquid pati minus proprie ex eo, quod aliquid abjicitur ab eo, sive illud sit conveniens, sive sit non conveniens. Et secundum hæc dicitur pati non solum qui ægrotat, sed etiam qui sanatur. Et non solum qui tristatur, sed etiam qui gaudet, vel quocumque modo alteretur seu moveatur. Tertio modo dicitur pati communiter aliquid ex hoc solum, quod id, quod est in potentia ad aliquid, recipit illud, ad quod erat in potentia absque eo, quod aliquid abjiciatur, secundum quem modum omne, quod exit de potentia in actum, dicitur pati, etiam quum perficitur; & sic intelligere nostrum est pati. Quod apparet hac ratione: intellectus enim habet operationem circa ens in universali. Comprehendi igitur potest, utrum intellectus sit in actu vel potentia ex hoc, quod consideratur, quomodo intellectus se habet ad ens universale. Invenitur enim aliquis intellectus, qui se habet ad ens universale, ut actus totius entis. Et talis est intellectus divinus, qui est divina essentia, in qua originaliter & virtualiter totum est, & præexsistit sicut in prima causa. Et ideo intellectus divinus non est in potentia, sed purus actus. Nullus autem intellectus creatus potest se habere ut actus respectu totius entis universalis, quia sic oporteret, quod esset ens infinitum. Unde omnis intellectus creatus per hoc ipsum, quod est, non est actus omnium intelligibilis, sed comparatur ad ipsa intelligibilia sicut potentia ad actum. Potentia autem dupliciter se habet ad actum. Est enim quædam potentia, quæ semper perfecta est per actum, sicut est materia corporum cælestium. Et sic intellectus Angelicus semper est in actu respectu suorum intelligibilium, propter propinquitatem ad divinum intellectum, qui est actus purus.

Intellectus divinus est purus actus.

Potentia dupliciter se habet ad actum.

Quædam potentia est, quæ non semper est in actu, sed de potentia procedit ad actum, sicut invenitur in generabilibus & corruptibilibus. Et sic intellectus humanus, qui est infimus in ordine intellectuum, est in potentia respectu suorum intelligibilium. Et in principio est sicut tabula, in qua nihil est scriptum, ut dicit philosophus 3. de anima. Quod manifeste apparet ex hoc, quod in principio sumus intelligentes in potentia, & postea efficimur intelligentes in actu. Et sic patet, quod intellectus est potentia passiva secundum tertium modum.

Et notandum secundum B. Thomam ubi supra, quod intellectus passivus secundum quosdam est appetitus sensitivus, in quo sunt animæ passiones. Qui etiam in 1. Ethyc. dicitur rationale per participationem, quia obedit rationi. Secundum alios intellectus passivus dicitur virtus cognitiva, quæ nominatur ratio particularis. Et utroque modo passivum accipi potest secundum primos duos modos passionis, in quantum talis intellectus est actus alicujus organi corporalis. Sed intellectus, qui est in potentia ad intelligibilia, quem ob hoc Aristoteles nominat intellectum possibilem, non est passivus illis duobus modis, quia non est actus organi corporalis.

Pati sumitur tripliciter.

De intellectu passivo.

§. II.

De intellectu agente.

§. II. De intellectu agente . Hic eſt alia potentia realiter diſtincta ab intellectu poſſibili. Unde philoſophus in 3. de anima dicit : Neceſſe eſt in anima has duas differentias eſſe , ſcilicet intellectum poſſibilem & agentem.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas in 1. parte quæſt. 79. art. 3. quod ſecundum Platonem non eſſet neceſſe ponere intellectum agentem ad faciendum intelligibilia in actu. Et ratio eſt, quia Plato ipſe poſuit, formas rerum materialium ſine materia ſubſiſtere , & per conſequens intelligibiles eſſe , quia ex hoc eſt aliquid intelligibile actu , quod eſt immateriale. Et hujuſmodi vocabat ſpecies & ideas, ex quarum participatione dicebat nos ſcientiam rerum habere. Sed quia Ariſtoteles non poſuit formas rerum naturalium ſubſiſtere ſine materia, formæ autem in materia exiſtentes non ſunt intelligibiles actu; ſequebatur, quod formæ ſeu naturæ rerum ſenſibilium , quas intelligimus, non eſſent actu intelligibiles. Nihil autem reducitur de potentia ad actum , niſi per aliquod ens actu , ſicut ſenſus fit actu per ſenſibile actu. Oportebat igitur ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, quæ faceret in actu intelligibilia per abſtractionem ſpecierum a conditionibus materialibus; & hæc eſt neceſſitas ponendi intellectum agentem.

Neceſſe eſt intellectū agentem eſſe in anima.

Eſt autem iſte intellectus agens aliquid in anima, ideſt quædam virtus ſeu potentia propria ſecundum B. Thomam ubi ſupra. Nam in rebus naturalibus perfectis præter univerſales cauſſas agentes, ſunt propriæ virtutes inditæ ſingulis rebus perfectis , ab univerſalibus agentibus derivatæ. Non enim ſolus ſol generat hominem , ſed etiam eſt virtus generativa hominis in homine, & ſimiliter in aliis animalibus perfectis. Quum autem nil ſit perfectius in inferioribus rebus anima humana ; ideo oportet dicere , quod in ipſa ſit aliqua virtus derivata a ſuperiori intellectu, per quam poſſit phantaſmata illuſtrare. Et hoc experimento cognoſcimus, dum percipimus nos abſtrahere formas univerſales a conditionibus particularibus; quod eſt facere intelligibilia actu. Nulla autem actio alicui convenit rei , niſi per aliquod principium formaliter inhærens ei. Oportet igitur virtutem, quæ eſt principium hujus actionis, aliquid eſſe in anima. Unde Ariſtoteles comparavit intellectum agentem lumini , quod eſt aliquid receptum in aere. Sicut ergo lumen requiritur ad videndum, nec ſufficit potentia viſiva, nec res colorata, quæ objicitur viſui ; ita intellectus agens eſt neceſſarius ad intelligendum, nec ſufficit intellectus poſſibilis, nec intelligibilis res, niſi adeſſet intellectus agens, qui faceret intelligibilia in actu per modum abſtractionis. Et quia ſenſibilia ſunt in actu extra animam , quæ apprehenduntur a ſenſibus ſecundum conditiones particulares & individuantes ; ideo non oportet ponere ſenſum agentem , ſed ipſum ſenſum , qui eſt potentia paſſiva. Sed intelligibilia rerum materialium non ſunt in actu extra animam , quæ poſſent imprimere in intellectum ; & ideo oportet ponere intellectum agentem , qui abſtrahat conditiones materiales a rebus ſenſibilibus ſeu phantaſmatibus earum, & ſic ſpecies intelligibiles deferat, ſeu præſentet intellectui poſſibili, ut intelligat . Quod autem dicitur Joannis 1. *Erat lux vera , quæ illuminat omnem* &c. ſcilicet lumine naturalis cognitionis; verum eſt, quod illuminat omnes, ſed ut cauſſa univerſalis, a qua anima humana participat quamdam particularem virtutem, ſcilicet intellectum agentem . Juxta illud pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui , Domine.* Et ſi intellectus agens non eſſet aliquid animæ, ſed eſſet quædam ſubſtantia ſeparata ; tunc unus

Deus quomodo omnes illuminat.

A eſſet intellectus agens omnium; ſed hoc eſt falſum : nam intellectus agens, ut dictum eſt, eſt aliquid animæ , ut quædam virtus ſeu potentia ejus. Et ideo neceſſe eſt dicere, quod ſint plures intellectus agentes ſecundum pluralitatem animarum, quæ multiplicantur ſecundum multitudinem hominum. Non enim poteſt eſſe, quod ſit una & eadem virtus diverſarum ſubſtantiarum.

§. III. Una anima & unus intellectus non eſt in omnibus hominibus, ut tradidit & dixit Averroes in 3. de anima. Quod quadrupliciter probo, ſcilicet ſimilitudine, auctoritate, ratione , & impoſſibilitate.

Quod non ſit unus tantum intellectus agens omnīū hominum.

Primo probo ſimilitudine ; nam Ariſtoteles in
B 3. de Anima aſſimilat intellectum vel animam intellectivam lumini. Sed non eſt idem numero lumen in diverſis illuminatis; ergo non eſt idem intellectus in diverſis hominibus.

Secundo hoc idem probo ſacræ Scripturæ auctoritate: Apoc. 7. *Vidi turbam magnam , quam dinumerare nemo poterat* &c. Sed turba illa non erat hominum corporaliter viventium , ſed animarum a corpore ſeparatarum ; ergo ſunt multæ animæ intellectivæ ſecundum multitudinem corporum.

Tertio probo hoc idem duplici ratione. Prima eſt talis : aut anima eſt tantum motor corporis, aut forma. Si eſt tantum motor , oportet multiplicari in diverſis hominibus ; ergo aſſignabuntur
C diverſæ animæ. Si autem anima eſt forma corporis , tunc etiam oportet, quod ſint diverſæ animæ in diverſis hominibus; tum quia impoſſibile eſt plurium individuorum eſſe unam formam numero; tum quia ſi intellectus eſt virtus animæ , ſequitur, quod ſicut ad multiplicationem corporum eſt multiplicatio animarum ; ita ad multiplicationem animarum neceſſario ſequitur multiplicatio intellectuum.

Secunda ratio ad idem eſt talis: aut homo habet eſſe ab anima intellectiva , aut ab anima ſenſitiva. Si ab anima intellectiva; ergo ad multiplicationem hominum erit multiplicatio animarum intellectivarum. Si vero ab anima ſenſitiva vel nu-
D tritiva; tunc homo non haberet, unde excederet alia animalia, quod eſt inconveniens; ergo impoſſibile eſt, unam animam rationalem eſſe numero omnium hominum.

Quarto hoc idem probo ex impoſſibilitate, quæ ſequitur ponentibus eſſe unum intellectum omnium numero. Quod enim non poſſit eſſe unus intellectus numero omnium, probo ex quattuor impoſſibilibus quæ ſequuntur. Primum eſt, quia impoſſibile eſt plures perfectiones ſecundas eſſe contrarias, exiſtente una prima perfectione. Sed nos invenimus plures ſecundas perfectiones eſſe contrarias in diverſis hominibus , ſcilicet quod quidam ſunt ſtulti , quidam ſapientes , quidam vitioſi; ergo oportet primam perfectionem , ſcilicet animam intellectivam variari & multiplicari in diverſis hominibus. Secundum eſt , quia ſi
E omnium hominum eſſet unus intellectus vel una anima numero, tunc omnes homines eſſent unus homo; & ſic non eſſet diſtinctio Socratis & Platonis per aliquam formam ſubſtantialem, ſed ſolum per aliquod extrinſecum, puta quod unus eſſet capacior , & alius non. Tertium eſt , quia quum contingat duos vel plures homines ſimul & ſemel unum & idem objectum intelligere; ſi etiam per unum poſſibilem intellectum intelligunt , ſequeretur, quod unius & ejuſdem virtutis ſimul & ſemel reſpectu unius & ejuſdem objecti ſint plures actiones. Sed hoc eſt falſum & impoſſibile. Ad cujus probationem ſimilitudinem talem adduco: Ponatur, quod oculus omnium hominum ſit unus numero, ita quod omnes homines habeant u-

num oculum numero; tunc quamvis sint multi videntes, tamen omnium visio non est nisi una respectu ejusdem objecti in eodem tempore. Similiter si intellectus sit unus omnium, sequetur quod omnium hominum idem intelligentium eodem tempore sit una actio intellectualis tantum; sed hoc est impossibile. Unde sicut duæ visiones numero non possunt esse simul unus visus vel visus unius oculi, quia habentes unum oculum possunt dici duo vel plures videntes; non tamen plures visiones, sed una. Sic duo vel plures habentes unum intellectum numero, possunt dici duo intelligentes, non tamen possunt esse vel dici duæ intellectiones unius intellectus, sed una tantum. Quartum est, quod tunc homo non beatificaretur per aliquam operationem animæ suæ conjunctam, sed per aliquam operationem, extra essentiam animæ, quum philosophus ponat beatitudinem in nobilissima operatione animæ. Hæc B. Thomas 2. scripto sententiarum, Dist. 17.

CAPUT II.

De multiplici oculo varie exercendo.

DEinde videndum est, quomodo ipse intellectus exercendus sit pie & fructuose. Est autem intellectus oculus animæ, per quem vidit seu cognoscit res & in corpore & a corpore separatas. Sicut autem duplex est oculus corporalis, ita & duplex est oculus animæ. Intellectus scilicet speculativus tamquam dexter oculus, & intellectus practicus tamquam sinister. Et sicut dextrum est perfectius sinistro, sive oculus, sive manus sive aliud; ita & speculatio est perfectior actione de se. Et sicut naturaliter omnis homo habet duplicem oculum corporis, etsi uno careat, quamvis videat; tamen defectus est non parvus in eo: ita & anima cujuslibet debet habere & oculum speculativum & oculum practicum, aliquando scilicet considerando divina, aliquando considerando & ordinando humana.

Duplex est oculus animæ.

Duplex est speculatio.

Est autem duplex speculatio secundum B. Thomam super Cant. Una est intuitiva solum considerans res & præcipue spirituales & divinas ad intelligendum, & hæc modicum perutilis. Hanc habuerunt philosophi, de quibus Apost. Rom 1. *Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Alia speculatio est gustativa, quum scilicet affectus diligit, quod intelligit, habendo saporem de divinis & spiritualibus, prout sunt. Et hæc est speculatio sanctorum & bonorum fidelium, de qua Apostol. ad Hebr. 6. *Qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti: gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum.* Hoc pertinet ad sapientiam, quæ dicitur a sapore, & ducit ad claritatem æternam, ut dicitur Sapien. 6. Hunc oculum, scilicet gustativæ speculationis, conatur diabolus in homine excæcare. In cujus figuram legitur 1. R. g. 11. quod Naas Ammonitarum rex Israelitas de Jabes Galaad, quos obsidebat, in hoc voluit cum eis confœderare, & pacem habere, ut omnium oculos dextros erueret. Et sic diabolus, qui cum fidelibus bellat, cum eis quasi pacem facit, & non molestat, si oculum considerationis spiritualium & divinorum auferat ab eis. Unde Salomon Ecclesiastes 2. *Oculi sapientis in capite ejus.* Caput cujuslibet virtuosi est Christus, & ad hunc contemplandum & opere imitandum oculi intellectus bonorum diriguntur. Et Proverb. 4. dicitur: *Oculi tui videant recta*, scilicet speculando, & *palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Palpebræ oculorum sunt considerationes debitæ & rationabiles, quæ in Angelo dicuntur præcedere gressus nostros, ideſt opera nostra. Sic igitur utroque oculo, ideſt practico & speculativo utendum est, sicut & sancti viri fecerunt. Unde Melchiades Papa: *Nonne Moyses in sæculo erat, quum crebro intraret tabernaculum, & exiret, qui intus contemplatione rapiebatur, foris infirmantium negotiis urgebatur? Sic & Jacob Angelos ascendentes & descendentes vidit, quia rectores ecclesiæ non solum contemplando ascendunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt*, Dist. 88. *Decrevit.*

Multiplex est oculus.

§. I. Sciendum tamen, quod multiplex est oculus. Est oculus corporalis, & hic coercendus propter occasiones multorum inde consequentium. Unde Job 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine:* Ecclesiastici 26. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum.*

Est oculus præsidentalis, & hic reverendus. Unde Dominus per Prophetam: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, 2. quæst. 7. *Accusatio.* Tanguntur autem, quando inhonorantur. De his etiam Hierem. 14. *Defecerunt oculi eorum, quia non erat herba*, scilicet spiritualis refectionis. Et illud psal. 87. *Oculi mei languerunt præ inopia*, scilicet spiritus.

Est oculus rationis naturalis, & hic fidei subjiciendus. Unde Cant. 6. dicitur a Sponso animæ Sponsæ suæ: *Averte oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt*, ideſt remove inquisitiones secundum naturalem rationem in his, quæ sunt fidei; quia hujusmodi investigationes faciunt animam a Deo recedere. Propter quod ait Apostolus 2. ad Corinth. 10. *Captivantes omnem intellectum in obsequium Christi.*

Est oculus affectionalis, & hic ad Deum erigendus, juxta illud Isai. 38. quod dixit Ezechias: *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Oculi mei*, ideſt intellectus quoad cogitationem, & affectus quoad appetitionem, ista scilicet temporalia nimis amando. Sic e contra de reprobis dicitur: *Statuerunt oculos suos*, scilicet affectus, *declinare in terram*, ideſt ad terrena.

Est oculus intentionalis, & hic ad cælum extendendus, ut scilicet servetur illud Apostoli 1. ad Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* Et de hoc Luc. 11. dicitur: *Si oculus tuus*, ideſt intentio, *fuerit simplex, totum corpus tuum*, ideſt operatio sequens, *lucidum erit.* Quod faciebat Tobias, Thob. 3. *Ad te, Domine, oculos meos erigo.* In plurali dicit *oculos*, quia etsi unus tantum ultimus sit finis, qui in opere intenditur; multi tamen possent esse fines medii, qui ad Deum dirigi debent.

Est oculus contemplationis, & hic spiritu concidendus. De hoc dicit Sponsus, Cant. 4. *Vulnerasti cor meum*, scilicet ad amorem trahendo, *in uno oculorum tuorum*, ideſt contemplatione divinorum, quæ pertinent ad oculum speculativum. Et in psal. 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*, quod est Scriptura sacra, seu inspiratio Dei.

Est oculus conscientialis, & hic detergendus, scilicet a pulvere terrenorum & detractionum. Unde Christus Luc. 6. ait: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Hinc Gregorius de detractoribus ait: *Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in pulverem sufflant, & in oculos suos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nil veritatis videant?* 11. quæst. 3. *Inter verba.*

Est oculus divinalis, & hic custodiendus: Zachar. 3. *Super lapidem unum oculi septem*, ideſt super Christum, & super quemlibet electum septem dona Spiritus requiescunt, qui habent homi-

mines in omnibus dirigere & illuſtrare, juxta illud Eccleſiaſtici 23. *Oculi Domini multo plus lucidiores ſole*, quia Spiritus ſancti dona totam animam illuſtrant.

Eſt oculus doctrinalis, & hic caute exercendus. Et de hoc Job 29. *Oculus fui cæco*, docendo ſcilicet ignorantem; ideo autem caute exercendus, quia, ut dicitur Eccleſiaſtici 43. *Sol exurens ..... radiis obcæcat oculos: ſol exurens*, ideſt doctrina nimis rigida vel nimis alta: & de his omnibus oculis debet ſervari illud pſal. 24. *Oculi mei ſemper ad Dominum*. Et tunc *beati oculi, qui vident* hoc modo, Lucæ 10.

CAPUT III.

De his, quæ requiruntur ad bene videndum corporaliter & ſpiritualiter.

NOtandum, quod ſicut ad bene videndum corporaliter tria requiruntur; ita ad videndum ſpiritualiter, ideſt ſecundum intellectum. Primum eſt ſubjectum recte conditionatum, ſecundum eſt interjectum, ideſt medium illuſtratum, tertium eſt objectum congrue coloratum. Hæc tria poſſunt notari in illo verbo Simeonis: *Viderunt oculi mei ſalutare tuum*, Lucæ 2. nam ſubjectum viſus eſt oculus; & ideo dicit *oculi mei*. Medium per quod videtur eſt lumen, & ideo dicit *viderunt*: objectum viſus eſt res corporalis colorata; ideo addit *ſalutare tuum*. Et de hac viſione etiam poteſt intelligi illud, quod dixit Chriſtus diſcipulis ſuis, Lucæ 10. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*, ſcilicet Chriſtum, & ſpiritualiter.

Ad bene videndum exigitur ſubjectum bene diſpoſitum.

§. I. Quantum ad primum eſt ſciendum, quod oculus ſeu pupilla oculi eſt ſubjectum, ubi recipitur ſpecies ſeu ſimilitudo rei, quæ videtur. Sed ad hoc, quod bene videatur, oportet, quod oculus habeat quattuor conditiones.

Concavitatem, privato apparenti tumore.

Integritatem, ſociato competenti vigore.

Obſcuritatem, remoto impedienti albore.

Siccitatem, ſemoto defluenti humore.

Ita & oculus mentis debet habere has conditiones ſpiritualiter ad bene cognoſcendum.

Oculum oportet eſſe concavum.

Primo enim oportet, quod oculus, ut bene videat corporaliter, ſit concavus, non elatus cum tumore exteriori. Experientia enim docet, quod omnes, qui habent oculos groſſos & eminentes ad extra male vident. Et habentes oculos concavos e contrario bene vident. Et ratio hujus eſt, quia improportionata lux fuſcat; unde homo non habet poſſe reſpicere ſolem in ſphæra ſua. Si igitur oculus eſt proeminens extra, ſtatim percutitur radiis lucis; & ideo fuſcatur. Sed ſi oculus eſt concavus, radii lucis recipiuntur primo in illa concavitate, & ſic ipſis diffuſis oculus ſine læſione ad ſuum actum adjicitur. Unde dicitur, quod ſi quis in meridie eſſet in valde concavo puteo, ſtellas videret in cælo. Sic accidit de oculo ſpirituali. Nam qui habet intellectum tumidum & elatum, non videt, juxta illud ad Rom. 1. *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*. Sed habens intellectum humilem, qui ad intra occupatur, ſcilicet ſui cognitione, hic bene videt; unde Proverb. 11. *Ubi humilitas fuerit, ibi ſapientia*. Et Salvator Matth. 11. *Confiteor*, inquit, *tibi, Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*. Ad ſenſum enim patet, quod convexa ſeu elata male ſunt receptiva, & concava bene. Sicut videmus in montibus, qui non retinent aquam pluvialem, ſed valles & foveæ. Unde pſal. 103. *Inter medium montium pertranſibunt aquæ*: non in montibus, ſcilicet ſuperbis, ſed *inter medium montium*, ſcilicet in vallibus, quæ ſunt mediæ inter montes, *pertranſibunt aquæ* veritatis Scripturæ & gratiæ. Ad hoc ipſe Chriſtus hortabatur dicens: *Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde*, Matth. 11. Quod & exemplo oſtendit in omnibus: nam humilem matrem elegit, quæ diceret: *Ecce ancilla Domini* &c. Lucæ 1. humilem patrem ſeu nutricem Joſeph, qui *cogitavit occulte dimittere* Mariam, tamquam indignum ſe reputans ſecum habitare, ut dicit Bernardus. Humilem lectum fœnum habuit, humilia animalia, humiles pannos ad cooperiendum, humiles paſtores ad inviſendum. Demum elegit humilem turbam diſcipulorum, ſcilicet piſcatorum, & eis præfecit humilem Petrum, qui dixerat: *Exi a me, Domine, quia homo peccator ſum*, Luc. 5. Et quia B. Stephanus plenus fuit humilitate, quia ſapientia & obedientia, quæ niſi ex humilitate haberi non poſſunt; ideo *intuens in cælum vidit gloriam Dei* &c. Act. 7.

Oculus debet eſſe integer ſeptē tunicis veſtitus.

Secundum, quod requiritur ad bene videndum, eſt integritas ſociata competenti vigore. Et pro hujus declaratione ſcire oportet, quod oculus corporalis habet ſupra pupillam ſive lucem ſeptem tunicas ſeu velamina, & quæcumque illarum deficeret, aut læſa eſſet, viſio impediretur. Appoſuit autem auctor noſter glorioſus Deus ſeptem tunicas ipſi pupillæ, ut magis cuſtodiretur illa virtus nobilis, quæ propter ſuam nobilitatem de facili læderetur. Propter quod pſalm. 16. dicebat: *Cuſtodi me, Domine, ut pupillam oculi*, ideſt ſicut ſeptem tunicas induis pupillam oculi corporalis; ſic ſeptem donis Spiritus ſancti cuſtodi oculum animæ meæ. Neque enim quis poteſt bene videre ad ſufficientiam ea, quæ ſunt ſibi expedientia ad ſalutem, niſi habuerit ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ pleniſſime fuerunt in Chriſto, & ab ipſo derivantur in omnes ſuos electos, de quibus dicitur Iſai. 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini*. Et ex his bene videbit & judicabit quæcumque agenda. Unde ſequitur immediate: *Non ſecundum viſionem oculorum judicabit*, ideſt ſecundum judicium hominum & apparentiam exteriorem. Sapientia enim in eo apparuit, dum diabolo occultavit myſterium incarnationis, diſponendo, ut mater ſua ſponſum acciperet. Quam rationem aſſignat Origenes 27. quæſt. 2. can. *Inventa*. Spiritus intellectus oſtenditur ex eo, quod illius carnis aſpectus intellectum dare videbatur. Bruta enim, viſo Jeſu nato, videntur ratione repleta, de quibus Iſai. 1. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum* &c. Et paſtores idiotæ videntes cognoverunt de verbo &c. Luc. 2. Requievit ſpiritus conſilii ſuper eum, quia omnia conſilia, quæ prædicaturus erat, infantulus adimplevit, virginitatem, paupertatem, obedientiam, patientiam, &c. Quantum ad ſpiritum fortitudinis dicitur Iſai. 51. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine brachium Domini. Domini brachium* filius eſt a patre procedens, qui indutus eſt *fortitudine*, quando unitus eſt carni noſtræ, in qua fortiter dejecit hoſtes inferni & vitia mundi. Et ideo bis dicat, *conſurge, conſurge*, ideſt conſurges contra diabolum. Unde ipſe dicit Joann. 16. *Jam princeps hujus mundi judicatus eſt*. *Conſurge* contra adverſa & contra vitia mundi ea ſuperando. *Confidite*, inquit ibidem, *ego vici mundum*. Spiritus ſcientiæ in eo oſtenditur non ſolum ſpeculatione ſeu notitia Scripturarum, quum in templo duodenis interrogaret doctores; ſed & experien-

tia ſenſitiva. *Ex his* enim, *quæ paſſus eſt, didicit* ſecundum Apoſtolum ad Hebræos 5. Paſſus eſt enim agonem, eſuriem, & alias pœnalitates. Pietatis ſpiritu repletus eſt, qui, quia noſtri compaſſus, naſci voluit, ut nos non moreremur. Pietatis etiam ſpiritum habuit, quia ad dandam notitiam cælorum & religionem veram revelandam, natus eſt. Ut enim homo confidentius ambularet ad veritatem, ait Auguſtinus de civit. Dei, ipſa veritas Dei filius homine aſſumto, non Deo conſumto, veniens fundavit ac ſtabilivit fidem. De ſpiritu timoris quid dicendum, niſi quia timuit Dominus Jeſus, non ſolum timore reverentiali perfectiſſimo, ſed etiam timore naturali, juxta illud Matth. 26. *Cœpit Jeſus timere*, & dicente Angelo: *Fuge in Ægyptum*, illuc delatus fuit? Et quia *B. Stephanus erat plenus Spiritu ſancto*, ut dicitur Actu. 6. quoad iſta dona; ideo *vidit gloriam Dei*. Et beatus etiam Simeon, quia *Spiritus ſanctus erat in eo*, ut dicitur Luc. 2. ideo præſentatum Chriſtum in templo agnovit dicens: *Viderunt oculi mei* &c.

Oculus debet eſſe obſcurus.

Tertio oportet, quod oculus ſit, niger non albus, ad bene videndum. Homines enim multum albi male vident, ſive ſi habent palpebras albas, ſive pilos eorum albos nimium. Ratio hujus eſt, quia albedo diſgregat viſum, & ideo debilitat. Omnis enim virtus diſgregata debilior eſt virtute ſimul congregata. Hinc auctor naturæ fecit animalibus melius videntibus pupillam nigram, vel ad nigredinem tendentem principaliter. Et ex hoc inſinuatur, quod ad hoc, quod oculus mentis ſit aptus ad videndum, oportet, quod ſit non albus, vel delicatus; ſed niger vel mortificatus. Unde & de ſapientia dicit Job 28. *Non invenitur in terra ſuaviter viventium*. Talis fuit vita Chriſti, plena ſcilicet aſperitate & mortificatione; propter quod dicebat anima Can. 1. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus*, dilectus animæ ſponſus Jeſus Dominus. Et ſic *faſciculus myrrhæ*, ideſt copioſus in mortificatione & amaritudine vitæ. Sic & Stephanus fuit mortuus mundo; renuntiatis temporalibus & inter lapidatores ſuos & inimicos quaſi oblitus ſui, in cælum oculos dirigens pro inimicis exorabat dicens: *Ne ſtatuas illis hoc peccatum*, Actu. 7. Ita & Simeon mortuus per affectum vitæ temporalis non aliud exſpectabat niſi Chriſtum videre; & ideo ipſo viſo, inquit: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine*, &c. *quia viderunt*, &c.

Oculus debet eſſe ſiccus & abſque humore.

Quarto oportet, quod oculus ſit ab humore ſeparatus. Nam lacrymæ impediunt viſum, ut experientia docet. Unde & Magdalena quum fleret ad monumentum, vidit Dominum cælorum, & æſtimavit hortulanum virgultorum. Accidit enim de lacrymoſis oculis, ſicut de aere humido & pluvioſo, qui repræſentat iridem ſive arcum, & hoc non niſi per humores ejuſdem aeris. Unde ſi quis dum plorat, reſpiceret fixe lumen puræ candelæ, exiſtimabit lumen circumdatum ab arcu cerulei, viridis, rubei, & flavi coloris. Sed tergendo lacrymas videbis ibi arcum non eſſe, ſed te fuiſſe deceptum. Verbum Dei, quod *factum eſt caro*, ſummæ puritatis eſt; unde dicitur *ſpeculum ſine macula*, Sapien. 7. Et *lillium convallium*, Cant. 2. Et ideo videri non poteſt niſi a puro & mundo corde, ſecundum illud ad Heb. 12. *Sanctimoniam ſequimini*, ideſt puritatem, *ſine qua nemo videbit Deum*. Et Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Quamvis enim aliquis naturaliter, vel per exercitatum ſtudium habeat acutum intellectum; ſi tamen carnaliter & ſecundum mundum vivit, parum divina penetrat & deguſtat. Unde in figuram prohibebatur Levitis, ne qui lippis erat oculis, accederet ad altare Dei; nec offerret panes Deo, Levit. 21. *In lippis quippe oculis pupillæ ſanæ ſunt, ſed humore defluenti infirmatæ palpebræ groſſeſcunt: quæ, quia infuſione crebra atteruntur & acies pupillæ vitiatur ..... Lippus quippe eſt, cujus ſenſum natura exacuit, ſed converſationis pravitas confundit*, Gregorius Diſt. 49. *Hinc etenim*. Talis ergo, qui habet oculos humoroſos plenos carnalitate, nec ad miniſtrandum & offerendum ſacramenta eſt idoneus, nec in accedendo ad altare ad recipiendum euchariſtiam, nec conſequenter ad videndum Deum. Sed B. Stephanus, qui inter ſanctos in terris poſitos primus *vidit gloriam Dei*, valde purus fuit; unde intuentes in eum Judæi videbant eum ut Angelum, & ſibi in teſtimonium magnæ puritatis commiſſa fuit cura mulierum converſarum. Simeon etiam, quia fuit valde purus, unde dicitur *juſtus*, ideo meruit Chriſtum videre, dicens: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum* &c.

De his, qui requirunt ad viſionem ex parte medii.

§. II. Secundum quod requiritur ad videndum, eſt medium illuminatum. Patet enim per experientiam, quod de nocte aere nubiloſo quantumcumque quis haberet oculum bene diſpoſitum, & ante ſe rem coloratam, nil de ea videret, quia ſcilicet medium non eſt illuſtratum, ſcilicet aer. Ubi etiam conſideranda ſunt quattuor circa ipſum medium ad hoc, quod ſit bene ordinatum ad videndum corporaliter & ſpiritualiter,

Subtilitas eſſentialis,
Luciditas radialis,
Puritas accidentalis,
Continuitas terminalis.

Medii viſionis debet eſſe ſubtile.

Quantum ad primum ad hoc, quod poſſit bene res videri, requiritur, quod medium viſionis ſit ſubtile eſſentialiter. Eo enim quod medium eſt groſſius, viſio eſt imperfectior. Sicut patet, quod ea, quæ videntur per medium aqueum, non ita clare comprehenduntur, ſicut quæ videntur per aerem; & quæ videntur per aerem denſiorem minus perfecte & clare videntur, quam ea, quæ videntur per aerem rariorem. Unde aliquando & alicubi aer eſt ita denſus, ut non videatur fere ſol. Sic ad videndum ſpiritualiter requiritur ſubtilitas in medio. Media ſpiritualia, quibus ſpiritualiter videre poſſumus, ſunt doctores & prædicatores, quorum doctrinis illuminamur, qui in utroque teſtamento claruerunt, præcipue prophetæ in veteri, & Apoſtoli in novo. Sed & Evangeliſtæ permaxime media ſunt ad illuminandum. Sunt autem quattuor media, per quæ ſpiritualiter poſſumus Deum & Dominum Jeſum Chriſtum & magnalia ejus videre. Ipſi quattuor Evangeliſtæ figurari poſſunt per quattuor elementa. Licet enim naturaliter non omnia elementa ſint tranſparentia corpora, ſicut patet de terra; tamen vitrum, quod eſt terreſtre, eſt tranſparens. Ita autem ipſi Evangeliſtæ fuerunt ſubtiliati, & a mundo revulſi, ut optime per omnes poſſimus Dominum videre, & quæ ad ipſum pertinent, ex doctrina Evangelii & vita ipſorum. Et Matthæum quidem poſſumus apte terram appellare, quia primo fuit valde terrenus, deditus mundi lucris; unde thelonarius dicitur & publicanus. Et hic etiam Ezech. 1. & Apoc. 5. per hominem figuratur, cui commiſſa eſt cura terræ, *ut in ea operaretur*, Gen. 3. Tradidit etiam notitiam nobis de Chriſto ſecundum carnem, quam a terrenis traxerit, incipiens Evangelium: *Liber generationis* &c. Marcus ſignificatur per aquam. Nam in civitate, quæ fundata eſt tota in aquis, ſcilicet Venetiarum, elegit habitare, & per leonem figuratur, qui quartanam patitur, eo quod multo humore abundat. Aqua ſumme nutrit quartanam. Hic tradit notitiam de Jeſu ſecundum ſapientiam, quæ per aquam figuratur in Scriptura, juxta illud Eccleſiaſtici 15.

Aqua

Aqua ſapientiæ ſalutaris potavit illum. Unde principaliter Marcus deſcribit prædicationem Chriſti. Et incipit Evangelium ſuum in aquis Jordanis, dicens mox poſt exordium : *Fuit Joannes in deſerto baptizans & prædicans* &c. Lucas autem eſt ut aer. Unde Evangelium ſcripſit ea lingua, quæ melius utitur aere in formando vocem, quam alii. Dicit Iſidorus in lib. Ethym. quod orientales frangunt aerem in gutture, & in gutture loquuntur, ut Hebræi ſeu Judæi. Occidentales præcipue Hiſpani frangunt vocem in dentibus, & ideo in dentibus loquuntur ut latini. Sed mediterranei frangunt vocem in palato, & in palato formant vocem; & ideo melius, quam alii loquuntur ut Græci. Et ideo locutio eorum comtior eſt ceteris ſecundum ipſum. Et hac lingua Lucas ſuum ſcripſit Evangelium ſecundum Hieronymum; unde ſeculari quadam redolet eloquentia. Hic figuratur per vitulum, qui in veteri teſtamento figurabat mortem Chriſti, quæ in aere facta eſt. Unde & principaliter Lucas deſcribit ignominiam paſſionis; & hæc viſio eſt nobis magis proportionata: nam per aerem corporaliter melius videmus. Et ratio eſt, quia nil nobis naſci profuit, quod dixit Matthæus nec prædicatio profuit, quod dixit Marcus, niſi redemi profuiſſet, quod dixit Lucas. Joannes autem figuratur per ignem; & merito, quia dilectionis amore ardebat. Hic figuratur etiam per aquilam, quæ ſuper omnia animalia viſitat ſphæram ignis, ubi exuſtis plumis ad terram veniens iterum juveneſcit. Igni recte comparatur, cujus verba fuerunt plena igne caritatis. Ipſe deſcribit, quomodo *ſic Deus dilexit mundum, ut unigenitum ſuum daret*, & qualis ſit ipſe unigenitus datus nobis, ideſt: *In principio erat verbum*. Ipſe narrat ſermones in ultima cœna plenas igne amoris, ipſe ſolus latus Chriſti lancea perforatum deſcribit, unde exiit omnis flamma amoris. Epiſtolæ ejus plenæ ſunt fraterno amore: quæ habentur in legendis, ad propoſitum hic ſunt.

Medium debet eſſe lucidum.

Secundo medium debet eſſe lucidum illuminatum. Unde licet aer ſit medium, per quod videmus; quando tamen eſt tenebroſus, viſioni nequaquam deſervit. Lux autem, quæ habet perfecte illuminare, eſt verbum æternum, ut patet Joann. 1. media autem illuminantur vario modo ab eadem luce ſecundum medii diſpoſitionem. Nam aliqua ſunt media terſa & opaca, ut ſpeculum & calibs; aliqua ſunt media tranſparentia & ſolida, ut vitrum; aliqua ſunt media repræſentativa & ſubtilia, ut ignis, aer, & aqua. Prima media illuminantur tantum in ſuperficie; & hæc repræſentant, ſed non recipiunt. Secunda media illuminantur tota, ſed dubium efficiunt, ſeu non clare oſtendunt. Sed tertia media illuminantur perfecte, & clare repræſentant. Primi ſunt prædicatores ſcripta recitantes, ſed non intelligentes, ſeu bene loquentes & male operantes. Secunda media ſunt doctores veri catholici. Sed tertia ſunt Evangeliſtæ & apoſtoli, qui immediate a Domino illuſtrantur. Eſt tamen ſciendum, quod illa pars media lucidior eſt, quæ vicinior corpori, in quo radii terminantur. Unde aer eſt lucidior juxta terram, quam ſit ſuperius; propter quod media regio aeris dicitur tenebroſa. Quum autem radii divinitatis terminentur in carne, quam verbum aſſumſit, in illa tertia parte mediorum, quæ illuminantur, quæ comprehendit Evangeliſtas, illa perſona eſt magis illuſtrata, quæ fuit illi carni propinquior; & hic fuit Joannes Evangeliſta: nam ſecundum carnem frater fuit in ſecundo gradu Jeſu Chriſti. Et quamvis & alii fratres ejus fuerint, non tamen ei ita familiares & continui cum eo. Unde Iſidorus dicit, quod eſt quaſi unus de quattuor fluminibus paradiſi, qui ex ipſo ſacri dominici pectoris fonte potavit, quod poſtea in toto orbe diffudit.

Medium debet eſſe purum.

Tertio ad hoc, quod medium ſit competens, exigitur, quod medium ſit purum ab omni accidente, quod videlicet non habeat aliquem colorem, nec etiam repleatur humore. Nam ſi medium eſſet coloratum, omnia viderentur eſſe coloris illius medii. Similiter ſi medium eſt vaporibus aut humoribus repletum, non repræſentantur omnibus ſicuti eſt. Unde aliquando ſol apparet ſanguineus aut rubicundus, quia aer non eſt in ſua puritate. Joannes Evangeliſta fuit optimus, ut eſſet medium viſionis tantæ. Nam fuit ab omni amore alienatus a Chriſto: nam vocatus de navi ſtatim oblitus eſt amoris paterni, renuit navim artemque piſcandi, & exiſtens in nuptiis, quia ducebat uxorem, virgo purus, ipſa uxore relicta, virgo permanſit in ævum.

Medium debet eſſe continuum.

Quarto & ultimo medium debet eſſe continuum, ſcilicet ab oculo uſque ad rem viſibilem vel videndam. Hæc eſt una ratio, quare poſitus conus in igne ſubtiliſſimo non videtur, quia variantur media: nam oculus eſt in aere, & conus in igne. Et ubi oculus ſine læſione ſtaret in igne, clarius videret, quam videat per aerem. Hic autem ſacer Evangeliſta continuus eſt a Chriſto ad nos, ad quod inſinuandum factus fuit medius inter ſenatum apoſtolicum & Chriſtum Dominum, quando volentes ſcire quiſnam ipſum traderet, Joannem interceſſorem fecerunt. Ubi dicit Petrus Ravennas: Quantum poterit apud Deum pro nobis minimis, ſi interceſſor fuit pro ſummis? Quanta reverentia ejus patrocinium debet a nobis flagitari, qui advocatus factus eſt apoſtolorum. Hujus autem continuitatem ſub figura deſcripſit Ezechiel cap. 17. dicens: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri, & ſummitatem frondium ejus avulſit, & tranſportavit eam in terram Chanaam, in urbe negotiatorum poſuit illam*.

Ubi primo notatur Evangeliſtæ dignitas varia. Habuit enim dignitates plurimas, ſcilicet lympiditatem viſualem; & ideo dicitur *Aquila*. Secunda dignitas fuit virginitas Angelicalis; & ideo dicitur *grandis*. Tertia fuit poteſtas ſupernalis, quæ ibi notatur *magnarum alarum*. Quarta tenacitas mentalis, ſcilicet in bene retinendo mente verba audita a Chriſto, ibi: *Longo membrorum ductu*. Quinta ſuavitas internalis, ibi: *Plena plumis*. Sexta varietas gradualis, quia ſcilicet patriarcha, propheta, apoſtolus, evangeliſta, martyr, doctor, & virgo & frater Chriſti, ibi: *Et varietate*.

Secundo notatur in eo perſpicacitas lucida, quum dicitur: *Venit a Libano, & tulit medullam Cedri* &c. ubi primo deſcribitur ejus aſcenſus mirabilis, ibi: *Venit a Libano*, qui eſt quidam mons, & interpretatur *candidatio*, & ſignificat altitudinem divinæ majeſtatis. Secundo fructus tractus ineffabilis, ibi: *Tulit medullam Cedri* &c. ideſt divinitatis. Medulla enim ſtat in medio. Media autem inter divinas perſonas eſt filius, non quidem loco, ſitu vel prioritate temporis, ſed nominatione perſonæ, & hanc medullam, ſcilicet verbum tulit &c. Tertio ſermo prolatus incomprehenſibilis, ibi: *Et ſummitatem frondium ejus avulſit*: frondes enim ſunt proprietates verbi, quas deſcripſit, dicens: *Verbum erat apud Deum* &c.

Tertio notatur de eo caritas optima, ibi: *Tranſportavit eam in terram Chanaam* &c. Et hoc, quum perduxit verbi narrationem uſque ad carnis aſſumtionem, quum dixit: *Verbum caro factum eſt* &c. Et etiam quia dimiſit in mundo veram cognitionem de Chriſto & vita ejus.

§. III.

Objectum coloratum requiritur ad bene videndum.

§. III. Tertium, quod neceſſario requiritur ad videndum, eſt objectum coloratum. Nam & ſiquis habeat oculum purificatum, & medium illuſtratum, & non adſit objectum coloratum, non videt corporaliter. Unde & animam, quum egreditur de corpore, non videmus, nec Angelos in ſua eſſentia, nec virtutes & hujuſmodi. Et ratio eſt, quia non ſunt corporalia, nec per conſequens colorata. Quia igitur Deus purus ſpiritus erat, eum videre non poteramus; ſed poſtquam effectus eſt homo, & per conſequens coloratus, eum omnis videre potuit, juxta illud Iſai. 52. *Videbit omnis caro ſalutare Dei*. Notat autem Sponſa quattuor colores ejus, quum dicit Cant. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus ..... caput ejus aurum optimum, comæ ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ ut corvus*. Ubi nota.

Albedinem puritatis, quia *candidus*.

Rubedinem caritatis, quia *rubicundus*.

Fulvedinem dignitatis, quia *aurum optimum*.

Nigredinem humilitatis, quia *nigræ comæ*.

Reſpice, inquit pſal. 83. *in faciem Chriſti tui*. Et primus color ſpectat ad carnem ejus puriſſimam. Eſt autem quadruplex puritas. Una habetur per eſſentiam, quæ eſt ſolius Dei: Levit. 19. *Sanctus ego ſum Dominus Deus veſter*. Secunda per gloriæ permanentiam; & hæc Angelorum & beatorum: pſal. 149. *Exſultabunt ſancti in gloria*. Tertia per innocentiam: Apocal. 14. *Sine macula ſunt ante thronum Dei*. Et hac occiſi ab Herode habuerunt per pœnitentiam: pſal. 50. *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*: 4. Reg. 5. *Lavare ſepties in Jordane* &c. Omnis iſta puritas fuit in Chriſto. Nam quantum ad quartam, ſepties effundit ſanguinem in ablutionem ſeptem capitalium, non ſui, ſed noſtrorum.

Secundus color, ſcilicet rubeus, ſpectat ad ejus caritatem ardentiſſimam, quam oſtendit in effuſione ſanguinis: Apoc. 1. *Dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo*. Sed quadruplex eſt martyrium. Primum eſt alios ſalvans, ut Chriſti Eccleſia: *Venite & videte martyrem* &c. Secundum eſt voluntatis & operis, ut Stephani. Tertium eſt voluntatis tantum, ut Joannis Evangeliſtæ. Operis tantum, ut Innocentium. Sed nullum martyrium cælos aperire potuiſſet, niſi martyr Chriſtus ſuo ſanguine rubricatus aperuiſſet. Unde: *Ave ſanguis apertor januæ*.

Martyrii quadruplex.

Tertius color, ſcilicet fulvus, quia dicitur *caput ejus aurum optimum*, ſpectat ad divinitatem ejus nobiliſſimam carni unitam. *Aurum* purum fuit caro ejus, perfectius anima ejus: *optimum* divinitas ejus. Et poteſt dici, quod iſte color demonſtrat omnipotentiam ejus. Cognoſcitur autem divina potentia, primo quando agit ſuper naturam, quod factum eſt, quum Virgo peperit; ſecundo oſtendit ſe agere contra naturam, quando virgo eum lactavit ubere de cælo pleno, & quum Stephanus *vidit cælos apertos*. Tertio transformat naturam, ut quum ſtella videbatur ipſum cognoſcere, & Magis demonſtrare, & animalia bruta, & quum Joannem eduxit de nuptiis. Quarto operatur id, quod non habet natura, ut quum remittebat peccata, ſive originale parvulis occiſis non circumciſis, & actualia parentibus eorum & hujuſmodi.

Quartus color niger fuit, ut patet in auctoritate: *Comæ ejus* &c. Et pertinet ad vitam ejus vera mortificatione patientiſſimam. Fuit enim humilis quantum ad ſui perſonam, quia *parvulus natus eſt nobis*, Iſaiæ 9. qui immenſus erat. Secundo humilis quantum ad locum ubi natus, quia in parvo caſtro, in vili tugurio: Michææ 5. *Tu Bethlehem terra Juda* &c. Tertio humilis fuit quantum ad pœnalitatem, quam ſuſtinuit ut alii. Sapientiæ 7. *Primam vocem emiſi plorans* &c. Quarto humilis, quantum ad ſubjectionem hominum & legum, quia circumciſioni ſe ſubdidit. *Et erat ſubditus illis*, ſcilicet parentibus, Lucæ 2.

CAPUT IV.

De his, quæ impediunt viſum animæ, vel auferunt.

SEptem ſunt, quæ auferunt vel impediunt viſum animæ ſpiritualem, ut dici poſſit cæcus, figuratus per cæcum, *qui ſedebat ſecus viam*, procedentia ab inordinato amore, propter quod dicit Pſalmiſta 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem*. Ubi nota primo inchoationem excæcationis, ibi: *Ignis*. Secundo completivum hujus privationis, ibi: *Supercecidit*. Tertio conſecutivum hujus defectionis, ibi: *Et non viderunt ſolem*.

Amor inordinatus principium obcæcationis.

§. I. Quantum ad primum, principium obſcurationis vel obcæcationis mentis eſt amor inordinatus, qui ſignatur per ignem; quia ſicut ignis eſt primum quattuor elementorum, & maxime activum; ita amor eſt prima principalium quattuor paſſionum, & maxime operativus: ſolus enim amor neſcit laborem ſecundum Auguſtinum. Et ſicut ignis in ſinu celari non poteſt, ut dicit Sapiens Proverb. 6. ſic nec amor vehemens. Omne autem peccatum procedit ab amore male inflammante, vel a timore male humiliante, ut dicit Auguſtinus exponens illud Pſalmiſtæ 79. *Incenſa igni*, ſcilicet ordinati amoris, *& ſuffoſſa*, ſcilicet per defectum inordinati timoris, *ab increpatione vultus tui peribunt*, ſcilicet in judicio ſententia æternæ damnationis. Sed & timor fundatur in amore. Propterea enim quis timet aliquid perdere vel ſuſtinere, quia illud amat. Ad ſenſum etiam patet quod ignis materialis debilitat viſum corporalem.

§. II. Quantum ad ſecundum ſciendum, quod non quilibet ignis inordinati amoris tollit viſum ſpiritualem; ſed tunc quando ſuper cadit, ideſt in partem ſuperiori rationis per conſenſum deſcendit, auferens lumen naturæ actualis cognitionis, & conſequenter gratiæ illuſtrationis, quod fit frequenter inſtigante diabolo, qui habitat in cælo aereo. In cujus figura legitur Jobi 1 quod ignis deſcendens de cælo, ſcilicet a dæmone procurato, *pueros oveſque conſumſit*: *pueros*, ſcilicet rationales & occultos ſenſus: *oves*, ſcilicet ſimplices & innocentes cogitationes mentis.

Septē ſunt excæcantia viſum ſpiritualem.

Sunt autem ſeptem mala procedentia ab iſto igne & excæcantia, ut dictum eſt. Primum eſt nimia circa temporalia occupatio. Sicut enim pulvis ſuper oculos vel in oculos intrans excæcat & impedit viſum; ſic occupatio circa terrena obſcurat vel ſubtrahit cognitionem ſpiritualium. Et ſicut aſpiciens in terram pro tunc in cælum non poteſt aſpicere; ſic & mens ad terrena applicata, cæleſtia meditari non poteſt. Unde parabolice dicitur Luc. 13. de quadam muliere a dæmone curvata, & conſequenter oculis ad terram directa, quod *ſurſum reſpicere non poterat*. Et 4. Reg. ult. habetur in figura, quod Sedechias rex fugiens a Hieroſolyma excæcatus eſt a Nabuchodonoſor in Rebblatha. *Hieruſalem* interpretatur *viſio pacis*; *Rebblatha* interpretatur *multa*. Quum autem quis ab intuitione veræ pacis implicat ſe multis occupationibus temporalium, excæcatur a diabolo ſignato per Nabuchodonoſor.

Secundum ablativum ſeu impeditivum viſus ſpiritualis eſt carnalis parentum affectio. Quum enim quis nimis ſenſualiter amat propinquos, multa facit inconvenientia, quæ tamen ipſe non videt

paſ-

passionem amoris obscuratus. Quod manifeste paret quotidie. Nam & prælati Ecclesiæ largiuntur bona Ecclesiarum pauperibus distribuenda consanguineis etiam non egentibus, & beneficia & dignitates eis immeritis, existimantes sibi hæc licere. Contra quos dicit Ambrosius: *Non propterea te Deo dedicasti, ut tuos divites facias*, scilicet ex bonis Ecclesiarum; *sed ut tibi vitam perpetuam fructu boni operis*, idest eleemosynæ *acquiras, & pretio miserationis peccata redimas. Putant se parum poscere, præmium quærunt tuum, vitæ tuæ adimere contendunt fructum: & accusant, quod eos divites non feceris, quum te velint illi parentes æternæ vitæ fraudare mercede*, Dist. 86. *Est probanda*. Et laicis licitum videtur retinere aliena ad nutriendum familiam cum honore. In cujus figuram legitur, quod Dalida dedit Samsonem in manus Philistinorum, qui eum subito excæcaverunt, ut habetur Judicum 16. *Samson* interpretatur *sol eorum*, & significat prælatos, qui habent alios illuminare sicut sol. Nam de eis dixit Christus Matth. 5. *Vos estis lux mundi*. Vel etiam significat rectores quoscumque familiarum, qui debent suo exemplo illustrare. *Dalida* interpretatur *fistula*, qua scilicet hauritur aqua de puteo, & significat affectionem carnalem propinquorum. Sicut enim fistula hauritur de aqua putei ad voluntatem, ita hujus affectione carnali hauriunt propinqui a suis prælatis vel majoribus de his temporalibus, quantum volunt: quæ affectio tradit in potestatem Philistinorum, idest dæmonum obcæcantium illos, ut dicere possint illud psal. 37. *Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*.

Tertium excæcativum est divinorum nimis subtilis perscrutatio. Unde dicitur Proverb. 25. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria*. Sicut enim si quis vellet aspicere fixe in sphæram solis, potius obcæcaretur, quam ipsum plene videret; sic mentis nostræ acies invalida, in tam excellenti luce, scilicet perfectæ cognitionis divinorum figi non potest. Quod si tentaverit quispiam, errore cæcabitur: unde & in figuram, quæ erant in Sancta sanctorum veteris templi seu tabernaculi, velata erant, & a quocumque aperte videri non poterant, quod est contra curiosos, quibus videtur divina secreta intellectu posse metiri; de quorum numero aliquando fuit Paullus confidens nimis de propria sapientia, & ob hoc non intelligens secretum mysterium incarnationis, ad quod proprium lumen naturale non attingit. Unde & de eo dicitur Act. 9. quod *circumfulsit eum lux de cælo, cadensque in terram . . . apertis oculis nihil videbat*. In quo significata est indispositio sua. Sed postea humiliatus, quum accessit ad Ananiam, visum recepit.

Quartum excæcativum est tepiditas & pigritatio. Sicut enim instrumenta artis, quum non exercentur diu, hebetantur, & alioquin rubiginem contrahentia destruuntur: & sicut vires corporis minuuntur, si quis in aliquo opere non se exerceat; ita & intellectus hebetatur, si torpescat desidia, non vacans lectioni vel meditationi spirituali. Unde & Victorinus dicit: Cito pigrescit judicium humanum, nisi jugi lectione reparetur. Et in hujus figuram legitur Tob. 2. quod quum federet dormitans, rundinibus emittentibus stercora super oculos suos excæcatus est. Ad significandum, quod qui dat se dormitioni pigritiæ & quieti corporali, tentationibus immissis a diabolo excæcatur.

Quintum excæcativum est munerum receptatio. Unde dicitur Exod. 23. de judice: *Non accipies munera, quæ excæcant oculos sapientum, & pervertunt verba justorum*; & propterea in jure talibus prohibetur munera recipere. Nam hujusmodi excæcati efficiuntur postea acceptatores personarum ferentes injustas sententias. Unde Isidorus 11. quæst. 3. *Pauper* dicit: *Cito violatur auro justitia, nullamque reus pertimescit culpam, quam se redimere nummis existimat*. Et de hoc etiam Dominus conqueritur per Isaiam dicens cap. 1. *Principes tui infideles*, scilicet non servantes fidelitatem & æquitatem in judiciis, *socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & caussa viduæ non ingreditur ad eos*. Et in figura hujus dicit rex Geraræ Sarai uxori Abrahæ: *Ecce dedi mille argenteos fratri tuo*, idest Abrahæ; *hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, & quocumque perrexeris, memento te deprehensam*, Genes. 20.

Sextum est temporalis exaltatio. Multum enim impedit honor & prosperitas mundi cognitionem sui, & per consequens Dei. Unde dicitur Apoc. 3. *Dicis, quod dives sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia miser es, & miserabilis, pauper, cæcus & nudus*. Sic Saul exaltatus ad regnum seu regimen populi, ita excæcatus est, ut reverentiam, quam prius exhibuerat patri spirituali, scilicet Samueli, amitteret, Dei obedientiam negligeret, generum suum David sibi & toti regno perutilem continuo persequeretur ad mortem. Et ad ea, quæ damnaverat & expulerat de regno, scilicet Pythonissas & divinatores, se converteret, ut habetur 1. Reg. 28.

Septimum excæcativum est in malo assuefactio. Unde dicitur Sap. 2. *Malitia excæcavit eos*. Malitia autem importat habitum vitii, qui acquiritur ex frequentatione actuum seu assuefactione. Talem cæcitatem incurrerant Pharisæi, de quibus Christus ait: *Cæci sunt, & duces cæcorum*, Matth. 15. In hujus figuram legitur, Gen. 27. quod *sentit Isaac, & caligaverunt oculi ejus, & præ senectute videre non poterat*. Quum enim quis inveteratur in aliquo malo, ex consuetudine ipsius non cognoscit, nec sibi conscientiam facit etiam de apertis malis. Similiter & de Germanis legitur, idest Theutonicis, quod antiquitus non sibi faciebant conscientiam de furto & rapina putantes sibi licere; ita erant assueti ad illud. Et Sodomitæ assuefacti tanto sceleri, non cognoscebant, & conscientiam sibi non faciebant de tanta turpitudine palam, & pene omnes illius civitatis talia operantes. Et sicut percussi erant cæcitate mentali propter eorum malitiam, ita & in figuram percussi sunt cæcitate corporali, quum voluerunt in Loth irruere, ut habetur Gen. 19. Sed talia flagitia *etsi omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur*, 32. quæst. 7. *Flagitia*. Sic etiam multi, qui dicuntur Christiani inveterati in malis, ita excæcati sunt, ut tamquam licita velint ea defendere, ut quam plures contractus usurarios, fraudulentias, turpitudines, pompas, & alia plura, de quibus dicitur Isaiæ 6. *Excæca cor populi hujus*, idest excæcari permittes, *& aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum*.

§. III. Consecutivum hujus defectionis, quod est tertium principale, est privatio visionis Christi. Unde dicitur: *Non viderunt solem, Sol justitiæ Christus Deus noster*, canit Ecclesia. Sicut enim hic non vident per veram fidem, ita in futuro non videbunt per manifestam speciem ejus, scilicet divinitatem.

C A-

CAPUT V.

De illuminatione, ſeu recuperatione viſus.

POſt tractatum de excæcatione videndum eſt de recuperanda illuminatione, quam, ut ſumme neceſſariam, poſtulabat quidam cæcus dicens Domino Jeſu: *Domine ut videam*, ſcilicet peto Luc. 18. Et ad idem facit, quod ait pſal. 118. *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*. Ubi tria notantur.

Petit illuminationem, ibi: *Revela oculos meos.*

Innuit hujus rei fructificationem, ibi: *Conſiderabo*.

Exprimit fructus determinationem, ibi: *Mirabilia de lege tua*.

Septem modis illuminatur quis ſpiritualiter.

§. I. Quantum ad primum ſciendum ſecundum Hugonem Card. ſuper pſalmos, quod ſeptem modis illuminatur quis ſpiritualiter, ſeu aperiuntur oculi ejus mentales. Et primo per pœnæ afflictionem: Iſaiæ 28. *Vexatio dabit intellectum. Vexatio* videlicet alicujus infirmitatis, perſecutionis, infamationis, & hujuſmodi, *dabit intellectum*, ideſt illuminationem intellectus. In hujus figuram legitur Gen. 3. de primis parentibus, quod *aperti ſunt oculi eorum*. Senſerunt enim carnis rebellionem, & inde pœnam confuſionis & erubeſcentiæ; propter quod *fecerunt ſibi perizomata*. Unde dicit ibi gloſſa Gregorii: Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit. Exemplum patet in Manaſſe Rege Juda peſſimo & involuto in omni ſcelere, unde & mente excæcato; & tamen quum ſuſtinuit pœnam incarcerationis, & vinculationis, & amiſſionis regni a Rege Aſſyriorum; ibi aperti ſunt oculi mentis ejus ad recognoſcendum ſcelera ſua.

Secundo per propriæ fragilitatis conſiderationem, ad ſenſum patet, quod qui habet albuginem in oculo, non videt; ſed pupilla, quæ nigra eſt, bene videt. Moraliter autem *albuginem habet in oculo, qui veritatis lucem videre non ſinitur, qui arrogantia ſapientiæ ſeu juſtitiæ excæcatur; ſed pupilla oculi nigra videt; albuginem tolerans nihil videt, quia videlicet ſenſus humanæ cogitationis, ſi ſtultum ſe peccatoremque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit*. Hæc Gregorius Diſt. 49. *Hinc etenim*. In hujus figuram legitur Joann. 9. quod Dominus Jeſus luto impoſito ſuper oculos cæci nati eum illuminavit. Lutum autem ſuper oculos ſignificat fragilitatem & miſeriam propriam in conſideratione mentis habitam. Amos etiam propheta quum dixit Amaſiæ conſiderando ſuam utilitatem ex ſe: *Non ſum propheta, & non ſum filius prophetæ, ſed armentarius ego ſum vellicans ſycomoros*, ex hac ſua humiliatione & recognitione ſuæ conditionis recepit tunc actualiter lumen prophetiæ a Domino, ut patet Amos 7.

Tertio per pœnitentiæ amaricationem aperiuntur oculi. Pœnitentia certum eſt quod tollit peccatum. Unde dixit princeps Apoſtolorum Petrus turbis Judæorum, quæ audiebant verbum ejus: *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*, Act. 3. Quum autem peccatum ſit illud ſolum, quod habet animam excæcare, juxta illud Sap. 2. quod dicitur de peccatoribus: *Excæcavit illos malitia eorum*: pœnitentia autem peccatum expellit, ſicut ſanitas infirmitatem, & virtus vitium; ideo ſequitur, quod pœnitentia illuminat mentem. In cujus figuram legitur Tob. 11. quod quum Tobias poſuit ſuper oculos patris ſui excæcati fel piſcis, aperti ſunt oculi ejus, & lumen recepit. Fel, quod eſt amarum, ſignificat pœnitentiam, quæ, ut diffinit Ambroſius, *eſt dolor cordis & amaritudo animæ pro peccatis, quæ quiſque commiſit, De pœnit.* Diſt. 1. *Ecce nunc tempus*. Quod autem illud fel, quod illum illuminavit, eſſet piſcis, deſignat quia pœnitentia ipſa ſemper eſt in electis & bonis, qui ſuperenatant mundum ſicut piſcis aquam. Exemplum in Maria Magdalena, quæ poſtquam amaritudinem potentiæ oculis interioribus & exterioribus adhibuit, vanitates, pompas, laſcivias, ornatus, quæ prius, ut cæca, nociva & damnabilia eſſe non videbat, & ideo illis dedita erat, poſtea ut illuminata deſpexit, & abominata eſt. Sic & Pelagia & Maria Ægyptiaca & Arſenius & plures alii fecerunt, & quotidie faciunt multi peccatores revertentes ad pœnitentiam.

Quarto per propriam vel alienam orationem; unde & cæcus, qui *ſedebat ſecus viam mendicans* petens illuminationem, dum clamabat: *Miſerere mei, fili David*, vidit recepto lumine, Luc. 18. Sapiens etiam dicit, quod invocavit, ſcilicet orando, & venit in eo ſpiritus ſapientiæ, cujus lumen eſt inexſtinguibile. Et Salomon poſtulans lumen ſapientiæ ſuper omnia alia, ad videndum quæ ſibi agenda erant ad regimen populi, exauditus fuit, ut patet 3. Reg. 3. Sed & oratio alterius multum etiam juvat ad illuminationem. Unde & 4. Reg. 6. dicitur, quod orante Eliſæo pro puero, ideſt ſervo ſuo, *aperuit Dominus oculos pueri, & vidit montem plenum equorum & curruum ignitorum*. Oportet tamen, quod is, pro quo oratur, adjuvet orantem, habilitando ſe, ſcilicet ad gratiam, & non in malitia perſeveret. Unde dixit Dominus Hierem. cap. 7. *Noli orare pro populo iſto, neque ſumas laudem & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te*. Unde legitur in Vitis patrum, quod quum quidam multum tentatus recommendaſſet ſe orationibus cujuſdam ſanctiſſimi viri, & hoc pluries feciſſet, nec ſentiret juvamen, ut aperirentur oculi mentis ejus ad cognoſcendum malum damnum peccati; demum revelatum eſt illi patri hoc procedere ex defectu illius tentati, quia non ſe adjuvabat. Et ideo ipſo revertente ad eum declaravit pater ille talem defectum per materiale exemplum, videlicet jubens illi, ut ſaccum plenum arena elevaret ſuper humerum ſuum; quod eo faciente, pater ille retinebat ſaccum ex parte inferiori deprimendo. Et quum ille propterea elevare non poſſet, & pater ſanctus inſtaret in dicendo, ut levaret, reſpondit: Non poſſum, quia tu me non adjuvas, ſed impedis. Et ait pater: Sic & oratio mea non poteſt tibi prodeſſe & illuminare, quia tua deſidia me non adjuvat, ſed impedit.

Exemplum.

Quinto illuminatur quis per zeli habitationem. Apocal. 3. *Collirio inunge oculos tuos, ut videas*: zelus importat quemdam intenſum amorem, qui non permittit, ſed impedit quantum poteſt, ne aliquid ſiniſtrum contingat amato, & ne ſeparetur ab eo. Hoc zelo ductus Dominus Jeſus flagello expulit ementes & vendentes in templo, Joann. 2. non valens ſuſtinere dehonorationem patris cæleſtis. Sic qui habet zelum erga ſalutem propriam, ipſe zelus aperit oculos ejus, ad conſiderandum & cavendum quæcumque ſunt contra ipſam ſalutem. Et ſicut radius ſolaris quum reverberat terram, in eo videntur minutiſſimi athomi & innumerabiles; ita qui percutitur zelo Dei & animæ ſuæ, in ſe videt minimos defectus & innumeros. Hoc zelo ductus Mattathias occidit nuntium Regis Antiochi, qui inducere volebat populum ad idololatriam & Judæum quemdam tunc idolis immolantem, unde de eo ſcribitur 1. Mach. 2. quod *zelatus eſt legem, ſicut fecit Phinees Zambri filio Salomi*.

Sexto aperiuntur oculi per æternæ ſuavitatis præ-

præ guſtationem, pſal. 33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus:* Vel ſic per Euchariſtiæ devotam ſumtionem ibi enim ſecundum B. Thomam ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur, & recolitur memoria paſſionis Chriſti, in qua latere ejus transfixo a Longino; ex ſtilla ſanguinis de latere exeuntis, ut dicitur, tangente Longini oculos illuminatus eſt corporaliter, & multo magis ſpiritualiter, quia poſtea ſanctus & martyr fuit, & ipſe ſanguis effuſus myſterium erat ſacramenti altaris, quo mentes illuminantur. In cujus figuram dicitur 1. Reg. 14. quod Jonathas guſtato melle reperto, *illuminati ſunt oculi ejus*, qui jam præ fame quaſi defecerat. Significat enim mel ſuavitatem ipſius ſacramenti. Et quia per guſtum ſeu comeſtionem unitur cibus cum cibato, ex quo vigoratur in viſu & aliis potentiis; ideo ſacramentum iſtud per modum cibi & per guſtum ſumitur, ad deſignandum quod per ipſius debitam ſumtionem unitur ſuavius anima cum Chriſto, & magis illuminatur ſecundum Thomam in 4. Hinc & Damaſcenus dicit: Ignis noſtri deſiderii aſſumens eam, quæ ex iſto carbone eſt, ignitionem, illuminabit corda noſtra.

Septimo aperiuntur per gratiæ infuſionem. Quod cognoſcens pſal. 12. ipſam petebat dicens *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* In cujus figuram dicitur 4. Reg. 4. quod Eliſæus *incubuit ſuper puerum, & oſcitavit puer ſeptiesaperuitque oculos.* Puer mortuus eſt peccator, cui incubat Dominus vocando ad pœnitentiam, qui ſepties oſcitat, cum ſancti Spiritus ſeptem dona recipit. Et ſic illuminatur per gratiam.

Cogitatio damnationis confert illuminationem mētis.

§. II. Quantum ad ſecundum. Sicut non conſiderare eſt cauſſa omnis mali & damnationis; propter quod dicitur Iſai. 5. *Opera manuum ejus*, ſcilicet Dei, *non conſideratis, propterea captivus ductus eſt populus meus*; ita conſideratio eſt cauſſa multorum bonorum, videlicet & receſſus a malo. Unde dicitur Ezech. 18. de peccatore: *Conſidevans & avertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt, vita vivet, & non morietur.* Eſt & cauſſa ſollicitationis ad bona. Unde Jobi 23. dicitur: *Conſiderans eum, timore ſollicitor.* Eſt & cauſſa compaſſionis ad proximum. Unde ad Galat. 6. dicitur: *Arguite eum*, ſcilicet peccatorem, *in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.*

§. III. Quantum ad tertium terminatio fructus conſiderationis notatur ibi: *Mirabilia de lege tua.* Lex Dei, præcipue lex Evangelica, de qua pſal. 18. *Lex Domini immaculata*, &c. hæc continet mirabilia, & quoad exempla geſta ſalvatoris nobis imitanda, & quoad miracula a nobis venerauda, & quoad documenta a nobis obſervanda, ut de diligendo inimicos, & reddere bonum pro malo, & hujuſmodi, 23. quæſt. 3. *Sex ſunt differentiæ.*

CAPUT VI.

De exercitio intellectus ſpeculativi.

DE exercitio intellectus ſpeculativi & practici virtuali: & de ſpeculativo quidem ait Dominus per pſal. 45. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* Quum enim dilectio Dei ſit neceſſaria ad ſalutem, & via, quæ ducit ad cælum, quia ſecundum Auguſtinum, inviſa, diligere poſſumus, ſed incognita nequaquam; ideo conari debemus ad videndum, ideſt cognoſcendum, Deum noſtrum eſſe Deum, quia aliter eum diligere non valemus. Eſt enim objectum voluntatis bonum cognitum ſeu intellectu viſum: propterea Chriſtus dicit: *Beati oculi, qui vident* &c. Luc. 10. *Vacate, & videte:* ubi tria nota.

Primum aſt ab aliis actibus ceſſatio, ibi: *Vacate.*

Secundum actualis ſpeculatio, ibi: *Videte.*

Tertium eſt ſpeculationis determinatio, ibi: *Quoniam ego ſum Deus.*

Speculanti Deum vacandum ab aliis actibus.

§. I. Quantum ad primum ſciendum, quod quum anima ſit virtutis finitæ, quælibet ejus potentia quum actualiter exercetur in una vehementer, oportet quod remittatur vel ceſſet ab actu aliarum. Sicut enim quum quis facit aliquid opus, quod requirit attentionem, ut pingendo, ſculpendo, ſcribendo, non poteſt pro tunc intelligere aliquod arduum. Oportet ergo, ſi quis debet ſpeculando Deum intueri, quod ceſſet ab aliis corporalibus actibus. Et propterea Deus præcepit die ſabbati, cui nunc ſuccedit Dominica, & alia feſta, ut vacarent ab operibus manualibus, ut ſic melius poſſent divinis intendere. In hujus figuram Jacob prius dictus eſt Jacob, quod interpretatur *ſupplantans*, & exinde Iſrael, quod interpretatur *videns Deum*, Gen. 32. ad ſignificandum, quod oportet prius vitia ſupplantare, antequam poſſit ſubtiliter ſpeculando Deum videre. Et hoc eſt, quod dicit: *Vacate*, ideſt ceſſate, primo principaliter a peccatis, quæ tollunt quietem mentis, & obſcurant intellectum, juxta illud Iſai. 57. *Cor impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.* In aqua autem turbata non clare intuetur, ſed quieta. *Vacate* etiam ab exterioribus exercitiis & occupationibus, quæ etſi bonæ ſint, tamen obnubilant ſeu diminuunt ſpeculationem. In hujus figuram Lya etſi plures filios generaret, lippis tamen oculis erant. Rachel autem etſi infœcunda, tamen venuſtum & pulchrum habebat aſpectum: & interpretatur *videns principium*, quam permaxime ſuper alias dilexit Jacob, ut habetur Gen. 29. & ſignificat ſpeculationem, ſive animam contemplativam, quæ in ſpeculatione Deum intuetur principium omnium. Hæc etſi ſterilis ſit filiis occupationum exteriorum, quibus animæ per fidem Deo generantur; tamen quia magis & ferventius diligit Deum, permaxime ipſa a Deo diligitur. *Vacate* quoque, ideſt ceſſate a tumultibus cogitationum, quæ impediunt ſubtilem inveſtigationem. Unde & Salvator dixit: *Intra in cubiculum tuum*, ideſt ſecretum mentis, *& clauſo oſtio*, ſcilicet ſenſuum interiorum & exteriorum aliis rebus extraneis, *ora patrem tuum*, Matth. 6. Oratio autem ſecundum Damaſcenum eſt aſcenſio intellectus in Deum, ideſt per ſpeculationem.

Intellectus dirigendus in Deum.

§. II. Quantum ad ſecundum clarum eſt, quod ſicut habens viſum corporalem, non videt rem, niſi actualiter oculum ad illam dirigat intuendam; ſic & habens intellectum quantumcumque etiam acutum, Deum videre ſeu cognoſcere non poteſt, niſi actualiter intellectus feratur in eum. Sed quum dirigitur in Deum, videt eum per fidem in via, per ſpeciem in patria. Et ſecundum Auguſtinum viſio eſt tota merces, ſcilicet fundamentaliter: ex viſione enim ſequitur neceſſario dilectio & fruitio. Unde ipſe Auguſtinus in fine de civit. Dei, dicit: Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus; ubi notatur gaudium fruitionis. Et ſicut videntes unam rem & eamdem, plenius videt & plures ejus qualitates & circumſtantias, qui acutiorem viſum habet; ſicut etiam in præſenti majorem cognitionem de Deo habet unus fidelis, quam alius, ac etiam de aliis rebus; ſic in patria licet omnes videant Deum, quod eſt unum denarium conceſſum omnibus laborantibus in vinea Domini; tamen acutius &

perfectius unus videt quam alter, & consequenter magis eo fruitur. Et hoc est in domo patris esse multas mansiones, Joann. 14. idest differentias præmiorum. Non obstat his, quod dicitur Exodi 33. *Non videbit me homo, & vivet.* Et illud Joann. 1. *Deum nemo vidit umquam.* Potest enim hoc intelligi dupliciter, videlicet, quod non videt Deum, nec videre in gloria potest homo, idest carnaliter & sensualiter vivens secundum Joannem Cassianum: alio modo, quod homo, idest creatura rationalis vivens vita sensitiva, seu utens sensibus, non potest Deum videre in gloria. Sed anima separata non utitur sensibus, quum corpus non habeat; & ideo videre potest Deum secundum Thomam. In corpore etiam posita alienata a sensibus potest videre Deum per essentiam, sicut vidit Paulus in raptu suo. Visione etiam gustativa videt homo, idest carnalis, Deum in vita recta, sicut virtuosi: de qua Psalmista 33. *Gustate & videte, quoniam* &c.

Deum nemo vidit umquã intelligitur dupliciter.

§. III. Quantum ad tertium nota, quod Deus secundum Anselmum est, quo melius excogitari non potest. Est enim universale bonum; unde & Moysi dixit: *Ascende in montem ad me, & ostendam tibi omne bonum*, idest me ipsum: & quia spiritus est, non corpus; ideo quum psal. 144. ait: *Magnitudinis ejus non est finis*, loquitur de magnitudine virtuali, non corporali. In his enim, quæ mole magna non sunt, idem dicimus majus, quod melius. Est igitur bonitas ejus infinita, & bonitas ejus essentia ejus. Et quod ait Job cap. 11. quod Deus est *sublimior cælo, latior mari, longior terra*, admonet Apostolus Ephes. 3. nos ita bene vivere, ut possimus *comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*, scilicet Dei, idest intelligere sine, sicut vident sancti. Non enim materialiter intelligendæ sunt istæ dimensiones, sed spiritualiter. Et longitudo quidem ejus est æternitas, quia nec principium nec finem habet. Unde Dan. 7. dicitur: *Potestas ejus potestas æterna.* Ejus latitudo est caritas immensa, quæ amplectitur etiam inimicos, & nihil odit eorum, quæ fecit, & præcipue amor, quem habet ad homines: Hierem. 31. *In caritate perpetua dilexi te, propterea attraxi te miserans.* Ejus altitudo est sublimitas sapientiæ vel potestatis, qua cuncta cognoscit. Oculi enim Domini multo plus lucidiores sole, ut dicitur Ecclesiastici 23. Sicut enim sol illuminans respicit, ita Deus cuncta videt. Unde Ambrosius: *Omnis ratio supernæ scientiæ, vel terrenæ creaturæ in eo est, qui est caput earum & auctor, ut qui hunc novit, nihil ultra quærat, quia hic est perfecta virtus & sapientia, ut quiquid alibi quæritur, hic perfecte inveniatur. In Daniele & Salomone ostendit infidelibus se esse auctorem totius eloquentiæ & sapientiæ*, Dist. 37. *Legimus*, §. 1. *Sed contrario.* Ejus autem profundum est inscrutabile judicium justitiæ ejus, quo aliquos salvat, alios juste damnat. *Videte* ergo, *quod ego sum Deus* justus, æternus, sapiens, fortis, & amandus.

§. IV. Tripliciter videri potest Deus a nobis, prout notari potest ex illis verbis Apostoli, scilicet: *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem*, 1. Corinth. 13. Primo ergo notatur speculatio communialis, ibi: *Videmus nunc per speculum.* Secundo insinuatur speculatio prophetialis, ibi: *In enigmate.* Tertio demonstratur speculatio clara & essentialis, ibi: *Tunc autem facie ad faciem.* Primus igitur modus videndi seu cognoscendi Deum est speculatio communis. Communem dico, quia fideles & infideles, boni & mali possunt Deum cognoscere speculando per fidem vel rationem naturalem. Unde

Deus videtur tripliciter.

A & Apostolus ad Rom. 1. dicit de philosophis Ethnicis: *Quod notum est Dei*, idest quod sciri potest de Deo naturaliter, *manifestum est in illis.* Sunt autem septem specula, per quæ nunc videtur Deus. *Speculа Dei septem.*

Primum est amor naturalis.
Secundum ratio internalis.
Tertium creatura corporalis.
Quartum Scriptura divinalis.
Quintum justitia virtualis.
Sextum anima humanalis.
Septimum Angelus specialis.

§. V. Primum igitur speculum est amor naturalis summi boni. Unumquodque enim grave pro tanto cognoscit naturaliter modo suo, quod sit centrum terræ, pro quanto in se sentit appetitum seu B inclinationem illud invenire, & illuc se dirigit. Unumquodque animal novit modo suo cibum esse, quia sentit se famescere, & illum appetere. Quodlibet flumen fatetur esse mare, quia discurrit quousque illud inveniat. Quod autem non est, naturaliter movere non potest. Et si voluntarie posset quis moveri ad aliquod bonum, quod crederet esse, & non foret; sed talis motus naturaliter esse non potest. Ad propositum: Omnis anima rationalis, etsi nihil viderit, audierit, vel legerit, sentit ista tria in se desideria, scilicet cognitionis veritatis, affectionis bonitatis, requietionis & tranquillitatis, horrens & fugiens contraria eorum. Et primo dicit philosophus in princip. Methaph. Omnes homines natura scire desiderant, & quanto C plus novit homo, tanto magis appetit scire, propter quod dicit Salomon, Ecclesiastes 1. quod *non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Quod intelligitur magis de interiori cognitione quam exteriori, & quanto res est magis ardua & difficilis, tanto magis intelligere concupiscit, si ejus capax est. Nam & de divinis & cælestibus, etsi modicum quid & imperfectissime cognoscere valemus; tamen propter eorum nobilitatem & maximam veritatem talis parva cognitio magis perficit & mentem delectat, quam perfecta cognitio inferiorum. De secundo dicit philosophus in 1. Ethic. Bonum est, quod omnia appetunt, & quanto majus, tanto magis appetitur. Unde Boetius in lib. de consol. philos. inquit: Insita est mentibus hominum naturaliter veri summique boni cupiditas. Et quia virtus est verum bonum conducens ad ipsum summum bonum, quod est Deus; ideo ipsa naturaliter appetitur & contrarium ejus, scilicet vitium, horrori habetur, adeo ut dicat moralis Seneca: Et si scirem homines ignoraturos & Deos ignoscituros, adhuc dedignarer peccare. Tertium, scilicet quies seu pax etiam naturaliter peroptatur. Omnia enim appetunt pacem secundum Dionysium, quæ non est aliud, quam tranquillitas ordinis rerum, ut scilicet unaquæque teneat locum, & obtineat finem suum. Unde & Augustinus in lib. de confess. Fecisti, inquit, nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Quum igitur quilibet experiatur in se ista desideria, scilicet cognoscendæ summæ veritatis, adipiscendæ pleniissimæ bonitatis, consequendæ indeficientissimæ requiei & tranquillitatis, & in nulla re ex creatis possint ista haberi, quum Deus & natura nihil frustra operentur, ne istud naturale desiderium in homine frustretur; oportet quod sit aliqua prima & summa veritas, maxima & pleniissima bonitas, suavissima & quietissima tranquillitas, in qua omnino quiescat noster affectus: *Et hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*, ut dicitur Baruch 3. per rationem videlicet cognitus.

Amor naturalis est speculum, in quo videtur Deus.

Anima sentit in se tria desideria.

D

E

tus. *Videte* ergo per hoc ſpeculum, *quoniam ego ſum Deus*. Sume exemplum in aliquo corpore humano, quod numquam fuit ſanum, neque vidit hominem, nec ſcit, quid ſit ſanitas, puta hydropicum, paralyticum & hujuſmodi. Si interroges talem infirmum corpore quid vellet, quid deſideret, quid quærat; reſpondebit, utique ſe velle eſſe liberum ab illis calamitatibus, & miſeriis, & infirmitate. Et ſic implicite deſiderat ſanitatem, licet ſpecialiter ab eo non cognitam. Sic ad propoſitum, ingredere ſecretum mentis tuæ, & tibi loquens dic: O anima mea, es ne quieta in totum? Et ſubito reſpondebit tibi, certe non. Et quare? quid velles, ut quieta eſſes? Sed cave diligenter, ne ſenſualitas ſe immiſceat infra animum & ſpiritum, & non vocata reſpondeat: Cupio divitias, honores, potentias, famam & hujuſmodi. Certe iſta non eſt reſponſio ſpiritus ſive animæ, quia ſpiritus ſpiritualia appetit, non carnalia. Impone igitur ipſi carni ſilentium, & dic ſpiritui, quod reſpondeat ipſe, & ſubito dicet: Deficit mihi requies, & hoc eſt, quod ſumme opto, ſcilicet quietari, tale bonum habendo, quod amplius non deſiderem. Et tunc quæras ulterius: Quid eſt iſta quies, ſeu bonum, in quo appetis quieſcere? & quum adhuc non perfecte cognoverit, & perceperit tale bonum, talem quietem, nec in quacumque creatura invenerit; videt per hoc ſpeculum naturalis deſiderii Deum eſſe ſolum illud bonum perfectiſſimum, quod eum quietare poteſt, quo cognito ipſum ſuper omnia diligat. Nam cognoſcendo & non dirigendo dicit Jacobus, quod talis ſimilis eſt *homini conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo*, qui *ſtatim abiit, & oblitus eſt qualis fuerit*. Vultus animæ eſt voluntas, quia outibus vultus manifeſtamus voluntatem ipſam. Unde vultus a *volo vis* dicitur. Vultus vero nativitatis eſt voluntas ſeu appetitus naturalis. Tunc ergo quis in ſpeculo reſpicit vultum nativitatis ſuæ, quum intellectu conſiderat naturale deſiderium ſibi ineſſe ſummi boni. Sed ſi non diligit, & operatur, ut novit; *abiit*, & oblivi ſcitur *qualis fuerit*. Et ſic patet, quomodo *videmus nunc per primum ſpeculum*.

Ratio eſt ſecundum, ſpeculum quo Deus videtur.

§. VI. Secundum ſpeculum, ut dictum eſt, eſt ratio internalis. Egreditur enim ipſa ratio, & extra ſe reſpicit mediantibus oculis corporalibus creaturas omnes, quas poteſt videre, vel quodlibet ſcire. Exinde revertitur intra ſe, & elicit ex his conſiderationes tres, quaſi tres partes hujus ſpeculi ſecundi, per quod Deum videt. Videlicet quantitatis magnitudinem, virtuoſitatis pulchritudinem, motus inceſſitudinem. Et ſic atteſtantur & oſtendunt divinam poteſtatem, ejus virtuoſitatem, & omnimodam immutabilitatem. Et hoc eſt, quod ait Apoſtolus ad Rom. 1. *Inviſibilia Dei*, ideſt inviſibilis magnitudo & potentia ejus, *a creatura mundi*, ideſt homine, *per ea, quæ facta ſunt*, ideſt iſta ſenſibilia, *intellecta conſpiciuntur*. *Sempiterna quoque virtus ejus, ac divinitas*, quæ immobilis eſt. Reſpiciamus ergo primo in prima parte hujus ſpeculi, & conſideremus magnitudinem quantitatis continuæ & diſcretæ creaturarum, & videbimus, quia *magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis*, pſal. 144. Tantæ magnitudinis dicitur eſſe cælum a ſapientibus, quod ſi de novo crearentur tot terræ & tantæ, quanta eſt ea, quæ nunc eſt, quot ſunt grana arenæ maris; omnes ſimul non adæquarentur magnitudini cæli, qui tamen plures ſunt. Sed etſi ſtellas cæli ille poſſet dinumerare, poſſet guttas maris, quæ plurimæ ſunt, multo majores tota terra, quæ terra etſi in ſe magna ſit; major tamen eſt aqua, & multo major aer, & ignis ſphæra aere major. Quis etiam dinumerare poſſet multitudinem piſcium in ſpeciebus innumeris, numerum avium, quantitatem beſtiarum terræ domeſticarum & ſilveſtrium? Quot ſunt genera arborum, quot ſpecies herbarum, quot lapides pretioſi, quot alia creata nobis ignota. Et harum creaturarum aliquæ non ſolum ſunt in maxima multitudine & magnitudine continua, ſed & perpetuitate ſemper durantia, & elementa, & corpora cæleſtia. Et quum nulla harum ſe facere potuerit, ſed omnes clamant illud pſal. 99. *Quoniam ipſe fecit nos, & non ipſi nos*; ſic per ea videmus tamquam in ſpeculo rationis earum factorem eſſe Deum noſtrum & ſumme potentem. Accedat, ait Ambroſius, quæcumque creatura, & faciat tale cælum & talem terram; dicam, quia Deus eſt. Sed quia nulla creatura hoc facere poteſt, conſtat illum eſſe Deum, qui hæc omnia facere potuit. Eſt enim potentiæ infinitæ ex nihilo aliquid facere, ſicut & cuncta a Deo ipſo creata ſunt, ſecundum illud 2. Mach. 7. *Ex nihilo fecit ea Deus, & hominum genus*; & ſic *per ſpeculum nunc videmus Deum*.

Secunda pars hujus ſpeculi eſt ratio, quæ elicitur ex virtute & pulchritudine creaturarum. Neque enim eſt aliqua ita minima creatura, quæ careat ſua propria virtute, non petrula, non penula, non pellis, non pilus, qui non habeat ſuam virtutem, non herba, non fructus, no flos, non animal, quod non habeat ſuam bonitatem. Et licet naturales multa dixerint de proprietatibus & virtutibus rerum; tamen nihil eſt, quod cognoverunt vel ſcripſerunt reſpectu virtutum ignotarum, & quæ numquam ſcientur ab hominibus. Pulchritudo etiam ipſarum mirabilis eſt: & ut melius intelligas, conſidera infimum elementorum, ſcilicet terram, quæ quum videatur deforis turpis, in viſceribus ſuis eſt ſpecioſiſſima & virtuoſiſſima. Si enim terra in ſe non haberet magnas virtutes & pulchritudines abſconſas, unde ex ea poſſent educi metalla, aurum ſcilicet & argentum, ſtannum, æs, auricalcum, ferrum, plumbum, unde formantur ſuavia inſtrumenta organorum, tybiarum, cymbalorum, campanarum, & hujuſmodi? Ex radicibus terræ egrediuntur illa ligna, de quibus fiunt ſuavia inſtrumenta, ut leuta, cythara, lyræ, violæ, pifferi, & alia. Et ex metallis & lignis natis e terra compinguntur dulcia pſalteria, harpæ, & alia. O quot pulchri flores naſcuntur de terra, roſæ, lilia, violæ, quam pulchri & ſuaves fructus! Quanta diferrentia & ſuavia vina vernatia, malvatica, græca, tribianica, muſcatella, alba, rubea, potentia & debilia confert nobis! Quot genera bladorum, quot aromata colliguntur ex ea. Cynamomum & balſamum aromatizans, canella, myrrha, nardus, crocus, piper, zinziber, nuces muſcatæ, gariofoli, ſuccharum, & alia multa. Non ergo terra ita eſt turpis ut appareat, quum in ſe habeat tot pulchra tot virtuoſa; & tamen ita vilis eſt, quod pedibus calcamus, & omnis turpitudo & putredo in eam projicitur, & in ipſam convertitur. Viliſſima eſt terra inter omnes creaturas, ſed nobiliſſima ſecundum noſtram capacitatem, tot pulchra ex ſe producens. Et in tantum nobilis, quod affectus noſter deceptus non videtur aliud quærere, quam res ipſius terræ. Si ergo terra eſt ita nobilis, pulchra, utilis & concupiſcibilis; quanto nobilior eſt aqua, quæ ipſa eſt pretioſior, & aer perfectior aqua, & ignis aere? Et cæli multo nobiliores pulchriores & virtuoſiores elementis ſunt. Conſiderat inde mens in ſpeculo rationis, quoniam omnis virtus & pulchritudo effectus alicujus eſt nobilius

Anima elicit tres conſiderationes.

& perfectius in ſua cauſſa. Et ideo quum Deus ſit omnium cauſſa, videt quoniam ſecundum Boetium de philoſophica conſol. Mundum mente gerens, ſimili ſub imagine formans pulchrum pulcherrimus ipſe. Hac ratione motus Sapiens oſtendit vanitatem & ſtultitiam gentilium, qui creaturas Deos putaverunt ex pulchritudine & virtute earum inſpecta, quum ipſe verus Deus pulcherrimus ſit, & pulchritudinem & virtutem cunctis rebus ipſe tradiderit. Unde dicit: *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*, ideſt vera cognitio de Deo. Et ſequitur: *Et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, nec operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex; ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum ſi ſpecie delectati Deos putaverunt, ſciant, quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt. Speciei enim generator hæc omnia conſtituit. Aut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab ipſis, quoniam qui hæc conſtituit, fortior eſt illis. A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit eorum creator videri.* Hæc omnia Sapien. 13.

Tertia pars hujus ſpeculi eſt ratio formata ex motu rerum. Omnia enim creata aliquo modo moventur, juxta illud Boetii:

Stabiliſque manens dans cuncta moveri.

Moventur enim aliqua per generationem & corruptionem formæ ſubſtantialis: puta elementa & elementata. Alia per mutationem qualitatis accidentalis, ut quum quis movetur ſeu mutatur de calido in frigidum, & econverſo, de ſano in infirmum, de bono in malum, & econverſo, vel de ætate in ætatem, ut de juvene in ſenem. Moventur alia localiter, ſicut animalia & corpora cæleſtia. In his igitur motibus corporalibus quum nil poſſit movere ſeipſum, ſed omne, quod movetur, ab alio movetur, ſicut animalia moventur ex motu cæli, & cæli moventur ad motum Angeli, & Angelus ad motum alterius, & quum non ſit procedere in infinitum; oportet devenire ad unum primum motorem, qui omnia movet, & ipſe immobilis perſeverat. Et hic eſt verus Deus & Dominus noſter, qui dixit Malachiæ 3. *Ego Deus, & non mutor.* Et ſic *videmus nunc* Deum *per ſpeculum* rationis dictæ internalis, ut poſſimus dicere illud 2. Petri 1. *Speculatores facti illius magnitudinis* gloriæ, ideſt ex ſpeculo rationis facti ſumus videntes magnitudinem Dei glorioſi.

Speculum tertium, in quo videtur Deus.

§. VII. Tertium ſpeculum eſt creatura corporalis. Sicut enim *cæli enarrant gloriam Dei*; ita & alia inferiora ipſum nobis manifeſtant. Et hoc ſpeculum habet tres partes, unde Deum videamus. Et prima eſt ordo creaturarum cum perſeveratione. Secunda eſt actio earum in ſui conſervatione. Tertia eſt finis earum in creatione.

Ordo univerſi mirabilis.

Ordo univerſi eſt mirabilis, ita quod ex hoc in tanta rerum varietate ſic ordinata ratio cogatur affirmare unam eſſe providentiam, quæ cuncta diſponit, & hic eſt Deus. E quia ſapientis eſt ordinare ſecundum philoſophum; ideo maximus ordo univerſi oſtendit maximam ejus ſapientiam; propter quod dicitur pſal. 146. *Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus.* Reperitur autem in iſtis rebus creatis non ſolum ordo ſitualis, ſed etiam temporalis & potentialis. Et ordo quidem ſitualis ſive localis in hoc apparet, quia quælibet creatura tenet locum ſuum ſecundum dignitatem ſuam. Nam terra & terrena ſicut viliora in imis locata ſunt, Aqua ut dignior altius eminet; divina tamen ſapientia arena maris & terminus ſtatuitur, ut ultra non progrediatur ad diluendam terram. Aer, ut perfectior, aquæ eminet. Et ignis ita activus & calidus a nobis elongatur ſuper alia ſituatus. Cæli incorruptibiles, Sol, Luna & Stellæ lucentes in ſuis ſphæris altiſſime collocatæ ſunt. Et cælum empyreum nobiliſſimum, ubi gaudent ſancti cum Chriſto ſupremum omnium corporum eſt. Habent etiam iſta corporalia ordinem temporis ſui, propter quod dicit Eccleſiaſtes 3. *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub Sole.* Ordinatiſſime enim ſol facit curſum ſuum per ſigna zodiaci infra annum integrum. Et ſic tranſeunt tempora veris, æſtatis, autumni, hyemis cum effectibus ſuis. Tranſeunt & dies naturales eadem temporis menſura ad motum primi mobilis completum. Unde pſal. 118. *Ordinatione tua perſeverat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi.* Et ea, quæ in hyeme mortua videbantur, in vere reviviſcunt annuatim, & in æſtate fructificant. Ordo quoque potentialis in ipſis rebus eſt aſpiciendus. Nam minor poteſtas non influit in majorem per virtutem, ſicut nec ineſt ſuprapoſita loco. Non enim terra influit in cælum, ſed cælum in elementa. Sic etiam in corpore humano quodlibet membrum eſt ſuo loco congrue ordinatum, & potentiæ ſuperiores influunt in inferiores. Sic ergo ſapientia divina *diſponit omnia ſuaviter*, Sapient. 8.

Secunda pars hujus ſpeculi, ſcilicet creaturæ, corporalis, eſt actus, quem habent, ſive effectus ipſæ creaturæ ex conſervatione ſui. Omne enim animal vitam tueri laborat. Et omnis creatura quantum poteſt, ſuam libertatem & proprietatem defendit. Et lapis jactus in altum ex violentia ad terram revertitur quamcitius, ubi melius conſervatur. Aves, piſces, & beſtiæ terræ, & minimi vermiculi fugiunt pro poſſe, ne capiantur, nec aliqua creatura eſt, quæ appetat mutare ſtatum ſuum & conditionem. Vermis enim non deſiderat muſca eſſe, nec formica canis. Quieſcit piſcis in aqua, in quam ingredi fugiunt cetera animalia. Neſcit ſerpens appetere ſe eſſe leonem aut hominem. Et totum hoc, quia creaturæ non videtur poſſe eſſe melius, ſeu majorem habere perfectionem in ſpecie ſua, quam illam, quam dedit ſibi Deus. Quod enim nobis vile videtur, quum a Deo factum ſit, pretioſum eſt. Unde dicitur Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Et ſi cuncta erant bona, ergo bonus erat aſpis, bonus eſt draco, bonus eſt urſus, bona eſt aranea & ſcorpio, bona eſt formica, bonus eſt culex & pulex, bonus eſt equus, leo, capra, & bonus eſt homo, & bonus erat Angelus. Omnia iſta & alia bona ſunt in ſui natura, etſi aliquando propter defectum noſtrum nobis nociva.

Homo & Angelus oſtenderunt majorē ingratitudinem Deo quam miſerrima bruta.

Contentatur enim unaquæque creatura de bonitate ſibi conceſſa, & eam pro poſſe conſervat. Solus Angelus & homo, qui plus acceperunt bonitatis, plus oſtenderunt, & oſtendunt ingratitudinis, & deſiderando ſtatum mutare, & Deo ſimilem eſſe. Et ſic quotidie *numquam in eodem ſtatu permanet*, ſed ſemper pervigil & avidus ad mutandum conditionem. O miſer homo, quare non diſcis a brutis contentari de ſtatu tuo & conditione, credendo hanc veritatem, quod melius eſſe non poſſis, quam quod te Deus fecit, ſive ſis cæcus, ſive mancus, ſive claudus, ſive pauper, ſive ſervus, ſive contemtus ab aliis, ſive infirmus? Quid enim eſſe poteſt niſi bonum & pretioſum, quod Deus operatur, & concedit, præcipue quum dicat Sapiens: *Tu autem dominator Domine, omnia cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos?* Sapient. 12. Quum ergo omnia hunc effectum habeant, ut quærant pro poſſe conſervationem ſui eſſe, per hoc

hoc quærunt modo ſuo aſſimilari Deo; qui habet eſſe univerſale, & ſemper eſt.

Tertia pars ſpeculi hujus eſt finis ipſarum rerum in creatione. Dicit enim Auguſtinus, quod omnia fecit Deus propter hominem, hominem autem propter ſeipſum. Et, ut exemplificat Hugo de ſancto Victore in libro de arrha animæ: Fecit Deus humanam naturam, ut ſponſam ſuam, & ut videret ipſa ſponſa, quantum diligeretur a ſponſo, miſit ſibi forſerium plenum jocalibus. Aperiendo autem ipſum forſerium, quod eſt univerſum per conſiderationem ejus, in ſupremo reperis Seraphin ardentes, Cherubin laudantes, thronos reverentes, Dominationes præcipientes, poteſtates inimicos coercentes, virtutes mirabilia facientes, principatus provincias cuſtodientes, Archangelos ſumma nuntiantes, & rectores dirigentes, Angelos homines cuſtodientes. Hi *omnes* ſecundum Apoſtolum ad Hebræos 1. *ſunt adminiſtratores ſpiritus*, ſcilicet ſponſæ. Alia jocalia ſunt cæli & planetæ, quorum quilibet habet ſuam influentiam, ita ut una ſtella ſive planeta aquas trahat ſuper montes, & ubi non dominatur, ibi putei fieri non poſſunt. Alius dat influentiam vino, alius oleo, alius ſapores varios fructibus, & ſic de aliis. Poſt hæc in forſerio reperis non ſolum elementa, ſed & piſces & aves & beſtias terræ. Et *omnia*, ut ait Pſalmiſta 8. ad Dominum, *ſubjeciſti ſub pedibus ejus*. Sed certe non inferiora jocalia ſunt ſacramenta & alia ſpiritualia, quibus ipſa anima ſponſa proficiat. Quamvis igitur ipſa ſponſa faciem ſponſi videre non poſſit, ex arrha tamen ſibi miſſa, & tam pretioſis jocalibus, & præcipue quum ſanguinem ſuum effuderit, ut ornaret genas ejus, ex hac conſideratione poteſt videre tamquam per ſpeculum magnificentiam, largitatem & intimam & viſceroſam ejus dilectionem. Et ſic *videmus nunc* Deum *per ſpeculum*, ſicut videbat Apoſtolus, 2. Cor. 3. dicens: *Nos gloriam Domini ſpeculantes*, ideſt ut in ipſo ſpeculo glorioſum Deum aſpicientes, *transformamur . . . de claritate in claritatem*, ideſt de cognitione una ad aliam.

Sacra Scriptura ſpecula quartum, in quo Deus videtur.

§. VIII. Quartum ſpeculum eſt Scriptura divinalis, quæ quidem præſupponitur ad Deum intuendum. *Si enim non credideritis, non intelligetis*, ait Dominus per Iſaiam; ſed ſecundum aliam litteram, ut Auguſtinus in ultimo de Trinit. cap. 2. in iſto ſpeculo, pro tanto videtur Deus, pro quanto ejus eſt locutio. In ipſa enim audivimus Deum loquentem, & de ſe nos docentem. Ex auditu autem & lectione videt quis in intellectu, quod prius non videbat. Habet autem iſtud ſpeculum tres partes, ſecundum quod ipſa Scriptura veteris & novi teſtamenti trifariam dividi poteſt, videlicet in libros legales, annectendo eis, & hiſtoriales, libros ſapientales, & libros prophetales. Et in qualibet harum parte videmus Deum cum perfectionibus ſuis, licet obſcure.

Epilogus brevis omnium librorum totius bibliæ.

Et in parte quidem legali & hiſtoriali videmus Deum cum ſua omnipotentia, quum in libro Geneſis agitur de creatione rerum a Deo. In Exodo videmus ejus clementiam, quum populum hebraicum eduxit de duriſſima ſervitute Ægypti, & conduxit per deſertum paſcens manna cæleſti, & a multis moleſtiis eos liberavit. In Levitico oſtenditur, quod ſit maxima reverentia, dum ſacrificia multa & varia voluit ſibi offerri. In libro Numeri deprehenditur ejus patientia, dum ipſe contra ſe & Moyſen & Aaron vicarios ejus iraſcentes & murmurantes eos non exterminavit. In quinto legis libro, ſcilicet Deuteronomii, videre potes ejus perſeverantiam longanimiter eos tollerans, ut pervenirent ad terram repromiſſam. In libro Joſue videbis maximam ejus fidelitatem in introducendo populum illum in terram lacte & melle manantem, proſtratis habitatoribus ejus, prout promiſerat Abrahæ & ſemini ejus. In libro Judicum manifeſtatur juſtitia ſua punitiva ex hoc, quod toties populum ſuum hebraicum ſubjecit eorum inimicis finitimis & in ſervitutem redegit per annos plures, quoties Deum offenderunt. In libro Ruth videre potes Dei pietatem indeficientem, quia Ruth Moabitidi & Noemi ſocrui ejus valde de ſolatis & afflictis egregie providit. In quattuor libris Regum cum duobus Paralipomenon apparet gratia ſua in electione David ſuper regnum & populum ſuum cum dilatatione & exaltatione ipſius, ac etiam Salomonis. In libro Eſdræ nota prudentam ſuam, quæ eum direxit ad petendam & obtinendam licentiam a Cyro & Dario de reverſione a Babylonia in Hieroſolymam cum vaſis ſanctis. In Tobia videtur Dei magnificentia, quum ipſum Tobiam depauperatum & cæcum ita magnificavit etiam in temporalibus. In Judith habes Dei magnanimitatem, inducendo ipſam ad tam arduum opus, ſcilicet decapitationis Holofernis. Liber Heſter tibi demonſtrat quantum Deus ſit diſcretus, laqueum mortis, quem præparaverat Aman contra Mardocheum injuſte, torquens in eum. In libro Job videbis mirabilem Dei providentiam, dum ipſum Job ſine culpa ſui privatum omni ſubſtantia filiis & ſanitate, uxore & amicis ſubſanantibus, attendens illa omnia ex Dei ordinatione ſibi provenire, gratias egit, demumque Deo diſponente omnia rehabuit amiſſa, duplicatamque ſubſtantiam. In libris Machabæorum reperies magnam tollerantiam & longanimitatem, potius eligentes fœni cibo veſci, & mori in bello, quam participes fieri tranſgreſſionis legis. In novo teſtamento, in lege ſcilicet evangelica, per totum videbis Deum ſumme ad nos benevolum. Nam in principio Matthæi vides eum propter nos hominem factum, ex Virgine tamen generatum. Marcus tibi eum oſtendit ut noſtrum doctorem & prædicatorem tamquam leonem clamantem in deſerto. Lucas tibi inſinuat noſtrum redemtorem tamquam vitulum in paſſione oblatum. Joannes vero tamquam noſtrum præmiatorem, ut aquila volans in cælum. Actus Apoſtolorum hiſtoriales medicinalibus exemplis ipſum Deum nos juvare oſtendunt.

Secunda pars hujus ſpeculi, videlicet librorum ſapientialium, videre nos faciunt Deum ſapientiſſimum. Et in Proverbiis quidem docet ſapientiam ſeu providentiam œconomicam quemlibet, ut filium in moribus inſtruens. Incipientes a muliere mala, ſcilicet concupiſcentia vel doctrina hæretica, vel gentilium ſcientia cautos reddens. In Eccleſiaſte docet ſapientiam monaſticam ſe regulantem & ad mundi contemtum proficientes inducens. In Cantico canticorum docet ſapientiam heroicam ſeu guſtativam per verba ſuavia & amoris plena, ut inter ſponſum & ſponſam perfectos erigēs. In libro Sapientiæ, ſapientiam ſeu prudentiam regendi alios docet: *Diligite*, inquit, *juſtitiam, qui judicatis terram*, cognitionem veri Dei cum ſapore neceſſariam oſtendens. In Eccleſiaſtico videtur, quoniam *omnis ſapientia a Domino Deo eſt, & cum illo fuit, & eſt ante ævum*. Epiſtolæ quoque Apoſtolorum Petri & Pauli, Joannis, Jacobi, & Thaddæi, quæ correſpondent ſapientialibus libris, ſapientia divina pariter & humana plenæ ſunt. Et quia omnis ſapientia ab ipſo Deo ſapientiſſimo eſt; ideo dicit Jacob cap. 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter*.

Tertia pars hujus ſpeculi ſunt libri prophetales, qui etiam Deum nos videre faciunt. Ex libro quidem Iſaiæ videre poſſumus ipſum Deum benigniſſimum ex vocatione gentium frequentiſſime ibi prænuntiata ex ſuſceptione finali Judæorum

rum in fine revertentium. In Hieremia videmus eum ſeverum & rigidum frequenter, videlicet comminantem captivitatem illius populi in Babyloniam propter peccata eorum, & tandem exſequentem. In Ezechiele videmus ejus æquitatem, quia & veniam promittit peccatori revertenti, & pœnam juſto ſe ab eo avertenti. In Daniele videtur ipſe eſſe cunctorum futurorum præſcius, & dominium univerſale obtinere ſuper omnia regna mundi, eaque dare & mutare ſecundum beneplacitum ſuum. In Pſalterio oſtendit ſe placabilem & exorabilem petentibus eum ac multum liberalem. In duodecim prophetis minoribus lux veritati ejus maxime apparet ex duodecim radiis fidei, ideſt articulis ibi comprehenſis. In prophetia vero Apocalypſis Joannis oſtenditur ejus tremenda majeſtas in plagis ab eo immiſſis. Et ſic *per* iſtud *ſpeculum videmus nunc* Deum, & ſi obſcure, tamen multifarie. Unde Gregorius dicit in 2. Moralium, quod Scriptura ſacra apte dicitur ſpeculum, quia in ea velut in ſpeculo pulchra fœdaque noſtra intuemur, & Deum ex ea plenius cognoſcimus & certius, quam per quaſcumque doctrinas gentilium; unde ipſa maxima ſapientia dicitur.

Juſtitia ſpeculum quintum, in quo Deus videri poteſt.

§. IX. Quintum ſpeculum eſt juſtitia univerſalis, de qua dicit philoſophus cap. 1. & 5. Ethic. quod eſt omnis virtus, & mirabiles ſplendores in ea, nec heſperus, nec lucifer eſt ita clarus. Et per iſtam juſtitiam videmus Deum in habentibus ipſam, ſicut per radium ſolis de nocte videmus lunam & ſtellas. Sicut enim luna & ſtellæ ſecundum quoſdam lumen recipiunt a ſole, & ipſo occidente ex diffuſione radiorum ejus ſupra noſtrum hemiſphærium luna & ſtellæ ab eo illuminatæ nobis lucent, niſi nubes aerem obnubilent; ſic omnes juſti homines lumen juſtitiæ ſuæ, ideſt virtutis, aliunde non habent, niſi a Deo, prout oſtendit Joann. 1. dicens: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et in nocte quidem vitæ præſentis ipſe ſol Deus nobis manet occultus, & clare videre non poſſumus; ſed videmus eum in ſanctis ſuis mediante eorum juſtitia, qui ſtellis comparantur: Dan. 12. *Qui ad juſtitiam erudiunt plurimos, quaſi ſtellæ*, ſcilicet erunt. Sicut enim claritas ſeu lumen ſtellarum ſolem manifeſtat, ut effectus cauſſam; ſic & virtutes ſanctorum virtutes Dei, quæ exemplares dicuntur a Plotino philoſopho. Et inde noſtræ exemplantur, ſed numquam adæquantur, ac gloriam Dei nos videre faciunt ſecundum illud: *Glorioſus Deus in ſanctis ſuis*, ſcilicet apparet: *mirabilis in majeſtate* &c. Hujus igitur ſpeculi poſſunt tres partes aſſignari ſecundum varias virtutes, quæ repertæ ſunt in triplici ſtatu humani generis, in ſtatu legis naturæ, legis Moſaicæ, & legis gratiæ.

Triplex ſtatus humani generis.

Virtutes oſtenſæ in lege naturæ.

In ſtatu quidem legis naturalis refulſit Abel in virtute innocentiæ. Nam & de melioribus obtulit Deo, & vocatus a fratre ſuo Cain in agrum, ubi eum intendebat occidere, confidenter & ſine ſuſpicione mali acceſſit, mortem innocenter & ſine defenſione ſuſtinuit. Noe juſtus ac perfectus in generationibus ſuis, quæ omnes corruperant viam ſuam, juſtitiam nos, ideſt virtutem & rectitudinem inter quoſcumque reprobos, & male agentes conſervare docet, ac etiam Dei longanimitatem oſtendit. Abraham perfecta obedientia mundum illuſtravit, ad Dei mandatum propinquos relinquens & patriam, ut peregrinus diſcurrens per diverſas terras, ac unigenitum ſuum in ſacrificium offerre diſponens. Et in hoc facit nos Deum videre obedientem & voluntatem facientem timentium eum; ac proprio unigenito non parcens, eum morti crucis expoſuit. O quantum caſtitatis lumen patriarcha Joſeph præſtitit mundo, quum inſtigatus ab uxore ſui patroni Phutifar ad turpitudinem quandoque verbis laſcivis, quandoque maleficiis, quandoque muneribus & enxeniis, quandoque comminationibus & promiſſis, ut habetur in lib. de 12. patriarchis, potius & infamiam & carcerem & periculum mortis ſubire voluit, quam caſtitatem ipſam violare, etſi juvenis eſſet & pulcherrimus, & opportunitas non deeſſet. Moyſes mitiſſimus hominum ſuper terram nobis manifeſtat manſuetiſſimum Deum erga contumaces & rebelles, ac etiam præſidentibus lumen miniſtrat, ut erga ſubjectos manſuetudinem ſervent.

Virtutes oſtenſæ in lege ſcripta.

In ſecunda parte hujus ſpeculi, ideſt legis ſcriptæ, videmus Joſue cum magna ſpe & conſtanti fiducia exſpectare adimpletionem divinæ promiſſionis, & obtinere, in nobis ſui exemplo ad ardua ſpem erigens ac videre faciens Deum potentem ad eruendum nos ab adverſariis, & inducendum ad ea, quæ ſuper noſtras vires exiſtunt. David rex & propheta diligentiſſimus in cultu divino materiam præparans opulentiſſimam ad templi conſtructionem, quam etiam quum perficere voluiſſet, ſacerdotes ordinans ad laudes divinas & concinendos pſalmos, quos ipſe ediderat, nobis radium præſtat permaximum orationis, devotionis ac meditationis divinorum myſteriorum, & diligentiſſimæ obſervantiæ ſacræ religionis, ac videre nos facit Dei reverendam majeſtatem. Per Ezechiam regem fletu magno ſua delicta abluentem invitamur ad pœnitentiam, ut cum ipſo & veniam conſequamur & vitam, ac etiam videamus Dei piiſſimam miſericordiam, peccata quam citius remittentem. Joſias etiam rex a puericia ſtudioſus ad obſervandum legem dominicam, & ad inducendum populos ad ejuſdem plenam obedientiam, nos ad ſtudioſitatem provocat divinorum verborum, ac Deum timendum inſinuat. Elias dum zelat zelum Dei, non regibus parcit nec populis, ſed firmam veritatem cunctis manifeſtans, ac quadringentos prophetas falſos occidere faciens in igne zeli ſui receptus eſt in cælum, ad veritatem inconcuſſe tenendam nos efficaciter provocans, & verum Deum nobis probans. Venerabilis matrona cum ſeptem filiis Machabæis, dum potius mortem ſuſtinuit, & ſeptem ſuos diverſis cruciatibus laceratos ad idem animavit, ne cæremonias divinæ legis tranſgrederentur, maximæ fortitudinis lucem ſæculo reliquit, conſolatoremque Deum & præmiatorem oſtendit.

Virtutes oſtenſæ in tempore legis gratiæ.

Inſpiciendo in parte hujus ſpeculi tertia, ſcilicet tempore gratiæ, deficerent folia, priuſquam exempla ſanctorum mundum illuſtrantium vel pauca in medium proponamus, incipiendo a Virgine Maria, cujus vita inclita cunctas illuſtrat Eccleſias, ex qua, ut ait Ambroſius, velut in ſpeculo relucet forma caſtitatis, ſcilicet virginalis & perfectæ virtutis. Hinc ſumatis exempla vivendi. Prima Mariæ virtus fundamentum omnium virtutum eſt humilitas, & ipſa eſt, quæ Deum nos fecit videre hominem factum ex ſubſtantia ſua. Intueamur & Joannem Baptiſtam auſteritate vitæ & exemplo mundum edocentem in cibo & potu & veſtitu & tranſitoriis aliis: & ipſe Deum digito demonſtravit dicens: *Ecce Agnus Dei*, Joann. 1. Caritatem perfectam Petri & Paulli, ceterorumque Apoſtolorum quis enarrare poſſet, qui Deum verum per doctrinam & miracula nos videre fecerunt? Martyres pretioſi ad fidei conſtantiam nos urgent grati Deo non ſolum in tormentis gratias agendo, ſed ſeipſos ſponte Deo offerendo in obſequium ejus, qui gratioſus eſt omnibus. Confeſſores modeſtiam, liberalitatem, ac pietatem prædicant, Dei imitantes æquitatem, & virgines honeſtatem cum ſubrietate amantes Dominum

lau-

laudant. Sicque per virtutes ſanctorum *videmus* tamquam *per ſpeculum* Deum perfectiſſimum, qui illas tribuit. Unde & in figura præcepit Dominus fieri mare æneum, Exod. 38. circa tabernaculum, cujus labrum erat de ſpeculis mulierum, ut in illis ſpeculis videntes ſacerdotes ſeipſos, maculis per aquam mundarentur. Specula mulierum ſunt lucida exempla animarum ſanctarum, in quibus intuentes, ſimul & videmus defectus noſtros, & Deum noſtrum in operibus eorum, ſicut ſolem in omni ſphæra ſua fixe, ſed ſuper montes vel domos radios diffuſos.

Rationalis anima per ſpeculum ſextum, in quo Deus videri poteſt.

§. X. Sextum ſpeculum ad videndum Deum eſt anima rationalis in potentiis ſuis. Et per iſtud ſpeculum videtur Deus trinus & unus; & ſi melius quam per alias creaturas, tamen valde a longe & obſcure. Unde Auguſtinus in lib. 14. de Trin. cap. 8. dicit: Etſi mens noſtra non ſit ejus naturæ, cujus eſt Deus; imago tamen naturæ ejus, qua natura melior nulla eſt, ibi quærenda & invenienda eſt in nobis, quo etiam natura noſtra nihil habet melius. Hujus ſpeculi tres partes dici poſſunt tres partes ipſius animæ, memoria ſcilicet, intelligentia, & voluntas. Ex memoria videtur pater, ex intelligentia filius, ex voluntate Spiritus ſanctus quantum ad modum proceſſionis.

Et primo de memoria conſtat quantum ad actum ſuum, ſcilicet memorandi, quod ipſa non procedit ab intellectu, nec voluntate, quoniam multorum meminimus, quæ non intelligimus, ſicut quum quis recordatur de aliquo Dei judicio miro & occulto, ut quod Joſias rex Iſrael ita perfectus fuit occiſus a Pharaone iniquo rege Ægypti, & quod in Tyro & Sydone ſi facta fuiſſent miracula, quæ fuerunt a Chriſto facta in Bethſaida, converſi fuiſſent ad pœnitentiam homines illi; quia ſic Chriſtus confirmavit, hujus rei recolimus, ſed cauſſam hujus, quare illis non fuerit prædicatum, neſcimus. Reminiſcimur etiam eorum, quæ nullo modo volumus, ſicut peccatorum commiſſorum & periculorum. Mens enim bene diſpoſita non habet complacentiam, ſed diſplicentiam de perpetratis malis. Sic Pater æternus non procedit a Spiritu ſancto nec a Filio, ſicut nec memoria ab intellectu & voluntate. Et ſicut iſtæ tres potentiæ non ſunt tres animæ, ſed una; ita Pater & Filius & Spiritus ſanctus non ſunt tres eſſentiæ, ſed una eſſentia, una natura, una ſubſtantia.

De intellectus etiam actu patet quod non poſſumus intelligere aliquid, niſi prius recordamur. Sed intelligere poſſumus multa, & ipſa non velle, ſicut intelligimus miſerias, quas patimur, & multoties non vellemus. Sic ergo Filius a Patre procedit, non a Spiritu ſancto, ſicut intelligentia procedit a memoria & non a voluntate. Et ſicut iſtæ potentiæ non ſunt una, ſed realiter ſunt diſtinctæ, ita quod una non eſt alia potentia, quamvis ſit in una tantum eſſentia animæ; ita Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ, ita quod una non eſt alia, ſicut dicebat Sabellius hæreticus, ſed una tantum eſſentia.

Voluntas vero procedit quantum ad actum ſuum a memoria & intellectu. Non enim poſſumus velle aliquid, quin illud prius memoriæ occurrat, & quin illud aliquo modo ſaltem generali intelligamus. Sicut Spiritus ſanctus a Patre Filioque procedit, non tantum a Patre, ut quidam hæretici dixerunt, ſed etiam a Filio. Et ſic patet quomodo per potentias animæ noſtræ tamquam per ſpeculum videre poſſumus Deum verum unum in trinitate & trinitatem in unitate Unde Bernardus: O beata trinitas, æternitas, veritas, bonitas, ad te clamat animæ trinitas, memoria, ratio, A ſeu intelligentia, & voluntas. Sed quia iſtud ſpeculum frequenter in lutum projicimus vitiorum, ideo in ſic deturpato male videmus aliquid divinorum, niſi prius emundetur per trinitatem quamdam nobis accidentalem actuum proborum. Sicut enim eſt una eſſentia divina in tribus perſonis purificans omnia; ſic eſt una pœnitentia integrata ex partibus ſuis, ſcilicet contritione, confeſſione, & ſatisfactione, emundans corda. Et contritio quidem, quia per eam peccator juſtificatur, quod eſt potentiæ maximæ, & majoris quam creatio cæli & terræ ſecundum Auguſtinum; ideo contritio Patri adaptatur, cui attribuitur omnipotentia. Confeſſio vero, quia per ipſam manifeſtantur occulta, & cum veritate fieri debet, ipſa attribuitur Filio, qui lux eſt manifeſtativa & veritas prima. Satisfactio autem, quia finis eſt pœnitentiæ procedens ex vera contritione & confeſſione, & bonitatem operum pœnalium habet, Spiritui ſancto attribuitur. Et quamvis ipſæ partes ſeu actus pœnitentiæ, ſcilicet contritio, confeſſio, ſatisfactio, realiter ſint diſtinctæ, in una tamen pœnitentiæ eſſentia conveniunt. Et ſic *videmus* Deum *per ſpeculum* animæ rationalis.

B

Angeli ſeptimū ſpeculum, in quo Deus videri poteſt.

§. XI. Septimum & ultimum ſpeculum eſt natura Angelica ſeu intellectualis, quæ in una natura ſpirituali ſine corpulentia ſeu materia exiſtens in tres hierarchias diſtincta, nobis indicat myſterium Trinitatis. Et modicum quidem notitiam de his habemus, quam quidem nobis tradidit Apoſtolus Paullus raptus ad tertium cælum, ſcilicet ſupremæ hierarchiæ, per Dionyſium Ariopagitam diſcipulum ſuum & ſummum philoſophum. Per hanc igitur naturam Angelicam conſideratam velut per ſpeculum, etſi a nobis multum remotum, videmus Dei ſublimitatem incomprehenſibilem; & hoc ex tribus ſententiis & concluſionibus circa materiam Angelorum tamquam ex tribus partibus hujus ſpeculi. Prima ergo ſententia Dionyſii eſt, quod minimus Angelorum ſecundum ſuam naturalem eſſentiam, eſt nobilior & perfectior quacumque anima humana ſecundum ſuam naturam. Veritatem hujus ſententiæ firmavit Dominus Jeſus, quando dixit Matth. 11. *Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta. Qui autem minor eſt in regno cælorum, major eſt illo.* Notanter autem dixit: *Non ſurrexit.* Surgere enim eſt ex imo in altum elevari. Omnes autem ſancti in imo originalis peccati nati, tunc elevati ſunt in altum, & ſurrexerunt, quando purgati ab eo ad gratiam pervenerunt. Chriſtus non ſurrexit hoc modo, quia in imo originalis numquam fuit; & ideo ſine comparatione Chriſtus eſt major Joanne. Quando autem Chriſtus hoc dixit, in regno cælorum ſoli Angeli erant, non animæ; minorem ergo Angelum dixit majorem Joanne ſupremo ſanctorum & maxime glorioſo.

C

Perfectiores ſunt Angeli hominibus.

D

Secunda ſententia Dionyſii eſt, quod numerus ſit incomprehenſibilis; quod Dominus dixit Job 25. *Numquid eſt numerus militum ejus?* Sicut enim ſtellas cæli ſolus ille dinumerat, qui eas fecit; ſic & Angelos, qui ſtellæ nominantur. Unde Baruch 3. *Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis*, quas ſcilicet faciunt erga homines. De qua cuſtodia Salvator dixit in Evangelio: *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris*, Matth. 18. Super quo verbo dicit Hieronymus, quod confirmavit Magiſter ſententiarum in 2. quod quælibet anima ab exordio ſuæ nativitatis maris & feminæ, fidelis ſive infidelis, boni vel mali, habet Angelum ad ſui cuſtodiam deputatum, qui ſecundum Theologos ſunt de ordine infimo Angelorum. Unde oportet, quod tot numero ſint in ordine illo, quot ſunt homines in mundo, quando umquam plures fuerunt. Et ultra numerum homi-

De numero Angelorū.

E

minum adhuc oportet esse tot plures, quot sunt A
species aliarum creaturarum, quia quælibet species, & quodlibet cælum habet specialem Angelum ad sui gubernationem. Et quum videamus in creaturis corporalibus, ut elementis & cælis illam, quæ superior est, esse decies majorem quantitate continua, quam inferior: sicut aqua decies major est quam terra: & aer decies major est quam aqua, & ignis decies major est quam aer: & cæli etiam similiter multo majores, quam ista visibilia; a simili videtur, quod judicare debeamus de invisibilibus. Quum igitur in Angelis non sit quantitas continua, quia corpore carent, attendenda est in eis quantitas discreta seu numeralis, ut secundum prædicta forte secundus ordo Archangelorum sit major primo in decuplo, & B
tertius ordo principatuum sit major numero ordine Archangelorum in decuplo. Et sic de singulis ascendendo usque ad supremum, scilicet ordinem Seraphicum. Si ergo infimus ordo est plusquam millia millionum, quot erunt Archangeli, quot Principatus, quot ceteri, quis poterit dinumerare?

De Angelorū distinctione.

Tertia sententia Dionysii est, quæ homines præ stupore deficientes facit, quod unus Angelus est distinctus ab altero, non solum numero, sed pecie. Non enim distinguuntur ab invicem Angeli, sicut Petrus a Martino, & Martinus a Joanne, & anima una ab altera, quæ solum est distinctio numeralis, non specifica; sed differunt eo modo, quo agnus differt ab equo, equus a bove, bos a leone, leo ab homine, inter quæ est differentia specifica. Ut autem dicit philosophus in libro Methaph. species rerum sunt sicut numeri. Sicut enim quilibet numerus addit ad inferiorem se ad minus unam unitatem: sicut numerus ternarius addit ad binarium unum; sic quælibet species creaturæ addit unum gradum perfectionalis essentiæ ad minus ad aliam speciem inferiorem. Ex dictis ergo formo conclusionem talem: Infimus Angelus est nobilior Joanne Baptista in sui natura, qui Joannes maximus creditur sanctorum, & per consequens glorioſissimus & specioſissimus. Secundus Angelus est nobilior primo uno gradu perfectionalis essentiæ. Et tertius secundo nobilior uno alio gradu perfectionis. Et sic semper ascendendo usque ad supremum infimi ordinis Angelorum, qui, ut dictum est, sunt plus quam millia millionum. Quis ergo poterit, non dico narrare, sed vel parum intelligere nobilitatem, speciositatem, magnificentiam, & gloriam illius Angeli supremi? certe nullus: neque Moyses neque Joannes, nec Petrus, nec Paullus, quum vivebant. Ascendatur exinde ad alios octo ordines gradatim semper addendo perfectionem majorem: quum ventum fuerit ad supremum Seraphin, nonne deficiet mens præ stupore in consideratione tantæ nobilitatis? Et quia super Seraphin residet Dominus Deus noster ut eminentior cunctis sine comparatione, & omnes creans & regens & perfectionem eis infundens; sic per istud speculum naturæ Angelicæ videmus Deum, etsi obscure, tamen prout possumus eminentissimum, nobilissimum, perfectissimum, universale & summum bonum. Et de hoc speculo naturæ Angelicæ potest intelligi illud Sap. 7. *Speculum sine macula*. Numquam enim in eis Angelis reperta est macula culpæ, scilicet in beatis Angelis, sicut reperta est in speculis animarum. Et hoc quoad primum principale.

Infimus Angelus est nobilior Joanne Baptista.

Quid est enigma.

§. XII. Secundo dicebatur, quod in auctoritate Apostolica inveniebatur speculatio prophetalis, quum subditur, *in enigmate*, scilicet *videmus nunc*. Enigma, ut habetur in Chatolicon, est sententia seu locutio obscura, occulta per similitudines rerum, sub quibus fit, & difficile est intelligere, nisi exponatur, ut illud, quod proposuit Philistæis Samson: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, Judic. 14. Quod illi intelligere non valebant, nisi ipse exposuisset, videlicet, quod de ore leonis, qui est fortissimum animal comedens & devorans alia, eduxerat cibum dulcem, scilicet favum mellis ibi repertum. Et dicitur enigma ab *e*, quod est *in*, & *nigma*, quod est *imago*, quasi sententia sive locutio facta sub imagine, idest sub similitudine. Tales autem sunt locutiones propheticæ communiter. Sicut enim ipsi vident Deum, sive divina mysteria sub imaginibus & similitudinibus rerum sensibilium, ita & populis proponunt. Sed quæ populis occulta & obscura erant, prophetæ ipsi videbant. Unde appellabantur videntes, ut habetur 1. Regum 9. Non tamen quod ipsi clare viderent Deum, sed sub imaginibus, ut dictum est, & similitudinibus rerum sensibilium a Deo impressis perfectius & celsius videbant divina, quam videantur per septem specula suprædicta. Poterant igitur ipsi dicere: *Videmus nunc in enigmate*, & non solum *per speculum*; nos autem per ipsa enigmata a doctoribus, vel potius a Spiritu sancto relerata Deum cernere possumus. Et hoc sub septemplici ejus dispositione erga nos, videlicet,

Septem modis Deus videtur in enigmate.

Primo in dispositione innitentis, hoc quoad pœnitentes.

Secundo in dispositione instruentis, quoad ignorantes.

C Tertio in dispositione stantis, quoad laborantes.

Quarto in dispositione sedentis, quoad contemplantes.

Quinto in dispositione deambulantis, quoad judicium exspectantes.

Sexto in dispositione comedentis, quoad gloriam suscipientes.

Septimo in dispositione regentis, quoad Angelos & omnes gentes.

§. XIII. Primo modo vidit Deum Jacob, ut habetur Geneſis 28. Vidit enim in somnis scalam stantem & Dominum desuper innixum scalæ. Ubi notandum ex ipsa visione Jacob aliqua præexigi ad dictam visionem, videlicet supplantationem vi- *Scalæ Jacob expositio.*
D tiorum. Et hoc ex interpretatione ipsius nominis: interpretatur enim Jacob *supplantator*, idest, conculcator vitiorum & tentationum & dæmonum, exstinctionem concupiscentiarum; quod notatur ex eo, quod post solis occasum illa vidit. Occasus autem solis ferventem ardorem concupiscentiarum exstinctum designat. Assumtio quoque asperitatis & laborum adeo necessaria est, in cujus signum dicitur, quod *tulit de lapidibus*, & *suppoſuit eos capiti*. Lapides duri asperitates tribulationum & pœnitentiæ signant, sed & ligatio sensuum corporalium & desideriorum carnalium ostenditur figurate in hoc, quod dormivit. In ipsa autem dormitione vidit scalam & *Angelos ascendentes & descendentes*, & *Dominum innixum scalæ*. Scala est pœnitentia seu conversatio bona, hæc debet stare scilicet per veram fidem. Ad Rom. 11. *Tu autem fide stas*, sed super terram per spem; quia ipsa est, quæ erigit mentem de terrenis ad superna. Ad Rom. 5. *Stamus in spe* claritatis supernæ erecti. Cacumen scalæ, quod tangit cælum, caritas est: ipsa enim est, secundum Augustinum, quæ ducit ad cælum. Angeli ascendentes & descendentes sunt vel ipsi ad litteram offerentes Deo vota nostra, & referentes nobis ejus dona, vel ipsæ affectiones & cogitationes ascendentes, ad considerationem præmii, & descendentes ad considerationem sui debiti supplicii. Innixus autem huic scalæ Dominus manet, ut nobis ascendendi modum ostendat, Michæas 2.

Ascen-

Aſcendet pandens iter ante eos, alliciens per promiſſiones ad ipſum aſcenſum. Innixus etiam manet ſuper ſcalam, ut dexteram adjutorii, ne deficiant, porrigat, & demum ſenſim ad gloriam trahat. Juxta illud pſalm. 72. *Tenuiſti manum dexteram meam*, &c.

§. XIV. Secundo viderunt prophetæ, & nos ex eorum relatu Deum in diſpoſitione inſtruentis. Et ſic vidit Moyſes Deum, quando ei apparuit in rubo ardenti. Unde dixit Moyſes: *Vadam, & videbo viſionem hanc*, quomodo ſcilicet rubus ardeat, & non conſumatur, Exod. 3. Rubus ſignat Deum incarnatum nos inſtruentem: etenim Deus noſter *ignis conſumens eſt*. Deuteron. 4. Rubus pungens ſignat noſtram humanitatem nos undique pœnis pungentem. Ignis ergo in rubo eſt deitas noſtræ humanitati unita cum aſſumtis pœnalitatibus: qui rubus non conſumitur, nec ignis exſtinguitur, quia ex ipſa unione humanitas non fuit conſumta ſeu converſa in divinitatem, nec divinitas umquam deſeruit humanitatem, etiam in morte.

In rubo autem apparens de tribus inſtruxit Moyſen & per eum omnem animam. Et primo reverentiæ exhibitionem, quum ei dixit: *Ne appropies huc*. Nimia enim familiaritas & facilis & frequens acceſſus ad aliquem ſolet contemtum inducere; propter quod magni prælati & domini temporales non permittunt de facili acceſſum ad eos vel appropinquationem, ut magis habeantur in reverentia. Unde & Regem magnum Aſſuerum nullus adire poterat ad aſpectum ejus ſub periculo vitæ, niſi vocatus. Permaxime autem in reverentia debet haberi, & cum reverentia debet accedi conſideratione pia, non curioſa ad myſterium incarnationis, & ipſum in ſacramento exiſtentem. Hac reverentia motus Centurio dixit Jeſu: *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*, Matth. 8. Et Petrus Apoſtolus, quum ait: *Exi a me, Domine, quia homo peccator ſum*, Luc. 5.

Secundo inſtruxit in temporalium abrenuntiatione, quum dixit: *Solve calceamentum de pedibus tuis*. Calceamenta, quæ fiunt de animalibus mortuis & terræ inhærent, ſignant iſta temporalia, quæ in terra ſunt, & de inanimatis, ſcilicet elementis oriuntur, a quibus pedes affectuum extrahi debent. Sicut enim pulvis impedit viſum, ſi oculum intret; ita & temporalia mentis intuitum erga divina, & ita deprimunt affectum, ut ad ſuperna evolare non poſſit; ſicut viſcus implicat pennas avium, ut in altum volare non poſſint. Et propterea, ut ait Auguſtinus, omnia terrena contemſit homo Chriſtus, ut ea contemnenda eſſe demonſtraret, verbo & exemplo nos ad hoc inſtruendo. Et quando tribus ex diſcipulis ſuis voluitm anifeſtare gloriam ſuam, de valle ad montem Thabor excelſum adduxit, ubi eum viderunt transfiguratum, Matth. 17. ad innuendum mundum contemnendum, ut in altum contemplationis aſcendi poſſit ad videndum Deum.

Terrena contemnenda.

Tertio inſtruxit de affectu ſui efficaci compaſſione in eo, quod dixit: *Videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto ..... & deſcendi liberare eum*. Quod impletum fuit in deſcenſione ejus de cælo, quando poſt multa flagella immiſſa Pharaoni, ideſt diabolo, per ejus doctrinam & miracula & opera ſancta; demum ſanguine ipſius agni immaculati liberati fuimus de ſervitute diaboli. Sed heu, quia nemo eſt, qui recogitet tantum beneficium, ſuper quo ipſe conqueritur Oſeæ 6. dicens: *Miſericordia veſtra, quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens*. Sicut enim ros, qui deſcendit de cælo ſuper terram ad fœcundandum eam, & herba adveniente ſole ſubito deficit & ſiccatur; ſic miſericordia, qua Chriſtus nos liberavit; & ideo noſtra dicitur, quia nobis facta, quum a Deo proceſſerit ad replendum nos fructu bonorum operum, ſuperveniente calore tentationis vel tribulationis modicæ, ſubito deficit in memoria noſtra, & ſiccatur affectus ſuavitate tanti beneficii infructuoſus remanens.

§. XV. Tertio videre poſſumus Deum *in enigmate* propheticæ viſionis per modum recti manentis, ideſt auxilium ferentis laborantibus, ſicut ipſe Deus incarnatus laborantibus diſcipulis in remigando propter ventum contrarium apparuit eis rectus manens ſuper undas maris & eos juvans, amota tempeſtate. Laborant autem aliqui ex tribulatione, quibus fert auxilium patientiæ. Unde ipſe dicit Iſai. 43. *Quum tranſieris per aquas, tecum ero; per aquas*, ſcilicet tribulationis, *& flumina non operient te*, magnarum ſcilicet paſſionum & perſecutionum, non abſorbebunt rationem. Sed, ut dicit Auguſtinus, quod mala æquanimiter toleramus, ab illo ſcilicet Deo eſt, non noſtra potentia. Et in ſignum hujus Stephanus prothomartyr in tribulatione lapidationis poſitus dixit: *Ecce video cælos apertos, & Jeſum ſtantem a dextris Dei*. Ideo *ſtantem* vidit quaſi paratum eum juvare, Act. 7. Unde cum magna dulcedine migravit, & pro inimicis lapidantibus exoravit. Laborant alii in eliminatione vitiorum a ſe vel a proximis. Unde Pſalmiſta 6. pro remotione ſuorum vitiorum dicebat: *Laboravi in gemitu meo*. Labor eſt enim recogitare & dolere de peccatis ſuis. Et Apoſtolus diſcipulum ſuum Timotheum hortatur ad exſtirpandum vitia aliorum per doctrinam dicens: *Labora ut bonus miles Jeſu Chriſti*, 2. ad Timoth. 2. Et ad hunc laborem neceſſarium eſt adjutorium Dei. In hujus rei ſignum vidit Amos *Dominum ſtantem ſuper altare, & dixit: Percute cardinem, & commoveantur ſuperliminaria: avaritia enim in capite omnium*, Amos 9. Per avaritiam, quæ cupiditas etiam dicitur radix omnium malorum, notatur generale peccatum. Amos typum gerit illorum, qui laborant ad eliminationem vitiorum, quibus apparet Dominus ſtans ad juvandum, conſtantiam immittendo. Sed *ſuper altare* dicitur ſtare, ut oſtendatur, quod *omnis poteſtas* eccleſiaſtica *a Domino Deo eſt*. Sed vide quid dicat: *percute cardinem*. Per cardines ſignantur ſuperiores peccantes, qui debent increpationibus & objurgationibus caſtigari, ut ſuperliminaria, ideſt inferiores per exemplum eorum valeant ad pœnitentiam commoveri. Unde Moyſes dure arguit Aaron de conflatione vituli, Exod 32. Et Dominus fecit ſuſpendi duodecim principes tribuum, quando populus fornicatus eſt in Moab, Num 25.

Laborant alii in informatione morum: parum eſt enim eliminare vitia, niſi & mores informentur. Unde dictum eſt Hierem. 1. *Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas & diſſipes*, quantum ſcilicet ad vitia, *& ædifices & plantes*, quantum ad virtutes & bonos mores. Sed quia *ſine me nihil poteſtis facere*, ait Chriſtus Joann. 15. ideo *poſui adjutorium ſuper potentem*, ideſt laborantem, ait Dominus. Et in hujus figuram vidit Amos 7. Dominum ſtantem *ſuper murum litum, & in manu ejus trulla cæmentarii*. Murus litus eſt eccleſia fortis & conſtans ex pluribus fidelibus tamquam vivis lapidibus ædificata & calce caritatis unita, & modeſtia linita & ornata, ſuper quam ſtat Dominus tamquam regens & gubernans, in cujus manu eſt gratia, quæ ſignatur per trullam cæmentariam; quia ſicut trulla cæmentaria ad ædificationem valet & linitionem murorum; ſic gratia ad inſtructionem morum & informationem.

§. XVI. Quarto vident prophetæ Deum, & nos per illos *in enigmate*, per modum & diſpoſitionem ſedentis; & hoc quoad contemplationes, de quibus poteſt intelligi illud, quod Dominus dixit Iſaiæ ult. *Cælum mihi ſedes eſt: cælum*, ideſt homines cæleſtes & contemplativi. Sedet autem ſuper tales, ut cogitationes & affectiones eorum ad ſerviendum ſibi aſſiſtere faciat, & eos ſecreta judicia doceat. In cujus figuram Michæas propheta, quod viderat *in enigmate*, ideſt imaginarie, expreſſit dicens: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei a dextris & a ſiniſtris; & ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Iſrael, ut aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et quum diverſi diverſa dicerent ex aſſiſtentibus, egreſſus eſt ſpiritus quidam, & ait: Ego decipiam illum*, in hoc videlicet, quia *egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies & prævalebis: egredere, & fac ita*, 3. Reg. 22. Per exercitum cæli Domino aſſiſtentem a dextris & a ſiniſtris ſignatur congregatio affectionum & deſideriorum circa divina vel humana, quæ debent Domino aſſiſtere. Per locutionem Domini miniſtris ſuis factam, intelligitur occulta judicia miniſterio angelorum exſequenda. Per aſſenſum Domini ad deceptionem Achab ſignatur permiſſio ejus, qua permittit homines, & præcipue rectores decipi & deficere in ſpiritualibus & temporalibus.

Secundo ſedet in contemplativis, ut eos gratia ſua repleat. Juxta illud pſal. 10. *Dominus in cælo ſedes ejus*. In cujus figuram dicit Iſaias cap. 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum*, [1] *& plena erat domus majeſtate ejus, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphin ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri .... & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum*. *Solium* Domini eſt anima ſanctorum. Et hoc ſolium eſt *elevatum* a deſiderio terrenorum; & eſt *excelſum* in contemplatione divinorum. Et tunc domus mentis repletur *majeſtate ejus*, ideſt gratia. *Seraphin* autem, qui denominantur ab incendio, qui *ſtabant ſuper illud*, ideſt juxta illud, ſignant ardentia deſideria divini amoris, quæ dicunt: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus* &c. quia ex amore procedunt cum admiratione ad divinas laudes Trinitatis ſanctiſſimæ, in unitate eſſentiæ. Exinde impletur domus fumo, ideſt mens ſeu conſcientia humili devotione. Tertio Dominus in eis ſedet, vel potius amplexatur, ut eos mirabili guſtu conſolationis reficiat, juxta illud Cant. 2. *Dextera illius amplexabitur me*, ideſt contemplatio de ipſo Sponſo Deo, me ſibi uniet, & ſumme conſolabitur. In cujus figuram legitur, quod apparuit Dominus Jacob, quum ſolus remanſiſſet, ſeparatis a ſe familia & ſubſtantia, & *luctabatur cum eo uſque mane, & quum eum ſuperare non poſſet*, tangens *nervum fœmoris ejus, ſtatim emarcuit*. Ubi & mutatum eſt nomen ipſius de Jacob in Iſrael, quod interpretatur *videns Deum*. Unde dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea*: benedictionemque ab eo recepit, ut habetur Geneſis 32. Luctamen iſtud Jacob cum Deo inſtantiam ſignat orantis. Duo brachia luctantis ſunt fletus ſeu compunctio & oratio. Unde dicitur Oſææ 12. de iſto Jacob, quod *flevit & rogavit*. Sicut autem ille, qui luctatur cum aliquo, ſcilicet brachio, aliquando videtur dejici & ſuperari, aliquando dejicere alium & ſuperare; ita & orans ſive contemplans, aliquando orationem videtur ſubjicere & ſuperare, in puncto apprehendens aliquid divinum ſuper ſe, aliquando videtur dejici gravatus carne & obfuſcatus phantaſia, ut fixe divina apprehendere non poſſit. Verum ſi prævalere vult, luctari debet *uſque mane*, ideſt perſeverare in orando, contemplando uſque ad mane ſupernæ gloriæ. In hac autem lucta recepit benedictionem, videlicet magnæ conſolationis, & marceſcit nervus fœmoris, quia exſtinguitur carnalis appetitus: guſtata enim ſuavitate ſpiritus, deſipit omnis caro, quia maxima eſt, etſi parum duret actualiter. Unde Bernardus: Felix, quum invenero, ſcilicet Dominum! tunc amplexus, tunc oſcula, quæ vincunt mellis pocula. Sed in his parva morula.

§. XVII. Quinto vident prophetæ Deum enigmatice per modum deambulantis. Et hoc quoad judicium exſpectantes. Sed *quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum*, Malach. 3. Deambulabit autem, quia in forma humana aſſumta, de cælo deſcendet ad terram, *& videbit eum omnis oculus, etiam, qui eum pupugerunt*, Apocal. 1. Hoc autem vidit Daniel viſione imaginaria. Unde ait cap. 7. *Videbam in viſione mea nocte .... & quattuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diverſæ inter ſe*. Prima ſimilis leenæ habens alas aquilæ. Secunda ſimilis urſo tres ordines dentium habens in ore. Tertia ſimilis pardo habens alas quattuor & capita quattuor. Quarta terribilis & mirabilis & fortis, habens dentes ferreos comedens & comminuens, & reliqua pedibus conculcans, habens cornua decem, & *de medio eorum ortum eſt aliud parvulum*. Quæ quidem quattuor beſtiæ deſignant quattuor monarchias mundi principales, ſcilicet Aſſyriorum, Perſarum & Medorum, quoad ſecundam; Græcorum, quoad tertiam; & imperium Romanorum, quoad ultimam. Decem cornua ſignant decem partes, in quas ſcindendum eſt imperium Romanorum. Cornu parvulum Antichriſtus eſt, qui orietur in tali diviſione. Pene omnia iſta regimina perambulavit Dominus, ipſa gubernando, & de ipſis judicando, & conferendo temporaliter, prout ſibi placuit. Demum cuncta ſimul regna cum comprehenſis cum eis ſimul eſt judicaturus, perambulans de cælo, ut dictum eſt ad terram. Unde in viſione illa dixit ipſe Daniel: *Aſpiciebam .... & ecce in nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, qui uſque ad antiquum dierum pervenit*: ut ſcilicet manifeſtetur, quod poteſtatem dedit ei pater, dicitur antiquus dierum judicium facere. Veniet autem in judicio ad tria, ad ſui quidem exaltationem, ut ſcilicet ab omnibus videatur, quod conſtitutus eſt judex vivorum & mortuorum. Unde in dicta viſione ſubditur, quod *dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ſervient ipſi*. Veniet ſecundo ad confuſionem malorum, juxta illud Hieremiæ 20. *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod numquam delebitur*. Et hoc ſignatur Geneſis 3. quando Adam audivit Dominum deambulantem in paradiſo poſt meridiem: qui quamvis abſconderit ſe propter peccatum commiſſum, tamen oportuit, quod eum audiret, & videret ſententiantem. Adam quippe ſe abſcondens peccatorem deſignat excuſantem peccata ſua, propter quæ indignum ſe facit Dei viſione. Audit tamen *poſt meridiem*, ideſt poſt caritatis & fervoris exſtinctionem vocem deambulantis Dei venientis, ſcilicet ad judicium; & quia nudum ſe agnoſcit virtutibus & gratia, comparere erubeſcit. Dominus autem arguit peccatores dure ſecundum il-

Significatio luctaminis Jacob.

Chriſtus veniet ad judicium propter tria.

[1] Hæc verba, *& plena erat domus majeſtate ejus*, deſunt in Vulgata, & apud LXX. leguntur.

illud Judæ 1. *Ecce venit Dominus in nubibus contra omnes*, ſcilicet *facere judicium, & arguere impios*; unde & Adæ dixit: *Adam Adam, ubi es?* Exinde ſeparat ipſos malos a cœtu ſanctorum, quod innuitur, quum Dominus Adam emiſit de paradiſo voluptatis. Demum ponit eum in mundo ſubjectum innumeris pœnalitatibus. Sic reprobos ad infernum emittit acerbiſſimis pœnis cruciandos. Tertio veniet in judicio ad glorificationem bonorum, juxta illud prophetæ Iſaiæ 40. *Ecce merces ejus cum eo.* Et Apocalyp. 22. *Ecce ego venio, & merces mea mecum eſt.* Et in ſignum hujus vidit Joannes Dominum deambulantem in medio candelabrorum aureorum tenentem ſeptem ſtellas in dextera, Apoc. 1. In ſeptem candelabris aureis notatur univerſitas ſanctorum habentium aurum ſapientiæ & veritatis, & ardorem caritatis. In medio autem horum candelabrorum ambulat, ut hic in via eos ſuſtentet, cuſtodiat, & defendat: & in dextra ſua, quæ deſignat gloriam & æternitatem, ſeptem ſtellas habet, ideſt ſeptem dotes, quibus ſanctos beatificat, ſcilicet impaſſibilitatem, claritatem, ſubtilitatem, agilitatem, cognitionem, comprehenſionem, & fruitionem.

Viſio Joannis exponitur.

§. XVIII. Sexto videtur Deus enigmatice in diſpoſitione comedentis. Unde ipſe inquit Cant. 5. *Comedi favum cum melle meo.* Mel eſt Chriſti humanitas, quæ eſt principium in univerſo. Cera eſt genus humanum quoad electos, & utramque Deus comedit ſibi uniendo. In hujus figura legitur Geneſ. 18. quod ſancti Abrahæ ad illicem Mambre, & elevanti oculos *apparuerunt ei tres viri*, &, ut dicitur in alia translatione, *tres vidit, & unum adoravit*, intelligens ibi ſignari myſterium Trinitatis. Unde quandoque loquitur in ſingulari ad exprimendum unitatem eſſentiæ, quandoque in plurali ad denotandum pluralitatem perſonarum: dixit enim: *Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſervum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes veſtri, & requieſcite ſub arbore, ponamque buccellam panis, & confortetur cor veſtrum, poſtea tranſibitis.* Quibus acquieſcentibus fecit ex tribus ſatis ſimilæ, ideſt tribus menſuris farinæ bene purgatæ a furfure fieri ſubcinericios panes & vitulum unum tenerrimum & optimum coquere, ipſoſque panes ſubcinericios & vitulum coctum, butyrum quoque & lac poſuit coram eis ad comedendum, quæ oblata comederunt. Fuit illa viſio prophetica, & ſi non imaginaria, ſenſibilis tamen. Fuerunt enim illi tres Angeli in forma humana apparentes, repræſentantes Deum unum, in perſonis autem trinum. Pedes autem Dei, qui terram calcant, ſignificant genus humanum, in quo & Chriſtus comprehenditur ut verus homo, unitus tamen Deo. Tria autem innuuntur ex iſta viſione ſub figura eſſe neceſſaria ſalvandis, & in Deum per gloriam transformandis. Et primum eſt lotio in baptiſmo actu vel propoſito: *Niſi* enim *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, ait Salvator, Joannis 3. Et hoc ſignatur in ablutione pedum illorum apparentium, qui, ut dictum eſt, ſignant genus humanum, quod in novo teſtamento Chriſto incorporatur per baptiſmum, quem ipſe primo inſtituit & ſuſcepit, non ad auferendum aliquem ſuum defectum, ſed ad conferendum aquæ virtutem regenerativam, & nobis præbendum exemplum. Secundum, quod requiritur in perveniendo ad gloriam, eſt purgatio plena a peccato per pœnitentiam, & alios modos poſt baptiſmum. Dicitur enim in Apoc. 14. de ſanctis: *Sine macula ſunt ante thronum Dei.* Et hoc ſignatur in ſimila, quæ eſt flos farinæ plenæ ſegregatæ a furfure. Furfur enim, quod eſt cibus communiter beſtiarum, ſignat peccatum, quo paſcuntur & delectantur homines beſtialiter viventes. Simila autem ſignat puritatem a peccato. Tria ſata ſimilæ deſignant puritatem, quæ reperitur in univerſa congregatione electorum in tribus partibus mundi, ſcilicet Aſia, Africa, & Europa exiſtentium, vel ſub triplici ſtatu, ſcilicet activorum, contemplativorum, & prælatorum. Tertium, quod requiritur, eſt conformitas vitæ cum Chriſto per dolorem & amorem, qui ſub figura panis ſubcinericii fuit oſtenſus Eliæ, & inde confortatus, 3. Reg. 19. Panem enim ſe vocat dicens: *Ego ſum panis vivus*, Joann. 6. Fuit enim hic panis ſub cinere poſitus, in igne decoctus, quando in humiliatione crucis fuit vilificatus, & igne ſuæ dilectionis crucifixus & mortuus. Omnes ergo electos ipſi oportet conformari, ut tamquam panis ſubcinericius, cibus Dei fiant, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Prædeſtinavit*, ſcilicet *electos ſuos conformes fieri imaginis filii ſui*. Iſtum igitur cibum, ideſt fideles baptiſmo Chriſto incorporatos a peccatis mundatos, per dolores & labores cum caritate Chriſto conformatos, comedit Sanctiſſima Trinitas, ideſt ſibi unit, & in ſe transformat in gloria. Sed in convivio hoc non ponitur ſubcinericius panis ſine vitulo optime decocto, quia in menſa divinæ gloriæ nullus beatus poſitus fuit antequam Chriſtus, per vitulum deſignatus, in ara crucis per paſſionem eſſet decoctus. Butyrum pingue deſignat multitudinem meritorum Chriſti & ſanctorum. Lac autem puritatem corporum. Et propterea ſe nobis dimiſit in cibum in ſacramento altaris, ut aliquado & nos efficiamur cibus ipſius transformati per conformitatem voluntatis in ipſum.

Tria ſunt neceſſaria ſalvandis,

§. XIX. Septimo videtur Deus imaginarie in diſpoſitione regentis. Et hoc quoad regimen ſpirituale electorum & Angelorum, & quoad monarchias mundiales; & hoc exprimit viſio Ezechielis, quam habes cap. 1. De quattuor animalibus, & rotis, & homine ſedente ſuper thronum, qui erat ſuper firmamentum cryſtallinum, quod extentum erat ſuper capita animalium, & quoad regimen ſpirituale, exponit Gregorius ſuper Ezechielem, & ipſa expoſitio infra ſecundario ponitur. Quoad regimen mundiale, exponit Nicolaus de Lyra ſuper Ezechielem, ſcilicet de quattuor monarchiis mundi. Et ipſa ponitur 1. Ezech. cap. 1. *Et vidi &c.*

Expoſitio viſionis Ezechielis prophetæ.

Hæc viſio imaginaria habet tres partes. Prima continet animalia apparentia. Secunda rotas apparentes juxta ea. Tertia firmamentum apparens ſuper capita animalium, & deſuper veſtigium hominis ſedentis ſuper thronum. Ad intellectum primæ partis conſiderandum, quod prophetа videbat imaginarie nubem magnam ab aquilone venientem igne involutam, eo modo, quo apparet in coruſcatione; per aperturam illius nubis videbat quattuor animalia in omnibus ſimilia, licet aliqui dicant, quod apparebat tantum unum habens quattuor facies. Sed prima expoſitio magis litteræ concordat, ſcilicet quod eſſent quattuor. Erat autem corpus animalis cujuſlibet eorum erectum ſuper pedes, & in ſuperiori parte quadratum, ita quod facies hominis erat in parte animalis oppoſita directe aſpectui prophetæ, & dicitur pars anterior. In parte vero oppoſita ſive poſteriori facies aquilæ erat, & in aliis duabus partibus ſibi oppoſitis facies leonis & facies bovis; ita quod facies leonis erat in dextera reſpectu faciei hominis, & facies bovis in ſiniſtra. Et dicitur facies aquilæ deſuper ipſorum quattuor, quia Aquila habet collum longum. Et ſic elevabatur ſuper alias tres facies,

cies, & in quolibet animali erant ſimiliter quattuor alæ, quarum duæ erant demiſſæ ad corpus tegendum, & duæ ſuperius erectæ ad volandum. Et per extenſionem alarum erant iſta animalia ad invicem juncta ſicut homines in choreis, & in quodlibet horum erant quattuor manus ſimiles manibus hominum, & ſimiliter quattuor pedes, quorum tibiæ erant tales, quod flexa genua æqualiter flectebantur ad quattuor partes oppoſitas. Et ſimiliter planta pedis æqualiter applicabilis procedendo ad quattuor partes oppoſitas. Et ſic omnia illa animalia progredi poterant ad quattuor partes oppoſitas abſque corporis converſione; ſicut ſi homo haberet oculos in parte poſteriori capitis, ſicut habet in anteriori, & genua æqualiter flexibilia ad partes quattuor, & B plantas æqualiter applicabiles ad ipſas partes, poſſet ambulare ad quattuor partes oppoſitas ſine corporis converſione. Apparuit exinde una rota compoſita ex duobus circulis, habens quattuor facies, ideſt quattuor ſemicirculos & aſpectus rotarum & opus earum quaſi viſio maris, ideſt talis coloris ſicut videtur mare, quando eſt quietum, quaſi ſit rota in medio rotæ, ideſt una tranſiens per medium alterius interſecando ſe invicem, plena oculis, ideſt picturis ad modum oculorum, ſicut eſt in cauda pavonis. *Quocumque ibat ſpiritus*, &c. ideſt ventus turbinis, vel ſpiritus vivificans, qui erat in rotis. *Et ſimilitudo ſuper caput animalium quaſi firmamenti*, ideſt cæli ſtellati, & ſuper firmamentum erat thronus ſaphirinus, & ſuper thronum effigies hominis ſedentis, ad cujus G nutum movebantur animalia & rotæ. *Pennæ eorum rectæ*, ideſt ſurſum erectæ, *alterius ad alterum*, quia tangebant ſe extremitatibus. *Et audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum*, ideſt *quaſi ſonum ſublimis Dei*, ideſt ſonum tonitrui, qui dicitur ſonus Dei, quaſi ſonus ab eo factus. *Quum ſtarent, demittebantur pennæ illorum*, ſcilicet pennæ, quæ erigebantur, quum volabant; deinde demittebantur, ſicut fit, quum aves ceſſant a volatu. *Quum fieret vox ſuper firmamentum*, ideſt præceptum ſedentis in throno. *Velut aſpectum arcus*, ideſt Iridis, qui eſt ſplendidus. Et *ſicut ignis involvens*, ſicut apparet in coruſcationibus magnis. Quattuor pennæ erant quattuor alæ. Dicit ergo Nicolaus de Lyra, quod deſignat D propheta mala ventura de propinquo in Hieruſalem majora, quam paterentur translati in Babyloniam. Per ventum igitur turbinis & nubem deſignat exercitum Babylonis venientem ab aquilone. Per ignem incendentem intelligitur incendium civitatis & templi futurum. Per quaternarium animalium & facierum & rotarum intelligitur quaternarius numerus regnorum magnorum, ſibi invicem ſuccedentium, ſcilicet Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum, quæ regna infeſtaverunt populum Judæorum. Nec mirum, quod idem numerus pluribus ſimilitudinibus figuratur. Nam & Gen. 41. anni fertilitatis & ſterilitatis pluribus rebus deſignati ſunt, ſcilicet ſpicis & vaccis. Per faciem ergo leonis, quæ eſt prima ſecundum deſcriptionem Hebræorum ſignatur regnum Chaldæorum, ſeu Babyloniorum, quod fuit primum inter iſta quattuor. Unde & Rex Babylonis frequenter vocatur leo in Scriptura juxta illud Hier. 4. *Aſcendit Leo de cubili ſuo*. Et ſecundum aliquos habebat imaginem leonis in vexillo. Per faciem hominis intelligitur regnum Medorum & Perſarum, quod ſucceſſit regno Chaldæorum. Illud enim regnum, ſeu dominium tractavit humanius populum Judæorum, quam cetera. Unde & Cyrus dedit licentiam redeundi in Judæam. Per faciem bovis ſignatur Regnum Græcorum, quia ſicut bos impellit cornibus; ita regnum Græcorum illum populum Dei moleſtavit, & maxime tempore Antiochi illuſtris; unde vocatur Antiochus *cornu modicum*, Dan. 8. Per faciem autem Aquilæ intelligitur Regnum Romanorum. Unde & Aquila ſignum eſt Romani Imperii, ſeu vexilli. Per alas intelligitur Angelica poteſtas præſidens iſtis regnis, quia iſta inferiora adminiſtrantur per Angelos. Per hoc autem, quod animalia & rotæ ibant ad quattuor partes, ſignat dilatationem iſtorum regnorum ad alias partes. Per velocem motum & terribilem aſpectum intelligitur robur & ferocitas eorum. Per manus autem opera, eo quod manus eſt organum organorum. Per firmamentum, quod erat ſuper capita animalium, ſignatur pars ſuperior mundi, quæ eſt locus beatorum. Per ſedentem in throno ſupra firmamentum ſignatur Deus præſidens omni creaturæ & cæleſti & terreſtri, ad cujus nutum omnia diſponuntur. Unde & ad præceptum ſedentis in throno, animalia quieſcebant & movebantur, quia *ipſe mutat tempora, & ætates, transfert regna atque conſtituit*, Dan. 2. Per hoc autem, quod apparebat in forma humana, figurabatur, quod erat in tempore humanandus. Per hoc, quod apparebat in ſpecie electri, quod eſt auro vel argento fulgidius, figurabatur ſapientia ejus, cujus *non eſt numerus*. Per hoc, quod a parte ſuperiori retinebatur, & lumbis & ſurſum retinebat ſplendorem interius, & in parte inferiori a lumbis & infra emittebat ſplendorem exterius, intelligitur, quod divina ſapientia, prout eſt in ipſo, eſt nobis occulta. Manifeſtatur autem nobis aliqualiter per ſuos effectus ſecundum quod dicitur ad Roman. 1. *Inviſibilia Dei per ea* &c. Sic igitur in prædicta viſione deſcribitur divinæ præſidentiæ ſuperveniens ſtatus ſive virtus.

Prima expoſitio ſecundum Nicolaum de Lyra.

Et Gregorii expoſitio: Primo ponit reproborum conditionem ſignatam in turbine, caligine, & igne, quos Chriſtus judicat. Secundo electorum ſanctam converſationem ſignatam in animalibus, & eorum circumſtantiis, præcipue de rotis ſequentibus ea, quæ deſignant ſacra eloquia. Tertio Angelorum perfectionem ſignatam in firmamento & throno, quæ erant ſuper animalia. Quarto Chriſti Dei & hominis ſuper omnes exaltationem & illuſtrationem ſimilis homini ſedenti; dicit ergo: *Vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone* &c. Quia ventus aquilo aerem conſtringit in frigore, non incongrue turbationem maligni ſpiritus deſignat. Venit ergo *ventus turbinis ab aquilone*, quum vitam Judaici populi malignus ſpiritus in tentatione concuſſit. Sequitur: *Nubes magna*, quia quanto plus exarſit in crudelitate, tanto amplius obcæcari meruit ignorantiæ caligine ad cognoſcendum Chriſtum. *Et ignis involvens*, qui deſignat malitiam perſecutionis Judæorum erga Chriſtum & ſuos: *& ſplendor in circuitu ejus*, quia dum perſecutio in Judæa acta eſt, Apoſtolorum prædicatio diſperſa eſt in mundo univerſo: *& de medio ejus*, ideſt E ignis *quaſi ſpecies electri*. Electrum deſignat dominum Jeſum Chriſtum. In electro enim aurum, argentum, igniſque miſcetur. Et argentum ad claritatem creſcit; unde & ſignat naturam humanam in Chriſto, quaſi creſcentem ad gloriam & manifeſtationem ſuæ divinitatis. Aurum vero a ſuo fulgore palleſcit, & ſignat naturam divinam in Chriſto, quæ a ſuæ fulgore potentiæ per opera ſuæ humanitatis ſe temperavit, & utraque natura divina & humana in ipſo una perſona fuit. Electrorum ergo in igne eſt Deus homo factus in perſecutione. *Et in medio ejus ſimilitudo quattuor animalium ejus*, ſcilicet ſive electri ſive ignis. Per iſta quattuor animalia ſignantur

Secunda expoſitio ſecundum Gregorium.

Evangeliſtarum figura.

tur quattuor Evangeliſtæ, vel etiam omnes perfecti, qui Chriſto ſunt uniti, & a malis perſecuti perfecta opera juxta evangelica præcepta egerunt: *Et hic aſpectus eorum ſimilitudo hominis in eis*, quia videlicet ſancti homines vitam ſimilem tenent Chriſto, qui per excellentiam dicitur homo in præſenti, & demum ſimilitudinem gloriæ cum ipſo in corpore & anima in futuro recipiunt: *Quattuor facies uni, & quattuor pennæ uni*, ſcilicet animalium prædictorum, quia per faciem homo cognoſcitur, & per fidem a Deo cognoſcitur, & ipſum cognoſcimus; ideo per faciem fides ſanctorum deſignatur. Et quia per pennam in altum corpus avis ſublevatur; ideo per pennam contemplatio, qua mens ad Deum levatur, ſignificatur. *Quattuor* ergo *facies* unicuique animalium ſunt, *& quattuor pennæ*; quia notitia fidei, qua cognoſcuntur a Deo, ipſa eſt in uno, quæ eſt ſimul in quattuor, & ſimiliter una de eo contemplatio, ita ut facies pertineat ad notitiam humanitatis, & penna ad cognitionem deitatis. *Et pedes eorum pedes recti*, quia ſcilicet ſancti ad mala mundi, quæ reliquerunt, non reflectuntur. *Et planta pedis eorum quaſi planta pedis vituli*, quia ſcilicet prædicatores, & alii ſancti in locutione habent maturitatem, in actione fortitudinem, in mente diſcretionem deſignatam in diviſione ungulæ pedis vituli. Vitulus etiam mature incedit, & fortiter laborat. *Et ſcintillæ quaſi aſpectus æris candentis*. Æs quod eſt ſonorum, ſignat prædicationem, quia *in omnem terram exivit ſonus eorum*, ſcilicet Apoſtolorum æs candens eſt prædicatio fervida & ignita. Scintillæ hujus æris ſunt parvæ ſententiæ de ſuperna gloria ab eis expreſſe, quæ auditores incendunt; ſed loqui non valent etiam quod intelligunt. *Et manus hominis ſub pennis eorum in quattuor partibus*. Per quattuor partes poſſumus principales quattuor virtutes accipere, ex quibus reliquæ oriuntur, videlicet prudentiam, fortitudinem, juſtitiam, ac temperantiam. Per manus autem activa vita deſignatur, & per pennas contemplativa. *Manus* ergo *hominis* eſt *ſub pennis eorum*, ideſt virtus operis ſub volatu contemplationis, & activa prior eſt tempore. Contemplativa vero ſuperior merito & dignitate. *Et junctæ erant pennæ eorum unius ad alterum*, quia ſcilicet omnis virtus ſanctorum, omnis ſapientia eorum, qua alios contemplationis volatu tranſcendunt, viciſſim ſibi in pace atque unanimitate junguntur. *Non revertebantur, quum incederent*, quia ſancti ſic a terrenis actibus ad ſpiritualia tranſeunt, ut ad ea, ſcilicet terrena, nullatenus reflectantur. *Sed unumquodque ante faciem ſuam gradiebatur*. Ante nos æterna ſunt, & ſancti viri in æternis, quæ appetunt, pedem boni operis ponunt. *Similitudo vultus eorum facies hominis, & facies leonis a dextris ipſorum quattuor. Facies autem vituli a ſiniſtris ipſorum. Et facies aquilæ deſuper ipſorum quattuor.* Iſtæ quattuor facies deſignant quattuor Evangeliſtas propter proprietatem materiæ, de qua agunt in Evangeliis ſuis, ſimilem prædictis animalibus. Nam Matthæus ait de incarnatione; & ideo per hominem ſignatur. Marcus de prædicatione reſurrectionis, & ideo per leonem figuratur. Lucas de paſſione; & ideo per vitulum animal immolaticum figuratur. Incipit etiam Evangelium & terminat circa templum. Joannes de ejus divinitate; & ideo per aquilam altiſſime volantem deſcribitur. Chriſtus etiam, de quo tractant, fuit homo in incarnatione & converſatione, leo in reſurrectione, vitulus in paſſione, aquila in aſcenſione. Quilibet etiam perfectas habet virtutes per hæc animalia deſignatas. Dicitur autem facies hominis & leonis *a dextris ipſorum*, quia de incarnatione unigeniti & reſurrectione omnes electi lætati ſunt. Facies vituli *a ſiniſtris* aſpicitur, quia de paſſione Chriſti diſcipuli contriſtati ſunt. Siniſtrum enim dicimus, quod nobis eſt adverſum. Facies aquilæ *deſuper ipſorum* dicitur, quia divinitatem ejus altius ceteris deſcripſit. *Et facies eorum & pennæ eorum extentæ*, quod omnis intentio operis, omniſque contemplatio ſanctorum ſuper ſe tendit, ut poſſit adipiſci, quæ in cæleſtibus appetit. *Duæ pennæ ſingulorum jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum*. Quattuor pennæ horum animalium quattuor virtutes ſunt, videlicet amor, & ſpes in futuris, timor & pœnitentia ſeu dolor de præteritis. Pennæ ergo ſibimet junctæ ſuperius extenduntur, quia ſanctorum mentes ad ſuperna elevantur. *Junctæ* autem dicuntur, quia ſancti amant cæleſtia, quæ ſperant, & ſperant, quæ amant. Duæ vero pennæ corpora tegebant, quia timor & pœnitentia a Dei oculis eorum mala præterita abſcondunt. *Et unumquodque eorum coram facie ſua ambulabat*. Qui ſe ante ſe ponit, vigilanter videt, an defluat vel ſurgat, vel quotidie in bonis excreſcat. *Ubi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur*. Impetus ſpiritus eſt incitamentum ad virtutes varias, quod eſt a ſpiritu. Sicut impetus carnis, quem ſequuntur reprobi, eſt inſtigatio ad vitia varia. *Et ſimilitudo animalium quaſi carbonum ignis ardentium, & quaſi aſpectus lampadarum*: qui carbones tangit, incenditur. Et ſic qui cum ſanctis converſatur, in Dei amore exardeſcit. Lampas lucem ſuam longius ſpargit; & ſic vita ſanctorum etiam longe poſita per bona exempla lucet & illuminat. *Et in medio animalium ſplendor ignis*, quia ſcilicet ignis Spiritus ſancti a peccatorum rubigine mentem, quam replet, mundam reddit. *Et de igne fulgur egrediens*. Quia ipſe ſpiritus ex ſe per electos flammas amoris projicit, ut more corruſcati, & per terrorem feriat & ad amorem accendat.

Virtutum quattuor ſignificatio.

Et animalia ibant, & revertebantur in ſimilitudinem fulguris corruſcantis. Quod ſupradictum eſt, quod quum ipſa *animalia ibant, & non revertebantur*, intelligitur, quia ad vitia non redeunt, quæ dimiſerunt; quod autem hic dicitur, quod *revertebantur*, intelligitur, quia de contemplativa vita ſeu contemplatione, in qua diu fixi manere non poſſunt, ad vitam activam per ſtudium bonæ operationis revertuntur. Ex hoc *in ſimilitudinem fulguris corruſcantis*, quia cæleſtia loquentibus, dum per eos ſupernum lumen intus micat, ad amorem cæleſtis patriæ audientes inflammat. *Quumque aſpicerem animalia, apparuit rota una ſuper terram*. Rota Scripturam ſacram ſignat, quia ex omni parte ad auditorum mentes volvitur, & nullo erroris angulo a prædicationis ſuæ via retinetur. Ex omni parte volvitur, quia inter adverſa & proſpera recte & humiliter incedit. Circulus quippe illius præceptorum, modo ſurſum, modo deorſum eſt, quia ipſa, quæ perfectioribus ſpiritualiter dicuntur, infirmis juxta litteram congruunt, & ipſa, quæ parvuli juxta litteram intelligunt, docti viri per ſpiritualem intelligentiam in altum ducunt. *Apparuit* autem *rota ſuper terram* deſignantem peccatores, quia legem ſuper corda peccantium Deus dedit: *habens quatuor facies*, quæ rota quattuor facies habere dicitur ex eo, quod Scriptura ſacra utriuſque teſtamenti in quattuor partes eſt diſtincta. Vetus enim teſtamentum in lege & prophetis: Novum vero in evangeliis atque Apoſtolorum actibus & dictis. *Et aſpectus rotarum & opus earum quaſi viſio maris*: quia videlicet in ſacris Scripturis per rotam ſignatis magna ſunt volumina ſententiarum, cumu-

li ſenſuum. Nec immerito mari Scriptura ſimilatur, quia firmantur in ea ſententiæ locutionis ſacramento baptiſmatis.

Et aſpectus earum, & opera, quaſi ſit rota in medio rotæ. Rota intra rotam eſt teſtamentum vetus. Rota vero in medio rotæ eſt teſtamentum novum in veteri comprehenſum. Quod enim ibi futurum promittitur, in novo impletum oſtenditur. *Per quattuor partes earum ibant.* Vadit rota prædicando eum, quem promiſit, & promiſſum impletum oſtendit. Et *per quattuor partes* vadit, quia in quattuor mundi partibus redemtor, de quo loquitur, prædicatus fuit. *Et non revertebantur*, ſcilicet rotæ, *quum ambularent*, quia dum novum teſtamentum non reſcinditur, dum vetus non carnaliter, ſed jam ſpiritualiter intellectum tenetur, poſt ſe non redeunt, quia uſque ad finem mundi immutabilia perſiſtunt.

Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aſpectus ad terrorem gehennæ cruciationis. Scriptura igitur ſacra, rotam deſignans, ſtaturam habet in rectitudine præceptionis, altitudinem in celſitudine ſupernæ promiſſionis, horribilem vero aſpectum in minis ſupplicii ſequentis. Et revertens propheta ad loquendum de animalibus prædictis dicit: *Et totum corpus plenum oculis in circuitu ipſarum quattuor*, quia videlicet ſanctorum actio ab omni parte circumſpecta eſt bona, deſiderabiliter providens, & mala ſollicite cavens. Et ibi notatur quomodo vitia ſub ſpecie virtutum ſuggeruntur: *Quumque animalia ambularent, ambulabant pariter & rotæ juxta ea, & quum elevarentur animalia de terra, elevabantur ſimul & rotæ.* Ambulabant animalia, quum ſancti viri in Scriptura intelliguntur, quemadmodum moraliter vivunt. Elevantur vero a terra, quum ſe in contemplatione ſuſpendunt. Et quia unuſquiſque quanto in Scriptura ſacra proficit, tanto & eadem Scriptura proficit apud ipſum; ideo dicitur, quod rotæ *ambulabant* vel *elevabantur* cum animalibus. *Quocumque ibat ſpiritus, & rotæ pariter elevabantur ſequentes eum.* Quo enim ſpiritus legentis tendit, illuc & divina eloquia elevantur. Legentis enim ſpiritus, ſi quid in eis ſcire morale, aut hiſtoricum quærit, ſenſum hunc moralis hiſtoriæ ſequitur. Si quid typicum, mox figurata locutio cognoſcitur. Si quid contemplativum, ſtatim rotæ quaſi pennas accipiunt. *Cum euntibus ibant, cum ſtantibus ſtabant, & cum elevatis a terra pariter elevabantur.* Vadunt cum euntibus, quia eos, qui ſe ad utilitatem proximi extendunt, ſacra eloquia dictorum ſuorum paſſus in ejus itinere diſponunt. Stant rotæ cum ſtantibus animalibus, quia eos, qui fortes ſunt in fide, ut adverſus euntibus reſiſtant, & contradicentes revincant, rectitudinem ſuam ſacra eloquia confirment. Cum elevatis elevantur, quia in quantum quiſque ad alta contemplationis & perfectionis profecerit, tantum ei ſacra eloquia de altioribus loquentur. *Spiritus vitæ erat in rotis*, quia ſcilicet dilectionem Dei & proximi capimus in eloquiis divinis, quæ vita eſt animæ. *Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti, quaſi aſpectus cryſtalli horribilis.* Nomine firmamenti poteſt intelligi Angelica natura, quæ creata eſt cum libero arbitrio flexibili ad bonum & malum. Quibuſdam autem ex eis labentibus alii confirmati ſunt, ita ut jam fluere non poſſint; & ideo lignantur congrue per cryſtallum, quod ex aqua fluxibili fit, ſed ita obduratur, ut liquefieri non poſſit. *Horribilis* dicitur iſte cryſtallus, quia nobis pavendæ ſunt Angelicæ poteſtates, & *ſuper capita animalium* extentum dicitur, quia ſupra intellectum noſtrum ſunt perfectio & gloria earum. *Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum.* Tunc *pennæ* animalium *rectæ* ſunt *alterius ad alterum*, quando bonum, quod quis habet, proximo ſtudet communicare, ſubſtantiam videlicet temporalem vel doctrinam & hujuſmodi. *Et audiebam ſonum alarum quaſi ſonum aquarum multarum*, quia ſcilicet ille virtutum ſonus, qui in aures Dei prius ex paucis ſanctis incarnato Domino factus eſt, poſtea diffuſa prædicatione de Chriſto per orbem ex aquis multis, ideſt ex populis innumeris converſis multiplicatus eſt. *Quaſi ſonum ſublimis Dei*, quia videlicet ipſe Deus implet mentes ſanctorum, & cordibus eorum amorem infundit; ipſe ex amantibus cordibus ſuſcipit precem. Vel quia laudem Dei, quam prius pauci ſancti, poſtea multi converſi in mundo prædicaverunt. Demum in cælo uniti cum capite ſuo Chriſto ſine fine plene laudabunt. *Et quum ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis, ut ſonitus caſtrorum.* Animalia ambulant cum ſanctis prædicando, & ad fidem trahendo diſcurrunt. Et quia quos convertunt, in laudem conditoris ſimul exſurgunt, fit *quaſi ſonus multitudinis.* Et quia in prædicatione eadem bellum contra dæmones converſi aſſumunt; ideo dicitur *quaſi ſonitus caſtrorum.* Caſtra enim multitudines exercitus dicuntur. *Et quum fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper capita eorum, ſtabant & ſubmittebant alas ſuas.* Quia videlicet ſanctorum mentes, quum creatoris ſui potentiam intenta contemplatione conſiderant, vileſcunt eorum animo virtutes, quas habent; & hoc eſt ſubmittere alas, quæ virtutes ſignant. Vel etiam quum conſiderant judicia Dei, quæ conſideratio *vox* dicitur *ſuper firmamentum*, timent, & ſe humiliant quantumcumque ſancti ſint. *Et ſuper firmamentum imminens capiti eorum, quaſi aſpectus lapidis ſaphiri ſimilitudo throni.* Thronus deſignat Angelos ſupremos, ſicut firmamentum inferiores. Saphirus, qui habet colorem aereum, ſignificat dignitatem & perfectionem majorem ſuperiorum Angelorum. *Et ſuper thronum, quaſi aſpectus hominis deſuper*, quia videlicet ſuper Angelos etiam ſupremos elevatus eſt homo Jeſus Chriſtus Deus noſter. *Et vidi quaſi ſpeciem electri*, ſcilicet illum hominem ſuper thronum, quia videlicet utraque natura divina & humana in Chriſto eſt, ut ſupra expoſitum eſt de electione. *Velut aſpectus ignis intrinſecus per circuitum ejus a lumbis & deſuper, & a lumbis uſque deorſum quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu*, quia ſcilicet ante incarnationem, quæ in lumbis deſignatur unigeniti Dei ſola Judæa intra ſe ardorem amoris ejus habuit. Sed poſt incarnationem ejus ignis reſplenduit, quia univerſo mundo gentibus claritatem Spiritus ſancti effudit. Vel etiam Angelos ad amorem ſuum per divinitatem tenuit, & homines ad ſancti ardoris ſui deſiderium ex humanitate revocavit. Hæc omnia Gregorius.

Angelicæ naturæ cōparatio.

De viſione Dei clara & eſſentiali.

§. XX. Quantum ad tertium principale, quod notatur in auctoritate Apoſtoli, dico, quod demonſtratur ſpeculatio ſeu viſio clara & eſſentialis. Unde dicit: *Tunc autem facie ad faciem*, ſcilicet videbimus Deum in alia vita. Ubi ſciendum ſecundum Thomam ſuper epiſtolam Pauli, 1 ad Corinth. 13. ſuper hoc verbo, quod Deus, ſecundum quod Deus, non habet faciem. Et ideo quum hic dicitur *facie ad faciem*, methaphorica locutio eſt. Dicimur enim tunc videre aliquem ſecundum faciem, quum videmus perſonam, ſicuti eſt; hoc autem vult dicere Apoſtolus, quum ait: Videbimus in patria faciem, ideſt videbimus Dei eſſentiam, 1. Joan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt.* Hujuſmodi autem viſio in corpore mortali haberi non poteſt. Unde Moyſi hoc poſtulanti dixit Dominus: *Videbis poſteriora mea; faciem autem meam*

Deus quomodo viſibilis.

meam videre non poteris, Exod. 33. Videre perſonam ex parte dorſi, eſt videre ipſam imperfecte; puta quod ſit naturæ rationalis, quod ſit unus vivens magnus & hujuſmodi. Sed quis vel qualis ſic cognoſci non poteſt, niſi videndo faciem? Sic Deus videri poteſt hic quaſi ex parte poſteriori, quia cognoſcere poſſumus ratione vel fide, Deum unum eſſe rationabilem viventem & immenſum, ſed non ſicuti eſt in eſſentia ſua. Et ſi Moyſes pure aliquando vidit divinam eſſentiam in corpore conſtitutus, fuit viſio illa quaſi momentanea per modum paſſionis tranſeuntis, & non durativa per modum habitus permanentis, ſicut eſt viſio facialis patriæ.

Nec obſtat huic ſententiæ, quod dicit Jacob Geneſis 32. *Vidi Dominum facie ad faciem*. Non B enim proprie loquendo fuit illa viſio Jacob facialis, ſicut eſt viſio patriæ, ſed fuit viſio imaginaria, in qua ſunt diverſi gradus. Altior, ſcilicet videre illud, quod apparet in ipſa imagine, in qua apparet. Et alius gradus infimus, ſcilicet audire tantum verba. Ut ergo Jacob inſinuaret excellentiam viſionis imaginariæ ſibi oſtenſæ, dixit: *Vidi Dominum facie*. Non ergo vidit Deum per eſſentiam ſecundum B. Thomam ubi ſupra.

Senſibile tripliciter poteſt conſiderari.

Notandum eſt autem ſecundum ipſum B. Thomam, quod ſenſibile aliquid poteſt tripliciter conſiderari. Primo per ſui præſentiam; ſicut ipſa lux, quæ eſt præſens oculo. Secundo per præſentiam ſuæ ſimilitudinis in ſenſu immediate derivatam, ſicut albedo, quæ eſt in pariete, videtur, non exiſtente ipſa præſentialiter in oculo; ſed ejus ſimilitudine, licet ipſa ſimilitudo non videatur ab eo. Tertio per præſentiam ſimilitudinis non immediate derivatæ ab ipſa re, ſed derivatæ a ſimilitudine rei; ſicut quum videtur aliquis homo per ſpeculum. Non enim ſimilitudo hominis immediate eſt in oculo, ſed ſimilitudo hominis reſultata. Loquendo igitur per hunc modum de viſione Dei, dicendum, quod naturali cognitione ſolus Deus videt ſeipſum, quia in Deo idem eſt eſſentia ſua, & ſuus intellectus; & ideo eſſentia ſua eſt præſens ſuo intellectui, nec aliqua creatura etiam glorificata poteſt eo modo Deum videre, ſicut ipſe videt ſeipſum, quia hoc eſſet ſimpliciter infinitum a finito compre- D hendi, quod non poteſt eſſe. Unde Hierem. 32. dicitur de eo: *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu;* & ſic intelligitur illud Matth. 11. quod dixit: *Nemo novit filium, niſi pater, neque patrem quis novit, niſi filius*, ſcilicet notitia plenæ comprehenſionis. Nec per dictionem exceptivam: *niſi* excluditur Spiritus ſanctus, cujus cum Patre & Filio eſt una pleniſſima cognitio. Et quod ſequitur in illa auctoritate Chriſti: *Et cui voluerit filius revelare*, intelligendum eſt filium revelare alicui patrem non notitia comprehenſionis, ſicut novit ipſe filius patrem, ſed notitia apprehenſionis, ſicut cognoſcitur a ſanctis. Secundo modo, prout ſcilicet per præſentiam ſimilitudinis rei in ſenſum immediate derivatam vi- E detur aliquid ſenſibile, ſicut albedo in pariete videtur, ipſa non aſſiſtente præſentialiter in oculo, ſed in ſimilitudine. Sic forte Angeli naturali cognitione Deum vident, & hæc viſio fuit in angelis malis ante lapſum. Sed majori lumine ſuperaddito, ſcilicet lumine gloriæ Angeli confirmati vident Deum facie ad faciem, ideſt clariſſime ſuam eſſentiam. Unde Salvator Matth. 18. inquit: *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris*. Et ſimiliter ſancti lumine gloriæ eis communicato faciem Dei vident. Quod arden-

De natura luminis gloriæ.

ter poſtulabat pſal. 41. dicens: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*. Et de ipſo lumine gloriæ ait idem pſal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*. Quod lumen quidam dixerunt eſſe A quamdam ſimilitudinem de Deo creatam; ſed hoc eſſe omnino falſum & impoſſibile, probat B. Thomas ubi ſupra tribus rationibus. Et prima eſt, quia numquam poteſt aliquid cognoſci per eſſentiam, ſi cognoſcatur per ſimilitudinem, quæ non conveniat cum ipſa re in ſpecie. Lapis enim non poteſt cognoſci ſecundum illud, quod eſt, niſi per ſpeciem lapidis, quæ eſt in anima. Nulla enim ſimilitudo ducit in cognitionem eſſentiæ alicujus rei, ſi differat a re illa ſecundum ſpeciem, & multo minus, ſi differat ſecundum genus. Non enim per ſpeciem equi vel albedinis poteſt cognoſci eſſentia hominis, & multo minus eſſentia Angeli. Multo igitur minus per aliquam ſpeciem creatam, quæcumque ſit illa, poteſt videri divina eſſentia, quum ab eſſentia divina plus diſtet quæcumque ſpecies creata in anima, quam ſpecies equi vel albedinis ab eſſentia Angeli. Unde ponere quod Deus videatur ſolum per ſimilitudinem ſeu per quamdam refulgentiam claritatis ſuæ, eſt ponere, divinam eſſentiam non videri.

Anima eſt quædam ſimilitudo Dei.

Secunda ratio eſt, quia quum anima ſit quædam ſimilitudo Dei, viſio illa magis eſſet ſpecularis & enigmatica, quæ eſt in via, quam viſio clara & aperta, quæ promittitur ſanctis in gloria, & in qua erit beatitudo noſtra. Unde Auguſtinus dicit hic in gloſſa, quod viſio Dei, quæ eſt per ſimilitudinem, pertinet ad viſionem ſpeculi & enigmatis.

C Tertia ratio eſt, quia ſequeretur, quod beatitudo hominis ultima eſſet in alio, quam in ipſo Deo; quod eſt alienum a fide. Sequeretur etiam, quod naturale deſiderium hominis, quod eſt perveniendi ad primam rerum cauſſam & cognoſcendi ipſam per ſeipſam, eſſet inane. Videtur ergo divina eſſentia per ſeipſam in patria, & non per ſimilitudinem creatam. Et hoc eſt, quod dicit Apoſtolus paullo inferius, 1. Corint. 13. *Tunc cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*, ideſt ſicut Deus cognoſcit eſſentiam meam, ita Deum cognoſcam per eſſentiam ſuam. Non tamen ly *ſicut* importat æqualitatem, ſed ſimilitudinem. Sic ergo in lumine gloriæ, quod tamen eſt quid creatum, elevatus intellectus videbit lumen divinæ eſſentiæ. Ad quod intelligendum ſume exemplum in lumine corporali: Oculus enim noſter non eſt tantæ potentiæ, quod poſſit fixe reſpicere in ſolem, & quanto plus appropinquaret ad eum, tanto ineptior redderetur ad videndum ipſum. Ita oculus intellectus humani eſt ita debilis ex parte ſui, quod in tam excellenti luce divinæ eſſentiæ figi non poteſt, niſi confortetur & fortificetur per virtutem divinam. Et iſta virtus fortificans & confortans dicitur lumen gloriæ; ideo dicitur: *In lumine tuo* &c. Nullum enim lumen aliud lumen demonſtrat quam ſe. Neque enim lumen ſolis adjuvat, ut videatur luna aut ſtellæ. Unde ſi quando luna eſt decima quinta aere ſereno, de nocte multo clarior apparet, quam quum oritur ſol. Et ſi quis accenderet mille torticia de die, non propter hoc melius videret ſolem. Sic ad propoſitum lux divina, æterna & infinita per aliam lucem non videtur, quam per ſeipſam, quæ lumen gloriæ efficitur, quod intellectui creator communicat, ita quod lux intellectiva unita eſt cum divina, & videt per virtutem divinam, non per lucem ſuam propriam. Unde hæreticus eſſet, qui diceret, quod intellectus beatus videt Deum ſine lumine gloriæ, quia hoc eſſet dicere, quod intellectus humanus videt Deum virtute propria; quod falſum eſt. Proſequatur de exemplo lucis: mediante ipſa luce vides terram, lapides, arborem, animalia, & multa alia, & cum ipſa eadem luce vides ſolem. Quod conſidera, ubi ſit

Lux divina cujus naturæ.

iſta

iſta lux ſolis, mediante qua tu vides ſolem & alia, certe non eſt lux in oculo tuo, ſed ſuper re viſa; & ideo te ſtante in loco obſcuro vides rem, quæ eſt in loco luminoſo, ſive rem luminoſam, & nocte obſcura vides ſtellam & domum aliquam, quæ ſit ad aliquod lumen poſita, quamvis lumen ſuum non reddat claritatem uſque ad lumen tuum. Et ſic vides mediante duplici luce: una eſt tui, qui es in loco tenebroſo; ſed oculum habes ab intra luminoſum, cujus lux extra non extenditur. Secunda eſt illa lux, quæ eſt diffuſa & reverberata ſuper illam rem, quam tu vides: quæcumque harum duarum deficeret, non videres. Neque per lucem oculi tui ſolam, nec ſolum per extraneam, ſi tua propria deficeret. Si autem vis reſpicere mediante iſta duplici luce ſine alio medio ſolem in ſphæra ſua, certe hoc non vales, ſed potius excæcareris. Et ratio hujus eſt, quia lux ſolis reverberat in tua luce propria. Et eſt tanta diſtantia inter tuam & ſuam, quod tua refugit ipſam, & ſuſtinere non poteſt propter excellentiam claritatis. Unde quantumcumque conetis, non potes oculum fixe tenere apertum ad ſphæram ſolis. Et avem volantem inter oculum tuum & ſphæram ſolis etiam videre non vales. Sed ſi lux ſolis poſſet uniri cum tua luce ſuſpendendo defectum & debilitatem ipſius tuæ lucis, quæ ſuſpenſio ſequeretur ex unione facta; tunc reſpiceres ſolem ipſum in ſphæra ſua cum delectatione & ſuavitate ſine reverberatione oculorum.

Duplex lux neceſſaria ad videndum Deum.

Nunc ad propoſitum ſciendum, quod duæ luces ſunt neceſſariæ ad videndum Deum ſimul unitæ virtute fortioris lucis, videlicet lux humani intellectus, & illa eſt debilis, & lux divina, & illa eſt fortiſſima. Sic lux naturalis humana, ſcilicet intellectus, ſi conſideratur ſola, nihil cognoſcit certitudinaliter. Sicut qui in tenebris eſt, nihil videt, quamvis in alia luce poſſit opinari aliquid, ſed non perfecte ſcire. Sicut exiſtens aliquis clauſus in camera obſcura poteſt divinare palpando, audiendo, guſtando, vel odorando aliquid, quod eſt intra cameram. Sed dubitare habet ſe decipi, quouſque oculus illud videat virtute lucis ab extra venientis. Et ideo animæ damnatorum errant in cognitione Dei reputando ipſum injuſtum & crudelem, quia non habent aliam lucem, quam propriam, ſecundum ſenſum, cum illa judicando, divinando, & opinando. Et ipſæ animæ damnatæ divina luce, ſcilicet naturaliter infuſa, vident omnes alias animas, & gloriam beatorum ad ipſarum afflictionem, & aliquando ſtatum animarum viatorum ad ſuam confuſionem, & pœnas animarum damnatorum ad eorum tribulationem; ſicut patet in parabola divitis Epulonis & Lazari, Luc. cap. 16. Quia igitur lumen gloriæ præexigit in intellectu humano lumen gratiæ, ut ſuperveniat ei, quia in animabus damnatorum non reperitur ipſum lumen gratiæ; ideo non ſunt ſuſceptibiles luminis gloriæ, & ideo Deum videre non poſſunt nec gloriam ſuam. Sed animæ beatorum habent propriam lucem, gratia informatam, in qua divina lux illuſtrando ſecum unitur, non permittendo infirmari aut exterreri, ſicut fuerunt exterriti oculi exteriores & interiores Petri, Jacobi & Joannis in transfiguratione Dei, quia adhuc erant mortales. Facta ergo illa unione per lumen gloriæ, videt intellectus creatus in virtute intellectus increati; & ſic lux naturalis, quæ erat gratioſa ſupra ſe elevata a glorioſa, quæ non eſt aliud quam verbum divinum æternum tamquam ſolaris radius a patre procedens, videt lumen gloriæ glorioſum Deum, & omnem creaturam, ſuper quam talis lux ſpargitur. Et quia illa lux totum videt, nihil ei abſconſum eſt; ideo quilibet ſanctus videt omnem creaturam, ubicumque ſit. Sicut oculus humanus, ſi eſſet in ſole unitus cum ſuo radio claro, certe videret ubicumque ſol attingeret, & irradiaret ex ſe, & in ſole viderer plus & minus, ſecundum quod illa unitas eſſet perfecta. Et quia anima Chriſti perfectiſſime fuit unita cum Verbo æterno, & eſt; ideo perfectiſſime videt Verbum, & omnia quæ ſunt in Verbo. Aliæ autem animæ plus & minus vident, ſecundum quod ſunt plus vel minus unitæ ſecundum perfectionem caritatis, quæ eſt cauſſa hujus unionis & viſionis facialis. Et ſic habes, quod lumen gloriæ non eſt creatura, ſcilicet aliqua de per ſe repræſentans Creatorem; ſed ipſe Creator lumen gloriæ ſuæ unitus intellectui humano. Et ſic *in lumine tuo*, ſcilicet Verbo divino, *videbimus lumen*. Unde & Joannes in Apocalypſi circa finem dicit, quod in illa civitate ſuperna non vidit ſolem: nec lumen lucernæ ibi eſt, ſed Agnus, ſcilicet Verbum æternum illuminat illam. Ad hoc etiam facit, quod dixit Chriſtus Matth. 13. *Juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris mei*, ideſt lux Verbi, quod Verbum eſt Sol vitæ æternæ. Et lux cujuſlibet beati erit quid unum per unionem, non per converſionem. Non enim convertetur lux verbi; ſicut nec natura ſua, qua idem eſt in natura animæ beatæ vel gloriæ ejus. Sed ſicut in myſterio incarnationis ſalva uniuſcujuſque proprietate naturæ unita ſunt divinitas & humanitas, divinitate permanente impaſſibili, humanitate ſubjecta mortalitati, Deus & homo uniti ſunt in unitate perſonæ; ita lux increata cum luce animæ unita erunt unum, non quidem unitate perſonæ, ſed unitate caritatis & amicitiæ perfectiſſimæ, remanente tamen deitate in ſua virtute & gloria infinita: & anima beata cum ſua virtute & gloria finita. Unde Dominus Jeſus in oratione ad Patrem facta poſt ultimam cœnam inquit: *Volo, Pater, ut quos dediſti mihi, ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me: ut ſint conſummati in unum, & videant claritatem, quam mihi dediſti*, Joan. 17. *Tunc*, ſcilicet in patria videbimus *facie ad faciem*. Et dicit devotus Bernardus: Felix anima, quæ terreno reſoluta carcere libera cælum petit, quæ dulciſſimum Dominum facie ad faciem cernit, ubi verus ſol juſtitiæ mira ſuæ pulchritudinis viſione omnes recipit! Et illa univerſos cæleſtis patriæ cives illuminat, ut luceant ipſi, lumine videlicet illuminante ultra omnem ſolis noſtri ſplendorem immortali adhærentes deitati. Et in hujus figuram dixit regina Heſter uxor Aſſueri maximi regis, qui interpretatur *beatitudo*, ſignificans animam ſumi regis Jeſu Chriſti, qui eſt vera beatitudo, de ipſo loquens: *Mirabilis es valde, Domine, & facies tua plena eſt gratiarum*, & 3. Reg. 10. in figuram dicitur, quod *univerſa terra deſiderabat videre vultum Salomonis*.

Animæ damnatorum errant in cognitione.

Lumen gloriæ non eſt creatura.

Felicitas animarum beatarum.

Quantum ad tertium modum videndi ſenſibilia, ſcilicet per præſentiam ſimilitudinis non immediate derivatæ ab ipſa re, ſed derivatæ a ſimilitudine rei, ſicut videtur homo per ſpeculum; ſic iſto modo videmus ſeu cognoſcimus Deum cognitione naturali in vita iſta, & ſic exponitur: *Videmus nunc*, ideſt per rationem naturalem noſtram, & ſi addatur lumini naturali fidei lumen, quod eſt ſupernaturale, adhuc plenius videmus Deum in vita præſenti; ſed tale lumen fidei, ſi non ſit caritate formatum, non ſufficit ad conducendum lumen gloriæ. Inter Deum enim & animam eſt infinita diſtantia perfectionis virtualis. Deus enim infinitus, & quælibet ejus virtus infinita. Anima autem ſicut & quælibet creatura eſt finita & potentiæ finitæ. Quum igitur finitum non poſſit comprehendere infinitum, non pote-

poterit anima Deum comprehendere, niſi efficiatur unum cum eo ; & ſic quodammodo efficietur infinita: hoc autem caritas operatur, quia *qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Joann. cap. 4. & 1. Corint. 6. *Qui adhæret Deo*, ſcilicet per dilectionem, *unus ſpiritus eſt cum eo*, non quidem ſubſtantialiter; ſed affectualiter. Habet enim amor ſecundum Dionyſium vim unitivàm, & calori aſſimilatur, qui diverſa unit, & cibum in aſſumentem convertit. Sume exemplum in agno vel alio cibo, qui a nobis comederetur. Certum eſt enim, quod agnus quum multis gradibus perfectionis naturalis ſit inferior homine, numquam unum effici poſſet cum homine, niſi per unum modum, ſcilicet per calorem naturalem hominis ipſum agnum in cibum ſumtum dirigentis, & in ſubſtantiam ſui convertentis ; & ſic agnus quodammodo efficitur homo. Sed ſi homo comederet venenum vel rem venenatam, non poſſet illud convertere in ſe. Et ratio hujus eſt, quia illud ſumtum exſtinguit calorem naturalem, quo fit digeſtio & converſio. Sicut etiam ſi comederet lapidem vel ferrum, non converteretur in ſe propter ſui duritiem & frigiditatem. Illi enim cibi dicuntur eſſe proportionati humanæ naturæ, qui participant cum calore, & ſunt ſine reſiſtentia de facili convertibiles in ſubſtantiam ſuam. Sic ad propoſitum dicendum : Si homo vult converti in Deum, & effici Deus, ſcilicet per participationem; oportet quod comedatur ab eo, ideſt incorporetur, ſeu uniatur per calorem ſuæ infinitæ caritatis. Sed Deus ipſe non comedit cibum, ideſt non unit ſecum in gloria eum, qui calorem caritatis hic non habuerit frequenter. Nam & de quibuſdam tepidis dicit ipſe Joannes Apoc. 3. *Quia tepidus es .... incipiam te evomere de ore meo*. Tepidus eſt, qui fidem habet ſine operibus, & abſque calore caritatis efficaciter manet. Et ideo Apoſtolus faciens comparationem inter virtutes, concludit, quod *major horum eſt caritas*. Verum, quia nihil poteſt amari, niſi ſit cognitum ; ideo ad amorem caritatis exigitur primo cognitio rei, quæ ad ſufficientiam haberi non poteſt, niſi per fidem. Et ne homo deficiat vel oberret a fine ultimo jam cognito, exigitur ſpes, per quam tendat in illum finem. Unde & de his tribus tamquam neceſſariis dicitur Eccleſiaſtes 2. *Qui timetis Deum, credite illi*, ſcilicet per fidem, *& non evacuabitur merces veſtra*. Et ſequitur immediate: *Qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia*. Et exinde ſequitur: *Qui timetis Deum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra*. Et talis cogitatio, ſcilicet habita ex lumine gratiæ & caritatis, poſſet etiam dici, licet non ita proprie, viſio facialis, reſpectu ſcilicet ejus, quæ ſolum eſt per fidem vel rationem naturalem. Unde pſal. 30. de electis ait: *Abſcondes eos*, ſcilicet a turbinibus mundi & occupationibus ejus, *in abſcondito faciei tuæ*, ideſt in facie, videlicet cognitionis gratioſæ a te eis collatæ, & reprobis abſconſæ & ignoratæ.

Quando homo poteſt converti in Deum.

CAPUT VII.

De intellectu practico quomodo debet exerceri.

DEbet quoque anima oculo ſuo ſiniſtro, ideſt intellectu practico uti virtualiter, ſcilicet ad bene operandum: *Intellectus* enim *bonus*, ait pſal. 110. *omnibus facientibus eum*, ideſt bonum intellectus in illis eſt, qui non ſolum quærunt intelligere, ut ſciant ; ſed etiam ut faciant facientes bonum, quod intelligitur. *Scienti* enim *bonum, & non facienti, peccatum eſt illi*, inquit Jacobus in canonica ſua cap. 4. Unde & idem pſal. 122. *Sicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum*, ſcilicet ſunt.... *ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum*. *Oculi ſervorum* dicuntur eſſe *in manibus dominorum ſuorum*, ſcilicet ad videndum, ſi aliquid in manibus habent ad conferendum, vel ſi aliquid habent ad percutiendum, vel ſi aliquid habent ad exercendum, ut illud operentur. Et ita *oculi* electorum ſunt directi *ad Dominum* ad conſiderandum largita & danda beneficia, illata & conferenda ſupplicia, & juſta agenda exercitia, ut conſiderent, quæ Dominus vult eos agere; ſic ſervus conſiderat opera, quæ vult dominus ſuus eum exercere. Et ſic *oculi ſervorum* ſunt *in manibus dominorum*, ideſt in operibus, quæ volunt domini ab eis. Et quia multa ſunt, quæ a nobis inſpicienda & conſideranda ſunt ad agendum; ideo Joannes in Apoc. cap. 4. refert quod animalia, quæ ipſe vidit in circuitu dominicæ ſedis, deſignantia ſecundum Gregorium Dei electos, erant plena oculis. Oportet enim oculos habere ſpirituales intus & extra, inferius & ſupra, retro & antea, in dextera parte & ſiniſtra, ad valendum bene inſpicere, quæ nobis ſunt congruentia. Unde & Chriſtus dixit cuidam ab eo illuminato: *Reſpice*, Lucæ 18. & primo

Octo ſunt reſpiciẽda.

Reſpice intus in conſcientia, ut rectificetur.
Reſpice extra circa creata, ut recompenſetur.
Reſpice ſupra ad cæleſtia, ut adjuvetur.
Reſpice infra ad ſupplicia, ut ad ea non intretur.
Reſpice retro ad commiſſa, ut removeantur.
Reſpice ante ad pericula, ut caveantur.
Reſpice ad dexteram ſanctorum exempla, ut ſimilia agantur.
Reſpice in ſiniſtra pravorum geſta, ut tua confundantur.

Reſpiciendа eſt conſcientia, ut rectificetur.

§. I. Quantum ad primum dicit Salvator Luc. 11. *Vide, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint*, ideſt ne ſis tenebroſus in conſideratione eorum; quæ intra te ſunt. Quamvis enim oculus corporalis, etſi alia videat, ſeipſum videre non poſſit, oculus tamen ſpiritualis animæ & ſe & alia videre poteſt; quinimmo, ut dicit Hugo de ſancto Victore: Oculus tuus, ſcilicet animæ, nihil bene videt, ſi ſeipſum non videt : & quærenti cuidam Gentili ab Apolline, quid ſibi eſſet agendum ad beatitudinem conſequendam; reſponſum eſt: Noſce teipſum. Ad quod facit illud Jobi 5. *Viſitans ſpeciem tuam non peccabis*, ideſt conſiderans teipſum. Hinc & devotus Bernardus ad Eugenium Papam in 2. libro de conſideratione inquit : A te primum inchoet conſideratio tua. Non ſolum autem a te; ſed & in te finiatur: quocumque evagetur, ad te revocetur cum ſalutis fructu. Unde & Eccleſiaſtes 2. dicitur : *Oculi ſapientis in capite ejus*. Oculi quidem corporales ita ſunt in capite ſtulti, ſicut in capite ſapientis. Sed oculi ſpirituales, ſcilicet conſiderationis ſolum ſunt *in capite ſapientis*, ideſt virtuoſi, non ſtulti, ideſt peccatoris. *In capite*, videlicet in parte ſuperiori animæ, ut ſecundum rationem operetur. Hæc autem conſideratio ſui ſecundum Bernardum ubi ſupra in tria dividitur, ut ſcilicet reſpicias, quid ſis in natura, quis in perſona, qualis in moribus ſeu vita. *Reſpice* ergo primo, quid ſis in natura, & conſiderans occurret tibi illud beati Jobi 14. dicentis: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis*, &c. *& numquam in eodem ſtatu permanet*. *Reſpice* igitur, quia natus es *de muliere*, nudus ſcilicet & pauper, miſer & miſerabilis, erubeſcens quod ſis nudus, plorans quod

Miſeria naturæ humanæ.

natus ſis, murmurans, quod ſis natus ad laborem, non ad honorem. *Natus de muliere*, & ob hoc cum reatu. Primam vocem, quam emittis, fletus eſt, quaſi ex hoc prophetans ſecundum Auguſtinum de civitate Dei, te in vallem lacrymarum ingreſſum. *Brevi vivens tempore*, & ideo ſemper cum metu. Et ipſa quoque brevitas incerta eſt. *Repletur multis miſeriis*: & vere *multis*, quia corporis & animæ ſimul. *Cuncti* enim *dies ejus doloribus & ærumnis pleni ſunt*, ut dicitur Eccleſiaſtes 2. Quid enim calamitate vacat naſcente in peccato, & fragili corpore, mente ſterili, repletus in corpore pœnalitatibus, infirmitatibus, neceſſitatibus innumeris. In anima vero repletus ignorantia, concupiſcentia, malitia. Demum *numquam in eodem ſtatu permanet*. Alteratus ætate, ſubſtantia, honore, moribus, affectu, & numquam quieſcere valens. Reſpiciendo igitur, quid in natura es, ad magnam humiliationem te inducet conſideratio hæc. Verum & rationalitas, quæ ad quidditatem hominis pertinet, reſpecta te ſublevabit a dejectione tantæ humiliationis.

Reſpiciendo a laico.

Reſpice ſecundo quis ſis in perſona, ideſt cujus conditionis, ſi videlicet laicus, clericus, religioſus, vel prælatus. Nam ſi laicus, ut dicit Hieronymus 12. quæſt. 1. can. *Duo ſunt*: *Licet bis temporalia poſſidere, ſed non niſi ad uſum*, ideſt non ad abuſum: *nihil enim miſerius eſt, quam propter nummum Deum contemnere. His conceſſum eſt uxorem ducere, terram colere, inter virum & virum judicare, cauſſas agere, oblationes ſuper altaria apponere, decimas reddere. Et ita ſalvari poterunt, ſi vitia benefaciendo vitaverunt.*

A clerico.

Reſpice ergo, ſi in tali ſtatu es, quod conſcientia tua ſecundum hæc rectificetur. Quod ſi clericus es, interpretare nomen tuum, ut coneris eſſe quod diceris. Cleros enim græce, latine *ſors* interpretatur, quia ſcilicet ipſe clericus eſt pars Domini, & Dominus ſuam partem habet. Ut autem dicit Ambroſius de fuga ſæculi: *Cui portio Deus eſt, nihil curare debet, niſi Deum, ne alterius impediatur neceſſitatis munere*, ideſt ſollicitudinis occupatione. *Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic noſtro officio decerpitur. Hæc eſt enim vera ſacerdotis fuga abdicatio domeſticorum, & quædam alienatio cariſſimorum, ut ſuis ſe abneget, qui Deo ſervire elegerit*, 12. quæſt. 1. *Cui portio*. Illud quoque eos obſervare oportet, quod ait Apoſtolus 1. ad Theſſal. 5. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*; extra *De vita & honeſt. cleric.* cap. *Quum ab omni*.

A religioſo.

Et præcipue a familiaritate mulierum, ut Diſt. 81. *Clericus*, & can. ſequenti. Si autem religioſus es, & ſic religatus, ideſt bis ligatus ligamine præceptorum in baptiſmi acceptione, & ligamine obſervationis conſiliorum in ſolemni profeſſione; *reſpice* quod ait Auguſtinus Diſt. 47. *Quamtumlibet*: *Sicut difficile ſum expertus meliores, quam qui in monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus pejores, quam qui in monaſteriis defecerunt.* His igitur deditis contemplationi & orationi *ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare convenit, & victu & veſtitu contenti nullam inter ſe proprietatem habere*; ſed omnia in communi ſecundum Hieronymum, 12. quæſt. 1. *Duo ſunt*. Debet etiam clauſtro eſſe contentus; *quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine monaſterio monachus. Sedeat igitur ſolitarius, & taceat, quia mundo mortuus eſt*, 16. quæſt. 1. can. *Placuit*.

A prælato.

Si autem prælatus es; *reſpice*, quia ſecundum Chryſoſtomum, *in judicio ſedes. Si enim bene vixeris, & bene docueris, omnium judex es; ſi bene docueris, & male vixeris, tui ſolus condemnator eris. Nam bene vivendo, & bene docendo, populum inſtruis, quomodo vivere debeat. Bene autem docendo & male vivendo Deum inſtruis, quomodo debeat te condemnare*, Diſt. 40. *Multi*. Tanta autem debet eſſe præcellentia vitæ rectoris ad vitam ſubditorum, quantum paſtor excellit conditionem ſuarum ovium. Nec ſibi ſufficit puritas ſua, niſi & puniat aliena crimina. Unde Auguſtinus: *Qui nec regiminis in ſe rationem habuit, nec ſua delicta deterſit, nec filiorum crimen correxit, canis impudicus dicendus eſt magis, quam Epiſcopus*, 2. quæſt. 7. *Qui nec regiminis*.

Reſpice tertio qualis ſis in vita, proficiens ſcilicet, aut deficiens in moribus, in adverſitatibus & proſperitatibus, circa quæ oportet te tenere medium, ſi non vis perdere modum. Nam, ut dicit Poeta:

Horat. in primo ſermonum, ſatyra ſive ſermone primo.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere virtus

(alias rectum). In te ergo conſiſte, & non infra dejici, non attolli ſupra, non evadere in longius, non extendi latius diſce. Nam ut longitudo, ſcilicet nimia exterminium habere ſolet, dilatatio ſciſſuram, altitudo ruinam, & profundum abſorptionem; longitudinem nimiam tibi aſſumis, quum promittis tibi longiorem vitam; latitudinem vero incongruam, dum in ſuperfluas diſtenditur animus curas; altitudinem ruinoſam, quum de ſe plus præſumit; profundum, quum ſe plus debito dejicit. Qui enim longa ſibi mentitur tempora, non ne ingreditur iter exterminii? Tranſit enim vitæ terminos productionis vitæ ſollicitudine. Similiter animus diſtentus in multa, multis laceretur curis, neceſſe eſt. Nempe immoderata extenſio extenuationem, & extenuatio nimia ſciſſionem facit. Alia vero præſumtio quid, niſi ruinoſa præcipitatio eſt? Unde Salomon Proverb. 16. *Ante ruinam exaltabitur ſpiritus*. Nimia autem puſillanimitatis dejectio deſperata quædam abſorptio eſt. Mediam ergo in cunctis tene, ut poſſis *comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum* ſecundum Apoſtolum Epheſ. 3. *Reſpice* etiam qualis ex te ſis; qualis ex Deo. Ex te mala, bona a Deo eſſe non ambigas.

Reſpiciendæ ſunt creaturæ & quomodo.

Reſpice ſecundo extra te, ſcilicet creata ſecundum illud Iſaiæ 60. *Leva in circuitu oculos tuos, & vide*. In circuitu enim tuo ex omni ſatere invenies creaturas. Omnis autem creatura triplici voce te alloquitur, ſecundum Hugonem de ſancto Victore. Et prima eſt, accipe beneficium. Secunda eſt, redde ſervitium. Tertia eſt, cave ſupplicium. Et a ſuperioribus inchoando dicunt Angeli per effectum tibi: Accipe beneficium noſtrum, quod ex parte creatoris continue tibi impendimus cuſtodiendo, a malis eripiendo, ad bona excitando. Et pro hujuſmodi beneficio ipſi creatori redde ſervitium, ejus mandata adimplendo; alioquin teſtes erimus contra te in judicio, & miniſterio noſtro ad inferna detraheris. Dicit tibi cælum cum luminaribus ſuis: Ego tibi motum præbeo, & ſine me inſenſibilis permaneres. Gratiſſimam lucem tibi ſol porrigit, ne in tenebris tædioſus reſideas, & ut patet vere in omnia inferiora multiplices virtutes infundit. Et ne obſcura in totum nox habeatur, luna cum ſtellis ſplendorem emittunt, cælumque decorant. Pro hujus igitur beneficiis redde obſequium creatori noſtro, gratias agens, adimplens illud pſal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*.

Triplex loquutio creaturarum.

Loquitur ignis modo ſuo dicens: O homo, quantum beneficium tibi præſto, te calefaciendo, cibos tuos decoquendo, quam plura opera efficiendo tibi perutilia, ut ſine mei participatione in calore naturali nutriri non poſſes? Pro hujuſmodi igitur Deo redde ſervitium, ut calore ſuccenſo dulciſſimæ caritatis Dominum Deum

um præ omnibus diligas; alioquin ſupplicium i- A
gnis æterni non evades.

Aer quoque non reticet dicens: Ego tibi flatum concedo, ut aſpires, & reſpires, atque locutionem tam neceſſariam ut formare valeas, deſervio, te undique curando. Et aves varias ſuave perſonantes melos & in cibum tranſeuntes contineo. Redde igitur ſervitium Deo, os tuum ad ſui honorem & gloriam aperiendo.

Aqua inquit: Ego tuas immunditias purgo, & fœtores removeo, ſitienti non parvum refrigerium affero, ſpecies innumeras piſcium ad tui uſum enutrio, &, quod plus eſt, in ſacramentis animæ tuæ neceſſariis me præbeo. Redde ergo ſervitium, ut ipſa ſacramenta reverearis; etſi non ratione materiæ in ſe, ratione tamen inſtituentis & gratiæ ibi a Deo poſitæ. Alioquin abſortus *ab aquis nivium* tranſibis *ad calorem nimium*, Jobi 24. B

Demum terra quamvis infimum elementorum, tamen copioſior voce te excitat dicens: O homo, unde factus es, niſi ex me humo? Ego te ſuſtento, ego divitias dono, aurum & argentum, ceteraque metalla, quæ in viſceribus meis geſto. Quot genera animalium propter te paſco & retineo, & aliqua quidem in tui cibum ut pullos, agnos, hœdos, capreas, cervos, vitulos; ceteraque domeſtica ac ſilveſtria; alia ad tui adjutorium, ut equos, mulos, camelos aſellos, & hujuſmodi; alia ad tui ſolatium, ut ſymeas, caniculos! Ego quoque herbas non ſolum ſuaves, C
ſed & quamplurimas medicinales produco, flores varios & fragrantes emitto, fructus innumeros & ſapidos diverſis temporibus offero. Pro hujuſmodi igitur beneficiis creatori tuo & meo recognoſce te debitorem, & ad neceſſitatem, non voluptatem, his uti debere, proximiſque tuis indigentibus portionem pro poſſe porrigere. Alioquin ſi ingratus inveniaris, ſicut *aperta eſt terra, & deglutivit Dathan*, ſic aperietur & tibi, ut ad centrum ejus deſcendas *ad terram miſeriæ & tenebrarum, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, Jobi 10.

Quomodo reſpicienda ſunt cæleſtia.

§. III. *Reſpice* tertio ſupra ad cæleſtia, ut adjuveris, ut non ſolum gloriam ſanctorum contempleris, ſed etiam ipſos in auxilium invocare D
digneris. Unde pſal. 120. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Nec credendum eſt prophetam loqui de montibus materialibus, quia inde non magis auxilium ſperare poſſumus, quam ad valles reſpiciendo. Sed loquitur de montibus ſpiritualibus, ſive divinis perſonis, ſuper quibus fundamenta ſupernæ civitatis, ſecundum eumdem pſalmum, ſunt ſita; ſive de montibus rationabilibus, ideſt ſanctis contemplatione & perfectione in altum elevatis.

De oratione.

Et circa hoc tria debes reſpicere. Et primo quod ipſa oratio ad Deum & ſanctos directa fiat congruenter, in eo, quod dicit: *Levavi oculos meos*, non oculum ait, ſed *oculos*. Debet enim elevari ad Deum & ſanctos in oratione oculus ſpeculativus, ad conſiderandum videlicet Dei & ſanctorum bonitatem & largitatem, & caveri debet, ne oculus ipſe ad terrena tunc aſpiciat. Unde & Damaſcenus dicit, quod oratio eſt aſſenſus intellectus in Deum. Debet etiam erigi oculus practicus, ut ſcilicet intendat operari, quod velit, ſcilicet quum poſtulat virtutes & hujuſmodi. Sed etiam ſecundus oculus poteſt dici pius affectus in Deum directus. Unde & de Salvatore dicitur Joann. 17. quod *elevatis oculis in cælum orans dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum* &c. ut doceret moraliter & oculum intellectus per attentionem, & oculum affectus per fervorem ad Deum dirigendum.

Secundo *reſpice*, quod oratio ipſa fiat pluraliter. Unde ſubdit Pſalmiſta: *In montes*. Non ſolum enim ad unum ſanctum, ſed ad plures dirigenda eſt oratio, quandoque ad unum, quandoque ad alium, ut nos docet ſancta mater Eccleſia. Quaſdam enim gratias ſeu dona obtinet quis oratione directa ad unum ſanctum, quas non obtinet ex oratione facta ad alium ſanctum, etiam longe majoris meriti ſecundum commune judicium; ſicut patet per quotidianam experientiam in periculis maris & terræ. Frequenter enim in naufragiis vel infirmitatibus conſtituti recommendantes ſe Petro, Paullo, Joanni vel Laurentio, nullum inde reportarunt levamen. Et exinde recommendantes ſe B. Dominico vel B. Cyriaco vel B. Eraſmo vel aliis, B
qui æſtimantur inferiores Apoſtolis, ſubito pericula evaſere. Quod propterea contingere creditur, quia vult glorioſus Deus etiam minimos ſanctos exaltari, & ab hominibus venerari, dum magna beneficia ipſis mediantibus ſe percepiſſe cognoſcunt. Vel hoc etiam poteſt procedere, quia aliquando quis cum majori affectu & devotione oculos mentis erigit ad auxilium poſtulandum ab aliquo ſancto, etſi minori, quam faciat orationem dirigendo ad ſanctos majores. Oratio autem quanto affectuoſius fit, tanto efficacius exauditur communiter.

Oratio eſt facienda ad plures ſanctos.

Reſpice tertio, quod ratio ipſa fiat fiducialiter. Unde ſubdit pſalmus: *Unde veniet auxilium mihi.* Et hoc eſt, quod Jacobus ait in canonica cap. 1. *Poſtulet autem in fide*, ideſt cum fiducia *nihil hæſitans*. Et certe cauſſam habemus ſperandi auxilium a ſanctis, quum ſint fratres noſtri. Sciunt enim neceſſitates noſtras & miſerias, præcipue quum eos invocamus, exoptantque nobis bona. Neque enim caritas in eis deficit quam in via habuerunt ad proximos, ſed in eis ad ſummum perfectionis deveniet. Quum igitur in mundo converſantes cum magno affectu laborarent, in ſublevandis aliorum miſeriis, multo magis credendum eſt, nunc nobis velle ſuffragari in illis, in quibus Deo beneplacitum eſſe cognoſcunt. Sed & poſſe ſubeſt eis, quum voluerint. Neque enim beati eſſent, ſi aliquid vellent, quod obtinere non poſſent. Et quum per merita Abraham, Iſaac, & Jacob, & David, Dominus Deus multa mala & flagella removerit a populo ſuo antiquo, & multa bona conceſſerit, ut patet ex Penthateucon & libris Regum, qui tamen patres necdum ad gloriam intraverant, ſed in lymbo detinebantur; quanto magis credendum eſt propter merita Apoſtolorum martyrum & confeſſorum ac ſacrarum virginum, & permaxime Virginis matris Mariæ glorioſiſſimæ, qui ſunt in gloria & fruitione beatiſſima, eos, qui verſantur in mundo, multipliciter adjuvari in corpore & in anima ſpiritualibus & temporalibus, ſicut patet per exempla B. Dominici, B. Bartholomæi, & aliorum ſanctorum?

§. IV. Quarto *reſpice* infra, ſcilicet ad ſupplicia, ut caveantur. Unde Iſaiæ 51. dicitur: *Levate in cælum oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum*, iceſt non ſolum cæleſtia, ſed & infera reſpiciatis: ſub terra enim infernus eſt. Reſpiciendo autem illuc, tria genera, ſeu tres ſtatus reperies animarum. Et ex primo cognoſcere poteris maxime tibi conceſſam gratiam, ex ſecundo præcipue tibi removendam negligentiam, ex tertio ſumme tibi cavendam impœnitentiam. E

In inferno tres ſtatus animarum reſpiciendi.

Reſpice igitur primum ſtatum, & hi ſunt pueri ſive puellæ mortui ſine baptiſmo poſt Evangelium divulgatum, vel remedio alio contra originale ordinatum in veteri teſtamento. Et hi quamvis pœna ſenſibili careant, gloria tamen beatiſſimæ viſionis in perpetuum privantur: & quamvis mirum videatur & durum, eos privari tanta feli-

Status puerorum cum originali decedentium.

citate gloriæ ſuperuæ ſine aliqua culpa ab eis commiſſa; nulla tamen eis fit injuria vel injuſtitia. Ex contracto enim originali peccato naſcimur omnes filii iræ, & debitores mortis æternæ, Epheſ. 2. Quod ſi ſine ullis meritis tuis placuit piiſſimo Deo ſequeſtrare te a maſſa perditorum, & ad remedium contra debitam mortem te perducere, non habes hic certe quod contra Deum queruleris; ſed unde de tua liberatione magis quam illorum admireris, & ipſum affectuoſe venereris.

Status eorum, qui ſunt in purgatorio.

Reſpice ad ſecundum ſtatum, ſcilicet eorum, qui ſunt in purgatorio, & ibi ſecundum pſal. 90. *Oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis.* Quia enim *Deus delictum omnino ſine ultione non deſerit*, ut dicit Gregorius *De pœnit.* Diſt. 1. *Si peccatum David*; ſic etiam quantumcumque minimum ſit, quia negligentes fuerunt illi in mundo degentes ad purgandum venialia, & ad ſatisfaciendum pro criminalibus; ideo ibi torquentur maxima pœna, & quæ a nobis leviſſima vel nulla æſtimantur delicta, ibi acerrime puniuntur. Sicut patet in Vitis patrum præcipue de quodam religioſo, qui ob hoc, quod acceſſerat ad ſe balneandum ob quamdam recreationem in aqua, ibi ſuffocatus, apparuit defunctus cum brachiis & cruribus exuſtis, dicens ſe acerrime cruciari, & præcipue propter illam delectationem balneandi; & propter hoc apparuerat cum exuſtione brachiorum & crurium. Sed *qui Deum timet, nihil negligit*, Eccleſiaſtes 7. eorum ſcilicet, quæ debet facere ad ſui ſalutem & purgationem plenam; ſi tamen perfectum Dei timorem habeat, non ſolum initialem, ſed etiam finalem.

Status damnatorum.

Reſpice tertio ad ſtatum damnatorum. Quia enim ipſi noluerunt oculos aperire ad cognoſcendas culpas, & lacrymis diluendas, nunc ſine fructu eos aperiunt in tormentis. Sicut legitur de divite Epulone in inferno ſepulto, quod elevans oculos ſuos, quum eſſet in tormentis, vidit Abraham a longe & Lazarum in ſinu ejus, Luc. cap. 16. Et ut dicit pſal. 47. *Ipſi videntes ſic*, ſcilicet damnati, *admirati ſunt, turbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos: ibi dolores ut parturientis, in ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis.* Et loquitur de regibus terræ, ideſt peccatoribus, qui ſecundum terrena ſe regunt, & habitant in lateribus Aquilonis, ubi eſt frigus intenſum; & ſignificat iniquitatem, quæ frigidam facit animam Dei amore. Ubi tria nota.

Primo pœnæ multiplicitatem, ibi: *Ipſi videntes.*

Secundo multiplicitatis acerbitatem, ibi: *Dolores ut parturientis.*

Tertio acerbitatis hujuſmodi cauſſalitatem, ibi: *In ſpiritu vehementi.*

Videntes ergo damnati *ſic*, ſcilicet ſicut vidit ille dives in inferno gloriam & requiem beatorum, *admirati ſunt* dicentes, ut refert Sapiens, Sapientiæ 5. *Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei. Ipſi videntes ſic*, quod ubi in mundo erant in honore, divitiis, & deliciis, & tunc ſunt in tanta miſeria, ut deficiat eis etiam aquæ gutta; *admirati ſunt* dicentes: *Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tamquam umbra.* Exinde *conturbati ſunt* contra Deum, qui habet poteſtatem *ſuper plagam*, ſcilicet ignis, quo cruciantur odientes eum, & præ turbatione linguas ſuas commanducantes eum blaſphemant, ut habetur Apocalyp. cap. 16. *Turbati* contra ſeipſos adeo, ut deſiderent mortem, ideſt ſui adnihilationem, conſiderantes melius eis eſſe non

A eſſe, quam male eſſe; ſed mors fugit ab eis, quia deficere non poſſunt a male eſſe. Turbantur & contra eos, cum quibus, vel pro quibus, vel contra quos male egerunt tamquam occaſiones eorum pœnæ. *Commoti* etiam *ſunt* a dæmoniis, qui eos cruciant, qui non dant eis requiem die ac nocte, ut dicitur Hierem. 16. & quia pro lecto habent quod dicit Iſai. cap. 14. ſcilicet *ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Tinea* ſcilicet ſyndereſis remurmuratio a malo, & *vermes* ſtimulorum conſcientiæ propter pœna, quam ſentiunt, non autem propter Dei offenſam. Et ultra hæc: *Tremor apprehendit eos*, timentes adhuc pejora pati, & præcipue in receptione corporum ſuorum, ubi cruciatus eis augetur, & in præſen-
B tatione ſui in finali judicio; propter quod dicit Iſai. 33. *Poſſedit tremor*, alias timor, *hypocritas.*

Reſpice hujus multiplicis pœnæ acerbitatem, quum dicitur ibi, ſcilicet in prædictis, *dolores ut parturientis*, qui maximi ſunt & quaſi mortales, prout mulieres ex earum clamoribus oſtendunt. Magnus enim clamor magnum dolorem indicat. Neque enim aliqua ſimilitudo poſſet induci ad declarandum acerbitatem illius doloris; omnia enim genera tormentorum hujus vitæ, etiamſi poſſent reperiri in uno homine, eſſent quaſi ludus & ſolatium reſpectu illius pœnæ; propter quod dicitur Iſai. cap. 33. *Quis habitare poterit de vobis cum igne devorante? Aut quis de vobis habitare poterit cum ardoribus ſempiternis?* quaſi dicat:
C Intolerabile erit, & tamen inhabitare oportebit peccatores. Et *devorans* dicitur ignis ille propter abſorptionem doloris totius hominis. Et *ſempiternus* dicitur propter durationem. Dolores enim maximi erunt in aſpectu judicis ſuperni, accuſantibus omnibus eum, & teſtificantibus contra eum dæmonibus, Angelis bonis, & conſcientia propria, ac cunctis creaturis. Unde Gregorius: O quam anguſtæ ſunt tunc viæ reprobis, &c. Vide in Homel. Adventus.

Reſpice tertio acerbitatis cauſſalitatem ibi: *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis*, pſal. 47. Ad Dominum propheta hunc ſermonem dicit, cujus ſpiritus vehemens eſt ira maxima; quæ tamen ira non eſt, ut in nobis, concitati animi furor, ſed juſta ſupplicii conſtitutio ſecundum Gregorium. Eſt igitur ira Dei ſevera punitio ejus. Et in hac conterit, ideſt totaliter terit, ut nulla pars animæ vel corporis remaneat intacta aut non afflicta. *Naves*, videlicet mentes, merces peccatorum ſecum portantes, *Tharſis*, ideſt gaudia mundi in ipſis peccatis quærentes. Interpretatur enim Tharſis *exploratio gaudii:* explorant enim, hoc eſt quærunt aliqui gaudium ſuum, & delectationem in divitiis, ut avari. Alii in deliciis, ut laſcivi & guloſi. Alii in honoribus, ut ambitioſi & ſuperbi. Has igitur *naves in ſpiritu vehementi*, ideſt ſevera ſententia, *conteret* anima & corpore: Hierem. cap. 17 *Duplici contritione contere eos, Domine Deus noſter.* Et hæc cauſſa
E totius pœnæ eorum, quia quærentes gaudia mundi noluerunt in mundo ſalubriter conteri. *Qui* enim *impœnitens moritur, omnino moritur, & æternaliter cruciatur*, ſecundum Auguſtinum, *De pœnit.* Diſt. 7. can. finali, §. *Studeat.* Et ideo evita impœnitentiam, & *reſpice*, quia peccatores *videbunt* cum his malis *filium hominis venientem* &c.

Quomodo reſpiciendæ ſunt peccata commiſſa.

§. V. *Reſpice* quinto poſt te, ſeu retro, ſcilicet peccata commiſſa ad ſatisfaciendum, non ad iterandum. *Nemo* enim *mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*, Luc. 9. *Ponere manum ad aratrum & aſpicere retro*, eſt poſt aſſumtam pœnitentiam vel religio-

nem

nem ad peccatum vel ad ſæculum corde redire; hoc autem a regno Dei excludit. Sed oculos debet quis retro habere, ſicut habebant animalia, de quibus ſcribitur Apocalyp. 4. ut videlicet peccata commiſſa recogitantes ea mortificent. In cujus figuram legitur, quod *Abraham levavit oculos, viditque poſt tergum hærentem arietem cornibus ſpinis*, quem obtulit in ſacrificium pro Iſaac primogenito, Geneſ. cap. 22. Abraham intendens mactare primogenitum ſuum in ſacrificium, ut Deo placeret, ſignat virtuoſum, qui aliquando appetitum rationalem quærit mortificare in honorem Dei, dum ſcilicet neceſſaria, quæ dictat ratio, ſubtrahit ſibi. Sed aſpiciens retro, ſcilicet ad vitam præteritam, & videns appetitum ſenſualem & animalem ducem paſſionum, ut aries eſt dux ovium, B infixum vitiis tamquam ſpinis conſcientiam pungentibus a Deo inſtruitur, ut appetitum beſtialem offerat Deo, carnem ſuam crucifigendo cum vitiis & concupiſcentiis, magis quam indiſcretis abſtinentiis; quia ſecundum Hieronymum: *Apud Deum non tam valet..... abſtinentia ciborum, quam mortificatio vitiorum*, *De pœnit.* Diſt. 1. *Menſuram*.

Reſpice ergo retro ad opera prava commiſſa, propter quæ creatura exoſa efficitur Deo ſecundum illud pſal. 5. *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem*, quæ etſi aliquando occulta ſint hominibus, Deo tamen clare nota. Unde ipſe dicit: *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas*, ſcilicet ſecundum apparentiam, & *mortuus es*. C *Eſto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant.... & pœnitentiam age*, Apocalyp. 3.

Reſpice retro ad locutiones inutiles, quia, ut dicitur Sap. 1. *Sermo obſcurus in vacuum non ibit*. Et dicitur *ſermo obſcurus* locutio, quæ non habet in ſe claritatem ædificationis & rectæ intentionis; & hic *non ibit in vacuum*, ideſt non tranſibit ſine punitione: &, ut dicit Apoſtolus 1. ad Corint. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*. Quod patet per experientiam in pueris, qui quum a natura pueri ſint, efficiuntur pleni blaſphemiis, perjuriis, mendaciis, contumeliis, ſcrurrilitatibus propter ea, quæ audiunt ab his, inter quos converſantur.

Reſpice ad cogitationes pravas: nam ut dicitur Sap. 1. *In cogitationibus impii interrogatio erit*, ſcilicet judicio Dei, ac etiam punitio de ipſis, ſi noxiæ fuerint. Unde dicitur Mich. 2. *Væ qui cogitatis inutile*. Et multo magis væ erit eis, qui in ipſis morantur. Quod reprehendens Dominus ait Hier. 4. *Uſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* & ideo Poeta inquit.

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Quum mala per longas convaluere moras.

Quomodo reſpicienda ſunt inſtantia pericula.

§. VI. *Reſpice* ſexto, quæ ante ſunt, videlicet futura mala ſeu pericula: ut enim dicitur Prov. 1. *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum*. Videntes enim pennata, ideſt aves rete ante ſe, & ex hoc æſtimantes periculum captionis, ab eo declinant. Sic & habentes pennas virtutum, quum E aſpiciunt, quæ ſunt ante ſe, & vident pericula imminentia, ſibi provident, ne capiantur a diabolo; & in hujus figuram Balaam propheta quum iret ad maledicendum populum Dei, aperiens oculos, & videns ante ſe ſtantem Angelum gladio evaginato ad percutiendum eum, intelligens periculum ſuum, ab itinere ſuperſtetit, ut habetur Num. 22. ad ſignificandum, quod ſi quis diſpoſitus ſit ad male agendum, ſi oculos aperit mentis ad aſpiciendum quid ante ſe eſt, futuram ſcilicet Dei ultionem, a malo aliquando deſiſtit, ne incidat in manus Dei viventis & punientis.

Debet autem aſpicere & pericula futura tribulationis, ut eis, ſi poteſt, debito modo obviet, A ſicut fecit Regina Heſter ad obviandum interfectioni totius populi ſui, quam fraudulenter procuraverat Aman ab Aſſuero, primo ſe juvans orationibus, jejuniis, & aliis humiliationibus; & exinde utens humana prudentia, ut poſſet alloqui regem, & revocationem perſuadere prædictæ ſententiæ, *pavens periculum, quod imminebat*, ut ſcribitur Heſter 14. & Dei adjutorio ſublatum eſt periculum, Aman ſuſpenſo.

Debet ſecundo aſpicere pericula futura exercitationis. Sunt enim quædam exercitia magni periculi, inter quæ eſt prælatio. Unde Auguſtinus in regula: Quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo majori verſatur: non ſolum enim de ſua, ſed de ſubditorum animabus habet reddere rationem, & permaxime prælatio eccleſiaſtica. Unde B Auguſtinus: *Nihil eſt in mundo, & maxime hoc tempore difficilius, & laborioſius, & periculoſius epiſcopi, aut presbyteri, aut diaconi dignitate*, Diſt. 40. *Ante omnia*. Exercitationem etiam negotiationis & hoſpitis eſſe multum periculoſam, oſtendit Sapiens, Eccleſiaſtici 26. dicens: *Duæ ſpecies difficiles & periculoſæ mihi apparuerunt. Difficile exuitur negotians a negligentia ſua*, ſcilicet circa ſalutem animæ, *& non juſtificabitur caupo a peccatis labiorum*. Et dicitur *negotians* non ſolum ille, qui rem emit, & eam non mutatam alteri vendit; ſed etiam qui de materia emta artificia faciens vendit. *Difficile eſt* autem (inquit Leo Papa) *inter vendentis ementiſque* C *commercium non intervenire peccatum*; & ideo *pœnitenti utilius eſt diſpendia pati, quam periculis negotiationis obſtringi*, *De pœnit.* Diſt. 5. *Qualitas*. Et permaxime ubi eſt periculum mortalis. *Non eſt etiam liber a laqueis diaboli, qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare*. Idem Leo Diſtinct. eadem can. ſequenti.

Tertio debet aſpicere pericula perplexionis, ut videlicet ubi dubitat probabiliter in aliquo opere eſſe peccatum, præcipue mortale, non faciat illud, niſi ablata dubitatione, quando eſt ex conſcientia erronea. Dicitur enim Eccleſiaſt. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Sed neque cooperari debet aut ratificare, quod alii faciunt cum periculo irrationabili ſuo; unde David aquam concupitam de ciſterna Bethlehem, quia tres viri fortes acceſſerunt illuc ad hauriendum eam cum maximo periculo, quia ibi habitabant hoſtes eorum Philiſthiim, bibere noluit, ſed effudit dicens: *Quia in periculo animarum ſuarum obtulerunt mihi aquam*, 1. Paralip. 11. Felix etiam, quem faciunt aliena pericula cautum.

Vide Prælect. 1.

Quomodo reſpicienda ſunt ſanctorum exempla.

§. VII. *Reſpice* ſeptimo a dextris ſanctorum, exempla ſcilicet, ut ſimilia agantur: dicitur enim Ezech. 10. de animalibus electos ſignificantibus, quod omne corpus eorum & manus plena oculis erant. Et quia idem propheta vidit in alia viſione aquam egredientem a latere dextro, & omnes, ad quos pervenit aqua iſta, ſalvi facti ſunt, Ezech. 47. quæ aqua ſignificat gratiam virtuoſæ converſationis procedentem a congregatione ſanctorum deſignatam per latus dextrum; ideo *reſpice* ad dexteram vitam, ſcilicet ſanctorum, ut imiteris. Unde Job: *Reſpiciet*, ſcilicet homo, *homines, & dicet: Peccavi, & vere deliqui, & ut eram dignus, non recepi*, Jobi 33.

Reſpice igitur primo, quod ſancti, & permaxime caput eorum Chriſtus, habent in ſe humanitatem in verbis & operibus ſuis, compatiendo aliorum miſeriis. Unde dicit Apoſtolus ad Titum: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei*, videlicet in recipiendo peccatores, non abjiciendo pauperes, flendo cum flentibus, ſubveniendo infirmantibus & hujuſmodi. Et ut dicitur Sapient. 12. *Docuiſti populum tuum per*

talia

talia opera, quoniam oportet juſtum eſſe & humanum. Unde dicit Job in dicta auctoritate: *Reſpiciet homines*. Homo autem dicitur ab humanitate, ideſt, videbit, juſtos eſſe humanos. Secundo habent puritatem; nam & de minimis, quæ peccata non reputantur, ſibi conſcientiam faciunt. Unde & Auguſtinus in libro Confeſſ. publice fatetur ſe peccaſſe in aſpectu aranearum capientium muſcas in telis ſuis, & canem inſequentem leporem, & quum puer erat, non libenter iret ad ſcholas, ſeu diſceret, niſi ex metu verberum & hujuſmodi. De B. Hieronymo narrat Euſebius: Minima peccata, ut verba otioſa, amariſſime deflebat tamquam ſcelera. Similiter & in prima collatione Abbatis Moyſi dicitur, quod anima ſancta & perfecta etiam leviſſimas cogitationes peccatorum, in puncto tangentes, reputat quaſi ut magnam fornicationem, timendo, ne Deus deſerat eam. Et ideo dicit Job, quod aſpiciens *homines*, ideſt ſanctos, *dicet*: *Peccavi*, hoc eſt conſiderando, quod de minimis illi ſibi faciunt conſcientiam, non ſe excuſant, ſed accuſant de ſuis ſceleribus, dicendo: *Peccavi*. Tertio habent ſancti multam adverſitatem. *Ego* enim, ait Dominus Apocalyp. 3. *quos amo, arguo & caſtigo*, & Judith. 8. *Omnes, qui Deo placuerunt ab initio, per multas tribulationes tranſierunt fideles*. Quod maxime fuit impletum in Chriſto diſcurrendo per ejus vitam & mortem. Et ideo, ut ait Apoſtolus ad Hebr. 12. *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui ...., ſuſtinuit crucem confuſione contemta*. Et ideo, ut dicit Job, quod hoc aſpiciendo dicunt homines, *ut eram dignus, non recepi*. Nam ſi innocentes & juſti tanta perpeſſi ſunt, nihil eſt, quod recepi adverſum reſpectu eorum, quæ merui.

Quomodo reſpiciendæ ſunt pravorum geſta.

§. VIII. *Reſpice* octavo a ſiniſtris pravorum geſta, ut tua opera confundantur. In ſiniſtra enim parte mali collocandi ſunt in judicio, quia ſiniſtram intentionem habuerunt, & ſiniſtra opera fecerunt. Horum conſideratio confuſionem inducit non modicam ſervis Dei: propter quod dicitur Iſaiæ 23. *Erubeſce, Sydon, ait mare*. *Mare* ſignat vitam & converſationem peccatoris & mundi. Iſaiæ 57. *Cor impii quaſi mare fervens*. *Sydon* autem civitas inſula maris ſignificat converſationem religioſorum, & ſpiritualium, qui ſunt ſeparati a mundo. Quod ergo mare dicit Sydoni, ut erubeſcat, ſignificat ſecundum Gregorium, quod vita ſæcularis inducit confuſionem vitæ ſpirituali ex conſideratione ſuæ actionis. Et hoc tripliciter.

Primo conſiderando quantum laborant, temporalia congregando & mala operando. Unde Hierem. 9. dicitur: *Ut inique agerent, laboraverunt*, & Sapient. 5. dicunt ipſi reprobati: *Laſſati ſumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles*. Unde in Vitis Patrum legitur, quod quum Pelagia publica meretrix pergeret ad eccleſiam in Alexandriam, ubi erant multi epiſcopi congregati, unus ex eis ſanctiſſimus fixe intuitus eſt eam, admirans de ornatu ejus & ſtudio adhibito ad capiendas animas. Et demum converſus ad alios epiſcopos dixit cum multis lacrymis: Iſta meretrix confundit & condemnat nos. Non enim tempore vitæ meæ ego habui tantam diligentiam ad placendum Deo, quantum iſta habuit diligentiam & ſollicitudinem ad placendum mundo. Demum oratione ejus converſa eſt ad fidem & pœnitentiam. Magnam erubeſcentiam debet habere homo, quod plus faciat pro mundo & damnatione ejus, quam pro Deo & ſalvatione ſua. Unde Apoſtolus ad Roman. 6. *Humanum dico*, &c. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete ea ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*, ideſt, non minus laboretis pro Deo, quam feceritis pro mundo.

Secundo vita mundanorum confundit vitam ſpiritualium, in quantum ſunt ſollicitiores ad inquirendum diverſos modos augendi divitias, & cautiores ad vitandum damna temporalia, quam ſpirituales circa ſpiritualia. Unde Chriſtus Lucæ 16. *Filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in ſua generatione ſunt*.

Tertio, quia magis dolent de damnis mundi, quam multi boni de damnis animæ. Qui enim amittit ſubſtantiam vel aliquem conſanguineum, dolet aliquando uſque ad mortem, ſicut experientia docet, ſed pro damnis animæ & amiſſionis gloriæ vix poteſt quis dolere, & unam lacrymam ab oculis extorquere. Sed ut dicit Auguſtinus: Sciat ſe culpabiliter reum, qui deflet damna amici, vel temporis, ideſt temporalia, & peccata commiſſa non deflet. Et hoc præcipue quando procedit ex parvitate doloris & amoris Dei. *Deduc* ergo *quaſi torrentem lacrymas .... & non quieſcat pupilla oculi tui*, Threnor. 2.

CAPUT VIII.

De ratione & intellectu. Diſtinctio intellectus ſpeculativi & practici, rationis ſuperioris & inferioris.

Ratio & intellectus quatenus differant.

SCiendum quod ratio & intellectus in homine non poſſunt eſſe diverſæ potentiæ ſecundum B. Thomam in 1. par. quæſt. 79. art. 8. Et hoc manifeſte cognoſcitur, ſi utriuſque conſideretur actus. Intelligere enim eſt ſimpliciter veritatem intelligibilem apprehendere. Ratiocinari autem eſt procedere de uno intellecto in aliud ad veritatem intelligibilem cognoſcendam. Et quia Angeli perfecte poſſident ſecundum modum ſuæ naturæ cognitionem intelligibilis veritatis, non habent neceſſe procedere de uno in aliud, ſed ſimpliciter & abſque diſcurſu veritatem rei apprehendunt; & ideo dicuntur intelligentiæ ſeu intellectuales: homines vero ad intelligibilem veritatem cognoſcendam perveniunt procedendo de uno in aliud, & ideo homines rationabiles dicuntur. Unde patet, quod ratiocinari comparatur ad intelligere, ſicut movere ad quieſcere, vel ſicut acquirere ad habere, quorum unum eſt perfecti, aliud imperfecti. Manifeſtum eſt autem, quod quieſcere & moveri non reducuntur ad diverſas potentias, ſed ad unam & eamdem, etiam in rebus materialibus, quia per eamdem materiam aliquid movetur ad locum, & quieſcit in loco; multo igitur magis per eamdem potentiam intelligimus & ratiocinamur. Auguſtinus etiam dicit ſuper Geneſim ad litteram, quod illud, quo homo irrationabilibus animalibus antecedit, eſt ratio vel mens vel intelligentia, vel ſi quo aliquo alio vocabulo commodius appelletur. Et ſic patet, quod ratio & mens ſunt una potentia realiter, ſed differunt ratione.

Intelligentia & intellectus non ſunt diſtincta potentia.

Item nota, quod intelligentia non eſt alia potentia ab intellectu. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra, quod hoc nomen intelligentia proprie ſignificat ipſum actum intellectus, qui eſt intelligere. Unde in quibuſdam libris de arabico translatis ſubſtantiæ ſeparatæ, quas nos Angelos dicimus, intelligentiæ vocantur. Forte propter hoc, quia hujuſmodi ſubſtantiæ ſemper actu intelligunt. In libris tamen de græco translatis, dicuntur Angeli intellectus ſeu men-

mentes; ſic ergo intelligentia ab intellectu non diſtinguitur ſicut potentia a potentia, ſed ſicut actus a potentia. Invenitur talis diviſio etiam a philoſophis: quandoque enim ponunt quattuor intellectus, ſcilicet intellectum agentem, intellectum poſſibilem, intellectum in habitu, intellectum in actu & adeptum, quorum quattuor intellectus agens & intellectus poſſibilis ſunt diverſæ potentiæ; ſicut & in omnibus alia eſt potentia activa, & alia paſſiva. Alia vero tria diſtinguuntur ſecundum tres ſtatus intellectus poſſibilis, qui quandoque eſt in potentia tantum; & ſic dicitur poſſibilis: quandoque eſt in actu primo, ideſt ſcientia; & ſic dicitur intellectus in habitu: quandoque autem in actu ſecundo, qui eſt conſiderare; & ſic dicitur intellectus in actu, ſive intellectus adeptus. Nec obſtat, quod in libro de ſpiritu & anima dicitur, quod quum ab inferiori ad ſuperiora aſcendere volumus, prius occurrit nobis ſenſus, deinde imaginatio, & poſtea ratio, poſtea intellectus, & poſtea intelligentia: ponitur enim intelligentia ibi pro actu intellectus & ratio pro actu diſcurſivo intellectus; & ſic diſtinguitur intelligentia & ratio ab intellectu, ſicut actus contra potentiam, & non ſicut una potentia contra aliam. Sed & ille liber non eſt multæ auctoritatis ſecundum Thomam.

Diviſio intellectus in ſpeculativum & practicum non eſt realis potentiarũ, ſed actuũ.

Notandum etiam, quod diviſio intellectus in ſpeculativum & practicum non eſt diviſio realis, ſcilicet, quod ſint diverſæ potentiæ realiter diſtinctæ; ſed ſunt actus potentiæ intellectivæ diverſæ per reſpectum ad finem. Nam intellectus ſpeculativus eſt, qui hoc, quod apprehendit, non ordinat ad opus, ſed ad ſolam veritatis conſiderationem. Practicus vero intellectus dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus. Et hoc eſt, quod dicit philoſophus in 3. de anima, quod ſpeculativus differt a practico fine; unde & a fine denominatur uterque. Hic quidem ſpeculativus, ille vero practicus, ideſt operativus. Dicit etiam philoſophus ibidem, quod intellectus ſpeculativus per extenſionem fit practicus. Et ex hoc probatur, quod non ſunt diverſæ, quia una potentia non poteſt mutari in aliam. Thomas ubi ſupra.

De officiis, vel actibus rationis.

Ratio diſtinguitur in ſuperiorem & inferiorem. Et circa hoc tria poſſunt conſiderari pro declaratione hujus materiæ, videlicet,

Officium vel actus quo diſtinguuntur.

Vitium vel peccatum, quo inficiuntur.

Gradus vel reatus, quo intenduntur.

Diviſio rationis in ſuperiorem & inferiorem non eſt potentiarũ ſed actuum.

§. I. Quantum ad primum, ſcilicet actum vel officium, quo diſtinguuntur, ſciendum, quod ratio inferior vel ſuperior non ſunt diverſæ potentiæ, ſed una, quæ ſecundum diverſa officia & diverſos actus, quos habet, geminatur & diſtinguitur. Et probatur tripliciter, videlicet ratione, ſimilitudine & auctoritate. Ratione autem probatur ſic: Quanto potentia eſt immaterialior & ſimplicior, tanto exiſtens unita ſe extendit ad plura. Quod patet, quia omnia ſenſibilia, quæ diverſis ſenſibus apprehenduntur, ſenſus communis una potentia exiſtens apprehendit & diſcernit. Sed intellectus eſt ſimplicior & immaterialior omni potentia ſenſitiva & particulari, ſive communi; ideo ad plura ſe poteſt extendere.

Similitudine vero idem probatur. Experimur enim, quod eadem potentia ſenſitiva, ſcilicet viſu ſuperiora, ut corpora cæleſtia, Solem & Lunam & hujuſmodi, & inferiora ut corpora terreſtria, metalla, & animalia, & hujuſmodi, cernimus & videmus; ergo multo magis eadem potentia intellectiva, quæ ratio dicitur vel inferior, æterna & temporalia intueri valet: & ſuperior quidem ratio dicitur, prout ea æterna contemplamur: inferior, prout ea temporalia intuemur. Auctoritate idem probatur: dicit enim Auguſtinus de civitate Dei, quod ratio ſuperior eſt, quæ intendit rebus æternis aſpiciendis vel conſulendis. Et ipſis rebus æternis conſpiciendis intendit ſicut objecto, ſecundum quod æterna in ſeipſis ratio ſuperior contemplatur. Sed rebus æternis conſulendis intendit tamquam medio, ſecundum quod ex æternis ratio ſuperior accipit regulas agendorum, vel ſecundum quod æterna applicat ad dirigendam voluntatem & actionem, v. g. quum aliquis per judicium rationis deliberat de agendis, ex hoc, quod aliquid eſt Deo acceptum, vel divina lege præceptum vel prohibitum; tunc tale judicium rationis attribuitur rationi ſuperiori. Sed quum aliquis per judicium rationis conſiderat de agendis per cauſſas inferiores, utpote furtum vel adulterium, vel aliud peccatum non eſt faciendum conſiderando actus turpitudinem, rationis dignitatem, offenſam hominum, & quantum peccatum ſit damnoſum & inhoneſtum; tunc tale judicium attribuitur rationi inferiori. Hæc Raynerius poſt B. Thomam in 1. parte, & in quæſtionibus de veritate. Et principium vel habitus, cui ratio ſuperior attribuitur, eſt ſapientia. Principium vero vel habitus, cui ratio inferior attribuitur, eſt ſcientia. His vero duobus ſapientiæ & ſcientiæ directe opponuntur ſtultitia & ignorantia. Stultitia quidem ſapientiæ, & ignorantia opponitur ſcientiæ. Omnia autem alia peccata indirecte prædictis duobus habitibus, ſcilicet ſapientiæ & ſcientiæ opponuntur, in quantum regimen ſapientiæ & ſcientiæ in quolibet opere requiritur, depravatur, ratione cujus omnis malus ſtultus dicitur & ignorans. Raynerius poſt Thomam in 1. parte.

De vitiis vel defectibus rationis.

§. II. Quantum ad ſecundum conſiderandum, ſcilicet vitium, quo ratio ſuperior & inferior inficiuntur; notandum eſt, quod in utraque, ſcilicet in ratione ſuperiori & inferiori poteſt eſſe peccatum. Hoc autem ſic probatur: Peccatum cujuslibet potentiæ conſiſtit in actu ejus: ratio autem habet duplicem actum, ſcilicet cognitivum & directivum. Ratio enim primo eſt cognitiva veri, & numquam ratio in communi errat reſpectu veri; & ſimiliter voluntas numquam errat reſpectu appetitus boni in communi; & ſic numquam in eis eſt peccatum. Sed in particulari ſic; nam defectus rationis in cognoſcendo verum, cauſſatur ex tribus, ſcilicet ex omiſſione, ex electione, & ex paſſione.

Tres ipſorum cauſſæ culpabiles.

Ex omiſſione primo cauſſatur defectus rationis, quando videlicet quis habet circa veritatem ignorantiam vel errorem, ex eo, quod omittit ſcire vel cognoſcere aliquid, quod poteſt & debet ſcire, quia tunc eſt peccatum defectus talis rationis. Unde Auguſtinus: *Illis omnino ignoſci non poterit, qui a quo diſcerent, copiam habentes, operam non dederunt*, Diſt. 37. can. final.

Secundo cauſſatur defectus rationis in cognoſcendo veritatem ex electione, quando quis affectat & eligit neſcire, quod debet ſcire & poteſt, ut liberius & licentius peccet, & talis defectus rationis aggravat peccatum, de quo Pſalmiſta: *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

Tertio defectus rationis circa cognitionem veri cauſſatur ex paſſione. Sed hic notandum, quod paſſio non abſorbet rationem in univerſali, ſed in particulari. Unde quia voluntas ſequitur judicium rationis, ſicut ratio peccat ex aliqua paſſione judicando, hoc eſſe bonum, quod non eſt bonum; ita voluntas peccat in eligendo, quando ſcilicet voluntas ex defectu rationis bonum aliquod eligit, quod non debet: v. g. accipiantur & proponantur tria, duo univerſalia & unum particu-

ticulare. Et primum eſt iſtud : Nulla fornicatio eſt committenda. Hoc judicium rationis in univerſali eſt perfectum, eo quod in univerſali ratio numquam errat vel peccat. Secundo proponatur alia univerſalis, hæc ſcilicet : Omnis fornicatio eſt delectabilis. In hoc etiam eſt perfectum judicium rationis. Tertio ex his duobus propoſitionibus enumerabilibus accipiatur una particularis, ſcilicet hæc : Accedere ad hanc mulierem eſt fornicatio. Tunc enim ſi ratio fuerit adeo fortis, ut nec etiam in particulari paſſione vincatur, erit recta electio concluſionis. Tunc enim continens eliget iſtam concluſionem negativam, particularem, veram, ſcilicet fornicationem non committere. Sed ſi ratio fuerit debilis, adeo ut a paſſione vincatur, erit perverſa concluſionis electio, puta dicet incontinens fornicationem delectare, & ſic ad hanc mulierem accedere ; & ita erit peccatum in ratione. Hoc autem per exemplum probatur de ebrioſo. Sicut enim ebrioſus poteſt proferre verba ſapientiæ in communi, quæ tamen intellectu in particulari non cæpit ; ſic ille, qui eſt paſſionibus ſubditus vel ligatus, licet habeat rationem ; non tamen verum judicium rationis, cujus ſcilicet eſt dirigere interiores vires vel paſſiones & exteriora membra. Sciendum tamen, quod motus illicitos non reprimit ratio, poſtquam deliberavit per ipſam rationem, quia motus paſſionum inſurgentes ſunt inordinati ; ſi circa tales motus illicitos immoratur, & non expellit, ſemper peccat. Et ratio hujus eſt, quia hujuſmodi paſſionibus & inordinatis motibus membrorum exteriorum per actum proprium rationis & voluntatis poteſt occurrere & obviare ; & ideo ſi non facit, peccat, quia hoc eſt hujuſmodi aſſentire & ei placere. Raynerius poſt Thomam in 2. ſententiarum.

In ratione poteſt eſſe peccatum.

§. III. Quantum ad tertium principale, ſcilicet gradum vel reatum, quo intenduntur ratio inferior & ſuperior, notandæ ſunt tres concluſiones.

Prima eſt, quod in utraque ratione, ſcilicet ſuperiori & inferiori, poteſt eſſe peccatum. Quod ſic probatur, quum voluntas deordinatur ex falſo judicio, vel ex falſa deliberatione rationis per rationes divinas, ex qua rationis deordinatione & falſa deliberatione ſequitur electio prava; tunc eſt peccatum in ratione ſuperiori : v. g. ſi dicatur ſic : Omne prohibitum lege Dei eſt vitandum. Ex hac deliberatione rationis hæreticus dicet : Omne juramentum a Deo eſt prohibitum ; ergo eliget & permittet ſe potius mori, quam juret. Et ſic voluntas ejus deordinatur per falſum & inordinatum judicium rationis ſuperioris. Similiter in ratione inferiori poteſt eſſe peccatum, quum videlicet voluntas deordinatur ex falſo judicio vel falſa æſtimatione, ratione temporalium & creaturarum ; ſicut v. g. ſi quis poſt deliberationem judicet omnem delectationem eſſe proſequendam & conſiderans fornicationem eſſe delectabilem, concludat eam eſſe proſequendam, tunc eſt peccatum in ratione inferiori.

Mortale & veniale poteſt eſſe in ratione ſuperiori.

Secunda concluſio eſt, quod in ratione ſuperiori poteſt eſſe peccatum mortale, & veniale ; Habet enim ratio duplicem actum, ſcilicet ſubitum & deliberatum, & quantum ad actum ſubitum non eſt ibi mortale. Et ratio hujus eſt, quia contingit hoc ex ſurreptione mentis ante judicium rationis : v. g. apprehendit aliquis ſubito per rationem aliquid eſſe tamquam impoſſibile circa fidem, ut Deum eſſe æternum vel eſſe trinum & unum; tunc ſi antequam ratio advertat hoc eſſe contra mandatum Dei, dicat Deum non eſſe trinum & unum, non eſt mortale, ſed veniale. Quantum vero ad actum ſecundum rationis, ſcilicet deliberatum, poteſt eſſe in ratione ſuperiori & mortale & veniale. Nam poſtquam per deliberationem rationis percepit aliquid eſſe præceptum Dei, puta quod credatur Deum eſſe trinum & unum, ſi diſcernendo diſcedat ab hoc præcepto, erit mortale. Sed ſi ratio ſuperior poſt deliberationem, quia percipit, quod occurrit agendum non eſſe contra legem Dei, ſed præter, eſt veniale peccatum ; ſicut verbum otioſum & hujuſmodi ; & tunc in ratione ſuperiori eſt veniale. Et hoc niſi illud, quod ex ſe eſt veniale, deliberate paratus eſſet facere, etiam ſi eſſet contra præceptum. Nam tunc tale facere vel ad hujuſmodi conſentire eſſet mortale.

Et in inferiori.

Tertia concluſio eſt, quod in ratione inferiori, quandoque eſt mortale quandoque eſt veniale. Ratio hujus eſt, quia quum inferior ratio circa inferiora non habeat niſi actum deliberatum ; ſi quis conſentit in id, quod eſt veniale ex genere, puta mendacium jocoſum & hujuſmodi, erit veniale. Sed ſi conſentiat in id, quod ex ſuo genere eſt mortale, ut in furtum, rapinam, uſuram & hujuſmodi, erit mortale. Raynerius poſt Thomam in 2. Sententiarum.

Ligatio rationis cauſatur ex quinque. Et quando inculpabilis, quando autem cum culpa.

Et nota, quod ligatio rationis poteſt cauſſari ex quinque. Primo ex nativitate, ſicut illi, qui naſcuntur amentes, & per totam vitam numquam habuerunt lucida intervalla. Et tales quidquid operentur de genere malorum vel bonorum, non imputatur eis ad meritum vel demeritum : hujus ratio eſt, quod, quia ſicut non ſunt compotes rationis, ita nec habent uſum propriæ voluntatis; & his poteſt dari baptiſmus & utiliter, ſed non alia ſacramenta & ſchriſma.

Ligatur ſecundo ratio ex infirmitate ſuperveniente, ut furia, amentia, phreneſi, & hujuſmodi. Et ſi talis infirmitas impediat judicium rationis ſecundum omne tempus, ita quod numquam habeat lucida intervalla, ſi ipſa accidit infirmitas ſine ulla culpa ſua præcedenti ; tunc excuſatur omnino in his, quæ facit de genere malorum, etiam & a pœna temporali : argmentum ad hoc 15. quæſt. 1. *Aliquos*. Sed ſi non impedit infirmitas judicium rationis ſecundum omne tempus, quin habeat lucida intervalla, non excuſatur, immo gravius inculpatur in malis, ſi in illam infirmitatem incidit ex culpa ſua ; ſed ſi ſine culpa ſua, tunc excuſatur.

Tertio cauſſatur ligatio rationis ex dormitione; & ideo quidquid accidat in ſomno ſive pollutio ſive aliquid aliud, de ſe non eſt peccatum. Ratio hujus eſt, quia ibi eſt ligatum judicium rationis & arbitrium voluntatis, ex quibus peccat homo, & meretur: de hoc plene infra in 3. parte.

Contingit quarto ligatio rationis ex turbatione ſeu ſtupore, ſicut fuit in Loth, quando turbatus de ſcelere Sodomitarum, quod perpetrare volebant in hoſpites ſuos, voluit flagitium flagitio commutare, offerendo filias commiſtioni, ne illi paterentur injuriam, ut patet Geneſ. 19. Ubi notandum quod in Loth fuit duplex voluntas. Una rationis vel deliberationis, qua voluit hoſpites ab injuria liberare, & hæc eſt commendanda & imitanda. Alia fuit ex perturbatione & ſurreptione, quia filias crimini voluit exponere; & hæc eſt aliqualiter excuſanda, ſed non imitanda. Et quia in Loth fuit turbatio in ſenſualitate, non in ratione deliberata, ſed ſubitus motus fuit in eo; ideo peccatum fuit veniale. Aliqui tamen dicunt, quod peccavit mortaliter.

Quinto contingit ligatio ex ebrietate. Et ſi ebrietas accidat ex excedenti & libidinoſa potatione

tione vel adverteater, eſt ibi & pœna, & culpa, & cauſſa culpæ, quæ in ebrietate committitur. Sicut accidit Loth, quando inebriatus fuit a filiabus ſuis, Geneſ. 19. Raynerius poſt Thomam in ſumma.

CAPUT IX.

De ſyndereſi.

SYnderesis non eſt potentia animæ, ſed quidam habitus. Circa quam tria poſſunt conſiderari, ſcilicet quidditas, impeccabilitas, & inexſtinguibilitas.

Et quantum ad primum ſciendum, quod ſyndereſis eſt quidam connaturalis habitus, ſive connaturale lumen, cujus actus vel officium eſt homines retrahere a malo, murmurando contra peccatum, & inclinare ad bonum. Quod autem in nobis ſit iſtud lumen, ſcilicet ſyndereſis, probatur ſic: Sicut enim in anima noſtra eſt aliquis habitus, vel aliquod lumen reſpectu cognoſcibilium, quem habitum vocamus intellectum principiorum, ſcilicet lumen intellectus agentis; ita in anima noſtra eſt quidam habitus naturalis, ſive quoddam lumen naturale principiorum operabilium: quæ ſunt univerſalia principia juris naturalis, quod ſcilicet lumen vocamus ſyndereſim, quæ omni malo reſiſtit, & omni bono conſentit. Unde Auguſtinus in lib. de Baptiſmo parvulorum diffiniens ſyndereſim, dicit ſic: *Syndereſis eſt lumen innatum & animæ concreatum, quo dirigimur & movemur ad faciendum ea, quæ pertinent ad juſtificationem culpæ & pœnæ, & adeptionem gloriæ.* Hanc Baſilius appellat naturale judicatorium, ita quod ſyndereſis eſt naturale lumen rationis, quo reſiſtimus omni malo, & aſſentimus naturaliter omni bono.

Quid ſit ſyndereſis.

Ratio animæ tria facit.

Pro cujus declaratione ſciendum, quod ratio animæ habet tria facere, ſcilicet cognoſcere, deliberare, & judicare. Primo enim eſt cognoſcitiva operabilium, & ratio non eſt ſyndereſis. Cujus ratio eſt, quia in cogitatione boni vel mali ut ſic, non conſiſtit meritum vel demeritum; in ſyndereſi autem ſic. Secundo modo ratio eſt deliberativa operabilium, & talis etiam ratio non dicitur ſyndereſis. Cujus ratio eſt, quia ſecundum cognitionem deliberativam contingit peccare; ſyndereſis autem peccare non poteſt. Tertio modo ratio eſt judicativa operabilium: & hoc duobus modis, videlicet vel operabilium, quæ ad mores non ſpectant, & talis ratio non eſt ſyndereſis; vel credibilium aut operabilium, quæ pertinent ad bonos mores; & tale lumen naturale rationis dicitur ſyndereſis.

Item nota, quod licet ſyndereſis naturaliter inclinet ad bonum, non tamen in opus meritorium ex puris naturalibus ſine gratia Dei. Item liberum arbitrium non eſt idem, quod ſyndereſis, quia liberum arbitrium habet judicium de particulari operabili; ſyndereſis autem de operabili judicat in univerſali. Sed nec ſyndereſis eſt idem, quod conſcientia; quia conſcientia recipit errorem & perturbationem, non autem ſyndereſis. Tamen conſcientia ex parte ſuperiori ſecundum rem reducitur ad ſyndereſim. Thomas in 1. parte quæſt. 79. art. 12. Et in quæſtionibus de veritate. Et Alexander in 2. parte ſummæ, Raynerius.

Syndereſis peccare non poteſt.

Quantum ad ſecundum, ſcilicet impeccabilitatem, ſciendum, quod ſyndereſis peccare non poteſt triplici ratione, ſcilicet oppoſitionis, operationis & imitationis. Et primo ratione oppoſitionis probatur ſic: Syndereſis & fomes opponuntur, eo quod contrarias inclinationes habent: ſed fomes ſemper inclinat ad malum; ergo ſyndereſis ſemper inclinat ad bonum. Secundo, ſcilicet ratione naturalis operationis, probatur ſic: Quod naturaliter ineſt, ſemper ineſt: ſed naturale eſt ſyndereſi, quod remurmuret, & reſiſtat peccato, quod eſt contrarium ad conſentire peccato; ergo numquam in malum conſentit, & per conſequens numquam peccat. Tertio, ſcilicet ratione imitationis, ſic probatur: Syndereſis reſpicit & imitatur ſuperiorem partem rationis, ſicut fomes inferiorem: ſed pars ſuperior rationis peccare non poteſt; ergo nec ſyndereſis. Thomas in quæſtionibus de veritate. Raynerius.

Syndereſis an exſtingui poſſit.

Circa tertium, ſcilicet ejus inexſtinguibilitatem, ſciendum, quod ſyndereſis quantum ad ejus effectus, qui ſunt inclinatio ad bonum & diſplicentia mali culpæ; quum quæritur utrum poſſit exſtingui, ſciendum, quod hæc exſtinctio poteſt intelligi quadrupliciter. Primo ex parte habitualis luminis; & ſic non poteſt ſyndereſis exſtingui, quia ſicut impoſſibile eſt, quod anima privetur lumine intellectus agentis, per quod hujuſmodi ſpeculabilia & operabilia innoteſcunt, quum ſint de eſſentia animæ; ita impoſſibile eſt quod anima privetur lumine ſyndereſis, quum ſit de natura ipſius animæ. Secundo modo poteſt intelligi ſyndereſis exſtingui ex parte organicæ læſionis; & hoc modo non corrumpitur, ſed aliquando exſtinguitur, ideſt intercipitur actus ejus in non habentibus uſum liberi arbitrii, vel in non habentibus uſum rationis propter impedimentum, proveniens ex læſione organorum corporalium, a quibus ratio noſtra indiget accipere. Tertio modo poteſt intelligi exſtingui ex parte paſſionis; & hoc modo non in univerſali, ſed in particulari: actus ſyndereſis reſpectu particularis eligibilis & operabilis exſtingui poteſt. Quod patet, quia vis concupiſcentiæ vel alterius paſſionis, ita rationem in particulari abſorbet, ut in eligendo ſyndereſis univerſale judicium ad actum particularem non applicet. Quarto modo poteſt intelligi hæc exſtinctio ex parte criminis; & ſic ille, qui habet habitum alicujus vitii, eſt quidem corruptus circa principia operabilium, non quidem in univerſali, ſed in particulari operabili, in quantum ſcilicet per habitum vitii deprimitur ratio, ne univerſale judicium applicet ad particulare operabile. Et ſic dicitur exſtingui in tali lumen ſyndereſis, ut ſcilicet non ſequatur in eligendo. Thomas in quæſt. de veritate quæſt. 16.

Omnis inclinatio ad malum removetur in beatis, non autem ſyndereſis inclinans ad bonum.

Et ſciendum, quod licet in beatis removeatur omnis inclinatio ad malum; non tamen per contrarium amovetur in damnatis ſyndereſis inclinans ad bonum. Cujus ratio eſt, quia malum eſt præter naturam; & ideo nihil prohibet inclinationem ad malum a beatis removeri, quum etiam fomes accidentaliter ſit in anima, & poſſit exſtingui per gratiæ excellentiam, ut in B. Virgine. Sed bonum & inclinatio ad bonum conſequitur ipſam naturam, & ſyndereſis naturaliter eſt in anima. Unde natura manente non poteſt inclinatio ad bonum tolli etiam a damnatis, ſcilicet quantum ad iſtum actum, & naturalem inclinationem & appetitum ad bonum. Eſt autem ſyndereſis abſolute exſtincta in diabolo & damnatis quantum ad iſtud, ſcilicet actum boni meritorii, & diſplicentiam mali culpæ. Sed in collatione ad pœnam non eſt exſtincta ſyndereſis in diabolo & damnatis. Unde Iſaiæ ult. *Vermis eorum non morietur. Vermis eorum* eſt remorſus conſcientiæ ſecundum Auguſtinum: ſed remorſus conſcientiæ cauſſatur ex hoc, quod ſyndereſis remurmurat a malo ratione pœnæ; ergo ſyndereſis non exſtinguetur in damnatis. Hæc Alexander in 2. parte ſummæ, quæſt. 57. Raynerius.

CAPUT X.

De conſcientia.

§. I. CONſcientia non eſt proprie potentia, quia conſcientia deponi poteſt; potentia autem deponi non poteſt. Nec eſt etiam habitus, quia tunc non eſſet unum quid, ſed multa: per multos enim habitus cognoſcitivos dirigimur in agendis; tamen aliquando ſumitur pro potentia. Unde Origenes dicit, quod conſcientia eſt ſpiritus, corrector & pedagogus animæ ſociatus: & ſumitur ibi ſpiritus pro mente ſeu ratione. Et ſic conſcientia dicitur ſpiritus, in quantum eſt quoddam dictamen mentis, quia etiam habitus eſt principium actus; ideo nomen conſcientiæ attribuitur aliquando primo habitui naturaliter, ſcilicet ſyndereſi. Sicut Hieronymus ſuper Ezechielem, conſcientiam ſyndereſim vocat. Sed conſcientia proprie eſt actus. Nec obſtat, quod dicitur ad Tit. 1. de quibusdam, quod *ſunt inquinatæ eorum mens & conſcientia*; actus autem non eſt ſubjectum inquinationis. Inquinatio autem dicitur eſſe in conſcientia non ſicut in ſubjecto, ſed ſicut cognitum in cognitione, in quantum ſcilicet aliquis ſcit ſe eſſe inquinatum. Thomas in 1. parte quæſt. 69. artic. 13.

Quid eſt conſcientia ſecundum Origenem.

Habet autem ortum conſcientia ex naturali judicio rationis, quod dicitur lex intellectus, & ab eo eſt deducta & derivata ut quædam concluſio, v. g. fit in animo vel in mente hominis quaſi quidam ſyllogiſmus, cujus majorem præmittit ſyndereſis dicens, omne malum eſſe vitandum. Minorem vero hujus ſyllogiſmi aſſumit ratio ſuperior dicens, adulterium eſſe malum, quia prohibitum eſt a Deo. Ratio vero inferior dicit, adulterium eſſe malum, quia vel eſt injuſtum, vel quia eſt inhoneſtum. Conſcientia vero infert concluſionem dicens & concludens ex ſupradictis: Ergo adulterium eſt vitandum. Propterea dicitur conſcientia quaſi concludens ſcientia, eo quod conſcientia ratione ſupradictorum, ſcilicet ſyndereſis, rationis ſuperioris, & rationis inferioris concluſionem infert. Thomas in 2. Sententiarum, Diſt. 24.

Conſcientia eſt facies animæ.

Conſcientia dicitur facies animæ juxta illud Matth. 6. *Faciem tuam lava*, ideſt conſcientiam maculis peccatorum fœdatam. Et dicitur conſcientia facies ratione diverſificationis; quia ſicut inter tot homines non eſt dare duas facies omnimode ſimiles, quod mirum eſt; ita nec duas conſcientias omnino ſimiles, ideſt in omnibus idem ſentientes. Secundo ratione denudationis, quia ſicut facies numquam cooperitur, etſi omnia alia aliquando cooperiantur, ita conſcientia cooperiri non poteſt. *Libri ſunt aperti*, Dan. 7. Tertio ratione diſpoſitionis; quia ſicut ſecundum quod quis eſt effigiatus in facie, vel componit faciem, comprehenditur de diſpoſitione interiori; ita ſecundum opera converſationis alicujus cognoſcitur de probitate vel malitia: Eccleſiaſt. 19. *Ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus.* Eſt tamen triplex facies ſpiritualis, ſcilicet rationalis, quæ eſt conſcientia, pſal. 79. *Oſtende faciem tuam*, non leoninam vel vulpinam & hujuſmodi: ſalutaris, quæ eſt humanitas Chriſti & converſatio ejus, pſal. 83. *Reſpice in faciem Chriſti tui.* In hac ſunt omnes ſenſus, ideſt omnes gratiæ congregatæ: Heſter 15. *Facies tua, Domine, plena eſt omnium gratiarum.* Divinalis, quæ eſt Dei eſſentiæ clara notitia: 1. Cor. 13. *Videbimus tunc facie ad faciem.* Hanc triplicem faciem notat pſal. 26. ibi: *Exquiſivit te facies mea*, quoad primam: *faciem tuam, Domine, requiram*, quoad ſecundam: *ne avertas faciem tuam a me*, quoad tertiam.

Triplex facies ſpiritualis.

§. II. Circa conſcientiam videnda ſunt tria, ſcilicet ſignificatum, actum & effectum.

Quid ſignificat conſcientia.

Quantum ad primum, ſciendum, quod conſcientia ſignificat applicationem noſtræ notitiæ, ſeu cognitionis ad aliquem actum particularem. Unde Hugo in libro ſecundo de anima diffiniens eam ſic ait: Conſcientia eſt cordis ſcientia. Unde dicitur conſcientia quaſi cum alio ſcientia. Et ſubdit: Cor enim & ſe novit ſua ſcientia, & multa alia. Quando enim ſe novit, appellatur conſcientia, quando præter ſe alia noſcit, appellatur ſcientia.

Applicatur autem noſtra notitia vel cognitio ad aliquem actum particularem tribus modis. Primo ſecundum quod cognoſcimus, conſideramus, an aliquis actus ſit factus vel non. Ut quum dicitur in communi uſu loquendi, hoc non eſt factum de conſcientia mea, ideſt neſcio, vel neſcivi an hoc eſſet factum: ſecundum quod dicitur Gen. 43. *Non eſt in conſcientiis noſtris, quis poſuerit pecuniam in ſaccis noſtris:* vel etiam applicatur ſcientia vel cognitio noſtra ad aliquod, quod ſit factum, ſecundum quod dicitur Eccleſiaſtes 7. *Scit conſcientia tua, quod tu crebro maledixiſti aliis.*

Secundo applicatur ſcientia vel cognitio noſtra, videlicet an actus factus ſit rectus vel non, ſecundum quod judicamus hoc, quod factum eſt, eſſe bene factum vel non bene factum.

Tertio modo applicatur ſcientia & cognitio noſtra ad aliquem actum, an ſit fiendum, vel non, ſecundum quod per ſcientiam judicamus, an aliquid ſit fiendum, vel non fiendum.

Conſcientia tres habet actus.

§. III. Secundum hæc poteſt conſiderari triplex officium, ſeu actus conſcientiæ; & ſic patet, quod conſcientia importat triplicem actum. Primus eſt teſtificari. Secundus eſt accuſare. Tertius eſt ſolvere vel ligare

Primus igitur actus conſcientiæ eſt teſtificari in præterito, in quantum conſcientia perhibet teſtimonium, ſicut illud, in quo eſt ſcriptum aliquid; illud teſtificatur, ſive bonum ſit ſive malum. Unde Apoſt. Rom. 2. *Teſtimonium illis reddente conſcientia eorum*, & Auguſtinus: *Quando Deus judex erit, alius teſtis, quam conſcientia tua non erit. Inter juſtum judicem, & conſcientiam tuam noli timere, niſi cauſſam tuam*, 11. quæſt. 3. *Cuſtodi.* Dicitur autem conſcientia eſſe teſtis factorum vel non factorum, in quantum conſcientia retinet illud, contra quod voluntas facit quaſi voluntatem accuſans de eo, quod ſibi non obedivit; & ſic conſcientia habet virtutem dictaminis. Dictat enim conſcientia, an aliquid ſit factum vel non. Iſtud autem dictamen nil aliud eſt, quam perventio præcepti divini ad eum, qui habet conſcientiam. Secundus actus ſeu officium conſcientiæ eſt accuſare & excuſare, reprehendere & remordere de malo commiſſo, & bono omiſſo. Unde Apoſtolus Rom. 2. *Cogitationibus inter ſe invicem accuſantibus, aut defendentibus in die judicii* &c. * Auguſtinus: *Quem conſcientia defendit, liber eſt inter accuſationes, & liber ſine accuſatione eſſe non poteſt, ſi ſola, quæ intus adjicit conſcientia, accuſet*, 11. quæſt. 3. *In cunctis.* Iſte actus ſecundus poteſt dici examinatio, in quantum conſcientia examinat, quæ jam facta ſunt, an ſint recta vel non recta, an bene facta vel male facta, & quando per examinationem invenitur id, quod factum eſt, diſcordare a conſcientia, a qua examinat, dicitur conſcientia remordere vel accuſare. Quando invenitur illud, quod factum, eſt proceſſiſſe ſecundum formam conſcientiæ vel ſcientiæ: dicitur conſcientia defendere & excuſare.

* lege *S. Gregorius.*

Tertius actus conſcientiæ eſt ligare vel ſolvere: nam conſcientia obligat ad peccatum, quia omne illud, quod fit contra conſcientiam, etiamſi ſit bonum,

num, peccatum est. Unde Apostolus Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Super quo verbo Ambrosius in glossa: Omne, quod fit, etiam si in se, & de se sit bonum, & tamen non sit ex fide, idest contra conscientiam, ut scilicet credamus esse malum; peccatum est: & 28. quæst. 1. *Omne*, §. sequenti dicitur: *Omne, quod contra conscientiam est, ædificat ad gehennam.* Ubi dicit glossa & bene: *Contra conscientiam*, scilicet præcepti vel prohibitionis. Hoc est proprie facere contra conscientiam, idest facere contra illud, quod conscientia dictat esse in præcepto vel prohibitione. Facere autem aliquid, quod conscientia dictat esse veniale, non est nisi veniale, nisi illud de se esset mortale. Et hoc est facere non contra, sed præter conscientiam. Et iste actus tertius conscientiæ dici potest consiliatio. Nam ad conscientiam pertinet de agendis consiliari. Et quum perconsilium invenitur, an aliquid sit faciendum; secundum hoc conscientia dicitur instigare vel ligare. Quum autem per consilium conscientia invenit, quod non sit faciendum aliquid, quod occurrit; tunc conscientia dicitur absolvere vel retrahere; & sic conscientia habet virtutem ligaminis, in quantum constringit voluntatem, ut non possit sine nocumento deformitatis culpæ in aliud tendere, quam ratio vel conscientia judicat: sicut ligatus corporaliter necessitatem habet consistendi in loco, ubi est ligatus. Raynerius.

Notula pro conscientiæ notitia.

Quid sit facere contra conscientiam.

Præter cõscientiam.

Circa effectum conscientiæ tria possumus considerare, scilicet defectum deviationis, idest quomodo conscientia errat; modum obligationis, scilicet quomodo ligat; diversum consecutionis, scilicet quomodo sequitur magna consolatio ex conscientia, si est recta, & econtra afflictio, si est mala.

Quantum ad primum sciendum, quod conscientia errat duobus modis, scilicet ex falsa assumtione, & ex falsa applicatione. Et primo ex falsa assumtione, puta quando aliquis assumit aliquod malum vel falsum tamquam bonum vel tamquam verum: v. g. ut iis, qui occidebant Apostolos, dictabat conscientia, quod ex hoc placerent Deo: Joann. 16. *Venit hora, in qua omnis, qui interficit tuos, arbitretur obsequium se præstare Deo*, vel dum synderesis dicit: Omne prohibitum a Deo esse vitandum. Conscientia autem fundatur in hoc, quod juramentum sit a Deo prohibitum; & ideo falso credit illud esse vitandum, quum ante permittat se mori, quam juret, sicut facit hæreticus.

Conscientia errat duobus modis.

Secundo errat conscientia ex falsa applicatione, sicut quum ex aliquibus veris aliqua conscientia erronea formatur: v. g. ut ex hoc, quod Deus est super omnia diligendus, aliquis format sibi hanc conscientiam, scilicet quod nihil potest simul diligi cum eo, sed tantum Deus. Quædam enim conclusiones sunt, in quibus ita relucent prima principia operandorum, quod circa ea conscientia errare non potest: sicut Deum non esse diligendum, malum scienter esse faciendum, & hujusmodi. Et quædam alia sunt, circa quæ errare potest & errat, ut ex dictis patet. B. Thomas in quæstionibus de veritate, quæst. 17. Exemplum etiam potest poni de eo, qui facit id, quod habet speciem mali, licet non sit malum, existimans sibi sufficere intentionem bonam, quam habet, non curans de scandalo proximi. Sicut faciebant quidam in Ecclesia primitiva fideles, qui comedebant idolothytum, licet non in veneration idoli; tamen coram simplicibus, qui in-

A de scandalizabantur illos imitantes, sed in venerationem idoli, quod æstimabant alios facere, quos reprehendit Apostolus, Rom. 14. Unde Augustinus: *Conscientia nostra nobis necessaria est propter nos; propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis .... Duæ res sunt conscientia & fama. Conscientia est necessaria tibi, fama proximo tuo. Qui confidens conscientiæ negligit famam suam, crudelis est*, 12. quæst. 1. *Nolo.*

Ad majorem evidentiam prædictorum nota, quod error conscientiæ causatur ex septem causis.

Error conscientiæ ex septẽ causis provenit.

Primo ex ignorantia: ex eo enim, quod ratio apprehendit malum sub ratione boni, & bonum sub ratione mali, sequitur error in conscientia & peccatum in voluntate. Et ignorantia quidem, si sit juris naturalis vel divini, nullum excusat habentem usum rationis. Ignorantia autem juris canonici vel civilis quando excusat, vel non, habetur 1. quæst. 4. *Turbatur*, paragrapho penultimo in textu & glossa.

Secundo error conscientiæ causatur ex negligentia. Sicut quum aliquis propter laborem vel alias occupationes negligit addiscere, vel ab aliis quærere & scire illud, per quod a peccato retraheretur; tunc ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, propter talem negligentiam est voluntaria. Unde voluntas concordans conscientiæ erranti ex negligentia sciendi, ad quod tenetur, est mala. Et ideo Augustinus dicit: *Illis omnino ignosci non poterit, qui habentes, a quo discerent, operam non dederunt*, Dist. 37. can. fin.

Errores ex concupiscẽtia.

Tertio error conscientiæ causatur ex nimia vel inordinata sui benevolentia. Ex eo enim, quod aliquis nimis seipsum diligit, inclinat & præcipitat conscientiam ad illud, quod appetit; & sic eam a sua rectitudine facit declinare. Unde Seneca: Perit omne judicium, quum res transierit in affectum. Talis conscientia diligentis nimis seipsum est nimis larga; & ideo cavenda, quia facit hominem præsumtuosum: dicens malum esse bonum, [1] salvat damnandum.

Quarto error conscientiæ causatur ex cordis pusillanimitate, qua quis timet non timenda secundum rectum judicium rationis, juxta illud psal. 13. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*, idest causa rationabilis timendi: & talis conscientia eo nimis stricta, &, ut dicit Hostiensis, magis scrupulosa est & erronea, quam theologica; & ideo vitanda, quia multum periculosa. Nam facit de bono malum, de festuca trabem, idest de levi peccato grave, generat desperationem, damnat salvandum. Unde & deponenda est ad consilium alterius.

Conscientia nimis scrupulosa est vitanda.

Quinto error conscientiæ cauffatur ex superbia, scilicet quando quis non humiliat intellectum suum, ut velit melioribus, prudentioribus, & superioribus credere. Nam conscientiam in indifferentibus tenetur secundum discretionem prælati formare. Quamvis enim in his, quæ sunt præcepta vel prohibita a Deo, conscientia recta plus obliget, quam præceptum superioris, eo quod obligat virtute præcepti divini, quod est majus præcepto prælati; unde in talibus conscientia recta est judex immediate sub Deo, ita quod nullum habet judicem supra se alium a Deo; in indifferentibus tamen præceptum prælati plus obligat quam conscientia; & sic conscientia subditi in hujusmodi non solum Deum, sed etiam prælatum habet supra se; & ideo secundum discretionem prælati formari debet. Nam subditus non

In quibus magis obediẽdũ est Prælatis, in quibus non, vide inf. §. 4. in fine.

[1] *Salvat damnandum*, idest persuadet licitum esse, quod ceteroquin in se *damnandum* est. Contrario prorsus sensu paullo post de scrupulosa erronea conscientia dicitur, quod *damnat salvandum*; ob scrupulos enim leviter injectos persuadet damnabile esse, quod licitum est, atque *salvandum*.

non habet judicare de præcepto prælati, ſed de impletione præcepti, quæ ad ſeipſum ſpectant. Hæc Thomas in quæſtionibus de veritate. Unde ſæculares ſequi debent ſententiam prælatorum in his, quæ ad cathedram ſpectant, juxta illud Matthæi 23. *Quæcumque dixerint vobis, facite*. Religioſi tenentur ſequi ſententiam prælatorum vel mandatorum eorum in his, quæ non ſunt contra Deum, vel contra regulam, vel contra conſtitutiones vel contra ordinationes capituli generalis. Cavere tamen debent prælati, ne indiſcrete præcipiant propter periculum conſcientiarum ſubditorum. Alex. 2. parte ſummæ arg. ad hoc 11. quæſt. 3. *Si is, qui præeſt*, & cap. *Quid ergo mirum*.

Religioſi obedientia qualis.

Sexto cauſſatur ex conſcientiæ perplexitate, ideſt ex quadam dubietate, ex qua quidquid fiat, ſequitur inevitabilitas vel neceſſitas peccandi: puta quum videt ſe quis inter duo operabilia poſitum, quorum alterum oportet agere, & quodcumque fecerit, impoſſibile eſt non peccare. Super quo dicitur ex Concilio Toletano: *Duo mala licet omnino cautiſſime ſint præcavenda, tamen ſi periculi neceſſitas unum ex his perpetrare compulerit, id debemus reſolvere, quod minori nexu noſcitur obligare*, Diſt. 13. can. 1. Sed hæc perplexitas quantum ad rem nihil eſt, ut dicit ibi gloſſa ſummaria. Nec eſt verum, quod aliquis poſſit eſſe perplexus inter duo mala; ſed hoc procedere poteſt ex ſtulta opinione ipſius & erronea conſcientia, vel ex præſumtione alicujus, in quo vult manere firmus: puta juravit aliquis occidere hominem: format ſibi conſcientiam, licet erroneam, quod ſi non occidit perjurat, ſi occidit, homicida eſt; & ſic eſt perplexus ex fatua æſtimatione: nam & non occidendo perjurus non eſt. Et ſecundum hanc perplexitatem dicitur in illo canone, quod minus malum eligendum eſt. Item tenetur quilibet communicare in Paſchate. Aliquis habens odium non vult dimittere, & hoc præſuppoſito eſt perplexus; quia ſi communicat cum odio, peccat mortaliter, & ſi non communicat, ſimiliter. Sed dimittere poteſt & debet odium; & ſic non eſt perplexus ſimpliciter.

Perplexa conſcientia quæ ſit.

Re ipſa nulla eſt perplexitas, ſed ex errore.

Septimo cauſſatur error conſcientiæ ex humilitate & cordis puritate. Unde Gregorius: *Bonarum mentium eſt, ibi culpas agnoſcere, ubi culpa non eſt*, D. ſt. 5. *Ad ejus*. Ubi dicit gloſſa: *Agnoſcere*, ideſt timere. Non autem debet quis ſe culpabilem dicere, ubi non eſt ſecundum ſui æſtimationem, quia hoc pertineret ad mendacium & ironiam. In primis ſex modis error conſcientiæ ſemper eſt reprehenſibilis, & voluntas ſequens conſcientiam errantem ſemper mala. Septimo autem modo eſt laudabilis: cujus ratio eſt, quia ad bonitatem mentis pertinet, ut homo ad juſtitiæ perfectionem tendat; & ideo in culpam reputatur, non ſolum ſi deficit a communi juſtitia, quod vere eſt culpa, ſed etiam ſi deficit a perfectione juſtitiæ, quod quandoque culpa non eſt.

Quomodo conſcientia ligat.

§. IV. Quantum ad ſecundum, videlicet modum obligationis, ſeu quomodo conſcientia ligat; nota, quod conſcientia non obligat in virtute propria, ſed in virtute præcepti divini. Quod patet, quia non dictat aliquid eſſe faciendum vel non faciendum hac ratione, quia ſibi videtur, vel non videtur; ſed ſub hac ratione, quia eſt a Deo præceptum, vel prohibitum, ut dicit B. Thomas in 2. ſent. Diſt. 39. Nullus autem ligatur per præceptum aliquod, niſi mediante ſcientia, vel notitia illius præcepti. Et ideo ille, qui non eſt capax notitiæ præcepti, non ligatur præcepto. Nec aliquis ignorans præceptum Dei ligatur ad præceptum faciendum, niſi quatenus tenetur ſcire præceptum. Si autem non tenetur ſcire, nec ſcit, nullo modo ex præcepto ligatur. Tenetur autem ſcire quilibet habens uſum rationis præcepta Dei, nec excuſatur non faciendo illud ex ignorantia. Et ſic eadem virtus eſt, qua præceptum ligat, & qua conſcientia ligat, quum præceptum non liget niſi in virtute ſcientiæ, vel notitiæ. Nec ſcientia vel notitia præcepti ligaret, niſi per virtutem præcepti. Unde quum conſcientia nil aliud ſit, quam applicatio ſcientiæ vel notitiæ ad actum; conſtat, quod conſcientia dicitur ligare in virtute divini præcepti. Ideo ſi aliquid apprehendatur a dictamine rationis ut directe cadens ſub præcepto, mortaliter peccat, & omittens illud, quod conſcientia dictat, etiam ſi de ſe ſit veniale. Si autem non apprehendatur ut directe cadens ſub præcepto vel prohibitione; tunc non ſit directe contra conſcientiam, ſed præter conſcientiam; & ita non peccatur mortaliter, ſed venialiter, vel etiam nullo modo, ſicut quando conſcientia dictat alicui, quod bonum eſt, facere aliquod opus conſilii; ſi non faciat, non peccat, quia non apprehendit illud ut bonum debitum & neceſſarium ad ſalutem. * Gregorius: *Ubi conſilium datur, offerentis eſt arbitrium: ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervientis*, 14. quæſt. 1. *Quiſquis præceptis*. Et ſic aliud eſt facere contra conſcientiam, quod eſt mortale ſemper: aliud præter conſcientiam, quod eſt veniale, vel nullum.

* *Lege* Hieronymus.

Contra & præter conſcientiam.

Ligare autem dicitur conſcientia non quidem per modum coactionis, quia quum voluntas ſit libera & ſuiipſius domina, a nullo cogi poteſt. Ambroſius: *Nemo noſtrum tenetur ad culpam, niſi propria voluntate deflexerit*, 15. quæſt. 1. *Non eſt*. Nec ligat etiam conſcientia per modum principalis auctoris; ſic enim ligat Deus præceptis, ſicut judex præcepit; ſed ligat per modum ſuppoſitionis ſeu conditionis, ſcilicet per modum conſecutionis alicujus finis, puta niſi faciat hoc, quod conſcientia dictat, non conſequetur finem ſuum, ideſt ſalutem. Ligat etiam per modum inſtrumentalis agentis ſicut præco, qui velut inſtrumentum judicis præceptum judicis ad notitiam hominis deducit: & ſi præceptum judicis vel regis non perveniret ad populum niſi aliquo præcone vel principe mediante; tunc ſi præco vel princeps diceret: hoc eſt præceptum a rege & eſt verum, tunc omnes dictum illius obligaret. Et hoc modo ligat recta conſcientia. Si vero præco vel princeps diceret, hoc eſſe præceptum a rege, quamvis non eſſet verum; dictum ſuum obligaret ut præceptum regis, ita ut contemtores pœnam mererentur; & hoc modo facit & ligat erronea conſcientia. Unde conſcientiam ligare voluntatem nil aliud eſt quam adſtringere voluntatem, ut non poſſit aliquid ſine peccato facere vel omittere, quam conſcientia tibi dictat, ſicut ligatus corporaliter non poteſt ad alium locum ire niſi ſolvatur; ſed poteſt homo & debet erroneam conſcientiam deponere, ſicut & intentionem pravam, & depoſita, non peccabit illud faciendo. B. Thomas in 2. Diſt. 39.

Conſcientia ligat voluntatem, quomodo intelligitur.

Licet autem utraque conſcientia, ſcilicet recta & erronea liget, ipſa durante, ita quod contrarium faciens peccat; aliter tamen ligat recta conſcientia quam erronea. Nam recta ligat abſolute & in omnem eventum & ſemper, nec deponi poteſt. Sicut ſi quis faciat ſibi conſcientiam de adulterio, quæ conſcientia utique recta eſt, hanc deponere non poteſt, ſcilicet ſine peccato, quia deponendo erraret, & graviter peccaret. Sed conſcientia erronea non ligat, niſi ſecundum quid & ſub conditione, quia non obligat, niſi in quantum conſcientia erronea creditur eſſe recta: ſed ea depoſita (quod fieri debet)

non

non amplius ligat. B. Thomas in 2. Sententiar. Dist. 39.

Item conscientia recta in his, quæ sunt præcepta vel prohibita a Deo, plus obligat & ligat, quam præceptum prælati, quia præceptum Dei, in cujus virtute ligat conscientia, majus est præcepto prælati. In indifferentibus vero plus obligat præceptum prælati, quam conscientia propria, quia in hujusmodi conscientia subditi habet prælatum super se non solum Deum, sed etiam prælatum suum. Conscientiæ autem erroneæ obligatio major est, quia intensior, quam obligatio præcepti. Ex alia parte obligatio, quæ est ex parte conscientiæ erroneæ, est minor, quia solubilior; quia obligatio, quæ est subditi ad prælatum, solvi vel deponi non potest; conscientia autem, quum est erronea, deponi potest. Raynerius post Thomam.

Magna cõsolatio est recta conscientia.

§. V. Quantum ad tertium, videlicet effectum diversum consecutionis, scilicet quomodo sequitur magna consolatio ex conscientia, si est recta, & econtra &c. sciendum, quod ex conscientia recta sequitur magna consolatio, secundum ipsam operando. Unde Apostolus 2. Corinth. 1. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*. Et contra maxima afflictio, si est mala. Unde Chrysostomus: Conscientia rei semper est in pœna.

Est autem conscientia recta laudabilis & appetenda propter quattuor causas, scilicet propter bonitatem, puritatem, sinceritatem, & tranquillitatem. Est itaque conscientia bona laudabilis primo ex ordinatione affectionis, secundo conscientia pura est laudabilis ex exclusione criminis, tertio conscientia sincera est laudabilis ex simplicitate intentionis, quarto conscientia tranquilla est laudabilis, quia sine remorsione vermis.

Primo est laudabilis conscientia, quum est bona, ex ordinatione affectionis, 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti est caritas de corde puro & conscientia bona*. Dicitur autem *caritas finis*, non in quo quiescitur, quia sic solus Deus est finis; sed finis, quo quiescitur. Et subditur: *De corde puro*, ideſt a vitiis expurgato: & additur: *De conscientia bona*, videlicet non erronea seu nimis grossa vel scrupulosa. Quod totum figuratur in parvo, grandi, vel torto naso, quem qui habebat, tamquam maculam habens prohibebatur accedere ad ministerium templi, ut habetur Levit. 21. Vel dicitur *conscientia bona*, qua scilicet quis sperat pervenire ad id, quod diligit, scilicet Deum: quem enim pungit conscientia mala, ut dicit Augustinus, retrahit se a spe. Vel *conscientia bona* dicitur secundum Bernardum, cui ratio decepta non est, nec voluntas perversa, nec memoria fuerit inquinata.

Conscientiæ bonæ descriptio.

Secundo conscientia laudabilis est, quæ pura est ex exclusione criminis: Ecclesiastici 13. *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia*, quando non est acquisita, retenta vel desponsata contra conscientiam.

Conscientia prævalet famæ.

Tertio laudabilis est conscientia sincera, scilicet sine duplicitate intentionis: Actuum 24. *Studeo sine offendiculo conscientiam bonam habere ad Deum, & homines*. Sed quid est melius, an bona fama, an bona conscientia? certe bona conscientia. Ita dicit Seneca: Conscientiam magis, quam famam intendere: & ponit rationem hujus dicens: Falli namque poteris fama, conscientia vero numquam. Unde Augustinus: *Senti de Augustino quidquid vis, quidquid libet; sola me in oculis Dei non accuset conscientia*, 11. quæst. 3. *Senti*. Idem ad clerum Hypponensem: *Quid obest homini, quod ex illa tabula vult illum delere humana ignorantia, si de libro viventium non eum deleat iniqua conscientia?* 11. quæst. 3. *Quid obest*. Ex quibus verbis non vult dicere Augustinus, quod non debet quis curare de conservatione famæ ad ædificationem aliorum. Nam tales reprehendit acriter dicens: *Non sunt audiendi viri sancti, sive feminæ, qui quando reprehenduntur in aliqua negligentia, per quam fit, ut in malam veniant suspicionem, unde vitam suam longe abesse sciunt, dicunt, coram Deo sufficere sibi conscientiam, æstimationem hominum non solum impudenter, sed & crudeliter contemnentes, quum occidant animas aliorum*, 11. quæst. 3. *Non sunt*. Sed loquitur Augustinus in capitulis supra dictis, quum quis est inter eos, qui parati sunt reprehendere, & numquam imitari, & tunc quoad illos sufficit conscientia sua unicuique, ut dicit Gratianus, can. *Inter verba*, §. *Hoc inter eos*, quæst. ead. & glossa Joannis.

Conscientia mala dicitur triplici ratione.

Quarto conscientia est laudabilis tranquilla, scilicet sine remorsione vermis. Unde Bernardus in libro de consideratione ait: Magnæ divitiæ sunt bona & tranquilla conscientia. Et re vera sic est. Quid est in rebus ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius atque securius bona conscientia? Damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ etiam ipsa morte magis erigitur, quam dejicitur.

Conscientia mala dicitur triplici ratione, vel quia est coinquinata; de qua ad Titum 1. *Coinquinatæ sunt eorum mens & conscientia*. *Mens* quantum ad intellectum; *conscientia* quantum ad effectum, *coinquinatæ* quantum ad peccatum.

Secundo conscientia est mala, quia cauteriata, de qua 1. ad Tim. 4. *Cauteriatam habentium conscientiam*, ideſt corruptam prava intentione & adustam igne malæ concupiscentiæ. Nam cauterium est corruptio carnis ex igne vel per ignem facta.

Tertio conscientia est mala, quia perturbata, de qua Sap. 17. *Semper præsumit sæva perturbata conscientia*, quia extollitur contra Deum, peccare non metuens, quum est perturbata ex remorsu vermis, vel quia extollitur alios affligendo, & hoc, quum est perturbata, ideſt inquieta & crudelis. Unde *conscientia perturbata*, ejus scilicet, qui desperat ex crimine, & *præsumit sæva* super se ventura, antequam veniant, sicut fecit Cain, Genes. 4. qui dixit, antequam puniretur a Deo: *Ero vagus & profugus*.

Cõscientia domui cõparata quomodo ædificanda.

§. VI. Notandum quod conscientia recta in Scriptura aliquando domus dicitur. Unde psal. 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt: domum*, ideſt conscientiam. Et de hac domo potest exponi illud, quod Christus dixit paralytico sanato: *Vade in domum tuam*, Matth. 9. Ubi moraliter tria imperat.

Primum, ut nequaquam quis per desidiam ejiciatur, in eo, quod dicit: *Vade*.

Secundum, ut secundum rectam conscientiam operetur in eo, quod dicit: *In domum*.

Tertium, ut alienam vitam non scrutetur, quum dicit: *Tuam*.

Quantum ad primum dixit paterfamilias, qui signat Dominum Deum, quibusdam stantibus in foro: *Quid hic statis tota die otiosi?... ite & vos*, ut habetur parabolice Matth. 20. Ire enim est operari. Et qua via eundum sit, docet Psalmista 83. dicens: *Ibunt de virtute in virtutem*, ideſt de opere unius virtutis ad opus alterius, & de bono in melius. Et quo tandem perveniatur, ostendit idem Psal. 41. *Effudi in me animam meam*, exeundo scilicet de potentiis animæ ad actus virtutum: & quasi declarans istam effusionem subdit: *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis*, scilicet conscientiæ, quæ tabernaculum & domus dicitur *usque ad domum Dei*, scilicet supernæ gloriæ.

Quan-

Quantum ad ſecundum, ſciendum, quod tunc quis A
vadit in domum ſuam, quando operatur ſecundum rectam conſcientiam. Nam quod domus ſignificet conſcientiam, patet per illud Eccleſiaſtici 27. *Niſi tenueris te inſtanter in timore Domini, cito ſubvertetur domus tua*, ideſt conſcientia tua.

Tertio ſervandum eſt, quod ita quis ingrediatur domum ſuam, ideſt conſcientiam, ad diligenter perſcrutandum, quod non intret alienam, curioſe inquirendo vitam aliorum, quia minus tunc vacare poterit. Unde dicitur Proverb. 24. *Non quæras impietatem in domo juſti*, ideſt in conſcientia, *nec vaſtes requiem ejus*.

Revertendo autem ad ſecundum membrum, notandum, quod ad hoc, ut conſcientia ſit recta, debet ſe habere ad modum domus materialis peroptime diſpoſitæ, quam diſpoſitionem notat Salomon Prover. 9. ubi dicit: *Sapientia ædificavit ſibi domum*, ideſt conſcientiam, *& excidit columnas ſeptem, immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & poſuit menſam*. Eſt ergo prima conditio domus bene diſpoſitæ, ut congruenter ædificetur; unde dicit: *ſapientia ædificavit ſibi domum*. Secunda eſt, ut firmiter ſuſtentetur; unde ſubdit: *Excidit columnas ſeptem*, ſcilicet ad ſuſtentandum. Tertia, ut delectabiliter ibi quietetur; unde concludit: *Immolavit victimas, miſcuit vinum, & poſuit menſam*. Certe huic domui ſic bene diſpoſitæ congruit illud, quod dixit Chriſtus Zachæo: *Salus huic domui facta eſt*, Luc. 19. Et quilibet ſic conſcientiam ſuam deberet aptare, ut ſic eſſet recta. Unde in figuram dictum fuit Ezechiæ: *Diſpone domui tuæ*, Iſai. 38. ideſt conſcientiæ, eam ordinando.

Quantum ad primum, ſcilicet ad hoc, ut domus conſcientiæ congruenter ædificetur, oportet, quod fundamentum jaciatur ſolidum, paries erigatur in altum, tectum ponatur deſurſum, ſolaria intra multiplicentur in medium. Solidum autem fundamentum eſt petra: *Petra autem erat Chriſtus* (ait Apoſtolus) ideſt ſignificat Chriſtum. Et *fundamentum aliud*, in domo ſcilicet rectæ conſcientiæ, *nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Dominus Jeſus*, 1. ad Cor. 3. hoc eſt fides ejus. Unde & Salvator noſter loquens de viro ſapienti dicit, quod *ædificavit domum ſuam ſupra petram*, Matth. 7. ideſt conſcientiam ſuam ſuper veram fidem doctrinæ ejus. Et ideo, ut ſubditur ibi, deſcendente pluvia, ſcilicet tentationum, quæ ſunt a dæmoniis exiſtentibus in aere, & flantibus ventis ambitionis & inanis gloriæ, quæ ſunt a mundo, & ſupervenientibus fluminibus concupiſcentiarum, quæ ſunt a carne, & irruentibus in illam domum, *non cecidit*, ſed ſtetit, quia *fundata erat ſupra firmam petram*.

Paries, qui a fundamento ſurgit, & adverſus cælum erigitur, eſt ſpes procedens a fide reſpiciens Dei promiſſum: qui paries ad modum domus eſt quadruplex, videlicet exſpectatio præmii in cælis, exſpectatio veniæ de peccatis, exſpectatio auxilii in agendis, & exſpectatio refrigerii in adverſis. Unde Apoſtolus 2. ad Cor. 5. *Habemus domum non manufactam*, ſcilicet conſcientiam, *in cælis*, videlicet per ſpem.

Tectum talis domus, ſcilicet conſcientiæ rectæ, eſt caritas. De qua dicitur Proverb. 10. *Univerſa delicta operit caritas*. Hæc omnia ſuſtinet, ſicut tectum domus; ſcilicet grandinem calorem & hujuſmodi, quæ ſignificant tribulationes. Reſpicit etiam tectum in extremitatibus ſuis terram, quia non ſolum contemplatur Deum in altitudines, ſed etiam inclinatur ad ſuffragandum proximo. In cujus figuram paralyticus jacens in lecto a quibuſdam per tectum domus fuit ſubmiſſus ante Chriſtum & inde curatus, ut habetur Matth. 9. & Lucæ. 5.

Solaria hujus domus ſunt quattuor, de quibus dicitur Sapient. 8. *Sobrietatem, & ſapientiam docet juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus*. Eſt igitur primum ſolarium ſobrietas, ſeu temperantia, quæ facit abſtinere a ſuperfluis delectationibus, & in hoc ſolario ſunt plures cameræ, ſive officinæ, ſive virtutes ei annexæ, de quibus nunc non oportet dicere brevitatis cauſſa. Secundum ſolarium dicitur ſapientia, quæ præcavet inſidias in agendis, habens cameras ſuas, videlicet virtutes annexas. Tertium eſt juſtitia in malis vitandis, proximorum, in miſeriis ſublevandis, habens & ipſa multas cameras, ideſt virtutes annexas. Quartum eſt virtus, ideſt fortitudo in perferendis moleſtiis cum B
ſuis cameris, ideſt virtutibus annexis. *Vade ergo in domum tuam*, ideſt conſcientiam, ſic recte ædificatam de ſolario in ſolarium, & de officina in officinam, & de camera in cameram virtutum diſcurrendo, & ſic recte operaberis. Hanc tamen domum conſcientiæ non tu, ſed principaliter Deus ædificat. Et ideo bene dicitur, quod *ſapientia*, ſcilicet Chriſtus, *ædificavit ſibi domum*.

Quantum ad ſecundum ad hoc, ut domus firmiter ſuſtentetur, quum lata eſt & alta, requiruntur plures columnæ, quæ ſuſtineant pondus. *Septem autem columnas ſapientia excidit* ad ſtabiliendum & ſuſtentandum domum conſcientiæ; alias propter diverſos impulſus vitiorum corrueret. Et ſunt hæ ſeptem columnæ, ſeptem conditiones veræ C
pœnitentiæ, quas ponit Apoſtolus 2. ad Cor. 7. dicens: *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur... Operatur* enim *in nobis ſollicitudinem, ſed deſiderium, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed æmulationem, ſed vindictam*, ſecundum Hugonem Cardinalem. Eſt igitur prima columna ſollicitudo, ſcilicet ad bene cuſtodiendum ſenſus ſuos, qui ſunt feneſtræ animæ ſeu portæ, per quas ingreditur diabolus, ut furetur theſaurum virtutum. Unde ſollicite vigilare oportet: quod docet Chriſtus Matth. 24. *Si ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non fineret perfodi domum ſuam*.

Secunda eſt deſiderium, ſcilicet placendi Deo, D
qui eſt fervor caritatis, multum domum conſcientiæ fortificans & abſorbens peccata quotidiana, ſicut ignis guttas aquæ. In hujus figuram Zachæus deſiderans Chriſtum videre & non valens propter parvitatem ſtaturæ, *aſcendit in arborem ſycomorum*, propter quod deſiderium Chriſtus dixit: *Deſcende, quia in domo tua oportet me manere*, Lucæ 19. Aſcenſio autem in arborem ſignat aſcenſum mentis per meditationem, & affectum ad crucem ſeu paſſionem Chriſti. Circa quod dicit Bernardus ſuper Cantica: Quid efficacius ad curandum conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandum animæ mentem, quam Chriſti vulnerum ſedula meditatio?

Tertia columna dicitur defenſio, ut ſi quum inimicus vult circumdare domum conſcientiæ & E
intrare per deſperationem vel laſciviam vel per alia vitia, defendat ſe quis, viriliter reſiſtendo. Quod quia non fecit mulier, quæ fuit poſita ad cuſtodiam domus Isboſeth regis Iſrael, ſed dormitavit, intrantes duo principes latronum domum, occiderunt ipſum regem percutientes in inguine, ut habetur 2. Reg. 4. ad figurandum, quod ſi mulier, ideſt ratio non defendit ſe contra tentationes, ſed dormiat, occiditur animus, & domus conſcientiæ ſpoliatur.

Quarta columna dicitur inclinatio contra ſeipſum deteſtando peccatum commiſſum, in quantum eſt Dei offenſa. Et quanto quis magis indignatur & deteſtatur peccatum, tanto fortior eſt

colu-

columna. Non autem debet quis indignari contra naturam peccatoris, vel contra perſonam eum ad miſericordiam ſuſcipientis. Sicut indignatus eſt frater prodigi de patre ſuſcipiente ipſum prodigum revertentem ad pœnitentiam & ad domum paternam, adeo indignatus, quod noluit in domum introire. Sed ipſe prodigus indignatus contra ſuam culpam intravit domum, & honorabiliter ſuſceptus eſt, Luc. 15.

Quinta columna eſt timor, qui in peccatoribus aliqualiter diſpoſitis in conſcientia ſolet eſſe principaliter de pœnis inferni; & hic timor licet non ſit ſufficiens ad ſalutem, tamen cavere facit a multis malis, & ideo bonus. *Timor* enim *Domini expellit peccatum*, ut dicitur Eccleſiaſtes 1. Sed in recte conſcientiatis timor iſte eſt de non offendendo Deum, ne amittatur gratia benevolentiæ ejus, & iſte eſt neceſſarius. Unde Eccleſiaſtici 27. dicitur: *Niſi tenueris te inſtanter in timore Domini, cito ſubvertetur domus tua.*

Timor pœnarum bonus.

Sexta columna eſt æmulatio, illa videlicet, de qua dicit Apoſtolus: *Æmulamini cariſmata meliora*, 1. ad Corinth. 12. Hæc æmulatio importat affectum magnum habendi dona ſpiritualia, quæ videt in proximo, cum quadam triſtitia de defectu illorum bonorum, quæ in ſe eſſe non videt; & hoc facit hominem laborare ad proficiendum in via Dei. Hanc æmulationem videtur habuiſſe Martha, quæ Chriſtum *excepit in domum ſuam*, ut dicitur Lucæ 10. propter quod quaſi dolens quod ſoror ſua erat magis dedita ſpiritualibus, quia *ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius*, dixit Chriſto: *Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea relinquit me ſolam miniſtrare.*

Septima columna dicitur vindicta, ideſt punitio de ipſis peccatis. Quanto enim quis plus peccavit & gravius, tanto magis debet dolere & ſe corporaliter affligere. *Eſt* enim *pœnitentia*, ut dicit Auguſtinus, *quædam dolentis vindicta, puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe*, *De pœnit.* Diſt. 3. *Pœnitentia:* quod optime ſervavit Maria Magdalena, quando intrans in domum, ubi Chriſtus erat, *ſtans retro lacrymis cœpit rigare pedes* &c. Lucæ 7. Has igitur *ſeptem columnas* domum conſcientiæ ſuſtentantes, *ſapientia* Chriſtus *excidit* ex ſe procedentes: proponens etiam homo per liberum arbitrium in domo conſcientiæ habitare, ſupponit has etiam columnas. *Vade* ergo *in domum* ad hujuſmodi columnas ſupponendum vel reficiendum. Poſſunt etiam intelligi per has columnas ſeptem dona Spiritus ſancti.

Quantum ad tertium principale dico, quod ad bonitatem domus requiritur, quod delectabiliter ibi homo quietetur. Dicitur enim quod fumus, ſtillicidium, & litigioſa mulier expellunt hominem de domo; & hoc ideo quia inquietant ipſum, & fumus quidem, qui in altum aſcendit, eſt mentis elatio. Mulier litigioſa eſt ſenſualitatis contradictio ad ſpiritum. Stillicidium eſt peccatorum etſi parvorum vilipenſio, ſeu curationis eorum negligentio. Sed divina *Sapientia* in domo conſcientiæ, quam *ædificavit*, ut ſibi ſit requies & lætitia, *poſuit menſam* ſacrorum eloquiorum bonorum *ſpiritualium*, quæ defendunt nos contra volentes inquietare. Unde pſal. 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus eos, qui tribulant me. Immolavit victimas*, ideſt ſacrificia Chriſti, & ſanctorum, quibus ſeipſos obtulerunt morti. Propoſuit ut in Euchariſtia & aliis ſacramentis. Sic pater filio prodigo in domum reverſo obtulit vitulum ſaginatum in eſum, Luc. 15. *Miſcuit* etiam *vinum*, quod lætificat cor hominis, & *omnem mentem facit ſecuram*, ut dicitur 3. Eſdræ 3. ideſt ſpiritualem conſolationem & lætitiam. De qua domo conſcientiæ ſic præparata dicit Sapiens: *Intrans in domum meam*, ſcilicet conſcientiæ, *conquieſcam cum illa. Non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium*, Sap. 8. quod gaudium cauſſatur ex ſeptem fructibus ipſius bonæ conſcientiæ, quibus fruitur, ſcilicet in vita præſenti. Et horum primus eſt, quia ipſa eſt radix caritatis. Unde 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti eſt caritas de corde puro & conſcientia bona*, ſcilicet procedens, & Bernardus in libro de conſideratione: Fortitudo tua fiducia fidelis conſcientiæ.

Septē fructus bonæ conſcientiæ.

Secundus fructus eſt nitor veritatis. Unde Pſalmiſta orabat, pſal. 5. *Dirige in conſpectu tuo viam meam.* Gloſſa: *in conſpectu tuo*, ideſt in conſcientia, ubi ſolus Deus videt. Via, quæ ducit ad patriam, eſt via veritatis: & ſubdit: *Quoniam non eſt in ore eorum veritas*, ſcilicet inimicorum, qui falſo opinantur de conſcientia alterius. Sed, ut dicit Gregorius: *Quem enim conſcientia defendit, liber eſt inter accuſationes, & liber ſine accuſatione eſſe non poteſt, ſi ſola, quæ interius addicit, conſcientia accuſet*, 11. quæſt. 3. *In cunctis.*

Tertius fructus eſt ornatus venuſtatis, ſcilicet animæ, quæ eſt ſponſa Chriſti. Unde dicit ipſe ſponſus animæ ſanctæ, can. 4. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra*, ſcilicet quoad interiorem diſpoſitionem & exteriorem converſationem. Et ideo dicit bis *pulchra*: *oculi tui columbarum* per diligentem circumſpectionem, *abſque eo, quod intrinſecus latet*, ſcilicet in conſcientia per bonorum ornatum, ſcilicet propoſitionem.

Quartus eſt retractorium a peccatis: quem enim conſcientia mordet & ſtimulat, quod aliquid ſit illicitum; per hoc retrahitur a peccato, in quo labi poſſet. Conſiderat enim illud Jacobi 4. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.* Et 2. Pet. 2. *Melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Nec tamen propter hoc fugiendum eſt ad latebras ignorantiæ, ut dicit Auguſtinus; quia affectata ignorantia peccatum auget, non minuit: & quod conſcientia retrahat a malo & provocet ad bonum, oſtenditur Proverb. 12. ubi dicitur: *Eſt, qui promittit, & quaſi gladio pungitur conſcientiæ.* Nam inſtinctus conſcientiæ promittit præmium benefacienti, & pungit minando pœnam æternam bona negligenti,

Quintus eſt theſaurus honeſtatis, de quo Eccleſiaſtici 13. *Bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia.* Quod tam de ſubſtantia rerum terrenarum, quam ſpiritualium intelligi poteſt, ut ſcilicet nec de virtutibus nec de ſcientia ſuperbiat, & temporalia illicite non retineat. Hinc Caſſiodorus in epiſtolis: Quid acquiri (ait) putatur, ubi bona conſcientia perditur, aut in qua parte poſſit homo proficere, ſi innocentiam probatus fuerit amiſiſſe?

Sextus eſt teſtimonium bonitatis: ad Rom. 2. *Teſtimonium illis reddente conſcientia ſua.* Unde Gregorius ſuper Ezechielem: Quid prodeſt, ſi omnes laudent, & conſcientia accuſet, aut quid poterit obeſſe, ſi omnes derogent, & conſcientia defendat? Et Bernardus ſuper Can. Omnino ſufficit adverſum nos loquentium iniqua, opinio bonorum cum teſtimonio conſcientiæ.

Septimus fructus bonæ conſcientiæ eſt convivium delectabile. Nam ut dicitur Proverbior. 15. *Mens ſecura quaſi juge convivium*, ſecuritatem autem mentis facit bona conſcientia. Unde & Sapientia: *Paravit menſam, miſcuit vinum:* quod vinum etiam intelligi poteſt de ſanguine Chriſti, qui principaliter operatur conſcientiæ bonitatem.

Un-

Unde Apoſtolus ad Hebr. 9. *Sanguis Chriſti.... emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi.*

Conſcientiæ ornatus quis,

Quantum ad quartum de ornatu domus requiritur, quod ſit picturata, ſcilicet exemplis ſanctorum edocta. Unde quidam rex turpis ſpecie cubiculum ſuum depingi fecit pulcherrimis imaginibus, ut earum aſpectu uxor ſua pulchrum pareret filium. Cur Chriſtianus domum ſuæ conſcientiæ in memoria bonorum exemplorum non depinget, ut uxor ſenſualitatis proles virtutum gignat? Secundo requiritur ad ornatum domus, quod odoribus non fœtoribus ſit referta; quod fit per bonam famam ex honeſta converſatione & virtuoſa. Unde Apoſtolus 2. ad Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco.* Et in figuram hujus dicitur de domo, ubi Chriſto facta eſt cœna a Martha & Maria, quod *domus repleta eſt ex odore unguenti*, Joann. 12. Tertio pertinet ad ornatum domus, ut ſit bene illuſtrata lumine gratiæ, vel lucernæ lumine Scripturæ veritatis. Unde etiam in figuram mulier, ut adinveniret dracmam, *accendit lucernam, & evertit domum*, ut habetur parabolice Lucæ cap. 15.

Circa conſcientiam ſeptem ſunt differentiæ hominum.

§. VII. Sed quæri poteſt, utrum ſcire valeat ſe habere rectam conſcientiam, lumine ſcilicet gratiæ illuſtratam, an non? Ad quod reſpondetur ſecundum Alexandrum de Ales, quod ſeptem ſunt differentiæ hominum circa hujuſmodi attendendæ. Aliqui enim putant ſe habere bonam conſcientiam & gratiam ſeu caritatem, ſed neutrum habent; alii ſciunt, quod illam non habent: alii dubitant de hoc: alii opinantur, quod habeant gratiam & bonam conſcientiam: alii experiuntur, ſed non habent de hoc ſcientiam: alii hoc ſciunt tantum per revelationem: ſeptimi hoc ſciunt per cauſſam & certam viſionem.

Primi ergo ſunt infideles & hæretici, immo etiam Chriſtiani quidam tepidi, qui non illuſtrantes conſcientiam ſuam ex ignorantia craſſa, mortalia crimina non credunt mortalia eſſe. Unde in his perſeverant, & ſacramentum Euchariſtiæ indigne percipiunt. Propter quod dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo*, ideſt conſcientiam examinet; *& ſic de pane illo edat.* In tali cæcitate fuit aliquando Paullus, ut ipſe teſtatur: nam captus a Romana militia Hieroſolymis, Judæos ad quorum petitionem captus fuerat, ſic alloquitur: *Ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum uſque in hodiernum diem*, Act. 23. qui tamen perſecutus fuerat eccleſiam, putans benefacere.

Secundi ſunt, qui ſciunt ſe habere non bonam conſcientiam, ut hi, qui ſciunt ſe eſſe in mortali actu vel propoſito, non pœnitentes, ad quos poteſt illud dirigi Eccleſiaſtes 7. *Scit conſcientia tua, quia tu crebro maledixiſti aliis.*

Tertii ſunt, qui dubitant ſe habere bonam conſcientiam, qui ſcilicet habent rationes æque fortes ad hoc, quod ſint in gratia, ſicut ad oppoſitum; puta quum vident ſe eſſe tepidos in amando Deum, non habendo affectum orandi & ad alia ſpiritualia, vel multum remiſſum parum dolorem ſentire de peccatis & hujuſmodi. Et ex oppoſito conſiderant nullam voluntatem ſe habere peccandi mortaliter, ſed propoſitum abſtinendi, deteſtari peccata commiſſa ratione & hujuſmodi. Tales dicere poſſunt illud Apoſtoli: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*, 1. ad Corinth. 4.

Quarti opinantur ſe habere bonam conſcientiam, & ſe eſſe in gratia, etiam probabiliter, cum formidine tamen aliqua de oppoſito. Sicut illi, qui vident ſe ferventes in amore Dei & proximi, & amare lugere Dei offenſas, paratos ad ſuferendum adverſa; ſentiunt tamen aliquando rebellionem carnis ad ſpiritum, & fragilitatem; & hi dicere valent illud 2. Corinth. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei converſati ſumus.*

Quinti experiuntur ſe habere gratiam a bona conſcientia, ſicut illi, qui ſentiunt dulcedinem divinæ bonitatis in oratione, & guſtant quam ſuavis eſt Dominus. Ad quod invitat pſal. 33. *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus: beatus vir, qui ſperat in eo. Guſtate*, ait, ſcilicet notitia experimentali & effectiva cauſſata ex re unita ſenſui, guſtus ſcilicet, & affectus. *Videte*, ſcilicet contemplando ejus bonitatem: *quoniam ſuavis eſt Dominus* animæ quærenti eum & gratiæ poſſeſſionem. *Beatus vir, qui ſperat in eo*, ſcilicet habens conſcientiam bonam. Nam quod conſcientia bona ſignificet ſpem, patet ex illo Apoſtoli 1. ad Tim. 1. *Caritas de corde puro*, ſcilicet procedit, *& conſcientia bona.* Ubi gloſſa, ideſt ſpe vera, quæ cauſſatur ex Dei amicitia, ſicut & ſpes cauſſatur ex bona conſcientia. Iſta tamen cognitio non eſt per medium infallibile, ſed per ſigna. Et quod de bona conſcientia queat haberi experimentalis cognitio, probatur Apocal. 2. ubi dicitur: *Vincenti dabo manna abſconditum. Vincenti*, ſcilicet vitia, *dabo manna abſconditum*, ideſt dulcedinem ex habitatione Chriſti in domo conſcientiæ. *Abſconditum*, quia ab aliis non videtur, nec clare a ſeipſo ſentitur. *Et dabo ei calculum candidum*, ideſt habitum gratiæ & caritatis, quæ gratia lucet & emundat; inde dicitur *candidum*. Calculus autem hic dicitur carbunculus, *& nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Hoc *nomen* eſt, quo filii Dei per adoptionem efficimur.

Sexti, qui ſciunt ſe habere bonam conſcientiam & gratiam per revelationem Dei, quod habuit Abraham, quando Dominus ei dixit per Angelum: *Nunc cognovi, quod timeas Deum*, Gen. 22. *Cognovi*, ideſt cognoſcere te feci, *quod timeas Deum*, ſcilicet timore filiali, qui ſine gratia & conſcientia bona eſſe non poteſt.

Septimi ſunt, qui ſciunt per cauſſam rei vel ratione rei, ut hi, qui clare viderunt divinam eſſentiam in vita præſenti, ſicut Moyſes in veteri teſtamento, & Paullus in novo quando raptus fuit ad tertium cælum. Unde ipſe dicebat: *Certus ſum, quod nec mors nec vita* &c. *ſeparabunt nos a caritate Chriſti*, ad Rom. 8.

Domus conſcientiæ efficitur ſpelunca latronum ex ſeptem malis.

§. VIII. Hæc ergo bona conſcientia dicitur domus, de qua Chriſtus dixit: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Et de mala ſubdit: *Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*, Matth. 21. Facit aliquis domum conſcientiæ *ſpeluncam latronum* ex ſeptem malis, quæ reperiuntur in ea. Et primum eſt, quia bellum inteſtinum generat, dum una cogitatio alteri recalcitrat. Seneca: Timidum non facit animum, niſi reprehenſibilis vitæ conſcientia.

Secundum malum eſt, quia proximum enecat, quia quum quis ab intra habituatus mala conſcientia, ad extra mala operari incipit, proximo cauſſa ruinæ inſiſtit. Unde Apoſtolus 1. ad Corinth. 8. *Si quis viderit eum, qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem, nonne conſcientia ejus, quum ſit infirma, ædificatur ad manducandum idolothyta & peribit infirmus frater in ſcientia tua?*

Tertium munda immunda ſibi aptitat ſeu facit: ad Titum 1. *Omnia munda mundis, inquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia.*

Quar-

Quartum malum eſt, quia difficilem viam partitur cum injuſtis, qui dicunt, Sapientiæ cap. 5. *Ambulavimus vias difficiles*, quod contrarium ſuadet Apoſtolus ad Hebr. 10. dicens: *Accedamus ad ſacerdotem magnum Chriſtum cum vero corde in plenitudine fidei aſperſi corda a conſcientia mala*. Hinc & Seneca: Mala conſcientia ſæpe tuta eſt, ſecura numquam.

Quintum ad errorem adjuvat, ita ut nonnumquam ad hæreſim inducat: 1. ad Timoth. 4. *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam*, ideſt corruptam & concupiſcentiam aduſtam.

Sextum ad gehennam ædificat: *Omne* enim, *quod eſt contra conſcientiam*, & etiam erroneam, ſi durat, vel quod non eſt ex bona conſcientia, *ædificat ad gehennam*, 28. quæſt. 1. *Omnes*, §. *Et his*.

Septimum malum eſt, quia triſtitiam continuat in magnum gravamen animæ: Sapient. 17. *Semper præſumit ſæva perturbata conſcientia*: & Iſidorus dicit: Nulla pœna gravior, quam mala conſcientia.

Tria documenta pro ſcrupuloſa conſcientia.

§. IX. De conſcientia ſcrupuloſa poteſt exponi illud pſalm. 54. *Salvum me fecit*, ſcilicet Deus, *a puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate*. Ubi tria poſſunt notari.

Primum eſt ſcrupuloſæ conſcientiæ ſanatio, ibi: *Salvum me fecit*.

Secundum ſcrupuloſæ conſcientiæ cauſſatio, ibi: *A puſillanimitate*.

Tertium ſcrupuloſæ conſcientiæ nociva aggravatio, ſeu propagatio, ibi: *Et tempeſtate*.

Quid eſt ſcrupulus.

Incipiendo autem a ſecundo, ut ordinatius loquamur, ſciendum, quod ſcrupulus eſt vacillatio quædam conſurgens cum formidine ex aliquibus conjecturis debilibus & incertis. Unde videtur eſſe ſcrupulus id, quod apud alios dicitur puſillanimitas, quæ eſt tædio ſeu timore rerum adverſarum iners & inconſiderata fracti animi dejectio; & ſic utrumque, ſcilicet tam ſcrupulus, quam puſillanimitas importat inordinatum timorem. Unde ipſe ſcrupulus a quibuſdam vocatur erronea conſcientia, ab aliis timor conſcientiæ, & ab aliis puſillanimitas. Contra quod dicitur Eccleſ. 7. *Noli eſſe puſillanimis in animo tuo*.

Sciendum autem ſecundum Albertum in libro de quattuor coævis, quod differentia eſt inter ſcientiam, fidem, opinionem, dubitationem, & ſcrupulum, ſeu ſuſpicionem. Nam ſcientia proprie eſt eorum, quæ cognoſcuntur per cauſſam, & quia impoſſibile eſt aliter ſe habere. Fides autem eſt perfecta perſuaſio unius partis ſeu concluſionis per multa probabilia vel auctoritatem dicentem. Et hoc etiam appellatur credulitas & conſcientia.

Scientia.

Opinio.

Opinio autem eſt acceptio unius partis cum formidine alterius; ita tamen, quod ad illam, quam formidatur, non habetur ratio expreſſa; formidatur tamen propter debilitatem rationis alterius partis.

Dubitatio.

Dubitatio vero eſt interminatus motus rationis ſuper utramque partem contradictionis per æqualia media, ita quod non magis pendet ad unam partem, quam ad aliam; & hæc etiam dicitur ambiguitas. Demum ſcrupulus ex levibus conjecturis ſeu mediis, & multum debilibus movetur ad unam partium; & hic etiam dicitur ſuſpicio & puſillanimitas ſpiritus, quæ repellenda eſt; unde dicitur 6. quæſt. 1. *Oves*: *Omnis ſuſpicio potius abjicienda eſt, quam acceptanda*. Et ratio aſſignatur in 2. parte, quum dicitur de tempeſtate.

Scrupulus ſuſpicio etiam dicitur.

Effectus pernicioſi ſcrupulorũ.

In qua quidem tertia parte notatur effectus nocivus, qui ſequitur ex ipſa puſillanimitate, ſeu ſcrupulo. Inducit enim ad quoddam tædium & triſtitiam aggravantem animum, ut nil boni ei agere libeat; & ſic velut tempeſtas, quæ deſcendit in Ægyptum, conſumſit omne, quod reperit viride; ſic triſtitia procedens ex ſcrupulo conſumit vigorem & robur animi.

Diminuit etiam audaciam aliorum ad bonum ſui exemplo. Propter quod Dominus præcepit, quod hi, qui erant cum Gedeone pugnaturi contra hoſtes formidoloſi & puſillanimes, non irent cum aliis, ſed reverterentur domum, ne videlicet ex timore fugiendo aliorum audaciam debilitarent, ut habetur Judic. 7. Et in figuram ſcribitur Jonæ 1. quod hi, qui navigabant cum Jona propheta, orta tempeſtate in mari, omnes timuerunt valde; ſed ipſo Jona ab eis ſemoto ceſſavit tempeſtas, & ſecuri facti ſunt. Inducit demum ſcrupuloſa conſcientia tempeſtatem deſperationis, a qua liberari ſe petebat Pſalmiſta, pſal. 68. dicens: *Non me demergat tempeſtas aquæ*, ſcilicet deſperationis. Unde & Bernardus: Puſillanimitas parit perturbationem, perturbatio deſperationem, deſperatio vero interimit. In cujus figuram legitur 1. Machab. 2. quod quidam ſcrupuloſi ex ſocietate Machabæorum, quia noluerunt ſe defendere contra hoſtes bellantes adverſus eos in die ſabbati, timentes, ne propter hoc violarent ſabbatum, occiſi ſunt ab eis.

Unde cauſſatur puſillanimitas vel ſcrupulus.

Cauſſatur autem iſta ſcrupuloſitas, ſeu puſillanimitas inducens tempeſtatem multorum malorum quandoque ex complexione ad timorem idonea, ut eſt complexione frigida, puta in feminis vetulis & melancolicis. Timor enim naturaliter ſecundum Damaſcenum cor conſtringit, ſicut & frigida conſtringunt, & congelationem faciunt; ad quem motum contractionis imaginatio movetur a timoris diſpoſitione, ita ut concipiat quis aliquod eſſe futurum malum, & per conſequens fugiendum.

Quandoque cauſſatur puſillanimitas, ſeu ſcrupulus ex ægritudine maniaca vel melancolica, quæ eſt infirmitas capitis, per quam læditur imaginatio, & quandoque ratio. Unde Gallenus & Avicenna dicunt, quod mania eſt infectio anterioris cellulæ capitis cum diminutione imaginationis. Melancolia vero eſt infectio mediæ cellulæ capitis cum diminutione rationis.

Cauſſatur & aliquando ſcrupulus ex tentatione diabolica: poteſt enim diabolus, Deo permittente, movere melancolicos humores in homine, per quos imaginatio vel errare poteſt, aut turbari ad timorem inordinatum. Unde & Avicenna dicit, quod quibuſdam medicis viſum eſt, quod melancolia contingat a dæmonio. Aliquando vero procedit puſillanimitas ſeu ſcrupulus ex regiminis corporalis negligentia, ſcilicet per nimiam abſtinentiam, vigilias & hujuſmodi. Unde B. Hieronymus: *Rationalis hominis dignitatem amittit, qui vel jejunium caritati, aut vigilias præfert ſenſus integritati, ut per immoderatam abſtinentiam, atque indiſcretam pſalmorum vel officiorum decantationem, aut amentiæ aut triſtitiæ*, ideſt melancoliæ, *incurrat notam*, *De conſecr.* Diſt. 5. *Non mediocriter*.

Aliquando cauſſantur ſcrupuli ex ſocietate timidorum; nam unus ſcrupuloſus facit alium ſcrupuloſum. Removendæ igitur ſunt hujuſmodi cauſſæ, ne ipſa puſillanimitas tempeſtatem inducat, & demum in infernum devolvat; quod inde conſequi oſtendit pſal. 68. qui poſtquam dixit: *Non me demergat tempeſtas aquæ*, ut expoſitum eſt, ſubdit: *neque abſorbeat me profundum*, ſcilicet infernus.

Remedia & regulæ cõtra ſcrupulos.

§. X. Quomodo autem removeatur talis ſcrupuloſitas, declarandum eſt nunc, revertendo ad primam partem, ubi dicitur: *Salvum me fecit*, ſcilicet ab hujuſmodi. Salvat ab illo malo ſicut & ab aliis cunctis principaliter Deus. Unde & dixit Sarra uxor Tobiæ Domino loquens: *Poſt tempeſta-*

teſtatem, ſcilicet ſcrupuloſitatis, *tranquillum facis*. Salvum autem facit ab hujuſmodi tamquam per inſtrumenta per morales medicos, prælatos & confeſſores, conſultores idoneos. Non autem debent ſcrupuloſi dure corripi, ſed animari ad deponendum puſillanimitatem & ſcrupulum, oſtendendo pericula ſupradicta, niſi ſequatur medici ſpiritualis monitum. Septem autem ſunt regulæ, quarum adminiculo conſcientia ſcrupuloſa ſeu erronea deponi poteſt & debet, & ſic ſalvari. Primum, videlicet debita ad gratiam Dei præparatio. Secundum ſollicita ſacræ Scripturæ indagatio. Tertium orationis devotæ continuatio. Quarto opinionis alicujus tuta electio. Quintum obedientiæ humilis imitatio. Sextum ſcrupulorum animoſa abjectio. Septimum præceptorum diſcreta epikeizatio, ideſt interpretatio, quæ ſeptem jubet habere æterna ſapientia, Proverb. 2. Et ſi non ſecundum ordinem poſitum, dicens: *Si ſuſceperis ſermones meos*, ſubaudi modo debito, quoad ſeptimum, & *mandata mea cuſtodieris penes te*, ſcilicet obſervando, & ſic te ad gratiam præparando quoad primum: *ſi ſapientiam invocaveris*, ſcilicet per orationem, quoad tertium: & *inclinaveris cor tuum*, ſcilicet per obedientiam, quoad quintum: *prudentiæ*, ſcilicet eligendo opinionem tutam, quoad quartum: *ſi quæſieris eam quaſi pecuniam*, quoad ſextum, ſcilicet animoſe abjiciendo ſcrupula; *tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei invenies*, quæ facit rectam conſcientiam.

Prima igitur regula eſt, ut quis ſe ad gratiam præparet, quantum poteſt, ſervando mandata Dei, de peccatis perpetratis dolendo & confitendo. Nam quicumque facit quod in ſe eſt, ſecundum Thomam in 4. nulli tali abſtrahit Deus gratiam, ſed infallibiliter infundit, & lumen doni ſapientiæ, ſcientiæ, conſilii, & intellectus tribuit, quibus juvari poteſt ad depoſitionem erroneæ conſcientiæ. Unde ipſe dicit per Hierem. 3. *Convertimini filii revertentes*, quantum ſcilicet in vobis eſt, & *ego ſanabo averſiones veſtras*. Et per Ezechielem cap. 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non potius ut convertatur & vivat?* & per Iſaiam 49. dicit: *Numquid oblivi ſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non oblivi ſcar tui*. Figuram hujus habes 2. Reg. 14. in Abſalone fratricida recepto ad gratiam a patre ſuo David, recognita offenſa ſe humilando.

Secunda regula eſt ſollicita ſacræ Scripturæ indagatio. Unde dicit Salomon Proverb. 2. *Si queſieris eam quaſi pecuniam*. Amatores mundi, qui ſtudium habent acquirendi pecunias, præceptorem quærunt primo bene doctum in arte, per quam volunt acquirere pecuniam, ut doceat eos ſubtilitates & modos acquirendi; exinde ſunt ſollicити ad videndum & recolligendum libros ſuorum computorum, auxilia etiam quærunt aliorum. Et ſic etiam ſpiritualiter quæri debet ſapientia Scripturarum divinarum. Unde Proverb. 1. dicitur: *Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit. Animadvertet parabolam & interpretationem verba ſapientum & enigmata eorum*. Hinc Hieronymus ad Paullinum: Intellige te in ſacris Scripturis, ſine prævio & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi. Et exemplificat de quibuslibet artibus, & de Paullo, qui poſt annos quattuordecim contulit cum Apoſtolis Evangelium, & Salvatore noſtro duodenni interroganti doctores in templo. Deinde debet quis aſſiduus eſſe in lectione Scripturarum; unde Hieronymus ad Nepotianum: Scripturas ſæpius lege, immo de manu tua numquam ſacra lectio deponatur. Diſce quod doceas. In hujus figuram mandavit Dominus Exod. 37. ut vectes, quibus portabatur arca, jugiter annulis ipſius arcæ eſſent inſerti, ne quum haberet transferri, mora fieret de transmittendis vectibus. Ad ſignandum, quod qui habent alios docere, per quos Eccleſia quaſi circumfertur, debent continuo adhærere ſtudio Scripturarum ſecundum quadruplicem ſenſum ſignatum per quattuor annulos, ne quum habent alios inſtruere, tunc quærant addiſcere.

Tertia eſt orationis devotæ continuatio. Unde Jacobi 1. dicitur: *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*. Sapiens in ſe expertus ait Sap. 7. *Invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ*, qui ſpiritus eſt unctio, quæ docet de omnibus, ut dicitur in prima canonica Joannis, ſcilicet neceſſariis ad ſalutem. Sic & Salomon poſtulans ſibi dari ſapientiam ad recte judicandum populum, ubi occurrunt multa dubia, obtinuit eam, 3. Reg. 3. Et Joſaphat rex ad Dominum inquit: *Quum ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum reſidui habemus, ut oculos noſtros ad te erigamus*, 2. Paralip. 20. Et præcipue oratio valet ad tollendum ſcrupulos, prout procedunt ex tentatione diaboli; quod figuratum eſt Matth. 17. in dæmoniaco lunatico ſanato a Chriſto, qui projiciebat illum obſeſſum, quandoque in ignem, quandoque in aquam. Sic ſcrupuloſus de uno contrario vadit ad aliud, & de eo dixit, quod illud genus dæmoniorum ejicitur in oratione & jejunio; ſic B. Petrus martyr oratione liberatus fuit a ſcrupulo infidelitatis.

Quartam regulam, quia prolixa eſt, ponemus in fine.

Eſt igitur quinta regula obedientiæ humilis imitatio, ut ſcilicet ſcrupuloſus captivet intellectum ſuum dictis ſapientum & obedientiæ ſuperiorum, quantumcumque ſcrupulus ſibi dictet aliud. Unde Proverb. 3. dicitur: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Et Tob. 4. *Conſilium ſemper a ſapiente inquire*. Et Proverb. 22. *Ne tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt patres tui*. Hinc & Cancellarius Pariſienſis in 4. de vita animæ inquit: Unum hoc generale damus documentum, & credere videlicet faciliter ſapientiorum & bonorum judicio, & contra communes eorum ſententias non leviter ſibimet formare ſcrupulos anxios & timidos. Et in lib. de vita Fratrum prædicatorum narratur, quod quum quidam defunctus appareret alteri ejuſdem ordinis, ſcilicet prædicatorum, qui erat multum ſcrupuloſus, ipſo interrogante de ſcrupulis ſuis, reſpondit defunctus: Conſule diſcretos, & acquieſce eis. Similiter legitur de quodam diſcipulo B. Bernardi, quod quum non poſſet deponere ſcrupulos ſuos, propter quod ad celebrandum non auderet accedere, dixit ei Bernardus: Vade, frater, & in fide mea celebres. Obedivit ille ſimpliciter, & omnis ille ſcrupulus perpetuo receſſit. Sed ſiquis ſcrupuloſus diceret: Utinam talis eſſet prælatus, qualis erat Bernardus, crederem faciliter imperanti, & acquieſcerem conſulenti: nunc autem quum ſuperioris mei parvam ſapientiam conſpicio, non audeo meam conſcientiam ſuæ fidei committere; reſpondet Cancellarius: Quiſquis ita dicis & ſapis, erras & decipieris. Debes ergo ſibi obedire non ut homini, ſed ut Deo jubenti, cujus vices gerit. Unde Lucæ 10. Chriſtus dixit: *Qui vos audit, me audit*; ſi tamen non contra Deum juſſerit. Et quum cauſſa ſcrupuloſitatis, ut dictum eſt ſupra, aliquando procedit ex qualitate complexionis, præcipue melancolicæ, aliquando ex ægritudine ſuperveniente maniaca vel melancolia, aliquando ex indiſcreto vitæ regimine, puta per nimias abſtinentias; pertine-

Vide Prælect. 1. §. 7.

tinebit ad moralem medicum rectorem vel confeſ- A
ſorem in hujuſmodi adhibere remedia de conſilio medicinæ, ut ſcrupuloſus ſeipſum vincat, etſi durum, videatur in aſſumendo illa remedia præcipue conſulta vel data, ſeu impoſita ab ipſo medico ſpirituali. Dicitur enim Eccleſiaſtici 38. *Altiſſimus de terra creavit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam*. Non tamen expedit in omnibus vivere medicinaliter, præcipue religioſis. Nam, ut dicit Ambroſius *De conſec.* Diſt. 5. *Contraria: Contraria ſunt divinæ cognitioni præcepta medicinæ, quæ a jejunio revocant, locubrare non ſinunt, vigilare non permittunt, ab omni intentione meditationis abducunt*. Nec etiam ſcrupuloſus debet timere vitam ſibi abbreviare, ex ob- B
ſervatione præceptorum Dei & Eccleſiæ, vel obſervatione ſuæ religionis, dummodo ex capite ſuo non addat alia magis auſtera. Nam, ut dicitur Jobi 14. *Conſtituiſti terminos ejus*, ſcilicet vitæ hominis, *qui præteriri non poterunt*, nec ſecundum prolongationem, nec ſecundum abbreviationem; ſed etſi abbreviaretur, ſecundum cauſſas ſecundas & naturales, ſibi eſſet ad cumulum præmii, non peccati, illa ſcilicet faciendo ad placendum Deo, & ſecundum communes regulas traditas ab Eccleſia, & religionibus approbatas.

Sexta regula eſt animoſa pugnatio, ſeu repulſio ſcrupulorum, ſeu puſillanimitatis. Ad quod hortatur Dominus, Iſaiæ 35. dicens: *Confortamini puſillanimes, confortamini & nolite timere: ecce enim Deus veſter*, ſcilicet adjuvans & illuſtrans. C
Unde Gregor. in Moral. dicit, quod diabolus aſſimilatur myrmicoleoni, quod animal dicitur leo formicarum: nam formicis, quæ minutiſſimæ ſunt, diſcurrentibus inſidiatur & occidit. Sed alia animalia grandiuſcula itinerando conculcant & perimunt; ſic diabolus inveſtigat complexiones hominum, ut dicit Gregorius, & quos videt parvi cordis, & puſillanimes, & ſcrupuloſos ipſos aggreditur, & ſcrupulis & vitiis occidit. Sed a magnis ſpe & vigore rationis diabolus ipſe proſternitur & abjicitur. Hinc & Cancellarius in quodam tractatu ſuo inquit: Mille ſurgunt apud aliquos ſcrupuli more canum oblatrantes, lacerare minantes ipſos, qui volunt ire per viam Dei, quos convincere & compeſcere melius, quam per contemtum nequimus; tantummodo ſi contemtus ille ſit timoratus & regulatus, non abſque prævio alterius præſertim ſuperioris conſilio. Et idem in Tractatu de regulis moralibus ait: Conſilium ſalubre eſt frequenter agere contra ſcrupulos leves & tepidos, vitando eos ad aliorum judicium, quatenus ex conſuetudine fiat homo robuſtus, ſolidus, & tranquillus in exercitio ſpirituali: ſicut etiam ſiquis vellet ligamentum diſtortum ad rectitudinem ducere, oporteret, quod retorqueret ipſum ex parte oppoſita curvando, & ſic reduci poſſet ad rectitudinem.

Notandum etiam, quod dicit Cancellarius in quodam tractatu, quod aliqui doctores tenent, quibus aſſentit, aliquando non tam meritorium eſſe E
credere, ſicut velle credere, nec dolere ſenſualiter de peccatis, ſicut velle dolere & non poſſe: probatur hoc per Pſalmiſtam dicentem: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua*. Et ita judicat nos Deus ſecundum ſuperioris arbitrium, voluntatem & judicium, & non ſecundum ea, quæ nobis invitis & contranitentibus, portio ſenſualitatis inferior advehit & perducit, qualia ſunt volubilitas imaginationum & phantaſiarum. Solet autem impedire proportionem ſcrupulorum ſententia aliquarum auctoritatum non bene intellectarum; & ideo declarandæ ſunt, ut illa, quæ habetur extra *De ſponſalib. & matrim.* ſcilicet: *In dubiis tutior via eſt eligenda*, propter quod ſcrupuloſus eligit viam rigidiorem. Sed ad hoc reſpondetur, quod eligere viam tutiorem [2] conſilii eſt, non præcepti. Alias oporteret multos ingredi religionem, in qua tutius vivitur, quam in ſæculo. Non ergo de neceſſitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via poteſt eligi tuta. Sicut enim diverſæ viæ tendunt ad unam civitatem, licet una tutior alia ſit; ſic ad civitatem cæleſtem alius ſic, alius ſic vadit, & tute, licet aliquis tutiori modo. Item, quia dicitur Eccleſ. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo;* hinc eſt, quod B. Thomas, & alii dicunt, quod ille, qui agit id, de quo eſt dubium, utrum ſit mortale, vel non, peccat mortaliter, quia periculo ſe exponit mortalis. Quum ergo in aliqua materia morali ſunt variæ & contrariæ opiniones, ille, qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur ſe exponere periculo mortalis, quia in dubio, quum poſſit illa opinio eſſe falſa, & contraria vera. Sed ad hoc reſpondetur, quod utique ille, qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione mortaliter peccat, etiam ſi illud in ſe non eſſet mortale, ſumendo proprie & ſtricte dubitationem, videlicet, prout rationes ſunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat C
quis ad unam, quam ad aliam. Sed ſi dubitet leviter quis per modum ſcrupuli, ſicut dubitat, ſeu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipſi ſententiæ, quod tamen formidat de oppoſito; ſic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus doctoris, & habet rationes probabiles, pro ipſa magis, quam pro oppoſita opinione, etiam ſi ipſa opinio, quam tenet, non eſſet vera; & hoc niſi ipſa opinio ſumta eſſet contra manifeſtum teſtimonium Scripturæ, vel determinationem Eccleſiæ. Talis enim non operatur in dubio de mortali, ſed ſecundum opinionem probabilem; quod magis declarabitur in ſeptima regula. Quod etiam Gregorius dicit: *Bonarum mentium eſt, ibi culpas agnoſcere, ubi* D
culpa non eſt, Diſt. 5. *Ad ejus*, circa fin. ad hoc dicit gloſſa: *Agnoſcere*, ideſt timere, & per aſſenſum firmum determinare. Hoc enim ſtultum eſſet & periculoſum ſecundum Cancellarium.

Septima regula eſt, pro ſcrupulorum depoſitione præceptorum diſcreta epykeizatio, ideſt interpretatio vel declaratio. Æquitas enim, quam philoſophus nominat epykejam, præponderat juris rigori ſecundum juriſperitos. Eſt autem æquitas juſtitia, penſatis omnibus circumſtantiis particularibus, dulcore miſericordiæ temperata. Et ait Sapiens: *Noli eſſe nimis juſtus*, qui *perit in juſtitia ſua*: pertinet autem ad virtutem epykejæ conſiderare non nudum de ſe præceptum, ſed circumſtantias omnes, particulariter ipſum veſtientes. Unde philoſophus 5. Ethic. dicit, quod epikeja interpretativa legum eſt melior, quam juſtitia legalis. Et ſecundum hanc virtutem epykejæ poſſumus præcepta Dei, eccleſiæ, prælatorum, ſeu judicum benigne interpretari. Et in foro quidem contentioſo ejus eſt interpretari, cujus eſt condere, vel ſententiare. Sed in foro conſcientiæ circa præcepta & humana & divina, dico, quod pertinet ad quemlibet pro facto ſuo; ſi tamen rationabiliter interpretetur.

Et ſecundum Joannem de Tambaco ſeptuplex doctrina

[2] Quum ad ſcrupuloſos, quibus hoc loco S. Antoninus mederi vult, dirigatur ſermo; de ſcrupuloſis dubiis accipienda ſunt hæc verba, de iis ſcilicet dubiis, quibus illi timent de peccato, ubi prudenter timendum non eſt. Vide plura in Prælect. 1. §. 7. ubi alia huc pertinentia explicantur.

Doctrina ſeptuplex ſcrupuloſæ conſciẽtiæ proficua.

doctrina per virtutem epykejæ ſcrupuloſæ conſcientiæ proficua dari poteſt. Quarum prima eſt, inter duram & benignam circa præcepta ſententiam, quod 3 benigna eſt potius, ceteris paribus, interpretatio facienda, quod etiam aſſerit Guillelmus. Hujus ratio eſt, quia præcepta Dei & Eccleſiæ non ſunt ad tollendam omnem ſpiritualem dulcedinem, qualis certe tollitur, quando nimis ſcrupuloſe & timide præcepta interpretantur.

Secunda doctrina ſecundum virtutem epykejæ eſt, quod nec Deus nec Eccleſia per ſua præcepta intendit obligare ad impoſſibile alicui. Quum enim ſecundum regulam juris, *nemo poſſit ad impoſſibile obligari*, extra *De regul. jur.* lib. 6. *Nemo*. Non ſolum dicitur impoſſibile, quod abſolute non eſt poſſibile, ſed etiam videtur interpretandum ſecundum virtutem epykejæ in lege nova eſſe impoſſibile, quod vix eſt poſſibile, ut puta nimiam habens difficultatem; alias quomodo ſalvaretur illud: 4 *Onus meum leve?* Matth. cap. 11.

Tertia doctrina eſt, quod nec Deus nec Eccleſia intendit ſuis præceptis aliquem obligare ad hoc, quod ſit fatuus, ideſt talia præcepta loco & tempore non obligant, quibus eorum obſervantia fieret ridiculoſum, ſaltem apud diſcretos & bonos viros. Patet igitur a ſimili de votis ex divino præcepto Deo reddendis; quæ tamen ſi ſtulta ſint, ſecundum doctores, nullus obligatur implere, ad quod facit gloſſa Innocentii ſuper cap. *Noverit*, *De ſentent. excommun.*

Quarta doctrina eſt, quod in dubiis bonorum vita aliis debet eſſe vivendi regula, & tanto magis, quanto meliores ſunt. Unde Hieronymus ad Ruſticum monachum, & habetur 16. quæſt. 1. *Sic vive: Inter bonos ſemper ſectare meliores*; propter quod & Chriſtus diſcipulos ſuos vocat *ſal terræ*, quia videlicet ex moribus ipſorum populi ſunt condiendi, Matth. 5. Et ratio hujus regulæ eſt, quia tales ſecundum virtutem epikejæ præſumi debent habere rectum judicium, quia habent rectum affectum; ſicut ſanus bene judicat de ſaporibus, quia non habet guſtum infectum.

Quinta doctrina eſt, quia in his, quæ ſolum ſunt mala, quia prohibita, ut communiter poſitiva præcepta, multum excuſat vel in toto vel in tanto conſuetudo, ſi ſit præſcripta, immo aliquando tollit legem ſcriptam poſitivam, Diſt. 4. can. *Statuimus*, can. *In iſtis*, & can. ſeq. cum gloſſa. Sicut enim epykeja eſt interpretativa legum; ſic & conſuetudo *eſt optima legum interpres*, extra *De conſuet. Quum dilectus*.

Sexta doctrina eſt, quam tradit Petrus de Palude in 4. ſent. quod homo, ubi non peccat mortaliter, numquam incurrit ſententiam excommunicationis juris. Quum enim per excommunicationem ab homine nullus debeat ejici ab Eccleſia, niſi pro mortali vero vel præſumto ſecundum B. Thomam in 4. quia maxima pœna eſt; ſic etiam quum ſententia judicis non ſit injuſta, poteſt homo formare ſibi conſcientiam, quod ubi non peccat mortaliter, non incurrit ſententiam juris.

Septima eſt, quod in quocumque caſu prætermittens facere hoc, quod lex imponit, poſſet excuſari a peccato; puta quia hoc facit ſine contemtu per virtutem epykejæ ratione alicujus periculi conſiderati, qua poteſt fieri quandoque contra verba legis.

§. II. Revertendo ad quartam omiſſam dico, quod ipſa eſt opinionis alicujus tuta electio. Sunt enim de aliquibus materiis moralibus doctores opinionum contrariarum; & tunc ſcrupuloſi dubitant, quam partem poſſint cum bona conſcientia eligere. Pro cujus enodatione difficultatis notandum, quod cum bona conſcientia poteſt quis tenere unam partem alicujus opinionis, & ſecundum eam operari, excluſo ſaltem ſcandalo, quæ ſcilicet pars habeat pro ſe notabiles Doctores, dummodo talis opinio non ſit contra auctoritatem expreſſam ſacræ Scripturæ, nec contra determinationem eccleſiæ catholicæ, & quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam & credulitatem formet de eo, quod credit tamquam de probabiliori parte, & præcipue quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat, nec invenit aliquid, quod eum ſufficienter moveat ad hoc, quod ſit illicitum. Quod ſint contrariæ opiniones inter Doctores ſanctitate & ſcientia maximos in materia morali, aliquando etiam ad ſalutem neceſſaria, patet per exempla. Nam B. Thomas in 4. tenet, quod poſt lapſum in mortale non oportet aliquem ſtatim confiteri ſub præcepto habita copia confeſſoris, niſi in pauciſſimis caſibus, qui ibi ponuntur Diſt. 17. & cum eo tenet Ricardus; ſed Hugo de ſancto Victore, & B. Bonaventura ſunt in hoc contrariæ opinionis. Sanctitas autem & magnitudo ſcientiæ ipſorum nota eſt toti Eccleſiæ. Neutra autem opinio illorum reprobatur. Et ſi B. Thomæ opinio communis teneatur, quæ tamen minus tuta videtur; Raymundus decretiſta & ſanctus in ſumma tenet, quod participare cum excommunicatis majori excommunicatione in loquela, cibo, & hujuſmodi, in caſu non conceſſo, ſit mortale univerſaliter; ſed B. Thomas in 4. & Joannes Andreas & Archidiaconus tenent contrarium. Et illud contrarium communiter tenetur; & ſic exempla innumera poſſent poni. Quod autem dicit B. Thomas in quodlibeto 3. quæſt. 4. art. 2. quando duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram eſſe veram & alteram falſam. Si ergo ille, qui facit contra opinionem magiſtrorum, ut puta in habendo plures præbendas, faciens contra veram opinionem, non excuſatur a peccato, quum faciat contra legem Dei, quamvis non faciat contra conſcientiam. Hæc enim verba B. Thomæ non poſſunt intelligi, niſi de his, ubi 5 manifeſte patet ex ſcriptura vel Eccleſiæ

Nota conditiones, quibus opinionem benignam licet ſequi.

3 Conſule Prælect. 1. *§.* 7. num. 22. aliud enim eſt, quum agitur de dubio ſcrupuloſo, quod levibus, aliud vero quum de probabili, quod gravibus utrinque argumentis nititur. De illo ſolum dubio heic Antoninus loquitur; ſecus autem quum de probabili, ut fuſius liquet ex memorata Prælectione. Vide *§.* 12.

4 Hoc principium ſi diſtrahatur (ut a non nullis fit) a ſcrupuloſis opinionibus ad vere probabilia, ut probabilium legum vis elidatur, confer, quæ in hanc rem ex Antonino monuimus Prælect. 1. *§.* 13. ſub finem.

5 Sermo heic eſt de eo, qui in controverſia tum celebri & obſcura *non facit contra conſcientiam*, ut S. Thomæ verba, quæ Auctor interpretatur, ſignificant. Porro ille ex Antonino *non facit contra conſcientiam*, qui ita *bonam ſibi conſcientiam & credulitatem format de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte, & præcipue quando adhibuit diligentiam inquirendo, an liceat, nec invenit aliquid, quod eum ſufficienter moveat ad hoc, quod ſit illicitum*, ut paullo ante ſe ſe explicavit. Vide plura in Prælect. 1. num. 23. Errorem ergo ſolum, qui in vere probabiliori opinione prudenter inducta fortaſſis contineatur, niſi contra expreſſum Scripturæ ſacræ teſtimonium, vel contra Eccleſiæ determinationem ſit, excuſabilem habuit; pro ratione ſcilicet ignorantiæ, quæ errori cauſſam dedit: hæc enim ſi in ejuſmodi errore plane invincibilis ſit, excuſat a toto; ſin autem venialis, a mortali ſolum excuſat, ut ex noſtro Auctore pluribus dicemus not. 4. in c. 14. tit. 4.

Inter

cleſiæ determinatione, quod ſit contra legem Dei: & non de illis intelligit, ubi non apparet; alias ſibi contradiceret in eodem libro, quod non eſt credendum. Item Ulricus in ſumma dicit, quod ſiquis de aliquo agendo dubio magis peritos conſulat, de quo nullam habet expreſſam auctoritatem, utrum ita ſit, vel non: dummodo formet ſibi [6] bonam conſcientiam, etiam ſi res aliter ſe habeat, quam id quod ſentit, & quod ſibi conſultum fuerit, excuſatur, quia fecit, quod po-
7 tuit, & Deus plus non requirit. [7] Item ex reſponſis, quæ videntur data ab Alberto Magno, habetur, quod frater ſimplex vel quilibet homo cum ſalute poteſt ſequi in conſiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Doctoris magni opinionem ſequatur. Hoſtienſis etiam dicit extra *De cognat. ſpirit.* ſuper cap. *Si vir*, ubi ſunt diverſæ opiniones & diverſa judicia, ſemper * humanior præferenda & æquior. Et ad idem facit, quod ait Auguſtinus, Diſt. 9. *Sana.* Guillelmus etiam in gloſſa Raymundi dicit, quod in apicibus juris, ubi dubitant etiam ſapientes, excuſabilis eſt ignorantia. Tamen ſi aliquis bona fide partem illam, vel illam [8] elegerit, non debet ſuper hoc habere conſcientiam nimis ſcrupuloſam. Item Petrus de Palude ſuper 4. Diſt. 17. dicit: Quod ſi confeſſor dubitaret, utrum illud, de quo confitens non pœnitet, nec confitetur,

* Vide nor. 3.

Ignorantia in apicibus juris eſt excuſabilis.

8

A eſſet mortale, & ipſe confitens dicit, quod conſilio peritorum illud fecit, de quibus ex vita & ſcientia probabile eſt, quod non conſulerent niſi bene, [9] illi judicio ſe poteſt conformare. Secus 9
autem eſſet, ſi eſſet certus de oppoſito. Idem videtur ſentire Goffridus de Fontibus, in his ſcilicet opinionibus contrariis, quæ tolerantur ab Eccleſia (ut dictum eſt.) Et quod debet proponere confitenti, quod bene ſtudeat de hoc ſeipſum per prudentes informare, eo quod alii tenent contrariam opinionem, maxime ſi illius contrariæ opinionis confeſſor ſit inordinarius ejus, & ſic eum abſolveret. Item ſentit Ricardus Claremontanus non diſtinguendo, utrum confeſſor ejus ſit ordinarius, vel non ordinarius. Idem poteſt ha-
B beri ex decretali, extra *De ſent. excomm. Inquiſitioni*, tam in textu quam in gloſſa, ubi declaratur, quando mulier uxorata incipit per novam informationem dubitare, an attineat viro gradu prohibito, quomodo ſe debeat habere in tali dubio circa exactionem vel redditionem debiti conjugalis. Probatur & hoc idem tali ratione ſecundum Cancellarium: Non plus nocet homini errare in articulo fidei, qui non eſt declaratus adhuc ab Eccleſia, quod ſit articulus de neceſſitate credendus, quam nocere poſſet actus moralis contra aliquid agibile perpetratus, quia actus non dicitur eſſe certus ex ſcriptura aut determinatione

Inter opiniones autem, quæ æque vel fere æque probabiles judicentur, ignorantiam, ſi quæ prætendatur, neque invincibilem eſſe poſſe, neque venialem, ex eodem Auctore probatum nobis eſt in memorata Prælectione §. 13.

6 *Bonam conſcientiam*, quam ſcilicet ſibi formet *de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte*, ut antecedenti notatione ex ipſo Auctore explicavimus. Confer tamen not. 4. in cap. 14. tit. 4. ubi Antonini locum, qui huic Ulrici teſtimonio exceptionem adjicit, deſcriptum invenies.

7 P. Matthæus de Moya in quæſtionibus ſelectis tract. 1. quæſt. 4. §. 1. num. 2. Willelmo, non autem Alberto hoc dictum attribuit ex Joanne Nider in Conſolatorio timoratæ conſcientiæ, editionis Romanæ an. 1604. Hanc ego editionem videre non potui, ſed vetuſtiorem habeo Venetam an. 1532. in qua non Willelmus, ſed Albertus præfertur: uti Alberto quidem adſcribit etiam Antoninus, qui ex Joanne Nider locum exſcripſit. De ſententia autem Alberti, quæ pro ſcrupuloſis ſolum affertur, eamque conditionem requirit, *dummodo ex contrarietate opinionum non inducatur, ad dubitandum, ſed bonam ſibi conſcientiam & credulitatem formet de eo, quod credit, numquam de probabiliori parte*, ut ex ipſo Antonini contextu, qui ex Joanne Nider ſumtus eſt, pluribus expoſui Prælect. 2. num. 13. de Alberti, inquam, ſententia ne quis dubitet, perſpicuum ejus teſtimonium hoc loco appendam ex tract. 1. de homine quæſt. 7. art. 2. ubi ſolam probabiliorem ſententiam, quæ nihil grave in contraria diſcernit, unde ad dubitandum moveatur, licitam ſtatuit. Secunda enim quæſtiuncula ibidem propoſita eſt hæc: *Præterea quæritur heic de regula quorumdam dicentium, quod ſi aliquis eſt dubius de aliquo, an ſit mortale peccatum, & facit illud peccatum, peccat mortaliter propter contemtum. Ponamus enim, quod dubitet, & habet rationes probabiles ad oppoſitum, ſed tamen non ſufficientes; tunc enim non videtur contemnere, eo quod ſequitur magis probabile.* Addit mox quæſtiunculam tertiam his expreſſam verbis: *Præterea quæritur de hoc, quod etiam datur pro regula, quod dubia in ſecuriorem partem interpretanda ſunt: ſecurior autem videtur pars eſſe, quæ plures rationes habet*: cui poſtremæ parti illud opponit: *Ibi non eſt ſecuritas, ubi eſt timor periculi; ſæpe autem ibi eſt timor periculi, ubi ſunt plures rationes.* Vides heic agi de dubio, & probabili quidem, quod ex *rationibus probabilibus* exoritur. Vides hoc in dubio inculcari ſolummodo licitum *ſequi magis probabile*, ſine quo peccati contemtus certus adſtruitur. Vides principium de tutiori ac ſecuriori opinione in dubiis ejuſmodi deligenda habitum vulgo fuiſſe tamquam *regulam*, quæ ſcilicet nullam in dubitationem apud Theologos venerat, immo dubitationibus ipſis ſolvendis adhibebatur. Inter hæc autem illud unum ingerebat aliquid dubii, num *magis probabile*, quod ex *pluribus rationibus* cognoſcitur, dubitationem habeat atque contemtum, & num propterea in his probabilioribus rationibus ſecuritas ſit. Ad hæc autem Albertus, reſpondens primo ad quæſtiunculam ſecundam, quæ dubitationem & contemtum reſpicit, ait: *Dicendum, quod duplex eſt dubitans, ideſt dubitans ſupponens aliquid magis eſſe* (mortale) *quam non eſſe; & de tali intelligitur regula* (quod ſcilicet *peccat mortaliter propter contemtum*): *& eſt dubitans nihil ſupponens* (ideſt non ſupponens aliquid grave pro peccato) *& de hoc non eſt verum*, quod videlicet peccet ex contemtu: ubi palam præſumit eum ex contemtu peccare, qui rationes probabiliores cognoſcit, quibus probetur *magis eſſe peccatum, quam non eſſe*; & eum ſolum non peccare ex contemtu, qui nihil grave contrarium agnoſcens, multo probabiliores rationes ſequitur. Tum vero ad tertiam quæſtionem, quæ reſpicit partem tutiorem, reponit: *Dicendum quod duplex eſt ſecuritas, ideſt remotius a falſo, & remotius a periculo. Et ſecundo modo intelligitur regula* (de tutiori parte in dubiis eligenda, quum ſcilicet pars tutior a peccandi periculo remotior ſit) *prima vero objectio procedit in ſenſu primo*, quatenus ſcilicet in tutiori parte falſum ineſſe poteſt. Itaque hanc partem licet errandi periculo expoſitam, ut ne ex hoc ſecura ab errore ſit, quum tamen peccandi periculo vacet, omnino eligendam in dubiis contendit, & hoc ſenſu conſtantem eſſe regulam in quæſtiuncula tertia propoſitam fatetur. Conferri poteſt locus ejuſdem Alberti in 4. Sent. diſt. 21. art. 12. ubi controverſiam de peccatis dubiis, num confitenda ſint, affirmative dirimit hac eadem regula, *quod dubia in certiorem partem interpretanda ſunt*. Hæc Alberti certa teſtimonia ſunt, quibus ne opponatur reſponſum, quod ejus nomine circumfertur, ita accipiendum eſt, ut *liceat quamcumque opinionem ſequi*, dummodo dubium non relinquat, niſi quo *nihil grave ſupponatur* pro parte benigniori, ac proinde inducatur *bona conſcientia tamquam de probabiliori parte*, ut ex Auctore innuimus.

8 Subauditur & heic conditio, *dummodo bonam conſcientiam ſibi formet de probabiliori parte*, ut not. 5. fuſius explicavimus: *nam bona fides*, quæ hoc loco requiritur, *a bona conſcientia* nihil diſcrepat.

9 Hoc teſtimonium, ſicut & alia id genus, probabilitati nihil favere oſtendi Prælect. 1. num. 24. ubi & Auctoris ſententiam expoſui.

tione Eccleſiæ, quod ſit illicitus. Patet hoc ex eo, quod fides eſt tam neceſſaria, ſicut virtutes morales, & ſi non amplius. Sed conſtat communiter apud Theologos, quod in materia fidei, dum doctores ſentiunt contraria, licitum eſt ante determinationem Eccleſiæ tenere unam partem vel alteram ſine periculo peccati vel fidei, ut patet in abbate Joachim, qui tenebat contrarium ad id, quod Magiſter ſententiarum dixerat in 1. Diſt. 1. lib. pro quo Magiſtro ſententiarum Eccleſia poſtmodum determinavit, extra *De ſumm. Trinit.* cap. *Damnamus*. Nec tamen dictus Joachim incidit in hæreſim aut perfidiam propter hoc, quia dicta ſua omnia ſubjecit correctioni Eccleſiæ. Ergo a ſimili licet unam opinionem in moralibus tenere, 10 juxta limitata ſuperius, ubi ſaltem magis ſapientes non ſentiunt contrarium, & ubi paratus eſt obedire Eccleſiæ & Scripturæ, ſi ei errorem explanaverit. Solet autem movere ſcrupuloſos, & detinere illud dictum Auguſtini: *Tene certum, & dimitte incertum*, *De pœnit.* Diſt. 7. can. *Si quis autem*. Sed ubi in eadem materia morali ſunt contrariæ opiniones doctorum, illa videtur tutior, quæ eſt rigidior, & ſic potius amplectenda; ad quod inſtigantur ſcrupuloſi. Sed ad hoc reſpondetur, quod Auguſtinus loquitur in dicto canone proprie de eo, qui differt pœnitentiam uſque ad extremum vitæ, cujus ſalvatio dubia eſt & incerta, non quia vera pœnitentia non poſſit eſſe in extremis, & Deus indulgeat, ut patet in latrone cum Chriſto crucifixo; ſed quia incertum eſt & dubium, utrum talis vere pœniteat, quia videtur moveri principaliter timore gehennæ magis, quam reſpectu divinæ offenſæ & divinæ gloriæ, quod requiritur ad veram pœnitentiam ſecundum Auguſtinum, *De pœnit.* Diſt. 7. *Nullus*. Sed extendatur illa auctoritas Auguſtini ad alias materias morales.

Submiſſio Eccleſiæ excludit hæreſim.

Vide pariter 3. tit. 14. c. 11. not. 2.

Notandum ſecundum Cancellarium, quod certitudo, quæ requiritur in materia morali, non eſt certitudo evidentiæ, ſed probabilis conjecturæ: & pro hujus declaratione ſciendum, quod triplex eſt certitudo. Una ſupernaturalis, alia naturalis, tertia civilis ſeu moralis. Et certitudo ſupernaturalis ita ſe habet, quod non ſtat aliquem certa ſentire & falli: & ipſa eſt triplex. Prima evidentiæ intuitiva, qualis eſt beatorum ſupernæ patriæ. Alia eſt evidentiæ revelatæ, ut in prophetarum illuſtratione. Tertia eſt ſolius adhærentiæ in ſpeculo & enigmate, qualis eſt certitudo fidei, quæ non innititur evidentiæ rationis humanæ, ſed auctoritati divinæ, quæ continetur in ſacra Scriptura. Eſt autem quælibet trium certitudinum ſupernaturalium tanta, quod per nullam potentiam etiam divinam & abſolutam fallax eſſe poterit; alioquin Deus negaret ſe ipſum.

Triplex eſt certitudo. Supernaturalis.

Naturalis. Certitudo vero naturalis ita ſe habet, quod non ſtat per naturam aliquam taliter aſſentire & falli, quam philoſophi nobis poſuerunt poſſibilem in principiis per ſe notis, cognitis ſcilicet ex ſola apprehenſione terminorum, ut quodlibet eſt, vel non eſt. Poſuerunt etiam in concluſionibus demonſtrativis, & in conſequentia evidenti deductis per talia principia, quemadmodum dixerunt, ſcientiam mathematicam eſſe ſcientiam certiſſimam.

Moralis. Tertia certitudo, ſcilicet moralis ſeu civilis tangitur una cum præcedenti in principio Ethicorum, ubi dicitur quod diſciplina eſt in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ. Æque enim vitioſum eſt perſuadentem quærere mathematicum & moralem demonſtrantem. Non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis groſſis & figuralibus magis ad unam partem, quam ad aliam ſe habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus & maxime ſapientibus apparet verum. Ex his igitur ſequitur, quod in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, teſte Ariſtotele & experientia, ſufficit talis certitudo, quæ non ſemper ſcrupulos omnes abjiciat; ſed ſufficit, ut contemnat ſeu ſuperet eos. Ad quod etiam optimum facit illud Leonis Papæ dicentis: *In his, quæ dubia fuerint aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum Patrum inveniatur adverſum*, Diſt. 14. cap. *Sicut quædam*. Iſta autem certitudo moralis colligitur ex uno trium modorum, videlicet: Ex alterius auctoritate, quod pertinet ad incipientes, qui ſcilicet erudiuntur per alios in doctrinis, & addiſcunt, & obediunt, juxta illud Deut. 32. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit* &c. Secundus modus eſt ex propria eruditione, quod congruit proficientibus ſtudendo in Scripturis, juxta illud Proverb. 27. *Stude ſapientiæ, fili mi*. Tertius modus ex circumſpectione circumſtantiarum; & hoc quoad perfectos.

Quæ probabilitas moralem certitudinem pariat.

CAPUT XI.

De actu intellectus.

DE actu intellectus. Et primo quomodo cognoſcit anima in corpore. Et quantum ad hoc conſideratio erit tripartita.

Primo de cognitione eorum, quæ ſunt infra ſe.

Secundo de cognitione eorum, quæ ſunt in ipſa anima & de ſe.

Tertio de cognitione eorum, quæ ſunt ſupra ipſam.

§. I. Anima cognoſcit corpora per intellectum. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas in 1. parte quæſt. 84. art. 1. quod primi philoſophi, qui de naturis rerum inquiſierunt, putaverunt nil eſſe in mundo, niſi corpus. Et quia videbant omnia corpora eſſe mobilia, & putabant eſſe in continuo flexu, æſtimabant, quod nulla certitudo de rerum varietate haberi poſſit a nobis. Quod enim eſt in continuo flexu per certitudinem, apprehendi non poteſt, quia prius labitur, quam a mente dijudicetur: ſicut Eraclius dixit, quod non erat poſſibile aquam fluvii currentis bis tangere, ut recitat philoſophus in 4. Methaph. His autem ſuperveniens Plato, ut poſſet ſalvare, certam cognitionem a nobis veritatis per intellectum poſſe haberi, poſuit præter iſta corporalia quaſdam ſubſtantias ſubſiſtentes ſeparatas a materia, & a motu, quas nominavit *ſpecies* vel *ideas*, per quarum participationem unumquodque ſingularium & ſenſibilium iſtorum dicitur homo, vel equus, vel aliquid hujuſmodi. Sic ergo dicebat ſcientias & diffinitiones, & quidquid ad actum intellectus pertinet, non ad iſta materialia & ſenſibilia referri, ſed ad illa immaterialia & ſeparata, ut ſic anima non intelligat iſta corporalia, ſed intelligat horum corporalium ſpecies ſeparatas. Quod apparet eſſe falſum, quia quum illæ ſpecies ſeparatæ ſint immateriales & immobiles, ſecundum ipſum excluderetur a ſcientiis cognitio & motus materiæ, quod eſt proprium ſcientiæ naturalis & demonſtratio per cauſſas moventes & materiales.

De cognitione corporum.

Ideæ Platonis.

Dicendum igitur, quod anima per intellectum cognoſcit corpora cognitione intellectuali, immateria-

Materialia quomodo cognoſcuntur.

10 *Limitatio* ſuperius allata eſt illa conditio, quam indicavi not. 8. & declaravi fuſius in Prælect. 1. n. 23.

teriali, univerſali, & neceſſaria. Sicut enim forma ſenſibilis alio modo eſt in re, quam eſt extra animam, & alio modo in ſenſu, qui ſuſcipit formas ſenſibilium abſque materia, ſicut colorem auri abſque auro; ſic intellectus ſpecies corporum, quæ ſunt materiales & mobiles, recipit immaterialiter & immobiliter ſecundum modum ſuum. Nam receptum eſt in recipiente per modum recipientis.

Quod autem Auguſtinus dicit in lib. ſoliloquiorum, corpora intellectu comprehendi non poſſe, intelligendum eſt, quantum ad ea, quibus mediantibus intellectus intelligit, non quantum ad ea, quæ cognoſcit. Cognoſcit enim intellectus corpora, ſed non per corpora, nec per ſimilitudines corporales & materiales, ſed per ſpecies immateriales & intelligibiles, quæ per ſui eſſentiam eſſe poſſunt in anima. Et ut dicit etiam Auguſtinus ultimo de civit. Dei, non eſt dicendum, quod ſicut ſenſus cognoſcit ſola corporalia, ita intellectus cognoſcit ſola ſpiritualia; quia ſequeretur quod Deus & Angeli corporalia non cognoſcerent. Hujus diverſitatis ratio eſt, quia inferior virtus non ſe extendit ad ea, quæ ſunt virtutis ſuperioris, ſed bene ſuperior virtus ad ea, quæ ſunt inferioris virtutis, excellentiori modo operatur. Quamvis etiam tranſmutetur forma ſubſtantialis rerum inferiorum; remanet tamen materia immobilis rerum. Rerum etiam mutabilium ſunt habitudines immobiles: ſicut Socrates, etſi non ſemper ſedeat, tamen immobiliter verum eſt, quod quando ſedet, in uno loco manet; & propter hoc nihil prohibet de rebus mobilibus immobilem ſcientiam habere.

Anima intelligit per intellectū, & non per ſuam eſſentiam.

§. II. Anima humana non cognoſcit per eſſentiam ſuam corpora, ſed per intellectum mediantibus ſpeciebus intelligibilibus. Antiqui autem philoſophi poſuerunt animam ipſam per eſſentiam ſuam cognoſcere omnia. Et quia conſiderabant res inferiores cognitas eſſe corporeas & materiales, poſuerunt etiam oportere res cognitas eſſe in anima cognoſcente materialiter. Et ideo ut animæ attribuerent omnium cognitionem, poſuerunt eam habere naturam communem cum omnibus. Et quia natura principiatorum ex principiis conſtituitur, attribuerunt animæ naturam principii. Unde qui dixit principium omnium eſſe ignem, dixit, animam eſſe de natura ignis. Qui dixit eſſe aerem principium omnium, dixit, animam eſſe ex aere. Empedocles, qui poſuit quattuor elementa principium omnium, dixit animam ex his conſtitutam. Sed hæc eſt falſa opinio, & eam reprobat Ariſtoteles in primo de anima. Quod autem ipſe in 3. de anima dicit, animam quodammodo eſſe omnia; non ex hoc vult dicere, quod actu ſit compoſita anima ex omnibus; ſed in quantum eſt in potentia ad omnia per ſenſum ad ſenſibilia, & per intellectum ad intelligibilia. Solus ergo Deus eſt, qui per eſſentiam ſuam intelligit omnia, quia eſſentia ejus immaterialiter in ſe omnia habet, prout effectus virtute præexiſtunt in ſua cauſſa. Non autem anima humana vel Angelus per eſſentiam ſuam cognoſcit omnia. Intellectus tamen cognoſcit perfectius quam ſenſus, quia ſenſus accipit formam rei cognitæ ſine materia, ſed cum materialibus conditionibus. Intellectus autem abſtrahit in cognoſcendo non ſolum a materia, ſed etiam a conditionibus individuantibus materialibus.

Opinio erronea repellitur.

Anima nō habet ſpecies naturaliter inditas, ſed acquiſitas.

§. III. Anima humana non intelligit per ſpecies naturaliter inditas, quia eas non habet. Unde philoſophus in 3. de anima dicit, quod intellectus eſt ſicut tabula raſa, in qua nihil eſt ſcriptum.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra, quod nos videmus, quod homo quandoque eſt cognoſcens in potentia tantum, tam ſecundum ſenſum, quam ſecundum intellectum. Et de tali potentia ad actum reducitur, ut ſentiat quidem per actiones ſenſibilium, in ſenſu; ut intelligat autem per diſciplinam aut inventionem. Unde oportet dicere, quod anima cognoſcitiva ſit in potentia, tam ad ſimilitudines, quæ ſunt principia ſentiendi, quam ad ſimilitudines, quæ ſunt principia intelligendi. Et propter hoc Ariſtoteles poſuit, quod intellectus, quo anima intelligit, non habet aliquas ſpecies naturaliter inditas, ſed eſt in principio in potentia ad omnes ſpecies hujuſmodi. Sed quia id, quod habet actu formam, interdum non poteſt agere ſecundum formam propter aliquod impedimentum, ſicut leve non poteſt ferri ſurſum, ſi impediatur; propter hoc Plato poſuit, quod intellectus noſter naturaliter eſt plenus omnibus ſpeciebus intelligibilibus; ſed per unionem corporis impeditur, ne poſſit in actum exire. Sed hoc non videtur convenienter dictum; quia ſi habet anima naturalem cognitionem omnium, non videtur eſſe poſſibile, quod hujuſmodi notitia naturalis habeat tantam oblivionem, quod neſciat ſe hujuſmodi ſcientiam habere. Nullus enim obliviſcitur ea, quæ naturaliter cognoſcit; ſicut quod omne totum eſt majus ſua parte: & præcipue eſt hujuſmodi inconveniens, ſi ponatur naturale eſſe animam uniri corpori. Apparet etiam inconveniens iſtud ex hujuſmodi, quia deficiente uno ſenſu, deficit ſcientia in homine eorum, quæ apprehenduntur per illum ſenſum. Sicut cæcus natus nullam habere poteſt notitiam de coloribus, quod non eſſet, ſi naturaliter omnium rerum intelligibilium rationes anima haberet. Intellectus autem Angelicus a principio ſuæ creationis fuit repletus hujuſmodi ſpeciebus intelligibilibus, quibus intelligit perfecte. Unde in libro de cauſſis dicitur: Omnis intelligentia eſt plena formis, ſcilicet Angeli, non autem homines.

Unde habet anima ſpes intelligibiles.

§. IV. In animam non effluunt ſpecies intelligibilium ab aliquibus formis ſeparatis, ut dixerunt quidam, ſcilicet Plato & Avicenna. Sed alio & alio modo. Nam ut ponit B. Thomas in 1. parte quæſt. 84. art. 4. Plato dixit formas rerum ſenſibilium per ſe ſine materia ſubſiſtentes, ſicut formam hominis, quam nominabat *per ſe hominem*, & formam equi ſeu ideam, quam *per ſe* nominabat *equum*; & ſic de aliis. Has igitur formas ſeparatas dicebat participari ab anima noſtra ad cognoſcendum & a materia corporali ad eſſendum; & ita intellectus noſter per hoc, quod participat ideam lapidis, intelligit lapidem. Participatio autem ideæ eſt per aliquam ſimilitudinem ipſius ideæ in participante ipſam per modum, quo ab exemplato participatur exemplar. Et ſic ponebat ſpecies intelligibiles intellectus noſtri eſſe ſimilitudines quaſdam idearum ab eis effluentes. Sed Ariſtoteles probat eſſe contra rationem rerum ſenſibilium, quod earum formæ ſubſiſtant abſque materia.

Avicenna autem remota hac poſitione Platonis poſuit omnium rerum ſenſibilium ſpecies intelligibiles, non quidem per ſe ſubſiſtere abſque materia, ſed præexiſtere immaterialiter in intellectibus ſeparatis, a quorum primo derivantur hujuſmodi ſpecies in ſequentem; & ſic de aliis uſque ad ultimum intellectum quem nominat intellectum agentem, a quo, ut ipſe dicit, effluunt ſpecies intelligibiles in animas noſtras, & formæ ſenſibiles in materiam corporalem. Sed ſecundum hanc poſitionem ſufficiens ratio non poſſet aſſignari, quare anima noſtra corpori uniretur. Non enim poteſt dici, quod uniatur anima propter corpus, quia nec forma eſt propter materiam, nec motor

Quando corpus ſubſervit animæ.

tor propter mobile, ſed potius e converſo. Maxime autem eſt corpus neceſſarium animæ intellectivæ ad operationem ejus propriam, quæ eſt intelligere; quia ſecundum eſſe ſuum a corpore non dependet: ſi autem ſpecies intelligibilis eſſet apta nata recipere naturaliter per influentiam aliquorum ſeparatorum principiorum tantum, & non acciperet eas a ſenſibus, non indigeret corpore ad intelligendum; unde fruſtra corpori uniretur. Si autem dicatur, quod anima indiget ſenſibus ad intelligendum, quibus quodam modo excitetur ad conſiderandum ea, quorum ſpecies intelligibiles accipit a ſubſtantiis ſeparatis; hoc non videtur ſufficere, quia hujuſmodi excitatio non videtur neceſſaria, niſi ad excitandam animam quaſi conſopitam & oblivioſam ſecundum Platonicos. Et ſic ſenſus non proficerent animæ intellectivæ, niſi ad tollendum impedimentum, quod provenit animæ ex corporis unione. Remanet ergo quærendum, quæ ſit cauſſa unionis animæ ad corpus. Patet etiam falſitas hujus ex hoc, quod qui deficit uno ſenſu, caret ſcientia ſenſibilium illius ſenſus; quod non eſſet, ſi ex intellectibus ſeparatis effluerent ſolum ſpecies intelligibiles in animam. Et quia omne, quod per participationem eſt tale, reducitur in aliquod principium, quod per eſſentiam eſt tale, ut ignita reducuntur ſicut in cauſſam in ignem; ideo ſpecies intelligibiles, quas participat intellectus noſter, reducuntur ſicut in cauſſam primam in aliquod principium, quod per eſſentiam eſt intellectuale, ſcilicet Deum, & ab illo principio procedunt mediantibus formis ſenſibilium rerum & materialium, a quibus ſcientiam colligimus, ut dicit Dionyſius.

Quid eſt cognoſcere in rationibus æternis.

§. V. Anima intellectiva cognoſcit res materiales in rationibus æternis.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra art. 5. quod philoſophi, ſi qua dixerunt vera & fidei noſtræ accommodata, tamquam ab injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vindicanda ſunt: ſimulata vero & ſuperſtitioſa eorum evitari debent. Auguſtinus ergo, qui imbutus fuit doctrinis Platonicorum, ſi qua invenit; fidei accommodata in eorum dictis, aſſumſit, fidei autem noſtræ adverſa in melius commutavit. Quia igitur Plato poſuit, formas rerum per ſe ſubſiſtere a materia ſeparatas, quas ideas vocabat, per quarum participationem dicebat intellectum noſtrum intelligere (hoc autem alienum eſt a fide noſtra) ideo Auguſtinus in libro 83. quæſtionum loco harum idearum, quas Plato ponebat, poſuit, rationes omnium creaturarum eſſe in mente divina, ſecundum quas omnia formantur, & ſecundum quas etiam anima noſtra omnia cognoſcit. Sed ſciendum quod aliquid in aliquo cognoſci dicitur dupliciter: uno modo ſicut in objecto vel ſubjecto cognito, ſicut aliquis videt in ſpeculo omnia, quæ in ſpeculo repræſentantur. Et hoc modo anima noſtra in ſtatu vitæ præſentis non videt omnia in rationibus æternis; ſed in eis omnia cognoſcunt beati, qui Deum vident, & omnia in eo. Alio modo dicitur cognoſci aliquid in aliquo, ſicut in cognitionis principio. Sicut ſi dicamus, quod in ſole videntur omnia, quæ videntur per ſolem. Et ſic neceſſe eſt dicere, quod anima noſtra in rationibus æternis omnia cognoſcit per participationem earum. Ipſum enim lumen intellectualem, quod eſt in nobis, non eſt aliud niſi quædam participata ſimilitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ. Unde in pſal. 4. dicitur: *Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?* Cui quæſtioni reſpondens Pſalmiſta ait: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*, quaſi diceret: Per ſigillationem ipſam divi-

Aliquid in alio cognoſcitur dupliciter.

A ni luminis omnia nobis demonſtrantur; quia tamen præter lumen intellectuale in nobis exiguntur ſpecies intelligibiles acceptæ a rebus ſenſibilibus, ut de eis ſcientiam habeamus; ideo non per ſolam participationem rationum æternarum de rebus materialibus notitiam habemus; ſicut Platonici poſuerunt, quod per ſolam participationem idearum ſcientiam haberemus.

Humana cognitio quatenus a ſenſu pendeat.

§. VI. Intellectiva cognitio accipitur a rebus ſenſibilibus, non tamen totaliter & perfecte; ſed quædam eſt materia media cauſſæ cognitionis, ſecundum illud philoſophi in 1. Meth. Omnis noſtra cognitio ortum habet a ſenſu. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra art. 6. quod circa hæc fuit triplex opinio philoſophorum. Democritus dixit, quod nulla alia eſt cauſſa noſtræ B cognitionis, niſi quum ab his corporibus, quæ cogitamus, veniunt, atque ſubintrant imaginationes in animas noſtras. Et ſic poſuit iſte cognitionem noſtram fieri per idola & defluxiones; ut Ariſtoteles dicit de eo in libro de ſomno & vig. Et hujuſmodi poſitionis ratio fuit, quia ipſe & antiqui non ponebant, intellectum differre a ſenſu. Plato vero poſuit, intellectum eſſe virtutem immaterialem organo corporeo non utentem, & intellectualem cognitionem a ſenſibili non procedere, ſed per participationem idearum, ut dictum eſt ſupra. Nec etiam ſenſibilem cognitionem a ſenſibilibus procedere; ſed quod ſolum ſenſibilia excitant animam ad ſentiendum, ſicut etiam ad intelligendum. Ariſtoteles autem media via proceſſit: poſuit quidem cum Platone differre intellectum a ſenſu, & cum Democrito, quod operationes ſenſitivæ partis cauſſentur per impreſſionem ſenſibilium in ſenſu; ſed non tamen per modum defluxionis, ut Democritus poſuit, ſed per quamdam operationem. Intellectum vero poſuit habere operationem abſque communicatione corporis; nihil autem corporeum imprimere poteſt in rem incorpoream. Et ideo ad cauſſandum intellectualem operationem, non ſufficit impreſſio ſenſibilium corporum; ſed requiritur aliquid nobilius, eo quod agens eſt nobilius patiente. Id autem ſuperius & nobilius eſt ſecundum Ariſtotelem intellectus agens, de quo ſupra. Hic facit phantaſmata accepta a ſenſibus intelligibilia in actu per modum D abſtractionis cujuſdam. Secundum hoc ergo intellectualis cognitio a ſenſibilibus cauſſatur ex parte phantaſmatum; ſed quia phantaſmata non ſufficiunt immutare intellectum poſſibilem, oportet quod fiant intelligibilia in actu per intellectum agentem. Et ideo non poteſt dici, quod cognitio ſenſibilis totalis & perfecta cauſſa ſit cognitionis intellectualis.

Opinio Platonis.

Ad intellectionem requiritur converſio intellectus ad phantaſmata.

§. VII. Intellectus humanus non poteſt actu intelligere per ſpecies intelligibiles, quas penes ſe habet, niſi convertendo ſe ad phantaſmata in vita præſenti. Unde philoſophus in libro de anima dicit, quod nihil intelligit anima ſine phantaſmate. Et contrarium dicit B. Thomas ubi ſupra art. 7. eſſe impoſſibile; quod ſecundum ipſum apparet duobus indiciis. E

Primo quidem, quia quum intellectus ſit quædam vis non utens organo corporali; nullo modo impediretur a ſuo actu per læſionem alicujus organi corporalis, ſi non requireretur ad actum ejus actus alicujus potentiæ utentis organo corporali, ut ſenſus, imaginatio, & aliæ vires pertinentes ad partem ſenſitivam. Unde manifeſtum eſt, quod ad hoc, quod intellectus actu intelligat non ſolum accipiendo ſcientiam de novo, ſed etiam utendo ſcientia jam acquiſita, requiritur actus imaginationis & ceterarum virtutum. Videmus enim, quod impedito actu virtutis memorativæ, ut accidit in lethargicis, per læſionem organi corporalis, impeditur homo ab intelligen-

gendo in actu etiam ea, quorum jam ſcientiam habuit. A

Secundo quia hoc quilibet in ſeipſo experiri poteſt, quod quando aliquis conatur aliquid intelligere, format ſibi aliqua phantaſmata per modum exemplorum, in quibus quaſi inſpiciat quod intelligere ſtudet. Et inde eſt, quod quando volumus aliquem facere intelligere aliquid, proponimus ei aliqua exempla, ex quibus ſibi phantaſmata formare poſſit ad intelligendum. Hujus autem ratio eſt, quia potentia cognoſcitiva proportionatur cognoſcibili. Unde intellectus Angeli, qui eſt totaliter a materia ſeparatus, objectum proprium eſt ſubſtantia intelligibilis a corpore ſeparata, & per hujuſmodi intelligibile materialia cognoſcit. Intellectus vero humani, qui eſt conjunctus corpori, eſt objectum proprium quidditas, ſeu natura in corporali exiſtens materia; & per hujuſmodi naturas viſibilium rerum cognoſcit, & etiam ad aliqualem notitiam inviſibilium aſcendit. De ratione autem hujus naturæ eſt, quod in aliquo individuo exiſtat, quod non eſt abſque corporali materia. Sicut de ratione equi naturæ eſt, quod ſit in hoc equo; & ſic de aliis. Unde natura lapidis vel cujuslibet rei in materia corporali exiſtentis, non poteſt complete & vere cognoſci, niſi ſecundum quod cognoſcitur, ut in particulari exiſtens. Particulare autem apprehendimus per ſenſum & imaginationem; & ideo neceſſe eſt ad hoc, quod intellectus intelligat ſuum objectum proprium, quod convertat ſe ad phantaſmata, ut ſpeculetur naturam univerſalem in particulari exiſtentem. Nec ſufficit conſervatio ſpecierum intelligibilium in intellectu poſſibili ad hoc, quod actu intelligat; ſed oportet quod eis utatur ſecundum quod convenit rebus, quarum ſpecies ſunt naturæ in particularibus exiſtentes. Incorporea autem, quorum non ſunt phantaſmata, cognoſcuntur a nobis per comparationem ad corporalia ſenſibilia, quorum ſunt phantaſmata. Deum autem, ut dicit Dionyſius, cognoſcimus ut cauſſam per exceſſum & per remotionem. Alias etiam ſubſtantias incorporeas in ſtatu vitæ præſentis cognoſcere non poſſumus niſi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia. Et ideo, quum de hujuſmodi aliquid intelligimus, neceſſe habemus converti ad phantaſmata corporum; ſed ipſorum non ſunt phantaſmata. B C D

Senſus ſūt particularium.

Incorporea ut cognoſcantur.

Judicium intellectus impeditur per ſenſus ligamen.

§. VIII. Judicium intellectus impeditur per ligamentum ſenſus. Unde Auguſtinus dicit, quod in dormiendo, ea, quæ contra licitos mores contingunt, non imputantur ad peccatum: quod non eſſet, ſi homo haberet liberum uſum rationis & intellectus; quod etiam ſic declarat B. Thomas ubi ſupra art. 8. Proprium objectum intellectui noſtro proportionatum eſt natura rei ſenſibilis. Perfectum autem judicium de re dari non poteſt, niſi omnia, quæ ad rem pertinent, cognoſcantur. Unde impoſſibile eſt, quod ſit in nobis perfectum judicium intellectus cum ligamento ſenſus, per quem rerum ſpecies cognoſcimus. E

Somnus ligat ſenſus.

Sed ſciendum, quod ſenſus ligatur in dormientibus propter evaporationes quaſdam & fumoſitates reſolutas, ut dicitur in libro de ſom. & vigilia; & ideo ſecundum diſpoſitionem hujuſmodi evaporationem contingit eſſe ligamentum ſenſus majus & minus. Quando enim multus fuerit motus, ligatur non ſolum ſenſus, ſed etiam imaginatio, ut nulla appareant phantaſmata; ſicut præcipue accidit, quum aliquis incipit dormire poſt multum cibum & potum. Si vero motus vaporum fuerit aliquantulum remiſſior, apparent phantaſmata, ſed diſtorta & inordinata, ut accidit in febricitantibus. Si vero adhuc motus magis ſedetur, apparent phantaſmata, ſed magis ordinata, ſicut maxime ſolet accidere in dormitionis fine, & in aliis, qui ſunt ſobrii, & qui habent fortem imaginationem. Si autem modicus fuerit motus, non ſolum imaginatio remanet libera, ſed etiam ipſe ſenſus communis ſolvitur ex parte, ita ut homo in dormiendo interdum judicet ſomnia eſſe, quæ videt, quaſi dijudicans inter res & rerum ſimilitudines; ſed tamen ex aliqua parte remanet ſenſus ligatus; & ideo ſemper licet aliquas ſimilitudines diſcernat a rebus, in aliquibus tamen decipitur. Sic igitur per modum, quo in dormiendo ſolvitur ſenſus & imaginatio; ſic etiam liberatur judicium intellectus, non tamen ex toto. Unde illi, qui dormiendo ſyllogizant, quum excitantur, ſemper recognoſcunt ſe in aliquo defeciſſe.

Quomodo intellectus abſtrahit ſpeciem a phantaſmatibus.

§. IX. De modo & ordine intelligendi. Et primo, quod intellectus noſter intelligat abſtrahendo a phantaſmatibus, & quo modo.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas in 1. parte quæſtione 85. art. 1. quod intellectus noſter medio modo ſe habet inter ſenſum noſtrum & intellectum angelicum. Non enim intellectus eſt actus alicujus organi corporalis, ſicut eſt ſenſus; & ideo proprium ipſius ſenſus eſt cognoſcere formam in materia corporali individualiter exiſtentem, ſicut colorem in iſta vel in alia re particulari. Nec etiam ipſe intellectus noſter eſt actus alicui materiæ corporali non conjunctus, ſicut eſt intellectus angelicus; & ideo angelici intellectus objectum eſt forma ſine materia ſubſiſtens. Quamvis enim etiam materialia cognoſcat, non tamen ea, niſi in immaterialibus intuetur, ſcilicet vel in ſeipſis vel in Deo. Sed quum intellectus noſter ſit virtus animæ, quæ eſt forma corporis; ideo proprium ejus eſt cognoſcere formam in materia corporali individualiter exiſtentem; non tamen prout ſunt in tali materia. Cognoſcere autem id, quod in materia individuali eſt, non prout eſt in tali materia, eſt abſtrahere formam a materia individuali, quam repræſentant phantaſmata. Et ideo neceſſarium eſt dicere, quod intellectus noſter intelligit immaterialia abſtrahendo a phantaſmatibus. Et per materialia conſiderata devenit etiam in cognitionem aliqualem immaterialium, ſicut econverſo Angeli materialia cognoſcunt per immaterialia.

Ad declarandum vero modum hujus abſtractionis, ſciendum ſecundum Thomam ubi ſupra, quod dupliciter contingit intellectum abſtrahere. Uno modo per modum compoſitionis & diviſionis, ſicut quum intelligimus aliquid non eſſe in alio, vel eſſe ſeparatum ab eo. Alio modo per modum ſimplicis & abſolutæ conſiderationis, ſicut quum intelligimus unum, nihil conſiderando de alio. Abſtrahere ergo per intellectum ſecundum primum modum abſtrahendi, ea, quæ ſecundum rem non ſunt abſtracta, non eſt abſque falſitate. Sed abſtrahere per intellectum ſecundo modo, quæ ſecundum rem non ſunt abſtracta, non eſt cum falſitate, ſicut videmus in ſenſibus. Si enim intelligimus vel dicimus colorem non eſſe in colorato corpore, vel eſſe ſeparatum ab eo, eſt falſitas in opinione & in locutione. Sed ſi conſideremus colorem & proprietatem ejus, nihil conſiderando de pomo colorato, erit abſque falſitate opinionis: pomum enim non eſt de ratione coloris, & nihil prohibet intelligi colorem, nihil intellecto de pomo. Similiter ea, quæ pertinent ad rationem ſpeciei cujuſcumque rei materialis, puta lapidis, aut hominis & alia hujuſmodi, poſſunt conſiderari ſine principiis individualibus, quæ non ſunt de ratione ſpeciei. Et hoc eſt abſtrahere univerſale a particulari, vel ſpeciem intelligibilem a phantaſmatibus, conſiderare ſcilicet naturam ſpeciei ſine

individualium conſideratione principiorum, quæ per phantaſmata repræſentantur. Si ergo objiciatur, quod intellectus eſt falſus, intelligendo rem aliter, quam eſt; reſpondetur, quod verum eſt, ſi aliter referatur ad rem intellectam. Tunc enim intellectus eſt falſus, quando intelligit rem aliter quam ſit. Sicut ſi abſtraheret ſpeciem lapidis a materia, ut intelligeret eam non eſſe in materia. Sed ſi *aliter* referatur ex parte intelligentis, eſt intellectus abſque falſitate: eſt enim hoc abſque falſitate, ut ſit alius modus intelligendi, quam modus rei in exiſtendo, quia intellectum eſt in intelligente immaterialiter per modum intellectus, non autem materialiter per modum rei materialis.

A qua materia fiat abſtractio.

§. X. Fit autem hæc abſtractio a materia individuali, non a materia communi. Eſt enim materia communis & ſignata, ſeu individualis. Communis, ut caro & oſſa; individualis, ut hæc caro, hæc oſſa. Intellectus autem hic abſtrahit a materia individuali ad intelligendum ſpeciem rei ſenſibilis, quod non abſtrahit a materia communi, ſcilicet conſiderando hominem cum carnibus & oſſibus in communi; ſed non cum his carnibus & oſſibus. Et quia phantaſmata, quum ſint particularium, non poſſunt imprimere ſuam virtutem intellectui poſſibili; ideo virtute intellectus agentis reſultat quædam ſimilitudo ab intellectu poſſibili ex converſione intellectus agentis ſupra phantaſmata, quæ quidem eſt repræſentativa eorum, quorum ſunt phantaſmata, ſolum quantum ad naturam ſpeciei: & per hunc modum dicitur abſtrahi ſpecies intelligibilis a phantaſmatibus, non quod eadem numero forma, quæ prius fuit in phantaſmatibus, poſtea ſit in intellectu poſſibili ad modum, quo unum corpus accipitur ab uno loco, & tranſfertur ad alium. Illuminantur autem phantaſmata ab intellectu agente, & iterum ab eis per virtutem intellectus agentis ſpecies intelligibiles abſtrahuntur. Abſtrahit enim intellectus agens ſpecies intelligibiles a phantaſmatibus, in quantum per virtutem intellectus agentis accipere poſſimus in noſtra conſideratione naturas ſpecierum ſine conditionibus individuantibus, quarum ſimilitudinibus intellectus poſſibilis formatur.

Quamvis autem intellectus abſtrahat ſpecies a phantaſmatibus, in quantum conſiderat naturas rerum individualium; tamen intelligit eas in phantaſmatibus, quia non poteſt intelligere etiam ea, quorum ſpecies abſtrahit, niſi convertendo ſe ad phantaſmata.

Species a phantaſmatibus abſtracta non ſe habet ad intellectum ſicut illud, quod primo intelligitur, ſed ſicut illud, quo mediante aliquid intelligitur. Nam ſi ipſæ ſpecies intelligibiles eſſent illud, quod intelligitur circa aliquam rem, quod quidam dixerunt; ſequeretur hoc, quod ſcientiæ omnes non eſſent de rebus, quæ ſunt extra animam, ſed ſolum de ſpeciebus intelligibilibus, quæ ſunt in anima; quod omnino eſt falſum. Nam ſcientiæ ſunt de rebus, quæ ſunt extra animam, & ea intelligimus, de quibus ſunt ſcientiæ. Se habet ergo ſpecies intelligibilis ad intellectum noſtrum ſicut id, quo intelligit, non ſicut illud, quod principaliter intelligit; ſicut ſimilitudo rei viſibilis, qua informatur oculus, quum videt, ſe habet ad viſum ut id, quo videt, non ſicut id, quod videt. Nam id, quod videt, eſt extra oculum, ſcilicet res colorata. Sed quia intellectus ſupra ſeipſum reflectitur, ſecundum eamdem reflectionem intelligit ſuum intelligere, & ſpeciem, per quam intelligit. Et ſic ſpecies intellecta eſt ſecundario id, quod intelligitur. Primo enim, quod intelligitur, eſt res, cujus ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo. Et hoc etiam patet ex antiquorum opinione, qui ponebant ſimile per ſimile cognoſci. Ponebant enim, quod anima per terram, quæ eſt in ipſa, terram cognoſcit, quæ eſt extra ipſam; & ſic de aliis. Si ergo accipiamus ſpeciem terræ loco terræ, ſecundum doctrinam Ariſt. 3. de anima qui dicit, quod lapis non eſt in anima, ſed ſpecies lapidis; ſequeretur, quod anima per ſpecies intelligibiles intelligit, quæ ſunt extra ipſam. Et ſic in parte ſenſitiva reperitur duplex operatio. Una ſecundum ſolam immutationem; & ſic perficitur operatio ſenſus per hoc, quod immutatur a ſenſibili. Alia operatio eſt formatio ſecundum quod vis imaginativa format ſibi aliquod idolum rei abſentis, vel etiam numquam viſæ. Ita accidit in intellectu; ſed in eo utraque operatio conjungitur. Nam primo conſideratur paſſio intellectus poſſibilis, ſecundum quod informatur ſpecie intelligibili, qua quidem informatus format ſibi ſecundo vel diffinitionem, vel diviſionem, aut compoſitionem, quæ per vocem ſignantur. Quum ergo philoſophus dicit 1. Perihermenias, quod voces ſunt notæ earum, quæ ſunt in anima, paſſionum; intelligitur, quod ſignant ea, quæ intellectus ſibi format ad judicandum de rebus exterioribus, non autem ſpecies intelligibiles.

Modus intelligendi exponitur.

Cognitio univerſalis ſequitur cognitionē particularium.

§. XI. Cognitio ſingularium eſt prior quoad nos, quam cognitio univerſalium. Et ratio eſt, quia cognitio intellectiva, quæ eſt univerſalium, aliquo modo habet primordium a ſenſitiva; & quia ſenſus eſt ſingularium, intellectus univerſalium; ideo quoad nos oportet, quod prior ſit cognitio ſingularium, quam univerſalium. Sed ſecundum ſe & ſimplex cognitio univerſalium eſt prior cognitione ſingularium, & cognitio magis communis minus communi. Ratio eſt, quia intellectus noſter quum procedat de potentia in actum, & omne, quod procedit de potentia in actum, prius pervenit ad actum incompletum, qui eſt medius inter potentiam & actum, quam ad actum perfectum. Actus autem perfectus, ad quem pervenit intellectus, eſt ſcientia completa, per quam res diſtincte & determinate cognoſcuntur. Actus imperfectus eſt ſcientia incompleta, per quam res ſciuntur ſub quadam confuſione. Dicit autem philoſophus 1. Phyſ. quod ſunt nobis primum manifeſta & certa confuſa magis. Poſterius autem cognoſcimus diſtinguendo magis diſtincte principia & elementa. Prius enim occurrit in intellectu noſtro cognoſcere animal, quam cognoſcere hominem. Et idem eſt de cognitione ſenſitiva ſecundum locum & tempus. Nam prius cognoſcitur a remotis aliquid eſſe animal quam eſſe homo, & prius eſſe homo quam Socrates. Secundum tempus, quia puer prius diſtinguit hominem a non homine, quam hunc hominem ab alio diſtinguat. B. Thomas ubi ſupra art. 3.

Quomodo multa poſſunt ſimul intelligi.

§. XII. Intellectus noſter poteſt multa ſimul intelligere per modum unius, non autem multa per modum multorum: dico autem per modum unius vel multorum, per unam ſcilicet vel plures ſpecies intelligibiles. Ratio eſt, quia modus cujuslibet actionis conſequitur ſuam formam, quæ eſt actionis principium. Quæcumque ergo intellectus poteſt intelligere ſub una ſpecie, poteſt ſimul intelligere; & inde eſt, quod Deus omnia ſimul videt per unum, quod eſt eſſentia ſua. Quæcumque vero intellectus per diverſas ſpecies intelligit, non ſimul intelligit. Hujus ratio eſt, quia impoſſibile eſt idem ſubjectum perfici pluribus formis unius generis & diverſarum ſpecierum. Sicut impoſſibile eſt, quod idem corpus ſecundum idem coloretur diverſis coloribus ſimul, vel figuretur diverſis figuris. Omnes autem ſpecies intelligibiles ſunt unius generis, quia ſunt perfectiones unius potentiæ intellectivæ,

væ, licet res, quarum ſunt ſpecies, ſint diverſorum generum. Impoſſibile eſt ergo, quod idem intellectus perficiatur diverſis ſpeciebus intelligibilibus ad intelligendum diverſa in actu.

Intellectus intelligit componĕdo & dividendo.

§. XIII. Intelligit autem intellectus noſter componendo & dividendo ſecundum Thomam ubi ſupra art. 5. Quum enim intellectus humanus exeat de potentia in actum, ſimilitudinem quamdam habet cum rebus generabilibus, quæ non ſtatim ſuam perfectionem habent, ſed ſucceſſive eam acquirunt. Et ſimiliter intellectus humanus non ſtatim in propria apprehenſione capit perfectam cognitionem rei, ſed primo apprehendit aliquid de ipſa re, ſcilicet quidditatem rei, quæ eſt proprium & primum objectum intellectus: deinde intelligit accidentia & proprietates & habitudines circumſtantes rei eſſentiam. Et ſecundum hoc neceſſe habet apprehenſum unum aliis componere & dividere, & ex una compoſitione & diviſione ad aliam procedere, quod eſt ratiocinari. Intellectus autem divinus & angelicus ſe habent ſicut res incorruptibiles, quæ ſtatim a principio habent totam ſuam perfectionem. Unde intellectus divinus & angelicus ſtatim perfecte cognitionem totam rei habet. Unde in cognoſcendo quidditatem rei, cognoſcit de re, quidquid nos componendo & dividendo & ratiocinando poſſumus intelligere abſque hoc, quod componat dividat vel ratiocinetur.

Quando intellectus poteſt decipi, & quando non.

Intellectus noſter circa proprium objectum ejus, ſcilicet quidditatem rei per ſe loquendo non poteſt eſſe falſus, ſed circa ea, quæ circumſtant eſſentiam rei ſecundum B. Thomam, ubi ſupra art. 6. Unde philoſophus in 3. de anima, quantum ad hoc aſſimilat intellectum ſenſui. Senſus enim circa proprium objectum non decipitur, ſicut viſus circa colorem, niſi forte per accidens ex impedimento circa organum contingente; ſicut guſtus febricitantium dulcia judicat amara propter hoc, quod lingua malis humoribus eſt repleta. Circa ſenſibilia vero communia decipitur ſenſus, ſicut in magnitudine & figura judicando, ut quum judicat quis ſolem eſſe pedalem; qui tamen major eſt terra. Et multo magis decipitur circa ſenſibilia per accidens, ut quum judicat fel eſſe mel propter coloris ſimilitudinem. Et hujus ratio eſt in evidenti, quia ad proprium objectum unaquæque potentia per ſe ordinatur ſecundum quod ipſa. Quæ autem ſunt hujuſmodi, ſemper eodem modo ſe habent. Unde manente potentia, non deficit ejus judicium circa proprium objectum. Objectum autem intellectus proprium eſt quidditas rei. Unde circa quidditatem rei non fallitur. Sed circa ea, quæ circumſtant quidditatem rei falli poteſt, dum unum ordinat ad aliud, vel componendo, vel dividendo, vel ratiocinando. Et propter hoc circa illas propoſitiones intellectus errare non poteſt, quæ ſtatim cognoſcuntur cognita terminorum quidditate; ſicut accidit circa prima principia. Circa concluſiones tamen per accidens contingit intellectum decipi. Circa vero quidditatem in rebus compoſitis contingit intellectum decipi, non ex parte organi, quia intellectus non eſt utens organo corporali; ſed ex parte compoſitionis intervenientis circa diffinitionem, dum ſcilicet diffinitio unius rei eſt falſa de alia, ſicut diffinitio circuli de triangulo; vel dum aliqua diffinitio eſt falſa implicans compoſitionem incompoſſibilium, ut ſi accipiatur hoc ut diffinitio alicujus animalis irrationalis, rationale animatum. Unde in rebus ſimplicibus, in quarum diffinitionibus compoſitio intervenire non poteſt, non poteſt decipi intellectus; ſed deficimus in non attingendo, ut dicit philoſophus 9. Methaphyſ. Error autem in pec-

Objectum proprium intellectus.

A cantibus contingit ex applicatione rationis ad particulare.

Aliquid melius vel magis intelligi, fit dupliciter.

§. XIV. Quum quæritur, utrum unam & eamdem rem unus alio melius intelligere poſſit; reſpondet B. Thomas ubi ſupra art. 7. quod intelligi aliquid melius vel magis ab uno quam altero poteſt intelligi dupliciter. Uno modo quod ly *magis* vel *melius* determinet actum intelligendi ex parte rei intellectæ; & ſic non poteſt unus eamdem rem magis intelligere quam alius; quia ſi intelligeret illam rem aliter quam ſit, vel melius vel pejus, falleretur & non intelligeret. Alio modo poteſt intelligi, ut determinet actum intelligendi ex parte intellectus. Et ſic unus poteſt magis vel melius intelligere unam rem quam a-
B lius, quia melioris eſt virtutis in intelligendo. Sicut etiam melius videt aliquid unus, quam alius, in quantum virtus perfectior videndi eſt in uno quam in alio; ſic etiam invenitur per experientiam unus alio profundius intelligere: ſicut profundius intelligit, qui aliquam concluſionem poteſt reducere in prima principia & cauſſas primas, quam qui poteſt reducere ſolum in cauſſas proximas. Contingit autem hoc, quod ſcilicet unus intelligat melius altero, duplici ex cauſſa. Primo ex parte diſpoſitionis corporis, quia quanto eſt corpus melius diſpoſitum, tanto meliorem ſortitur animam, qua mediante melius intelligit. Secundo contingit hoc ex parte inferiorum virtutum quibus intellectus indiget ad ſui
C operationem. Illi enim, in quibus virtus imaginativa, cogitativa, & memorativa ſunt melius diſpoſita, ſunt melius diſpoſiti ad intelligendum.

Intelligit unus melius alio duplici ex cauſſa.

Indiviſibile dicitur tripliciter.

§. XV. Si quæritur, utrum prius intelligatur diviſibile quam indiviſibile; reſpondet B. Thomas ubi ſupra art. 8. quod indiviſibile aliquid dicitur tripliciter, ut dicitur in 3. de anima. Uno modo ſicut continuum indiviſibile, quia eſt indiviſum actu, licet ſit diviſibile potentia. Et hujuſmodi indiviſibile prius eſt intellectum a nobis, quam ejus diviſio, quæ eſt per partes; quia cognitio confuſa prior eſt, quam diſtincta, ut dictum eſt ſupra. Secundo modo dicitur indiviſibile ſecundum ſpeciem, ſicut ratio hominis eſt quoddam indiviſibile. Et hoc modo eſt etiam prius
D indiviſibile intellectum, quam diviſio ejus per partes rationis, ut dictum eſt ſupra. Et iterum prius quam intellectus componat & dividat affirmando vel negando. Et hujus ratio eſt, quia hujuſmodi indiviſibile duplex intellectus ſecundum ſe intelligit ſicut proprium objectum. Tertio modo indiviſibile dicitur ut punctus & unitas, quæ nec actu, nec potentia dividuntur. Et hujuſmodi indiviſibile per poſterius cognoſcitur. Nam cognoſcitur per privationem diviſibilis. Unde punctum privative diffinitur: *Punctum eſt, cujus pars non eſt.* Et ſimiliter ratio unius eſt, quod ſit indiviſibile, ut dicitur 10. Methaphyſ. Et ratio hujus eſt, quia hujuſmodi indiviſibile habet quamdam oppoſitionem ad rem corporalem, cujus quidditatem primo & per ſe intellectus accipit.
E

§. XVI. Quod intellectus noſter intelligit corporalia, quæ ſunt infra ſe, prout ſunt abſtracta a materia, ideſt univerſalia & neceſſaria. Indirecte autem intelligit etiam ſingularia contingentia & futura.

Quantum ad primum ſciendum ſecundum B. Thomam ubi ſupra quæſtione 86. art. 1. quod ſingulare in rebus materialibus primo & directe intelligere non poteſt. Cujus ratio eſt, quia principium ſingularitatis in rebus materialibus eſt materia individualis: intellectus autem noſter, ut dictum eſt, intelligit abſtrahendo ſpeciem intelligibilem ab hujuſmodi materia. Quod autem a materia individuali abſtrahitur, eſt univerſale.

Indirecte intellectus intelligit ſingulare.

Unde intellectus noſter directe non eſt cognoſcitivus niſi univerſalium. Indirecte autem & quaſi per quamdam reflexionem poteſt intelligere ſingulare; quia, ſicut dictum eſt, etiam poſtquam ſpecies intelligibiles abſtraxerit, non poteſt ſecundum eas actu intelligere, niſi convertendo ſe ad phantaſmata, in quibus ſpecies intelligibiles intelligit, ut dicitur 3. de anima. Indirecte igitur intelligit ſingularia, quorum ſunt phantaſmata. Et hoc modo format hanc propoſitionem: *Socrates eſt homo:* quod enim poteſt virtus inferior, ut ſenſus, apprehendere ſingulare; poteſt & ſuperior, ut intellectus, & eminentiori modo. Sed & univerſalis ratio intellectus practici in electione non movet ad appetendum, niſi mediante particulari apprehenſione partis ſenſitivæ.

Contingentia dupliciter poſſunt conſiderari.

Contingentia autem dupliciter poſſunt conſiderari. Uno modo in quantum contingentia; & ſecundum hoc a ſenſu directe cognoſcuntur; ab intellectu autem indirecte: eſt enim unumquodque contingens ex parte materiæ, quia contingens eſt, quod poteſt eſſe & non eſſe. Potentia autem pertinet ad materiam. Materia autem eſt individuationis principium; & ideo hic ut ſingularia indirecte intelliguntur. Alio modo poſſunt conſiderari ſecundum quod in eis aliquid neceſſitatis reperitur. Nihil enim eſt adeo contingens, quin in ſe aliquam neceſſitatem habeat; ſicut hoc ipſum, quod eſt, *Socratem currere*: in ſe quidem contingens eſt; habitudo autem curſus ad motum eſt neceſſaria. Neceſſe eſt enim Socratem moveri, quum currit. Et ſecundum hoc cognoſcuntur directe ab intellectu, videlicet rationes univerſales & neceſſariæ contingentium. Unde ſi attendantur rationes univerſales ſcibilium, omnes ſcientiæ ſunt de neceſſariis: ſi attendantur res ipſæ, ſic quædam ſcientia eſt de neceſſariis, quædam de contingentibus.

De cognitione futurorum.

§. XVII. De cognitione futurorum eodem modo conſiderandum eſt, ſicut & de cognitione contingentium. Nam ipſa futura, quæ ſub tempore cadunt, ſunt ſingularia, quæ intellectus humanus non cognoſcit, niſi per reflectionem, ut dictum eſt. Rationes autem futurorum poſſunt univerſales eſſe in intellectu perceptibiles, & de eis poſſunt eſſe ſcientiæ.

Sciendum tamen, quod futura dupliciter cognoſci poſſunt. Uno modo in ſeipſis; & ſic cognoſci non poſſunt niſi a Deo, cui futura ſunt præſentia, in quantum ſcilicet ejus intuitus æternus fertur ſimul ſupra totum temporis curſum. Alio modo cognoſci poſſunt futura in ſuis cauſſis, & ſic etiam a nobis poſſunt cognoſci. Et ſi ita ſint in ſuis cauſſis, ut ex eis de neceſſitate proveniant; cognoſcuntur per certitudinem ſcientiæ, ſicut eclypſis ab Aſtrologo. Si autem ita ſint in cauſſis ſuis, ut proveniant ex eis, ut in pluribus; ſic cognoſci poſſunt per conjecturam vel magis vel minus certam, ſecundum quod cauſſa eſt magis vel minus inclinata ad effectus hujuſmodi. Quod autem aliquando anima cognoſcat futura, hoc non eſt ſecundum naturam animæ, etiam quum alienatur a ſenſibus, ſed magis per impreſſionem cauſſarum aliquarum ſuperiorum vel virtute Dei miniſterio Angelorum, ſicut in veris prophetis, vel virtute dæmonum, ſicut in divinis & maleficis, vel etiam aliquando per * impreſſionem corporum cæleſtium. Ex impreſſione enim corporum cæleſtium immutatur aliquando phantaſia, ut fiant aliqua ſigna imaginativa futurorum eventuum, ad quæ ſe extendit virtus corporum cæleſtium; & hæc magis percipiuntur a dormientibus, quam a vigilantibus. Infinita autem neque in actu neque in habitu intellectus cognoſcere poteſt, quia in rebus materialibus,

** Vid. not. 3 in cap. 10. tit. 12. part. 2. pag. 1189.*

A quarum quidditas eſt objectum proprium intellectus noſtri, non invenitur infinitum, ut dicitur in 1. Phyſicor. ſed in potentia tantum, quia numquam poteſt tot cognoſcere, quin adhuc plura poſſit cognoſcere. Infinitus autem dicitur Deus, ſicut forma, quæ non eſt determinata per materiam: & in ſtatu viæ a nobis cognoſci non poteſt propter defectum intellectus noſtri, qui non intelligit niſi materialia. Sed in alia vita in gloria cognoſcetur perfecte.

§. XVIII. Anima intellectiva intelligit ſe & ea, quæ in ea ſunt vel ab ea procedunt, ut habitus, actus intellectus, & voluntas. Et quantum ad primum anima non cognoſcit ſeipſam per eſſentiam ſuam, ſed per ſpecies intelligibiles ſicut & alia.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas in 1.
B parte quæſtione 87. articulo 1. quod unumquodque cognoſcibile eſt ſecundum quod eſt in actu, non ſecundum quod eſt in potentia, ut dicitur in 9. Methaphyſ. Sic enim aliquid eſt ens & verum, quod ſub cognitione cadit, prout eſt in actu; & hoc manifeſte apparet in ſenſibilibus. Non enim viſus percipit coloratum in potentia, ſed coloratum in actu. Eſſentia igitur Dei, quæ eſt actus purus & perfectus, eſt ſimpliciter & perfecte ſecundum ſeipſam intelligibilis. Unde Deus per eſſentiam ſuam non ſolum ſeipſum, ſed etiam omnia alia intelligit. Angeli autem eſſentia eſt quidem in genere intellectuum ut actus, non tamen ut actus purus & completus. Unde ejus intelligere non completur per eſſentiam ſuam. Quamvis enim Angelus per eſſentiam ſuam ſe intelligat, non tamen alia omnia a ſe per eſſentiam ſuam cognoſcere poteſt, ſed per ſimilitudines rerum intelligibilium. Intellectus autem humanus in genere intellectuum ſe habet ut ens in potentia tantum, ſicut & materia ſe habet in genere rerum ſenſibilium; unde & poſſibilis nominatur. Et quia connaturale eſt intellectui noſtro, ut ad materialia & ſenſibilia reſpiciat, ut dictum eſt ſupra; conſequens eſt, ut ſic ſeipſum intelligat intellectus noſter, ſecundum quod fit actu per ſpecies intelligibiles a ſenſibilibus abſtractas per lumen intellectus agentis. Non ergo per eſſentiam ſuam, ſed per actum ſe cognoſcit intellectus noſter, & hoc dupliciter. Uno modo particulariter, ſecundum quod Socrates vel Plato percipit ſe habere animam intellectivam ex hoc,
D quod percipit ſe intelligere. Alio modo ſecundum quod naturam mentis ex actu intellectus conſideramus. Et ad iſtam ſecundam cognitionem non ſufficit præſentia animæ, ſicut ad cognitionem primo modo; ſed requiritur diligens & ſubtilis inquiſitio. Unde multi naturam animæ ignorant, & alii multi circa naturam animæ erraverunt. Quod autem Auguſtinus dicit in libro de Trinitate, quod anima ſeipſam per ſeipſam cognoſcit, intelligitur, quod in ſui ipſius cognitionem venit, ſed per actum ſuum.

Ordo intelligibilium.

Qualiter cognoſcitur habitus.

Cognoſcit intellectus habitus, ſed per actus ipſorum. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra articulo 2. quod habitus eſt medium in-
E ter potentiam puram & actum purum. Dictum eſt autem, quod nihil intelligitur, niſi ſecundum quod eſt in actu. Sicut igitur in quantum habitus deficit ab actu perfecto, deficit ab hoc, ut non ſit per ſeipſum cognoſcibilis; ſed neceſſe eſt, ut per actum ſuum cognoſcatur, ſive dum aliquis percipit ſe habere habitum per hoc, quod percipit ſe producere actum proprium illius habitus, ſive dum aliquis inquirit naturam & rationem habitus ex conſideratione actus.

Si autem objiciendo dicatur, *illud, propter quod unumquodque tale, & illud magis;* ſed res cognoſcuntur ab anima per habitus; ergo multo magis habitus ab anima debent per ſe cognoſci.

Re-

Reſpondetur quod regula iſta *propter quod unumquodque* &c. Habet veritatem, ſi intelligatur in rebus unius ordinis, puta in uno genere cauſſæ; ut ſi dicatur, quod ſanitas ſit propter vitam, ſequitur, quod vita ſit magis deſiderabilis. Sed ſi accipiatur ſecundum ea, quæ ſunt diverſorum ordinum, non habet veritatem regula illa; ut ſi dicatur, quod ſanitas eſt propter medicinam; non ideo ſequitur, quod medicina ſit magis deſiderabilis quam ſanitas, quia ſanitas eſt in ordine finium, medicina autem eſt in ordine cauſſarum efficientium. Sicut ſi accipiamus duo, quorum utrumque ſit per ſe in ordine objectorum cognitionis; illud, propter quod aliud cognoſcitur, erit magis notum: ſicut principia concluſionibus. Sed habitus in quantum habitus non ſunt de ordine objectorum, nec propter habitum alia cognoſcuntur, ſicut per objectum cognitionis, ſed ſicut propter diſpoſitionem vel formam, qua cognoſcens cognoſcit.

Intellectus cognoſcit proprium actum.

Cognoſcit inſuper actum proprium intellectus. Unumquodque enim cognoſcitur, ſecundum quod eſt in actu. Ultima autem intellectus perfectio eſt ejus operatio. Non enim eſt ſicut actio tendens in alterum, quæ eſt perfectio operati, ſicut ædificatio domus ædificatæ; ſed manet in operante ut perfectio & actus ejus, ut dicitur 9. Methaph. Hoc eſt ergo primum, quod de intellectu intelligitur actus ejus, ideſt ipſum ejus intelligere. Sed in hoc eſt differentia in ordine intellectuum. Nam intellectus divinus idem eſt in eo, quod intelligat ſe intelligere, & quod intelligat ſuam eſſentiam, quia ſuum intelligere eſt ſua eſſentia. In Angelo autem quamvis aliud ſit ſecundum rationem, quod intelligat ſuum intelligere, & quod intelligat ſuam eſſentiam; tamen ſimul in uno actu utrumque intelligit, quia hoc, quod eſt intelligere eſſentiam ſuam, eſt propria perfectio eſſentiæ ſuæ; ſimul autem uno actu intelligit res cum perfectione ſua. In intellectu vero humano nec ſuum intelligere, nec proprium objectum eſt eſſentia ejus, ſed aliquid extrinſecum, ſcilicet natura generalis; & ideo id, quod primo cognoſcitur ab intellectu humano, eſt objectum ejus: ſecundario cognoſcitur actus ejus, quo cognoſcitur objectum, & per quem cognoſcitur ipſe intellectus.

Actus voluntatis qualiter cognoſcitur.

Cognoſcit inſuper intellectus & actum voluntatis. Actus enim voluntatis nihil aliud eſt, quam inclinatio quædam conſequens formam intellectivam, ſicut appetitus naturalis eſt inclinatio ſequens formam naturalem. Inclinatio autem cujuslibet rei eſt in ipſa re per modum ejus. Unde inclinatio naturalis eſt naturaliter in re naturali: inclinatio autem, quæ eſt appetitus ſenſibilis, eſt ſenſibiliter in ſentiente: & ſimiliter inclinatio intelligibilis, quæ eſt actus voluntatis, eſt intelligibiliter in intelligente, ſicut in principio & objecto proprio. Quod autem intelligibiliter eſt in aliquo intelligente, conſequens eſt, ut ab eo intelligatur. Unde actus voluntatis intelligitur ab intellectu, & in quantum aliquis percipit ſe velle, & in quantum quis percipit naturam hujus actus, & per conſequens naturam hujus principii, quod eſt habitus vel potentia.

§. XIX. Sunt autem effectus animæ, qui ſunt actus voluntatis, in intellectu, non per ſimilitudinem tantum ſicut corpora, nec per præſentiam, ut in ſubjecto, ſicut artes; ſed ſicut principiatum in principio, in quo habetur notio principiati.

Anima nō poteſt perfecte intelligere ea, quæ ſunt ſuperiora ſe.

Quod anima humana ſecundum ſtatum vitæ præſentis non poteſt perfecte intelligere, quæ ſunt ſupra ſe, ſcilicet Angelos & Deum. Unde Sapientiæ 9. *Quæ in cælis ſunt, quis inveſtigabit?* Et Angeli quidem, qui dicuntur ſubſtantiæ ſeparatæ neque per ſeipſos neque per ſimilitudines rerum materialium poſſunt intelligi perfecte ſecundum B. Thomam in 1. parte, quæſt. 88. art. 1. & 2. Sciendum tamen ſecundum ipſum, quod Plato, qui poſuit ſubſtantias immateriales etiam materialium per ſe ſubſiſtentes, quas ideas vocabat, ut dictum eſt, dicebat quod ſubſtantiæ immateriales non ſolum intelliguntur a nobis, ſed ſunt prima a nobis intellecta. Sed ſecundum Ariſtotelis ſententiam, quam magis experimur, intellectus noſter ſecundum ſtatum vitæ præſentis habet naturalem reſpectum ad rerum materialium naturas; unde nihil intelligit, niſi convertendo ſe ad phantaſmata. Et ſic ſubſtantias immateriales quum non cadant ſub noſtra imaginatione & ſenſu, primo & per ſe ſecundum modum cognitionis nos ex parte cognoſcere non poſſumus. Sed Averroes in commento de anima ponit, quod in fine in hac vita homo pervenire poteſt ad hoc, ut intelligat ſubſtantias ſeparatas per continuationem vel unionem cujuſdam ſubſtantiæ ſeparatæ a nobis, quam vocat intellectum agentem, qui quum ſit ſubſtantia ſeparata, intelligit ſubſtantias ſeparatas. Unde quum fuerit nobis perfecte unitus, ſic ut per eum intelligere poſſimus, intelligemus tunc ſubſtantias ſeparatas. Perfecte autem unitur nobis ſecundum ipſum iſte intellectus agens, quum omnia intellecta ſpeculata cognoverimus, & tunc per eum poterimus cognoſcere omnia materialia & immaterialia.

Hanc autem poſitionem Averrois reprobat B. Thomas pluribus rationibus. Primo quia intelligere omnia ſpeculata vix contingit alicui in hac vita, & ſic nullus vel pauci ad felicitatem pervenirent; quod eſt contra philoſophum in 1. Methaph. qui dicit, quod felicitas eſt quoddam bonum commune, quod poteſt provenire omnibus non orbatis ad virtutem. Secundo quia philoſophus dicit expreſſe in 1. Methaph. quod felicitas eſt operatio ſecundum perfectam virtutem. Et enumeratis multis virtutibus in 10. Methaph. concludit, quod ultima felicitas conſiſtens in ultima cognitione maximorum intelligibilium, eſt ſecundum virtutem ſapientiæ, quam poſuit in 6. eſſe caput ſcientiarum ſpeculativarum. Et ſic patet, quod Ariſtoteles poſuit ultimam felicitatem in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum, qualis poteſt haberi per ſpeculativas ſcientias, non per unionem intellectus agentis confictam a quibuſdam. Tertio quia, ut dictum eſt ſupra, ſecundum Ariſtotelem intellectus agens non eſt ſubſtantia ſeparata, ſed quædam virtus animæ. Inducit & alias tres rationes ob brevitatem omiſſas.

Item neque per rerum cognitionem materialium poſſumus devenire ad cognitionem Angelorum ſeu ſubſtantiarum ſeparatarum. Quum enim ſubſtantiæ immateriales, ut Angeli, ſint omnino alterius rationis a quidditatibus rerum materialium, quantumcumque intellectus noſter abſtrahat quidditatem rei materialis a materia, nequaquam pervenit ad aliquid ſimile ſubſtantiæ immaterialis. B. Thomas ubi ſupra; unde Dionyſius dicit cap. 1. de divinis nominibus, quod ſenſibilibus intelligibilia, compoſitis ſimplicia, & corporibus incorporalia apprehendi non poſſunt: poſſumus utique ex hujuſmodi materialibus conſideratis in aliqualem cognitionem devenire ſubſtantiarum ſeparatarum, ſed non perfectam, quia non eſt ſufficiens comparatio materialium ad immaterialia, & ſimilitudines, quæ a materialibus accipiuntur ad intelligendum immaterialia, ſunt multum diſſimiles ſecundum Dionyſium. Tractatur autem in ſcientiis maxime de ſuperioribus per viam remotionis, ſicut corpora cæleſtia notificat Ariſtoteles per negationem proprietatum corporum inferiorum; & ſic a ſanctis dantur documenta & Angelis

gelis per remotam formam. Ex his ſequitur, quod Deus non eſt id, quod primum ab intellectu noſtro cognoſcitur in hac vita. Si enim ſubſtantias ſeparatas creatas intelligere non valemus, multo minus eſſentiam ſubſtantiæ increatæ. Unde Joann. 1. *Deum nemo vidit umquam*. Sed magis per creaturas devenimus in cognitionem Dei, ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 1. *Inviſibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Primum enim, quod intelligitur a nobis in ſtatu viæ, eſt quidditas rei materialis, quod eſt objectum proprium intellectus noſtri; Deus autem omnino immaterialis eſt, B. Thomas ubi ſupra art. 3.

TITULUS QUARTUS
DE VOLUNTATE.

CAPUT I.

De comparatione voluntatis ad intellectum.

Quomodo voluntas eſt nobilior intellectu, & quomodo non.

DE voluntate, quæ eſt alia potentia a ſenſualitate. Ubi primo ſciendum, quod voluntas non eſt eminentior intellectu ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas in 1. parte quæſt. 82. quod eminentia alicujus ad alterum poteſt attendi dupliciter. Uno modo ſimpliciter, alio modo ſecundum quid. Conſideratur autem C quid tale ſimpliciter, prout eſt ſecundum ſe tale; ſecundum quid autem dicitur aliquid tale, prout ſecundum reſpectum ad alterum eſt tale. Si igitur intellectus & voluntas conſiderentur ſecundum ſe, ſic intellectus eminentior invenitur; & hoc apparet ex comparatione objectorum ad invicem. Objectum enim intellectus eſt ſimplicius, & magis abſolutum, quam objectum voluntatis: nam objectum intellectus eſt ipſa ratio boni appetibilis. Bonum autem appetibile, cujus ratio eſt in intellectu, eſt objectum voluntatis. Quanto autem aliquid eſt ſimplicius & abſtractius, tanto ſecundum ſe eſt nobilius & altius; & ideo objectum intellectus eſt altius, quam objectum voluntatis. Quum ergo propria ratio potentiæ ſit ſecundum D ordinem ad objectum, ſequitur ſecundum ſe & ſimpliciter; quod intellectus ſit nobilior voluntate & altior. Unde & philoſophus in 10. Ethicorum ponit intellectum altiſſimam potentiam animæ. Secundum quid autem & per comparationem ad alterum voluntas interdum invenitur altior intellectu, ex eo ſcilicet, quod objectum voluntatis in re altiori invenitur, quam objectum intellectus. Sicut ſi dicerem, auditum eſſe nobiliorem viſu ſecundum quid, in quantum res aliqua, cujus eſt ſonus, nobilior eſt aliqua re, cujus eſt color, quamvis color ſit nobilior & ſimplicior ſono. Ut enim ſupra dictum eſt, actio intellectus conſiſtit in hoc, quod ratio rei intellectæ eſt in intelligente: actus vero voluntatis perficitur E in hoc, quod voluntas inclinatur ad ipſam rem, prout in ſe eſt. Et ideo philoſophus dicit in 6. Methaph. quod bonum & malum, quæ ſunt objecta voluntatis, ſunt in rebus. Verum autem & falſum, quæ ſunt objecta intellectus, ſunt in mente. Quanto igitur res, in qua eſt bonum, eſt nobilior ipſa anima, in qua eſt ratio intellecta, per comparationem ad talem rem voluntas eſt intellectu altior. Quando autem res, in qua eſt bonum, eſt infra animam, etiam per comparationem ad talem rem intellectus eſt altior voluntate; unde melior eſt amor Dei, quam cognitio: e contrario autem melior cognitio rerum corporalium, quam amor. Simpliciter tamen intellectus eſt altior, quam voluntas.

Melior eſt amor Dei quam cognitio.

Quomodo voluntas eſt prior intellectu, vel econtra.

§. I. Eſt etiam intellectus quoad actum prior voluntate ſecundum ordinem naturæ & ſimpliciter, ſicut motivum mobili, & activum paſſivo. Bonum enim intellectum eſt, quod movet voluntatem. Unde figuratur intellectus per virum, qui eſt perfectior & nobilior muliere, quæ ſignat voluntatem. Sic enim exponit Auguſtinus illud Joann. 4. dictum Samaritanæ, ſcilicet: *Voca virum tuum*, ideſt repræſenta intellectum tuum.

Ubi ſciendum, quod primo voluntas hominis accipit quaſi in viros legitimos quinque ſenſus, juxta illud: *Quinque viros habuiſti*. Nam a Deo diſpoſitum eſt, ut uſque ad tempus uſus rationis quis ſequatur inſtinctus ſenſuum ſeu ſenſualitatis ſine peccato: nec enim imputatur ad peccatum, quod quis facit ante uſum rationis. Poſtea ſi accipit voluntas intellectum ſeu rationem in virum, ut ſcilicet ſequatur inſtinctum rationis, non ſenſualitatis, legitime eſt voluntas deſponſata. Si autem ſequatur errorem, ideſt ſenſualem appetitum, adulteratur ſeu fornicatur ſpiritualiter anima, juxta illud Hierem. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis* &c. Et Joann. 4. *Nunc quem habes, non eſt tuus vir*. Sicut ergo ex viro & muliere legitime conjunctis generatur proles legitima, cui debetur hæreditas; ita ex intellectu & voluntate concipitur bonum propoſitum operis. Principium tamen activum eſt vir, & mulier paſſivum; ita & intellectus eſt, qui movet voluntatem. Et concipitur opus bonum per propoſitum, naſcitur per operis exſecutionem.

Operatur etiam ad generationem influxus ſolis, quia homo hominem generat & ſol. Sic influxus gratiæ ſolis Jeſu Chriſti principaliter operatur in bonis operibus noſtris. Quæ opera ſi ſint magnæ probitatis, maſculi ſunt; ſi imperfecta, feminæ, quibus demum reſervatur hæreditas æterna. Diabolus autem permaxime quærit impedire præcipua opera, ut pœnitentiam, reſtitutionem, mundi contemtum & hujuſmodi. Non autem multum curat de his, quæ ſunt de genere bonorum, ut jejunium & eleemoſyna & hujuſmodi. In cujus figuram legitur, quod Pharao rex Ægypti præcepit maſculos Hebræorum occidi, & feminas reſervari, ut exponit Origenes. Nutriuntur hi filii, ſcilicet bonorum operum, per orationem, & doctrinam, & ſacramenta. Creſcunt per profectum virtutum; ſic e contra per voluntatem concipiuntur ex errore intellectus ſequenti ſenſualitatem per mala opera, quæ privantur hæreditate æterna. Et ſicut mulier laborat in partu; ita voluntas in bene operando, juxta illud Joann. 16. *Mulier, quum pariet, triſtitiam ha-*

habet. Quum autem quæritur, ſi voluntas moveat intellectum; reſpondet B. Thomas in 1. parte quæſt. 82. art. 4. quod aliquid dicitur movere dupliciter. Uno modo per modum finis, ſicut dicitur, quod finis movet efficientem; & hoc modo intellectus movet voluntatem, quia bonum intellectum eſt objectum voluntatis, & movet ipſam ut finis. Alio modo dicitur aliquid movere per modum agentis, ſicut alterans movet alteratum & impellens impulſum, & hoc modo voluntas movet intellectum & omnes alias vires, ut Anſelmus dicit in libro de ſimilitudinibus. Cujus ratio eſt, quia in omnibus potentiis ordinatis activis, illa potentia, quæ reſpicit finem univerſalem, movet alias potentias, quæ reſpiciunt fines particulares. Et hoc apparet tam in naturalibus, quam in politicis. Cælum enim, quod agit ad conſervationem univerſalem generabilium & corruptibilium, movet omnia inferiora corpora, quorum unumquodque agit ad conſervationem propriæ ſpeciei, vel individui. Rex etiam, qui intendit bonum commune totius regni, movet per imperium ſuum ſingulos præpoſitos civitatum, qui ſingulis civitatibus regni curam impendunt.

Quomodo voluntas movet intellectum & econtra.

Objectum igitur voluntatis, quum ſit bonum, & finis in communi, & quælibet potentia comparatur ad aliquod bonum proprium ſibi conveniens, ſicut viſus ad perfectionem coloris, intellectus ad cognitionem veri; ideo voluntas per modum agentis movet omnes animæ potentias ad ſuos actus præter vires naturales vegetativæ partis, quæ noſtro arbitrio non ſubduntur.

Hæ autem duæ potentiæ in actibus ſuis ſe invicem includunt, quia intellectus intelligit voluntatem velle, & voluntas vult intellectum intelligere. Et ſimili ratione bonum continetur ſub vero, in quantum eſt quoddam verum intellectum; & verum continetur ſub bono, in quantum eſt quoddam bonum deſideratum. Secundum tamen rationem communitatis objectorum utriuſque, ut dictum eſt, intellectus ſimpliciter eſt altior & nobilior voluntate; nec eſt ire in infinitum, quia intellectus, qui movet voluntatem, non movetur ſemper a voluntate, ſed principium conſiliandi & intelligendi eſt aliquod intellectivum principium altius intellectu noſtro, & hoc eſt Deus.

§. II. Utrum voluntas velit aliquid ex neceſſitate; reſpondet B. Thomas ubi ſupra art. 1. quod neceſſitas multipliciter dicitur. Neceſſe enim eſt, quod non poteſt non eſſe. Quod quidem convenit alicui dupliciter, ſcilicet ex principio intrinſeco, vel ex principio extrinſeco. Ex principio quidem intrinſeco dupliciter, ſcilicet vel ex materiali, vel ex formali principio. Ex materiali principio, ſicut quum dicimus: Omne, quod compoſitum eſt ex contrariis, neceſſe eſt corrumpi. Ex formali, ſicut quum dicimus, quod neceſſe eſt triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Et hæc eſt neceſſitas naturalis & abſoluta. Alio modo convenit alicui, quod non poſſit non eſſe ex aliquo extrinſeco fine vel agente. Fine quidem, ſicut quum quis non poteſt conſequi ſine hoc, vel bene conſequi aliquem finem; ut cibus dicitur neceſſarius ad vitam, & equus ad iter. Et hæc vocatur neceſſitas finis, quæ interdum etiam dicitur utilitas. Ex agente autem hoc alicui convenit, ſicut quum aliquid cogitur ab aliquo agente, ita quod non poſſit contrarium agere; & hæc dicitur neceſſitas coactionis. Hæc ergo neceſſitas coactionis repugnat voluntati. Nam hoc dicimus violentum, quod eſt contra inclinationem naturalem rei. Ipſe autem modus voluntatis eſt inclinatio quædam in aliquid. Et ideo ſicut dicitur aliquid naturale, quod eſt ſecundum inclinationem naturæ; ita dicitur aliquid voluntarium, quia eſt ſecundum inclinationem voluntatis. Sicut ergo eſt impoſſibile, quod ſit aliquid ſimul violentum & naturale; ita eſt impoſſibile, quod aliquid ſimul ſit ſimpliciter coactum, & voluntarium. Neceſſitas finis non repugnat voluntati, quando ad finem non poteſt perveniri niſi uno modo; ſicut ex voluntate tranſeundi mare fit neceſſitas in voluntate, ut velit navim. Similiter neceſſitas naturæ non repugnat voluntati; quinimmo neceſſe eſt, ut ſicut intellectus inhæret primis principiis, ita voluntas inhæreat ultimo fini, qui eſt beatitudo. Finis enim ſe habet in operativis ſicut principium in ſpeculativis, ut dicitur lib. 2. Phyſic. Et ſic ex neceſſitate vult beatitudinem.

Multiplex eſt neceſſitas.

Neceſſitas coactionis repugnat voluntati.

De neceſſitate finis.

§. III. Voluntas non vult omnia ex neceſſitate, etſi aliquid, ut beatitudinem.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra art. 2. quod ſicut intellectus naturaliter & ex neceſſitate inhæret primis principiis; ita voluntas ultimo fini. Sunt autem quædam intelligibilia, quæ non habent neceſſariam connexionem ad prima principia, ſicut contingentes propoſitiones, & talibus non de neceſſitate aſſentit intellectus. Sic ex parte voluntatis ſunt quædam particularia bona, quæ non habent neceſſariam connexionem ad beatitudinem, quæ ex neceſſitate appetitur, ut dictum eſt, quia ſine hujuſmodi poteſt quis eſſe beatus; & his non de neceſſitate voluntas inhæret. Sunt quædam alia bona, quæ habent neceſſariam connexionem ad beatitudinem, quibus ſcilicet quis Deo inhæret, in quo ſola conſiſtit vera beatitudo. Sed tamen antequam per certitudinem divinæ viſionis neceſſitas hujuſmodi connexionis demonſtretur, voluntas non ex neceſſitate inhæret Deo, nec his, quæ ſunt Dei; ſed voluntas videntis Deum per eſſentiam ex neceſſitate inhæret Deo, ſicut nunc ex neceſſitate volumus eſſe beati. Patet ergo, quod voluntas in nihil tendere poteſt, niſi ſub ratione boni. Sed quia bonum multiplex eſt, non propter hoc ex neceſſitate determinatur ad unum.

In quibus ſit neceſſitas, in quibus non.

CAPUT II.

De libero arbitrio.

DE libero arbitrio hoc modo ſic diffinit Magiſter ſententiarum in 2. libro dicens: *Liberum arbitrium eſt facultas rationis & voluntatis, qua bonum gratia aſſiſtente eligitur, & malum gratia deſiſtente*, ideſt deficiente. Ex prima particula hujus diffinitionis oſtenditur, quod liberum arbitrium eſt potentia, non actus, vel habitus: dicitur enim *facultas* hic potentia expedita, ideſt libera. Neque enim poteſt dici actus, quia actus non ſemper manet in homine, ſed tranſit: liberum arbitrium ſemper manet in homine; ſed neque in homine habitus dici poteſt. Et ratio eſt, quia habitus dicuntur, ſecundum quos nos habemus bene vel male ad actus vel paſſiones, ut dicitur in 2. Ethicorum. Nam per temperantiam bene nos habemus circa concupiſcentias, per intemperantiam autem male: per habitum ſcientiæ bene nos habemus ad actum intellectus, dum per eum cognoſcimus verum, & per contrarium habitum male. Liberum autem arbitrium indifferenter ſe habet ad bene vel male eligendum. Unde impoſſibile eſt, quod liberum arbitrium ſit habitus. Eſt ergo potentia. Quamvis enim ſecundum propriam ſignificationem vocabuli nominet quemdam actum; tamen ſecundum communem uſum loquendi liberum arbitrium dicimus id, quod eſt principium hujus actus, ſcilicet quo homo

Liberum arbitrium diffinitur.

Non eſt actus nec habitus, ſed potentia.

mo libere judicat. Principium autem in nobis actus est potentia vel habitus: sed probatum est, quod habitus esse non potest; ergo potentia est.

Ad liberum arbitrium requiritur ratio & voluntas.

Ex secunda particula diffinitionis, quum scilicet dicitur *rationis & voluntatis*, non datur intelligi, quod ista potentia sit una composita ex ratione & voluntate, vel quod sit utraque; sed quod ad actum liberi arbitrii concurrunt ratio & voluntas, ut dicit B. Thomas in 1. parte quæst. 83. art. 2.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi supra art. 3. quod liberum arbitrium est electio. Per hoc enim dicimur liberi esse arbitrii, quia possumus unum recipere de duobus, alio recusato, quod est eligere. Et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet. Ad electionem autem concurrit aliquid ex parte cognoscitivæ virtutis, & aliquid ex parte appetitivæ. Ex parte cognoscitivæ requiritur consilium, per quod dijudicatur, quid sit tandem præferendum. Ex parte appetitivæ requiritur, quod appetendo acceptetur, quod per consilium dijudicatur. Unde philosophus in 6. Ethicorum sub dubio reliquit, utrum electio principalius pertineat ad vim cognitivam, vel ad vim appetitivam. Dicit enim quod electio vel est intellectus appetitivus, vel appetitus intellectivus. Sed in 3. Ethicorum in hoc magis declinat, quod sit appetitus intellectivus nominans electionem desiderium consiliabile. Et hujus ratio est, quia proprium objectum electionis est id, quod est ad finem. Hoc autem in quantum hujusmodi habet rationem boni, quod dicitur utile. Unde quum bonum in quantum hujusmodi sit objectum appetitus, sequitur quod electio sit principaliter actus appetitivæ virtutis; & per consequens liberum arbitrium est potentia appetitiva. Arbitrium enim importat judicium. Judicium vero est quasi conclusio & determinatio consilii. Determinatur autem consilium primo per sententiam rationis, secundo per acceptationem appetitus. Et quamvis appetitus non sit collativus, quia collatio importat comparationem unius ad alterum, quod pertinet ad rationem; tamen in quantum a vi cognitiva conferente movetur, habet quamdam collationis similitudinem, dum unum alteri præoptat.

Gratia non tollit liberum arbitrium in bono agendo.

Ex tertia particula diffinitionis, scilicet *bonum eligitur gratia assistente*, ostenditur gratia necessaria ad bene agendum; nec tamen ex hoc tollitur libertas arbitrii. Liberum enim arbitrium est causa sui motus per hoc, quod homo seipsum movet ad agendum; non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est; sicut etiam nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus. Deus ergo est prima causa movens causas naturales & voluntarias. Sicut ergo movendo causas naturales non eis aufert, quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntarie; sed potius hoc eis facit. Operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem; & hoc est, quod ait Apostolus Philipp. 2. *Deus operatur in nobis velle & perficere*, & Proverb. 21. *Cor regis in manu Dei est*, & quocumque voluerit, vertet illud. B. Thomas ubi supra. Operatur enim in omnibus Deus velle, in quantum illud velle est quidam actus naturalis, secundum quod Deus est causa omnium motionum suo influxu, quo omnia movet. Operatur autem in bonis velle scilicet meritorie, in quantum Deus lumine gratiæ movet voluntatem ad movendum aliquid meritorium.

Neque ad malum quis cogitur.

Ex ultima particula ostenditur, quod nullus cogitur ad malum. Unde Ambrosius: *Nemo nostrum tenetur ad culpam, nisi propria voluntate deflexerit*, 15. quæst. 1. *Non est*, & Augustinus: *Vasis iræ numquam Deus redderet interitum, si non spontaneum inveniretur homo habere peccatum*, 23. quæst. 4. *Vasis*. Unde & Cain dictum fuit a Domino, Genes. 4. *Sub te erit appetitus ejus*, scilicet peccati, *& tu dominaberis illius*. Quod autem Augustinus dicit, quod homo peccando seipsum perdidit & liberum arbitrium, non vult dicere, quod perdiderit illud, quoad libertatem naturalem, quæ est libertas a coactione; sed quantum ad libertatem, quæ est a culpa & miseria. Juxta illud Joann. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Nota, quod hæc diffinitio liberi arbitrii tantum convenit libero arbitrio hominis, dum est viator: vel si intelligatur de libero arbitrio Angeli; tunc oportet intelligere de ipso, quanto ad statum primum Angelorum, in quo fuerunt vertibiles secundum Alexandrum de Hales in summa. Raynerius.

§. I. Hoc autem liberum arbitrium non est alia potentia a voluntate. Unde Damascenus in 3. libro dicit, quod liberum arbitrium nil aliud est quam voluntas. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi supra art. 4. quod potentias appetitivas oportet esse proportionatas potentiis apprehensitivis. Sicut autem ex parte apprehensionis intellectivæ se habent intellectus & ratio; ita ex parte appetitus intellectivi se habent voluntas & liberum arbitrium, quod nihil est aliud quam vis elective. Et hoc patet ex habitudine objectorum & actuum. Nam intelligere importat simplicem apprehensionem alicujus rei; unde intelligi proprie dicuntur principia, quæ sine collatione per se cognoscuntur. Ratiocinari autem est de uno devenire in cognitionem alterius. Unde proprie de conclusionibus ratiocinamur, quæ ex principiis innotescunt. Ex parte autem appetitus velle importat simplicem appetitum alicujus rei. Unde voluntas dicitur esse de fine, qui propter se appetitur. Eligere autem est appetere aliquid propter aliquid consequendum; unde proprie est eorum, quæ sunt ad finem. Sicut autem se habet in cognitivis principium ad conclusionem, cui propter principia assentimus; ita in appetitivis se habet finis ad ea, quæ sunt ad finem, quæ propter finem appetuntur. Unde manifestum est, quod sicut se habet intellectus ad rationem; ita se habet voluntas ad vim electivam, idest liberum arbitrium. Ostensum est autem supra, quod ejusdem potentiæ est intelligere & ratiocinari, sicut ejusdem virtutis est quiescere & moveri. Unde etiam ejusdem potentiæ est velle eligere, & per eamdem rationem. Et proper hoc voluntas & liberum arbitrium non sunt duæ potentiæ, sed una. Electio ergo & voluntas quantum ad ipsum velle, sunt diversi actus; sed tamen pertinent ad unam potentiam, sicut intelligere & ratiocinari, & quamvis ex parte intellectus sint duæ potentiæ, scilicet intellectus agens, & intellectus possibilis; non sic fit distinctio voluntatis in agentem & possibilem. Et ratio hujus est, quia intellectus agens comparatur ad possibilem ut movens; sed ad voluntatem comparatur ut movens, non liberum arbitrium, sed intellectum, quia bonum apprehensum per intellectum, movet voluntatem & liberum arbitrium.

Intellectus est principiorum.

Voluntas est finis.

§. II. Liberum arbitrium est subjective in Deo in Angelis & in hominibus, & perfectius in Deo quam in Angelis, & perfectius in Angelis, quam in hominibus.

Quod liberum arbitrium est etiam in Deo,

Primum, scilicet quod sit in Deo liberum arbitrium, probatur auctoritate & ratione. Dicit enim Ambrosius in lib. de Trinit. Spiritus sanctus dividit singulis, prout vult, idest pro liberæ volun-

voluntatis arbitrio, non neceſſitatis obſequio. Spiritus autem ſanctus eſt Deus; ergo in Deo eſt liberum arbitrium. Ratione probatur ſic: Liberum arbitrium eſt eorum, quæ non ex neceſſitate vel naturali inſtinctu volumus, ſed libere. Sed Deus neceſſario vult ſuam bonitatem velut finem ultimum voluntatis divinæ; alia vero omnia vult quaſi ordinata ad iſtum finem, ſcilicet ad bonitatem ſuam. Quæ quidem non neceſſario vult; ſed libere, eo quod ſua bonitas his, quæ ad ipſam ordinantur, non indiget. Unde remanet in eo judicium liberum ad volendum hoc vel illud, ſicut etiam in nobis eſt in his, quæ ad finem non ſunt neceſſaria.

Liberum arbitrium perfectius eſt in Deo quam in aliis.

Quod autem ipſum liberum arbitrium ſit perfectius in Deo, quam in Angelis vel hominibus, probatur tali ratione: Liberum arbitrium præſupponit tria, naturam, vim cognitivam, & volitivam. Sed hæc tria perfectius ſunt in Deo, quam in Angelis & hominibus &c. ergo &c. Et quantum ad primum, ſcilicet quod natura ſit perfectius in Deo quam Angelis & hominibus, patet ex hoc, quia natura divina eſt increata, & eſt ſuum eſſe & ſua bonitas, unde in eo non poteſt eſſe defectus aliquis, nec corruptibilitatis, quia quum ſit increata, non eſt ex nihilo; & ideo non eſt vertibilis in nihil: nec defectus permiſtibilitatis, quia quum natura divina ſit per eſſentiam talis, non eſt alicujus admiſtionis vel compoſitionis ſuſceptibilis: nec defectus culpabilitatis, quia quum ejus bonitas ſit eſſentialis, non eſt in malum flexibilis. Liberum arbitrium hominis vel Angeli in ſuis naturalibus conſideratum, eſt defectuoſum quantum ad iſta tria. Secundo liberum arbitrium præſupponit virtutem intellectivam; ubi autem perfectius invenitur & nobilius virtus intellectiva, ibi eſt perfectius liberum arbitrium: ſed perfectius natura intellectiva invenitur in Deo quam in aliis, quia Deus intelligit per unum ſolum, quod eſt idem cum ipſo, ideſt per eſſentiam ſuam; Angelus autem per converſionem ad ſuum ſuperius, ſcilicet Deum; homo mediante phantaſmate a rebus inferioribus; ergo &c. Tertio liberum arbitrium præſupponit virtutem volitivam tamquam primam cauſſam ejus. Et quantum ad hoc etiam perfectius eſt in Deo, quia in malum omnino tendere non poteſt arbitrium ejus, ſicut Angeli & hominis.

In Deo nullus eſt defectus.

Objectio movetur.

Si autem objiciatur ſic: Liberum arbitrium in utramque partem flecti poteſt, ſcilicet in malum & in bonum, & viam habet ad oppoſita: ſed Deus ad malum flecti non poteſt. Dicit enim Adamantius: *Non peccare ſolius Dei eſt, emendare ſapientis*, *De pœnit.* Diſt. 3. can. *Inter hæc*. Quod intelligitur, *non quod omnis creatura peccaverit*, ut Hieronymus dicit; *ſed quia nulla eſt, quæ peccare non poſſit*, *De pœnit.* Diſt. 2. *Principium*, paragrapho ultimo. Ad hoc reſpondetur, quod quum malum culpæ dicatur per averſionem a bonitate divina, per quam Deus omnia vult, manifeſtum eſt, quod impoſſibile eſt Deum velle malum culpæ; & tamen ad oppoſita ſe habet ejus voluntas, in quantum poteſt velle hoc eſſe, vel non eſſe.

Quid pertinet ad rationem liberi arbitrii.

Ubi notandum, quod ad rationem liberi arbitrii non pertinet, quod quis indeterminate ſe habeat ad malum & bonum. Cujus ratio eſt, quia liberum arbitrium per ſe ordinatum in bonum, quum bonum ſit objectum voluntatis, nec in malum tendat, niſi propter aliquem defectum, qui apprehenditur ut bonum, quum electio, quæ eſt actus proprius voluntatis, non ſit niſi boni vel apparentis boni; & ideo ubi liberum arbitrium eſt perfectiſſimum ut in Deum, in malum tendere non poteſt. Sed ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere poſſit; & hoc Deo convenit, quia bona, quæ facit, poteſt non facere. Nec tamen poteſt malum facere ratione prædicta. Quum ergo dicitur, quod liberum arbitrium viam habet ad oppoſita, poteſt intelligi tripliciter. Primo quia poteſt velle bonum & malum; & ſic non convenit Deo, quia importat defectibilitatem. Secundo ut prius aliquid velit, & poſtea illud nolit; & hoc etiam Deo non convenit, quia repugnat immutabilitati divinæ. Tertio poteſt intelligi viam habere ad oppoſita, quia poteſt velle hoc, & non velle; & hoc convenit Deo, quia ipſe habet liberam electionem volendi aliquid, vel non volendi, quia multa ita libere vult, quod poteſt ea velle & non velle abſque ejus defectibilitate & mutabilitate. Hæc Thomas in quæſtionibus de veritate. Raynerius.

Liberum arbitrium qualiter oppoſita poſſit.

Liberum arbitrium eſt in Angelis & perfectius quam in hominibus: & quod ſit in Angelis, probatur auctoritate Damaſceni, qui dicit in lib. 2. quod Angelus eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera &c. Probatur etiam tali ratione: Omne creatum eſt vertibile vel ſecundum eſſe, vel ſecundum electionem: Sed Angelus eſt creatus; ergo eſt vertibilis: non ſecundum eſſe, quum ſit immortalis; ergo eſt vertibilis ſecundum electionem, quæ pertinet ad liberum arbitrium. Hæc Alexander in ſumma. Oſtenditur etiam hoc ex hoc, quod habetur, *De pœnit.* Diſt. 2. *Principium*. Quod Angeli liberum arbitrium ſit perfectius, quam hominis, patet ex hoc, quia quum liberum arbitrium ſit facultas voluntatis & rationis, ubi eſt perfectior ratio ſeu intellectus & major facultas voluntatis, ubi eſt major libertas arbitrii: ſed perfectius eſt virtus intellectiva in Angelo, quam in homine, quod patet, quia apprehendit cognitionem veritatis abſque diſcurſu & inquiſitione; unde non accidit dubitatio vel difficultas in eo. Homo autem intelligit cum diſcurſu & inquiſitione; unde accidit dubitatio & difficultas. Similiter major facilitas vel facultas voluntatis eſt in Angelo ad exeundum in actum, quam in homine; quod patet, quia quam cito Angelus eſt, habet poteſtatem volendi, eligendi, amandi; homo autem non ſic, ut patet in parvulo, qui habet impedimentum a carne, & exſpectat tempus, ut habeat uſum rationis; ergo perfectius eſt liberum arbitrium in Angelo quam in homine.

Liberum arbitrium eſt in Angelis perfectius quam in hominibus.

Si autem objiciatur ſic: Ubi eſt major libertas, ibi perfectius liberum arbitrium: ſed in homine major libertas videtur, quia homo poteſt converti a bono in malum, & inde a malo in bonum: ſed Angelus ſemel vertitur in bonum vel malum ſine reverſione; ergo &c. Reſpondetur: utique major vertibilitas eſt in homine, quam in Angelo, ſed non major libertas.

Liberum vero arbitrium attenditur penes libertatem, non vertibilitatem. Alia enim ratione eſt libertas in creatura, alia vertibilitas; quia libertas eſt dignitas exiſtens in creatura rationali vel intellectuali per convenientiam & converſionem ad primum, ſcilicet Deum; vertibilitas autem ſequitur ipſam naturam creaturæ rationalis ſecundum ſe; & ideo non ſequitur, quod ubi eſt major vertibilitas, ſit major libertas. Hæc Alexander in 2. parte ſummæ. Item quamvis electio, quæ pertinet ad liberum arbitrium, ſit eorum, quæ ſunt ad finem, & Angelis advenerit finis eorum, quia ſcilicet conjuncti ſunt ipſi Deo inſeparabiliter, ac etiam in patria; non tamen ſequitur, quod eſſet in eis electio, nec per conſequens liberum arbitrium. Et ratio eſt, quia id, quod eſt ordinatum ad finem, eſt duplex. Quoddam

Liberum arbitrium attenditur penes libertatem, non vertibilitatem.

dam ut diſtans a fine, & in hujuſmodi adveniente fine ceſſat electio ejus, quod ordinatur ad illum finem. Sicut nunc quis eligit velle credere & ſperare, quæ electio ceſſabit in patria. Aliud ordinatum ad finem eſt ut conjunctum fini, & hujuſmodi electio non ceſſat adveniente fine, ſed manet cum fine. B. Thomas ſuper 2. ſententiar.

Item ſciendum, quod hoc pertinet ad perfectionem libertatis arbitrii, quod poſſit diverſa eligere, ſervato tamen debito ordine finis. Sed quod eligat aliquid deviando ab ordine finis, ut fit in peccando, hoc pertinet ad effectum libertatis; & ideo major libertas eſt in Angelis & ſanctis, qui peccare non poſſunt quam in viatoribus. B. Thomas 1. parte quæſt. 59. art. 3.

Qualiter liberũ arbitrium eſt in homine. 1

In homine eſt liberum arbitrium & ante peccatum & poſt peccatum; aliter tamen & aliter. Unde Hieronymus ad Damaſum: Nos dicimus hominem ſemper peccare & non peccare poſſe, ut ſemper nos liberi confitemur arbitrii. 1 Si enim poſt peccatum mortale commiſſum, non poſſet quis vitare peccatum; jam non peccaret, quia Auguſtinus dicit, quod nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt. Gregorius etiam dicit, quod debilis eſt hoſtis, qui non poteſt vincere niſi volentem; ergo non neceſſitatur, ex quo eſt volens. Et quamvis habens habitum neceſſario faciat ſecundum habitum; non tamen oportet, quod peccator ſemper faciat ſecundum habitum peccati, ſed per liberum arbitrium poteſt uti habitu & non uti, & facere poteſt aliquando contra ipſum habitum peccati, licet cum difficultate. Tamen manente habitu, non poteſt contingere, quod diu maneat nihil agens ſecundum habitum.

Item videtur, quod peccator non habeat liberum arbitrium, quia liberum arbitrium diffinitur quod *eſt facultas voluntatis & rationis, qua bonum gratia aſſiſtente eligitur:* ſed peccator non habet gratiam; ergo non poteſt libere eligere bonum, & ita non habet liberum arbitrium ad bona. Reſpondetur, quod ille, qui non habet gratiam, poteſt eligere bonum, ſed non meritorium; hoc autem non derogat libertati arbitrii. Dicitur enim homo eſſe liberi arbitrii ſecundum quod poteſt agere hoc vel illud, & non ſecundum quod poteſt agere ſic, vel ſic taliter, ſcilicet qualiter virtuoſus agit, niſi in quantum poteſt acquirere habitum virtutis. Vel etiam ſic poteſt aliter reſponderi: Licet gratiam, qua homo poſſit meritoria opera facere, non poſſit quis ex libero arbitrio promereri ſeu acquirere; poteſt tamen ad eam gratiam habendam ſe præparare, quæ ei a Deo non denegabitur, ſi faciat, quod eſt in ſe; & ideo non eſt omnino extra poteſtatem arbitrii opera meritoria facere, quamvis poteſtas arbitrii per ſe ad hoc non ſufficiat, eo quod modus, qui ad meritum requiritur, facultatem naturæ excedit; non autem modus, qui eſt in operibus ex virtutibus politicis. Nullus autem diceret hominem non eſſe liberi arbitrii, quia non poteſt taliter velle eligere, ſicut Deus vel Angelus.

Quod autem Auguſtinus dicit, quod neceſſe eſt hominem peccare ante reparationem damnabiliter, intelligitur aliquo poſito; tamen reſpectu nullius habet neceſſitatem. Vel dicas, quod de hoc eſt duplex opinio: quidam dicunt, quod homo in mortali exiſtens non poteſt diu manere, quin peccet mortaliter; poteſt tamen vitare hoc vel illud mortale, ſicut communiter omnes dicunt de venialibus. Quidam alii dicunt, quod in mortali exiſtens poteſt vitare omne mortale, non tamen poteſt vitare, quin ſit ſub peccato, quia non poteſt per ſe reſurgere ſine gratia, ſicut potuit per ſe cadere; & ſecundum hoc libertas arbitrii ſuſtinetur.

Primus error.

§. III. Notandum igitur, quod duplex error exſtat circa liberum arbitrium. Unus eſt eorum, qui dicunt per liberum arbitrium poſſe hominem ſufficienter mandata implere omnia, & meritorie agere ſine gratia Dei. Sed per gratiam facilius operatur bene; & hoc eſt hæreſis Pelagianorum, 24. quæſt. 3. can. penul. Et condemnatur *De conſecrat.* Diſt. 4. *Placuit*, ubi dicitur: *Placuit, ut quicumque dixerit ideo nobis dari gratiam juſtificationis, ut quod facere jubemur per liberum arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam, tamquam, etſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſumus etiam ſine illa implere mandata divina, anathema ſit.*

Secundus error.

Secundus error eſt eorum, qui dicunt actus humanos ex neceſſitate procedere, & hoc vel ex conſtellationibus, ſub quibus homines naſcuntur, vel ex immutabilitate divinæ præſcientiæ. Sed primum, ſcilicet de conſtellationibus, 26. quæſt. 3. *Igitur genus*, & Auguſtinus in 5. de civ. Dei reprobat. Secundum reprobatur per B. Thomam in 1. parte, & etiam in Decretal. 23. quæſt. 4. *Viſis*, *§. Duæ ſunt.* Unde Auguſtinus: *Si quid providentia Dei præſciens videt, id neceſſe eſt eſſe, tametſi nullam naturæ habeat neceſſitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ex libertate arbitrii proveniunt, præſentia contuetur; hæc igitur ad intuitum relata divinum neceſſaria fiunt per diſpoſitionem divinæ notionis: per ſe vero conſiderata ab abſoluta naturæ ſuæ libertate non deſinunt. Fiunt igitur proculdubio cuncta, quæ futura Deus eſſe præneſcit; ſed eorum quædam de libero proficiſcuntur arbitrio.* Hæc Auguſtinus ibi.

Libertas probatur.

Quod homo ſit liberi arbitrii, probatur per illud Eccleſiaſtici 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui*, id eſt in libertate arbitrii ſecundum gloſſam. Ad quod etiam facit quod dicit Hieronymus contra Jovinianum, ſcilicet: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin ubi neceſſitas, ibi nec damnatio, nec corona, De pœnit.* Diſt. 2. *Si enim inquit, §. Ceterum.*

Secundo probatur ex legum ordinatione & exhortatione ſic: Præcepta & prohibitiones non debent fieri niſi ei, qui poteſt facere & non facere; alias enim fruſtra fierent: ſed homini etiam divinitus fiunt prohibitiones & præcepta; ergo in hominis poteſtate eſt facere & non facere, & ita eſt in eo liberum arbitrium.

Tertio ex præmio & pœna ſic: Nullus debet puniri vel præmiari pro eo, vel de eo, quod non eſt in ejus poteſtate facere & non facere. Sed homo ju-

1 Hæc ratio efficaciſſime probat actualem omnino libertatem requiri ad actuale peccatum, adeo ut ea ipſa peccata, quæ poſt voluntariam liberam ex. gr. ebrietatem ſine actuali libertate committuntur, peccata non ſint in ſe, ſed tantum in cauſſa, quæ libera fuit, ac pro cauſſæ malitia majorem vel minorem culpam contineant. Quæ vero nullo modo, neque in cauſſa, libera nobis fuerunt, nullo modo peccata eſſe queunt, quemadmodum ſi in involuntariam ac invincibilem phreneſim inciderimus. Idem eſſet, ſi per peccatum Adæ ablata nobis fuiſſet libertas, ut ne libertas ejus ſine libertate noſtra nobis ad peccandum vel merendum ſufficere queat. Hinc damnata ab Alexando VIII. propoſit. 1. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium & liberum fuit in cauſſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Hanc libertatem non ſufficere hæc paragraphus aliaque plura hujus capitis ſatis evincent.

juſte a Deo punitur & præmiatur, pro ſuis operibus; ergo homo poteſt operari & non operari, & ita eſt arbitrii.

Quarto, quod homo ſit liberi arbitrii, probatur ratione ſic: Ubicumque eſt intellectus, eſt & liberum arbitrium: ſed in omne eſt intellectus; ergo &c. Major ſic probatur: Ubi eſt æſtimatio vel diſcretio, ibi eſt & electio: ſed in homine eſt æſtimatio & diſcretio, quæ pertinent ad intellectum: nam judicant vel diſcernunt per apprehenſionem veritatis; ergo & ibi eſt electio, quæ pertinet ad liberum arbitrium. Nam voluntatem habent indeterminatam, reſpectu aliquorum libere eligendi vel non eligendi; quod patet per experientiam, dum quis eligit unum, poſtea contrarium; ergo eſt liberum arbitrium.

Quinto probari poteſt per exemplum, quod ponit Auguſtinus de Nabuchodonoſor & Pharaone, 23. quæſt. 4. *Nabuchodonoſor*, ubi dicitur: *Nabuchodonoſor pœnitentiam meruit fructuoſam. Nonne poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum, quod amiſerat, rurſus accepit? Pharao autem ipſis flagellis durior eſt effectus, & periit.* Et infra: *Quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo reges, quantum ad cauſſam ambo captivum Dei populum poſſidebant, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti; quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quod unus Dei manum ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio?* Hæc ibi.

Probatur hoc idem ſexto ex ſufficienti diviſione ſic: Actuum humanorum oportet aliquam cauſſam dare. Non autem poſſumus dicere, quod propria cauſſa eorum immediate ſit Deus. Ratio eſt, quia ea, quæ ſunt a Deo immediate, non poſſunt eſſe niſi bona. Actus autem humani, alii ſunt mali, alii ſunt boni. Secundo non poſſumus dicere, quod cauſſa eorum ſit neceſſitas, quia ea, quæ ſunt ex neceſſitate, eveniunt ſemper, & eodem modo ſe habent, ut ortus ſolis & hujuſmodi. Hoc autem non eſt in humanis actibus, quia innumerabiliter variantur. Tertio non poſſumus dicere, quod eorum cauſſa ſit fatum, vel diſpoſitio ſtellarum; quia tunc oporteret humanos actus procedere ex neceſſitate. Quarto non poſſumus dicere eſſe cauſſam eorum fortunam vel caſum, quia fortuna & caſus eſt eorum, quæ raro eveniunt, & præter intentionem, ut dicitur 2. phyſic. Ergo relinquitur ipſum hominem facientem eſſe cauſſam ſuorum actuum & principium; & hoc per liberum arbitrium.

Illa, quæ ſunt a Deo immediate, non poſſunt eſſe niſi bona.

Septimo probatur idem ex diffinitione liberi arbitrii. Diffinitur enim ſic, quod *eſt facultas voluntatis & rationis* &c. Sed in homine invenitur ratio & voluntas; ergo &c.

Pro hujus declaratione dicit Thomas 1. parte quæſt. 13. art. 8. Quod quædam agunt abſque judicio, ſicut lapis movetur deorſum, & ſimiliter omnia cognitione carentia. Quædam alia agunt judicio, ſed non libero, ſicut animalia bruta. Judicat enim ovis lupum videns eum eſſe fugiendum naturali judicio, & non libero, quia non ex deliberatione, ſed ex naturali inſtinctu hoc judicat. Et ſimile eſt de quolibet judicio animalium brutorum. Sed homo agit judicio libero, quia per vim cognoſcitivam judicat aliquid eſſe fugiendum vel proſequendum. Sed quia judicium iſtud non eſt ex inſtinctu naturali in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis, ideo agit libero judicio potens in diverſa ferri. Ratio enim circa contingentia viam habet ad oppoſita, ut patet in dialecticis propoſitionibus & rhetoricis perſuaſionibus. Particularia autem operabilia ſunt, quædam contingentia; & ideo circa ea judicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad unum. Et tanto neceſſe eſt, quod homo ſit liberi arbitrii, ex hoc ipſo, quod eſt rationalis.

Quod autem dicit Apoſtolus ad Romanos cap. 7. *Non enim, quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio*, non eſt contra determinata. Nam appetitus ſenſitivus, etſi in aliquo poſſit repugnare rationi, concupiſcendo contra illud, quod dictat ratio; tamen ex hoc tantum non tollitur, quin ſubjiciatur rationi. Et hoc eſt bonum, quod homo non facit, quum vult, quia ſcilicet vellet non concupiſcere, ideſt non ſentire motum ſenſualem contra rationem; & tamen ſentit: ſed per hoc non tollitur libertas arbitrii, quia ibi non eſt aſſenſus rationis in tali motu, qui requiritur in actu liberi arbitrii.

Similiter, quod idem Apoſtolus dicit ad Rom. 9. *Non eſt volentis, neque currentis* &c. non ſic intelligendum, quaſi homo non velit, & currat, ideſt operetur bene, & fruatur libero arbitrio; ſed quia liberum arbitrium ad hoc non eſt ſufficiens, niſi moveatur, & juvetur a Deo. Quod etiam dicitur Hierem 10. *Non eſt in homine via ejus, neque viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos*, intelligitur quantum ad exſecutiones electionum ſuarum, in quibus poteſt homo impediri, velit, nolit. Sed electiones ipſæ, quæ pertinent ad liberum arbitrium, ſunt in nobis ſuppoſito divino auxilio. Hæc B. Thomas ubi ſupra.

Homo habet libertatem arbitrii vertibilem in malum.

§. IV. Libertatem arbitrii vertibilem in malum dedit Deus homini, ſeu fecit Deus hominem liberi arbitrii vertibilem in malum quinque rationibus.

Prima ratio eſt manifeſtatio divinæ potentiæ. Voluit enim Deus oſtendere homini, quod ſicut ſine eo factus non fuerat, ita nec ſine ipſo perſiſtere poterat. Ut ergo cognoſceret, quod divinum poſſe non ſolum eſt omnis potentiæ, ſed etiam omnis potentiæ conſervativum, & quod ille ſolus eſt indefectibilis & invertibilis; ideo voluit & ſibi placuit creaturam rationalem facere vertibilem, nec ipſam confirmare in bono, quouſque illi conſtaret, quod ipſe ſolus Deus eſt, in quo non cadit non poſſe. Ad quod facit, quod ait Auguſtinus *De pœnit.* Diſt. 2. can. fin. §. ult. dicens: *Solus ille omnipotens vocatur, qui hoc non poteſt*, ſcilicet peccare, *quia omnia poteſt, quæ poſſe eſt aliquid poſſe.*

Creatio Dei optima.

Secunda ratio eſt manifeſtatio divinæ ſapientiæ ex ordine malorum cum bonis, ſcilicet ex vertibilitate hominis in malum, quod quidem malum Deus ordinat cum bonis. Ex eo enim, quod Deus ex malo bonum elicit, divina ſapientia manifeſtatur, eo quod majoris ſapientiæ eſt ordinare malum cum bonis, & elicere bonum ex malis, quam ordinare ſolum bona cum bonis, vel elicere bona ex bonis. Et ideo quum diceret, nec poſſibile eſſet Deum facere mala, debuit talem facere creaturam, quæ poſſet in operando deficere & malum committere, ut Deus mala illa ordinando in bonum ſuam ſapientiam declararet. Dicit enim Auguſt. in 10. de civit. Dei: Neque Deus ullum non dico Angelorum vel hominum crearet, quem malum futurum eſſe præſciret, niſi pariter noſceret, quibus eos bonorum uſibus commodaret. Oſtenditur etiam Dei ſapientia in hujuſmodi vertibilitate ex comparatione meriti ad præmium. Nemo enim dignus eſt coronari, *niſi qui legitime certaverit*, 2. ad Tim. 2. Et ideo decuit divinam ſapientiam prius hominem quaſi in campo certaminis examinare, quam in gloria coronare & exaltare. Ad hoc facit, quod habetur 59. Diſt. can. 2. ubi dicitur, quod dignitates nec eccleſiaſticæ nec ſæculares conferendæ ſunt non examinatis, ſeu probatis laboribus & exercitiis.

Tertia ratio eſt manifeſtatio divinæ miſericordiæ, quæ potiſſimum manifeſtata eſt, quum unigenitum ſuum tradidit pro hominis liberatione. Unde Joann. 8. ait ipſe unigenitus: *Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Ubi Auguſtinus: *Si filius vos liberaverit*, non a barbaris, ſed a diabolo, non a corporis captivitate, ſed ab animæ iniquitate. Et Gregorius ait: *Redemtor noſter totius conditor creaturæ, ad hoc propitiatus humanam carnem voluit aſſumere, ut divinitatis ſuæ gratia dirupto, quo tenebamur captivi, vinculo ſervitutis*, ſcilicet peccati, *priſtinæ nos reſtitueret libertati*, 12. quæſt. 2. *Quum redemtor.*

Beneficium incarnationis.

Quarta ratio eſt manifeſtatio divinæ juſtitiæ, quæ potiſſime manifeſtatur in hoc, quod Deus tribuit unicuique ſecundum opera ſua, ſcilicet bonis bona æterna tribuendo, & malos æterna pœna puniendo. Hæc autem retributio & punitio æterna non fuiſſet, niſi Deus hominem in ſtatu vertibilitatis condidiſſet; quia non meretur aliquis, vel demeretur, & per conſequens non præmiatur nec punitur, niſi per hoc, quod eſt dominus ſuorum actuum per liberam voluntatem. Ad hoc etiam facit, quod dicit Auguſtinus: *Vaſis iræ numquam Deus redderet interitum, ſi non ſpontaneum inveniretur homo habere peccatum*, 23. quæſt. 4. can. *Vaſis*. Et Hieronymus: *Ubi neceſſitas*, ſcilicet benefaciendi, *ibi nec corona*, ſcilicet debetur, *De pœnit.* Diſt. 2. *Si enim*, §. *Ceterum confido.*

Quinta ratio eſt augmentatio gloriæ beatorum. Nam glorioſius eſt homini in vertibilitate ad malum condito quodam modo ex meritis gloriam obtinere, quam in invertibilitate conditum fuiſſe, & ſic ſine aliquo genere meriti beatificari. Et propter hoc ad commendationem juſti vertibilis in malum dicitur Eccleſiaſtici 35. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*, ſcilicet præceptum, etiam ab homine puniendum, *& facere malum, & non fecit*, quoad occulta; *ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*, ideſt opera illius ſunt firmata in Domino, quaſi in fundamento, quaſi diceret: præmia illius firmiter reſervata ſunt a Domino. Hæc Alexander 2. parte ſummæ, quæſt. 56. exceptis allegationibus decretorum.

Homo & Angelus debent habere libertũ arbitrium.

§. V. Quod liberum arbitrium debuit dari a Deo & Angelo & homini, oſtenditur rationibus & ſimilitudinibus. Rationibus quidem ſic: Primo ex comparatione boni: & eſt interrogatio Auguſtini ab Adeodato. Quid tibi melius eſſe videtur in nobis? an illud, ſine quo recte vivi poteſt: an illud, ſine quo vivi non poteſt? Reſpondet Adeodatus: Quis ambigat id longe eſſe præſtantius, ſine quo recta vita nulla eſt? Auguſtinus: Quum ergo in corpore oculum concedas eſſe aliquod bonum, quo amiſſo tamen ad recte vivendum, non impeditur homo; voluntas libera tibi videtur nullum bonum, ſine quo recte nemo vivit? Et confirmat per exemplum dicens: Vides quantum boni deſit corpori, cui deficiat manus? & tamen manibus male utitur, qui eis vel ſæva, vel turpia operatur. Si aſpiceres aliquem ſine pedibus, fatereris eſſe integritatem corporis plurimum bonum; & tamen qui uteretur ad nocendum cuiquam vel ſeipſum dehoneſtando, male uti pedibus non negares: & ſic de oculis & de aliis. Quemadmodum ergo iſta probas in corpore, & non intuens eos, qui male utuntur, in his laudas illum, qui hoc dedit donum, & qui hæc dedit bona; ſic liberam voluntatem, ſine qua nemo poteſt recte vivere, oportet eſſe bonum etiam divinitus datum, & potius eos eſſe damnandos, qui hoc bono male utuntur, quam eum, qui dederit, dare non debuiſſe fateris.

Secunda ratio eſt ex ſufficienti diviſione boni. Nam bonorum quædam ſunt magna, quædam minima, quædam media. Bona magna ſunt, quibus recte vivitur, ut virtutes, quibus nullus male vivit. Bona minima ſunt, ut ſpecies vel ſenſus quorumlibet corporum, ſine quibus recte vivi poteſt. Bona media ſunt, ſine quibus recte vivi non poteſt, ut potentiæ. Voluntas ergo libera videtur tibi nullum bonum, ſine qua recte nemo vivit.

Tertio debuit Deus dare liberum arbitrium ad perfectionem univerſi. Si quis enim dixerit: Non erat tam difficile, aut laborioſum omnipotenti Deo, ut omnia quæcumque fecit, ſic haberent ordinem ſuum, ut nulla creatura uſque ad miſeriam perveniret. Non enim eſt dicere ut hoc, aut impotens non potuit, aut non bonus invidit. Reſpondeo & dico, ordinem creaturarum a ſumma uſque ad infimam, ita gradibus juſtis decurrere, ut ille inviderit, qui dixerit iſta non eſſe, & ille invideat, qui dixit iſta talia non debere eſſe. Si enim talis vult eſſe inferiorem, qualis eſt natura vel creatura ſuperior; jam illa eſt, & tanta eſt, ut adjici non poſſit, quia perfecta eſt: v. gr. qui diceret lunam debere eſſe ut ſolem, dupliciter errat. Uno modo, quia ad rerum perfectionem aliquid cupit adjicere, quum deſiderat alterum ſolem. Alio modo, quia perfectionem univerſi vult minuere, quum lunam vult detrahi. Sic a ſimili: Si dicis, quod Deus voluntatem noſtram debuit facere impeccabilem, & ſic eſſet abſque miſeria, erras primo, quia vis adjicere voluntati divinæ, quod eſt impoſſibile, quum illa ſit perfectiſſima: ſecundo, quia vis diminuere perfectionem univerſi, quum etiam noſtra miſeria ad perfectionem univerſi faciat. Defuiſſet autem huic perfectioni, ſi beati ſemper eſſemus. Quapropter ſi ad miſeriam niſi peccando non pervenit anima, etiam peccata noſtra neceſſaria ſunt perfectioni univerſitatis, quam condidit Deus. Quid enim tam opus habet miſericordia, quam miſer? Et quid tam indignum miſericordia, quam miſer ſuperbus?

Quod probat Auguſtinus per exemplum tale. Quid tam dignum in domo, quam homo? Et quid tam indignum abjectum & infimum, quam cloaca domus? Servus tamen in tali domo dejectus intantum, ut mundandæ cloacæ dignus habeatur, ornat domum etiam turpitudine ſua. Et utrumque horum, ſcilicet ſervus & mundatio cloacæ, faciunt ad pulchritudinem domus. Hinc fit, ut creatura ſuperior peccans ceteris inferioribus, puniatur; quia tamen illæ ſunt infimæ, ut ornari etiam a turpibus animis poſſint, atque ita univerſitatis decori congruere. Habitationi ergo cæleſti talis anima non congruit per peccatum; terreſtri autem congruit per ſupplicium. Raynerius.

Liberum arbitrium debilitatũ in modo.

§. VI. De libero arbitrio, nota quod eſt
Debilitatum in modo,
Confirmatum in bono,
Obſtinatum in malo.

Et quantum ad primum dico, quod liberum arbitrium eſt debilitatum in modo. Nam in eo, qui incidit in peccatum, liberum arbitrium non eſt ablatum, ſed dicitur eſſe debilitatum, hoc modo ſcilicet, ut quod prius ante peccatum facile poterat, poſtmodum poſt peccatum ſine difficultate & pugna non poſſit.

Sed contra Magiſter ſententiarum in 2. Diſt. 25. dicit, quod homo ante recuperationem gratiæ non poteſt non peccare etiam mortaliter; ergo ſine gratia non poteſt homo vitare peccatum: & ſic liberum arbitrium videtur eſſe ablatum vel coactum. Reſpondeo & dico, quod liberum arbitrium etiam poſt peccatum poteſt vitare peccatum, quod oſtenditur in ſimilitudine, & ratione.

Et ſimilitudo exempli patet ex hoc: Sicut videre dicitur dupliciter, ut dicit philoſophus in 2. de

2. de anima, ſcilicet habere viſum,& uti viſu; ita etiam peccare dicitur dupliciter. Unde quum dicitur: Ante recuperationem gratiæ homo non poteſt non peccare, intelligitur non habere peccatum. Nam antequam homo per Dei gratiam repararetur, & a peccato liberaretur, ſemper erat in peccato. Sed non poteſt intelligi, quod non poteſt homo non uti peccato, quia exiſtens in mortali poteſt per liberum arbitrium peccatum committendum vitare, quamvis non ita faciliter ſicut antequam peccatum. Ratione autem idem probatur tali: In omnibus, quæ ſub electione cadunt, voluntas libera manet: electio autem eſt actus liberi arbitrii; ergo &c. Unde dicere, quod voluntas velit aliquid, & cogatur ab eo, eſt implicatio contradictionis, quia neceſſitas coactionis eſt contraria voluntati, ut in 5. Methaph. dicit philoſophus, eo quod voluntarium eſt, cujus principium eſt ab intra: violentum autem eſt, cujus principium eſt ab extra, ut dicit philoſophus in 3. Ethicorum; ergo etiam poſt peccatum remanet voluntas libera ad non peccandum, vel ad peccatum ſequens vitandum. Hæc B. Thomas in 2. ſententiarum Diſt. 25. Raynerius. Ad hoc etiam facit quod dicitur, Diſt. 45. *De Judæis*, ubi ſic habetur: *Sicut homo proprii arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit, ſic vocante ſe gratia Dei propria mentis converſione quiſque credendo ſalvatur; ergo non vi, ſed liberi arbitrii ſui voluntate & facultate, ut convertantur, ſuadendi ſunt, non potius impellendi.* Hæc ibi.

Ut confirmatur in bono.

Secundo liberum arbitrium conſiderari poteſt ut confirmatum in bono. Et ex natura quidem non poteſt liberum arbitrium eſſe confirmatum in bono. Et quod nulla creatura rationalis habeat liberum arbitrium confirmatum in bono ex ſui natura, probatur primo ex ipſius inventione. Nam liberum arbitrium non invenitur in aliqua creatura, niſi in Angelo & in homine: ſed tam homo quam Angelus peccavit; ergo nullius creaturæ liberum arbitrium eſt naturaliter confirmatum in bono. Secundo idem probatur exempli inductione ſic: Proprietas naturæ ſuperioris non poteſt inferiori naturæ naturaliter convenire, niſi in ſuperiorem naturam convertatur, ut v. g. ſicut non poteſt fieri, quod aqua naturaliter ſit calida, niſi convertatur in naturam ignis: ſed habere indefectibilem bonitatem, eſt proprietas divinæ naturæ; ergo non poteſt eſſe, quod alicui alii naturæ conveniat naturaliter, niſi in divinam naturam convertatur; quod eſt impoſſibile.

Nulla creatura de ſe eſt confirmata in bono.

Tertio probatur idem ratione. Quælibet creatura quum non ſit, vel quum non habeat per ſe eſſe, eſt ex nihilo procedens; & ideo flexibilis & ex ſe ad nihilum tendens. Præterea quum nulla creatura ſit bonum univerſale, ſed particulare, ex ſe eſt contrarii, ideſt mali ſuſcipiens. Solus autem Deus eſt naturaliter impeccabilis, tum quia ipſe eſt bonum eſſentiale & actuale nullius potentiæ permiſtionem recipiens, tum quia ipſe eſt bonum univerſale nulla perfectione carens, tum quia ipſe eſt, nec eſſe incipiens, nec ad non eſſe tendens, vel eſſe deſinens. Et ideo ſolus Deus habet liberum arbitrium naturaliter impeccabile & confirmatum in bono. B. Thomas in quæſtionibus de veritate. Raynerius.

Ex gratia creatura poteſt confirmari in bono.

Ex gratia autem poteſt liberum arbitrium confirmari in bono etiam in ſtatu viæ. Et hoc probatur exempli inductione, ratione & diſtinctione.

Exempli inductione patet in B. Virgine Maria, quæ in ſtatu viæ ita fuit confirmata in bono, ut deinceps peccare non poſſet. Et hoc ei merito competebat, eo quod B. Virgo erat mater ſapientiæ divinæ, in qua nihil coinquinatum incurrit, Sap. 7. Probatur idem per exemplum Apoſtolorum, qui per adventum Spiritus ſancti fuerunt confirmati in bono. Quod etiam decuit, quia erant quaſi fundamentum & baſis totius Eccleſiaſtici ædificii; unde oportuit eos eſſe firmos.

Secundo probatur hoc idem ratione ſic: Tunc homo habet liberum arbitrium in bono confirmatum, quando bonum perfectum, quod Deus eſt, menti humanæ eſt unitum: ſed Deus menti humanæ unitur per gratiam, non autem per naturam; ergo liberum arbitrium confirmari poteſt per gratiam, non per naturam. Confirmatur hæc ratio per exemplum in humano corpore: quia corpus humanum habet ex ſui natura, quod ſit corruptibile; ſed dono gratiæ efficitur incorruptibile, 1. Corinth. 15. *Oportet hoc corruptibile induere incorruptionem*; ita liberum arbitrium hominis, quod ex ſua natura habet, quod ſit flexibile in malum, per gratiam poteſt in bono confirmari. Exemplum aliud induci poteſt, ſcilicet de aere & de luce: ſicut enim aeri repugnat, quod ſit naturaliter actu lucidus, non tamen quod poſſit illuminari; ita repugnat libero arbitrio ex eo, quod eſt ex nihilo, quod ſit naturaliter confirmatum in bono, nec hoc ei, niſi per gratiam, concedi poteſt. Et ſicut lux ſuperveniens aeri aufert obſcuritatem aeri, quam ſine luce habet naturaliter; ita ex defectu liberi arbitrii eſt, quod in malum flecti poteſt, & hunc defectum aufert gratia perficiendo naturam liberi arbitrii, confirmans ipſum in bono.

Tertio probatur hoc diſtinctione ſic: Dupliciter aliquis eſt perfectus, ſcilicet ſecundum quid, ut in via, quando quis habet fidem & caritatem ſecundum modum vitæ preſentis, & ſimpliciter, ut in patria, quando perfecte diligit Deum; nec tamen in via aliquis omnino perfectus eſt ut in patria: ita aliquis poteſt eſſe confirmatus in bono in via, qui tamen non eſt confirmatus omnino in bono ut in patria: v. g. aliquis habet liberum arbitrium confirmatum in bono dupliciter. Uno modo ſimpliciter, ita quod omnino peccare non poteſt, ſicut beati, qui ſunt in patria habentes in ſe ſuæ firmitatis ſufficiens principium, ſcilicet donum gloriæ, ex quo omnino peccare non poſſunt. Alio modo dicuntur aliqui confirmati in bono, per hoc, quod eis datur donum divinæ gratiæ quo ita inclinantur in bonum, quod non de facili poſſunt deflecti a bono. Non tamen per hoc donum ita retrahuntur a malo, quod omnino peccare non poſſunt, niſi divina providentia cuſtodiente. Et hoc modo aliqui in ſtatu viæ poſſunt confirmari in bono, ſcilicet ex dono gratiæ, & non primo modo, ſcilicet ex dono gloriæ, ut in ſtatu patriæ. Et ratio eſt, quia non poteſt aliquis omnino impeccabilis reddi, niſi auferatur totaliter omnis origo peccati. Quod non contingit in ſtatu viæ, niſi in Domino Jeſu, qui ſimul erat viator & comprehenſor. Et nota, quod quamvis liberum arbitrium hominis naturaliter poſſit flecti ad malum; non tamen ſequitur, quod gratia ſuperveniens ſic tollat iſtam flexibilitatem ad malum, quod propterea deſtruat naturam. Non enim per hoc deſtruit naturam, ſed perficit eam. Nam ex defectu naturæ liberi arbitrii eſt, quod flecti poſſit ad malum. Sed gratia hunc defectum a natura aufert, perficiendo naturam & in bono confirmando. Item [2] poſſet peccare, & tamen non peccare, non facit ad meritum, ſed ad manifeſtationem meriti, in quantum oſtenditur per hoc opus bonum eſſe voluntarium, propter quod in

Dupliciter aliquis in gratia confirmatur.

[2] Ideſt *poſſe peccare in eo, qui tamen non peccat, non facit ad meritum &c.*

lau-

laudem viri juſti dicitur: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*. Et ideo ſi ex gratia conferatur alicui, quod non poſſit peccare, non propter hoc minuitur virtus meriti. B. Thomas in quæſtionibus de veritate. Raynerius.

Quomodo liberum arbitrium in malo ſit obſtinatum.

Tertio liberum arbitrium conſiderari poteſt ut obſtinatum in malo. Quod poteſt intelligi dupliciter, ſcilicet vel in vita præſenti, vel in vita futura. Sed obſtinatus in malo poteſt dici quis dupliciter. Importat enim obſtinatio quamdam firmitatem animi in peccato, quia a peccato reverti non poteſt. Sed quod quis non poſſit reverti a peccato, poteſt intelligi uno modo, ſcilicet in quantum vires ſuæ non ſufficiunt ad hoc, quod liberetur a peccato totaliter, & ſic in mortale cadens dicitur non poſſe a peccato reſurgere & ad juſtitiam redire. Sed ex iſta firmitate in peccato non proprie quis dicitur obſtinatus. Alio modo habet quis firmitatem in peccato, ita quod nec cooperari poteſt ad hoc, quod a peccato reſurgat. Et ſiquidem iſtud non poſſe cooperari ad reſurgendum intelligitur, quoad facilitatem, ideſt quia non de facili poteſt cooperari ad hoc, quod exeat a peccato; ſic eſt obſtinatio imperfecta in vita præſenti, dum ſcilicet aliquis habet animum firmatum in malum, quod in eo non ſurgunt motus ad bonum niſi debiles; tamen quia aliqui ſurgunt, ex eis datur via, ut præparetur quis ad gratiam. Si autem non poſſe cooperari ad reſurgendum a peccato, intelligitur ſimpliciter, ita ſcilicet quod nullo modo poteſt cooperari, quod exeat de peccato; ſic eſt perfecta obſtinatio, qua dæmones obſtinati ſunt & damnati. Hoc autem modo non poteſt liberum arbitrium eſſe in via obſtinatum. Quod probatur auctoritate, ſimilitudine, & ratione.

Nullus in via eſt perfecte obſtinatus.

Auctoritate primo probatur. Nam ſuper illud ad Rom. 2. *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor tuum* &c. dicit Auguſtinus, & habetur in gloſſa, quod iſta impœnitentia vel cor impœnitens, quamdiu quiſque in hac carne vivit, judicari non poteſt. De nullo enim deſperandum eſt quandiu patientia Dei ad pœnitentiam exſpectat. Et ſubdit: Paganus eſt hodie, Judæus, Infidelis eſt hodie, Hæreticus eſt hodie, Schiſmaticus eſt hodie. Quid ſi cras amplectatur catholicam veritatem & pacem, & ſequatur catholicam fidem & unitatem veritatis? Quid ſi iſti, quos in quocumque genere erroris damnas, tamquam deſperatiſſimos, antequam finiant vitam, agant pœnitentiam, in futuro inveniant veram vitam? *Nolite* ergo, *antequam veniat tempus, judicare*. Hæc ille. Et Leo Papa: *Nemo eſt deſperandus, dum in hoc corpore conſtitutus eſt, quia nonnumquam, quod diffidentia ætatis differtur, conſilio maturiore perficitur, De pœnit.* Diſt. 7. *Nemo*.

Tres peccati cauſſæ.

Secundo probatur idem ratione ſic. Quod quis peccat, aut peccat ex rationis errore, aut ex paſſione, aut ex habitus inclinatione. Et ſi quidem peccat homo ex errore rationis, quia non in generali, ſed in particulari errat; tunc ratio non ita pertinaciter inhæret falſo, quin per contrariam rationem a tali peccato averti poſſit. Si vero ex paſſione peccat, paſſio reſolvitur & reprimitur, & ſic a peccato avertitur. Si autem peccat ex habitus inclinatione, tunc quia totaliter habitus animam non corrumpit, poteſt a peccato averti. Et ſic patet, quod quocumque modo vel motivo quis peccet, poteſt a peccato liberari & pœnitere.

Tertio oſtenditur idem ſimilitudine morbi. Nam morbus poteſt eſſe incurabilis tribus ex cauſſis. Prima propter naturam morbi, ut lepra & hujuſmodi: ſecunda propter imperitiam medici: tertia propter indiſpoſitionem ſubjecti. Sed morbus ſpiritualis viatoris hominis, ſcilicet peccati, non eſt incurabilis ex prima cauſſa, ſcilicet ex natura morbi, quia non pervenit ad terminum malitiæ. Neque ex ſecunda cauſſa, ſcilicet imperitia medici, quia Deus ſcit, & poteſt omne peccatum curare. Unde ex ſeptima ſynodo habetur: *Omnem pœnitentiam recipit Deus*. Et infra: *Bonus in omnibus Deus, & aperta viſcera ejus omni homini pœnitenti*, 1. quæſt. 7. *Si quis omnem*. Neque ex tertia cauſſa, ſcilicet indiſpoſitione hominis, quia ſicut per alium in peccatum cecidit, ita per alium reſurgere poteſt. Ergo in ſtatu viæ nullus poteſt eſſe ita obſtinatus, ſeu immutabiliter firmatus in malo, quin reſurgere poſſit & liberari. Unde Chryſoſtomus: *Etiamſi ad ſummum quis pervenerit malorum, & inde reverti velit ad virtutis viam, ſuſcipit Deus libenter, amplectitur, & omnia facit, ut ad priorem revocet ſtatum, De pœnit.* Diſt. 3. *Talis*. Raynerius.

In alia vita liberum arbitrium eſt firmatè immutabiliter.

Sed in alia vita, ſcilicet in inferno, liberum arbitrium eſt omnino firmatum immutabiliter in malo. Et hoc probatur auctoritate, contrarietate, & ratione.

Auctoritate quidem Eccleſiaſtes 11. *Ubi ceciderit lignum*, ideſt homo per mortem, *ſive ad Auſtrum ſive ad Aquilonem*, ideſt ſive in ſtatu gratiæ ſive in ſtatu mortalis peccati, *ibi erit*, ſcilicet immutabiliter. Et Lucæ 16. dixit Abiaham: *Chaos magnum firmatum eſt inter nos & vos* &c. quod eſt immutatio ſtatus. Et Damaſcenus: Quod eſt homini mors, hoc eſt Angelis caſus: ſed homines poſt mortem non ſunt capaces pœnitentiæ; ergo nec Angeli poſt caſum.

Secundo probatur hoc contrarietate ſic: Felicitati beatorum opponitur miſeria damnatorum. Sed ad felicitatem beatorum pertinet, quod habent liberum arbitrium ita firmatum in bono, quod nullo modo poſſunt deflecti in malum; ergo etiam ad miſeriam damnatorum pertinet, quod ita ſint obſtinati & firmati in malo, quod nullo modo poſſunt deflecti in bonum.

Tertio probatur idem ratione. Et prima ratio ad hoc eſt ex defectu pœnitentiæ ſic: Non patet reditus de peccato in bonum niſi per pœnitentiam; ſed in agente malum ex certa malitia, & decedente in ipſo non cadit pœnitentia; ergo eſt immutabiliter confirmatus in malo.

Alia ratio eſt ex defectu gratiæ ſic: Sicut gratia ſuperinfuſa confirmatur liberum arbitrium in bono; ita divina gratia excluſa firmatur liberum arbitrium in malo. Sed in eo, qui decedit in mortali, eſt gratiæ privatio & excluſio; igitur talis ſic decedens pœnitere non poteſt.

Tertio probatur ex effectu divinæ juſtitiæ ſic: Juſtitia divina exigit, ut ſicut gloria beatorum eſt perfecta & perpetua, ita damnatorum pœna & miſeria perpetua ſit; quia, ut dicitur Matth. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam*. Ergo liberum arbitrium dæmonum & damnatorum eſt ita firmatum in malum quod ad bene volendum reverti non poſſunt.

Et ſi arguatur ſic in contrarium: Fortior eſt caritas, quam cupiditas ad peccatum pertrahens, juxta illud quod dicit gloſſa ſuper illud: *Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti*: ſed dæmones vel homines a caritate in peccatum ceciderunt; ergo multo fortius a peccato redire poſſunt ad caritatem, & a malo ad bonum. Reſpondeo quod caritas eſt fortior, quam cupiditas vel peccatum, ſi fiat compæratio ſecundum eumdem modum habendi, ut ſcilicet utrumque accipiatur, vel in via vel in termino viæ. Sed ſi unum accipiatur in via, aliud in termino viæ, non ſic eſt; quod ſic patet, quia caritas viatoris eſt fortior quam cupiditas viatoris. Sed exiſtens in termi-

mino malitiæ, firmius se habet, & firmius inhæret, quam exsistens in via ad caritatem. Potest etiam dici, quod dæmones numquam habuerunt caritatem secundum quosdam; ad quod facit *De pœnit.* Dist. 2. can. *Principium*: vel si habuerunt, numquam eam, nisi sicut in statu viæ, habuerunt. Homines autem damnati similiter cadere non potuerunt, nisi a caritate seu gratia viatoris. Hæc B. Thomas quæst. de veritate. Raynerius.

§. VII. Notandum etiam, quod libertas arbitrii excludit coactionem, includit electionem, admittit variationem.

Libertas arbitrii excludit coactionẽ.

Quantum ad primum, scilicet quod liberum arbitrium excludit coactionem, declarandum, notanda est distinctio, quam facit Magister sent. lib. 2. Dist. 25. de libertate. Dicit enim, quod est triplex libertas arbitrii, scilicet a necessitate, a peccato, & a miseria. Ratio hujus distinctionis secundum B. Thomam est ista, quia coactio, quam excludit libertas, est duplex. Quædam est perfecta & sufficiens, quæ dicitur compulsio; & sic prima libertas est a necessitate vel coactione, quæ libertas a coactione per se & semper sequitur liberum arbitrium. Unde dicit magister sententiar. ibidem, quod liberum arbitrium & ante peccatum, & post æque liberum est a coactione; quia sicut ante peccatum cogi non poterat, ita nec modo. Ideoque voluntas merito apud Deum judicatur, quæ semper a necessitate libera est, & cogi non potest. Ubi enim necessitas, ibi libertas non est. Ubi libertas non est, nec voluntas est; & ideo nec meritum. Hæc Magister ibidem. Quædam vero coactio est imperfecta & insufficiens, quæ potius impulsio, quam coactio dicitur. Et hæc est duplex. Una est impulsio, quæ per se liberum arbitrium impellit vel impedit, sicut habitus & dispositiones, quæ sunt in anima. Et sic est libertas a peccato, de qua 2. Corinth. 3. dicit Apostolus: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*. Et Veritas in Evangelio Joann. 8. *Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis*. Quæ libertas a peccato, etsi post peccatum non tollitur, tamen debilitatur. Secunda coactio imperfecta, quæ impulsio dicitur, impellit vel impedit liberum arbitrium per accidens, sicut impotentiæ & pœnalitates, quæ sunt ex parte corporis usum liberi arbitrii impedientes; & sic est libertas a miseria, de qua Apostolus ad Rom. 8. *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Ubi notandum, quod nulla miseria vel pœnalitas corporis libertatem illam, quæ est a necessitate coactionis, excludit, eo quod numquam ad tantam miseriam vel pœnalitatem corporis devenitur, quod liberum arbitrium cogi possit. B. Thomas in scrip. super 2. sent. Dist. 25. Raynerius. Contra prædicta occurrit triplex objectio. Prima est talis: Gregorius dicit quod peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Quum ergo tractio sit quidam motus violentus secundum philosophum; ergo videtur quis cogi ad peccatum. Respondeo secundum beatum Thomam, in quæstionibus de veritate, quod peccatum commissum non trahit cogendo voluntatem, sed inclinando, in quantum privat gratia, per quam fortificabatur contra peccatum, & in quantum etiam ex actu peccati relinquitur dispositio & habitus in anima. Secundo arguitur sic: Quicumque vincitur ab aliquo, cogitur: sed secundum philosophum incontinens vincitur a passionibus; ergo passiones cogunt voluntatem. Respondeo, quod incontinens dicitur vinci a passionibus, non quod passiones cogant, & immutent necessario voluntatem, alioquin incontinens non esset punien-

Duplex est coactio.

Imperfecta coactio duplex.

dus. Sed dicitur talis vinci a passionibus, in quantum earum impulsui voluntarie cedit. Tertio arguitur per hoc, quod dixit paterfamilias, Lucæ cap. 14. *Compelle intrare*. Intratur autem ad cœnam patriæ per voluntatem; ergo per Angelum, qui est minister Dei, voluntas potest cogi ad aliquid. Respondeo, quod illa compulsio non est coactionis, sed efficacis persuasionis per aspera vel levia. Unde Gregorius: Qui hujus mundi adversitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, compelluntur intrare. Raynerius. Ad hoc etiam pulchre facit, quod habetur 23. quæst. 4. *Displicet*, & quæst. 6. *Jam vero*, paragrapho ultimo.

Secundo libertas arbitrii includit electionem tamquam immediatum & proprium actum ejus. Et secundum hoc Bernardus distinguit libertatem in libero arbitrio sic dicens: Est triplex libertas, scilicet arbitrii, consilii, & complaciti. Ratio hujus est, quia quum liberum arbitrium includat electionem, & nihil sub electione cadat nisi secundum quod habet aliquam rationem boni, secundum diversos gradus bonitatis in humanis actibus; Bernardus diversos gradus libertatis seu diversas libertates distinguit. Ut v. g. primo in humanis actibus est aliquod bonum, quia licitum, quod scilicet nulla lege prohibetur, & respectu istius boni liciti dicit libertatem arbitrii, quia in judicio nostro consistit, ut hoc sequamur, vel non. Ubi nota, quod liberum arbitrium habet officium judicis & arbitri. Primo habet officium judicis, & hoc quoad rationem, quia sicut judex in judicando debet sequi leges, & arctatur ad sequendum eas; sic liberum arbitrium habet officium judicis quoad rationem; quia in quantum deliberat, debet sequi leges. Secundo in quantum liberum arbitrium libere vult, tenet formam arbitrii. Hoc enim ad voluntatem pertinet, libere hoc vel illud velle vel eligere. Et ideo magis dicitur liberum arbitrium quam judicium. Secundo est aliquid in humanis actibus, quod non tantum est licitum, sed etiam utile, quia *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, ut dicit Apostolus 1. ad Corinth. 6. Et secundum hoc assignat & distinguit Bernardus libertatem consilii. Nam consilium est de meliori bono, quod est expediens ad salutem. Tertio in humanis actibus est aliquid bonum eligendum, quod delectat. Et respectu hujus assignat Bernardus libertatem complaciti. Unde dicit ibidem Bernardus, quod libertas arbitrii habet discernere, quid liceat. Libertas consilii habet probare quid expediat. Libertas complaciti habet experiri quid libeat. Hæc Thomas super 2. sent. Dist. 25.

Liberũ arbitrium includit electionem.

Liberum arbitrium habet officium judicis & arbitri.

Tertio dico, quod liberum arbitrium admittit, idest habet variationem. Et quum sit triplex libertas, ut dictum est, liberum arbitrium quantum ad libertatem a necessitate seu coactione compulsiva per se non augetur vel minuitur, sed æqualiter habetur, quia hoc est naturale & essentiale libero arbitrio, ut sufficienter non cogatur coactione compellente. Et hoc, scilicet non posse sufficienter cogi & compelli, sequitur liberum arbitrium in quolibet statu, scilicet ante peccatum & post peccatum. Non ergo per se augetur vel minuitur libertas arbitrii, sed per accidens tantum, idest ratione naturæ, in qua invenitur, & quam liberum arbitrium consequitur. Et hoc sic probatur: Omnis proprietas, quæ consequitur aliquam naturam, quanto illa natura in aliquo invenitur nobilius, tanto etiam illa proprietas perfectius participatur ab illo, secundum quem modum homo dicitur minus intelligens quam Angelus. Unde, quia libertas arbitrii consequitur naturam & potentiam intellectus & voluntatis,

Liberum arbitrium habet & admittit variationem.

tis, & hæ perfectiſſime ſunt in Deo & in Angelo nobilius, quam in homine; ideo libertas a neceſſaria coactione perfectius reperitur & nobilius in Deo quam in Angelo, & in Angelo quam in homine, & in uno Angelo magis, quam in uno alio. Unde patet, quod libertas arbitrii non variatur ex parte ſuæ naturæ vel eſſentiæ per ſe, ſed per accidens, ſcilicet ex parte ſuæ cauſſæ, quæ eſt intellectus & voluntas. Nam ſecundum quod natura invenitur intellectiva nobilius in uno, quam in alio, vel minus nobilius; ſic libertas iſta intenditur vel remittitur.

Libertas ſecunda, quæ ſcilicet eſt a peccato, contraria coactioni imperfectæ & inſufficienti, quæ impulſio vel diſpoſitio nuncupatur, ut ſunt habitus & diſpoſitiones interiores peccatorum, augetur talis libertas vel minuitur, ſecundum quod illa inducentia, vel impellentia, ſeu diſponentia augentur vel minuuntur in homine ſecundum diverſos ſtatus. [Quod ſic declaratur: Libertas iſta a peccato eſt communis triplici ſtatui hominis, ſcilicet in innocentia, in reparata gratia, in gloria; & tamen augetur & minuitur ante peccatum & poſt peccatum. Unde Magiſter ſententiarum libro 2. Diſt. 25. Semper voluntas hominis libera eſt, ſed non ſemper bona eſt. Non enim eſt bona niſi a peccato libera ſit. Et ſubdit: Liberum ergo arbitrium quum ſemper & in ſingulis ſit bonum, non tamen eſt pariter liberum in bonis & in malis & ad bona & ad mala. Liberius eſt enim in bonis, ubi liberatum eſt, ſcilicet a peccato per gratiam, quam in malis, ubi liberatum non eſt: & liberius eſt ad malum, quod per ſe agit, quam ad bonum; quod niſi gratia adjuvetur & liberetur, non poteſt. Hæc Magiſter. In ſtatu innocentiæ poterat homo peccare & non peccare. In ſtatu naturæ reparatæ poteſt peccare, & non poteſt non peccare, ſaltem venialiter. In ſtatu gloriæ poterit non peccare, & non poterit peccare. Sed in ſtatu naturæ deſtitutæ gratia non poteſt non peccare, etiam mortaliter, ideſt non eſſe in mortali, quod commiſit, quia ex ſe non poteſt exire, vel non poteſt difficulter non incurrere alia mortalia; ſemper tamen voluntas a coactione eſt libera.

Voluntas hominis ſæper eſt libera, licet non ſemper bona.

Libertas a miſeria, quæ eſt contraria coactioni imperfectæ & inſufficienti, quæ dicitur impellens vel inducens, ſicut ſunt pœnalitates exteriores, ut fames, ſitis, infirmitas corporalis, mutabilitas mentis, tentatio hoſtis, & hujuſmodi, non eſt æque in omnibus hæc libertas; ſed ſecundum magis & minus reperitur in diverſis. Nam perfectiſſima in Deo, poſt Deum maxima in Angelo bono, minor in homine bono, minima in homine malo, nulla in dæmone vel damnato homine, ut dicit Magiſter ſententiarum, Diſt. 25. Omnis tamen miſeria mentis & corporis quantumcumque magna neceſſitate coactionis ſemper excludit, quia numquam in ſtatu vitæ præſentis ad tantam miſeriam devenitur mentis vel corporis, ut liberum arbitrium cogi poſſit: alias non diceretur liberum, nec efficeretur meritorium vel demeritorium. B. Thomas ſuper 2. ſententiarum. Raynerius. Hinc Ambroſius: *Quorum nos domini ſumus*, ſcilicet actuum noſtrorum & peccatorum, *eorum principia extrinſecus non requiramus, nec derivemus in alios; ſed agnoſcamus ea, quæ proprie noſtra ſunt. Quod enim poſſumus non facere, ſi volumus, hujuſmodi electionem mali nobis potius debemus adſcribere, quam aliis. Ideo & in judiciis iſtiuſmodi voluntarios reos non neceſſitate compulſos, culpa conſtringit, pœna condemnat*, 15. quæſt. 1. can. *Illa:* & §. 1. ejuſdem quæſtionis dicitur: *Ex voluntate peccata procedunt, quæ libero mentis arbitrio & delinquentis propoſito committuntur.*

§. VIII. Notandum etiam, quod quadruplex eſt libertas, ſcilicet perverſa, mundana, vera, & plena. Libertas perverſa eſt, quando quis abutitur libertate ad peccandum. Et hæc libertas a juſtitia eſt, quam nullus ſervare cogitur, de qua 1. Petri 2. dicitur: *Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes*, ideſt quo majori libertate utimini apud homines, eo liberius divino famulatui ſubjugati ſitis. Et ſubdit: *Non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem.* Gloſſa: Quia ex hoc, quod liberi ſunt, multi ſe velant, & defendunt peccata. Alia gloſſa: *Et non habentes velamen malitiæ*, ut tanto licentius peccetis, quanto jugo ſervitutis Dei munimini. Et addit Apoſtolus: *Sed ſicut ſervi Dei*: gloſſa: Servitus Dei humilitatem & puritatem a culpa requirit.

Libertas perverſa.

Secunda libertas, quæ dicitur mundana, ſeu humana, eſt, qua quis alterius eſt dominio non ſubjectus. De qua Jobi 3. *Ibi ſunt ſervus & liber a Domino ſuo*, ſcilicet in alia vita. Et ad Corinth. 7. *Servus vocatus es? non ſit tibi curæ, ſed ſi potes magis utere libertate.* Servitus huic libertati contraria inducta eſt de jure gentium, ut patet Diſt. 1. *Jus gentium*, originata in jure divino ex irriſione Noe facta a filio ejus Chan, Gen. 9. *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Et Ambroſius: *Non eſſet hodie ſervitus, ſi ebrietas non fuiſſet*, Diſt. 35. can. *Sexto die.* Jure humano confirmata canonico & civili. Hæc libertas multum appetitur, quia

Libertas mundana.

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Sed propter peccata multipliciter perditur, ut patet de populo Iſrael, qui ex libertate frequenter propter ſcelera eſt ſervituti addictus. Judic. per totum.

Tertia libertas eſt vera & ſpiritualis, quæ eſt libertas gratiæ, ſcilicet carere criminibus. Et eſt iſta contraria malæ ſervituti, ſcilicet peccati. De qua Chriſtus Joann. 8. *Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Ubi tria nota. Primo dictio generalis, ibi: *Omnis*, ſcilicet dives & pauper, Judæus & Græcus, imperator vel vaſallus. *Non eſt enim diſtinctio Judæi & Græci; omnes enim peccaverunt.* Qui omnia dicit, nihil excludit, Diſt. 19. can. *Si Romanorum.* Secundo tangitur tranſgreſſio criminalis, ibi: *Qui facit peccatum*, & non ſolum *qui facit*, ſed & qui concupiſcit. *Peccatum* enim *eſt* ſecundum Auguſtinum, *voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*, 15. quæſt. 1. §. 1. Tertio notatur conditio vilis & pœnalis, quia *ſervus eſt peccati*, Hierem. 2. *Quam vilis facta ex nimis, iterans vias tuas!* Viliſſima autem hujus ſervitus, quia quum peccatum nihil ſit in rerum natura, hujus ſervitio peccator addicitur, 2. Petri 2. *A quo quis victus eſt, hujus & ſervus eſt.* Sed peccator vincitur a vitiis, ergo &c. Et dicit Anſelmus, quod peccatum non habet, unde dominetur homini, quia peccatum eſt quidam defectus, ſeu privatio modi ſpeciei, & ordinis. Sed tamen homo habet unde ſit ſervus peccati, ſcilicet voluntatis conſenſum. Unde Auguſtinus ſuper Joannem ſupra dicta auctoritate: *Omnis qui facit peccatum* &c. O miſerabilis ſervitus! Servus hominis aliquando ſui domini duris imperiis fatigatus fugiendo requieſcit. Servus autem peccati, quo fugit, ſecum trahit quodcumque fugerit. Peccatum enim, quod facit, intus eſt, voluptas tranſit, peccatum non tranſit, præterit quod delectat, remanet quod pugnat. Solus de peccato liberare poteſt, qui venit ſine peccato. Propterea dixit Joan. 8. *Si liberaverit vos filius, vere liberi eritis.* Licet autem iſta libertas a crimine ſit vera, eſt tamen in præſenti imperfecta, quia

Libertas vera & ſpiritualis.

Peccati ſervitus deſpicabilis.

quia, ut ait Apoſtolus ad Gal. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Ubi tria oſtendit, ſcilicet pugnam, cauſſam, & ſequelam. *Pugna carnis & ſpiritus.*

Primo oſtendit pugnam, dicens: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, ideſt ſecundum gloſſam Auguſtini, anima carnali concupiſcentia ſpiritui reluctatur, quæ carnalis concupiſcentia non eſt in carne ſola, nec in anima ſola, ſed in utroque, quia ſine carne & anima nulla delectatio ſentitur, ſcilicet corporalis; ſicut videre non eſt ſolum oculi nec animæ, ſed conjuncti. Et eſt iſta pugna ſecundum Ambroſium in gloſſa magna, continua & periculoſa. *Magna*, quia contra ſpiritum, ubi major deberet eſſe concordia. *Continua*, quia ſemper eſt nova contra ſpiritum. *Et periculoſa*, quia habet multos impulſores, ut diabolum & mundum: pſal. 34. *Viæ illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.* Secundo oſtendit Apoſtolus, Gal. 5. pugnæ cauſſam dicens: *Hæc ſibi invicem adverſantur*, quia caro vult ſervire vitiis, ſpiritus virtutibus. *Caro infirma, ſpiritus promtus.* Ratio ſeu ſpiritus diſponit macerare corpus & ſubjicere ſervituti, & caro ut ſervus inutilis & piger conqueritur. Figura in Sarra uxore Tobiæ, quæ quum reprehenderet ancillam, conqueſta eſt, inferens ei contumeliam, dicens eam interfectricem virorum ſuorum ſeptem, ideſt mortificatricem quinque ſenſuum, ac etiam phantaſiæ & intellectus, Thobiæ 3. Oſtendit Apoſtolus pugnæ ſequelam, ſubdens: *Ut non quæcumque vultis, illa faciatis:* gloſſa, ideſt illa facere permittamini. Juxta illud Apoſtoli: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*, ad Roman. cap. 7. Gloſſa Ambroſii, ideſt: *Velle* eſt in nobis ex libero arbitrio; & dicit *adjacet*, ideſt juxta carnem jacet, quia naturale eſt quodammodo velle bonum per rationem naturalem; ſed *perficere* non, quia facere bonum meritorium eſt ſolum ex gratia Dei. Vel ſic ſecundum alios ſeu aliam expoſitionem: *Velle adjacet mihi*, ideſt, liberum arbitrium poſt peccatum tamquam infirmum jacet juxta carnem impotens per ſe reſurgere ad bonum operandum.

Libertas perfecta & plena.

Quarta & ultima libertas eſt libertas plena atque perfecta, ſcilicet libertas gloriæ, quæ erit in patria. De qua Apoſtolus ad Rom. cap. 8. *Ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Et hoc erit, quia nihil erit ibi inclinans ad malum. Nihil opprimens, quia ibi erit libertas a culpa & pœna. Ad Galat. cap. 4. *Illa, quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Libertas itaque plena & perfecta erit, quando nullæ erunt inimicitiæ, quando noviſſima inimica mors deſtruetur. Hæc Thomas in poſtilla ſuper Joann. ſuper illud Joann. 8. *Si ergo liberaverit vos filius* &c.

De hac libertate a miſeria & culpa, Albinus in ſermone: Quid hac vita beatius, ubi non eſt paupertatis metus, nec ægritudinis imbecillitas? Nemo ibi læditur, nemo iraſcitur, invidet nemo. Cupiditas nulla exardeſcit, nullum cibi deſiderium, nulla laboris aut poteſtatis pulſat ambitio, nullus ibi diaboli metus, invidiæ nullæ, terror gehennæ procul. Mors neque corporis neque animæ; ſed immortalitatis munere vita jucunda: nulla erit tunc diſcordia, ſed cuncta conſona, jucunda ſunt omnia, jugis ſplendor.

Liberum arbitrium poteſt inclinari.

§. IX. Notandum etiam, quod liberum arbitrium, etſi cogi non poſſit, ut dictum eſt, poteſt tamen inclinari, immutari, determinari ad aliquid volendum vel agendum.

Primum quidem poteſt liberum arbitrium inclinari vel induci ad aliquid volendum vel agendum, per aliquas diſpoſitiones vel habitus, ex quibus pronior efficitur ad eligendum alteram partem, Thom. in ſcript. ſuper 2. Sent. Ad quod facit, quod dicit Auguſtinus ſuper pſalmos: *Quum per timorem gehennæ continet ſe homo a peccato, fit paullatim conſuetudo juſtitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & incipit excludi timor a caritate, & ſuccedit timor ille ſanctus, qui permanet, quo timemus, ne tardet ſponſus, ne diſcedat, ne eo careamus*, 23. quæſt. 6. can. fin. *Quum per timorem.*

Immutari a ſe.

Secundo voluntas poteſt immutari. Et hoc vel a ſeipſa, vel ab objecto, vel a Deo. Immutatur primo voluntas a ſeipſa, quum modo vult unum, modo aliud. Unde Auguſtinus: Nihil tam eſt in noſtra poteſtate ſicut voluntas ipſa. Voluntas noſtra, nec voluntas eſſet, niſi in noſtra poteſtate eſſet. Porro quia in noſtra poteſtate eſt, libera eſt. Immutatur ſecundo voluntas ab objecto ſecundum diverſitatem objectorum, quæ ſibi repræſentantur per cognitivam. Et talis mutatio fit in ea occaſionaliter ab aliqua creatura repræſentante objectum.

A Deo.

Tertio immutatur voluntas a Deo: nam Deus immucat voluntatem dupliciter. Uno modo movendo ſolum voluntatem, non imprimendo, in quantum ſcilicet voluntatem movet ad aliquid, movetur ad aliquid volendum abſque hoc, quod imprimat aliquam formam voluntati, ſicut ſine appoſitione habitus. Quandoque Deus facit, ut voluntas modo velit aliquid, quod prius non volebat. Juxta illud Proverb. 21. *Cor regis in manu Dei eſt: quocumque voluerit, vertet illud.* Alio modo immutat voluntatem imprimendo aliquam formam in ipſam voluntatem. Sicut enim ex ipſa natura, quam Deus dedit voluntati, inclinatur voluntas naturaliter ad aliquid volendum; ita ex aliquo ſuperaddito, ſcilicet aliqua forma, quam imprimit. Et aliquando quidem imprimit formam imperfecte, ut quum dat gratiam de novo viatoribus; & ſic inclinatur voluntas ad aliquid volendum, non tamen neceſſitatur ſemper. Aliquando imprimit perfecte, ſcilicet conferendo gloriam, ſicut in beatis, in quibus voluntas inclinatur ſemper & ſufficienter per caritatem perfectam in bonum, non ſolum quantum ad ultimum finem, ſed etiam quantum ad ea, quæ ſunt ad finem. Hæc B. Thomas in quæſt. de veritate. Quum autem Deus immutat voluntatem, non cogit eam, ſed facit, ut præcedenti inclinationi ſuccedat alia inclinatio, & ita quod prima auferatur, & ſecunda inducatur & maneat. Unde illud, ad quod inducit voluntatem, non eſt contrarium inclinationi jam exiſtenti; ſed inclinationi, quæ prius inerat. Unde non eſt violentia nec coactio: v. g. lapidi ratione ſuæ gravitatis ineſt inclinatio ad locum deorſum. Hac autem inclinatione manente, ſi projiciatur ſurſum, erit motus violentus. Si autem Deus auferat lapidi inclinationem gravitatis, & det inclinationem levitatis; tunc ferri ſurſum non erit ei violentum, & ita immutatio motus poteſt eſſe ſine violentia. Et per hunc modum intelligendum eſt, quod Deus immutet voluntatem ſine hoc, quod cogat eam. Cujus ratio eſt, quia poteſt Deus immutare voluntatem ex hoc, quod ipſe in voluntate operatur ſicut in natura. Etiam hæc B. Thomas in quæſt. de veritate, quæſt. 22.

Voluntas mutatur per Deum, non tamen cogitur.

Ab objecto poteſt determinari.

Tertio voluntas poteſt determinari ab objecto ad volendum aliquid determinate. Cujus ratio eſt, quia eſt dare aliquod objectum, in quo nulla ratio malitiæ invenitur. Et tunc voluntas neceſſario determinatur ad id volendum. Vel ſi eſt aliquod, in quo nulla ſit ratio vel apparentia boni; tunc voluntas neceſſario determinatur ad illud re-

ſpuendum. Sicut patet in hoc, quod nullus poteſt non velle eſſe felix, & nullus poteſt velle eſſe miſer. Et in hoc etiam non cogitur, ſicut nec quum immutatur a Deo, ut dictum eſt.

Utrum autem volendo hujuſmodi, quod de neceſſitate vult, ſcilicet eſſe beatum, mereatur; dicendum, quod aliquo modo ſic, & aliquo modo non. Quum enim inditus ſit appetitus ultimi finis ſui in communi, ut ſcilicet naturaliter appetat ſe eſſe completum in bonitate, ſcilicet ſe eſſe beatum: unde Boetius proſa 2. 3. de philoſ. conſ. ait: Inſita eſt mentibus hominum naturaliter veri ſummique boni cupiditas, ſicut & gravibus naturaliter eſt inditus appetitus ſeu inclinatio ad ferri deorſum & animalibus conſervatio vitæ; ideo appetendo beatitudinem ita in communi, homo non meretur, quia hoc eſt ei naturale, & naturalibus homo non meretur. Sed quia in quo iſta completio felicitatis ſeu beatitudo conſiſtat, utrum in virtutibus vel ſcientiis, vel delectabilibus, vel viſione Dei & hujuſmodi; alias non eſt ei determinatum a natura; ideo quando ex propria ratione adjutus divina gratia apprehendit aliquod ſpeciale bonum, ut ſuam beatitudinem, in quo vera ſua beatitudo conſiſtit; tunc meretur, non ex hoc præcipue, quod appetit naturaliter beatitudinem, ſed ex eo, quod appetit hoc ſpeciale, quod non naturaliter appetit, ſcilicet viſionem Dei, in qua ſecundum rei veritatem ſua beatitudo conſiſtit. Et ſecundum hoc ſancti merentur appetendo Deum vel vitam æternam. Hæc B. Thomas in quæſt. de veritate. Raynerius.

Ad quæ ſe extendit liberum arbitrium.

§. X. Liberum arbitrium ſe extendit ad omnes actus humanos, ſcilicet qui procedunt a voluntate deliberata ratione. Hi enim proprie dicuntur actus humani. Hoc probatur auctoritate Damaſceni lib. 2. dicentis: Homo libero arbitrio appetit, libero arbitrio vult, libero arbitrio inquirit vel ſcrutatur, libero arbitrio judicat, libero arbitrio diſponit, libero arbitrio eligit, libero arbitrio impetum facit, & libero arbitrio agit vel operatur in his, quæ ſunt ſecundum naturam.

Quomodo omnes actus humani ſint a libero arbitrio.

Declaratur autem hoc per diſtinctionem talem. Actus aliqui attribuuntur alicui potentiæ dupliciter. Vel quod dicit ipſum, vel quia imperat ipſum. Ille actus proprie a potentia eſt elicitus, qui immediate ab ipſa potentia procedit; ſicut a viſu videre, & ab intellectu intelligere. Unde viſus immediate elicit videre tamquam proprium actum ejus intellectus intelligere. Et hoc modo non omnes actus humani ſunt actus liberi arbitrii, ſed proprius & principalis actus liberi arbitrii eſt eligere. Alio modo actus attribuitur potentiæ, quia imperat potentia ipſum. Et hoc modo actus omnium virium obedientium rationi poſſunt voluntati attribui, quæ eſt motrix omnium virium per imperium. Et ita etiam actus diverſarum virium libero arbitrio attribuuntur. Unde per imperium voluntatis & liberi arbitrii moventur etiam potentiæ in actus ſuos. Propter quod virtus appetitiva dicitur movens, quia imperat motum, & virtus motiva, quæ eſt affixa nervis & muſculis, quia exſequitur motum. Et per hunc modum omnes actus humani ſunt a libero arbitrio, quia imperati ab eo. Unde illi actus humani, qui ſunt virium rationalium per eſſentiam, illi ſunt eliciti a libero arbitrio. Illi vero, qui ſunt virium rationalium per participationem, ſicut ſunt actus iraſcibilis & concupiſcibilis, ſunt imperati a libero arbitrio. Virtutes autem nutritivæ partis nullo modo participant rationem, ut dicit philoſophus 1. Ethicorum. Unde earum actus non proprie dicuntur humani, & ideo non ſubduntur libero arbitrio.

Libero arbitrio tres actus rationis, & tres voluntatis actus tribuuntur.

Ad horum ampliorem evidentiam notanda ſunt tria. Primum eſt, quod quum liberum arbitrium ſit facultas rationis & voluntatis, tres actus attribuuntur libero arbitrio ex parte rationis, & tres ex parte voluntatis. Et ex parte rationis attribuuntur libero arbitrio, conſilium, judicium, & arbitrium, qui quidem actus rationis procedunt ab imperfecto ad perfectum. Nam primo eſt motus inquiſitionis de faciendo & non faciendo; & iſtud eſt conſilium. Secundo eſt judicium de faciendo. Tertio eſt propoſitum faciendi, quod dicitur diſpoſitio, vel poteſt dici arbitrium. Ex parte autem voluntatis ſunt tres actus, ſcilicet electio, progreſſus, & uſus. Primo igitur eſt electio, & ille eſt actus ſimpliciter interior & primus. Et hoc eſt duobus præjacentibus alterum alteri præoptare. Secundo eſt progreſſus ad motum exteriorem, & talis dicitur impetus. Tertio eſt motus exterior, & talis dicitur uſus.

Secundo nota, quod liberum arbitrium principaliter eſt reſpectu actuum interiorum; ſecundario autem exteriorum, prout ab actibus interioribus procedunt, quia hoc modo impediri non poſſunt. Sed in quantum actus exteriores ſunt a virtute motiva corporali, ſic impediri poſſunt. Et hoc modo non eſt libertas reſpectu illorum actuum.

Tertio nota, quod quia electio eſt proprius actus liberi arbitrii, & electio non eſt finis, ſed eorum, quæ ſunt ad finem; ideo finis ultimus non cadit ſub libero arbitrio. Tamen quia id, quod eſt finis reſpectu quorumdam, poteſt eſſe ordinatum etiam ad finem ulteriorem, ſcilicet ultimum finem. Nulla autem operatio humana eſt ultimus finis, niſi per accidens, in quantum conjungitur ultimo fini. Et ideo omnium operationum humanarum poteſt eſſe electio, non in quantum ſunt fines; ſed in quantum ordinant ad finem: v. g. quamvis vincere ſit finis potentiæ militaris, ordinatur tamen ad ulteriorem finem; & ideo ſub electione cadere poteſt, & ſic ſub libero arbitrio.

Nemo appetit peccare propter hoc ipſum, ſed propter aliud, quod ex eo conſequitur.

Et ſi arguatur in contrarium, quia operatio mala eſt præter voluntatem ſecundum Dionyſium, & Auguſtinum: *Peccare nemo appetit propter hoc ipſum, ſed propter aliud, quod ex eo conſequitur*, 15. quæſt. 1. *Merito*. Quum autem talis ſit operatio humana; ergo non omnis operatio humana cadit ſub libero arbitrio ſeu voluntate. Reſpondeo, quod operatio mala potius debet dici defectus quam actus, & potius hoc pertinet ad impotentiam. Vel aliter: Malum in eo, quod malum eſt, præter voluntatem eſt; ſed operatio mala, in quantum apparet bona propter illud, quod inde conſequitur quis, ſcilicet delectationem vel utilitatem, ſic cadere poteſt ſub voluntate & libero arbitrio: v. g. apprehendit quis fornicationem non ut malum, ſed ut bonum delectabile tempore paſſionis, & ſic vult eam. Thomas ſuper 2. ſententiarum. Raynerius.

CAPUT III.

De voluntario & involuntario.

DE actu voluntatis videnda ſunt tria. Primo de voluntario & involuntario in communi. Secundo de actibus voluntariis quaſi ab ipſa voluntate elicitis, ut immediate ipſius voluntatis exiſtentibus. Tertio de actibus voluntariis quaſi a voluntate imperatis, quæ ſunt ipſius voluntatis mediantibus aliis potentiis capitulis ſequentibus.

Qui ſunt actus voluntarii.

§. I. Quantum ad primum, ſcilicet de voluntario & involuntario, ſciendum, quod actuum humano-

manorum, aliqui ſunt omnino voluntarii involuntarii, tertii miſti ex voluntario & involuntario. Voluntarii omnino dicuntur actus illi humani, qui ſponte fiunt abſque violentia & ignorantia & metu.

Pro horum majori declaratione ſciendum ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 6. quod quæ agunt ſeu ſe movent in finem cum aliquali cognitione finis, horum motus & actus dicuntur voluntarii. Unde voluntarium dicitur eſſe ſecundum diffinitionem Ariſtotelis, Damaſceni, & Gregorii Niceni, non ſolum cujus principium eſt intra, ſed quum additione ſcientiæ. Unde quum homo maxime cognoſcat finem ſui operis, & moveat ſeipſum, in ejus actibus maxime voluntarium invenitur. Sciendum eſt enim, quod quorumdam actuum ſeu B motuum principium eſt in agente, ſeu in eo, quod movetur; quorumdam vero actuum vel motuum principium eſt extra. Quum enim lapis movetur ſurſum, puta quum projicitur, hujus motionis principium eſt extra lapidem: ſed quum movetur deorſum, ut quum cadit, principium hujus motionis eſt in ipſo lapide. Eorum autem, quæ a principio intrinſeco moventur, quædam movent ſeipſa, quædam non. Quum enim omne agens ſeu motum agat, ſeu moveatur propter finem, illa perfecte moventur a principio intrinſeco, in quibus eſt aliquod intrinſecum principium, non ſolum ut moveantur in ſe, ſed ut moveantur in finem. Ad hoc autem, quod fiat aliquid propter finem, requiritur cognitio finis aliqualis; quicumque igitur ſic G agit vel movetur a principio intrinſeco, quod habet aliquam notitiam finis, habet in ſeipſo principium ſui actus, non ſolum ut agat, ſed ut agat propter finem. Quod autem nullam notitiam finis habet, etſi in eo ſit principium actionis vel motus; non tamen ejus, quod eſt agere vel moveri propter finem, eſt principium in ipſo, ſed in alio, a quo imprimitur ei principium ſui actus vel motionis in finem. Unde hujuſmodi non dicuntur movere ſe ipſa, ſed moveri ab aliis. Quæ vero notitiam habent finis, dicuntur movere ſeipſa, quia in eis eſt principium, non ſolum ut agant, ſed ut agant propter finem. Utrumque autem horum, ſcilicet & quod ſe moveat, & finem ſui motus vel actionis cognoſcat, reperitur in actibus humanis; & ideo in eis proprie & perfecte voluntarium invenitur. Voluntarium etiam reperitur aliquo modo in brutis & pueris, licet imperfecte. Unde & philoſophus dicit in 3. Ethicorum, & Damaſcenus & Gregorius Nicenus, quod bruta & pueri voluntario communicant. Pro cujus declaratione ſciendum ſecundum B. Thomam 1. 2. quæſt. 6. quod quum ad rationem voluntarii requiratur, quod principium actus ſit intra agentem, cum aliqua cognitione finis, ſicut cognitio finis actionis in brutis & pueris eſt imperfecta; ideo etiam voluntarium in eis eſt ſecundum imperfectam rationem. Dicitur autem cognitio imperfecta finis, quæ in ſola finis apprehenſione conſiſtit, E ſine hoc, quod cognoſcatur ratio finis & proportio actus ad finem. Et talis cognitio invenitur in brutis per ſenſum & æſtimationem naturalem. Unde animal brutum apprehendens finem, non deliberat, ſed ſubito movetur in ipſum. Perfecta autem cognitio finis eſt non ſolum quando apprehenditur res, quæ eſt finis, ſed quum cognoſcitur ratio finis, & proportio ejus, quod ordinatur ad ipſum finem; & talis cognitio perfecta competit ſoli rationali naturæ. Et ſic etiam voluntarium ſecundum perfectam rationem, prout ſcilicet apprehenſo fine aliquis poteſt deliberans de fine, & de his, quæ ſunt ad finem, moveri vel non moveri in ipſum. Et nota quod licet voluntarium denominative dicatur a voluntate, quæ dominat

Voluntarii quomodo eſt in pueris & brutis.

A rationabilem appetitum, unde *in brutis* non reperitur; tamen voluntarium poteſt trahi ad ea, in quibus eſt aliqua participatio voluntatis ſecundum aliquam convenientiam ad voluntatem; & hoc modo attribuitur etiam brutis, in quantum ſcilicet per cognitionem aliquam moventur in finem.

Item nota, quod quamvis Deus moveat hominem ad agendum non ſolum ſicut proponens appetibile ſenſibili, vel ſicut immutans corpus, ſed etiam ſicut movens ipſam voluntatem: unde ipſe ait Joann. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*; non tamen hoc eſt contra rationem actus voluntarii. Quum enim omnis motus tam voluntatis quam naturæ ſit a Deo, ſicut a primo movente, ſicut non eſt contra rationem naturæ, quod motus naturæ ſit a Deo, ſicut a primo movente, in quantum natura eſt quoddam inſtrumentum Dei moventis; ita non eſt contra rationem actus voluntarii, quod ſit a Deo, in quantum voluntas movetur a Deo. Eſt tamen de ratione naturalis & voluntarii motus, quod ſit a principio intrinſeco.

Item licet de ratione voluntarii ſit, quod principium ejus ſit intra; non tamen eſt contra rationem voluntarii, quod primum principium ſit extrinſecum. Sicut in genere alterabilium primum alterans eſt corpus cæleſte, quod tamen non eſt primum movens ſimpliciter, ſed movetur motu locali a ſuperiori movente; ſic principium intrinſecum voluntarii actus, quod eſt vis cognoſcitiva vel appetitiva, eſt primum principium in genere G appetitivi motus, quamvis moveatur ab aliquo alio exteriori ſecundum alias ſpecies motus.

Voluntarium dicitur dupliciter directum, & indirecte.

§. II. Voluntarium dicitur aliquid dupliciter, ſcilicet directe & indirecte. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra, quod voluntarium dicitur, quod eſt a voluntate. Ab aliquo autem dicitur eſſe aliquid dupliciter. Uno modo directe, quod ſcilicet procedit ab aliquo, in quantum eſt agens, ſicut calefactio a calore. Alio modo indirecte ex hoc ipſo, quod non agit. Sicut ſubmerſio navis dicitur eſſe a gubernatore, in quantum deſiſtit a gubernando.

Sed ſciendum eſt, quod non ſemper illud, quod conſequitur defectum actionis, reducitur in agens ſicut in cauſſam, ex eo, quod non agit, ſed ſolum D tunc quum poteſt & debet agere. Si enim gubernator non poſſet navem dirigere, vel non eſſet ei commiſſa gubernatio navis, non imputaretur ei navis ſubmerſio, quæ per abſentiam gubernantis contingeret. Quia igitur voluntas volendo & agendo poteſt impedire hoc, quod eſt non velle & non agere, & aliquando debet; hoc, quod eſt non velle & non agere, imputatur ei quaſi ab ipſa exiſtens, quum ſcilicet debet impedire, & non facit; & ſic voluntarium poteſt eſſe abſque actu. Et quandoque quidem abſque actu exteriori cum actu interiori, ſicut quum vult non agere. Aliquando etiam abſque actu interiori, quum non vult. Probatur & hoc ratione tali: Id, cujus domini ſumus, dicitur voluntarium: ſed nos domini ſumus ejus, quod eſt agere & non agere, velle & non velle; ergo ſicut agere & velle eſt voluntarium, ita & non agere & non velle. Ad quod facit, quod ait Ambroſius 15. quæſt. 1. *Non eſt*.

Quid involuntarium.

§. III. Involuntarium dicitur, quod quis nullo modo vult. Et quia quod fit per violentiam, ſeu coactionem abſolutam, homo nullo modo vult; ideo dicit philoſophus & Damaſcenus, quod eſt aliquid involuntarium per violentiam. Item quia etiam quod fit per ignorantiam facti, præmiſſa debita diligentia homo non vult, dicit etiam philoſophus, eſt aliquid involuntarium per ignorantiam. Lex etiam dicit, quod *errantis nulla eſt voluntas*.

Duplex eſt actus voluntatis.

Sed pro majori horum declaratione dicit B. Thomas, ubi ſupra, quod duplex eſt actus voluntatis. Unus quidem, qui eſt ejus immediate velut ab ipſa elicitus, ſcilicet velle. Alius autem eſt actus voluntatis ab ea imperatus, & mediante alia potentia exercitus, ut ambulare & loqui; qui actus a voluntate imperantur mediante potentia motiva. Quantum igitur ad actus a voluntate imperatos voluntas violentiam pati poteſt, in quantum per violentiam exteriora membra impediri poſſunt, ne exſequantur imperium voluntatis. Sed quantum ad proprium actum voluntatis non poteſt ei violentia inferri. Et hujus ratio eſt, quia actus voluntatis nihil eſt aliud, quam inclinatio quædam procedens ab interiori principio cognoſcente, ſicut appetitus naturalis eſt quædam inclinatio ab interiori principio abſque cognitione. Quod autem eſt coactum vel violentum, eſt ab exteriori principio. Unde contra rationem ipſius actus voluntatis eſt, quod ſit coactus vel violentus, ſicut eſt etiam contra rationem naturalis inclinationis vel motus lapidis, quod feratur ſurſum. Poteſt enim lapis per violentiam ſurſum ferri; ſed quod iſte motus violentus ſit ex naturali inclinatione ejus, eſſe non poteſt. Similiter poteſt etiam homo per violentiam trahi; ſed quod hoc ſit ex voluntate ejus, repugnat rationi violentiæ,

Violentia non cadit in actus proprios voluntatis.

Et nota ſecundum B. Thomam ubi ſupra, quod ſicut naturale dicitur quod eſt ſecundum inclinationem naturæ, ſive inclinatio ſit in natura; ſicut a principio activo, ſicut ad agendum naturale eſt igni calefacere; ſive inclinatio ſit in natura, ſicut a principio paſſivo ad recipiendum; ſicut motus cæli dicitur naturalis, quia habet naturalem aptitudinem ad talem motum, licet movens ſit voluntarium; ita voluntarium dicitur, quod eſt ſecundum inclinationem voluntatis. Et hoc poteſt eſſe dupliciter. Uno modo ſecundum actionem, puta quum aliquis vult agere: alio modo ſecundum paſſionem, ut quum aliquis vult pati ab alio. Unde quum actio infertur ab aliquo exteriori manente in eo, qui patitur voluntate patiendi, non eſt ſimpliter violentum; quia licet ille, qui patitur, non conferat agendo; confert tamen volendo pati. Unde non poteſt dici involuntarium.

Duplex inclinatio voluntatis.

Item ſecundum B. Thomam, licet id, in quod tendit voluntas peccando, ſit contra naturam, ideſt contra naturam rationalem, & malum ſecundum rei veritatem; tamen apprehenditur illud ut bonum & conveniens naturæ, in quantum eſt conveniens homini ſecundum aliquam paſſionem ſenſus vel habitum corruptum. Et ideo non ſequitur, quod ſi motus violentus ſit contra naturam, motus voluntatis in peccando ſit violentus, quia voluntas tendit in actum peccati, ut in rem ſecundum naturam.

De his, quæ fiunt per metum.

§. IV. Miſtum ex voluntario & involuntario dicitur, quod ſit ex metu ſeu coactione conditionata, & quod ſit ex ignorantia craſſa. Et quantum ad primum dicit philoſophus in 3. Ethicorum, & Gregorius Nicenus, quod quæ per metum aguntur, miſta ſunt ex voluntario & involuntario. Pro hujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 6. quod id, quod per metum agitur, in ſe conſideratum non eſt voluntarium; ſed ſit voluntarium in caſu, ſcilicet ad vitandum malum, quod timetur. Sed ſi quis recte conſideret, magis ſunt iſta voluntaria quam involuntaria. Sunt enim voluntaria ſimpliciter, involuntaria ſecundum quid. Unumquodque enim dicitur eſſe ſimpliciter, ſecundum quod eſt in actu; ſecundum autem quod eſt ſolum in apprehenſione, non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Hoc autem, quod per metum agitur, ſecundum hoc eſt in actu, ſecundum quod ſit. Quum enim actus in ſingularibus ſint, ſingulare autem in quantum hujuſmodi eſt hic & nunc; ſecundum hoc id, quod ſit, eſt in actu ſecundum quod eſt hic & nunc, & ſub aliis conditionibus individualibus. Sic autem hoc, quod ſit per metum, eſt voluntarium, in quantum ſcilicet eſt hic & nunc, prout ſcilicet in hoc caſu eſt impeditivum majoris mali, quod timebatur; ſicut projectio mercium in mare fit voluntarium tempore tempeſtatis propter timorem periculi. Unde manifeſtum eſt, quod eſt ſimpliciter voluntarium: unde & competit ei ratio voluntarii, quia principium ejus eſt intra. Sed quod accipiatur hoc, quod per metum fit, ut extra iſtum caſum exiſtens, prout repugnat voluntati; hoc non eſt niſi ſecundum conſiderationem tantum. Et ideo eſt involuntarium ſecundum quid, ideſt prout conſideratur extra iſtum caſum exiſtens. Et licet quod per metum fit, voluntas non feratur in illud propter ſeipſum; tamen fertur in illud propter aliud, ſcilicet ad repellendum, quod timetur malum; unde voluntarius motus eſt. Sufficit enim ad rationem voluntarii, quod fiat propter aliud. Voluntarium enim eſt, non ſolum, quod volumus ut finem, ſed etiam quod volumus propter aliud, ut propter finem. Sed in eo, quod fit per vim, ſcilicet abſolutam, voluntas interior nihil agit. Unde differunt quod agitur per vim, & quod agitur per metum, ſicut involuntarium & voluntarium. Concupiſcentia autem, quæ eſt paſſio, non cauſſat involuntarium, etiam ſecundum quid, ſicut timor. Ratio eſt, quia timor eſt de malo; concupiſcentia autem reſpicit bonum. Malum autem ſecundum ſe contrariatur voluntati. Sed bonum eſt voluntati conſonum. Unde magis ſe habet timor ad cauſſandum involuntarium, quam concupiſcentia, immo concupiſcentia auget voluntarium.

De his, quæ fiunt ex ignorantia.

§. V. Quod fit ex ignorantia, dicitur etiam miſtum voluntario & involuntario. Sed non intelligitur hoc de quacumque ignorantia. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 8. quod ignorantia tripliciter ſe habet ad actum voluntatis, ſcilicet concomitanter, conſequenter, antecedenter.

Ignorantia concomitans.

Concomitanter quidem primo modo, quando ignorantia eſt de eo, quod agitur; tamen etiam ſi ſciretur, nihilominus ageretur. Tunc enim ignorantia non inducit ad volendum, ut hoc fiat; ſed accidit ſimul eſſe aliquid factum & ignoratum, ſicut in hoc exemplo: Quum aliquis vellet quidem hoſtem occidere, ſed ignorans occidit eum, putans occidere cervum. Et talis ignorantia non facit involuntarium, ut philoſophus dicit, quia non cauſſat aliquid, quod repugnet voluntati; ſed facit non voluntarium, quia non poteſt eſſe actu volitum, quod eſt ignoratum. Conſequenter autem ſe habet ignorantia ad voluntatem, in quantum ipſa ignorantia eſt voluntaria. Et hoc contingit dupliciter ſecundum duos modos voluntarii ſupra poſitos. Uno modo, quia actus voluntatis fertur in ignorantiam, ſicut quum aliquis vult ignorare, vel ut excuſationem habeat de peccato ſuo, vel ut non retrahatur a peccando, ſecundum illud Jobi 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus*. Et hæc dicitur ignorantia affectata. Alio modo dicitur ignorantia ejus, quod quis poteſt ſcire & debet. Sic enim non agere & non velle voluntarium dicitur indirecte. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, ſive quum aliquis actu non conſiderat, quod conſiderare poteſt, & debet, quæ eſt ignorantia malæ electionis, ex paſſione vel habitu proveniens: ſive quum quis notitiam, quam debet, non curat acquirere.* Et ſecundum hunc modum ignorantia univerſalium juris,

Conſequens & affectata.

Craſſa ignorantia indirecte voluntarium cauſſans.

* Vide not. 4. in c. 14.

ris, quæ quis ſcire tenetur, voluntaria dicitur, quaſi per negligentiam proveniens. Quum autem ignorantia ſit voluntaria aliquo iſtorum modorum, non cauſſat ſimpliciter involuntarium; ſed cauſſat tamen ſecundum quid involuntarium, in quantum præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non eſſet ſcientia præſente.

Antecedēs quæ.

Antecedenter ſe habet ignorantia ad voluntatem, quando non eſt voluntaria; & tamen eſt cauſſa volendi, quod alias hoc non vellet: ut quum homo ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam non tenebatur ſcire. Et ex hoc aliquid facit, quod non faceret, ſi ſciret: puta quum aliquis diligentia adhibita neſciens aliquem tranſire per viam, projicit ſagittam, qua interficit tranſeuntem; & talis ignorantia, quæ dicitur facti, cauſſat involuntarium ſimpliciter.

Quid eſt vis & metus.

§. VI. De prædictis, ſcilicet voluntario & involuntario & miſto ex utroque multa habentur in jure, unde e pluribus aliqua ponentur. Ubi ſciendum, quod regulare eſt, quod *ea, quæ vi, metuſve cauſſa fiunt, carent roboris firmitate*, extra *De his, quæ vi metuſve cauſſ. fiunt*, cap. *Ad audientiam*. Et talia ſunt involuntaria ſimpliciter, vel ſecundum quid.

Pro cujus declaratione nota ſecundum Raymundum, quod *vis eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt*, ff. *Quod met. cauſ.* l. 2. *Metus* vero *eſt inſtantis vel futuri periculi cauſſa mentis trepidatio*, ff. eod. tit. l. 1. Et idem B. Thomas in 4. Vis autem, ſeu coactio eſt duplex ſecundum Thomam in 4. & ſecundum gloſſam ſuper can. *De Judæis*, Diſt. 45. ſcilicet abſoluta & conditionata. Et de abſoluta coactione intelligitur diffinitio ſupradicta de vi data. Et hæc quidem, quia eſt involuntaria ſimpliciter, in materiis peccatorum excuſat a toto, ſicut ſi qua mulier violenter cognoſcatur, vel ſi violenter manus alicujus accipiatur ad ponendum thura ſuper ignem coram idolis & hujuſmodi, in nullo peccatur, voluntate omnino renitente, ut habetur 32. quæſt. 5. *Ita ne*, & can. ſeq. Talis etiam coactio abſoluta tollit veritatem & effectum ſacramentorum, ut dicitur in gloſſa ſuper can. *De Judæis*, Diſt. 45. Si enim quis teneatur violenter, & ipſo reclamante baptizetur, nil recipit, nec caracterem nec gratiam; & ſic de ordinibus ſacris.

Vis abſoluta tollit voluntarium.

Vis conditionata fiat cum voluntario miſto.

Coactio conditionata, quia hæc non eſt omnino involuntaria, ſed eſt voluntarium miſtum: in ſe enim illud non vellet ad quod cogitur, ſed vult pœnas evitare, quibus cogitur, & ideo aſſentit; unde non excuſat a toto, ſed a tanto in malis. Unde dicitur extra eod. tit. *Sacris*, quod *licet metus culpam attenuet, non tamen prorſus ex-*

Ob metum non detet committi peccatum.

A *cludit, quia pro nullo metu quis debet committere mortale peccatum.* Et ſub hac coactione conditionata comprehenditur metus, ſive coactio per metum ſecundum B. Thomam in 4. & Petrum, quæ eſt duplex. Una ſcilicet levis & inſufficiens, quæ non cadit in conſtantem virum; ut ſi quis non timeret non perdere gratiam ſeu amicitiam alicujus, ſi non facit quod vult. Dicitur etiam metus levis in uno, qui non dicetur in alio, quia non eſt veriſimile hominem claræ dignitatis in urbe timuiſſe, vel regem parvum militem ſuum, ut 31. quæſt. 2. can. *Lotharius*, & ff. *Quod met. cauſſ.* l. *Non eſt veriſimile*. Alia coactio eſt gravior per metum, qui ſcilicet cadit in conſtantem virum, ut metus mortis vel cruciatus; & B talis metus excludit matrimonium quoad Deum, & quoad Eccleſiam ſecundum Thomam, & Petrum, & Albertum in 4. & Raynerium, & Hoſtienſem in ſumma. Et ſimiliter timor ſtupri vel ſervitutis excludit matrimonium ſecundum præfatos doctores. Nec differt utrum prædicta quattuor fiant in perſona propria, aut liberorum, aut uxoris. Unde verſus:

Metus levis qui.

Metus cadēs in conſtantem virum.

Excuſare metus hos poſſe puta quia vis fit,
Stupri ſeu ſtatus verberis atque necis.

Et hoc niſi poſtea conſentiret. Talis etiam metus, qui poteſt cadere in conſtantem virum, reſcindere facit contractus.

Dicit tamen Albertus in 4. quod compulſus per metum cadentem in conſtantem virum, quum promiſit aliquid alteri, ubi eſt judicium, per quod C poteſt inveniri defenſio a judice, debet ſolvere promiſſum, ſcilicet quod de ſe non eſt malum, & dare centum florenos & hujuſmodi. Competit enim actio ex lege & ex canone, & judex debet reſtituere facere in integrum. Sed ſi defectus ſit judicis, tunc non debet ſolvere, ut puto. Et hoc ſi juramentum non intervenit: nam tunc ſolvendum eſt, vel faciat per ſuperiorem relaxare. Si autem jam violavit juramentum non ſolvendo, veniens ad pœnitentiam [1] non eſt cogendus ad dandum promiſſum, ſed pœnitentia injungenda de peccato. Iſta etiam coactio conditionata, etſi non impediat veritatem ſacramentorum in ſuſcipiente; impedit tamen effectum ſecundarium, ſcilicet gratiam. Qui enim ſuſcipit baptiſmum vel D ordinem timore, ne amittat vitam, vel ſubſtantiam, alias non ſuſcepturus, non recipit gratiam, ſed [2] caracterem utique recipit, ut dicitur in gloſſa in dicto can. *De Judæis*, Diſt. 45. Idem Raynerius & Thomas. Et quamvis nullus ſit cogendus ad fidem, vel ſacramenta etiam coactione conditionali; unde dicitur *De Judæis*: *Præcipit ſancta ſynodus nemini vim inferri ad credendum.*

Non

1 Confer part. 2. tit. 10. cap. 6. caſum nonum pag. 1088.

2 Intellige de iis, qui ob metum ſuſcipere volunt baptiſma, vel ordines; ii enim voluntatem ſalcem conditionatam gerunt. At ſi de iis ſermo ſit, qui ob metum aliamve humanam rationem velint quidem exteriorem ritum baptiſmi vel ordinis circa ſe perfici, at ſacramentum vere percipere interius nolint; num hi caracterem ſacramenti recipiant, dubitari poteſt. Hac tamen in re, quid ſentiendum, agendumve ſit, diſcimus ex Benedicto XIV. qui in erudito illo opere, quod in totius anni feſta ac ſacrificium Miſſæ felici calamo & utiliter lucubravit, declarationem ſacræ Congregationis Concilii in rem præſentem maxime adnotandam propoſuit part. 4. ſect. 2. n. 79. p. 530. Ejus verba Latine reddam. *Sacræ Congregationi ſignificavit Brixianus Epiſcopus, illud ſibi eveniſſe, ut Ordinandus, qui teſtimoniales litteras minorum ordinum, quos vere ſuſceperat, aliquatenus corruperat, quum in generali ordinatione ſtans ut ad ſubdiaconatum promoveretur, audiſſet cenſuras in eos indictas, qui ſine omnibus requiſitis ad ordines accederent, diſcedere cogitaret. At ſcandalum metuens, id cepit conſilii, ut ad ordinem quidem ſuſcipiendum accederet, ſed abſque intentione ejus ſuſcipiendi, hac ratione præſumens fore, ut denuntiatas cenſuras vitaret. Itaque Prælatus quæſivit, num illum iterum ordinaret nec ne. Quæſitum propoſitum fuit in Congregatione habita die 31. Martii 1685. reſcriptumque, ut Ordinatus interim abſtineret, ac exactior de intentionis defectu perquiſitio fieret. Brixianus autem Epiſcopus reſpondit, ſe interrogaſſe Ordinatum, qui ingenue confeſſus eſt, ſe conſcientiæ ſtimulis concuſſum ante Ordinationem, interiorem poſitivum actum in animum induxiſſe, ne ordinem reciperet, hancque intentionem numquam retractaſſe. Itaque propoſito iterum caſu in eadem Congregatione die 24. Auguſti anni ejuſdem, quum ſapienter obſervatum fuiſſet, certe ac tute fidi non poſſe teſtimonio hominis, qui animo perturbato atque confuſo ſe in eum actum proceſſiſſe dicebat, ea cautione reſcriptum fuit, eſſe* (ipſa Congregationis verba ſunt) *iterum ordinandum ſub conditione privatim, & dummodo aliud non obſtet canonicum impedimentum.*

Non enim inviti ſalvandi ſunt tales, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ ; tamen ſi qui coacti ſunt per talem coactionem conditionatam, cogendi ſunt ad ſervandum fidem & regulas Chriſtianorum, quam neceſſitate ſuſceperunt, ut dicitur in Diſt. eadem *De Judæis*. Non autem cogendi ſunt qui abſoluta coactione ſunt coacti, quia nil acceperunt. Quæ etiam fiunt ex ignorantia non invincibili, ſed procedente ex negligentia, quæ dicitur craſſa ignorantia, ſunt involuntaria miſta. Et de his 15. quæſt. 1. §. *Sed hoc*, & can. ſequenti. Item non ſolum quæ fiunt coactione abſoluta, ſunt involuntaria ſimpliciter, ſed etiam quæ fiunt mente omnino alienata ; & ideo non imputantur ad culpam, vel pœnam. Unde Auguſtinus : *Aliquos ſcimus ſubito dementes factos, ferro, fuſte, morſibus, lapidibus multis nocuiſſe, quoſdam etiam occidiſſe ; captos autem induſtria, & judiciis oblatos, minime reos factos, eo quod non voluntate, ſed impellente vi neſcio qua, hæc geſſerunt neſcientes*, 25. quæſt. 1. *Aliquos*. Nec obſtat can. *Si quis inſaniens*, quæſt. eadem, ubi pœnitentia dicitur imponenda ei, qui in inſania fecit homicidium, reverſo ad proprium ſenſum. Hoc enim fit, ut dicit ibi gloſſa, ad cautelam, quia ſcilicet forte non totaliter erat mente alienatus, arg. 34. quæſtione 2. *In lectum*, & ne deſeratur eccleſiaſtica diſciplina, ut 23. quæſt. 5. *Excommunicatorum*. Joannes. Quod autem Gratianus dicit in ſequenti paragrapho, quod ideo pœnitentia injungitur tali, quando ex culpa ſua incurrit inſaniam, & ſic videtur ei imputari aliquo modo ; tunc dicit gloſſa Joannis, quod illa opinio Gratiani non eſt approbanda, quia talis ſatis ipſo jure punitur, 3. quæſt. 9. can. *Indicas*. De voluntario ſimpliciter intelligitur illud Ambroſii : *Illa cavenda ſunt flagitia, quæ ex noſtra prodeunt voluntate ; delicta juventutis, & irrationabiles corporis paſſiones. Quorum igitur nos domini ſumus, eorum principia extrinſecus non requiramus, nec derivemus in alios ; ſed agnoſcamus ea, quæ proprie noſtra ſunt. Quod poſſumus non facere, ſi volumus, hujus electionem mali potius nobis debemus adſcribere*, 16. quæſt. 1. can. *Illa*.

De ignorantibus.

De alienatis a mente.

CAPUT IV.

De actibus voluntatis ab ipſa immediate elicitis, & de ipſo velle, qui eſt primus actus.

DEinde videndum eſt de actibus voluntatis ab ipſa immediate elicitis. Movetur autem voluntas in finem, & in ea, quæ ſunt ad finem. Primo igitur agendum de actibus voluntatis ab ea elicitis, quibus movetur in finem ; & hi ſunt tres, ſcilicet velle, frui, & intendere. Deinde de actibus voluntatis, quibus movetur in ea, quæ ſunt ad finem ; & hi ſunt tres, ſcilicet eligere (quod tamen præcedit conſulere) ſecundus eſt conſentire, tertius uti. Et quantum ad primos actus ſciendum, quod quum actus voluntarius primo ſit reſpectu finis, voluntas ipſa reſpicit finem tripliciter. Uno modo abſolute ; & ſic dicitur actus ejus voluntas ſeu volitio, prout ſcilicet abſolute volumus vel ſanitatem, vel ſi quid aliud eſt hujuſmodi. Alio modo voluntas reſpicit finem, ſecundum eam conſiderationem, qua in ipſo quieſcitur ; & talis actus voluntatis dicitur fruitio. Tertio modo conſideratur finis prout voluntas reſpicit ipſum, ſecundum quod eſt terminus alicujus, quod in ipſum ordinatur. Et actus voluntatis ſecundum hanc conſiderationem ſeu reſpectum dicitur intentio. Non enim ex hoc ſolum dicimur intendere ſanitatem, quod volumus eam, ſed quia volumus per aliquid aliud ad eam pervenire, ut per medicinam, & hujuſmodi. Hæc B. Thomas 1. 2. quæſt. 12. art. 1. Et quantum ad primum actum voluntatis, qui eſt velle, inſpicienda ſunt tria. Primum de quo ſit voluntas. Secundum a quo moveatur voluntas. Tertium quo modo moveatur voluntas.

Voluntas reſpicit finem tripliciter.

Velle eſt tantum de bono.

§. I. Quantum ad primum voluntas ſeu velle eſt tantum de bono. Unde Dionyſius dicit cap. 4. de divinis nominibus, quod malum eſt præter voluntatem, eo quod omnia appetunt bonum. Sed bonum, de quo eſt voluntas, non eſt ſemper verum bonum, ſed aliquando verum, aliquando apparens bonum, ut actus peccati. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 8. art. 1. quod voluntas eſt appetitus rationalis. Omnis autem appetitus non eſt niſi boni. Hujus ratio eſt, quia appetitus non eſt aliud, quam inclinatio appetentis in aliquid. Nihil autem inclinatur, niſi in aliquid ſimile & conveniens. Quum igitur omnis res, in quantum eſt ens & ſubſtantia, ſit quoddam bonum ; neceſſe eſt ut omnis inclinatio ſit in bonum. Et inde eſt, quod philoſophus dicit in 1. Ethicor. quod bonum eſt, quod omnia appetunt.

Appetitus eſt boni.

Sed conſiderandum eſt, quod quum omnis inclinatio conſequatur aliquam formam ; appetitus naturalis conſequitur formam in natura exiſtentem. Appetitus autem ſenſitivus vel intellectivus ſeu rationalis, qui dicitur voluntas, conſequitur formam apprehenſam. Sicut ergo id, in quod tendit appetitus naturalis, eſt bonum exiſtens in re ; ita id, in quod tendit appetitus animalis ſeu rationalis, eſt apprehenſum. Ad hoc ergo, quod voluntas in aliquid tendat, non requiritur, quod illud ſit bonum in rei veritate, ſed quod apprehendatur in ratione boni. Propter hoc philoſophus dicit 2. Phyſicorum, quod finis eſt bonum vel apparens bonum. Et licet eadem potentia ſit oppoſitorum, ſicut viſus eſt albi & nigri, non tamen eodem modo ; ſic voluntas eſt boni & mali. Sed ad bonum ſe habet illud appetendo, & ille actualis appetitus dicitur voluntas ſeu velle. Ad malum ſe habet voluntas fugiendo, & ipſa fuga mali magis dicitur voluntas, non malum ipſum. Volumus enim non malum, ſed fugere malum, & hoc habet rationem boni. Futura autem etſi non ſint in rerum natura, apprehenduntur tamen ſub ratione boni, ut entia rationis, ſicut etiam ſunt privationes & negationes, ut non loqui, non operari, quæ dicuntur entia rationis ; & ſic in ens tendit voluntas. Unde philoſophus dicit in 5. Ethicorum, quod carere malo, habet rationem boni. Voluntas prout ſignat actum ipſius volitivæ potentiæ, proprie eſt finis, non eorum, quæ ſunt ad finem.

Velle eſt proprium ipſius finis.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas in 1. 2. quæſt. 8. art. 2. quod voluntas quandoque dicitur potentia, qua volumus, quandoque dicitur ipſe actus voluntatis. Secundum ergo quod voluntas nominat potentiam, ſic ſe extendit ad finem, & ad ea, quæ ſunt ad finem. Ad ea enim ſe extendit unaquæque potentia, in quibus inveniri poteſt quoquo modo ratio ſui objecti ; ſicut viſus ſe extendit ad omnia, quæ participant quoquo modo colorem. Ratio autem boni, quod eſt objectum potentiæ voluntatis, invenitur non ſolum in fine ; ſed etiam in his, quæ ſunt ad finem. Sed ſecundum quod voluntas nominat actum, ſic proprie loquendo eſt finis tantum. Cujus ratio eſt, quia omnis actus denominatus a potentia, denominat ſimplicem actum illius potentiæ. Sicut intel-

intelligere nominat ſimplicem actum intellectus. Simplex autem actus potentiæ tendit in id, quod ſecundum ſe eſt objectum potentiæ. Id autem, quod propter ſe eſt bonum & volitum, eſt finis; unde voluntas proprie eſt ipſius finis. Ea vero, quæ ſunt ad finem, non ſunt bona vel volita propter ſeipſa, ſed in ordine ad finem. Unde voluntas in ea non fertur, niſi quatenus fertur in finem. Unde hoc ipſum, quod in eis vult, eſt finis.

Ad finem & ad ea, quæ ſunt ad finem, quomodo ſe habet voluntas.

Actus voluntatis poteſt ferri in finem abſque hoc, quod feratur in ea, quæ ſunt ad finem. Sed in ea, quæ ſunt ad finem, in quantum hujuſmodi ferri non poteſt, niſi feratur in finem. Unde uno actu fertur in utrumque. Hoc ſic probat B. Thomas 1. 2. quæſt. 7. art. 3. Quum finis ſit ſecundum ſe volitus; id autem, quod eſt ad finem, non ſit volitum niſi propter finem, manifeſtum eſt, quod voluntas poteſt ferri in finem abſque hoc, quod feratur in ea, quæ ſunt ad finem: ſed in ea, quæ ſunt ad finem in quantum hujuſmodi, voluntas ferri non poteſt, niſi feratur in finem; ſic igitur voluntas in finem fertur dupliciter. Uno modo abſolute ſecundum ſe: alio modo in ratione volendi ea, quæ ſunt ad finem. Manifeſtum eſt ergo, quod unus & idem motus voluntatis eſt, quo fertur in finem, ſecundum quod eſt ratio volendi ea, quæ ſunt ad finem, & in ipſa, quæ ſunt ad finem. Sed alius actus eſt, quo fertur in ipſum finem abſolute, & quandoque præcedit tempore: ſicut quum aliquis primo vult ſanitatem, & poſtea deliberans quomodo poſſit ſanari, vult conducere medicum, ut ſanetur. Exemplum: Quandocumque videtur color, videtur & lumen eodem actu; poteſt tamen videri lumen abſque hoc, quod videatur color. Et in exſecutione quidem operis ea, quæ ſunt ad finem, ſe habent ut media, finis autem, ut terminus. Sed in volitione eſt e converſo: Nam voluntas per finem tamquam per medium devenit ad volendum ea, quæ ſunt ad finem. Sicut intellectus devenit in concluſiones per principia, quæ media dicuntur. Unde ſicut intellectus aliquando intelligit medium, & ex eo non procedit ad concluſionem, & ambulans ad aliquem locum, aliquando perſiſtit in medio itineris, & non pervenit ad terminum; ſic & voluntas aliquando vult finem, & non pertingit ad volendum id, quod eſt ad finem.

A quo voluntas moveatur.

§. II. Quantum ad ſecundum circa actum voluntatis, ſcilicet a quo ſit ipſe actus ſeu motus voluntatis. Ubi ſciendum, quod motus voluntatis eſt a Deo, ut a primo motore omnium. Eſt a potentia volitiva quantum ad exercitium actus, ſecundum rationem finis præcipue in volendo finem, quia per hoc, quod vult finem, movet voluntas ſeipſam in volendo ea, quæ ſunt ad finem. Eſt & motus voluntatis ab intellectu ipſius volentis, ut a præſentante ei objectum ſuum, quod eſt bonum apprehenſum per intellectum. Eſt quandoque ab appetitu ſenſitivo, ut a trahente ipſum per paſſionem, ſub apparentia boni.

Actus voluntatis eſt a Deo.

Et quantum ad primum, quod actus voluntatis ſit a Deo, oſtendit Apoſtolus Philip. 2. dicens: *Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere.* Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 9. art. 6. quod ſicut motum naturalem rei cauſſare non poteſt, niſi quod eſt aliqualiter cauſſa rei, ut quod lapis moveatur deorſum: nam quum movetur ſurſum per jactum hominis, qui homo naturam lapidis non cauſſat, motus ille non eſt naturalis, ſed violentus; ita etſi homo habens voluntatem moveri poſſit ab aliquo, quod non eſt cauſſa ejus, ut ab alio homine per violentiam, motus tamen voluntatis ejus, quod ſit ab aliquo extrinſeco, quod non ſit cauſſa ejus, eſt impoſſibile. Voluntatis autem cauſſa nihil aliud eſſe poteſt, quam Deus. Et hoc patet dupliciter. Primo ex hoc, quod voluntas eſt potentia animæ rationalis, quæ a ſolo Deo cauſſatur per creationem, ut dictum eſt ſupra. Secundo ex hoc patet, quod voluntas habet ad univerſale bonum ordinem. Omne autem aliud bonum per participationem dicitur, & eſt quoddam bonum particulare. Particularis autem cauſſa non dat inclinationem univerſalem. Unde nec materia prima, quæ eſt in potentia ad omnes formas, poteſt cauſſari ab aliquo particulari agente.

Non tamen ad malum.

Nec tamen ſequitur, quod quum homo vult malum, Deus moveat voluntatem ejus ad illud malum, quia ipſe eſt motor & univerſale objectum voluntatis; quoniam ſecundum B. Thomam ubi ſupra, Deus movet voluntatem hominis ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum. Et ſine hac univerſali motione homo non poteſt aliquid velle. Sed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud, quod eſt vere bonum, & apparens bonum. Sed interdum movet ſpecialiter Deus aliquos ad aliquid determinate volendum, quod eſt bonum, ſicut in his, quos movet per gratiam.

Voluntas etiam movetur per intellectum.

Movetur etiam voluntas ad actum ſuum ab intellectu. Unde philoſophus dicit in 3. de anima, quod appetibile intellectum eſt movens, non motum; voluntas autem eſt movens motum. Motum, ſcilicet quia movetur ab intellectu. Movens, quia movet alias potentias, etiam ipſum intellectum quantum ad exercitium actus, ideſt ad intelligendum. Non tamen movet intellectus voluntatem ex neceſſitate. Unde Auguſtinus tractans illud pſal. 118. *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas*, &c. ait: Prævolat intellectus, ſequitur tardus aut nullus affectus. Scimus bonum, nec tamen delectat agere. Cujus ratio eſt ſecundum B. Thomam, quia ſicut imaginatio formæ convenientis vel nocivi ſine æſtimatione non movet appetitum ſenſitivum, ita nec apprehenſio veri ſine ratione boni, nec appetibilis movet voluntatem. Unde intellectus ſpeculativus non movet, ſed practicus, ut dicitur in 3. de anima.

Pro majori horum declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 9. art. 1. In tantum aliquid indiget moveri, in quantum eſt in potentia ad plura. Oportet enim, ut id, quod eſt in potentia, reducatur ad actum per aliquid, quod eſt actu; & hoc eſt movere. Dupliciter autem aliqua vis animæ invenitur eſſe in potentia ad diverſa. Uno modo quantum ad agere & non agere: alio modo quantum ad agere hoc vel illud: ſicut viſus quandoque videt actu, & quandoque non videt, & quandoque videt album, quandoque nigrum. Indiget igitur movente quantum ad duo, ſcilicet quantum ad exercitium & uſum actus, & quantum ad determinationem actus. Quorum primum eſt ex parte ſubjecti, quod invenitur quandoque agens, quandoque non agens. Aliud eſt ex parte objecti, ſecundum quod ſpecificatur actus. Motio autem ipſius ſubjecti eſt ex agente aliquo. Et quum omne agens agat propter finem, principium hujus motionis eſt ex fine. Et inde eſt, quod ars, ad quam pertinet finis, movet artem, ad quam pertinet id, quod eſt ad finem, ſuo imperio, ſicut gubernatoria ars imperat navifactivæ. Bonum autem in communi, quod habet rationem finis, eſt objectum voluntatis; & ideo ex hac parte voluntas movet alias potentias animæ ad ſuos actus. Utimur enim & aliis potentiis animæ, quum volumus. Nam fines & perfectiones omnium aliarum potentiarum comprehenduntur ſub objecto voluntatis, ſicut quædam particularia bona. Semper enim ars vel potentia, ad quam pertinet finis univerſalis, movet ad agendum artem vel potentiam, ad quam pertinet

Vires animæ dupliciter ſunt in potentia.

finis

finis particularis ſub illo univerſali comprehenſus. Sicut dux exercitus, qui intendit bonum commune, ſcilicet ordinem totius exercitus, movet ſuo imperio aliquem ex tribunis, qui intendit bonum unius aciei. Objectum autem movet determinando actum ad modum principii formalis, a quo in rebus naturalibus actio ſpecificatur, ſicut calefactio a calore. Primum autem principium formale eſt ens, & verum univerſale, quod eſt objectum intellectus. Et ideo iſto modo motionis intellectus movet voluntatem, ſicut repræſentans ei objectum ſuum.

Voluntas etiã movet ſeipſam.

Movetur voluntas etiam ad actum ſuum a ſeipſa. Quum enim ſit domina ſui actus, & ipſius ſit velle, & non velle, quod non eſſet, ſi non haberet in poteſtate ſua movere ſeipſam ad volendum; ſequitur quod a ſeipſa movetur. Unde dicitur Eccleſiaſtici cap. 15. *Poſuit Deus ante illum, ſcilicet hominem, bonum & malum: ad quocumque voluerit, extendat manum ſuam.*

Pro hujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 9. art. 3. Ad voluntatem pertinet movere alias potentias ex ratione finis, qui eſt objectum voluntatis. Sed hoc modo ſe habet finis in appetibilibus, ſicut principium in intelligibilibus.

Manifeſtum eſt autem, quod intellectus per hoc, quod cognoſcit principium, reducit ſeipſum de potentia in actum, quantum ad cognitionem concluſionum; & hoc modo movet ſeipſum. Et ſimiliter voluntas per hoc, quod vult finem, movet ſeipſum ad volendum ea, quæ ſunt ad finem. Non autem eodem modo movetur ab intellectu & ſeipſa; ſed ab intellectu movetur ſecundum rationem objecti, in quantum ipſum ſibi repræſentat. A ſeipſa movetur ſecundum rationem finis, in quantum vult ea, quæ ſunt ad finem propter finem. Nec ſecundum idem voluntas movet & movetur; ſed ſecundum diverſa: quia quum vult finem, eſt quidem in actu voluntas quoad finem: in potentia autem quoad illa, quæ ſunt ordinata ad illum finem. Quum autem vult actu ea, quæ ſunt ad finem, reducit ſe de potentia in actum reſpectu illorum; & ſic ut movens eſt, in quantum vult finem, ut mota, in quantum vult ea, quæ ſunt propter finem.

Voluntas movetur ab appetitu ſenſitivo.

Movetur voluntas ad actum ſuum quandoque ab appetitu ſenſitivo, ſicut ab alliciente. Unde Jacobi 1. dicitur: *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Non enim abſtraheretur, quis a concupiſcentia, niſi voluntas ejus moveretur ab appetitu ſenſitivo, in quo eſt concupiſcentia.

Pro hujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 9. art. 2. quod id, quod apprehenditur ſub ratione boni & convenientis, movet voluntatem per modum objecti. Quod autem aliquid videatur bonum & conveniens, ex duobus contingit, ſcilicet ex conditione ejus, quod proponitur, & ejus cui proponitur. Conveniens enim ſecundum relationem dicitur; unde ex utroque extremo dependet. Et hinc eſt, quod juſtus diverſimode diſpoſitus non eodem modo accipit aliquid ut conveniens & ut non conveniens; unde & philoſophus dicit in 3. Ethicorum: Qualis unuſquiſque eſt, talis finis videtur ei. Manifeſtum eſt autem, quod ſecundum paſſionem appetitus ſenſitivi immutatur homo ad aliquam diſpoſitionem. Unde ſecundum quod homo eſt in paſſione aliqua, videtur aliquid ei, ut conveniens, quod non videtur eidem extra paſſionem exiſtenti: ſicut irato videtur, quod non videtur quieto. Et per hunc modum ex parte objecti appetitus ſenſitivus movet voluntatem.

Et quamvis voluntas ſit præſtantior appetitu ſenſitivo ſimpliciter loquendo, & agens & movens ſit naturaliter præſtantius patiente & moto; ſecundum Auguſtinum tamen quoad illum, in quo paſſio dominatur, appetitus ſenſitivus eſt præſtantior voluntate; & ideo voluntas ut mota & patiens ſubjacet appetitui ſenſitivo. Et quamvis voluntatis actus ſit univerſalis, quia ſequitur apprehenſionem intellectus, qui eſt univerſalium; tamen quia actus & electiones hominum ſunt circa ſingularia, inde eſt quod, quia appetitus ſenſitivus eſt virtus particularis, quia ſequitur apprehenſionem ſenſus, qui eſt particularium rerum, habet magnam virtutem ad hoc, quod ſic diſponatur, ut ei aliquid videatur, ſic, vel aliter circa ſingularia.

Voluntas movetur a rebus ſenſibilibus.

Movetur etiam quandoque voluntas a rebus ſenſibilibus ſibi propoſitis exterius: nam voluntas movetur ab objecto. Sed objectum voluntatis poteſt eſſe aliqua res exterior ſenſui præpoſita, ſicut Berſabæa viſa a David movit voluntatem ejus ad concupiſcendum, 2. Reg. 11. Unde & Joann. cap. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in eo ſunt,* ſcilicet ſenſibilia. Dilectio eſt actus voluntatis. Movent ergo iſta exteriora voluntatem ſicut objecta, non de neceſſitate. Nec etiam movent eo modo, quo movetur voluntas, quantum ad exercitium actus, ab aliquo exteriori agente & imprimente in ipſam voluntatem & influente: ſic enim a ſolo Deo movetur, non autem ab Angelis etiam bonis. Quamvis enim Angelus operetur in intellectu hominis, confortando lumen ipſius, & illuſtrando phantaſmata; non tamen operatur in voluntatem movendo ipſam.

Sed nec a corporibus cæleſtibus, ſeu planetis poteſt moveri voluntas directe. Nec in ipſam poſſunt imprimere vel operari directe. Et ratio eſt ſecundum B. Thomam 1. 2. quæſt. 9. art. 5. quia nullum corpus poteſt agere in rem incorpoream, ſed e converſo. Intellectus & voluntas ſunt potentiæ animæ, quæ non ſunt affixæ organis corporeis, ſed ſunt pure immateriales; & ideo impoſſibile eſt, ut ullum corpus cæleſte directe imprimat in intellectum vel in voluntatem. Indirecte poſſunt imprimere, in quantum videlicet voluntas moveri poteſt ad aliquid ab appetitu ſenſitivo per paſſiones ejus. In appetitum autem ſenſitivum, ſicut & in alias vires ſenſitivas imprimere poſſunt corpora cæleſtia, quia affixæ ſunt organis corporeis. Quæ organa corpori ſicut & ipſa corpora omnia inferiora ſubjacent influentiis & impreſſionibus corporum cæleſtium. Sicut autem voluntas ipſa non cogitur ad ſequendum appetitum ſenſitivum, quamvis inſtigetur, ſed libera eſt, nec etiam cogitur ad appetendum ipſa ſenſibilia, quæ proponuntur, in quæ habent impreſſionem & operationem corpora cæleſtia; ita non cogitur a conſtellationibus & influentiis corporum cæleſtium ad volendum.

Voluntas a diverſis diverſimode movetur.

§. III. De tertio, videlicet de modo, quo movetur voluntas ad actum ſuum, ſciendum, quod movetur ad quædam de neceſſitate & naturaliter, ut ad volendum bonum in communi, & ultimum finem ſeu beatitudinem, & quæ conveniunt aliis potentiis, ut cognitionem veri, quæ convenit intellectui, & eſſe & vivere, & alia hujuſmodi, quæ reſpiciunt conſiſtentiam naturalem. Ad quædam alia movetur contingenter, & non naturaliter, ut ad omnia alia.

A quibus neceſſario movetur, a quibus non.

Pro horum declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 10. art. 2. quod voluntas movetur dupliciter. Uno modo quantum ad exercitium actus, ſcilicet ad velle & non velle: alio modo quantum ad ſpecificationem actus, ſcilicet ad velle hoc, vel illud. Primo modo voluntas a nullo objecto ex neceſſitate movetur: poteſt enim aliquis de quocumque objecto non cogitare, & per conſequens nec actu velle illud. Sed quantum ad ſecundum motio-

motionis modum voluntas ab aliquo objecto ex ne- A
ceſſitate movetur, ab aliquo autem non. In motu enim cujuslibet potentiæ a ſuo objecto conſideranda eſt ratio, per quam objectum movet potentiam. Viſibile enim movet viſum ſub ratione coloris actu viſibilis. Unde ſi color proponatur viſui, ex neceſſitate movet viſum, niſi aliquis viſum avertat; quod pertinet ad exercitium actus. Si autem proponeretur aliquid viſui, quod non omnibus modis eſſet color in actu, ſed ſecundum aliquid eſſet tale, & ſecundum aliquid non tale; non ex neceſſitate viſus tale objectum videret. Poſſet enim intendere in ipſum ex ea parte, qua non eſt coloratum in actu; & ſic ipſum non videret. Sicut autem coloratum in actu eſt objectum viſus, ita bonum eſt objectum voluntatis. Unde B
Bonum eſt objectum voluntatis.
ſi proponatur aliquod objectum voluntati, quod ſit univerſaliter bonum, & ſecundum omnem conſiderationem, ex neceſſitate voluntas in illud tenderet, ſi aliquid velit: non enim poteſt velle oppoſitum. Si autem proponatur ei aliquod objectum, quod non ſecundum omnem conſiderationem ſit bonum, non ex neceſſitate voluntas fertur in illud. Et quia defectus cujuslibet boni habet rationem non boni, ideo id ſolum bonum, quod eſt perfectum, & cui nihil deficit, eſt tale bonum, quod voluntas non poteſt non velle, quod eſt beatitudo. Alia autem particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, poſſunt accipi ut non bona; & ſecundum hanc conſiderationem poſſunt repudiari vel acceptari a voluntate, quæ poteſt in C
idem ferri ſecundum diverſas conſiderationes. Sicut enim intellectus de neceſſitate movetur ab objecto, quod eſt ſemper & ex neceſſitate verum, non ab eo, quod poteſt eſſe verum & falſum, ſcilicet a contingente; ſic & voluntas a bono perfecto, cui nihil deficit. Vult etiam de neceſſitate ea, quæ ſunt ad finem, ſine quibus finis haberi non poteſt, ut eſſe, vivere, & hujuſmodi. Et
Ea, quæ homo vult ex neceſſitate, vult naturaliter.
quæ vult homo ex neceſſitate, vult etiam naturaliter. Quamvis enim voluntas dividatur contra naturam, ſicut una cauſſa contra aliam: quædam enim fiunt naturaliter, & quædam voluntarie: & alius modus cauſſandi eſt proprius voluntati, quæ eſt domina ſuorum actuum, & habet viam ad oppoſita: alius modus cauſſandi eſt proprius naturæ, D
quæ eſt determinata ad unum, nec habet viam ad oppoſitum; tamen quia voluntas in aliqua natura fundatur; neceſſe eſt, quod modus proprius naturæ quantum ad aliquid participetur a voluntate, ſicut quod eſt prioris cauſſæ, participatur a poſteriori. Eſt autem in unaquaque re primum ipſum eſſe, quod eſt per naturam, quam velle, quod eſt per voluntatem. Et inde eſt, quod voluntas aliquid vult naturaliter, & ita determinate, quod non habet viam ad oppoſita, ut beatitudinem, bonum in communi eſſe, vivere. Et dicitur hic naturale, ſecundum quod natura dicitur quælibet ſubſtantia, & quodlibet ens. Et ſecundum hoc dicitur naturale rei, quod convenit ei ſecundum ſuam ſubſtantiam, & hoc eſt quod ſemper ineſt ei. Et E
ſic accipiendo ſemper principium in his, quæ conveniunt rei, oportet quod ſit naturale. Et hoc apparet in intellectu. Nam principia naturalis cognitionis ſunt naturaliter nota. Similiter principium volitivorum oportet, quod ſit aliquid naturaliter volitum, & hoc eſt bonum in communi & ultimus finis.

Quatenus Deus voluntatem movet.
Motus voluntatis quum ſit a Deo ut a primo movente, non tamen eſt motus neceſſarius ille, ſed contingens, niſi in his, quæ naturaliter vult, de quibus dictum eſt. Unde Eccleſiaſtici 15. dicitur, quod *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui*, ſcilicet ad volendum vel non volendum hoc vel illud.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 10. art. 4. ut dicit Dionyſius: Ad providentiam divinam non pertinet corrumpere naturam rerum, ſed ſervare. Unde movet omnia ſecundum eorum conditionem, ita quod ex cauſſis neceſſariis per motionem divinam ſequuntur effectus ex neceſſitate. Ex cauſſis autem contingentibus conſequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas eſt actuum principium non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa; ſic Deus ipſam movet, quod non ex neceſſitate ipſam determinat ad unum, ſed remanet motus ejus contingens & non neceſſarius, niſi in his, quæ naturaliter moventur. Sed ab appetitu ſenſitivo quum movetur voluntas, non movetur ex neceſſitate. Nam ſi talis eſt paſſio in appetitu ſenſitivo, quod tollat totaliter uſum rationis, ut in phreneticis & amentibus; tunc actus talis hominis non eſt actus voluntatis, ſed ſimilis brutorum actibus. Sed non totaliter abſorbet rationem paſſio: ſicut quum remaneat aliquo modo judicium rationis liberum; ſic & motus voluntatis. Unde non neceſſario movetur ab appetitu per paſſionem; ad quod facit, quod dicitur Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.*

CAPUT V.

De ſecundo actu voluntatis, qui dicitur frui.

§. I. FRui eſt ſecundus actus elicitus a voluntate. *Quid ſit fruitio.*
Ubi notandum ſecundum B. Thom. 1. 2. quæſt. 11. quod viſio Dei, in quantum eſt viſio, eſt actus intellectus; in quantum autem eſt bonum & finis, eſt voluntatis objectum; & hoc modo eſt ejus fruitio. Et ſic hunc finem conſequitur intellectus ut potentia attingens, voluntas tamquam potentia movens ad finem & fruens fine jam adepto. Item nota ſecundum Thomam ubi ſupra, quod in delectatione, quam importat fruitio, duo ſunt, ſcilicet perceptio convenientis, quæ pertinet ad apprehenſivam potentiam, & complacentia ejus, quod offertur ut conveniens; & hoc pertinet ad appetitivam, in qua ratio delectationis perficitur.

Pro quorum declaratione dicit B. Thomas in 1. ſent. Diſt. 1. ubi diffuſe tractatur iſta materia etiam in textu, quod fruitio conſiſtit in optima operatione hominis, quum fruitio ſit ultima felicitas hominis. Felicitas autem non eſt in habitu, *In quo conſiſtit.*
ſed in operatione ſecundum philoſophum. Optima autem operatio hominis eſt operatio intellectus ad nobiliſſimum objectum, quod eſt Deus. Unde ipſa viſio divinitatis ponitur tota ſubſtantia noſtræ beatitudinis, juxta illud Joann. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te* &c. Ex ipſa autem viſione, quum ipſum viſum non videatur per ſimilitudinem, ſed per eſſentiam efficitur quodammodo intra videntem; & ita eſt comprehenſio, quæ ſuccedit ſpei, conſequens viſionem, quæ ſuccedit fidei, ſicut & ſpes quodammodo generatur ex fide. Et ex hoc, quod ipſum viſum receptum eſt intra videntem, unit ſibi ipſum videntem, ut fiat quædam mutua penetratio per amorem. Sicut dicitur 1. Joann. 4. *Qui manet in caritate, in Deo manet* &c. Ad unionem autem maxime convenientis ſequitur ſumma delectatio. Et in hoc perficitur noſtra felicitas, quam nominat fruitio, ex parte ſui complementi magis, quam ex parte principii, quum includat in ſe quamdam delectationem. Et ideo ipſa fruitio eſt actus voluntatis, & *Tria concurrunt ad fruitionem.*
ſecundum habitum caritatis, quamvis ſecundum ordinem ad habitus & potentias præcedentes. Quam-

vis enim concurrat ad fruitionem prædicta tria, scilicet visio, comprehensio, & amatio; perficitur tamen ipsa in amore. Et aliæ quidem virtutes conjungunt nos Deo per modum meriti & dispositionis, caritas per modum perfectæ unionis.

Diffinitur frui.

Dantur autem diversæ diffinitiones ejus secundum diversos respectus. Et prima est, quod frui est amore inhærere rei propter se. Hæc datur per comparationem ad objectum & habitum elicientem actum. Alia est Augustini dicentis: Fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit. Hæc datur per comparationem ad potentiam, cujus est actus, secundum ordinem ad potentiam præcedentem, scilicet cognitionem, quæ pertinet ad intellectum. Tertia est, quod frui est cum gaudio, uti non spei, sed rei jam habitæ. Hæc datur per comparationem consequentem actum in quantum est perfectum, scilicet gaudium de re habita. Nec est inconveniens, quod de una re dentur plures diffinitiones secundum diversas causas vel proprietates. Quando autem exprimeretur totum esse rei secundum omnes causas ejus, tunc diffinitiones prædictæ non essent, nisi una.

Quibus & quomodo fruendum sit.

§. II. Quo fruendum sit. Quibus Ad quod dicendum secundum B. Thomam ubi supra, quod frui aliquo dicitur tripliciter. Uno modo sicut objecto; & hoc modo solo Deo fruendum est. Et sic dicit Augustinus, quod fruendum est solum illis rebus, quæ nos beatos faciunt, scilicet personis divinis, Patre & Filio & Spiritu sancto, quia ad bonitatem ipsius Dei ordinatur tota bonitas universi, sicut bonitas totius exercitus ad bonum ducis. Secundo modo sicut habitu elicente actum fruitionis; & hoc modo beatitudine creata & caritate fruendum est. Deus enim facit beatos effective, dando seipsum, & causando ipsam beatitudinem. Beatitudo autem creata formaliter facit beatum, sicut albedo facit album. Tertio modo fruimur aliquo sicut instrumento fruitionis, & hoc modo fruimur potentia, cujus fruitio est actus.

Quia vero humanitas Christi non est finis ultimus, ideo in visione ejus non est proprie fruitio, sed quoddam accidentale gaudium, & non substantialis beatitudo.

Homine autem quocunque facto non est fruendum simpliciter, sed in Deo, juxta illud, quod ait Apostolus ad Philemonem: *Fruar te in Christo.* Ubi autem homine in Deo frueris, magis Deo quam homine frueris. Et sic secundum B. Thomam ibi objectum fruitionis est Deus correpræsentans ipsum objectum per similitudinem gratiæ in qua inhabitat Deus. Peccatore autem non est fruendum in Deo, quia non est in eo gratia, quæ facit Deum inhabitare, quæ quidem est exemplar expressum ipsius summæ bonitatis, qua fruendum est. Et multo minus creatura irrationali fruendum est: non enim sufficit ad hoc similitudo imaginis vel vestigii, sed requiritur similitudo gratiæ. Tribus autem personis divinis est una fuitione fruendum. Hujus ratio est duplex secundum B. Thomam ubi supra. Prima ex parte essentiæ: objectum enim fruitionis est summa bonitas. Unde fruitio respicit unamquamque personam prout est summum bonum. Unde quum eadem numero sit bonitas trium personarum, eadem erit & fruitio. Alia vero sumitur ex parte proprietatum: sicut enim dicit philosophus, qui cognoscit unum relativorum, cognoscit & reliquum. Et sic quum tota fruitio originetur ex visione, ut dictum est, qui fruitur uno relativorum in quantum hujusmodi, fruitur & reliquo. Prima ratio melior.

Quorum sit fruitio.

§. III. Quorum sit fruitio. Respondeo secundum B. Thomam ubi supra: Fruitio ponit quamdam delectationem in fine. Delectatio autem non potest esse, nisi in cognoscente; & ideo quum creaturæ insensibiles non cognoscant, non delectantur nec fruuntur. Quamvis tamen omne desiderium sequatur cognitionem; desiderium tamen creaturæ insensibilis, quod est ejus inclinatio naturalis, non sequitur cognitionem in ipsa exsistentem secundum cognitionem primi motoris. Item fruitio proprie loquendo est tantum ultimi finis; bruta autem ultimum finem non apprehendunt, nec finem proximum possunt ordinare ad finem ultimum, quum careant ratione, cujus est ordinare. Unde non proprie fruuntur.

Similiter peccator ponit ultimum finem suum in eo, in quo non est. Unde quum verum finem non habeat, non fruitur vere. Quamvis enim talis aliquando faciat aliquid propter Deum, tamen quia aliquid diligit habitualiter supra Deum, etsi non in actu semper; ideo non fruitur Deo, sed illo, ad quod omnia ordinat, pecuniam videlicet, gloriam, veneream delectationem, & hujusmodi.

Fruitio est perfecta delectatio.

Ulterius fruitio dicit delectationem in fine. Unde perfecta fruitio non est nisi perfecta delectatio, quæ esse non potest ante consecutionem finis. Unde justus homo in mundo perfecte fruitur; sed sancti in patria, vere & proprie & perfecte fruuntur. Magister in 2. Sententiarum, Dist. 1. Fecit Deus rationalem creaturam, ut summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur; Deus autem perfectissime seipso fruitur. Unde Gregorius dicit: Quod Deus gloriosus est, quia dum seipso fruitur, accedentis laudis indigens non est.

CAPUT VI.

De intentione, quæ est tertius actus voluntatis.

Intentio oculus appellata, & cur.

DE intentione, quæ est tertius actus elicitus a voluntate. Hanc Christus vocat oculum, dicens Luc. 11. & Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex*, idest intentio recta, *totum corpus tuum*, idest opus inde sequens, *lucidum erit.* Quamvis autem oculus sit instrumentum visivæ potentiæ, quæ est apprehensiva potentia; non tamen intentio est actus intellectus, sed voluntatis. Dicitur autem oculus intentio, quia cognitionem præsupponit, per quam proponitur voluntati finis, ad quem movet, sicut oculo prævidemus, quo tendere debeamus.

Intentio est actus voluntatis.

Quod autem intentio sit actus voluntatis, B. Thomas 1. 2. quæst. 13. sic declarat art. 1. Intentio, sicut ipsum nomen sonat, signat in aliquid tendere. In aliquid autem tendit & actio moventis & motus mobilis. Sed quod motus mobilis in aliquid tendat, ab actione moventis procedit. Unde intentio primo & principaliter pertinet ad id, quod movet ad finem. Unde dicimus architectorem suo imperio movere ad id, quod ipse intendit. Et idem est in omni præcipiente aliquid. Voluntas autem est, quæ movet omnes alias vires animæ ad finem. Et sic patet, quod intentio est actus voluntatis proprie.

Quid sit.

Est autem proprie & principaliter intendere secundum B. Thomam 1. 2. quæst. 12. art. 5. intendere finem, prout scilicet ordinat motum alicujus vel alterius in finem. Ordinare autem aliquid in finem est actus rationis tantum. Et quia bruta ratione carent; ideo non proprie dicuntur intendere seu habere intentionem. Sed large sumendo intendere secundum id, quod movetur ad finem ab alio, dicuntur intendere finem: sicut natura dicitur intendere finem quasi mota ad suum

finem

finem a Deo, ſicut ſagitta a ſagittante; & ſic A bruta intendunt finem, in quantum moventur inſtinctu quodam naturali ad aliquid. Non quod conſiderent, quod per motum ſuum poſſint conſequi finem, quod eſt proprie intendentis, ſed quaſi concupiſcentes finem naturali inſtinctu moventur ad finem quaſi ab alio mota & cetera, quæ naturaliter moventur.

Intentio nõ ſolũ eſt ultimi finis, ſed etiam aliorum.

Intentio autem non ſolum eſt ultimi finis, ſed & aliorum finium. Quum enim ultimus finis humanarum voluntatum ſit beatitudo, & per conſequens unus finis; ſi intentio eſſet tantum ultimi finis, non eſſent diverſæ hominum intentiones; quod patet eſſe falſum. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 12. art. 2. quod intentio reſpicit finem, ſecundum quod eſt termi- B nus motus reſpectu voluntatis. In motu autem poteſt accipi terminus dupliciter. Uno modo terminus ultimus, in quo quieſcitur, qui eſt terminus totius motus. Alio modo medium, quod eſt principium unius partis motus & terminus, vel finis alterius, ſicut motus, de quo itur de *A* in *C* per *B*, *C* eſt terminus ultimus, *B* autem eſt terminus, ſed non ultimus, & utriuſque poteſt eſſe intentio. Unde etſi intentio ſemper ſit finis; non tamen oportet, quod ſemper ſit ultimus finis.

Intentio poteſt eſſe plurium ſimul.

Intentio etiam poteſt eſſe plurium ſimul: quod ſic declarat B. Thomas ubi ſupra art. 3. Aliqua duo poſſunt accipi dupliciter, vel ordinata ad invicem, vel ad invicem non ordinata. Et ſi quidem fuerint ad invicem ordinata, manifeſtum eſt, C quod homo poteſt ſimul plura intendere. Eſt enim intentio non ſolum finis ultimi, ſed etiam finis medii, ut dictum eſt. Simul autem intendit aliquis in finem ultimum & proximum ſicut confectionem medicinæ & ſanitatem. Si autem accipiantur duo, ut non ordinata ad invicem, ſic etiam poteſt homo plura intendere. Quod patet ex hoc, quod homo unum alteri præeligit, quod melius eſt. Inter alias autem conditiones, quibus unum melius eſt altero, eſt quia valet ad plura. Unde poteſt aliquid præeligi alteri ex eo, quod valet ad plura. Et ſic patet manifeſte, quod homo plura intendit.

Intendere Deũ & corporale commodum homo nõ poteſt, quando hoc intelligitur.

Quod autem Auguſtinus dicit, quod homo non poteſt ſimul Deum & corporale commodum in- D tendere, intelligit ut ultimos fines, quia non non poſſunt eſſe hominis plures ultimi fines. Intentio finis & voluntas ejus, quod eſt ad finem, aliquo modo eſt unus & idem motus; alio modo non: quod ſic declarat B. Thomas ubi ſupra art. 4. Motus voluntatis in finem, & in id, quod ad finem, poteſt conſiderari dupliciter. Uno modo ſecundum quod voluntas fertur in utrumque abſolute, & ſecundum ſe; & ſic ſimpliciter ſunt duo motus voluntatis in utrumque. Alio modo poteſt conſiderari ſecundum quod voluntas fertur in id, quod eſt ad finem propter finem. Et ſic unus & idem ſubjecto motus voluntatis eſt tendens in finem, & ad id, quod eſt ad finem. Quum enim dico: volo medicinam propter ſanitatem, non deſigno niſi unum motum voluntatis: cujus ratio eſt, quia finis ratio eſt volendi ea, quæ ſunt ad finem. Idem autem actus cadit ſuper objectum & ſuper rationem objecti, ſicut eadem eſt viſio coloris & luminis: & ſimile eſt de intellectu, qui ſi abſolute conſideret principium & concluſionem, diverſa erit conſideratio utriuſque. In hoc autem, quod concluſioni propter principia aſſentit, eſt unus actus intellectus tantum. In hoc autem differt ab electione, quia in quantum motus voluntatis fertur in id, quod eſt ad finem, prout ordinatur in finem, eſt electio. Motus autem voluntatis, qui fertur ad finem, prout acquiritur per ea, quæ ſunt ad finem, vocatur intentio. Cujus ſignum eſt, quod intentio finis eſſe poteſt, etiam nondum determinatis his, quæ ſunt ad finem, quorum eſt electio.

S. I. De intentione loquitur Pſalmiſta, pſal. 118. docens nos ſuo exemplo ea rectificare, dicens: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* Intentio ſiquidem, ut ait Ambroſius, operi tuo nomen imponit. Nam cujus finis bonus eſt, ejus quoque opus bonum eſt: 1 e contra ſecundum philoſophum. 1
Unde Salvator ait Luc. 11. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Oculus intentio dicitur, qui reſpicit finem, ſeu ea, quæ ſunt ad finem, reſpectu finis. *Simplex* autem dicitur, quum ſolum intendit ultimum finem ſine duplicitate vel alia miſtura; & tunc *totum corpus*, ideſt congeries operum inde ſequentium, *lucidum* eſt, ideſt gratioſum. Quattuor autem requiruntur ad hoc, ut oculus ſit ſimplex & rectus, ideſt intentio, quæ notantur in prædicto verſu pſalmi. Et primum eſt, quod ipſa intentio ſit ſeparata ab arrogatione, ibi: *Inclinavi cor meum.* Secundum eſt, quod ſit ſequeſtrata a deceptione, ibi: *Ad faciendas juſtificationes tuas.* Tertium quod ſit immaculata ſine mortali infectione, ibi: *In æternum.* Quartum, quod ſit determinata in perfecta felicitatione, ibi: *Propter retributionem.*

Ad intentionem rectam quatuor requiruntur.

Primo ergo debet intentio ad hoc, ut ſit recta, eſſe ſeparata ab arrogantia, ut ſcilicet quamvis quis operetur opera de genere bonorum propter gloriam conſequendam, non hoc intendat tamquam Deus debeat ſibi retribuere ipſam gloriam ex debito neceſſitatis, ſeu ex condigno; quia, ut ait Apoſtolus ad Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Nec etiam quæcumque actiones. Et ratio hujus eſt, quia ſicut creatura eſt virtutis finitæ, ita & meritum operis ejus; gloria autem Dei eſt præmium infinitum. Finitum autem non poteſt per ſe attingere ad infinitum.

Debet ergo quilibet intendere & credere, quod principaliter Deus ex ſua largitate dabit ſibi gloriam benefacienti, juxta illud ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*, ſcilicet habetur. Gratia autem gratis datur. Hoc autem notat Pſalmiſta, quum ait: *Inclinavi cor meum*, ideſt humiliavi exſpectans retributionem a Domino, non ex operibus juſtitiæ per me factis, ſed ſecundum ſuam miſericordiam.

Oh bonum finem mala nulla facienda.

Debet ſecundo intentio eſſe ſequeſtrata a deceptione, ut videlicet non faciat ea, quæ de ſe ſunt mala, propter aliquem finem appetentem bonum: hoc enim eſſet decipere ſeipſum. Nam ut ait Apoſtolus ad Rom. 3. *Non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona.* Hinc Gregorius: *Qui hac intentione male accipit, ut bene diſpenſet, gravatur potius, quam juvetur*, 1. quæſt. 1. *Non eſt putanda.* Quod ſi quis fœnus exerceret, E ut hoſpitalia & Eccleſias conſecraret, vel etiam aliena raperet, ut pauperibus ſubveniret, ſeipſum deciperet, quum nihil mereretur, ſed peccatum incurreret. Unde & Loth, qui obtulit duas filias virgines habitatoribus Sodomorum ab eis illudendas, ne abuterentur juvenibus, quos ad hoſpitium receperat, ideſt Angelis, qui in forma juvenum apparuerant, potius hoc, quod fecit, adſcribitur perturbationi ejus ex horrore illius ſceleris,

1 Intellige *e contra malum eſt opus, cujus finis eſt malus*: & loquitur de opere per ſe bono, vel indifferenti; nam opus malum nullo bono fine bonum evadit, ut Auctor paullo poſt obſervabit.

leris, quam rationi, ut Dist. 14. can. *Quod ait.* In quo frequenter offendunt homines committendo diversa peccata, ut liberent proximos a tribulationibus vel a peccatis, propter hoc dicendo mendacia, addendo perjuria, vel alia mala. Sed ut dicit Augustinus: *Quum ad id venerit homo, ut saluti proximi nisi peccando providere non possit, jam se existimet non habere, quod faciat*, idest quod debeat facere, 22. quæst. 2. can. *Faciat*. Nam contra ordinem caritatis est suæ saluti nocere, ut alteri subveniat.

Nec est contra hanc sententiam, quod Moyses Dominum rogavit, ut deleret eum de libro suo, ut populo dimitteret peccatum idololatriæ commissum in adoratione vituli, Exod. 32. Non enim sic est intelligendum tamquam Moyses oraverit se privari salute, & deleri de libro viventium in gloria (hoc enim irrationale fuisset) sed petiit deleri de libro Dei non simpliciter, sed quantum ad consolationes multas, quas debebat a Domino recipere in præsenti, prout scriptum in libro Dei erat, idest præordinatum, ut ex hoc populo illi parceretur de tanta offensa.

Quod ergo dicitur, quod

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes;

intelligendum est hoc, non de his, quæ mala sunt secundum se, sed de bonis seu indifferentibus. Unde dicit Psalmista ad hoc designandum: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas*, non mala opera, sed *justificationes*, idest mandata tua, quæ servata faciunt hominem justum.

Peccatores agentes bonum nō merentur gloriam.

Tertio, intentio debet esse immaculata, idest quod ille, qui facit aliquid bonum, & propter Deum, non habeat in se maculam peccati mortalis, quia de operibus hujusmodi, etsi bona intentione factis, retributionem a Deo non haberet in superna gloria. Unde Apostolus dicit 1. Cor. 13. *Si distribuero facultates meas in cibos pauperum, & tradidero corpus meum, ita ut ardeam*, scilicet propter Deum, seu propter fidem servandam martyrio me exponam, *caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, scilicet quoad retributionem æternam. Caritas autem non compatitur secum maculam alicujus mortalis. Qui ergo est in aliquo peccato mortali, ut odio, luxuria, invidia & hujusmodi, quantacumque supplicia sustineat pia intentione, scilicet propter Deum; non tamen inde recipit retributionem gloriæ, sed aliqua alia bona, ut prosperitatem, liberationem a multis periculis, dispositionem seu mollificationem cordis ad pœnitentiam, ad minus supplicium in alia vita; & sic remanet illud bonum irremuneratum. Et ad hoc signandum dicit Psalmista: *In æternum*: peccator non intendit facere *justificationes*, idest mandata, *in æternum*, idest semper; sed pro tunc, quando facit aliqua de genere bonorum, ut jejunia, eleemosynas, orationes, & hujusmodi intentione retributionis & præmii. Sed quando committit peccata, tunc non inclinat cor suum *ad justificationes* Dei, immo ab eis recedit transgrediendo. Quum autem quis est in gratia & caritate, habet intentionem semper servandi præcepta Dei. Unde psal. 44. *Pulchritudine tua intende*, idest ex gratia, quæ est pulchritudo animæ, intentionem tuam dirige.

Triplex est retributio Dei.

Quarto intentio ad hoc, ut sit recta, oportet, quod respiciat tamquam ad ultimum finem ad retributionem Dei. Sed notandum, quod est triplex retributio a Deo, scilicet temporalitatis, pœnalitatis, & æternæ felicitatis.

De primo dicitur Isai. cap. 1. *Omnes sequuntur retributiones*, scilicet temporalium. Et Lucæ 14. dicit Salvator: *Quum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque divites, ne forte & ipsi te reinvitent, & fiat retributio*, scilicet alicujus commodi temporalis; qui igitur inclinat *cor suum*, idest proponit ad faciendum *justificationes* Domini, idest ad servandum mandata & faciendum bona *propter* hanc *retributionem*, ut scilicet prosperetur a Deo in temporalibus, non habet rectam intentionem, unde nec meretur. Sic & Christus dixit quibusdam non recta intentione eum sequentibus: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis, & saturati estis*, Joann. 6. Quidam alii aliqua bona faciunt hac intentione, ut temporalem gloriam inde consequantur, de quorum numero fuerunt Pharisæi, de quibus Christus ait: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*, Matth. 23. Sed *receperunt mercedem suam*, dixit ipse Matth. 6.

De secunda retributione, scilicet pœnalitatis, dicitur Isaiæ cap. 3. *Væ impio in malum: retributio enim manuum suarum*, idest operum, *fiat ei.* Et ad Hebræos cap. 2. *Omnis prævaricatio & inobedientia accipit justam mercedis retributionem*, scilicet pœnæ. Qui ergo servat mandata hac intentione principaliter *propter retributionem*, pœnæ infernalis scilicet evitandam, non habet intentionem debitam, nec meritorie operatur. *Oportet* enim secundum Augustinum, *non solum timere Deum judicem*, & punitorem peccatorum, *sed & justum diligere; non pro pœna timeatur, sed ametur pro gloria*, *De pœnit.* Dist. 7. *Nullus*. Et regula juris dicit. *Qui ex timore facit præceptum, etsi bonum est, quod facit; non tamen benefacit.* Sic etiam qui cavent se a peccatis, vel bona aliqua faciunt, ut non flagellentur a Deo, & non alia intentione principaliter, parum vel nihil grati sunt Deo, sicut Achab rex Israel, qui excommunicatione Eliæ humiliatus est, exterius deferendo cilicium & jejunando ad evadendum pœnam sibi comminatam, 3. Reg. 21.

De tertia retributione dicit Apostolus de veris fidelibus: *A Domino accipietis retributionem*, ad Coll. 3. Et hanc esse magnam in nuit Sapiens dicens Ecclesiastici cap. 12. *Invenies retributionem magnam*. Et hoc simpliciter, quia in hujusmodi retributione continentur omnia bona, juxta illud psal. 18. *In custodiendis illis retributio multa*. Et si aliquis intenderit Deo servire, & mandata ejus custodire propter bona gloriæ, scilicet divitias, honores, pacem, securitatem, sanitatem, sapientiam, gaudium, & alia hujusmodi bona, quæ justis promittuntur in ultima retributione, habendo respectum ad ista principaliter & non ad Deum; adhuc non esset recta intentio, sed amor mercenarius, quo servus operatur propter mercedem principaliter ex labore consequendam. Sed serviendo principaliter Deo, bona faciendo propter ipsum consequendum, in quo & ex quo sunt omnia prædicta bona, *quoniam retribuens est Dominus*, ut dicitur Ecclesiastici 35. iste talis habet amorem filialem & oculum simplicem perfectæ intentionis bene in gratia operando. Et propter hanc intentionem semper meretur & augetur præmium ejus. Sic ergo sit *oculus tuus simplex*, ut dicere valeas cum Psalmista: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes* &c.

CA-

CAPUT VII.

De electione, prout eſt actus voluntatis.

COnſequenter agendum de actibus voluntatis, qui ſunt in comparatione eorum, quæ ſunt ad finem, reſpectu quorum voluntas dicitur liberum arbitrium, eadem potentia realiter cum voluntate, ſed differens ratione. Horum primus dicitur electio. Quod electio ſit actus voluntatis, non rationis, patet per philoſophum in 3. Ethicor. qui dicit, quod electio eſt deſiderium eorum, quæ ſunt in nobis. Deſiderium autem eſt actus voluntatis.

Electio eſt actus voluntatis, non rationis.

Sciendum tamen ſecundum B. Thomam 1. 2. quæſt. 13. art. 1. quod electio importat in nomine ſuo aliquid pertinens ad rationem, & aliquid pertinens ad voluntatem. Dicit enim philoſophus in 6. Ethicor. quod electio eſt appetitus intellectivus, vel appetitus intellectus. Quandocumque autem duo concurrunt ad aliquod unum conſtituendum, unum eorum eſt ut formale reſpectu alterius. Unde Gregorius Nicenus dicit, quod electio neque eſt appetitus ſecundum ſeipſam, neque conſilium ſolum, ſed aliquid ex his compoſitum. Sicut enim dicimus animal ex anima & corpore compoſitum eſſe, neque corpus eſſe ſecundum ſeipſum, neque animam ſolam, ſed utrumque; ita electionem. Eſt autem conſiderandum in actibus animæ, quod actus, qui unius eſt potentiæ eſſentialiter vel habitus, recipit formam & ſpeciem a ſuperiori potentia vel habitu, ſecundum quod ordinatur inferius a ſuperiori. Si enim aliquis actum fortitudinis exercet propter Dei amorem, actus quidem ille materialiter eſt fortitudinis, formaliter autem eſt actus caritatis. Quamvis ergo ratio quodammodo voluntatem præcedat, & ordinet actum ejus, in quantum ſcilicet voluntas tendit in objectum ſuum ſecundum ordinem rationis, eo quod vis apprehenſiva appetitive ſuum objectum repræſentet; tamen in hujus ſubſtantia actus materialiter ſe habet ad ordinem, qui imponitur a ſuperiori potentia. Et ideo electio non eſt actus rationis, ſed voluntatis. Perficitur enim electio in motu quodam animæ ad bonum, quod eligitur. Et quamvis electio importat quamdam collationem, qua unum alteri præfertur: conferre autem ſit rationis; tamen electio non eſt eſſentialiter ipſa collatio, ſed collatio eſt præcedens ad electionem.

Electio non eſt brutorũ, ne puerorum.

Electio non eſt brutorum. Unde Gregorius Nicenus dicit, quod irrationabilia & pueri non eligunt. Ratio hujus eſt, ſecundum B. Thomam ubi ſupra, art. 2. quod quum electio ſit præacceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt quod electio ſit reſpectu plurium, quæ eligi poſſunt. Et ideo in his, quæ ſunt penitus determinata ad unum, electio non habet locum. Eſt autem differentia inter appetitum ſenſitivum & intellectivum ſeu voluntatem, quia appetitus ſenſitivus eſt determinatus ad unum aliquod particulare ſecundum ordinem naturæ, ut ex prædictis patet. Voluntas autem ſecundum ordinem quidem naturæ determinata eſt ad unum commune, quod eſt bonum; ſed indeterminate ſe habet reſpectu particularium bonorum. Et ideo proprie voluntatis eſt eligere, non autem appetitus ſenſitivi, qui ſolum eſt in brutis; & ideo eorum non eſt electio.

Differunt appetere & eligere.

Quamvis autem animalia appetant aliquid propter finem, ut comedere propter vivere; non tamen in eis eſt electio, quia non omnis appetitus alicujus propter finem vocatur electio, ſed oportet, quod ſit cum quadam diſcretione unius ab altero; quod eſſe non poteſt, niſi ubi appetitus poteſt ferri in plura.

Item, quod brutum animal præaccipit unum potius quam alterum, ut ovis unam herbam & non aliam, abſque electione movetur in illud; ſicut etiam ignis abſque electione movetur ſurſum non deorſum. Statim enim quod per ſenſum vel imaginationem repræſentatur bruto aliquid, ad quod naturaliter inclinatur ejus appetitus, abſque electione in illud movetur.

Quod etiam appareant aliquæ mirabiles ſagacitates in quibuſdam animalibus, ut canibus, apibus & hujuſmodi; procedit hoc in quantum habent naturalem inclinationem & inſtinctum ad quoſdam ordinatiſſimos proceſſus, utpote a ſumma arte divina ordinatos. Sicut & ſagitta directe tendit ad ſignum ex motione ſagittantis, ac ſi haberet rationem dirigentem; & propter hoc dicuntur illa animalia ſagacia & prudentia, & non quia in eis ſit ratio vel electio.

Electio & concluſio in ſyllogiſmo ad invicem comparantur.

S. 1. Electio eſt eorum, quæ ſunt ad finem, ſicut voluntas eſt finis, ut dicit philoſophus in 3. Ethic. humanorum actuum, & poſſibilium. Pro hujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 13. art. 3. quod electio conſequitur ſententiam ſeu judicium, quod eſt ſicut concluſio ſyllogiſmi operativi. Unde illud cadit ſub electione, quod ſe habet ut concluſio in ſyllogiſmo operabilium: finis autem in operabilibus ſe habet ut principium, & non ut concluſio, ut dicit philoſophus in 2. Phyſic. unde finis in quantum hujuſmodi non cadit ſub electione; ſed contingit quod id, quod eſt in una operatione ut finis, in alia operatione ordinatur ad aliquid ut ad finem. Et hoc modo ſub electione cadit finis, ſicut in operatione medici ſanitas ſe habet ut finis. Unde hoc non cadit ſub electione medici, ſed hoc præſupponit tamquam principium. Sed ſanitas corporis ordinatur ad bonum commune animæ. Unde apud eum, qui habet curam de ſalute animæ, poteſt ſub electione cadere eſſe ſanum vel eſſe infirmum. Nam & Apoſtolus dicit: *Quum infirmor, tunc fortior ſum & potens*, 2. ad Corinth. 12. Sed ultimus finis nullo modo ſub electione cadit; ſicut etiam id, quod eſt principium in una ſcientia vel demonſtratione, poteſt eſſe concluſio in altera ſcientia vel demonſtratione. Sed primum principium indemonſtrabile in nulla poteſt ſcientia eſſe concluſio.

Reſpectu humanorum actuum ſolum eſt electio.

Eſt etiam electio ſolum reſpectu humanorum actuum, quia, ut dicit philoſophus in 3. Ethic. nullus eligit, niſi quod æſtimat fieri per ipſum. Quod ſic declarat B. Thomas ubi ſupra art. 4. Sicut intentio eſt finis, ita electio eorum, quæ ſunt ad finem. Finis autem vel eſt actio vel res aliqua: & quum res aliqua fuerit finis, neceſſe eſt, quod aliqua humana actio interveniat, vel in quantum homo facit rem illam, quæ eſt finis, ſicut medicus facit ſanitatem, quæ eſt finis illius; unde facere ſanitatem dicitur finis medici: vel in quantum homo aliqua utitur vel fruitur re, quæ eſt finis, ſicut avaro finis eſt pecunia vel poſſeſſio pecuniæ. Et eodem modo dicendum eſt de eo, quod eſt ad finem, quia neceſſe eſt, quod illud, quod eſt ad finem, vel ſit actio vel res aliqua, interveniente aliqua actione, per quam facit illud, quod eſt ad finem, vel utitur eo. Et ſic electio eſt ſemper humanorum actuum.

Electio ſolum eſt poſſibilium.

Eſt etiam electio poſſibilium tantum. Unde philoſophus dicit 3. Ethicorum: Electio non eſt impoſſibilium. Hujus ratio eſt ſecundum B. Thomam ubi ſupra art. 5. quia, ut dictum eſt, electiones noſtræ referuntur ſemper ad actiones noſtras. Ea autem, quæ per nos aguntur, ſunt nobis poſſibilia. Unde de neceſſitate eſt dicere, quod

quod electio non sit nisi possibilium. Similiter ratio eligendi aliquid est, ut ex hoc, quod ducit ad finem, possimus consequi finem. Per id autem, quod est impossibile, non potest quis consequi finem. Cujus signum est, quod quum in consiliando pervenerint homines ad id, quod est impossibile, discedunt quasi non valentes ulterius procedere. Voluntas igitur completa non est nisi de possibili. Sed voluntas incompleta, quæ dicitur a quibusdam velleitas, potest esse de impossibili, quia scilicet vellet illud, si esset possibile. Et quia electio nominat actum voluntatis jam determinatum ad id, quod est huic agendum; ideo non potest esse de impossibili. Et quod Benedictus dicit in regula, quod si prælatus aliquid præcepit impossibile, a subdito est tentandum. Hoc ideo dicit, quia an aliquid sit possibile, vel non, subditus non debet suo judicio diffinire, sed in unoquoque judicio superioris stare. Electio autem non est ex necessitate in homine, quia quod possibile est non esse, non necesse est esse. Hujus ratio ex duplici hominis potestate accipi potest secundum B. Thomam ubi supra art. 6. Potest enim homo velle & non velle, potest agere & non agere, potest agere hoc vel illud, & velle hoc vel illud. Cujus ratio ex ipsa virtute rationis accipitur. Quidquid enim ratio potest apprehendere ut bonum, in hoc voluntas tendere potest. Potest autem ratio apprehendere ut bonum, non solum hoc, quod est velle aut agere, sed etiam hoc, quod est non velle, aut non agere. Et rursus in omnibus particularibus bonis potest considerare rationem boni alicujus, & defectum alicujus boni, quod habet rationem mali. Et secundum hoc potest unumquodque horum bonorum apprehendere ut eligibile aut fugibile. Solum autem perfectum bonum, quod est beatitudo, non potest ratio apprehendere sub ratione mali, aut alicujus defectus; & ideo ex necessitate homo beatitudinem vult, & non potest velle non esse beatus, aut esse miser. Electio autem quum non sit de fine, sed de his, quæ sunt ad finem, ut dictum est, non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliquorum particularium bonorum. Et ideo homo non ex necessitate, sed libere eligit.

Non est ex necessitate.

§. II. Circa materiam electionis potest induci illud psal. 64. *Beatus, quem elegisti & assumsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Signanter autem dicit in singulari: *Beatus, quem elegisti* &c. Nam, ut dicit Salvator Matth. 20. & iterum 22. *pauci sunt electi.* Nec est contra hanc sententiam illud, quod Joannes dicit de electis, Apoc. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum.* Nam electi etsi in se præ multitudine a nobis quasi innumerabiles sint, respectu tamen reproborum pauci sunt: e. g. sextarius vel saccus arenæ in se quasi innumerabilis est; respectu tamen totius arenæ maris quid paucum est. Sic & electi respectu pravorum pauci sunt, & isti demum beati, juxta illud, quod dictum est per psal. 64. *Beatus, quem elegisti & assumsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Ubi possunt notari tres electiones secundum Deum.

Electi licet sint quasi innumerabiles, tamen sunt pauci respectu damnatorum.

Prima est æternalis ad supernam felicitatem, ibi: *Beatus, quem elegisti.*

Secunda est rationalis ad humanam dignitatem, ibi: *Et assumsisti.*

Tertia electio est virtualis per nostram voluntatem, ibi: *Inhabitabit in atriis tuis.*

§. III. Prima igitur electio est Dei ab æterno, qua videlicet elegit ex toto humano genere beatificandos in gloria, de qua Apostolus ad Ephes. 1. inquit: *Benedixit nos Deus in benedictione spirituali*, id est plena benedictione, *in cælestibus*, id est in gloria, *in Christo*, id est per merita Christi, *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Qui autem & quot sunt isti electi, solus ille novit, qui elegit. Unde & in Ecclesiæ oratione dicitur: *Soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus*; nos autem etsi per certitudinem scire non possumus, per aliqua tamen signa data ab ipso in Scriptura conjecturare valemus. Et ut hæc signa in nobis experiamur, hortatur Petrus Apostolus in 2. canonica cap. 1. dicens: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Hæc autem signa sunt tria, quæ notat Sapiens, Ecclesiastici 45. dicens: *Elegit eum Dominus ex omni carne, & dedit illi* * *cor ad præcepta, & legem vitæ & disciplinæ.* Ubi tria notantur signa hujus electionis.

* In vulgata *coram præcepta.*

Electio Dei ad gloriam.

Tria signa electionis.

Primum est abdicatio malarum delectationum, ibi: *Elegit eum Dominus.*

Secundum est observatio divinorum præceptorum, ibi: *Dedit illi cor ad præcepta.*

Tertio est frequentatio sacrorum eloquiorum, ibi: *Legem vitæ & disciplinæ.*

Primum signum divinæ electionis.

Quantum ad primum, quamvis proprie loquatur Sapiens de Moyse; tamen & intelligi potest de quolibet alio electo. Unde & hoc canit Ecclesia de B. Thoma de Aquino, & de quibusdam aliis: & vult dicere, quod quem Deus eligit, extrahit ab omni carne, id est delectatione carnali. *Delebo*, inquit Dominus ad Noe in figuram, *omnem carnem*, Gen. 7. Est enim multiplex caro, scilicet leonum, ursorum, porcorum, canum, hominum, & hujusmodi. Et caro quidem leonis est delectatio, quam sibi quærunt superbi in honoribus suis. Caro ursorum est complacentia, quam sibi quærunt gulosi in crapulis suis & ebrietatibus. Caro porcorum est voluptas lascivorum, quam quærunt in immunditiis suis. Caro hominum est delectatio sensualis, quam habent aliqui ad suos propinquos & amicos; & sic de aliis. Debet igitur Dominus aquis diluvii infernalis delere omnem carnem in omnes in carnalibus & vitiis se delectantes. Et hoc est, quod ait Apostolus: *Caro & sanguis regnum Dei non consequentur*, 1. Corinth. 15. id est delectationes pravas sequentes. Impossibile enim est (ut ait Hieronymus) ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, & de deliciis transeat ad delicias. Unde & Salvator ad discipulos electos ad supernam felicitatem ait Joan. 15. *Ego elegi vos de mundo*, id est de vitiis & delectationibus mundi. Et ad Ephesios 1. Apostolus ait: *Elegit nos*, scilicet Deus .... *ut simus sancti & puri.* Sic fuit electus B. Thomas a Deo extractus de aquis mundanæ vanitatis & delectationis velut alter Moyses: de quo dicitur ad Hebr. 11. quod elegit *magis affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.* Patet autem hoc permaxime in B. Thoma ex gestis circa puellam ad eum introductam &c.

Secundum.

Quantum ad secundum certum est, quod electus Dei voluntatem habet efficacem ad observandum divina mandata, quæ sunt de actibus virtutum. Unde psal. 118. ait: *Mandata tua elegi*, scilicet ad observandum. Ad quod tamen necessaria est divina gratia, quæ & velle facit, & observare ipsa Dei mandata. Unde dicitur in dicta auctoritate, *dedit illi*, scilicet Deus, *cor*, id est voluntatem, *ad præcepta*, scilicet observanda. Ad efficacem autem voluntatem semper sequitur operatio, si adsit possibilitas. Sicut autem illi, qui verentur & multum diligunt aliquem superiorem seu prælatum, non solum præcepta facta ab eo sub gravi pœna, sed etiam simplicia monita habent

bent ea, ut debita obſervari; ſic & electi Dei non ſolum præcepta legis ejus, ſed etiam ſimplicia documenta & conſilia conantur ſervare, ſi poſſunt. Et ita bona inchoant, ut ad perfectiora ſe extendant. Unde Gregorius ſuper Ezechielem: *Electi quique ſic ad bona tendunt, ut ad mala perpetranda non redeant*: qui enim perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. *Et ſicut per Salomonem dicitur*, Prov. 4. Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens &c. *In eorum namque animis bonum deſiderium, atque intellectus lucis intimæ jam pars diei eſt: ſed quia uſque ad finem vitæ in virtute proficiunt* &c. *De pœnit.* Diſt. 2. *Non revertebantur*. Sicut Moyſes ſervavit mandata, ſic B. Thomas a pueritia ſua divina cœpit ſervare mandata, numquam eorum aliquod tranſgrediendo, quia numquam commiſit mortale peccatum, & amplectens divina etiam conſilia per ingreſſum religionis ſemper profecit, ut patet in legenda.

Quantum ad tertium nota, quod quem Deus eligit; infundit ſibi magnum affectum circa divina eloquia. Unde & ipſe, qui Sapientia æterna eſt, dicit: *Magis quam aurum & argentum ſapientiam eligite*, Proverb. 8. Sapientia præcipue dicitur Scriptura ſacra ſecundum B. Thomam in 1. parte quæſt. 1. quæ plenius & verius docet de divinis, quam quæcumque aliæ doctrinæ. Dicit ergo Sapiens, quod *dedit illi legem vitæ & diſciplinæ*, ſcilicet ad intelligendum & docendum. Et dicitur *lex vitæ*, quia vitam confert animæ obſervantis. Non ſolum enim illuminant intellectum divina eloquia, ſed etiam accendunt affectum. *Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis? dicit Dominus* per Hieremiam 23. quaſi diceret: utique, quia incendunt ad dilectionem animæ; unde dicitur Sap. 7. *Infinitus theſaurus eſt hominibus ſapientia, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei*. Sicut autem Moyſes fuit *eruditus in omni ſcientia Ægyptiorum & Chaldæorum*, Act. 7. & maxime in divina ſapientia; ſic B. Thomas eruditus fuit in ſcientia, tam ſæculari quam divina, & permaxime in theologia, quam & magno ſtudio & orationis ſuffragio acquiſivit, ut patet in legenda.

Electio ad dignitates humanas, quæ ex Deo eſt.

§. IV. Secundum genus electionis ſecundum Deum exiſtens eſt ad humanam dignitatem, quando eſt rationabiliter factum; quæ notari poteſt in eo, quod dicit Pſalmiſta: *Et aſſumſiſti*. Aſſumi dicitur communi locutione, qui ad altius aliquid ſumitur communi ſtatu. Unde Apoſtolus ad Hebr. 5. *Omnis pontifex ex hominibus aſſumtus*, ſcilicet eſt. Et quum Paullum & Barnabam Dominus elegit ad prædicandum gentibus, quod eſt officium præſidentium, dixit: *Segregate mihi Paullum & Barnabam in opus, ad quod aſſumſi eos*, Act. 13. Et homines quidem errare poſſunt in eligendo ſeu aſſumendo indignum; ſed Deus errare non poteſt; & ideo *beatus quem elegiſti & aſſumſiſti*. Et non ſolum beatus eſt, qui aſſumitur a Deo in prælationem, rationabiliter exercens eam, ſed & beatiſſimus ſuper alios. Unde Auguſtinus: *Nihil difficilius, & laborioſius, & periculoſius eſt epiſcopi vel presbyteri vel diaconi dignitate. Sed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo imperator noſter juſſit*, Diſt. 40. *Ante omnia*.

Ad hoc autem, ut iſta electio ſit rationalis, tria requiruntur. Primum eſt, quod fiat ſine præcedenti ambitione. Secundum, quod fiat congruenti aſſumti diſpoſitione. Tertium, quod fiat concurrenti regulari conſenſione.

Ad electionem rationabilē tria requiruntur.

Quantum ad primum dicitur beatus electus, non qui ſe ingerit ad dignitatem, ſed qui aſſumitur a Deo & hominibus. Ut enim dicit Leo Papa: *Principatus, quem metus extorſit, aut ambitus occupavit, etiamſi moribus aut actibus ſuis non offendat; ipſius tamen initii ſui eſt pernicioſus exemplo*, 1. quæſt. 1. *Principatus*. Et Chryſoſtomus: Qui deſideraverit principatum in terra, inveniet confuſionem in cælo. Sicut Dominus elegit ſervum ſuum David in regem, qui non quærebat, neque cogitabat de regimine, ſed oves cuſtodiebat in deſerto; non autem elegit aliquem alium ex ſeptem fratribus ejus, de quibus ſecundum apparentiam videbatur Samueli. Hiſtoriam vide 1. Reg. 16.

Secundum, quod requiritur, eſt congrua diſpoſitio eligendi ſeu aſſumendi, in ætate videlicet convenienti ſecundum canones, ſcientia competenti, & vita decenti, ut extra *De elect.* cap. *Quum in cunctis*. Sic Dominus Jeſus elegit primos rectores & paſtores non pueros, quos ſapientia ſua doctiſſimos fecit, & ſanctitate perfectiſſimos, dicens eis: *Ego vos elegi, ut eatis, & fructum afferatis*, ſcilicet converſionis animarum. Hinc & Symmachus papa: *Viliſſimus computandus eſt, ſi ſanctitate & ſcientia non præcellat, qui eſt honore præſtantior*, 1. quæſt. 1. *Viliſſimus*.

Quantum ad tertium, ut ſcilicet rationabiliter fiat electio ad dignitatem, requiritur conſenſus eligentium omnium vel majoris partis, qui remota omni affectione perſonæ & munere pecuniæ & prece eligere debent, quem credunt magis proficere. Unde Moyſes principatum ſuum non dimiſit filiis ſive conſanguineis, ſed extraneis de alia tribu, ſcilicet Jeſu Nave. Sed nunc, ut ait Hieronymus, plurimi *quærunt columnas in Eccleſia eligere, non quos plus cognoſcunt Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui ut clerici fierent, muneribus impetraverunt*, 8. quæſt. 1. *Moyſes*. Et ideo in hujuſmodi electionibus præmitti debet oratio, ut fecerunt Apoſtoli in electione Matthiæ dicentes: *Tu, Domine, qui corda omnium noſti, oſtende, quem de his duobus elegeris*, Act. 1. ſic B. Thomas ad dignitatem magiſterii aſſumtus fuit, non hoc quærens; ſed coactus obedientia, ut patet ex legenda.

Abuſu Eccleſiaſticorum.

Electio voluntaria virtuoſa.

§. V. Tertia electio eſt ducens ad beatitudinem, quæ ſit virtualiter per noſtram voluntatem, quod notatur ibi: *Inhabitabit in atriis tuis*. Non dicit *ponetur* vel *ligabitur*, ſed *inhabitabit*, ideſt voluntarie ſtabit *in atriis tuis*. Atria erant porticus, ſeu clauſtra circa templum, per quæ accedebatur ad ipſum, & ſignificant habitacula, ſeu conditiones virtutum, per quas patet acceſſus ad templum militantis & triumphantis Eccleſiæ. Nullus autem cogitur ad virtutes, ſed electione propriæ voluntatis in eas ingreditur, & inhabitat quis; unde Ambroſius: *Voluntarium ſibi militem eligit Chriſtus, voluntarium ſibi ſervum diabolus auctionatur*, 15. quæſt. 1. *Non eſt*.

Sunt autem præcipua tria Domini atria, in quibus voluntas electorum eligit inhabitare. Primum eſt ſui humiliatio. Secundum eſt Dei contemplatio. Tertium eſt adverſi toleratio. De primo dicit pſal. 83. in perſona cujuslibet electi: *Elegi abjectus eſſe in domo Dei*, ideſt deſpectus & contemtus. Unde & quaſi ſe declarans, dixit Michol uxori ſuæ: *Vilior fiam, plus quam factus ſum, & humilis ero*, 2. Reg. 6. Ut enim dicit Gregorius: Evidentiſſimum ſignum electorum eſt humilitas, ſicut reproborum ſuperbia. De humilitate B. Thomæ habes, quando aſſociavit illum procuratorem extra pro negotiis conventus, & in occultatione ſuæ ſcientiæ, ut patet in legenda.

Secundum atrium, in quo eligit voluntas ſancti inha-

inhabitare, eſt contemplatio. Hic enim reperit magnam quietem & guſtum ſuavem Dei. Unde Salvator de hac loquens ait: *Maria*, ſcilicet Magdalena, *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Luc. 10. Hic enim incipit vita contemplativa, nec deficit in alia vita, ut activa, ſed perficitur. Ad hanc tamen non eſt idoneus niſi bene purgatus a paſſionibus. Unde in figuram, Exod. 19. beſtia, quæ tetigerit montem, ſcilicet contemplationis, lapidatur lapidibus, ſcilicet errorum & phantaſiarum irrationabilium. Beſtia ſignat hominem paſſionatum & rudem. Permaxime hoc atrium inhabitavit B. Thomas qui frequenter rapiebatur in extaſi; ut patet, quando crucifixus ei locutus eſt Neapoli, & alibi.

Tertium atrium eſt toleratio adverſorum: eligunt enim ſancti propoſito voluntatis ſuſtinere omnia adverſa patienter. Unde de ſanctis illis Machabæis dicitur, quod *elegerunt magis mori, quam cibis inquinari immundis, & noluerunt infringere legem Dei*, 1. Machab. 1. ut ſcilicet evaderent mortem ſuſtinentes fortiter cruciatus. Sed & Deus, ut dicit Gregorius, *ab electis ſuis temporali afflictione maculas peccatorum curat tergere, quas in eis in æternum non vult videre*, *De pœnit.* Diſt. 1. *Si peccatum*. Hoc igitur conſiderantes electi eligunt ſponte, & aliquando deſiderant pati adverſa; ſic & B. Thomas patienter portavit moleſtias &c. *Sed etſi quid patimini propter juſtitiam, beati*, 1. Pet. 3. & Matth. 5. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Beatus* ergo, *quem elegiſti* &c.

CAPUT VIII.

De conſilio.

Quid eſt conſilium.

DE conſilio, quod præcedit electionem, quid ſit, de quo dicitur Eccleſ. 32. cap. *Omnia fac cum conſilio*, ſcilicet rationis. Ubi ſciendum, quod conſilium eſt quædam mentis inquiſitio.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 14. art. 1. quod electio (ut dictum eſt) conſequitur judicium rationis de rebus agendis. In rebus autem agendis multa incertitudo invenitur, quia actiones ſunt circa contingentia ſingularia, quæ propter ſui variabilitatem incerta ſunt. In rebus autem dubiis & incertis ratio non profert judicium ſeu ſententiam abſque præcedenti inquiſitione; & ideo neceſſaria eſt inquiſitio rationis ante judicium de eligendis, & hujuſmodi inquiſitio conſilium vocatur. Propter quod philoſophus dicit in 3. Ethic. quod electio eſt appetitus præconſiliati.

Ad quam potentiam conſilium pertinet.

Pertinet autem conſilium non ſolum ad rationem, ſed etiam ad voluntatem; ſicut & electio etiam. Nam in actu voluntatis, qui eſt electio, apparet aliquid rationis, ſcilicet ordo; & in conſilio, quod eſt actus rationis, apparet aliquid voluntatis, ſicut materia, quia conſilium eſt de his, quæ homo vult facere, & eſt ſicut motivum, quia ex hoc, quod homo vult finem, movetur ad conſiliandum de his, quæ ſunt ad finem; & ideo philoſophus dicit in 6. Ethic. quod electio eſt intellectus appetitivus, ut ad electionem utrumque concurrere oſtendat. Ita Damaſcenus dicit, quod conſilium eſt appetitus inquiſitivus, ut conſilium aliquo modo pertinere oſtendat & ad voluntatem, circa quam & ex qua fit inquiſitio, & ad rationem inquirentem. Quum autem dicit Apoſtolus ad Epheſ. 1. de Deo, quod *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, ſciendum ſecundum Thomam ubi ſupra, quod quum in nobis ex inquiſitione, quæ dicitur conſilium, proveniat certitudo judicii ſeu ſententiæ, conſilium in quantum attribuitur Deo, importat ſolum certitudinem ſententiæ, vel judicii; non autem inquiſitionem, quæ fit per diſcurſum. Et ſecundum hoc dicit Damaſcenus, quod Deus non conſiliatur. Ignorantis enim eſt conſiliari; quod in nobis eſt non in Deo, quamvis autem virginitas & hujuſmodi ſint bona certa non dubia. Certa quidem ſunt ſecundum ſententiam ſapientum & ſpiritualium virorum, ſed incerta ſunt ſecundum ſenſum carnalium hominum & plurium; & ideo non incongrue de his dantur conſilia, juxta illud 1. Corinth. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*.

§. I. Conſilium de quibus rebus ſit. Ubi nota, quod ſecundum B. Thomam ubi ſupra art. 2. conſilium eſt tantum de his, quæ ſunt ad finem ut dicit Gregorius Nicenus. Cujus ratio eſt, quia finis in operabilibus habet rationem principii, eo quod rationes eorum, quæ ſunt ad finem, ex fine ſumuntur. Principium autem non cadit ſub quæſtione ſeu inquiſitione; ſed principia oportet præſupponere in omni inquiſitione. Unde quum conſilium ſit quæſtio ſeu inquiſitio de fine, non eſt conſilium, ſed ſolum de his, quæ ſunt ad finem. Contingit tamen, quod id, quod eſt finis, reſpectu quarumdam operationum ordinari ad alium finem.

Conſilium eſt de his, quæ a nobis aguntur.

Eſt etiam conſilium de his, quæ fiunt in nobis, & quæ per nos fieri poſſunt ut dicit Gregorius Nicenus. Nam ſi de factis aliorum conſilium quærimus, hoc eſt, in quantum reputantur unum nobiſcum, vel per unionem affectus, ſicut in factis amicorum conſiliamur, vel per modum inſtrumenti. Nam agens inſtrumentale & principale ſunt quaſi una cauſſa, quum unum agat per alterum; & ſic dominus conſiliatur de his, quæ ſunt agenda per ſervum ſecundum B. Thomam ubi ſupra.

Pro majori declaratione ſciendum, quod conſilium proprie importat collationem inter plures habitam; non tamen quorumcumque, quia non univerſalium & neceſſariorum, ſed de rebus agendis; quod etiam ipſum nomen deſignat. Dicitur enim conſilium quaſi *conſidium*, eo quod multi conſident ad ſimul conferendum. Eſt autem conſiderandum, quod in particularibus contingentibus ad hoc, quod aliquid certum cognoſcatur, plures conditiones ſeu circumſtantias conſiderare oportet, quas ab uno non eſt facile conſiderari, ſed a pluribus certius reperiuntur; unde quod unus conſiderat, alii non occurrit. In neceſſariis & univerſalibus non ſic, ſed per ſe unus ſufficere poteſt. Appetitur autem cognitio veritatis in hujuſmodi, non quod per ſe habeat aliquid magnum, ut cognitio univerſalium & neceſſariorum; ſed appetitur ſecundum quod eſt utilis ad operationes, quia actiones ſunt circa contingentia; & ideo proprie conſilium eſt de his, quæ aguntur a nobis. Fit etiam conſultatio de futuris eventibus, qui non ſunt in noſtra poteſtate. Sed hoc eſt in quantum per futuros eventus cognitos homo dirigitur ad aliquid faciendum vel vitandum; & ſic conſilium eſt non ſolum de his, quæ aguntur, ſed etiam de his, quæ ordinantur ad operationes

Unde dicitur conſilium.

De duobus non conſiliamur,

De his autem duobus, quamvis agantur a nobis, non dicitur eſſe conſilium, quamvis ordinentur ad finem, ut dicit philoſophus, ſcilicet de rebus parvis, quæ parum juvant vel impediunt; quod autem parum eſt, quaſi nihil accipit ratio. Secundum eſt, de quo non conſiliamur, ea, quæ determinata ſunt, qualiter fieri debeant; ſicut eſt in operibus artium, quæ habent certas vias operandi: ſicut ſcriptor non conſiliatur quomodo litteras

teras trahere debeat. In operibus ergo artium non eſt conſilium præterquam in operibus artium, quæ ſunt conjecturales, ut dicit Gregorius Nicenus, ut puta negotiativa & medicinalis. Quamvis autem electio ſit de omnibus his, quæ aguntur per nos, & electio præſupponat conſilium; hoc non eſt niſi ratione judicii & ſententiæ, quod præſupponatur conſilium in electione. Unde quando judicium vel ſententia manifeſta eſt abſque inquiſitione, non requiritur conſilii inquiſitio. In rebus enim manifeſtis ratio non inquirit, ſed ſtatim judicat.

§. II. In conſilio quomodo procedatur. Ubi ſciendum, quod ut dicit philoſophus in 3. Ethic. ille, qui conſiliatur, videtur quærere & reſolvere; & ſic proceditur modo reſolutorio: quod ſic declarat B. Thomas ubi ſupra art. 5. In omni inquiſitione oportet incipere ab aliquo principio; quod quidem ſi ſicut eſt primum in cognitione, ita etiam ſit prius in eſſe, non eſt proceſſus reſolutorius, ſed magis compoſitivus. Procedere enim a cauſſis in effectus eſt proceſſus compoſitivus. Nam cauſſæ ſunt ſimpliciores effectibus. Si autem id, quod eſt primum in cognitione, ſit poſterius in eſſe, eſt proceſſus reſolutorius, utpote quum de effectibus manifeſtis judicamus reſolvendo in cauſſas ſimplices. Principium autem in inquiſitione conſilii eſt finis, qui quidem eſt prior in intentione, poſterior tamen in eſſe. Et ſecundum hoc oportet, quod inquiſitio conſilii ſit reſolutoria, incipiendo ſcilicet ab eo, quod in futuro intenditur, quouſque perveniatur ad id, quod ſtatim agendum eſt. Et quamvis conſilium ſit de his, quæ aguntur a nobis, & operationes noſtræ non procedant modo reſolutorio, ſed magis compoſitivo, ſcilicet de ſimplicibus ad compoſita; tamen ratio operationum accipitur ex fine. Et hinc eſt, quod ordo ratiocinandi de operationibus, eſt contrarius ordini operandi. In ipſa autem inquiſitione conſilii non eſt proceſſus infinitum; ſed ipſa inquiſitio conſilii eſt actu finita ex duplici parte, ſcilicet ex parte principii, & ex parte termini. Accipitur autem in inquiſitione conſilii duplex principium. Unum proprium ex ipſo genere operabilium; & hoc eſt finis, de quo non eſt conſilium, ut dictum eſt, ſed ſupponitur in conſilio, ut principium. Aliud quaſi ex alio genere aſſumtum. Hujuſmodi autem principia, quæ in inquiſitione conſilii ſupponuntur, ſunt quæcumque per ſenſum accepta ſunt, utpote quod hoc ſit panis vel ferrum: & quæcumque ſunt per aliquam ſcientiam ſpeculativam vel practicam in univerſali cognita. Sicut quod mœchari eſt prohibitum a Deo, & quod homo non poteſt vivere, niſi nutriatur convenienti nutrimento, & de his non inquirit conſiliator. Terminus autem inquiſitionis eſt id, quod ſtatim eſt in poteſtate noſtra, ut faciamus. Sicut enim finis habet rationem principii; ita id, quod agitur propter finem, habet rationem concluſionis. Unde id, quod primo agendum occurrit, habet rationem ultimæ concluſionis, ad quam inquiſitio terminatur; nihil autem prohibet conſilium potentia infinitum eſſe, ſecundum quod in infinitum poſſunt aliqua occurrere conſilio inquirenda. Et licet in ſingularibus contingentibus non poſſit aliquid certum accipi ſimpliciter; tamen ut nunc prout aſſumitur in operatione, poteſt accipi ut certum. De conſilio loquens pſal. 88. ait: *Deus glorificatus eſt in conſilio ſanctorum*. Sancti ex conſiliis, quæ ſibi aſſumunt & aliis tribuunt, oſtendunt magnam ſapientiam & prudentiam, quum ex eis multis obvenient malis, & magna bona procurent, & quum hanc ſapientiam & prudentiam ex ſe non habeant, ſed a Deo, inde glorificatur Deus ab hominibus, magnificatur & exaltatur ex ipſo *conſilio ſanctorum*; quod patet per exempla. Nam ſanctus Joſeph, prænuntiata fertilitate ſeptem annorum fructuum terræ, & exinde maxima ſterilitate ſeptem aliorum annorum ſecundum ſomnium Pharaonis, conſilium dedit ipſi regi Pharaoni, ut in annis fertilitatis reponeret maximam quantitatem frumenti ad providendum ſterilitati, ſeu penuriæ venturæ, ut habetur Geneſ. 41. Quo facto mirabiliter glorificatus eſt Deus ex conſilio & providentia ſancti illius. Sic ſanctus Daniel priuſquam declaravit regi Nabuchodonoſor terribilem ſententiam ei imminentem ſecundum ſomnium ejus, dixit: *Placeat tibi, o rex, conſilium meum, & peccata tua eleemoſynis redime*, Dan. 4. quibus peractis dilata eſt ſententia per annum, quam poſtea incurrit per ſuperbiam. Sed ex conſilio & oratione Danielis infra tempus ſtatutum ſuæ mutationis in animal brutum ſecundum apparentiam, reducebatur aliquando ad ſenſum proprium, & deflens peccatum ſuum revertens ad ſtatum priſtinum repoſitus eſt in regno ſuo, & inde glorificatus eſt Deus ex conſilio & adjutorio Danielis; ſic & ſanctus Nathan propheta, 3. Reg. 1. conſulens Berſabee, ut poſtularet a David regnum pro filio ſuo Salomone, ne Adonias ipſum regnum uſurparet, cum conſilio complicum ſuorum, ſervato conſilio, a David regnum filio obtinuit, deſtructo conſilio & conjuratione Adoniæ cum ſuis; & ſic glorificatus eſt Deus. Significat autem Berſabee Eccleſiam uxorem David, ideſt Chriſti, quæ edocta a Spiritu ſancto & conſilio ejus directa, poſtulat a Chriſto regnum æternum pro vero filio ſuo quolibet, ſcilicet juſto, timens, ne ei auferatur ab Adonia, ideſt a diabolo cum ſatellitibus ſuis, quo obtento, *glorificatur Deus in conſilio ſanctorum*, deſtruens per eos conſilio malignorum, ſicut deſtruxit per Chuſi amicum David conſilium Achitophel, quod erat contra bonum populi, qui Achitophel erat tantæ reputationis in conſiliis, quod omnes homines ad eum recurrerent ſicut ad Deum, 2. Regum 16. Et hoc in figuram ad ſignificandum, quod conſilia principum, tyrannorum, philoſophorum, & dæmonum, ex quibus intendebant populum Dei ſubvertere, viſitavit Deus per amicos ſuos, ſcilicet Apoſtolos, martyres & doctores, juxta illud Jobi 12. *Adducit*, ſcilicet Deus, *conſiliarios in ſtultum finem*. Sic & Phariſæorum, qui *abiere, & conſilium fecerunt* cum Sadducæis, *ut caperent eum in ſermone*, ſcilicet Jeſum, confuſi ſunt, & Deus glorificatus eſt, Matth. 22.

Exempla conſiliorum ſanctorum.

In inquiſitione conſilii non eſt proceſſus in infinitum.

Cõſiliorum ſanctorum utilitas.

Eſt autem ſciendum quod triplex eſt genus conſilii.

Primum eſt conſilium internale, quod quis ſibi ipſi infert.

Secundum eſt conſilium particulare, quod quis alteri affert.

Tertium eſt conſilium generale, quod quis communitati confert.

§. III. Conſilium primum, ſcilicet internale, eſt, quod quis facit in ſemetipſo, quum videlicet aliquid occurrit agendum dubium, inveſtigat ratio ſi illud eſt bonum vel malum, etſi bonum, quibus mediis utendum ſit, adducendo diverſa exempla in ſe, quibus poſſit illud judicari bonum vel malum. Et de hoc dicitur: *Sine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis*, Eccleſ. 32. Quod intelligit venerabilis Caſſianus de conſilio interiori, & Salomon Prov. 13. ait: *Aſtutus*, ideſt prudens, *omnia facit cum conſilio*, & intelligitur *omnia*, ſcilicet quæ ſunt dubia, ubi conſilium exigitur. Nam de certis & neceſſariis ſimpliciter, vel ex ſuppoſitione alicujus finis, non oportet conſiliari; quia ratio abſque inquiſitione,

Conſilium internale eſt, quod quis facit in ſe ipſo.

De quibus conſilia habenda, de quibus non.

quæ pertinet ad consilium, subito judicat illud agendum. Non enim oportet eum, qui vult vivere, consiliari, si debet comedere, quia hoc necessarium est & certum. Et similiter qui vult salvari, non oportet consiliari de observandis præceptis; quia hoc certum & necessarium est juxta illud Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Nec oportet uti velocitate seu præcipitatione, sed magis maturitate. Unde Calixtus Papa: *Non præcipitemus*, inquit, *consilia & opera nostra. Nos enim tempore egemus, ut maturius quid agamus*, Dist. 50. *Ponderet*, & Aristoteles in lib. Ethic. Oportet quidem tarde consiliari, velociter autem exsequi consiliata. Non solum autem consilio mentis investigandum est, si opus agendum sit bonum vel malum, sed etiam quod est bonum vel melius, ut melius eligatur, cessante impedimento: v. g. quum inquirit quis in seipso, utrum debeat matrimonium contrahere, vel solutus manere, consideret bona vel mala, gravamina vel levamina, quæ inde sibi contingere possunt. Nam uxorem ducendo, si ipsa erit vana vel iracunda, male sibi habebit & parum quietis: ut enim dicitur Ecclesiastici 25. *Non est ira super iram mulieris, & non est malitia super malitiam ejus*. Oportebit etiam te sollicitari, quomodo ei placeas. Sed & de expensis ornamentorum ejus & gubernatione familiæ providere tibi necessarium erit, & parum temporis valebis Deo vacare. Quod si solutus remanens tui soli curæ incumbis, contentiones & querelas mulierum vitabis, suspicionibus multis carebis, & quod Deo est placitum, poteris facere, & meritum augere. Primum igitur, scilicet matrimonium, etsi bonum sit; secundum tamen, scilicet continentia virginalis melius; unde Apostolus 1. ad Cor. 7. *Si nupserit virgo, non peccavit*: & postea: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*. Verum quia *non omnes capiunt verbum*, si quis videtur continere non posse, melius sibi est matrimonium contrahere. Unde Apostolus in dicto capitulo: *Melius est nubere, quam uri*, ideſt diversis vitiis carnalibus incendi.

Consilium est mature agendum.

Secundum consilium est particulare, quod alter exhibet alteri. Quum enim quis non est sufficiens sibi ad consilium capiendum circa agenda, ab alio consilium accipere debet. Quinimmo circa propriam vitam, & obscura pertinentia ad conscientiam, sibi credere non debet, sed consiliari cum peritis & bonis, vel ex libris doctorum. Unde Tobiæ 4. dicitur: *Consilium a sapiente semper inquire*. Dicitur autem quis sapiens dupliciter: uno modo secundum quid: alio modo simpliciter. Sapiens secundum quid dicitur, qui bene judicat de fine alicujus artis vel ministri, & de his, quæ ducunt ad illum finem. Et sic dicitur sapiens medicus, qui bene judicat & de sanitate & de medicinis conferentibus eam. Et sapiens negotiator dicitur, qui bene judicat de lucro acquirendo, & de mediis ad ipsum; & sic de aliis. Sed sapiens simpliciter dicitur, qui bene judicat de ultimo fine totius vitæ humanæ, quod est Deus, & de perducentibus ad eum: & hic est verus sapiens & virtuosus. Quia igitur Tobias dicit: *A sapiente* sine alia additione, primo & principaliter consilium quærendum est a virtuoso, etiam *a sapiente*, ideſt docto in factis conscientiæ. Neque enim a medico quis quærit consilium, scilicet de negotiatione, sed a docto negotiatore, Nec a negotiatore de medicinalibus, sed a perito medico; & sic de aliis. Multo magis de pertinentibus ad animam, ubi sunt majora dubia & magis periculosa, non debet quis indifferenter consilium quærere a quibuscumque, sed a virtuosis doctis & practicis. Unde Ecclesiast. 37. dicitur: *A consiliario malo serva animam tuam*, ideſt cave tibi. Et qui sint mali consiliarii, a quibus cavendum sit, quasi declarans dicit: *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia, & cum muliere de his, quæ æmulatur, cum timido de bello, cum negotiatore de trajectione, cum emtore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum inhoneſto de honeſtate, cum operario agrario de omni opere, cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione. Non attendas his in omni consilio*. Et ex hoc ultimo dicto patet, quod locutio Ecclesiastici est per ironiam, quasi diceret: Cum prædictis non habeas consilium. Et subdit: *Cor boni consilii statue tecum. Non est tibi aliud plus illo.*

De consilio particulari.

Aliquis dicitur sapiens dupliciter.

Quis vere sapiens.

Sciendum insuper, quod illud quod dicitur Proverb. 11. *Ibi salus, ubi multa consilia*, non sic intelligendum est quoad incipientes benefacere, & simplices tamquam quis multorum hominum seu a multis debeat inquirere consilium de directione vitæ suæ. Nam hoc faciens audiet diversa consilia, & aliquando sibi contraria, unde in mente sua confundetur, nescius quid magis sequatur. Sed unum vel pauciſſimos assumat, in quo causſam habeat confidendi, ut quia bonus & practicus, qui cognoscit ejus conditiones; unde melius poterit consulere. Sicut medicus, qui diu habuit curam alicujus, & scit complexionem, accidentia ejus, utilius potest mederi, nec multum laudatur hoc, sæpe variare medicum. Unde vulgari proverbio dicitur: *Quante mutate, tante cadute*. Multa igitur consilia quærenda sunt ab insipientibus & simplicibus, sed non a multis, sed ab uno de multis agendis. Unde Eccles. 6. dicitur: *Multi sint tibi pacifici; consiliarius autem unus de mille*. Consilium tamen, quod manifeste apparet bonum, a quocumque detur, numquam debet contemni vel respui, etiam a sapientibus. Unde & Moyses sanctiſſimus & sapientiſſimus consilium, quod dedit sibi Jetro socer suus gentilis in audiendis causſis populi, ut scilicet magis arduas audiret & expediret, & ad alias audiendas constitueret sibi adjutores, ut perseverare posset, & non stulto labore consumeretur, audivit illud & servavit.

Consilia quæ sint utilia.

Notandum insuper, quod quum quis fideliter consulit doctos & practicos saltem competenter in illa materia, non tenetur illi, cui consulit, si inde malum ei eveniat, & parum vel nihil peccat, quia liber est ad sequendum illud, vel non sequendum. Unde *De reg. jur.* in 6. *Nullus: Nullus ex consilio obligatur, nisi fuerit fraudulentum*. Sed si intendit decipere, seu advertenter dat sibi malum consilium, peccat graviter, & tenetur de omni damno, quod inde secutum est propter illud consilium, si alius non fuisset secutum. Si quis etiam poneret se ad consulendum in materia, de qua non habet peritiam, ut in medicina, in jure, in factis conscientiæ, & hujusmodi, non esset immunis a peccato. Unde Balaam postquam non valuit maledicere populo Dei, ut inde mala haberet, Deo impediente, dixit finaliter Balach Regi Moabitarum, qui ad hoc vocaverat eum: *Pergens ad populum meum, dabo tibi consilium*, Numer. 24. Et hoc fuit malum consilium, ut scilicet mitteret feminas Moabitides pulchras & ornatas ad castra Israel, ut fornicantes cum eis Israelitæ incurrerent iram Dei; quod & factum est. Sed de illo malo consilio punitus est cum Moabitis ipso interfecto.

Consiliarii quales eligendi.

Tertium genus consilii est, quod fit in communitatibus & universitatibus. Nec enim bene potest regi aliqua civitas vel universitas absque consilio.

De consilio generali communitatum.

filio. Unde omni tempore mundi principes & rectores civitatum uſi ſunt conſiliis, & fideles & infideles. Nam & Salomon ſapientiſſimus conſiliarios habuit, quorum conſilium, quia Roboam filius ejus reliquit, magnam partem regni amiſit, 2. Paralip. 10. Et Nabuchodonoſor ſuperbiſſimus cum majoribus natu & ducibus *habuit myſterium conſilii ſui* de eo, quod agere volebat, ut habetur Judith. 2. Sed & Romani infideles & idololatræ *poſſederunt omnem locum conſilio ſuo & patientia, locaque, quæ longe erant valde ab eis*, ut habetur 1. Machab. 8. Apoſtoli quoque ad ſedandam diſſenſionem exortam inter Paullum & Barnabam & fideles converſos ex Judaiſmo circa obſervationem legalium, convenerunt in unum, & communi conſilio decreverunt, quid eſſet agendum, ut habetur Act. 15. Et ob hoc inſtituta ſunt ab Eccleſia concilia & generalia & provincialia celebrari, ut de communi conſilio ibi habito provideretur ſaluti fidelium, ut patet Diſt. 16. per totum. *Facilius namque invenitur, quod a pluribus ſenioribus quæritur. Verus autem repromiſſor Dominus ait:* Si duo ex vobis vel tres convenerint, &c. Diſt. 20. can. ult.

Conditiones conſiliorum cõmunitatũ.

§. IV. Debent autem hujuſmodi concilia generalia tria in ſe habere.

Primo occultationem tractatorum.

Secundo intentionem rectam determinandorum.

Tertio exſecutionem diffinitorum.

Quantum ad primum ſciendum, quod ea, quæ tractantur in conſiliis alicujus civitatis vel univerſitatis communiter debent eſſe aliis occulta, dum tractantur; alias ſcandala plurima contingere poſſunt. Unde Proverb. 11. dicitur: *Qui fidelis eſt, celat amici commiſſum.* Unde narrat Valerius Maximus, quod quum eſſet de more Romanorum, ut patres poſſent filios ſuos parvulos ducere ſecum in concilium, accidit ſemel, ut quum quidam ex civibus duxiſſet filium ſuum parvulum in concilium, & fuiſſet ibi decretum, ut quod ibi tractatum fuerat, ſub ſecreto remaneret, revertentem ad domum interrogavit curioſa mater ejus quid ibi tractatum eſſet. Quumque ille reſpondiſſet, quod poſitum fuiſſet ſub ſecreto, cœpit mater ipſa blanditiis & minis ipſum cogere ad manifeſtandum conſilium, quod prudentiſſimus puer, ut declinaret matris importunitatem & tractatum in conſilio occultum ſervaret, officioſo mendacio uſus eſt, dicens ibi fuiſſe tractatum, quod quilibet vir duas poſſit habere uxores, quod illa credens & aliis matronis manifeſtavit. Qua re divulgata per urbem, convenientes mulieres plurimæ quadam die ad locum concilii acceſſerunt, poſtulantes a ſenatu tamquam æquum, & ipſas duos poſſe accipere viros, ex quo in conſilio decretum fuerat viros accipere poſſe duas uxores. Quod illi admirantes unde hoc proceſſerit, quum de hujuſmodi nulla fuiſſet facta mentio, ſuper hoc inquirentes, invenerunt hoc preceſſiſſe ex aſtutia illius pueri talia referentis. Unde ad occultandum conſilia ſtatuerunt, nullum amplius puerum introduci, niſi illum tantum, qui ita caute ſciviſſet occultare ſecretum. Valde ergo malefaciunt, qui talia revelant, quæ in ſecreto ponuntur, & qui quærunt ea ab ipſis.

Secundo debent conſiliarii habere rectam intentionem in determinandis, ut non paſſione ducantur ad complacendum vel diſplicendum his, qui proponunt ea, quæ ſunt ad bonum, communitati, vel contraria, ut non declinent a regula rationis. Unde & ipſa congregatio facta pro conſilio habendo concilium dicitur a communi, videlicet intentione dictum, eo quod intuitum mentis omnes in unum dirigant, ſcilicet ad quærendum bonum commune. Vel conſilium quaſi conſidium, *d* in *l* litteram tranſeunte, quia ſimul debent ſedere, ideſt mente quieſcere, & a paſſionibus liberi eſſe ſecundum Iſidorum, Diſt. 15. can. 1. Quum ergo tractatur in conſilio aliquid iniquum contra jus divinum naturale, vel canonicum, non poteſt dici concilium, ſed ſupercilium, quod ſignat ſuperbiam. Et ut dicitur Prov. 21, *Non eſt conſilium contra Dominum*, & ipſum communiter diſſipatur. Sicut patet in conſilio Judæorum, quod fecerunt contra Chriſtum, ad tractandum mortem ipſius, ne amitterent bona temporalia; ex quo tamen ſecutum eſt, ut amitterent bona temporalia & ſpiritualia, quando ſcilicet *collegerunt Pontifices & Phariſæi conſilium dicentes: Quid facimus, quia hic homo* &c. Joann. 11.

Tertio debet id, quod in concilio terminatur, rationabiliter exſecutioni mandari; alias fruſtra fierent conſilia. Unde & Heſter cap. 2. dicitur, quod ſeptem ſapientes, *ex more regio ſemper aderant* regi Aſſuero, *ſcientes leges ac jura majorum, & illorum faciebat cuncta conſilio*. Et hæc eſt cauſſa frequenter multorum malorum in regimine temporali & ſpirituali, quia quæ communi conſilio determinantur, non obſervantur. Unde Joſephus & Azarias, quia non ſervaverunt, quod fuerat determinatum, ſcilicet ut non exirent in prælium contra inimicos, debellati fuerunt, occiſis duobus millibus de exercitu ſuo; & hoc, quia ſine conſilio exierunt in prælium, ut habetur 1. Machab. 5.

CAPUT IX.

De conſenſu.

Conſenſus pertinet ad virtutem appetitivã.

DEinde conſiderandum eſt de conſenſu. Et primo, quod conſenſus pertinet ad virtutem appetitivam; quod patet ex hoc, quod dicit Damaſcenus, quod ſi aliquis judicet, & non diligat, non eſt ſententia, ideſt conſenſus. Diligere autem pertinet ad appetitivam, ſeu voluntatem. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 15. art. 1. quod conſentire importat applicationem ſenſus ad aliquid. Eſt autem proprium ſenſus, quod eſt cognoſcitivus rerum præſentium. Vis enim imaginativa apprehenſiva eſt ſimilitudinum corporalium, etiam rebus abſentibus, quarum ſunt ſimilitudines. Intellectus autem eſt apprehenſivus univerſalium rationum, quas poteſt apprehendere indifferenter, & abſentibus & præſentibus ſingularibus. Et quia actus appetitivæ virtutis eſt quædam inclinatio ad rem ipſam, ſecundum quamdam ſimilitudinem, ipſa applicatio appetitivæ virtutis ad rem ipſam, ſecundum quam ei inhæret, accipit nomen ſenſus, quaſi experientiam quamdam ſumens de re, cui inhæret, in quantum complacet ſibi in ea. Unde Sap. 1. dicitur: *Sentite de Domino in bonitate*. Et ſecundum hoc conſentire eſt actus appetitivæ virtutis. Quamvis enim conſentire proprie dictum pertineat ad potentiam apprehenſivam; tamen ſecundum ſimilitudinem cujuſdam experientiæ pertinet ad appetitivam.

Aſſentire & conſentire differunt.

Quod autem Auguſtinus ſuper Geneſ. attribuit conſenſum rationi, accipit ibi rationem, ſecundum quod in ea includitur voluntas. Differentia eſt enim inter aſſentire & conſentire. Nam aſſentire eſt quaſi ad aliud ſentire; & ſic importat quamdam diſtantiam ad id, cujus aſſentitur. Sed conſentire eſt ſimul ſentire; & ſic importat quamdam conjunctionem ad id, cui conſentitur. Et ideo voluntas, cujus eſt tendere ad ipſam rem, magis dicitur conſentire. Intellectus autem, cujus operatio non eſt ſecundum motum ad rem, ſed

potius e converſo, magis proprie dicitur aſſentire, quamvis unum ponatur pro alio.

Non autem proprie conſenſus eſt in brutis animalibus, & ratio eſt ſecundum B. Thomam ubi ſupra art. 2. quia conſenſus importat applicationem appetitivi motus ad aliquid agendum: ejus autem eſt applicare appetitivum motum ad aliquid agendum, in cujus poteſtate eſt appetitivus motus. Bruta autem non habent in poteſtate appetitivum motum, ſed talis motus eſt in eis ex inſtinctu naturæ. Appetit quidem brutum hoc vel illud, ſed non applicat motum appetitivum. Unde eſt in eo determinatio appetitus ad aliquid paſſive tantum, non active; quod requiritur ad conſenſum, prout eſt in homine. Unde & Damaſcenus dicit, quod poſt judicium homo diſponit & amat, quod ex conſilio judicatum eſt; quod vocatur ſententia, ideſt conſenſus. Hoc autem non reperitur in brutis. Exſecutio enim operis in eis eſt ex impetuoſo appetitu.

Conſenſus non eſt in brutis.

De quibus conſenſus habetur.

§. I. Conſenſus de quibus ſit, & in quo differat ab electione. Et quantum ad primum ſciendum ſecundum B. Thomam ubi ſupra art. 3. quod conſenſus eſt tantum de his, quæ ſunt ad finem; quod ſic declarat. Conſenſus nominat applicationem appetitivi motus ad aliquid præexiſtens in poteſtate applicantis. In ordine autem agibilium primo quidem oportet ſumere apprehenſionem finis, deinde appetitum finis, deinde conſilium de his, quæ ſunt ad finem, deinde appetitum eorum, quæ ſunt ad finem. Appetitus autem in ultimum finem tendit naturaliter. Unde applicatio motus appetitivi in finem apprehenſum non habet rationem conſenſus, ſed ſimplicis voluntatis. Ea autem, quæ ſunt poſt ultimum finem, in quantum ſunt ad finem, ſub conſilio cadunt; & ſic de eis poteſt eſſe conſenſus, in quantum motus appetitivus applicatur ad id, quod ex conſilio judicatum eſt. Motus autem appetitivus in finem non applicatur conſilio, ſed magis conſilium ipſi, quia præſupponit appetitum finis. Sed appetitus eorum, quæ ſunt ad finem, præſupponit determinationem conſilii. Et ideo applicatio appetitivi motus ad determinationem conſilii proprie eſt conſenſus. Unde quum conſilium non ſit niſi de his, quæ ſunt ad finem, conſenſus etiam proprie loquendo non eſt niſi de his, quæ ſunt ad finem.

Conſenſus differt ab electione.

Differt autem ab electione conſenſus ſecundum Thomam ubi ſupra, eo quod electio addit ſupra conſenſum quamdam relationem reſpectu ejus, cui aliquid præeligitur; & ideo poſt conſenſum adhuc remanet electio. Potest enim contingere, quod per conſilium plura inveniantur ducentia in finem: quorum dum quodlibet placet, in quolibet eorum conſentitur. Sed ex multis, quæ placent, unum præaccipimus eligendo. Sed ſi inveniatur unum ſolum, quod placeat, non differt re conſenſus & electio, ſed ratione tantum, ut conſenſus dicatur ſecundum quod placet ad agendum, electio autem ſecundum quod præfertur his, quæ non placent. Unde & Damaſcenus dicit, quod poſt diſpoſitionem, quam vocaverat prius ſententiam, ideſt conſenſus, fit electio

Conſenſus pertinet ad rationem ſuperiorem.

Conſenſus ad agenda ſemper pertinet ad rationem ſuperiorem; quod ſic probat B. Thomas ubi ſupra art. 4. Finalis ſententia ſemper pertinet ad eum, qui ſuperior eſt, ad quem pertinet judicare de aliis. Quamdiu enim judicandum reſtat, quod proponitur, nondum datur finalis ſententia. Manifeſtum eſt autem, quod ſuperior ratio eſt, quæ habet de omnibus judicare, quia de ſenſibilibus per rationem judicamus inferiorem; de his vero, quæ ad rationes humanas pertinent, judicamus ſecundum rationes divinas, quæ pertinent ad rationem ſuperiorem. Et ideo quamdiu incertum eſt, an ſecundum rationes divinas res ita agitur vel non, nullum judicium rationis habet rationem finalis ſententiæ. Finalis autem ſententia de agendis eſt conſenſus in actum, & ideo conſenſus in actum pertinet ad ſuperiorem rationem; ſecundum tamen quod in ratione includitur voluntas, ut dictum eſt ſupra.

Conſenſus operis & cogitationis differunt.

Notandum etiam ſecundum B. Thomam ubi ſupra, quod conſenſus in delectationem operis pertinet ad ſuperiorem rationem, ſicut & conſenſus in opus. Sed conſenſus in delectationem cogitationis pertinet ad rationem inferiorem, ſicut ad ipſam pertinet cogitare. Et tamen de hoc ipſo, quod eſt cogitare vel non cogitare, in quantum conſideratur ut actio quædam, habet judicium ſuperior ratio, & ſimiliter de delectatione conſequente. Sed in quantum accipitur ut ad actionem aliam ordinatum, puta ad conſenſum in opus; ſic pertinet ad inferiorem rationem. Et ſic intelligitur, quod dicit Auguſtinus ſuper Gen. quod conſenſus in delectationem pertinet ad inferiorem rationem. Item ratio ſuperior dicitur conſentire, non ſolum quia ſecundum rationes æternas ſemper moveat ad agendum, ſed etiam quia ſecundum rationes æternas non diſſentit, quum debet. Et dicitur judicium ſecundum rationes æternas ſeu divinas, quia illud tale eſt ſecundum, vel contra legem divinam ſeu mandata Dei.

§. II. De conſenſu, qui eſt actus voluntatis, inquit pſal. 54. *In domo Dei ambulavimus cum conſenſu*. Et Matth. 5. ad hoc exhortabatur Chriſtus dicens: *Cito eſto conſentiens adverſario tuo, dum es in via cum eo*. Adverſarius iſte ſecundum expoſitionem doctorum eſt ſermo divinus, qui dicitur adverſarius, quia adverſatur ſenſualitati ex concupiſcentiis noſtris, reprehendendo vitia, cui tunc conſentimus, quum ei obedimus, & ſic a carcere infernali liberamur; hoc autem facientes ſancti dicere poſſunt verbum Pſalmiſtæ; *In domo Dei ambulavimus cum conſenſu*: ubi tria poſſunt adnotari.

Primum eſt motus humanæ rationis, ibi: *Ambulavimus*.

Secundum eſt locus hujus debitæ motionis, ibi: *In domo*.

Tertium eſt modus perfectæ actionis, ibi: *Cum conſenſu*.

Motus humanæ rationis.

Quantum ad primum dicit Salvator Joann. 15. *Poſui vos, ut eatis*; unde tota vita noſtra eſt quoddam iter. Terminus hujus itineris eſt duplex, videlicet Hieruſalem cæleſtis ſurſum, quæ libera eſt ab omni miſeria, & altera Babylon, quæ deorſum eſt, ſcilicet infernus plenus omni miſeria. Ad alteram iſtarum ambulamus motibus ſeu actibus rationis. Unde pueri, qui non habent uſum rationis, verſus neutram ambulant: & quod morientes in tali ſtatu baptizati, & veniant ad ſupernam Hieruſalem; hoc non eſt ex aliquibus actibus eorum, ſed ſuperabundans meritum Chriſti paſſionis, quo in baptiſmo erga eos operatur. Inſuper & habentes uſum rationis, quum dormiunt, ad neutram civitatem ſeu locum pœnæ vel gloriæ tendunt, quia ligatus tunc eſt in eis uſus rationis, nec tunc merentur vel demerentur. Sed quum quis ratione utitur, ſi ad malum utitur ea, ambulat verſus infernum, juxta illud Sophoniæ 1. *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt*. Cæci autem ambulando *in foveam cadunt*; & ſic peccatores in infernum. Si autem quis ratione utitur ad bonum, verſus ſupernam Hieruſalem ambulat per viam caritatis, ad quod hortabatur Apoſtolus ad Epheſ. 5. dicens: *Ambulate in dilectione*.

Locus motus humanæ rationis.

Locus debiti motus rationis humanæ eſt Eccleſia

eleſia militans ; unde dicit Pſalmiſta : *In domo Dei*, prout declarat [1] Hieronymus, 24. quæſt. 1. *Omnibus conſideratis* : & quia *domum tuam decet ſanctitudo*, ait Pſalmiſta ad Dominum ; ideo extra iſtam domum ſunt numero & merito omnes infideles. Merito autem extra ipſam ſunt mali Chriſtiani. Unde dicit Hieronymus, *De pœnit.* Diſt. 1. quod *Eccleſia non eſt habens maculam, neque rugam : maculam*, ſcilicet iniquitatis, *rugam*, ſcilicet infidelitatis. Et ideo *qui eſt aliqua ſorde peccati pollutus*, [2] *de Eccleſia dici non poteſt.* Talis ergo non ambulat *in domo Dei*, ſed in domo diaboli, ideſt immitatione malitiæ ejus, in qua quieſcit: & demum in inferno, ut dicere valeat : *Infernus domus mea eſt*, Jobi 17.

Modus perfectæ actionis.

Quantum ad tertium ſciendum, quod perfecta actio hominis, unde meritum & præmium acquirit, eſt conſenſus in bonum, de quo loquitur Pſalmiſta hic, quum dicit : *Ambulavimus in domo Dei cum conſenſu*. Sed ſciendum, quod eſt triplex conſenſus bonus excludens triplicem malum conſenſum.

Triplex cõſenſus bonus.

Primum eſt intelligentiæ, & voluntatis.

Secundus eſt ſententiæ veritatis.

Tertius eſt modeſtiæ conformitatis.

Primus igitur conſenſus eſt, quando intellectus & voluntas conveniunt in unum, ut videlicet, quod intelligit intelligentia per fidem, voluntas illud velit operari per amorem. Unde Auguſtinus dicit, quod credere eſt cum aſſenſione cogitare. Cogitare eſt actus intelligentiæ ſive rationis, & aſſentire eſt actus voluntatis. Et hæc duo ſunt tamquam vir & uxor. Intelligentia uxor eſt, quæ materiam adminiſtrat generationis filiorum, ideſt productionis bonorum operum. Affectus autem tamquam vir formam præſtans, & complementum operum ipſorum in directionem. De conjugio ſpiritali intelligi poteſt illud Eccleſiaſtici, quod dicit beneplacitum eſſe ſpiritui ſuo, & *probatum coram Deo & hominibus, ſcilicet vir & mulier ſibi conſentientes*, Eccleſiaſtici 25. & de his etiam illud exponitur Matth. 18. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quam petierint, fiet eis*. Et iſte eſt bonus conſenſus, in quo ambulabant, qui ſunt *in domo Dei*, ideſt Eccleſia, excludens malorum conſenſum, qui fit a ſuggeſtione diaboli, de quo Tobiæ 4. dicitur : *Cave, ne aliquando peccato conſentias*. Unde & Auguſtinus dicit, *De pœnit.* Diſt. 2. *Sicut*, quod prima differentia peccati mortalis eſt, *quum in corde conſentitur libidini*, ideſt delectationi cujuſcumque peccati mortalis. Quod figuratum eſt ſecundum ipſum in puella mortua, ſed adhuc in domo retenta, Matth. 9.

Secundus conſenſus bonus eſt conſentire ſententiæ veritatis determinatæ per Eccleſiam, nec diſcrepare a communi ſententia doctorum, etſi aliquando proprio intellectui aliud videatur. Unde Apoſtolus ad Rom. 12. *Non alta ſapientes ; ſed humilibus conſentientes*. Non ſolum *humilibus* perſonis, ſed etiam *humilibus* verbis & ſententiis, etſi intellectus clare non videat. Cum iſto conſenſu ambulaverunt omnes, qui *in domo Dei*, ſcilicet Eccleſiæ habitaverunt. Nam & doctores, ut Hieronymus, Auguſtinus & alii, etſi in aliquibus diverſa ſenſerint & contraria, non tamen illa erant ad fidem pertinentia, vel mores neceſſarios ad ſalutem. In hujuſmodi enim ambulaverunt *cum conſenſu*, ſi bene intelligantur verba eorum, quamvis aliquando videantur diſſentire. Et ſic conſenſus bonus excludit conſenſum hæreticorum, qui conveniunt in errore contra veritatem fidei Eccleſiaſticæ ; ſicut & Paullus ante converſionem conſentiebat Judæis perſequentibus fideles, dicens Act. 22. *Ego conſentiebam & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum*, ſcilicet lapidantium Stephanum. Et hi infideles figurantur per vulpes Samſonis, quæ ſunt animalia multum malitioſa habentes caudas colligatas inſimul, ſed facies contrarias ſibi. Sic hæretici in materia erroris ſui diſſentiunt, & aliquando manifeſte contrarii ſunt. Sed in cauda, ſcilicet in concluſione ſuæ doctrinæ conſentiunt, & uniti ſunt, ſcilicet in recedendo a veritate fidei.

Tertius conſenſus bonus eſt conformitatis in moralibus ; unde Pſalmiſta ad Dominum loquens ait : *Habitare facies unanimes in domo*. Conſentiunt enim qui ambulant *in domo Dei* in vivendo uniformiter quantum ad ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, evitando peccata. Et hic bonus conſenſus excludit conſenſum iniquorum, de quibus Apoſtolus ad Rom. 1. *Digni ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*, & 2. quæſt. 1. *Notum*, dicitur : *Facientem & conſentientem par pœna conſtringit*.

Conſenſus autem ad malum alterius poteſt intelligi tripliciter.

Conſenſus in malum contingit tripliciter.

Primo auctoritative, quum ſcilicet aliquis præſtat auctoritatem & defenſionem male facienti. Et hic quanto gravius peccat, tanto majori debet pœna conſtringi. Unde 11. quæſt. 3. dicit Iſidorus : *Qui conſentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum & homines :* & idem : *Si quis peccantem defendit, acrius quam ille, qui peccavit, coerceatur*.

Secundo conſentit quis cooperative. De quo conſenſu dicit Iſidorus eodem capitulo : *Si quis alterius errori conſentit.... ſciat ſe cum illo ſimili modo culpabilem judicandum*.

Tertio modo conſentit quis neglective, ideſt negligit corrigere delinquentem, quum debet. Unde ait Dominus : *Recedite, & exite inde, & immundum ne tetigeritis*, Iſai. 52. Super quibus verbis dicit Auguſtinus : *Hoc eſt inde exire, & immundum non tangere, voluntate non conſentire, & ore non parcere*, 23. quæſt. 4. *Recedite*. Nam ſecundum regulam juris in 6. *Qui tacet, conſentire videtur*, quum ſcilicet poteſt & debet reprehendere. Hic tamen minori pœna conſtringitur, quam peccans.

CAPUT X.

De imperio voluntatis.

Imperium cujus potentiæ ſit actus.

DEmum videndum eſt de actibus imperatis a voluntate. Ubi primo ſciendum, quod imperare eſt actus rationis, præſuppoſito tamen actu voluntatis ſecundum B. Thom. 1. 2. quæſt. 17. unde & philoſophus dicit, quod appetitus obedit rationi, ex quo ſequitur, quod rationis eſt imperare. Eſt autem actus rationis imperare eſſentialiter. Imperans enim ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum, intimando vel denuntiando. Sic ergo ordinare per modum cujuſdam intimationis eſt rationis. Sed ratio poteſt aliquid intimare dupliciter. Uno modo abſolute, quæ quidem intimatio exprimitur per verbum indicativi modi : ſicut ſi aliquis alicui dicit : *Hoc tibi fa-*

Ratio intimat aliquid dupliciter.

[1] Hieronymo olim tributus fuerat hic canon, at in correctionibus Romanis Auguſtino legitimo auctoritus reſtitu eſt.

[2] Intelligenda *Eccleſia ſanctorum*, ad quam mali non pertinent, non autem de militante Eccleſia, quæ bonos maloſque Chriſtianos non excommunicatos ſimul continet.

faciendum eſt. Secundo modo ratio intimat aliquid alicui movendo ipſum ad hoc: & talis intimatio exprimitur per verbum imperativi modi, puta quum alicui dicitur: *Fac hoc*. Primum autem movens in viribus animæ ad exercitium actus eſt voluntas, ut ſupra dictum eſt. Quum igitur ſecundum movens non moveat, niſi in virtute primi moventis, ſequitur, quod ipſum, quod ratio movet, imperando ſit ex virtute voluntatis. Unde relinquitur, quod imperare ſit actus rationis, præſuppoſito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus.

Radix libertatis quæ.

Et nota ſecundum B. Thomam ubi ſupra, quod radix libertatis eſt voluntas ſicut ſubjectum; ſed ratio ſicut cauſſa eſt libertatis.

B Ex hoc enim voluntas poteſt libere ad diverſa ferri, quia ratio poteſt habere diverſas conceptiones boni. Et ideo philoſophi diffinierunt liberum arbitrium, quod eſt liberum de ratione judicium, quaſi ratio ſit cauſſa libertatis. Ex his ſequitur, quod imperare proprie non convenit brutis: nam nihil aliud eſt imperare, ut dictum eſt, quam ordinare aliquem ad aliquid agendum. Ordinare autem eſt actus proprius rationis, qua carent animalia bruta. Et quamvis per imperium fiat impetus ad opus; non tamen per hoc bruta dici poſſunt habere imperium, quia habent impetum ad opus. Nam homines faciunt impetum ad opus per ordinationem rationis; unde in eis talis impetus habet rationem imperii. Sed bruta hoc faciunt ex inſtinctu naturæ, quia ſtatim appetitus eorum ap- C prehenſo convenienti vel inconvenienti, naturaliter moventur ad proſecutionem vel fugam.

Imperare non convenit brutis.

Imperium præcedit uſum.

§. I. Imperium præcedit uſum, & eſt unus actus tantum: quod ſic probat B. Thomas ubi ſupra art. 3. Uſus ejus, quod eſt ad finem ſecundum quod eſt in ratione referente ipſum in finem, præcedit electionem, ut ſupra dictum eſt; unde multo magis præcedit imperium: ſed uſus ejus, quod eſt ad finem ſecundum quod ſubditur potentiæ exſecutivæ, ſequitur imperium, eo quod uſus utentis conjunctus eſt cum actu ejus, quo quis utitur. Non enim utitur aliquis baculo, antequam aliquo modo operetur per baculum. Imperium autem non eſt ſimul cum actu ejus, cui imperatur; ſed naturaliter prius eſt imperium, quam imperio obedia- D tur, & aliquando etiam eſt prius tempore. Et ſic patet, quod imperium eſt prius quam uſus. Unde Damaſcenus dicit, quod impetus ad opus, quod fit per imperium, præcedit uſum.

Poſt determinationem enim conſilii, quæ eſt judicium rationis, voluntas eligit, & poſt electionem ratio imperat ei, per quod agendum eſt, quod eligitur; & tunc demum voluntas alicujus incipit uti exſequendo imperium rationis; quandoque quidem voluntas alterius, quum aliquis imperat alteri; quandoque autem voluntas ipſius imperantis, quum aliquis imperat ſibiipſi.

Imperium eſt unus actus cum imperato.

Eſt autem imperium unus actus cum actu imperato: nihil enim prohibet, ut dicit B. Thomas ubi ſupra art. 4. aliqua eſſe ſecundum quid multa, & ſecundum quid unum. Sicut autem in genere rerum naturalium aliquod totum componitur ex materia & forma, ut homo ex anima & corpore, qui eſt unum ens naturale, licet habeat multitudinem partium; ita etiam in humanis actibus actus inferioris potentiæ materialiter ſe habet ad actum ſuperioris, in quantum inferior potentia agit in virtute ſuperioris moventis ipſam: ſic enim & actus moventis primi formaliter ſe habet ad actum inſtrumenti. Et ſic patet, quod imperium & actus imperatus ſunt unus actus humanus, ſicut quoddam totum; ſed eſt ſecundum partes multas. Quando enim una potentia eſt movens alteram, tunc actus earum ſunt quodammodo A unus: nam idem eſt actus moventis & moti ſecundum philoſophum.

§. II. Extenditur autem iſtud imperium ad actum voluntatis, ad actum rationis, ad actum appetitus ſenſitivi, & ad membra corporis; non autem ad actus animæ vegetabilis. Et de ſingulis horum videndum.

Actus voluntatis eſt imperatus.

Et nota: quod actus voluntatis ſit imperatus, probat ſic B. Thomas ubi ſupra art. 5. Omne, quod eſt in poteſtate noſtra, ſubjacet imperio noſtro: ſed actus voluntatis ſunt maxime in poteſtate noſtra: nam omnes actus noſtri in tantum dicuntur eſſe in poteſtate noſtra, in quantum ſunt voluntarii; unde ſequitur, quod actus voluntatis imperentur a nobis. Patet idem etiam ex hoc, quia, ut dictum eſt, imperium nihil aliud eſt, quam actus rationis ordinati cum quadam motione ad aliquid agendum. Manifeſtum eſt autem, quod ratio poteſt ordinare de actu voluntatis: ſicut enim poteſt judicare, quod bonum eſt aliquid velle; ita poteſt ordinare in operando, quod homo velit. Et ſic patet quod actus voluntatis poteſt eſſe imperatus. Et, ut dicit Auguſtinus, quum animus perfecte imperat ſibi ut velit, tunc jam vult. Sed quod aliquando imperet & non velit, hoc contingit ex hoc, quod non perfecte imperat. Imperfectum autem imperium contingit ex hoc, quod ratio ex diverſis partibus movetur ad imperandum vel non imperandum; unde fluctuat inter duo, & non perfecte imperat. Item ſicut in membris corporalibus quodlibet membrum operatur, non ſibi ſoli, ſed toti corpori, ſicut oculus videt toti corpori; ita in potentiis animæ. Nam intellectus intelligit non ſolum ſibi, ſed omnibus potentiis, & voluntas vult non ſolum ſibi, ſed omnibus potentiis; & ita homo imperat ſibi actum voluntatis, in quantum eſt intelligens & volens. Item quum imperium ſit actus rationis, ille actus imperatur, qui ſubditur rationi. Primus autem voluntatis actus non eſt ex ordinatione rationis, ſed ex inſtinctu ſuperioris cauſſæ; & ideo non oportet quod eatur in infinitum.

Imperfectum imperium.

Qui actus voluntatis non imperatur.

Actus rationis etiã imperatur.

Imperatur etiam actus rationis: dicit enim Damaſcenus, quod homo libero arbitrio exquirit, ſcrutatur, judicat, & diſponit; & hi ſunt actus rationis. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra art. 6. quod quia ratio ſupra ſeipſam reflectitur, ſicut ordinat de actibus aliarum potentiarum, ita etiam ordinare poteſt de actu ſuo. Unde & actus ſuus poteſt etiam eſſe imperatus.

Sed attendendum, quod actus rationis poteſt conſiderari dupliciter. Uno modo quantum ad exercitium actus; & ſic actus rationis ſemper imperari poteſt, ſicut quum indicitur alicui, quod intendat, & ratione utatur. Alio modo quantum ad objectum, reſpectu cujus duo actus rationis attenduntur. Primo quidem, ut veritatem circa aliquid apprehendat; & hoc non eſt in poteſtate noſtra: hoc enim contingit per virtutem alicujus luminis naturalis vel ſupernaturalis. Et ideo quantum ad hoc actus rationis non eſt in poteſtate noſtra, nec imperari poteſt. Alius autem actus rationis eſt, dum his, quæ apprehendit, aſſentit. Si igitur ſint talia apprehenſa, quibus naturaliter intellectus aſſentiat, ſicut prima principia, aſſenſus talium vel diſſenſus non eſt in poteſtate noſtra, ſed in ordine naturæ; & ideo proprie loquendo naturæ imperio ſubjacet. Sunt autem quædam alia apprehenſa, quæ ita non convincunt intellectum, quin poſſit diſſentire, vel aſſentire, vel ſaltem aſſenſum vel diſſenſum ſuſpendere propter aliquam cauſſam. Et in talibus aſſenſus ipſe & diſſenſus in poteſtate noſtra cadit, & ſub imperio eſt.

Im-

Appetitus ſenſitivus ſubjacet imperio rationis.

Imperatur etiam appetitus ſenſitivus, & ſubjacet imperio rationis, ſed non totaliter. Quod ſic declarat B. Thomas ubi ſupra art. 7. Appetitus ſenſitivus in hoc differt ab appetitu intellectivo, qui dicitur voluntas, quia appetitus ſenſitivus eſt virtus organi corporalis, non autem voluntas. Omnis autem actus virtutis utentis organo corporali dependet non ſolum ex potentia animæ, ſed etiam ex corporalis organi diſpoſitione: ſicut viſio ex potentia viſiva & qualitate oculi, per quam juvatur vel impeditur. Unde actus appetitus ſenſitivi non ſolum dependet ex vi appetitiva, ſed etiam ex diſpoſitione corporis. Illud autem, quod eſt ex parte potentiæ animæ, ſequitur apprehenſionem. Apprehenſio autem imaginationis, quum ſit particularis, regulatur B ad apprehenſionem rationis, quæ eſt univerſalis, ſicut virtus activa particularis, a virtute activa univerſali; & ideo ex iſta parte actus appetitus ſenſitivi ſubjacet rationis imperio. Qualitas autem & diſpoſitio corporalis non ſubjacet imperio rationis; & ideo ex hac parte impeditur, ne motus ſenſitivi appetitus ſubdatur totaliter imperio rationis.

Contingit etiam quandoque, quod motus appetitus ſenſitivi ſubito concitatur ad apprehenſionem imaginationis vel ſenſus; & tunc ille motus eſt præter imperium rationis, quamvis potuiſſet impediri a ratione, ſi prævidiſſet. Unde & philoſophus dicit in 1. Politic. quod ratio præeſt concupiſcibili & iraſcibili non principatu diſpo- C tico, qui eſt domini ad ſervum, ſed principatu politico, aut regali, qui eſt ad liberos, qui non totaliter ſubduntur imperio. Et propter hoc dicit Apoſtolus Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc ago*, quia ſcilicet vult non concupiſcere, & tamen concupiſcit. Saltem quoad primos motus, quod provenit ex diſpoſitione corporis, per quam impeditur appetitus ſenſitivus, ne totaliter imperium rationis ſequatur. Contingit etiam hoc propter ſubitum motum concupiſcentiæ.

Vegetativæ potentiæ nō ſubſunt imperio rationis.

Actus autem animæ vegetabilis, ut digeſtio, formatio corporis per generationem & hujuſmodi, nullo modo ſubjiciuntur imperio rationis. Quod ſic probat B. Thomas ubi ſupra art. 5. Ratio imperat per modum apprehenſivæ virtutis: quum autem omne agens aliquo modo appetat finem, appetitus naturalis non ſequitur aliquam apprehenſionem ſicut appetitus animalis aut intellectivus. Et ideo illi actus, qui procedunt ab appetitu animali vel intellectivo poſſunt a ratione imperari. Non autem illi, qui procedunt ab appetitu naturali; hujuſmodi autem ſunt actus animæ vegetabilis. Unde Gregorius Nicenus dicit, quod vocatur naturale, quod eſt generativum & nutritivum; & hujuſmodi non perſuadetur a ratione.

Rationis imperium movet mẽbra corporis.

Imperio rationis moventur membra corporis ad actus ſuos, niſi cor & membrum genitale. Quod ſic declarat B. Thom. ubi ſupra art. 9. Membra corporis ſunt organa quædam potentiarum animæ. Unde eo modo, quo ſe habent potentiæ animæ ad hoc, quod obediant rationi, hoc modo ſe habent & membra corporis. Quia igitur vires ſenſitivæ ſubduntur imperio rationis, non autem vires naturales; ideo omnes motus membrorum, qui moventur a potentiis ſenſitivis, ſubduntur imperio rationis. Motus autem membrorum, qui conſequuntur vires naturales, non ſubduntur imperio rationis.

Et nota, quod ſicut in his, quæ ad intellectum & voluntatem pertinent, primum invenitur id, quod eſt ſecundum naturam, ex quo alia derivantur, ſicut a cognitione principiorum naturaliter notorum cognitio concluſionum a voluntate finis naturaliter deſiderati derivatur electio eorum, quæ ſunt ad finem; ita in motibus corporalibus principium eſt ſecundum naturam; principium autem corporalis motus eſt a motu cordis, unde motus cordis, corporalis eſt ſecundum naturam, non ſecundum voluntatem. Unde Gregorius Nicenus dicit, quod ſicut generativum & nutritivum non obedit rationi, ita nec pulſativum, quod eſt vitale. Pulſativum autem appellat motum cordis, qui manifeſtatur per venas pulſatiles.

De membro genitali dicit Auguſtinus in 12. de civit. Dei: Quod hoc membrum non obediat rationi, quia motus in eo inſurgunt 1 etiam nolente homine, eſt ex pœna peccati, ut ſcilicet anima ſuæ inobedientiæ ad Deum pœnam patiatur, per quod peccatum originale ad poſteros tranſmittitur. Sed philoſophus in lib. de cauſſa motus animalium aſſignat cauſſam naturalem, quia iſta duo membra, ſcilicet cor & pudendum, non ſubjacent imperio rationis, ex eo videlicet, quod utrumque horum eſt quaſi quoddam animal ſeparatum, in quantum eſt principium vitæ. Principium autem eſt virtute totum: cor enim principium eſt ſenſuum, Et ex membro genitali exit virtus ſeminalis, quæ eſt virtute totum animal; & ideo habent proprios motus naturaliter, quia principia oportet eſſe naturalia, ut dictum eſt ſupra.

§. III. *Da imperium tuum puero tuo*, pſal. 85. Loquitur propheta ad Dominum orans. Et poteſt intelligi de triplici imperio.

Primum eſt imperium divinale & reverendum.

Secundum eſt imperium temporale & diſcernendum.

Tertium eſt imperium internale & cuſtodiendum.

De imperio divino.

Primum imperium abſolute eſt Domini Dei, cui ſubjacent omnia. Unde Mardochæus in orationibus dicebat, Heſter 13. *Domine Deus omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ:* & Auguſtinus: Nihil in mundo fit, quod de illa aula cæleſtis & æterni imperatoris non egrediatur, operative ſcilicet vel permiſſive. Nec tamen aliquid mali permitteret evenire in univerſo, niſi ex illo malo o- D mnipotentia & bonitas ſua eliceret majus bonum. Sicut ex crudelitate tyrannorum & rabie infidelium elicita eſt patientia & coronatio martyrum: & ex errore hæreticorum doctrina radioſa doctorum. Ante autem quam Deus ipſe carni noſtræ eſſet unitus, multum rigide exercebat imperium, tamquam ſpiritus, qui eſt adverſus carnem ipſi non parcens. *Non permanebit*, inquit, *ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt*, Gen. 6. Unde & diluvio delevit omnem carnem, exceptis reſervatis in arca, Sodomitas igne conſumſit, Iſraelitas proſtravit in eremo, Judæos in Babylonia captivavit; propter quod dicebatur *Deus æmulator & ulciſcens Dominus & habens furorem; ulciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens inimicis ſuis*, Nahum 1.

Sed poſtquam unitus eſt carni noſtræ per incarnationem, *ex his, quæ paſſus eſt, didicit compati infirmitatibus noſtris*. Et hoc eſt, quod propheta petit: quum dicit: *Da imperium puero tuo*. Hoc eſt petere incarnari, ut ipſe mitius incarnatus agat & clementius erga genus humanum. Nam ſubito ab initio ſuæ conceptionis datum eſt ſibi imperium univerſi, *ut in nomine ejus omne genu flectatur. Multiplicabitur ejus imperium*, inquit Iſaias 9. de ipſo Chriſto, loquens puero nato in mundo. Et ipſe poſt reſurrectionem dixit diſcipulis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, Matth. ult. Non quod tunc fuerit ſibi notum eſt.

1 Aliquando autem inſurgunt homine nolente, ut

ſibi data de novo; ſed tunc cœpit manifeſtari poteſtas data, ut dicit Magiſter in 3. Sent.

De imperio temporali late ſumto.

Quantum ad ſecundum imperium, large ſumto iſto vocabulo, importat quoddam dominium, quod quis habet ſuper aliquem vel aliquos, ex quo poteſt ipſis aliquid imperare ſeu præcipere, & illi tenentur obedire. Et ſic pater habet imperium ſuper filios, ut ei in licitis debeant obedire. Unde dicitur Deut. 21. *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris vel matris imperium, & coercitus obedire contemſerit*, accuſatus ab eis ſenioribus civitatis de ſua inobedientia & inordinata vita, lapidari jubetur a populo. Sic & maritus imperium habet ſuper uxorem, præcipue circa gubernationem domus. Et ideo quia Vaſthi regina uxor Aſſueri regis a rege vocata noluit venire ad convivium ſuum, de conſilio ſapientum ſuorum repudiata fuit, & regno privata: qui hoc conſulerunt iſta de cauſſa, ne conjuges Perſarum atque Medorum parvipenderent imperia maritorum, Heſter 1. Domini quoque temporales ſibi ſubditis imperant, juxta illud Proverb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt* &c. & multo magis Reges in regnis ſuis. Unde dixerunt decem tribus Roboam filio Salomonis, regnum ſuſcipienti poſt mortem patris: *Imminue de regno patris tui duriſſimo, & jugo graviſſimo, quod impoſuit nobis, & ſerviemus tibi*, 3. Reg. 12. Sacerdos quoque imperium dicitur habere ſuper oves ſibi commiſſas, & illæ tenentur obtemperare in his, quæ pertinent ad ſalutem fidelium, ſeu ad neceſſaria ad ſalutem; alias mortem animæ incurrerent. Dicitur enim Deut. 17. a Domino: *Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio..., moriatur ille homo*. Apoſtolus quoque Titum diſcipulum ſuum epiſcopum admonet dicens ad Tit. 2. *Argue cum omni imperio*, ideſt auctoritate oſtenſa & rigiditate. Quamvis enim, ut dicit Seneca, melius imperat, qui remiſſius imperat, hoc verum eſt evitando nimiam ſeveritatem, quam communiter reprobant jura divina & humana, & natura ipſa male tolerat. Propter quod dicit Chryſoſtomus: *Melius eſt*, ideſt minus malum, *Deo reddere rationem de nimia miſericordia, quam de nimia ſeveritate*, 26. quæſt. 7. *Alligant*. Nimia tamen remiſſio & multum exceſſiva nimis ſolet nocere ſubditis; propter quod dicitur Eccleſiaſtici 42. *Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens*. Quæ auctoritas a quibuſdam ſic exponitur. Melior eſt ſeveritas prælati, etſi cum aliquali exceſſu, quam nimia molities & remiſſio, ex qua ſubditis benefacere videatur.

Imperio ſtricte in quo primo fuerit.

Verum ex his imperiis nullus appellari conſuevit imperator, niſi ille, qui tenet monarchiam mundi, & præeſt omnibus in temporalibus. Unde Hieronymus: *In apibus princeps unus eſt: Grues unam ſequuntur ordine litterario: Imperator unus*, 7. quæſt. 1. *In apibus*. Talis dignitas imperialis primo videtur fuiſſe in gente Aſſyriorum, ut in Nabuchodonoſor, Aſſuero. Deinde in Medis & Perſis, ſub Cyro & Dario & quibuſdam aliis. Exinde in Grecis ſub Alexandro Magno. Demum in Romanis, quorum primus imperator Julius Cæſar fuit. Et ſub ejus ſucceſſore Octaviano natus eſt Chriſtus, & ſub Tiberio baptizatus & crucifixus, ut patet Luc. 3. Sed conſiderans propheta, quod imperatores, & quicumque rectores, qui non ſunt ſervi Dei, quales ſunt infideles omnes, multa mala, oppreſſiones, perſecutiones, cruciatus & occiſiones inferunt ſervis Dei; ut patet de imperatoribus infidelibus Diocletiano, Maximiano, Decio, Nerone, & aliis paganis, Juliano apoſtata, Conſtantino hæretico, & aliis plurimis; ideo petit Pſalmiſta imperium ſuum, ideſt dignitatem, ſive imperialem, ſive regalem, ſive qualemcumque præſidentiam dari puero ſuo, ideſt ſervo ſuo. Uſitatum eſt enim in Scriptura ſervum vocare puerum, ut illud Matth. 8. *Puer meus jacet in domo paraliticus*, quem Lucas Evangeliſta appellat ſervum. Imperium autem & quæcumque prælatio dicitur imperium Dei; quia dicit Apoſtolus ad Rom. 13. *Omnis poteſtas a Domino Deo*. Et Dan. 4. *Scias, quia dominatur excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud*. Et Auguſtinus in lib. de civit. Dei: Providentia divina regna conſtituuntur humana. Exaudita fuit oratio prophetæ prædicta, ſcilicet: *Da imperium puero tuo*, quando Conſtantinus imperator factus eſt Chriſtianus & ſervus Dei. Ex quo facto Eccleſia Dei fuit mirabiliter exaltata in temporalibus & ſpiritualibus.

Puer in Sacra ſcriptura dicitur ſervus.

§. IV. Eſt autem alia dignitas in Eccleſia ſeu in orbe, quæ antecedit dignitatem imperialem, videlicet papatus. Quamvis enim utraque dignitas principium habuerit a Chriſto ſummo pontifice & ſummo imperatore, ut dicitur Diſt. 10. *Quoniam idem mediator*; non tamen ex æquo ſe habent & de pari iſtæ dignitates, ſed ſubalternatim, ita quod imperator ſit ſub Papa. Quod oſtenditur ratione, ſimilitudine, & auctoritate.

Papa eſt major imperatore.

Ratione quidem, quia, ut dicit philoſophus 12. Meth. entia noluit male diſponi. Male autem vel minus bene diſponerentur, ſi membra Eccleſiæ, ſeu fideles, qui ſunt nobiliſſima entia in mundo, per plures gubernarentur ex æquo. Nam frequenter quod uni placeret, alteri diſpliceret, & quod unus ſtatueret, alius deſtrueret. Sicut de facto pluries contingit, quando evenerunt controverſiæ inter papam & imperatorem. Non autem dicendum eſt imperatorem eſſe ſuper papam, ſicut nec caro ſuper ſpiritum, temporale ſuper ſpiritualem; ſed papa eſt ſuper imperatorem. Unde & primo, ſcilicet Petro, dixit Chriſtus: *Paſce oves meas*, Joann. ult. Et ideo ſi imperator ovis Chriſti, ideſt fidelis eſſe deſiderat, oportet, ut ſummo paſtori regimine & imperio ſe ſubditum fateatur, arg. ad hoc Diſt. 10. *Suſcipitis*. In hujuſmodi ſignum papa confirmat & conſecrat, ſeu benedicit imperatorem. Dicit autem Apoſtolus ad Hebr. 7. quod *minor a majori benedicitur*. Inſuper papa deponit imperatorem, quum ſubeſt cauſſa. Sicut Innocentius depoſuit Federicum: quod non poſſet, ſi major non eſſet. Par enim in parem non habet imperium, arg. Diſt. 21. *Inferior*. Tranſtulit quoque papa imperium de Græcis in Francos, & de Francis ad Alemannos, ut patet Diſtin. 63. *Adrianus papa Romam*, quoad primum, & in can. ſequenti quoad ſecundum. Excommunicat quoque papa imperatorem, ſicut Innocentius papa Arcadium imperatorem excommunicavit; & Ambroſius, qui non erat papa, Theodoſium Magnum imperatorem ab Eccleſia cum excommunicatis excluſit, ut Diſt. 96. *Duo*.

Probatur & hoc ſimilitudine: nam & Eccleſia militans imitatur, in quantum poteſt, triumphantem, quæ ſub uno principe gubernatur, ſcilicet Deo. Sic & decet Eccleſiam præſentem ſub uno Pontifice ſummo regi & gubernari, qui tamen non dicitur Imperator, ſed ſummus Paſtor, ſeu Papa, ideſt pater patrum, ut noverit ſe non quaſi tyrannum dominari in clero & fideli populo, ſed tamquam patrem omnium viſceroſo amore cunctos diligere, & pro poſſe juvare. Comparantur etiam hæ duæ dignitates ſoli & lunæ. Papatus ſoli, quod eſt luminare majus, & imperium lunæ, quod eſt luminare minus. Sicut ergo luna inferior eſt, & lumen recipit a ſole, ut

in

in cap. *Solitæ*, *De major. & obed.* ſic imperator inferior eſt papa, & lumen ſuæ poteſtatis ſuſcipit ab eo.

Nota pro ſummo pontifice.

Auctoritate idem probatur. Dicit enim Gelaſius papa Anaſtaſio Imperatori ſcribens: *Duo quippe ſunt, Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas ſacra pontificum, & regalis poteſtas, in quibus tanto gravius eſt pondus ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in divino reddituri ſunt examine rationem*, Diſt. 96. *Duo*. Hinc & Ambroſius in eodem canone: *Si ſublimitatem Epiſcopalem regum fulgori compares, & principum diademati, longe erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe quum videas regum colla & principum ſubmitti genibus ſacerdotum, & oſculata eorum dextera orationibus eorum credant ſe communiri*. Item Joannes papa ad Honorium inquit: *Si Imperator catholicus eſt .... filius eſt, non præſul Eccleſiæ. Quod ad religionem competit, diſcere ei convenit, non docere*, Diſt. ead. *Si Imperator*. Unde & de eccleſiaſticis perſonis & rebus non pertinet ad eum diſponere, niſi perſuadendo & conſulendo, arg. ad hoc Diſt. 96. *Bene quidem*. Si qua autem diſpoſuerunt circa eccleſiaſtica, in tantum ſunt valida, in quantum Eccleſia approbavit, arg. 17. quæſt. 4. *Si quis ſuadente*, §. *Qui autem*. Habet tamen papa utrumque gladium, ſcilicet temporalem & ſpiritualem. Spiritualem quidem, ut excommunicationis & hujuſmodi, quem univerſaliter ad omnes exercere valet. Temporalem autem in terris Eccleſiæ, quem per ſuos miniſtros exercet. In aliis autem civitatibus utitur in ſupplementum defectus, quum ad eum appellatur, vel de alio modo. Et in hujus figuram dixerunt Apoſtoli Domino: *Ecce gladii duo hic*, Luc. 22.

Imperator eſt filius Eccleſiæ, nõ præſul.

De imperio interno.

§. V. Tertium imperium, ſcilicet internale, eſt in quolibet. Eſt enim voluntas tamquam regina & imperatrix actuum aliarum potentiarum & membrorum corporis. Et in hoc differt homo a brutis, quia dominium habet actuum ſuorum, quod illa non habent. Unde Seneca: Vis tibi dem magnum imperium: impera tibiipſi. Et hoc ſignatur, ſcilicet exercitium hujus imperii rectum, in eo, quod dicit Centurio Chriſto: *Ego ſum homo ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit, & alii: Veni, & venit, & ſervo meo: Fac hoc, & facit*, Matth. 8. Ubi innuitur imperium voluntatis, quæ eſt ſub divino imperio, ſuper triplex genus potentiæ, ſcilicet appetitivæ, quum dicitur: *Dico huic: Vade, & vadit*. Affectus enim voluntatis extenditur ad rem volitam ſeu amatam. Secundo apprehenſivæ interioris ſive exterioris; quod notatur, quum dicitur & *alii*: *Veni, & venit*, Per hoc enim quis intelligit, quum ſimilitudo rei venit ſeu recipitur in ipſo ſenſu, vel intellectu. Tertio exſecutivæ vel motivæ in eo, quod dicitur *ſervo meo*: *Fac hoc, & facit*. Servus noſter eſt corpus, in quo eſt vis motiva membrorum. Et hoc tunc facit, quod ſibi imperatur, quando membra movet, & operatur ſecundum rationem. Vel ſic: Dicit quis: *Vade, & vadit*, quum reſiſtit tentationibus vitiorum. Tunc enim recedunt ſaltem, ne dominentur. Dicit alii: *Veni, & venit*, quum bonis inſpirationibus acquieſcit, optans, ut veniant & permaneant. Servus eſt corpus, quod tunc *facit*, quod ſibi dicit Dominus ſpiritus, quum caſtigat & mortificat ſe concupiſcentiis ſuis.

CAPUT XI.

De uſu.

DE uſu, quod ſit actus voluntatis, & de diverſis diffinitionibus ejus. Ubi ſciendum, quod uſus rei alicujus ſecundum B. Thomam 1. 2. quæſt. 16. importat applicationem illius rei ad aliquam operationem. Unde & operatio, ad quam applicamus rem aliquam, dicitur uſus ejus; ſicut equitare eſt uſus equi, & percutere eſt uſus baculi. Ad operationem autem applicamus & principia interiora agendi, ſcilicet ipſas potentias animæ vel membra corporis, ut intellectum ad intelligendum, & oculum ad videndum, & etiam res exteriores, ſicut baculum ad percutiendum. Sed manifeſtum eſt, quod res exteriores non applicamus ad aliquam operationem, niſi per principia intrinſeca, quæ ſunt potentiæ animæ, aut habitus potentiarum. Potentiarum autem organa ſunt membra corporis. Oſtenſum eſt autem ſupra, quod voluntas eſt, quæ potentias animæ movet ad actus ſuos; & hoc eſt applicare eas ad operationem. Unde manifeſtum eſt, quod uti primo & principaliter, eſt voluntatis tamquam primi moventis; rationis tamquam dirigentis; ſed aliarum potentiarum tamquam exſequentium, quæ comparantur ad voluntatem, a qua applicantur ad agendum, ſicut inſtrumenta ad principale agens. Actio autem proprie non attribuitur inſtrumento, ſed principali agenti, ſicut ædificatio ædificatori, non autem inſtrumento.

Uſus quis dicitur.

Uti dicitur tripliciter.

§. I. Sed pro majori declaratione dicit B. Thomas in 1. ſententiarum Diſt. 1. quod uti dicitur tripliciter. Uno modo, prout nominat quamdam operationem, ſecundum quod dicimus uſum alicujus rei eſſe bonum vel malum. Et ſecundum hoc dicitur diffiniri ab Auguſtino, quum dicit, quod uti eſt aliquid aſſumere in facultatem voluntatis, ideſt ut utens operetur de eo, quo utitur ad nutum voluntatis. Secundo modo dicit frequentiam operationis: & ſic uſus eſt idem, quod conſuetudo. Et ſecundum hoc diffinit Victorinus, quod uſus eſt actus de potentia frequenter elicitus. Et Iſidorus: *Parvum uſum lex & ratio vincat*. Diſt. 11. can. 1.

Vana diffinitio uſus.

Tertio modo dicitur uti reſpectu eorum, quæ ordinantur ad finem. Et ſic ſumitur hic, quum diſtinguitur contra frui, & diffinitur ab Auguſtino, quod uti eſt, quod in uſum venerit referre ad id, quo fruendum eſt. Ubi notandum, quod totum hoc, quod dicitur *id, quod in uſum venerit*, ponitur loco unius dictionis, & eſt circumlocutio hujus, quod dico utile, quod eſt objectum hujus uti. Actus autem convenienter per ſuum objectum diffinitur. Id autem, quod eſt ad finem, inducitur ad finem per imperium voluntatis. Unde uti eſt actus voluntatis, quæ eſt univerſalis motor virium ſecundum ordinem ad rationem.

Quibus utendum.

§. II. Quibus rebus ſit utendum. Dicendum, quod utibilia ſunt omnes creaturæ mundi, opera noſtra, & pœnæ temporales; quia hæc omnia debemus in Deum referre ut in finem. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra, quod quæcumque ſunt bona, non habent bonitatem, niſi in quantum accedunt ad ſimilitudinem bonitatis divinæ. Unde oportet, quod quum bonitas ſit ratio dilectionis & deſiderii, quod omnia amentur in ordine ad bonitatem primam, ideſt divinam. Omne autem, quod bonum eſt, a Deo eſt, unde quæ ab ipſo non ſunt, nec quærenda ſunt, nec utendum eſt eis. Unde nullo peccato utendum eſt, quia peccatum non eſt a Deo. Pœna autem a Deo

eſt; & ideo ea utendum eſt, & ordinandum in finem, ſecundum quod promovet meritum hominis, ducens eum in conſiderationem propriæ infirmitatis, & ſecundum quod purgat peccata. Similiter & res mundi, quia ab ipſo ſunt, eis utendum eſt, vel in quantum conferunt ad Dei cognitionem, oſtendentes ejus magnitudinem, vel in quantum ſunt in ſubſidium vitæ noſtræ ordinatæ in Deum.

Quod enim dicantur creaturæ eſſe factæ *in odium & muſcipulam pedibus inſipientium*, hoc eſt ex parte hominis, in quantum abutatur eis, ſiſtendo in eis ut in fine, & non ex parte ipſarum creaturarum. Similiter opera noſtra, quæ mala non ſunt, ab ipſo ſunt, & propter ipſum facienda, non quod quamlibet operationem oporteat ſemper actualiter referre in Deum; ſed ſufficit, quod, habitualiter conſtituat finem in Deo ſuæ voluntatis.

1

Uſus etiam aliquorum eſt in patria.

§. III. Uſus autem non ſolum eſt in via; ſed etiam in patria quoad quædam. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra, quod uſus quum ſit eorum, quæ ſunt ad finem, quædam ſunt contingentia finem & includentia ipſum. Et hæc ſunt, quæ non repugnant perfectioni finis, ſicut diſpoſitiones materiæ manent cum forma ſubſtantiali. Et talium erit uſus in patria, ſicut perfectiones naturales, & ſeptem dona Spiritus ſancti, & alia, quæ ex ſua ratione imperfectionem non dicant. Quædam autem ſunt ad finem ſicut diſtantia a fine, ut motus & hujuſmodi; & iſtis propter ſuam imperfectionem non compatitur finis. Et horum non erit uſus in patria ſicut pœnæ, actus, fidei, ſpei, cibi, & hujuſmodi.

Differt autem uſus Dei in rebus creatis & ab uſu noſtro in duobus. Primo, quia Deus uſum ſuum, quo utitur rebus, refert ad bonitatem ſuam; nos autem non ad bonitatem noſtram, ſed ipſius. Secundo, quia nos referimus uſum noſtrum, quo operamur, circa creaturas ad utilitatem noſtram; ipſe vero non ad utilitatem ſuam, ſed noſtram. Primum oſtendit Magiſter Diſt. 1. in operibus miſericordiæ, creationis, & juſtitiæ.

Uſus ſequitur electionem.

Uſus electionem ſequitur, & præcedit exſecutionem operis; unde Damaſcenus dicit, quod poſt electionem impetum facit ad operationem, & poſtea utitur. Ipſam enim exſecutionem operis præcedit motio, qua voluntas movet ad exſequendum ſequitur autem electionem. Et ſic quum uſus pertineat ad prædictam motionem voluntatis, eſt medium inter electionem, & exſecutionem, quæ exſecutio pertinet ad imperium, ut dicetur in ſequenti capitulo.

Duplicem habitudinẽ habet voluntas ad volitum.

Pro hujus majori declaratione dicit B. Thomas in 1. 2. quæſt. 16. art. 4. quod voluntas habet duplicem habitudinem ad volitum. Unam ſecundum quod volitum eſt quodammodo in volente per quamdam proportionem ad volitum; unde, & res quæ ſunt naturaliter proportionatæ ad aliquem finem, dicuntur naturaliter appetere illum finem; ſed ſic habere finem eſt imperfecte habere ipſum. Secunda habitudo voluntatis ad volitum eſt, ut habeat ipſum finem realiter; & hoc eſt perfecte habere ipſum. Volitum autem non ſolum eſt finis, ſed etiam id, quod eſt ad finem. Ultimum autem, quod pertinet ad primam habitudinem voluntatis reſpectu ejus, quod eſt ad finem, eſt electio. Ibi enim completur proportio voluntatis, ut perfecte velit id, quod eſt ad finem; ſed uſus jam pertinet ad ſecundam habitudinem voluntatis, qua tendit ad conſequendum rem volitam. Et ſic patet, quod uſus ſequitur electionem; ſi tamen accipiatur uſus ſecundum quod voluntas utitur potentia exſecutiva movendo ipſam. Sed quia voluntas etiam quodammodo rationem movet, & utitur ea, poteſt intelligi uſus ejus, quod eſt ad finem, ſecundum quod eſt in conſideratione rationis referentis ipſum in finem; & hoc modo uſus præcedit electionem.

Item ſciendum ſecundum Thomam ubi ſupra, quod electio præcedit uſum, ſi referantur ad idem. Nihil autem prohibet, quod uſus unius præcedat electionem alterius; & quia actus voluntatis reflectuntur ſupra ſeipſos, in quolibet actu voluntatis poteſt accipi, & conſenſus, & electio, & uſus, ut ſi dicatur, quod voluntas conſenſit ſe eligere, & conſentit ſe conſentire, & utitur ſe ad conſentiendum & eligendum, ut ſemper iſti actus ordinati ad id, quod eſt prius, ſint priores.

CAPUT XII.

De bonitate & malitia ipſorum humanorum actuum.

Differunt bonitas naturæ, & bonitas moris.

DE bonitate vel malitia humanorum actuum. Ubi primo ſciendum, quod licet omnis actio in quantum actio ſit bona, ſcilicet in genere naturæ; non tamen in genere moris: ſed aliqua bona, & alia mala. Unde Chriſtus Joan. 3. *Omnis, qui male agit, odit lucem.* Et Matth. 7. *Arbor mala fructus malos facit*, &c. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 1. quod de bono & malo in actionibus oportet loqui ſicut de bono & malo in rebus, eo quod unaquæque res talem operationem producit, qualis eſt ipſa. In rebus autem unumquodque tantum habet de bono, quantum habet de eſſe: bonum enim & ens convertuntur. Solus autem Deus habet totam plenitudinem ſui eſſe ſecundum aliquid unum, & ſimplex. Unaquæque autem res alia habet plenitudinem eſſendi ſibi convenientem ſecundum diverſa. Unde in aliquibus contingit, quod quantum ad aliquid habent eſſe; & tamen quantum ad plenitudinem eſſendi ſibi convenientem deficit eis a aliquid: ſicut ad plenitudinem eſſe humani requiritur, quod ſit quoddam compoſitum ex anima & corpore, habens omnes potentias, & inſtrumenta cognitionis & motus. Unde ſi aliquid horum deficiat alicui homini, deficit ei aliquid de plenitudine ſui eſſe. Quantum igitur habet de eſſe, tantum habet de bonitate. In quantum vero ei aliquid deficit de plenitudine eſſendi, in tantum deficit a bonitate, & dicitur malum. Sicut homo cæcus habet de bonitate, quod vivit, & malum eſt ei, quod caret viſu. Si vero nihil haberet de entitate vel bonitate, neque bonum, neque malum dici poſſet. Sic igitur omnis actio, in quantum habet aliquid de eſſe, in tantum habet de bonitate. In quantum vero ei aliquid deficit

de

1 *Habitualem* intentionem pro ea, quam nunc *virtualem* appellamus, a veteribus ſumtam Benedictus XIV. de ſacrific. Miſſæ num. 76. pag. 527. optime oſtendit ex illo S. Thomæ 3. par. quæſt. 64. art. 8. ad 3. ubi in ſacramentorum miniſtro, qui quum ad baptizandum acceſſit, actualem intentionem elicuit, at *in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapitur*, ita ait *intentionem habitualem, ſufficere perfectionem ſacramenti ex virtute primæ intentionis*, quæ ſcilicet *virtute* perſeverans, in ſacramentum influit, uti nunc ſcholaſtici de virtuali intentione loqui ſolent. Porro quæ virtualis intentio referendi opera in Deum ſatis ſit, ut opera de ſe non mala nullo peccato vel veniali inficiantur, oſtendemus pluribus not. 1. in cap. 1. tit. 6. part. 4. pag. 299. ſub notationis finem.

de plenitudine eſſendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit de bonitate; & ſic dicitur mala, puta ſi deficiat ei vel determinata quantitas ſecundum rationem, vel debitus locus, vel aliquid hujuſmodi.

Et quod Dionyſius dicit, quod malum non agit niſi in virtute boni, verum eſt, ſed bonum illud eſt deficiens. Si enim nihil eſſet ibi de bono, non eſſet ens, neque agere poſſet; ſi non eſſet deficiens, non eſſet malum. Unde & actio mala eſt quoddam bonum deficiens, quod ſecundum quid eſt bonum; ſimpliciter autem malum. Item adulterium, quod eſt quædam actio, non ſolum importat commiſtionem maris & feminæ, unde quandoque ſequitur generatio, quæ bonum eſt; ſed etiam talem actionem, in quantum caret ordine rationis; & ſecundum hoc eſt mala actio.

Bonitas vel malitia actuum ex objecto.

§. I. Actio humana habet bonitatem vel malitiam ex objecto. Unde Oſææ 9. dicitur de peccatoribus: *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt*. Fit autem homo abominabilis per malitiam ſuæ actionis. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra art. 2. quod bonum & malum actionis, ſicut aliarum rerum, attenditur ex plenitudine eſſendi vel defectu ipſius. Primum autem, quod ad plenitudinem eſſendi pertinere videtur, eſt id, quod dat rei ſpeciem. Sicut autem res naturalis habet ſpeciem ex ſua forma; ita actio habet ſpeciem ex objecto, ſicut & motus ex termino. Et ideo ſicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex ſua forma, quæ dat ei ſpeciem; ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti. Unde etiam a quibuſdam appellatur bonum ex genere, puta uti re ſua. Et ſicut in rebus naturalibus primum malum eſt, ſi res generata non conſequitur formam ſpecificam, puta ſi non generetur homo, ſed aliquid loco hominis; ita primum malum in actionibus moralibus eſt, quod eſt ex objecto, ſicut accipere aliena. Et dicitur malum ex genere, genere pro ſpecie accepto, eo modo loquendo, quo dicimus genus humanum humanam ſpeciem.

Objectum actionis eſt materia circa quã.

Ubi etiam ſciendum quod objectum actionis non eſt materia ex qua, ſed materia circa quam: & habet quodammodo rationem formæ, in quantum dat ſpeciem. Item licet res exteriores, circa quas ſunt actiones humanæ, in ſe ſint bonæ; tamen in quantum conſiderantur ut objecta actionum talium, quum non habent debitam proportionem ad hanc vel illam determinatam actionem, non habent rationem boni. Et quia ſimiles habitus ſimiles actus reddunt, ut dicit philoſophus in 2. Ethicorum: ſicut habitus bonus & malus differunt ſpecie, ut prodigalitas, & liberalitas; ita & actus bonus & malus differunt ſpecie. Quia enim differentiæ per ſe diverſificant ſpeciem, quum differentia boni & mali circa objectum conſiderata comparetur per ſe ad rationem, ſcilicet ſecundum quod objectum eſt ei conveniens vel non conveniens (dicuntur enim actus humani vel morales ſecundum quod ſunt a ratione) ideo bonum, & malum diverſificant ſpeciem in actibus moralibus. Sicut etiam in naturalibus bonum, quod eſt ſecundum naturam, & quod eſt contra naturam, ut corpus vivum, & corpus mortuum, diverſificant ſpeciem naturæ; ita in moralibus quod eſt ſecundum rationem ut bonum, & quod contra rationem ut malum, diverſificant ſpeciem moris, ſecundum B. Thomam ubi ſupra art. 5.

Ex circumſtantiis bonitas, vel malitia.

Actio humana habet bonitatem vel malitiam ex circumſtantia, & aliquando ſpecie. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra art. 3. quod in rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo, quæ debetur rei ex forma ſpeciali, quæ dat ſpeciem; ſed multum ſuperadditur ex ſupervenientibus accidentibus: ſicut in homine ex figura & colore, & aliis hujuſmodi, quorum ſi aliquid deſit ad decentem habitudinem, conſequitur malum. Ita eſt etiam in actione: nam plenitudo bonitatis non tota conſiſtit in ſua ſpecie, ſed aliquid additur ei ex his, quæ adveniunt tamquam accidentia quædam; & hæc ſunt circumſtantiæ debitæ. Unde ſi aliquid deſit, quod pertineat ad circumſtantias debitas, erit actio mala. Sunt autem circumſtantiæ extra actionem, in quantum non ſunt de eſſentia ejus, tamen ſunt in ipſa velut quædam accidentia ejus, ſicut accidentia, quæ ſunt in ſubſtantiis naturalibus. Et ſunt hujuſmodi circumſtantiæ, ut accidentia per ſe ſeu propria, & ideo conſiderantur in doctrina morum, ſicut in unaquaque arte conſiderantur accidentia propria.

Circũſtantia interdũ mutat ſpeciem.

Et nota diligenter, quod tunc circumſtantia non ſolum auget malitiam in actu malo, ſed etiam mutat ſpeciem illius actus, quando videlicet conſideratur illa circumſtantia ut principalis conditio objecti actionis, habens ſpecialem repugnantiam, & ut contrariam ordini rationis; puta ratio conſiderat vel ordinat, ſeu conſiderare poteſt, & ordinare, etſi non facit hanc conſiderationem vel ordinationem, non eſſe injuriam faciendam loco ſacro. Tollere ergo alienum de loco ſacro addit ſpecialem repugnantiam ad ordinem rationis, ultra illud, quod eſt objectum illius actionis, ſcilicet tollere alienum, quod etiam eſt contra ordinem rationis. Et ſic circumſtantia mutat ſpeciem, ut dicit B. Thomas ubi ſupra art. 10. Et tunc non remanet in ratione circumſtantiæ in genere moris, quum dat ſpeciem actui, quia conſideratur, ut quædam conditio principalis objecti, & quaſi quædam ſpecifica differentia, ſed in genere naturæ illius actionis; non eſt autem conveniens, quod unus actus moralis ſit in pluribus ſpeciebus moris etiam diſparatis.

Circũſtantiæ aggravãtes quæ.

Quum autem circumſtantia non reſpicit ordinem rationis in bono vel in malo per ſe, ſed præſuppoſita alia circumſtantia, a qua actus moralis habet ſpeciem boni vel mali, ſicut tollere aliquid in magna quantitate vel parva, non reſpicit ordinem rationis in bono vel in malo, niſi præſuppoſita alia conditione, per quam actus habet malitiam; puta hoc, quod eſt eſſe alienum, quod repugnat rationi; & ideo hoc non mutat ſpeciem peccati, ſed aggravat.

Bonitas vel malitia ex fine.

§. II. Actio humana habet bonitatem & malitiam præcipue ex fine. Unde Boetius: Cujus finis bonus eſt, & ipſum bonum, & cujus finis malus & ipſum quoque malum. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra art. 4. Quod eadem diſpoſitio rerum in bonitate, & in eſſe eſt. Sunt enim quædam, quorum eſſe ex alio non dependet, & in his ſufficit conſiderare eorum eſſe abſolute. Quædam vero ſunt, quorum eſſe dependet ab alio; unde oportet, quod conſiderentur per comparationem ad cauſſam, a qua dependent: ſicut autem eſſe rei dependet ab agente & forma; ita & a fine dependet bonitas. Unde in perſonis divinis, quæ non habent bonitatem dependentem ab alio, non conſideratur aliqua ratio bonitatis ex fine. Actiones humanæ, & alia, quorum bonitas dependet ab alio, habent rationem bonitatis ex fine, a quo dependent, præter bonitatem abſolutam, quæ in eis exiſtit. Sic igitur in actione humana quadruplex bonitas conſiderari poteſt. Una ſcilicet ſecundum genus, prout ſcilicet eſt actio, quia in quantum habet de actione in entitate, tantum habet de bonitate. Alia vero bonitas eſt ſecundum ſpeciem, quæ accipitur ſecundum objectum conveniens. Tertia, quæ accipitur ſecundum circumſtantias quaſi accidentia quædam. Quarta ſe-

In actione humana quadruplex bonitas poteſt conſiderari.

cundum finem, quaſi ſecundum habitudinem ad cauſſam bonitatis.

Et quum Dionyſius dicat: Nullus ad malum reſpiciens operatur; ſciendum quod bonum, ad quod reſpiciens operatur, non eſt ſemper verum bonum, ſed aliquando apparens bonum, & non verum; & tunc ſequitur actio mala. Nihil etiam prohibet in una actione adeſſe unam dictarum bonitatum, & deeſſe aliam. Non eſt autem actio bona ſimpliciter, niſi adſint omnes prædictæ bonitates.

In uno deficere ſatis eſt ad malum.

Item ſecundum B. Thomam ubi ſupra art. 6. ex fine diverſificatur etiam ſpecies actus humani: quod ſic declarat: Actus dicuntur humani, in quantum ſunt voluntarii. In actu autem voluntario invenitur duplex actus, ſcilicet actus interior voluntatis, & actus exterior, & uterque eorum actuum habet ſuum objectum. Finis autem proprie eſt objectum actus interioris voluntarii. Id autem, circa quod eſt actio exterior, eſt objectum ejus. Sicut ergo actus exterior accipit ſpeciem ex objecto, circa quod eſt; ita & actus interior accipit ſpeciem ex fine, ſicut ex proprio objecto. Id autem, quia eſt ex parte voluntatis, ſe habet ut formale ad id, quod eſt ex parte actus exterioris, quia voluntas utitur membris ad agendum ut inſtrumentis. Neque actus exteriores habent rationem moralitatis, niſi in quantum ſunt voluntarii. Et ideo actus humani ſpecies formaliter conſideratur ſecundum finem, materialiter autem ſecundum objectum exterioris actus. Unde philoſophus dicit in 5. Ethic. quod qui furatur, ut mœchetur, per ſe loquendo magis adulter eſt, quam fur. Et ſic quum actus habeat ſpeciem ex objecto, quia finis etiam habet rationem objecti, ex eo item habet ſpeciem.

De actibus indifferentibus.

§. III. Actionum humanarum aliquæ ſunt indifferentes ſecundum ſpeciem; ſed nulla eſt indifferens ſecundum individuum. Et primum oſtendit Auguſtinus in lib. de ſerm. Domini in monte, ubi dicit, quod quædam facta hominum ſunt media, quæ poſſunt bono & malo animo fieri, de quibus temerarium eſt judicare; & hæc dicuntur indifferentia. Quod ſic declarat B. Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 8. Omnis actus ſpeciem habet ex objecto. Et actus humanus, qui dicitur moralis, habet ſpeciem ex objecto relato ad principium actuum humanorum, quod eſt ratio. Unde ſi objectum actus includit aliquid, quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus ſecundum ſuam ſpeciem, ut dare eleemoſynam indigenti. Si autem includat aliquid, quod repugnet ordini rationis, erit actus malus ſecundum ſuam ſpeciem, ſicut furari, quod eſt tollere aliena. Contingit autem, quod objectum actus non includat aliquid pertinens ad ordinem rationis, ſicut levare feſtucam de terra, ire ad campum, & hujuſmodi; & tales ſecundum ſuam ſpeciem ſunt indifferentes. Quamvis autem omne objectum vel finis, circa quæ eſt actus, habet aliquam malitiam vel bonitatem, ſaltem naturalem; non tamen ſemper importat bonitatem vel malitiam moralem, quæ conſideratur per comparationem ad rationem. Item quamvis malum ſit privatio boni, & habitus & privatio ſint oppoſita immediata ſecundum philoſophum; non tamen ex hoc tollitur, quin poſſit eſſe aliquis actus indifferens, quaſi medium inter bonum & malum ſecundum ſpeciem. Et ratio eſt, quia duplex eſt privatio; quædam, quæ conſiſtit in privato eſſe: & quia hæc nihil relinquit, ſed totum aufert, ut cæcitas totaliter aufert viſum, tenebræ lucem, mors vitam; ideo inter hanc privationem & ejus habitum oppoſitum non poteſt eſſe aliquod medium circa proprium ſuſceptibile. Alia privatio eſt, quæ conſiſtit in privatione: ſicut ægritudo eſt privatio ſanitatis, non quod tota ſanitas ſubtrahatur, ſed eſt quaſi quædam ad totalem ablationem ſanitatis via, quæ fit per mortem. Et ideo quum talis privatio aliquid relinquat, non ſemper eſt immediata cum oppoſito habitu. Et hoc modo malum eſt privatio boni, quia non totum bonum aufert, ſed aliquid relinquit; unde poteſt eſſe aliquid medium inter bonum, & malum.

Nullus eſt indifferens ſecundum individuũ.

Secundum, ſcilicet quod nullus actus ſecundum individuum ſit indifferens, probatur ex hoc, quod dicit Chriſtus Matth. 12. *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*, quia ſcilicet eſt malum. Et dicitur *otioſum verbum* ſecundum Gregorium quod utilitate rectitudinis vel ratione juſtæ neceſſitatis caret; ſi autem non careret his, non eſſet otioſum nec malum, ſed bonum. Et idem de aliis actibus. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra, quod contingit aliquem actum eſſe indifferentem ſecundum ſpeciem, qui tamen erit bonus vel malus in individuo conſideratus. Et hoc ideo, quia actus moralis non ſolum habet bonitatem vel malitiam ex objecto, ex quo habet ſpeciem; ſed etiam ex circumſtantiis, quæ ſunt quaſi quædam accidentia; ſicut aliquid contingit individuo hominis ſecundum accidentia individuantia, quod non contingit homini ſecundum rationem ſpeciei. Et ideo oportet, quod quilibet actus individualis habeat aliquam circumſtantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum ad minus ex parte intentionis finis. Quum enim rationis ſit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali: ſi vero ordinetur ad debitum finem, congruit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Neceſſe eſt autem, quod actus ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem. Unde neceſſe eſt omnem actum hominis a ratione deliberativa procedentem in individuo conſideratum eſſe bonum vel malum. Si autem non procedit a ratione deliberata, ſed ex quadam imaginatione, ſicut quum quis fricat barbam, vel movet manum vel pedem; talis actus non eſt proprie moralis vel humanus, quum hoc habeat actus a ratione; & ſic erit indifferens quaſi extra genus actuum moralium exiſtens.

Excipe, ſi ſit indeliberatus.

Quod autem dicit philoſophus in 4. Ethic. de placidis, ideſt adulatoribus & prodigis, quod non ſunt mali, non eſt contra dicta, quia philoſophus ibi vocat malos proprie eos, qui ſunt proximis nocivi. Sed theologus dicit actum omnem malum, qui repugnat rectæ rationi, ſive noceat proximo, ſive ſibi ſoli; & ſic prodigi & placidi & hujuſmodi ſunt mali. Sed & qui agit aliquid quærens ſuſtentationem vel quietem corporis ſui, ut comedendo, dormiendo, & hujuſmodi; ſi ipſum corpus ſuum ordinat ad bonum virtutis, & illa actus pertinebit ad virtutem, & e contra, ſi malus.

Item nota, quod actus unus in genere naturæ poteſt eſſe bonus, & malus in genere moris, puta ambulatio ad Eccleſiam unam, in principio poteſt eſſe bona, ut ſi fiat propter Deum, & in proceſſu mala, ut ſi mutetur intentio, & fiat propter inanem gloriam vel laſciviam; & tunc ſunt diverſi actus in genere moris bonus, & malus propter mutationem intentionis, licet unus ſit in genere naturæ. Sed unus & idem actus in genere moris eſt impoſſibile, quod ſit bonus & malus, quum ſint contraria. Thom. 1. 2. quæſt. 20.

§. IV. Bonitas voluntatis humanæ in actibus ſuis primo dependet ex objecto, ideſt ex bono, quod vult: ſecundo ex ratione volentis: tertio ex lege æterna: quarto ex eo, quod conformatur voluntati divinæ.

Primum ſic probatur, dicit philoſophus in 5. Ethi-

Ethicorum, quod juſtitia eſt, ſecundum quam aliqui volunt juſta. Et eadem ratione virtus eſt, ſecundum quam aliqui volunt bona. Sed bona voluntas eſt, quæ eſt ſecundum virtutem; unde ſequitur, quod bonitas voluntatis ex hoc eſt, quod aliquis vult bonum, non quodcumque, ſed conveniens ad appetendum ſecundum rationem. Nam & malus vult bonum, non quidem verum, ſed apparens. Sub hoc etiam, quod quis velit bonum, includitur obſervatio debitarum circumſtantiarum. Nam ſi quis vult bonum, quando non debet vel ubi non debet, non vult vere bonum. Includitur etiam intentio debiti finis. Nam quum volumus aliquid propter intentionem alicujus finis, ordo ad illum finem accipitur ut quædam ratio bonitatis in objecto, ideſt in ipſo volito: ut quum quis vult jejunare propter Deum, ipſum jejunium habet rationem boni ex hoc ipſo, quod fit propter Deum.

Bonitas actuum humanorũ eſt ex objecto.

Secundo dependet humanæ voluntatis bonitas ex ratione, ex eo videlicet quod objectum voluntatis proponitur ei per rationem. Ad bonum intellectum eſt bonum voluntatis proportionatum ei. Bonum ſenſibile vel imaginatum non eſt proportionatum ei, ſed appetitui ſenſitivo, quia voluntas poteſt tendere in bonum univerſale, quod ratio apprehendit. Appetitus autem ſenſitivus non tendit niſi in bonum particulare, quod apprehendit vis ſenſitiva.

Bonitas actuum eſt ex ratione.

Tertio dependet bonitas voluntatis ex lege æterna, quum eſt ſecundum eam, ſicut peccatum, quod eſt contra bonitatem, dicitur eſſe actio contra legem æternam ſecundum diffinitionem Auguſtini. In cauſſis enim ordinatis effectus plus dependet a prima cauſſa, quam a ſecunda, quum ſecunda non agat niſi virtute primæ. Quod autem ratio humana ſit regula voluntatis humanæ, ex qua bonitas ejus menſuratur, hoc habet a lege æterna, quæ eſt ratio divina. Unde in pſalmo: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*, ideſt lumen rationis, quod in nobis eſt, quod nobis poteſt oſtendere bona, & regulare voluntatem noſtram, in quantum eſt *lumen vultus tui*, ideſt a vultu tuo, ſeu a lege æterna tua derivatum. Magis ergo dependet bonitas voluntatis a lege æterna, quam a ratione humana. Et ubi deficit ratio humana, oportet recurrere ad rationem æternam: quæ lex æterna licet nobis ſit ignota, ſecundum quod eſt in mente divina; innoteſcit tamen nobis per rationem naturalem, quæ ab ea derivatur, ut propria imago, vel per aliquam revelationem ſuperadditam.

Bonitas actuum eſt ex lege divina.

Quarto dependet ex conformitate ad voluntatem divinam. Unde ſuper illud Matth. 26. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, dicit gloſſa. Hoc dicit, quia rectum vult eſſe hominem, & ad Deum dirigi ſecundum Auguſtinum. Rectitudo autem voluntatis eſt bonitas ejus. Et ſic patet, quod dependet bonitas voluntatis ex conformitate divinæ voluntatis. Quum enim bonitas voluntatis dependeat ex intentione finis, finis autem ultimus voluntatis humanæ ſit Deus, qui eſt ſummum bonum; ſequitur, quod requiratur ad bonitatem voluntatis humanæ, quod ordinetur ad ſummum bonum, quod eſt Deus; & ſic oportet, quod conformet ſe cum divina voluntate, formaliter quidem; non materialiter, ideſt in communi, non particulari. Volitum enim divinum, ideſt quod vult Deus, ſecundum rationem communem, quale ſit, ſcire poſſumus. Scimus enim, quod quidquid vult Deus, vult ſub ratione boni; & ideo quicumque vult aliquid ſub ratione boni, habet voluntatem conformem voluntati divinæ, quantum ad rationem voliti. Sed in particulari neſcimus, quid Deus velit; & quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati divinæ. In ſtatu autem gloriæ omnes videbunt in ſingulis, quæ volent, ordinem eorum ad id, quod Deus circa hoc vult; & ideo non ſolum formaliter, ſed etiam materialiter conformabunt voluntatem ſuam voluntati divinæ. E contra malitia voluntatis humanæ procedit ex objecto, quando non vult verum bonum, & ex defectu rationis, & quia eſt contra legem æternam illud volitum, nec conforme voluntati divinæ. Hæc Thomas 1. 2. quæſt. 19.

Bonitas actuum humanorũ eſt ex conformitate ad voluntatem divinam.

De bonitate & malitia actuum exteriorum. Bonitas & malitia per prius reperitur in actu interiori voluntatis, quam in actu exteriori. Quod probatur ex hoc, quod dicit Auguſtinus, quod voluntas eſt, qua peccatur, & recte vivitur; & ſic peccatum vel opus bonum per prius reperitur in voluntate. Verum eſt tamen, ſi conſideretur bonitas actus exterioris, ſecundum quod eſt in apprehenſione & ordinatione rationis, prior eſt, quam bonitas actus voluntatis. Actus enim exterior eſt objectum voluntatis, in quantum proponitur voluntati a ratione ut quoddam bonum apprehenſum & ordinatum per rationem; & ſic eſt prius quam bonum actus voluntatis. Sed ſi conſideretur ſecundum quod eſt in exſecutione operis, ſequitur bonitatem voluntatis, quæ eſt principium ejus: eſt enim effectus voluntatis, & ſequitur ipſam. Finis enim eſt prior in intentione & poſterior in exſecutione.

Bonitas & malitia per prius eſt in actu interiori.

Item ſciendum, quod tota malitia vel bonitas actus exterioris non dependet ex voluntate. Nam duplex bonitas vel malitia poteſt conſiderari in actu exteriori. Una ſecundum debitam materiam & circumſtantias. Alia ſecundum ordinem ad finem. Et illa quidem, quæ eſt ſecundum ordinem ad finem, tota dependet a voluntate. Illa autem, quæ eſt ex debita materia & circumſtantiis, dependet ex ratione, & ex hac dependet bonitas voluntatis, ſecundum quod in ipſam fertur. Eſt autem conſiderandum, quod ad hoc, quod aliquid ſit malum, ſufficit unus defectus; ad hoc autem, ut aliquid ſit ſimpliciter bonum, non ſufficit unum ſingulare, ſed requiritur integritas bonitatis. Si ergo voluntas eſt bona, & ex proprio objecto & ex fine, conſequens eſt actum exteriorem inde ſequentem eſſe bonum; ſi autem deficit alterum eorum, erit actus malus. Quando igitur dicitur Matthæi 7. *Arbor bona non poteſt fructus malos facere*, ubi arbor bona ſignificat bonam voluntatem; intelligendum eſt voluntatem eſſe bonam ex actu volito bono & fine debito. Peccat enim quis & quando vult malum actum, & etiam quando vult malum finem. Et quando actus exterior dicitur bonus vel malus ſolum ex ordine ad finem; tunc eſt omnino eadem bonitas vel malitia actus voluntatis, quæ per ſe reſpicit finem, & actus exterioris quæ reſpicit finem mediante actu voluntatis. Quandoque autem actus exterior habet bonitatem vel malitiam ſecundum ſe, ideſt ſecundum materiam & circumſtantias; tunc bonitas actus exterioris eſt una, & bonitas voluntatis, quæ eſt ex fine, eſt alia; ita tamen, quod bonitas finis ex voluntate redundat in actum exteriorem & bonitas materiæ & circumſtantiarum redundat in actum voluntatis. Quamvis enim actus interior & exterior ſint diverſi in genere naturæ; tamen ex eis ſic diverſis conſtituitur unum in genere moris. Thomas 1. 2. quæſt. 20.

Tota malitia actuum exteriorum unde eſt.

Quomodo actus exterior addit ad bonitatem vel malitiam actus interioris, vel non. Sciendum igitur, quod bonitas vel malitia actus exterioris poteſt conſiderari dupliciter, videlicet ex fine intento, & ex materia & circumſtantiis. Et quantum ad primum, ideſt ex voluntate finis; tunc actus exterior nihil addit ad bonitatem, vel malitiam, niſi contingat ipſam voluntatem fieri vel me-

Num actus exterior addat ad bonitatẽ vel malitiam interioris.

meliorem in bonis, vel pejorem in malis per ipſum actum exteriorem, quam ſolum per interiorem: quod poteſt contingere tripliciter. Primo modo ſecundum numerum; puta quum quis vult aliquid facere bono fine vel malo, & tunc id non facit, poſtmodum autem vult & facit. Et ſic ibi duplicatur actus voluntatis; unde ibi duplex bonum eſt, vel duplex malum. Secundo modo quantum ad extenſionem; puta quum quis vult aliquid facere bono fine vel malo, & propter aliquod impedimentum deſiſtit, alius autem continuat motum voluntatis quouſque perficiat opus; manifeſtum eſt, quod hujuſmodi voluntas eſt diuturnior in bono vel in malo, & ſic melior vel potior. Tertio modo ſecundum intentionem. Sunt enim quidam actus exteriores, qui in quantum ſunt B delectabiles vel pœnoſi, nati ſunt intendere voluntatem vel remittere. Conſtat enim, quod quanto voluntas intenſius tendit in malum vel bonum, tanto eſt pejor vel melior.

Quantum ad ſecundum, ideſt loquendo de ipſo actu exteriori ſecundum materiam & circumſtantias, ſic comparatur ad voluntatem ut terminus & finis. Et hoc modo addit ad bonitatem vel malitiam voluntatis, quia omnis inclinatio vel motus perficitur in eo, quod conſequitur finem, vel attingit terminum. Unde non eſt perfecta voluntas, niſi ſit talis, quæ data opportunitate operetur. Si vero poſſibilitas deſit voluntate exiſtente perfecta, ut operaretur, ſi poſſet, defectus perfectionis, quæ eſt ex actu interiori, eſt ſimpliciter involuntarium. Involuntarium autem ſicut non meretur præmium vel pœnam in operando bonum aut malum, ita aliquid non tollit de pœna vel præmio, ſi homo involuntarie ſimpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum. Hæc B. Thomas 1. 2. quæſt. 20. Eventus autem ſequens ex actu exteriori aliquando addit ad bonitatem vel malitiam,

Quid de eventu ſequente actionem.

A aliquando non addit. Nam ſi eventus eſt præcogitatus, manifeſtum eſt, quod addit ad bonitatem vel malitiam. Siquis enim cogitans, quod ex opere ſuo multa mala poſſunt ſequi, & tamen non deſiſtit, utique gravius peccat; & ſic in bonis 1
actibus magis meretur. Si autem [1] non ſit præcogitatus talis eventus, tunc diſtinguendum, quia ſi per ſe, & ut in pluribus ſequitur talis eventus ex tali actu; ſic eventus hujuſmodi addit ad bonitatem, vel malitiam actus. Manifeſtum eſt enim actum eſſe meliorem ex ſuo genere, ex quo poſſunt ſequi plura bona, & pejorem, ex quo poſſunt ſequi plura mala. Si vero per accidens, & ut in paucioribus, tunc eventus non addit ad malitiam vel bonitatem actus. Non enim datur judicium de re aliqua ſecundum id, quod eſt per B
accidens, ſed ſolum ſecundum id, quod eſt per ſe. *Bonitas eſt ex diverſis.*

§. VI. Actio humana dicitur bona vel mala, recta vel peccatum, laudabilis vel culpabilis, meritoria vel demeritoria ſecundum diverſos reſpectus, & bonum malum in plus ſe habent, quam rectum & peccatum. Quælibet enim privatio boni, in quocumque exiſtat, habet rationem mali. Actio humana in tantum dicitur bona, in quantum habet de entitate. Si enim quis agat ſecundum materiam convenientem rationi, & debitas circumſtantias, & ad bonum finem; erit actio bona ſimpliciter in genere moris, quia habet totam plenitudinem entitatis actionis moralis. Si aliquid horum deficiat, erit mala in gene- C
re moris; remanebit tamen bona in genere naturæ, quia omnis actio in quantum actio eſt bona. Sed & ſiquis ambulet claudicando, poterit dici actio illa mala in genere naturæ, quia deficit a perfectione ambulationis. Sed quia rectum dicitur, cujus medium non diſcrepat ab extremis, dicitur actio humana recta, quando ipſa actio, quæ eſt quaſi medium, non exit ab extremis, videlicet

ab

[1] Eventus, qui nullo modo, neque virtualiter, vel interpretative præcognitus fuit, nihil addit ad malitiam vel bonitatem, quum ſine ulla cognitione præeunte nullo modo ſit voluntarius. Non requiritur autem, ut eventus actu præcognitus ſit, ſed virtualis, aut interpretativa ejus cognitio ſufficit, ſicut in ignorantia, ac inadvertentia culpabili ſolam virtualem & interpretativam cognitionem intervenire manifeſtum eſt, ut exponam pluribus not. 4. in c. 14. Hanc autem cognitionem Auctor præſumit, quum ex eventu *non præcogitato* malitiam vel bonitatem actus augeri affirmat: ſolius enim cognitionis actualis defectum reſpiciunt verba, *ſi autem non ſit præcogitatus*. Porro virtualis & interpretativa cognitio, quæ ad culpam ſatis eſt, eorum dicitur, *quæ quis præcognoſcere potuit ac debuit*, ut in memorata adnotatione fuſius explicabimus. Nota autem ex Auctore pulcherrimam regulam dignoſcendi, quinam ſint eventus, quos homo poteſt ac debet præcognoſcere, ut ii malitiam, vel bonitatem adaugeant. Diſtinguit eventus, qui *per ſe & ut in pluribus* ſequuntur, ab iis, qui ſequuntur *per accidens & ut in paucioribus*: quarum formularum prima indicat eventus *probabiles*, qui præcognoſci *probabiliter* queunt; ſecunda vero eventus innuit *poſſibiles*, qui ſcilicet quum aliquando, rariſſimo licet caſu, contigerint, poſſunt quidem evenire, at nullum probabile argumentum afferunt, ita ut de iis nec judicare, nec dubitare probabiliter ac prudenter poſſimus. Itaque in primo caſu, quum eventus *probabiliter* prænoſci potuit ac debuit ſive indiciis, ſive dubitatione probabili (ad dubitationem autem probabilem ante debitam diligentiam ſufficit ſuſpicandi principium aliquod ſaltem confuſum, ut ex dicendis allegato loco intelligi poteſt) etſi non actu, virtualiter tamen præcognitus dicitur, ut ad voluntarium & ad culpam, vel etiam ad meritum ſatis cognitionis habeatur, quemadmodum in peccatis inadvertentiæ, & ignorantiæ culpabilis accidit. Et obſerva, quod ad peccatum minus ſufficit, quam ad meritum, & bonitatem formalem; ac præterea ubi malum ſic præcognitum ſit, non addit ſolum ad culpam, ubi ex aliquo actu ſequitur: ſed ubicumque quiſpiam *probabiliter* dubitare de illo poterat ac debebat; quum ibi ſatis cognitionis illi fuerit ad voluntarium interpretativum atque culpabilem, quo probabili eventui, ſeu ejus periculo ſe volens expoſuit; jure peccatum eidem imputatur, ſive eventus contigerit, ſive non, uti dicitur de iis, qui in dubio probabili operantes, peccant, etiam ſi res vere in ſe peccatum forte non ſit. In altero vero caſu, quum eventus uti *poſſibilis* quidem prænoſci poterat, at non uti *probabilis*; vitare autem non debeamus poſſibilia mala, ſed tantum probabilia, quæ ſcilicet non ſcrupuloſum, ſed probabile judicium, vel dubium injiciunt; jam eventum illum vitare nihil urgebat, ita ut ſi forte accidat, id *per accidens* omnino ſit, nec ad culpam imputetur. Sic nequaquam imputatur ad culpam eventus homicidii, vel mutilationis, quæ fortuito evenit, dum quis debita diligentia adhibita, rei licitæ operam dans (nam de operante rem ſibi illicitam, quæcumque adhibeatur diligentia, cur aliter loquendum ſit, dicemus not. 5. in cap. 14. hujus tituli) pulſavit ex. gr. campanam, cujus tintinnabulum decidens, hominem mutilavit, vel interfecit: is enim eventus rariſſime contingens, præcognoſci quidem potuit uti poſſibile, non vero uti probabile; prudens autem vir ex probabilibus ad judicandum, vel dubitandum movetur, non autem ex poſſibilibus, quæ ſi movere deberent prudenter, nihil vel fere nihil eſſet agendum, quum eventus mali fere poſſint evenire &c. Secus eſſet, quum quis diligentiam pro rei gravitate debitam non adhibet; tum enim, etſi forte eventus diligentia adhibita poſſibilis, non autem probabilis inveniretur; tamen ante debitum diligentiæ uſum de illo timeri probabiliter poteſt ac debet; & hinc debitam negligentiam omittere in culpa eſt, etſi eventus non contingat, ut ille eſt in culpa, qui ſclopum explodit per feneſtram nulla, vel non ſufficienti adhibita obſervatione, num quis prætereat, vel offendi queat.

ab ordine principii activi ad finem debitum. In his enim, quæ aguntur per voluntatem, regula proxima eſt ratio humana, regula ſuprema eſt lex æterna. Quando ergo actus humanus procedit ab hac duplici regula, ut a principio in finem; tunc eſt rectus. Quando autem ab hac rectitudine obliquatur, dicitur eſſe peccatum; & ſic peccatum proprie conſiſtit in actu, qui agitur propter finem aliquem, quum non habeat debitum ordinem ad illum finem. Sicut autem malum in plus ſe habet, quam peccatum; ita peccatum in plus, quam culpa. Ex hoc enim dicitur actus culpabilis vel laudabilis, quod imputatur agenti. Nihil eſt enim aliud laudari vel culpari, quam imputari alicui malitiam vel bonitatem ſui actus. Tunc autem actus imputatur agenti, quando eſt in poteſtate ipſius, ita quod habet dominium ſui actus. Hoc autem eſt in omnibus actibus voluntariis; unde ſequitur, quod bonum & malum ſolum in actibus voluntariis conſtituit rationem laudis & culpæ, in quibus idem eſt, malum, peccatum, & culpa. Meritoria autem dicitur actio vel demeritoria per reſpectum ad retributionem, quæ fit ſecundum juſtitiam. Retributio autem fit alicui ſecundum juſtitiam ex eo, quod agit in profectum vel nocumentum alterius. Unuſquiſque autem in aliqua ſocietate vivens, eſt quodammodo pars & membrum totius ſocietatis. Quicumque ergo aliquid agit in bonum vel malum alicujus de ſocietate exiſtentis, hoc redundat in totam ſocietatem. Sicut qui lædit manum, per conſequens lædit corpus totum, cujus eſt manus. Quando ergo quis agit in bonum vel malum alicujus de ſocietate aliqua, debetur ei retributio præmii vel pœnæ primo ab illa perſona, quam juvit, vel læſit, deinde a toto collegio. Si autem agit in bonum vel malum totius collegii, debetur ei retributio primo a toto collegio præmii vel pœnæ, exinde a ſingulis de collegio. Et quum agit in bonum vel malum proprium, etiam ei debetur præmium vel pœna, quia ipſe etiam pars eſt collegii, & ſic juvit vel nocuit. Habet ergo actus humanus rationem culpæ vel laudis, ſecundum quod eſt in poteſtate noſtra; rectitudinis autem vel peccati ſecundum ordinem ad finem; meriti vel demeriti ſecundum retributionem juſtitiæ; & quia actus hominis habet rationem meriti vel demeriti, ſecundum quod ordinatur ad alterum, vel ratione ejus, vel communitatis: utroque autem modo actus noſtri boni vel mali habent rationem meriti vel demeriti apud Deum. Ratione quidem ipſius Dei, in quantum eſt ultimus finis hominis. Eſt autem debitum, ut ad finem ultimum omnes actus referantur. Unde qui facit actum malum non referibilem in Deum, non ſervat honorem Dei, qui ei ut ultimo fini debetur. Ex parte vero totius communitatis univerſi, quia in qualibet communitate ille, qui regit communitatem, præcipue habet curam boni communis; unde ad Deum pertinet retribuere pro his, quæ bene vel male fiunt in communitate. Eſt autem Deus gubernator & rector totius univerſi, & ſpecialiter creaturarum rationabilium. Et ſic patet, quod actus humani habent rationem meriti vel demeriti per comparationem ad Deum; alioquin ſequeretur, quod Deus non haberet curam de actibus humanis. Unde Eccleſiaſtes ult. *Omnia, quæ fiunt, adducet Dominus in judicium, ſive bonum, ſive malum.* B. Thomas 1. 2. quæſt. 21.

Bonitas & malitia exigit actū voluntarium.

Actio meritoria quatenus dicitur.

De merito apud Deū.

§. VII. De merito apud Deum, quod procedit ex voluntate, præſuppoſita tamen prius gratia, nota ſecundum Durandum ordinis minorum in ſumma ſua, quod omne peccatum conſiſtit in voluntate, ſicut effectus in cauſſa, quia voluntas eſt cauſſa omnis peccati. Unde Auguſtinus: *Peccatum eſt adeo voluntarium, quod nullo modo eſt peccatum, niſi ſit voluntarium*, 15. quæſt. 1. §. 1. Idem teſtatur Ambroſius ead. quæſt. can. *Non eſt.* Ita meritum omne a voluntate procedit, quantum eſt ex parte noſtra. Unde *De pœniten.* Diſt. 1. can. *Si cui: Voluntas remuneratur, non opus*, ideſt meritorium & remunerabile: nihil enim poteſt eſſe meritorium, niſi illud, quod ſit propter Deum actualiter vel habitualiter. Non enim requiritur ſemper actualis relatio in Deum, ſed ſufficit habitualis cum aliqua actuali. Nam quando voluntas fertur ſuper unam actionem, tunc ſufficit intentio actualis in principio operis. Ut qui vult peregrinari pro Deo, ſufficit, quod in primo exitu habeat actualem intentionem. Quando autem voluntas fertur ſuper plures actiones ſe conſequentes, ut qui proponit omni die dare centum eleemoſynas; ſic ſufficit actualis intentio in prima actione. Unde religioſi, qui ex caritate noverunt regulam, merentur in omni opere, quod ſpectat ad regulam, ratione primæ intentionis, niſi forte contraria intentio ſuperveniret. In aliis autem, quæ non ſpectant ad regulam, non ſufficit illa intentio reſpectu regulæ, ſed requiritur actualis.

De relatione operum in Deum.

Religioſi quomodo merentur.

§. VIII. De modis variis merendi. Nota ſecundum Durandum ordinis minorum in ſumma, quod dupliciter dicitur aliquid meritorium. Uno modo ratione operis; puta quando opus de ſe eſt ordinabile ad finem ultimum, ut opus, quod eſt de genere bonorum, ſicut eleemoſyna, jejunium, oratio & hujuſmodi. Secundo modo dicitur meritorium aliquid ratione operantis, quando ſcilicet opus de ſe eſt ordinabile ad finem creatum, cum caritate tamen operantis ordinatur ad ultimum finem; & ſic opera indifferentia poſſunt eſſe meritoria. Unde Apoſtolus 1. Cor. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quantum ad primum modum, quod omne meritum conſiſtit aut in agendo, aut in omittendo, ſeu vitando, aut in patiendo. Si in agendo, tunc dupliciter, quia aut actio eſt interior, aut exterior. Si interior, præcipue contingit mereri ſeptem modis. Primo ex conſideratione perpetrati criminis, dum illud deteſtatur dolendo: tunc enim non ſolum purgatur peccatum, ſed etiam meretur, dum hoc agit in ſtatu gratiæ, juxta illud pſal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum*, ſcilicet de peccatis, *in corde meo conſolationes tuæ*, ſcilicet meritorum, *lætificaverunt animam meam.* Secundo ex conſideratione pro merito pœnalitatis, dum per eam roboratur ad ſatisfactionem, juxta illud pſal. 37. *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Et*, pro *quia.* Tertio ex conſideratione propriæ fragilitatis, dum per eam humiliatur, pſal. 118. *Humiliatus ſum uſquequaque, Domine, vivifica me.* Quarto ex conſideratione præſentis calamitatis, dum præſentia aſpernatur, Hierem. 4. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat*, ſcilicet veris bonis, *& quaſi nihil.* Quinto ex conſideratione divinæ liberalitatis, dum per eam ad amorem Dei inflammatur. Rom. 8. *Proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Pſal. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt &c. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.... qui replet in bonis deſiderium tuum &c.* Sexto ex conſideratione alienæ adverſitatis, dum per eam compaſſionis jaculo vulneratur, 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Septimo ex conſideratione alienæ proſperitatis, dum profectui pro-

De modis merendi.

Actione interiori meretur aliquis ſeptē modis.

proximi congratulatur, 2. Joann. 1. *Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate*. Idem in 3. canonica: *Majorem horum non habeo gratiam, quam quum audio filios meos ambulare in veritate*: Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus* &c.

Actione exteriori.

Si autem est actio exterior, quæ consistit in carnis maceratione, scilicet jejuniis, vigiliis, disciplinis, ciliciis, peregrinationibus & hujusmodi, in eleemosynarum largitione spiritualium & corporalium, quæ sunt septemplices, & oratione vocali sive privata sive solemni, ut in horis canonicis; sic aliquod horum agendo in statu gratiæ & debito modo meretur: 1. Tim. 4. *Pietas ad omnia valet, promissionem, quæ nunc est, vitæ habens & futuræ*: Joann. 12. quoad maceration corporis: *Si mortuum fuerit* granum frumenti, *multum fructum affert*, scilicet meriti: psal. 34. *Oratio mea in sinu meo convertetur*, in mente scilicet quoad meritum.

Si vero meritum consistit in dimittendo, seu evitando, scilicet peccatum; tunc aut causa vel occasio subest, puta quum quis impugnatur de tentatione alicujus peccati; & tunc resistendo meretur præmium: Jacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*: 1. Cor. 10. *Non permittit vos tentari ultra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum* &c. aut quis non impugnatur tentatione, & sic non meretur præmium, sed vitat supplicium.

Si autem consistit in patiendo: aut est passio naturalis; & sic homo non meretur per talem passionem, nisi occasionaliter, ut gravitas mentis, quam habent melancolici: aut passio non est naturalis; & hæc aut est omnino voluntaria, ut quia assumta a se, aut imposita ab alio, & utroque modo meritoria, sed magis primo modo; aut omnino involuntaria, & sic nihil meretur per talia; aut partim voluntaria, & sic meritoria, non solum quum eligit ipsam passionem, sed etiam quum tolerat; plus tamen de primo modo meretur. Apostolus 2. Tim. 2. *Si sustinebimus, & conregnabimus*.

CAPUT XIII.

De exercitio voluntatis, & quomodo cor sit exercendum.

Voluntas frequenter dicitur cor.

DE exercitio voluntatis. Ubi notandum, quod voluntas humana frequenter in Scriptura dicitur cor, ut illud Deuteron. 6. & Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ideſt ex tota voluntate, secundum communem expositionem. Ratio hujus esse potest, quia sicut cor est principalius omnibus membris corporis; ita voluntas est principalior inter potentias animæ, secundum B. Thomam, ut patet supra. Et sicut ex dispositione cordis bona vel mala procedit vita vel mors principaliter; sic ex dispositione voluntatis bona vel mala procedit vita per gratiam animæ, vel mors per peccatum. Sub nomine igitur cordis hic tractatur de exercitio voluntatis. Et circa hoc tria videamus.

Primo a deitate oportet cor perfectionari, ut in gloria vivat.

Secundo ab humanitate debet cor exercitari, ut in gratia proficiat.

Tertio ab iniquitate habet cor mortificari, ut in gehenna non permaneat.

§. I. Quantum ad primum dicit Salvator: *Hoc fac, & vives*, scilicet in vita æterna, Luc. 10. A scilicet ut diligas ex toto corde, ideſt perfecto. Sed ut dicitur in Cantico, *Dei perfecta sunt opera*, non hominis, Deut. 32. Ipse enim *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*, ait Apostolus ad Philipp. 2. Septem autem modis Deus operatur in corde nostro, ideſt in voluntate, ut ducat eam ad perfectionem.

Deus operatur in corde nostro septem modis.

Primo intuendo ipsum cor, ut ducat ad mali detestationem: 1. Regum 16. *Homo videt, quæ patent*, scilicet exterius; *Deus autem intuetur cor*. *Intuetur* autem *cor* cognoscendo omnes cogitationes, ideſt affectiones hominum; propter quod deberent homines multum erubescere de malis desideriis, etsi occultis, quum ante homines probos erubescat quis, & caveat peccare. *Intuetur* etB iam cor *Deus*, quum videlicet facit hominem intueri, & cognoscere ac detestari peccatum suum. In cujus figuram Dominus Jesus respiciens Petrum, qui stabat ad ignem cum Judæis, & eum negaverat, cognoscere fecit, & flere peccatum suum.

Secundo aperiendo cor ad gratiæ susceptionem & obeditionem. Unde 2. Machab. 1. dicitur: *Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis*. Et paullo ante quasi declarans, quod ante præmisit: *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem*. Oportet tamen pulsare orationibus, & aliis operibus, quæ sunt de genere bonorum. *Pulsate, & aperietur vobis*, inquit Dominus Jesus, Luc. 11. Cscilicet cor vestrum ad gratiam recipiendam. Sicut enim artifex non introducit formam, nisi disposita materia ad eam recipiendam; sic nec Deus gratiam. Unde in figuram clausum cælum orationibus Eliæ apertum est, 3. Reg. 17. & 18. Sic cælum cordis clausum per peccatum aperitur, & aquis gratiæ repletur ad effundendum aliis, ut patet in Matthæo & Paullo & multis aliis.

Tertio operatur Deus circa cor, ipsum tangendo ad ferventem imitationem. In cujus figuram legitur 1. Reg. 10. *Abiit cum Saul pars exercitus, quorum Deus tetigerat corda*. Sic illi, quorum corda Deus tangit per fervorem tamquam boni, & fideles Christi milites, Christum sequuntur regem populi sui, immo universi, licet quidam eum despiciant. Imitatur autem fugiendo, D & horrendo honores, divitias, & delectabilia mundi. Unde Cant. 5. dicit anima de sponso, scilicet Christo: *Venter meus contremuit ad contactum ejus*. *Venter*, qui est caro tenera & mollis continens simum significat sensualitatem, quæ tota mollis est ad mundana, & delectabilia, continens simum concupiscentiæ. Et hæc *contremuit ad contactum* Christi per fervorem, horrendo & restringendo talia, quæ Christus renuit. Tremuit etiam mirando, quæ pro nobis fecit, & quanta pertulit dura.

Quarto operatur circa cor visitando ad emundationem: psal. 16. *Probasti cor meum, & visitasti nocte*, scilicet tribulationis, *igne me examinasti*, scilicet tentationis. Et ecce effectus utilis in E eo, quod sequitur: *Non est inventa in me iniquitas*, quia scilicet purgata est per hujusmodi visitationem, sicut igne purgatur aurum & argentum a scoria. Et sicut prælatus & medicus in visitando subditos & infirmos per correctiones & medelas amaras, purgant ille animas, iste corpora, si tamen permittunt se tractari, ita Deus piissimus visitando per tribulationes; & tentationes, & hujusmodi.

Quinto operatur molliendo ad devotionem: Jobi 23. *Deus emollivit cor meum*. Importat autem devotio secundum B. Thomam 2. 2. quamdam promtitudinem voluntatis ad ea, quæ pertinent ad Dei cultum & honorem, ut ad adorandum Deum, laudan-

dandum, meditandum, & hujuſmodi; & ex his proficit anima in dilectione, juxta illud pſal. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis*, ſcilicet dilectionis ad extra ſe manifeſtando per bona & devota opera. Et Apoſtolus: *Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino*, ad Epheſ. 5. Nam ut dicit Hieronymus: *Non verbis tantum, ſed corde orandus eſt Deus. Et melior eſt quinque pſalmorum decantatio cum cordis puritate & hilaritate, quam totius pſalterii modulatio cum anxietate atque triſtitia, De conſecr.* Diſt. 5. *Non mediocriter*. Et hoc pertinet ad devotionem veram, quæ eſt a Deo. Unde Ambroſius dicit, quod facit devotos, quos vult.

Sexto operatur loquendo per illuſtrationis conſolationem: Oſææ 2. *Ducam eam*, ideſt animam, *in ſolitudinem*, ſcilicet ſeparando eam a tumultu hominum, paſſionum, & affectionum, *& loquar ad cor ejus*, oſtendendo ſcilicet voluntati, quam bonus & ſuavis ſit Deus. Bonum enim apprehenſum per intellectum movet voluntatem, & quanto magis oſtenditur bonum, tanto voluntas magis amat & gratulatur. Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine, dediſti lætitiam in corde meo*, ideſt cognitio voluntatis tuæ, & mandatorum tuorum, per legem naturalem inſerta eſt, & cognitio bonitatis tuæ; & ex hoc ſequitur, quod *dediſti lætitiam in corde meo*, quæ lætitia & delectatio voluntatis excedit omne gaudium mundi.

Septimo & ultimo operatur Deus circa cor, ideſt voluntatem, trahendo & uniendo ſibi totaliter: Jobi 34. *Si direxerit ad eum*, ſcilicet Deum, *cor ſuum, ſpiritum ejus & flatum ejus ad ſe trahet*, ipſe ſcilicet Deus, ideſt voluntatem ſuam & petitionem ſuam in oratione, ut ſcilicet creatura non appetat niſi Deum. *Qui* enim *adhæret Deo*, per dilectionem perfectam, *unus ſpiritus eſt cum eo*, 1. Cor. 6. Habet enim amor vim unitivam & transformativam. Unde & de primis chriſticolis dicitur Act. 4. quod *multitudinis credentium erat cor unum & anima una in Domino*, ut ſcilicet quod vult unus, velit & alter ſecundum Deum. Sic & qui puro corde Deum diligit, non aliud vult niſi Dei voluntatem & beneplacitum in omnibus impleri. Et talis dicere poteſt cum Apoſtolo: *Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Chriſtus*, ad Gal. 2. Et illud pſal. 72. *Deus cordis mei*, ſcilicet poſſeſſor, *& pars mea Deus in æternum*.

S. 11. Quantum ad ſecundum principale ſciendum, quod ad hoc, ut terra cordis noſtri faciat fructum centeſimum, ideſt perfecta opera ex ſemine verbi Dei vel divinæ inſpirationis, prout de ea dicitur parabolice Luc. 8. *Quod autem cecidit in terram bonam, hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes* &c. ſeptem a nobis circa cor ſunt facienda, & ex his habetur cor purum & mundum, de quo Chriſtus, Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Item ſeptem ſunt ſigna ſeu effectus perfectæ dilectionis, de qua Deut. 6. & Lucæ 10. & Matth. 22. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Cor

Septem ſint nobis facienda circa cor noſtrum.

Primo eſt molliendum,
Secundo eſt abluendum.
Tertio eſt cuſtodiendum.
Quarto eſt deprimendum.
Quinto eſt exercendum.
Sexto eſt refovendum.
Septimo eſt in unitate tenendum.

Cor eſt emolliendū.

Quantum ad primum ſciendum, quod peccatum facit cor (ideſt voluntatem) durum ut lapidem, ut quemadmodum lapis & alia dura reſiſtunt tactui, nec recipiunt impreſſionem digiti ſicut mollia, ut cera; ita peccatoris cor ita obduratur, quod reſiſtit tactui divinæ inſpirationis, nec recipit impreſſionem digiti, ideſt Spiritus ſancti, qui dicitur digitus Dei per gratiæ infuſionem. Unde & de diabolo & quolibet membro ejus, ideſt peccatore, dicitur Jobi 41. *Cor ejus indurabitur quaſi lapis*. Nec intelligi poteſt de corde carneo, quia diabolus corpus non habet, ſed intelligitur de voluntate, quæ eſt in malum obſtinata. Emolliendum eſt ergo cor & mollificandum: & ratio hujus eſt propter magnum nocumentum inde ſequens: nam, ut dicitur Eccleſ. 3. *Cor durum male habebit in noviſſimo*. Et declarat Bernardus proprietates cordis duri, dicens in libro de conſideratione: Cor durum eſt, quod contritione non ſcinditur, precibus non flectitur, minis non cedit, flagellis obduratur, & tale cor habens, in noviſſimo male ſe habet: quia ſicut lapis & omnia gravia tendunt ad centrum; ita habentes cor obduratum in malis, deſcendunt ad infernum, qui eſt in centro terræ. Sicut accidit Pharaoni, cujus cor obduratum, quia nec minis Dei, nec flagellis, nec monitis eſt emollitum; demum *deſcenderunt in profundum quaſi lapis*, ut dicitur Exodi 15. ipſe ſcilicet Pharao cum exercitu ſuo *deſcenderunt in profundum* maris rubri, quoad corpus, & *in profundum* inferni, quoad animam. Emolliendum eſt cor noſtrum, quod & ipſa natura docet, quæ non dedit nobis cor æneum, lapideum, aut oſſeum; ſed carneum. Emollitur autem a ſua duritia per opera de genere bonorum, ut jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia hujuſmodi, unde Gregorius de permanente in peccato mortali dicit: *Interim quidquid boni facere poterit, hortamur, ut faciat, ut Deus cor ejus illuſtret ad pœnitentiam, De pœnit.* Diſt. 5. *Falſas*. Quando enim illuſtratur, tunc mollificatur, ideſt diſponitur & habilitatur. Quod quia Deus operatur hanc mollificationem, propter quod dicit per Ezech. cap. 36. *Auferam a vobis cor lapideum*, ideſt obduratione, *& dabo vobis cor carneum*, ideſt mollificatione; ideo orandus eſt, ut tollat duritiem.

Quomodo.

Cor eſt abluendum.

Quantum ad ſecundum, ideſt de ablutione, nota quod Deus principaliter ab homine cor expoſtulat; unde dicit Proverb. 23. *Fili, præbe mihi cor tuum*; non dicit manum, pedem, vel caput, aut cerebrum, ſed *cor*, ideſt voluntatem. Manum offert Deo, qui opera de ſe bona tantum facit: pedes, qui ad Eccleſiam vel indulgentias vadit: caput præbet ſeu cerebrum, qui vacat cognitioni divinorum, ſpeculando tantum. Sed iſta non ſufficiunt ad ſalutem, ſed oportet *cor*, ideſt voluntatem Deo offerre. Eſt enim Deus ſimilis cuidam avi, quæ dicitur phœnix: hæc quum paſcitur de præda, non vult niſi tantum *cor*. Sic glorioſus Deus de corde, ideſt affectibus hominum erga ipſum paſcitur ſeu delectatur. Sed quia ut dicitur Prov. 20. *Quis poteſt dicere: mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* quaſi diceret: nullus: Deus autem ſumma puritas eſt, & *inter lilia paſcitur*, ut dicitur in Cant. 2. ideſt mentes puras; ideo abluendum eſt cor ipſum. Et hoc ipſe præcepit, dicens Hierem. 4. *Lava a malitia cor tuum*. Cor corporis utique lavari non poteſt, vivente homine; loquitur ergo de corde ſpirituali animæ, ideſt voluntate, quæ lavari non poteſt aqua materiali, ſed lavari poteſt & debet aqua ſpirituali, ſcilicet lacrymis mentis, ideſt deteſtatione & perfecta diſplicentia ipſorum peccatorum, ut ſic purificetur. Ad quod hortatur Jacobus dicens cap. 4. *Purificate corda veſtra*, ſubdens modum: *Miſeri eſtote, & lugete*, ideſt dolentes. Sicut enim

Contraria contrariis curantur.

circa corpora humana videmus, quod contraria contrariis curantur ſecundum medicinam, ut infirmitas ex humoribus frigidis contracta per remedia calida ſeu tepentia removetur. Item ſecundum B. Thomam in 4. Diſt. 17. quum peccatum, quod maculat animam, committatur per nimiam complacentiam & inordinatam voluntatem, ad hoc, ut tollatur ab ea, oportet contrarium fieri, ſcilicet quod per pœnitentiam habeat anima deteſtationem voluntatis de ipſo peccato & diſplicentiam ſecundum rationem, ita quod nullo modo voluiſſet commiſiſſe; ſed potius mortem incurriſſe, quam peccatum mortale. *Eſt* enim *pœnitentia*, ſecundum Ambroſium, *dolor cordis & amaritudo animæ pro peccatis commiſſis*, *De pœnit.* Diſt. 1.

Pœnitentia quid eſt.

Ecce nunc tempus. Et propterea dicebat prophe-
B ta Johel cap. 2. *Scindite corda veſtra*, ideſt conterimini voluntate, *& non veſtimenta veſtra* (ſupple *tantum*) ideſt corpora, quæ ſcinduntur quaſi per abſtinentiam. Sed non ſufficit hoc ſine contritione, cui ad perfectiorem purificationem addenda eſt confeſſio tempore congruo & completa. Unde dicitur Threnor. 2. *Effunde ſicut aqua cor tuum*, ut ſcilicet quidquid malitiæ eſt in corde, totum confiteatur cum circumſtantiis, præcipue neceſſariis, ſicut quum de vaſe materiali effunditur aqua, non remanet nec ſapor, nec odor, nec color vel aliud.

Cor eſt cuſtodiendū.

Tertio cor eſt cuſtodiendum & multum diligen-
/ ter. Unde Prov. 4. dicitur: *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit*. Et hoc
C ipſum natura docet, quæ circa cor materiale poſuit plures coſtodias antequam poſſet perveniri ad ipſum & lædi, ut carnem & oſſa ſeu coſtas & pulmonem. Et propter multiplicem cuſtodiam ejus appoſitam dicitur quaſi cuſtodium. Vel aliter & melius dicitur quaſi cuſtodia omnium rerum, ſcilicet corporis, ut dicitur in Catholicon. Eſt autem ipſum cor animæ, ideſt voluntas, ſicut quoddam caſtrum ſeu palatium obſeſſum ab inimicis, quod quum habeat multas portas vel aditus, niſi circumquaque bene cuſtodiatur, una ſola porta vel rimula aperta vel non cuſtodita, de facili intrat hoſtis & capit. Et ideo dicit Salomon, *omni cuſtodia*, ideſt plena, non in partem. Sen-
D ſus exteriores ſunt portæ, ut viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus. Et iſtas oportet cuſtodire. Etiam concupiſcibilis & iraſcibilis ſunt portæ: inde ſurgentes paſſiones intrant ad voluntatem, ut illicite aſſentiat malis, & diabolus intrat per eas. Unde per amorem pecuniæ inordinatum intravit diabolus in cor Judæ, ut traderet Dominum Jeſum, ut dicit Joannes Evangeliſta 13. intravit autem in cor non eſſentialiter, ſed per effectum malitiæ, ſcilicet inſtigando & inducendo ad illud malum, ut dicit Beda. Sed & ipſum cor etiam ex ſe inclinatur ad mala appetenda; propter quod dicitur Hierem. 17. *Pravum eſt cor hominis*, ideſt aptum ad volendum prava. Et de facili etiam recedit a bonis propoſitis, &
E affectibus ſeu cogitationibus, juxta illud pſal. 39. *Cor meum dereliquit me*, ideſt dum bona cogitarem, & optarem imperceptibiliter, receſſi ab illis bonis cogitationibus & affectionibus. Oportet ergo *omni cuſtodia* cuſtodire *cor*, quoad impugnationes dæmonis, carnis paſſiones, & ipſius voluntatis vanitatem & malitiam; alias peccatum intrat in ipſum de facili, & occidit animam. In cujus figuram 2. Regum 4. dicitur, quod Iſboſeth filius Saulis Rex Iſrael quum poſuiſſet in cuſtodiam palatii ſui mulierem purgantem triticum, duo principes latronum Rechab & Baana occulte intraverunt in domum, ipſa dormiente, & Iſboſeth quieſcentem & dormientem in inguine percuſſerunt, ablatisque ſpicis receſſerunt. Palatium ſeu domus Iſboſeth eſt cor noſtrum, ad cujus portam & aditum non ſufficit po-
A nere cuſtodiam, ſed oportet ſtatuere virilem, non mollem cuſtodiam, & diligentem & fortem, ſcilicet rationem, quæ non dormitet *præ tædio*, ſed vigilans perſeveret ad diſcernendum cogitationes & affectus bonos a malis. Quod ſi dormitaverit, dæmones per vitia carnalia vel ſpiritualia, ſeu per peccata operis, aut ſaltem cogitationis latenter intrant, & occidunt animam privatam gratia, & auferunt a domo cordis ſpicas omnium virtutum. Vigilandum eſt ergo circa cuſtodiam cordis; unde dicitur Eccleſiaſtici 21. *Qui timet Deum, convertetur ad cor ſuum*, ideſt totum ſe vertet & undique ad cuſtodiendum cor.

Cor altum quomodo eſt deprimendum.

Quarto eſt deprimendum ex pœnitentia & dili-
B genti cuſtodia ſui. Quandoque oritur ſuperbia; & ideo, ut dicitur Eccleſiaſtici 2. *Deprime cor tuum*, ideſt deorſum prime, *& inclina* per humilitatem, conſiderando vilitatem tuam, ſubmittendo voluntatem ipſam ſeu cor Dei voluntati & mandatis ejus: nec extollas te ſupra virtutem tibi collatam, vel regulam tibi præfixam a Deo, ponendo te, & appetendo quæ ſunt ſupra conditionem tuam. Nam quod ſuperbia extollat, oſtendit Abdias propheta dicens: *Superbia cordis tui extollit te*, ideſt ſupra te tulit appetendo, quæ ſupra conditionem tuam ſunt, & majora de te æſtimando, quam habeas. Ex hoc autem ſequitur ruina magna, prout dicitur Prov. 18 *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis*, ideſt propter hoc conteritur voluntas hominis, ut ad nihilum redigantur
C merita ejus & virtutes & bona, quia ſe exaltavit per ſuperbiam; quod patet in Lucifero & Nabuchodonoſor, qui dicebat in corde ſuo: *In cælum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum* &c. Iſai. 14. Et ſequitur: *Ad infernum detraberis*; quod exponitur a doctoribus de utriuſque ſuperbia, ſcilicet diaboli & Nabuchodonoſor. Deprimendum eſt igitur cor noſtrum & humiliandum: quod ipſe Salvator exemplo & verbo nos docuit dicens: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*, Matth. 11. Et rationem videtur aſſignare Pſalmiſta quare Deo ſubjici debet voluntas noſtra, & ſic cor deprimere, dicens: *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea?* &c. certe ſic, propter cauſſas,
D quæ ſequuntur, ideſt ſua beneficia, ut dicit Hugo cardinalis ſuper pſalmos. Et primo propter beneficium redemtionis: *ab ipſo enim ſalutare meum*, ideſt Jeſus Salvator a Deo miſſus. Secundo propter beneficium creationis. *Nam & ipſe Deus meus*. Tertio propter beneficium juſtificationis, ibi: *Et ſalvator meus*. Quarto propter beneficium ſuffragationis in anguſtiis & tentationibus, ibi: *Suſceptor meus*. Eſt autem ſubjicienda anima Deo ut diſcipula magiſtro: Iſaiæ 50. *Audiam quaſi magiſtrum*, ideſt obediam. Item ſubjicienda ut creatura creatori: Iſai. 45. *Væ qui contradicit factori ſuo*. Item ſicut materia artifici: Hierem. 18. *Sicut lutum in manu figuli, ſic omnes vos in manu mea, dicit Dominus*. Item ſicut ſponſa ſponſo: Iſai. 61. *Exſultavit anima mea in Domino, quia*
E *induit me veſtimento ſalutis* &c. Item ſicut ancilla dominæ: 1. Reg. 25. *Famula tua ſit in ancillam, ut lavem pedes ſervorum domini ſui*. Et Pſal. 122. *Sicut oculi ſervorum, in manibus dominorum ſuorum*. His igitur modis humiliandum eſt Deo.

Cor eſt exercendum.

Quinto eſt cor in bono exercendum non otio dimittendum, vel malo occupandum. Et hoc optime ipſa natura docet. Nam ut dicit Rabbi Moyſes: Sicut ſe habet cælum ad univerſum materialem, ita cor ad corpus animalis. Cælum enim numquam quieſcit, ſed ſemper movetur; ita & cor, quod per pulſum manifeſtatur. Hujus cordis motus, ſi ad horam ceſſaret, deficeret vita animalis.

lis : ſicut etiam deficiente motu cæli, ceſſaret motus generationis & corruptionis & alterationis in iſtis inferioribus. Eſt autem ipſum cor rubicundum, acutum in ſummo ad modum flammæ ignis, ad innuendum, quod debet cor animæ, ideſt voluntas, exerceri ſecundum ignem caritatis. Unde Eccleſiaſtes 11. dicitur: *In bono ſit cor tuum*, ſcilicet opere occupatum. Eſt autem exercendum in bono multipliciter.

Primo, ſcilicet circumcidendo; unde Hierem. 4. dicitur: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum*, ideſt ſuperfluitates ab appetitu rationali, ad quas inclinat appetitus ſenſualis delectabilium, ſcilicet in cibis & venereis, quoad honorem & famam & ſcientiam & ſuperſtitiones. Reprehenſi fuerunt Judæi a protomartyre Stephano de hac circumciſione dicente. *Incircumciſi cordibus & auribus vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*, Act. 7. Ubi oſtenditur gravitas mali hujus incircumciſionis, quia ſcilicet per hoc reſiſtitur Spiritui ſancto, ne in cor intret. Eſt etiam a triſtitia immoderata reſecandum, quia ut dicitur Prov. 25. *Triſtitia viri nocet cordi*. Nec eſt contra illud Eccleſiaſtes 7. *Cor ſapientis, ubi triſtitia*, ideſt ſapiens moratur in triſtitia cordis; quia hoc intelligitur de triſtitia utili pœnitentiæ & moderata.

Secundo cor eſt ad Deum in oratione erigendum per affectum intenſum. Thren. 3. *Levemus corda noſtra cum manibus*, ideſt operibus *ad Deum*. Hinc Cyprianus ait: *Quando ſtamus ad orationem, fratres, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus* &c. *De conſec.* Diſt. 1. *Quando*. Et Eccleſiaſtici 39. dicitur de juſto viro, quod *tradet cor ſuum ad vigilandum diluculo*, ſcilicet per meditationem & orationem attentam *ad Deum*, *qui fecit illum*. Nam de orantibus & laudantibus Deum ſine attentione & affectu dicit Dominus Iſai. 29. & Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe eſt a me*, ſcilicet diſtracti in alia, & affecti ad vitia.

Tertio cor eſt exercendum inquiſitione per ſtudioſitatem. Movet enim affectus cordis intellectum ad inquirendum veritatem, & præcipue a Deo. Sed *in ſimplicitate cordis quærite illum*, ait Sapiens, Sapientiæ 1. ideſt pura intentione ad placendum illi, & fruendum eo, non ad divitias, & honores obtinendos, ut faciunt homines mundi quærentes proſperari, & ſcire divina, *ut vocentur ab hominibus Rabbi*. Regina Sabba, quæ fuit ita ſtudioſa, quod venit a finibus mundi audire ſapientiam Salomonis, quum locuta fuiſſet omnia, *quæ erant in corde ſuo*, Salomoni, ut dicitur 2. Paral. 9. dubia & obſcura inquirendo ab eo, de omnibus fuit edocta.

Quarto in ſufferendo increpationes; unde Prov. 15. dicitur: *Qui acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis*. *Acquieſcit* autem, qui non ſolum ſuffert patienter reprehenſiones Dei vel hominum, ſed etiam cognoſcit ſuum defectum, unde emendatur; & ſic cor poſſidet habens in ſua poteſtate, non ſubditum paſſionibus iræ, & odii, & hujuſmodi. Unde ſecundum Iſidorum: Ideo natura incluſit in pulmone cor, ut quum ſanguis accenditur per iram circa cor, humectetur ex humore pulmonis, ne nimis inardeſcat.

Cor eſt refovendum.

Sexto eſt cor refovendum. Quum enim, ut dictum eſt, cor continue laboret, oportet, quod confortetur ad ſufferendum laborem. Sic & corpus noſtrum oportet confortare & cibare, ut poſſit in exercitio perſeverare. Et hoc eſt, quod dicit pſal 30. *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum*, quaſi diceret: Ut poſſitis perdurare in virtuoſis actibus, confortetur voluntas. Et quibus modis ipſum cor confortetur & roboretur, idem oſtendit pſal. 103. dicens: *Panis cor hominis confirmet*. Nec eſt credendum ſolum de pane materiali locutum fuiſſe propheram, quia prophetæ intendebant docere populos ſpiritualia, non corporalia & naturalia; ſed principaliter de pane ſpirituali ſub ſimilitudine corporalis; quia ſicut panis materialis fortificat corporis cor; ita panis ſpiritualis ſacræ doctrinæ vel euchariſtiæ corroborat & confirmat in bono cor animæ, ideſt voluntatem. In cujus figuram Dominus Jeſus turbas ſequentes eum in deſerto noluit dimittere jejunas, ne, ut ipſe ait, deficerent in via; ſed ſatiavit eas pane, ut fortificarentur, ut habetur Matth. 8. Sic ſequentes Chriſtum in deſerto mundi, oportet pane verbi Dei refici, ne deficiant ſpiritu. Et qui in Emaus cum Chriſto venerant, dicebant: *Nonne cor noſtrum ardens erat*, &c. Luc. ult. Et Elias ſumto pane ſubcinericio, quod ſignat Euchariſtiam ſecundum B. Thomam in officio corporis Chriſti, *ambulavit in fortitudine cibi illius*, confortatus *uſque ad montem Dei*, ut habetur 3. Regum 19. Mons Dei eſt vita æterna. Confortetur cor etiam vino, quia *lætificat cor omnis, & omnem mentem facit ſecuram* (alias *ſerenam*) Et hoc vinum eſt jucunditas mentis ſpiritualis. Unde dicitur Eccleſiaſtici 30. *Jucunditas cordis hæc eſt vita hominis*, ideſt conſervat vitam ſpiritualem, ſicut & corporalem. *Odoribus* quoque *confortatur cor*, &c. ut dicitur Proverb. 27. Odores ſpirituales ſunt exempla ſanctorum, quibus *confortatur cor*, & animatur ad bona.

Cor eſt in unitate ſervandum.

Septimo & ultimo eſt uniendum, ſeu in unitate ſervandum. Sicut natura unum cor dedit corpori, ita & unam voluntatem animæ, quoad potentiam. Sed quantum ad actus ejus & fines facimus multas & diverſas. Volunt enim aliqui & Deum & divitias & honores, in eis conſtituendo finem; & ſic dividunt cor in multa. Et de hujuſmodi peccatoribus dicitur Oſææ 10. *Diviſum eſt cor eorum*, ſcilicet in diverſa diſtracti. Sed ut dicitur Eccleſ. 2. *Væ duplici corde*. *Væ* autem importat æternam damnationem. E contra, omnis virtus unita eſt magis infinita, ideſt fortior, ut dicitur in libro de cauſſis; & ideo, ut cor ſit robuſtum ad prælia tentationum, reducendum ad unitatem, ut ſcilicet in omnibus unum ultimum, & verum finem ſibi præſtituat, ſcilicet Deum. Unde dicitur Eccleſiaſtici 30. *Congrega cor tuum*. Et quia ad hoc opus eſt Dei auxilio, ipſe illud promittit, dicens Hier. 22. *Dabo eis cor unum*, ideſt unitum ad perfecte diligendum, non ſolum Deum, ſed proximos etiam propter Deum. Quod illi chriſticolæ primi optime ſervaverunt: nam ut dicitur Act. 2. *Multitudinis credentium erat cor unum*, ſcilicet concordantes in voluntate ad quærendum & faciendum voluntatem Domini, & honorem, & mutuam ſubventionem. Ubi ergo malitia unum cor dividit in multa, ad quæ applicatur, concordia multa corda unire facit, & unit etiam cum corde Dei, ideſt voluntate; & ut dicitur Matth. 6. *Ubi eſt theſaurus tuus*, illud, quod æſtimas principale bonum, & maxime amas, ut amatur theſaurus a mundanis, *ibi eſt & cor tuum*. Si Deum theſaurum tuum reputas, qui & verus, & *infinitus theſaurus eſt hominibus*, ut dicitur Sapient. 7. illum cogitas, & frequenter conſideras, & continue amas. Et quia amor ſecundum Dionyſium habet vim unitivam, & Deus, ſi dici poſſet, uniſſimus eſt; ideo eum perfecte diligendo cor tuum perfectiſſime efficitur unum.

§. III. Quantum ad tertium principale, ſcilicet quod cor mortificatur, & ad gehennam dirigitur per iniquitatem; & ex tali *corde exeunt cogitationes malæ*, &c. Matth. 15. eſt notandum, ſecundum Mauritium in diſtinctionibus, quod

Septē ſunt differentiæ cordium iniquorum.

ſeptem ſunt differentiæ cordium iniquorum.
Eſt enim cor indiſciplinatum.
Eſt cor infatuatum.
Eſt cor ſuperbia elatum.
Eſt cor nequitiæ applicatum.
Eſt cor dolo circumdatum.
Eſt cor depravatum.
Eſt cor induratum.

Cor indiſciplinatū.

De primo dicitur Jobi 17. *Cor eorum longe ſecit a diſciplina.* Diſciplina importat doctrinam & correctionem, ſeu compoſitionem in moribus. Eſt ergo cor indiſciplinatum, quod non recipit doctrinam, vel non ſe emendat per flagella. Dicitur autem Deus hoc facere, ſcilicet indiſciplinatum, in quantum permittit fieri.

Confert autem hæc indiſciplinatio tria mala, ſcilicet primo ad malum pronitatem. Unde dicitur Gen. 8. *Senſus & cogitatio humani cordis pœna ſunt ad malum*, ſcilicet ex ſe, niſi fuerint diſciplina, præcipue in adoleſcentia, refrænati. Inducit mentis inſtabilitatem; propter quod dicitur Eccleſiaſtici 16. *Qui minoratur corde, cogitat inania. Minoratur* autem quis *corde*, in voluntate boni, propter defectum doctrinæ & correctionis. Adducit & conſcientiæ mordacitatem, quæ eſt utique maxima pœna; & ideo Proverb. 5. dicit Salomon, quod indiſciplinatus habens remorſum de malis dicit: *Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum?*

De ſecundo, ſcilicet corde infatuato, dicitur Proverb. 18. *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi dixeris ea, quæ verſantur in corde ſuo*, ideſt niſi aſſenſeris affectionibus ſuis. Præcipue facit ira hominem ſtultum; unde dicitur Eccleſiaſtes 7. *Ira in ſinu*, ideſt mente *ſtulti requieſcit*, & Chryſoſtomus: Iræ & inſaniæ nihil eſt medium. Hæc autem ſtultitia cordis tria mala generat: primo nullam retinet ſapientiam; nam iracundus omnis doctrinæ, & ſcripturæ, & rationis obliviſcitur in ira ſua. Propter quod dicitur Eccleſiaſtici 21. *Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.* Liquor enim ſapientiæ & gratiæ ex eo effunditur.

De corde infatuato.

Secundo inclinat ad blaſphemiam: Eccleſ. 5. *Ne temere quid loquaris*, ſcilicet blaſphemando, *nec cor tuum ſit velox, ad proferendum ſermonem coram Domino.* Communiter ex fatuitate iræ homines male loquuntur de Deo & hominibus.

Tertio provocat ſtultitiam in audiente, ut ſcilicet inducat illum ad loquendum contra illum ſtulta, & faciendum, ſcilicet verba contumelioſa, rixas, & vindictas. Unde Proverb. 12. dicitur: *Cor inſipientium provocat ſtultitiam.* Et ideo bene dicit Sapiens, Proverb. 26. *Non reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam*, ne ſimilis ei efficiaris.

De corde elato.

De tertio, ſcilicet corde elato per ſuperbiam dicitur Ezech. 28. *Multiplicaſti fortitudinem tuam tibi, & elevatum eſt cor tuum in robore tuo.* Quod fit, quum quis bona, quæ habet, ſibi attribuit vel meritis ſuis, non a Deo recognoſcit, ſicut fecit Nabuchodonoſor, de quo dicitur Judith 1. *Exaltatum eſt regnum Nabuchodonoſor, & elevatum eſt cor ejus.*

Hæc autem elatio tria mala facit. Primo inducit ad Dei oblivionem, ſecundum illud Deut. 8. *Ne poſtquam comederis, & ſaturatus fueris, &* poſt parum *elevetur cor tuum, & obliviſcaris Domini Dei tui*, ideſt beneficiorum ejus. Ingratiſſimus autem, inquit Seneca, qui eſt oblitus, ſcilicet benefactoris, ſeu beneficii. Secundo ſui deceptionem: Hier. 49. *Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui.* Et quomodo decipiat, oſtendit Sapiens, dicens Eccleſ. 11. *Sicut perdix inducitur in foveam, & ut capra in laqueum; ſic cor ſuperborum.* Tertio Dei amiſſionem, ideſt gratiæ ſuæ: pſal. 63. *Accedet homo ad cor altum*, ideſt ſuperbum, *& exaltabitur Deus*, ideſt elevabitur recedendo ab eo. Auguſtinus: Humilis Deus *humilia reſpicit, & alta*, ideſt ſuperba corda, *a longe cognoſcit:* humilias te, venit ad te; attollis te, recedit a te.

De corde nequitiæ.

De quarto, ideſt corde nequam, ſeu nequitiæ applicatum, dicitur 1. Reg. 17. *Ego novi ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui.* Quæ verba dixit frater David ſibi, ſed injuſte. Dicitur autem *nequam* ſecundum Catholicon *a nequeo.* Unde *nequam* dicitur, qui adeo ſceleroſus eſt, quod nequit nec ceſſare a malis. Dicitur enim nequam luxurioſus, ut ibi habetur. Unde Onan filius Judæ, qui luxurioſus turpiter erat, dicitur nequam Gen. 38. Et forte propterea luxurioſus magis dicitur nequam, quam aliis vitiis deditus, quia difficilius & tardius recedit quis ab illo, quam ab aliis. Unde Auguſtinus: Dum non reſiſtitur concupiſcentiæ, fit conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceſſitas. Et talis nequitia inducit tria mala. Primo multiplicem dolorem corporis & animæ: Eccleſ. 3. *Cor nequam gravabitur in doloribus.* Secundo aufert boni cognitionem & affectionem, Eccleſiaſtici 19. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguunt ſenſatos*: & Oſeæ 4. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor*, ideſt gula & luxuria auferunt affectum veri boni. Tertio perducit ad æternam damnationem: Iſaiæ 1. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis. Væ* autem importat damnationem.

Nequam quis dicitur.

De corde doloſo.

De quinto, ſcilicet corde dolo circumdato, ſcilicet per hypocriſim & fraudulentiam ſeu perditionem, dicitur Eccleſiaſt. 1. *Cor tuum plenum eſt dolo & fallacia*; & tale cor tria mala operatur: primo profunditatem habet in conſilium, vel intentum ſuum abſcondendo, ut magis decipere valeat: Iſaiæ 29. *Væ qui profundi eſtis corde*, &c. Secundo duplicitatem habet in reſpondendo, dicendo verba ſophiſtica. Sed, ut dicitur Eccleſiaſt. 3. *Cor ingrediens duas vias non habet ſucceſſus proſperos*, quia frequenter detegitur fraus & dolus ejus, & inde abominatur. Tertio malitiam habet in ſuadendo, quaſi quærat bonum proximi, quum tamen velit eum decipere: Proverb. 26. *Quando ſubmiſerit vocem, ne crediderıs ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt* &c.

De corde depravato.

De ſexto, ſcilicet corde depravato dicitur Eccleſiaſt. 3. *Cor pravum ſcandalizatur.* Dicitur autem cor depravatum, quod aliquo tempore fuit bonum, & poſtea efficitur malum in eo permanens. Et tale cor utique *ſcandalizatur*, de facili ruens in mala ex dictis & factis aliorum. Nam dum bonum eſt cor, non ſcandalizatur: tale autem cor obedientiam poſtponit, Hierem. 16. *Ecce unuſquiſque ambulat poſt pravitatem cordis ſui mali, ut me non audiat.* Secundo apoſtaſiam inducit; unde de Salomone dicitur 3. Reg. 11. quod *quum eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus ..... ut ſequeretur deos alienos.* Quanto enim quis cadit ab altiori ſtatu virtutis, non cito inde reſurgens, tanto gravius ruit in omnia mala. Tertio iram Dei incurrit: Proverb. 11. *Abominabile coram Deo cor pravum.*

De corde indurato.

De ſeptimo corde, ſcilicet indurato, quod fit per obſtinationem, dicit Dominus Exod. 7. *Ego indurabo cor Pharaonis .... & non audiet vos.* Ubi ſciendum ſecundum B. Thomam 1. parte ſummæ, quod obduratio duo importat, ſcilicet ſubtractionem gratiæ, quæ non eſt culpa, ſed pœna; & hæc eſt a Deo, ſicut & omnis pœna, quam non niſi juſte infert. Nec enim alicui ſubtrahit gra-

gratiam, niſi hoc ille, a quo aufertur, mereatur per culpam. Et ſecundum hoc Deus indurat, ſecundum illud ad Roman. 9. *Cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat*. Aliud, quod importat obduratio, eſt inhæſio culpæ, ideſt infirmitas in peccato; & hoc eſt ab homine, & culpa eſt. Et inducit tria mala: primo ſemen verbi Dei ad fructum non recipit. Unde Luc. 8. dicitur: *Quod autem cecidit ſupra petram*, ideſt cor induratum, *natum aruit, quia non habebat humorem*, ſcilicet gratiæ. Secundo cumulum culpæ & pœnæ adauget: Rom. 2. *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, theſaurizas tibi iram in die iræ* &c. ideſt congregas tibi pœnam in judicio. Tertio beatitudine privat. Unde in figuram filii Iſrael, qui induraverunt cor ſuum erga Dei mandata, ut non facerent ea, omnes, qui numerati ſunt in egreſſu de Ægypto ſexagintacentena millia, omnes privati ſunt terra promiſſionis, quæ ſignat vitam æternam, ut nullus intraret niſi Caleph & Joſue; propter quod pſal. 94. admonet cavere talem obdurationem, ne incurramus in illud malum & damnum, dicens: *Nolite obdurare corda veſtra*, &c.

CAPUT XIV.

De voluntate & opere exteriori, quomodo ſe habent ad invicem in merito vel demerito.

NOta circa voluntatem & opus exterius quantum ad meritum & demeritum; & quantum ad forum judiciale fieri poteſt talis diſtinctio: Aut enim voluntas circa aliquod agendum habetur ſine opere exteriori: aut opus exterius exercetur ſine voluntate interiori: aut voluntas adeſt immediate operi exteriori ſequente.

An voluntas pro opere habeatur.

§. I. Quantum ad primum notat materiam talem valde diffuſe Archidiaconus ſuper can. *Qui bona*, 17. quæſt. 1. cujus verba abbreviabo ob prolixitatem vitandam; aliquando mutabo, ſequendo ſententiam theologorum ad pleniorem declarationem. Ex quibuſdam auctoritatibus videtur, quod voluntas ſine opere tantum valeat in malo & in bono, quantum voluntas cum opere. Dicit enim Auguſtinus: *Votum*, ideſt voluntas, *pro opere reputatur*, 12. quæſt. 1. can. *Qui bona*, §. *Si ergo*. Item Cyprianus: *Numquid Cain, quum Domino munus offerret*, peremerat fratrem? *ſed tamen fratricidium mente conceptum*, ideſt voluntate, *Deus providus ante damnavit ..... Ita & in Dei ſervis, apud quos cogitatur confeſſio, & martyrium mente concipitur, animus*, ideſt voluntas, *ad bonum deditus, Deo judice coronatur*, *De pœnit.* Diſt. 1. *Numquid*. Et Hieronymus: *Licet gladio non occidas, voluntate tamen interficis*, Diſt. ead. can. *Omnis iniquitas*. Ad idem facit can. *Si cui*, & can. *Si forte mulier*, & plures alii canones in dicta Diſt.

Pro hujus igitur declaratione ſecundum Archidiaconum diſtinguendum, quia aut loquimur de voluntate in opere bono, aut de voluntate in opere malo. Si primo modo, ideſt de voluntate affectante facere opus bonum, ſed non exſequente, iterum ſubdiſtinguendum; quia aut habetur reſpectus ad Deum, aut ad Eccleſiam, ſive ad jus. Et ſi habetur reſpectus ad Deum, quantum quidem ad tempus præteritum vel futurum, utique non habetur voluntas pro opere: nam ſi volo me jejunaſſe, eleemoſynas feciſſe & alia hujuſmodi bona, talis voluntas in conſpectu Dei, ideſt quoad meritum, non habetur pro opere, ideſt non remuneratur; ſicut ſi factum fuiſſet opus, quæ tamen proprius dicitur velleitas, quam voluntas. De futuro etiam ſi volo ſeu propono hinc ad menſem jejunare, dare eleemoſynam & hujuſmodi; hoc non habetur pro opere, quamvis tale propoſitum & voluntas ſit meritoria; non tamen tantum ſicut cum opere ſubſecuto, quod propoſitum boni dimitti poteſt, licet non ſine peccato. Unde Gregorius ſuper Ezechielem 17. quæſt. 1. can. *Qui bona: Qui bona agunt, ſi meliora agere deliberant, ſi ea non agunt, licet in bonis prioribus perſeverent, in conſpectu tamen Domini ceciderunt*, ſcilicet venialiter vel mortaliter ſecundum qualitatem propoſiti, quod dimittunt, puta alicujus voti vel neceſſarii ad ſalutem, vel alicujus rei non neceſſariæ, ut alicujus devotionis fiendæ. Si autem loquimur de præſenti, iterum ſubdiſtinguitur; quia aut illa voluntas poteſt impleri in bono opere & non impletur ex negligentia, vel alia cauſſa, ut v. g. habeo voluntatem faciendi eleemoſynam, & bene poſſum, ſed cupiditas me tenet vel negligentia: habeo voluntatem orandi, ſed me piget; & talis voluntas non habetur pro opere, nec eſt efficax voluntas, quin ſequeretur effectus. Et ad hoc facit, quod dicit Ambroſius Diſt. 86. *Non ſatis: Non ſatis eſt bene velle, niſi ſtudeas etiam bene facere*, ideſt non ſufficit bona voluntas ſine opere, quum adeſt facultas. Et ſic intelligitur illud Proverb. 13. *Vult & non vult piger*. *Vult* enim quodammodo levi voluntate, ſed *non vult* voluntate efficaci, ipſam operando. Aut quis habet voluntatem ad opus, & præciſe dimittit, quia exſequi nullo modo poteſt; & tunc quantum ad gloriam conſequendam, & quantum ad pœnam æternam evadendam, voluntas pro opere reputatur in genere, ſed non quantum ad quantitatem præmii vel quantitatem evaſionis pœnæ temporalis debitæ pro peccatis. Et hoc vel ex opere operante, ut in illis operibus, quæ habent in ipſo actu delectationem provocantem: tunc enim operatio addit ad bonam voluntatem quantum ad præmium eſſentiale, aliquando ad accidentale, ſecundum B. Thomam in 4. Diſt. 17. Vel ex opere operato, ideſt ex ſumtione ſacramenti. v. g. Si quis vult recipere baptiſmum vel confeſſionem ſeu euchariſtiam, & non poteſt, quia deficit vel miniſter vel ſacramentum, vel aptitudo illius ad hoc; utique talis & præmium meretur æternum ex illa voluntate, ſi eſt gratia informata, & evadit pœnas æternas. Sed non ita evadet pœnas purgatorias, nec tantum præmii communiter conſequitur, ſicut ſi ſecutum eſſet opus, ideſt ſuſcipiendo ſacramenta. Aliud exemplum: Vult quis ſummo deſiderio ſuſtinere martyrium ſicut B. Dominicus, ut cervus ad aquæ fluvium; talis ex illa voluntate præmium recipit, ut dicit Cyprianus in auctoritate ſuperius allegata. Et quantum ad eſſentiale præmium tantum recipere poteſt, quantum ſi actu reciperet martyrium, dummodo æqualis eſſet fervor & effectus non ſuſtinendo martyrium ſive ſuſtinendo. Secus ſi minor eſt, arg. *De pœnit.* Diſt. 2. *Qui vult*; non tamen recipit illud præmium accidentale, quod dicitur aureola martyrii. Unde & Joannes in gloſſa, *De pœnit.* Diſtin. 1. dicit, quod iſtud dictum, *votum pro opere computatur*, habet exceptionem in operibus privilegiatis, quibus debetur aureola. Aliud exemplum: Vult quis ire ad Eccleſiam, ubi eſt indulgentia, & non vadit, quia nullo modo poteſt; talis utique etſi meritum habeat aliquod de bona voluntate, non tamen indulgentiam conſequitur non eundo.

Quid in bono opere.

Voluntas inefficax.

Martyrii voluntatis.

Quando vero habetur reſpectus ad Eccleſiam: quum quæritur utrum voluntas habeatur pro facto; reſpondetur, quod ſive proceſſit ad actum ex-

exteriorem imperfectum, quod plus eſt: ſive ſtetit in confinibus cogitationis, quod minus eſt; non habetur talis voluntas quoad Eccleſiam pro opere, ut apparet de eo, qui erat excommunicatus, & voluit reconciliari Eccleſiæ, & per eum non ſtetit, quominus reconciliaretur; & de hoc apparent indicia manifeſta, quod voluit reconciliari Eccleſiæ, ſed non potuit, & mortuus eſt talis; ſi morte præventus abſolutionis beneficium non habuit, apud Eccleſiam non habetur abſolutus, quamvis ſit ſecus apud Deum. Et ratio eſt quia Eccleſia opinionem hominum ſequitur in judicando, præcipue in foro contentioſo, quæ ſæpe fallitur; ſed ipſe Deus *ſemper innititur veritati*; & ideo *nec fallit, nec fallitur*, extra *De ſentent. excommunicat.* cap. *A nobis*. Unde tali negabitur eccleſiaſtica ſepultura, & quod non fiat ſolemnis oratio pro eo, niſi fuerit poſt mortem abſolutus ab excommunicatione; quod fieri debet, ſi in vita quæſivit abſolutionem. Aliter autem agendum in ſacramento confeſſionis. Nam ſi quis vult confiteri, quod oſtendit per ſigna petens ſacerdotem, & poſtea mutus efficiatur; non debet tali denegari euchariſtia, & alia Eccleſiæ ſuffragia, dummodo conſtet Eccleſiæ, ſeu ſacerdoti de voluntate illius, quantumcumque leviter etiam per unum teſtem, vel per ſigna ipſius infirmi. Ratio diverſitatis in hujuſmodi eſſe poteſt, quia primum pertinet ad forum contentioſum, ubi requiruntur probationes ſufficientes; ſecundum pertinet ad forum pœnitentiale, ubi non requiruntur tales probationes. Si autem agatur de actibus judicialibus, ſive de his, quæ inter homines continue agitantur & frequentantur; quum quæritur utrum voluntas habeatur pro facto, reſpondetur, quod ſive de præterito, ſive de præſenti, ſive de futuro agatur, quum voluntas ſtat in confinibus cogitationis, in nullo procedens ab extra, numquam habetur illa voluntas pro facto: v. g. Miſſus erat adverſarius meus in poſſeſſionem rei meæ, ex primo decreto poteram infra annum recuperare poſſeſſionem ipſam, præſtando cautionem de parendo juri, & habui voluntatem in corde præſtandi dictam cautionem, & faciendi alia neceſſaria, ſed non proceſſi ad actum exteriorem. Certe voluntas iſta non habetur pro facto, ut poſtea poſſim recuperare poſſeſſionem, extra *De eo, qui mitt. in poſ.* cap. 1. Si autem voluntas proceſſit ad actum aliquem; tunc ſubdiſtinguendum, quia aut actus ille fuit perfectus aut imperfectus: & ſi fuit perfectus; tunc clarum eſt, & de hoc nemo dubitat, extra *Ut lit. non conteſt.* cap. *Quoniam*. Sed ſi actus ille fuit imperfectus, tunc ſubdiſtinguendum, quia aut fuit imperfectus propter voluntatem, aut propter impotentiam; & ſi fuit imperfectus propter voluntatem, tunc illa voluntas in actu imperfecto non habetur pro facto, v. g. Habeo in corde voluntatem præſtandi cautionem pro recuperanda poſſeſſione mea, & illam voluntatem produco ad actum exteriorem, ſed imperfectum; hoc videlicet modo: Vado coram judice & adverſario meo, & dico: volo recuperare poſſeſſionem meam, & duco mecum fidejuſſorem, & offero ſatisfactionem de judicio *ſiſti, & nihil aliud facio; certe iſte actus imperfectus fuit, quia non ſolum debeo offerre, ſed etiam præſtare. Nam ſola oblatio fidejuſſoris non ſufficit; quod quidem locum habet in his, in quibus cadere poteſt depoſitio, ut in his, quæ conſiſtunt in probando. Sed in his, in quibus non cadit depoſitio, ut in his, quæ conſiſtunt in faciendo, ſufficit ſola oblatio faciendi ſeu proteſtatio, ut apparet in appellatione, in qua ſufficit, ſi me offeram probare coram judice cauſſæ principalis. Et quod proteſtatio ſufficiat, probatur eod. tit. cap. fin. Si autem

Modus fori contentioſi.

Actus quomodo imperfectus.

* ideſt *ſe ſiſtendo.*

A fuit actus imperfectus propter impotentiam; tunc ſubdiſtingue: quia aut illa inperfectio contingit propter defectum proprium, aut propter defectum judicis vel adverſarii, aut propter caſum fortuitum, aut propter factum prorſus extranei. Si propter defectum proprium, cui non poteſt providere; tunc voluntas habetur pro facto: v. g. Habeo voluntatem præſtandi cautionem pro poſſeſſione mea recuperanda, & procedo ad actum exteriorem hoc modo. Nam modo compareo coram judice & adverſario, & dico: Domine, bene vellem præſtare cautionem, ſed in veritate non poſſum; quoniam pauper ſum, & propter paupertatem non invenio, qui pro me intercedat. Certe in iſto caſu iſta voluntas haberetur pro facto ad recuperandam poſ-
B ſeſſionem, dummodo præſtet juratoriam cautionem, extra *De eo, qui mitt. in poſ.* cap. 2. & extra de *ſolution.* cap. *Odoardus*. Nam inanis eſt actio, quam inopia debitoris excludit, ff. *De dolo malo* l. *Nam is*. Fallit tamen hoc in uſufructuario, qui debet præſtare cautionem de utendo & fruendo arbitrio boni viri, & finito uſufructu de reſtituendo. Nam ſi propter paupertatem, vel aliud non poteſt fidejuſſorem præſtare, non ſufficiet juratoria cautio; & ſic non habebitur voluntas pro facto. Ut notat Azo. C. *De uſufr.* l. *Uſufruct.*

Impotentia quæ culpabilis.

Si autem illa impoſſibilitas contingit propter defectum judicis vel adverſarii; tunc iterum ſic ſubdiſtinguendum: quia aut hoc eſt propter factum ipſorum, puta quia dum vellem præſtare
C cautionem, ſtetit per judicem vel adverſarium, quominus præſtarem, quia ipſi noluerunt recipere, dum offerrem, & ipſam præſtare vellem, & tunc voluntas habetur pro facto, quantum ad poſſeſſionem recuperandam: aut impotentia contingit propter abſentiam judicis vel adverſarii, quominus prædictam cautionem præſtarem; & tunc voluntas non habetur pro facto, niſi ego iſtam cautionem præſtem coram publicis & honeſtis perſonis, ut extra *De offic. ordin.* cap. *Paſtoralis*.

Si autem impotentia contingit propter caſum fortuitum; tunc ſive caſus contingat in judiciis, voluntas habetur pro facto quantum ad evitationem pœnæ; ut apparet exemplum de eo, qui certa die debebat in judicio comparere ſub pœna, &
D dum veniret ſupervenit tempeſtas, vel pons fluminis eſt fractus, vel flumen crevit, quod tranſire non poteſt; certe iſte caſus excuſat eum a pœna, ff. *Si quis caution.* l. 2. Item ſi contingat caſus fortuitus in contractibus, idem videtur dicendum, ut ff. *Ad leg. Rom. de jact.* l. fin. Conſuevit tamen ſubdiſtingui in contractu locationis, an caſus, ſuperveniat in perſona locatoris, an in perſona conducentis tantum, aut in re locata; & illa materia ſatis declaratur, ff. *De var. & extraor. cognit.* l. 1. In contractibus etiam conſuevit diſtingui, an caſus contingat in perſona debentis, vel ejus, cui debetur, & an debeatur quantitas vel ſpecies, & an mora interceſſerit, vel non. Si etiam contingat caſus in ultimis vo-
E luntatibus, voluntas habetur pro facto; ut apparet de illo, qui reliquit libertatem ſervo ſuo, ſi decem daret hæredi, & quum iſte portaret pecuniam, incidit in latrones vel in hoſtes, & pecuniam amiſit, ita quod in termino ipſe non potuit hæredi dare. Certe ille actus imperfectus propter impotentiam ex caſu fortuito, habetur pro facto, quantum ad libertatem conſequendam. Et de caſibus contingentibus circa ultimas voluntates pleniſſime notatur per Azonem C. *De inſtit. & ſubſtit. ſub condit. fac.* l. 1. Si autem contingat impotentia propter factum prorſus extranei, tunc voluntas non habetur pro facto: v. gr. Reus debebat ſiſtere in judicio certa die, & ſub certa pœna; dum autem veniret ad judicium, quidam

extra-

extraneus vir retinuit eum ; & ſic non ſtetit in judicio illa die ; talis non excuſatur a pœna , ſed datur actio contra impedientem ad intereſſe, ff. *Si quis caut.* l. 2.

In malis quando voluntas pro facto habetur.

§. II. Quantum vero ad ſecundum membrum principale primæ quæſtionis, ſcilicet an voluntas ſolum habeatur pro opere exteriori in malis; reſpondetur : quia aut loquimur in foro Dei , aut in foro Eccleſiæ pœnitentiali , aut in foro contentioſo ſeu judiciali .

Voluntas indeliberata.

Primo ergo, ſcilicet quantum ad Deum diſtinguendum : quia aut voluntas eſt deliberata , aut non deliberata circa malum. Si indeliberata, ita ſcilicet, quod non accedat aſſenſus rationis; tunc clarum eſt, quod voluntas non habetur pro opere, etiam ſi illud opus, ſuper quo inſurgit voluntas, ſit mortale. Unde Gregorius, *De pœnit.* Diſt. 2. *Inter hæc* : *Nequaquam mentem cogitatio immunda maculat , quum pulſat* , ſcilicet inclinationem voluntatis ; *ſed quum hanc ſibi per delectationem ſubjugat*, ſcilicet per conſenſum rationis . Si vero voluntas eſt deliberata circa opus malum , ſive in præterito , ut puta, quia vult & contentatur ſe commiſiſſe aliquod criminale : ſive in futurum, ut quum vult, ſeu intendit perpetrare in futurum aliquod malum: vel in præſenti, quum proponit malum operari ; in omnibus hujuſmodi voluntas habetur pro facto, quantum ad gravitatem peccati in generali , non in ſpeciali, hoc eſt, quod ita meretur pœnam æternam ex voluntate deliberata ad opus mortale, quamvis effectus non ſequatur , ſicut ſi ſequatur actus exterior ; non tamen tantam pœnam meretur in inferno propter voluntatem ſolam , quantam ſi addat opus , quia communiter actus exterior peccati adauget ipſam inordinationem voluntatis . Et ſic intelligitur illud Clementis *De pœnit.* Diſt. 1. *Homicidiorum . Homicidiorum tria genera B. Petrus eſſe dicebat, & eorum pœnam fore parilem*, ſcilicet odientis , detrahentis , & actu occidentis . Illa enim parilitas pœnæ odientis , & ſic voluntatem habentis ad mortem exoſi , & pœnæ actu occidentis , intelligendæ ſunt ſecundum æqualitatem proportionis , non ſecundum æqualitatem ejuſdem quantitatis , ideſt quod uterque damnabitur . Facilius etiam quis reſurgit a peccato voluntatis conſentientis , ſive in moroſam delectationem , ſive in actum exteriorem , non tamen exſequendo, quam quum procedit ad opus exterius . Et ad hoc facit , quod dicit Hieronymus 32. quæſt. 2. *Sicut ſemina*, ubi ait : *Senſus ex ratione conceptus* , ideſt conſenſus in malum , *niſi in opera proruperit, adhuc ventre retinetur* , & *cito perit ab hoſte*.

Deliberata.

Quid in pœnitentiali foro agendum.

Quantum vero ad forum pœnitentiale Eccleſiæ voluntas contenta terminis ſuis , non habetur pro facto. Non enim tanta pœnitentia eſt injungenda pro peccato interiori , quanta pro peccato exteriori , ceteris paribus . Et pœnitentiæ ſeptennes, quæ taxantur ab Eccleſia , ut 22. quæſt. 1. *Prædicandum*, & 33. quæſt. 2. *Hoc ipſum*, communiter imponuntur pro peccatis exterioribus , quamvis etiam interiora, ut dictum eſt , ſufficiant ad damnationem, ut expreſſe habetur *De pœnit.* Diſt. 1. *Si cui.*

Et nota , quod quum ſola ſpes , quando eſt principalis ad lucrum in mutuo , facit hominem uſurarium , ut 14. quæſt. 3. *Si fœneraveris* , ſicut etiam ſola ſpes rei temporalis facit hominem ſimoniacum , quando eſt principale motivum in traditione rei ſpiritualis, ſecundum Raymundum Joannem & Archidiaconum , hæc ſpes includit voluntatem deliberatam; unde in foro pœnitentiali puniri debet , ſeu pœnitentiari ut pro mortali peccato . Et ſi inde aliquid recipit , oblatum in foro pœnitentiali eſt inducendus uſurarius ad reſtituendum , & ſimoniacus ad pauperibus erogandum . Et ſic punitur voluntas pro facto , hoc eſt ac ſi pactum feciſſet expreſſe. Sed non quantum ad cenſuram aliquam vel diſpoſitionem , ut extra *De ſimon.* cap. ult. qua pœna poſſet puniri, ſi ad actum exteriorem perveniſſet per actionem , & hujuſmodi . Et quamvis aliqui dicant , quod uſurarius ſolum [1] mentalis , non teneatur reſtituere ; alii tamen dicunt , quod tenetur ſemper reſtituere . Et hoc Innocentius dicit eſſe tutius , extra *De uſur. Conſuluit* . Hoſtienſis autem dicit omnino eſſe reſtituendum , quia turpiter accepit . Idem ſentiunt Bernardus Raymundus & Archidiaconus , & Theologi idem ſentiunt.

Quid in foro judiciali.

Sed quantum ad forum judiciale eccleſiaſticum vel civile , voluntas ſi non procedat ad actum exteriorem aliquem, numquam punitur. Et hoc eſt, quod dicit lex: *Cogitationis pœnam nemo patiatur* , *De pœnit.* Diſt. 1. *Cogitationis* , & * Auguſtinus 32. quæſt. 5. *Chriſtiana* dicit : *Latentia peccata vindictam non habent* ; quia ſcilicet probari non poſſunt . In judicio autem proceditur per allegata & probata . Sed ſi voluntas procedat ad aliquem actum exteriorem , licet imperfecte , hoc eſt non illum complenda ; tunc ſubdiſtinguitur ; quia aut ille actus fuit imperfectus propter voluntatem , aut propter impotentiam . Si primo modo , ſcilicet propter voluntatem , quia videlicet pœnituit , actum , & bene ad effectum perduxiſſet , ſi voluiſſet ; puta quia virgo Deo dicata , cum qua habuerat colloquium de malo , ſibi conſentiebat , ſed ipſum pœnituit ſua propria voluntate, & tunc non punitur, arg. ff. *Ad l. Cornel. de fal.* l. *Qui falſam* . Exemplum etiam de eo , qui vocavit clericum in foro ſæculari , quem pœnituit ante litis conteſtationem : quamvis enim talis & voluerit, & egerit aliquid , quia non perfecit proſecutionem cauſſæ in tali judicio , non patietur pœnam eorum capitulorum, 11. quæſt. 1. *Inolita* , & extra *De foro compet.* cap. *Si diligenti*. Si autem fuit actus imperfectus propter impotentiam, quia ſcilicet attentavit, & fecit, quod potuit, ut veniret ad perfectionem operis, & non valuit; tunc voluntas habetur pro facto, & punitur. Et ita intelliguntur leges canonicæ *De pœnit.* Diſt. 1. *Si quis non dicam rapere* : & ab inde uſque ad canonem *Cogitatio:* & C. *De fur.* l. *Si quis ſervo*. Sic & uxor punitur quoad conjugium propter inſidias & conſilia , quæ interpoſuit in morte mariti , quamvis effectus non fuerit ſubſecutus . Notandum, quod in pœnis ſpiritualibus infligendis diſtinguitur, utrum ſcilicet imponatur a canone pœna ſpiritualis; an imponatur ab homine. Et ſi quidem imponatur a canone , tunc effectus conſideratur , non affectus animi ſeu voluntas . Et hinc eſt quod ſi quis proponens manum ſuam injicere in clericum , ſolummodo inſultum facit , elevat manum ut percutiat , & tamen non tangit eum , quia fortior ille fuit , vel alia de cauſſa ; iſte [2] non obligatur pœna ſpirituali , ſcilicet excommunicationis.

Pœnæ ſpirituales dupliciter imponuntur.

* *Lege* Innocentius .

1 Vide not. 31. in cap. 7. tit. 1. partis ſecundæ pag. 111.

2 Innocentius III. in cap. *Nuper* , *De ſent. excom.* eos excommunicationis pœnam haud evaſiſſe ſtatuit , qui violentiam aliquam clerico intulerunt , *quamvis per eorum factum corporalis læſio non fuerit ſubſecuta* , *citra quam violentia ſæpius circa clericos nequiter perpetratur* . Hinc omnis externa violentia, etiamſi vel metu , vel alio caſu effectum ſortita non ſit , in perſonam clerici , ad excommunicationem incurrendam ſufficere plures obſervarunt cum Suario & Sylvio , ex quibus ſatis eſt injectio manuum violenta cum gravi injuria

pis'. *Si quis fuadente*, 17. quæſt. 4. Similiter ſi quis voluerit homicidium perpetrare, etiam ſi vulneravit atrociter, dummodo non fuerit ſubſecutum homicidium ſeu mutilatio, pœnam irregularitatis non incurrit, extra *De homic.* cap. *Si quis*.

Si autem pœna ſpiritualis imponatur ab homine; tunc conſideratur animi voluntas, & deſtinatio, ſcilicet cum aliquali opere exteriori, & non ſolum juris effectus. Et ratio eſt, quia mitius agitur cum lege, quam cum miniſtro legis, ff. *De ar.* l. *Celſus*. Et extra *De cler. excomm. miniſtr.* cap. *Si celebrat*: v. g. dicit ſuperior ordinarius: Excommunico te, ſi eligis. Nam incontinenti, quum paras te ad eligendum, incidis in excommunicationem: quod dicit, ut notavit Innocentius extra *De appellat.* cap. *Præterea*. Et ſic patet, quod voluntas non producta ad actum perfectum, punitur, & pro facto habetur quantum ad pœnas ſpirituales, quæ infliguntur ab homine. Et ratio eſt, quia hujuſmodi pœnæ ſpirituales ſunt medicinales, 2. quæſt. 1. *Multi*. Et extra *De ſent. excommunic. Quum medicinalis*, lib. 6. Sed in pœnis temporalibus, conditionalibus, & judicialibus ſecus dicendum eſt. Nam in iſtis conſideratur juris effectus, non affectus vel animi deſtinatio, extra *De ſponſal.* cap. ultimo. Et eſt ratio, quia *pœnæ ſunt potius emolliendæ quam exaſperandæ*, *De pœnit.* Diſt. 1. can. *Pœnæ*.

De opere exercito voluntate renitente.

§. III. Quantum ad ſecundum membrum principale, quum ſcilicet exercetur opus exterius ſine voluntate, diſtinguendum: quod aut hoc fit voluntate omnino renitente, aut ratione omnino deficiente, aut voluntate negligente.

Quantum ad primum, ſcilicet quum fit aliquid opus renitente voluntate omnino, nec in bono eſt meritorium, nec in malo demeritorium. Meretur enim quis, aut demeretur per actum liberum voluntatis; unde Ambroſius: *Nemo noſtrum tenetur ad culpam, niſi propria voluntate deflexerit. Non habent crimen, quæ inferuntur reluctantibus. Voluntaria tantum commiſſa ſequitur delictorum invidia, quam in alios derivamus. Voluntarium ſibi militem elegit Chriſtus, voluntarium ſibi ſervum diabolus auctionatur*, 15. quæſt. 1. *Non eſt*. Ad idem Chryſoſtomus ſuper Matthæum: *Sicut enim peccatum opus ſine voluntate non facit, ita juſtitia ex opere non conſummatur, niſi & voluntas affuerit*, 32. quæſt. 5. *Sicut*. Et ex hoc patet, quod ſi inferatur violentia virgini omnino renitenti, nec peccat, nec amittit virginitatem. Unde dixit Lucia Paſchaſio: *Si me invitam feceris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. Non enim inquinatur corpus niſi de conſenſu mentis. Nam ſi in manu mea thura ponas, & per manum meam ſacrificia facias, Deus hoc non attendit, qui & deridet. De ſenſibus enim & voluntatibus Deus judicat*, Gratianus 32. quæſt. 5. §. 1. Similiter ſi quis occideretur pro fide invitus, vel pro juſtitia, meritum non haberet, nec talis eſt capax alicujus ſacramenti. Nam ſi quis omnino invitus baptizaretur, tentus ſub aqua per violentiam; talis non reciperet nec effectum, nec ſacramentum ipſius baptiſmi.

Cum ignorantia.

Quantum ad ſecundam partem diſtinctionis, quum ſcilicet fit opus ratione omnino neſciente, ſcilicet quum quis non habet uſum rationis, ut infans, & adultus furioſus, qui eſt extra uſum rationis; opus, quod fit a talibus, quum ſit involuntarium, quia ſine deliberatione rationis, ſive in bonum, ſive in malum, non reputatur ad meritum neque ad demeritum. Nam actus humanus redditur meritorius vel demeritorius, in quantum procedit a libero arbitrio, quod diffinitur eſſe facultas voluntatis & rationis. In prædictis autem ratio deficit. Sed etiam in judicio eccleſiaſtico vel civili tales non puniuntur; nam infans ſi projiciendo lapidem occidat aliquem hominem, ſi non eſt doli capax, non punitur, nec quoad Deum nec quoad mundum, arg. *De conſecr.* Diſt. 4. *Parvuli*, & in gloſſa, quæ eſt ibi, extra *De delic. puer.* cap. 2. Et ff. *Ad leg. Cornel. De fic.* l. *Infans*. Idem de furioſo, dum eſt in furia, & extra ſe. Satis enim ipſo furore punitur, ff. *De officio præſid.* l. *Divus*, & 15. quæſt. 1. can. *Illud*, §. *Sed objicitur*. Verum eſt tamen, quod furioſo a furia reverſo poteſt pœnitentiam imponi ad cautelam, ut eadem cauſſa & quæſtione can. *Si quis*. Et licet aliqui dicant, quod quum quis ex culpa ſua incidit in furiam, amentiam, vel ebrietatem, ea, quæ facit mala extra uſum rationis conſtitutus, imputantur ei, ex eo quia fuit in cauſſa; verior tamen opinio eſt, quod non imputantur, quæ facit in tali ſtatu, ſed culpa præcedens aggravatur ex malis, quæ ſequuntur. Notandum tamen quod adultus, amens, vel phreneticus effectus, ſi antequam incurreret talem amentiam, habuit propoſitum & voluntatem ſuſcipiendi ſacramenta, & declaravit ipſam voluntatem, non debent ſibi denegari. Et quantumcumque etiam contradicit in amentia poſitus, recipiet effectum ſacramentorum, ſi in ſtatu gratiæ intravit phreneſim vel amentiam, & fit opus ſine voluntate actuali meritorium; ex voluntate tamen præcedenti. Inſuper eſt notandum, quod opus baptiſmi valet ad ſalutem & præmium omnibus pueris, & adultis carentibus uſu rationis; quum tamen deſit in eis voluntas ad ipſum opus. Sed hoc ſpeciali munere venit; ſicut & parvulis innocentibus opus martyrii ſuſceptum ſine voluntate ex gratia Chriſti fuit eis ad præmium eſſentiale gloriæ, & accidentale aureolæ. Regulariter autem, ut dicit Auguſtinus: *Omnis, qui ſuæ voluntatis eſt arbiter conſtitutus... non poteſt novam inchoare vitam, niſi pœniteat eum veteris vitæ*, *De pœnit.* Diſt. 1. *Tres ſunt actiones*. Allegatur etiam eadem auctoritas ead. Diſt. cap. *Quis aliquando*, §. *Econtrario auctoritas illa*, verbo: *eſt enim pœnitentia*.

Quantum ad tertiam partem, quando ſcilicet fit opus exterius voluntate tepeſcente, ideſt opus ipſum eligente, ſed non in quantum meritorium del demeritorium eſt intendente; quod contingere poteſt in bonis, & in malis actibus quando ex ignorantia, quando ex certa ſcientia. Et in his quidem, quæ ſunt de genere malorum, poteſt eſſe duplex ignorantia, ſcilicet juris & facti, etſi adeſt ignorantia juris divini vel naturalis, vel eorum, quæ ſcire tenetur ſecundum ſtatum ſuum,

injuria contra clerici perſonam, cui providere canones voluerunt. Hinc etiam, ut Laymanus lib. 1. tract. 5. part. 2. num. 5. cap. 5. notavit, apud Labeonem D. *De injuriis*, injuriarum actione is teneri traditur, a quo *quis pulſatus quidem non eſt, verum manus adverſus eum levatæ, & ſæpe territus quaſi vapulaturus*. Igitur ut recte judicetur de excommunicatione in caſu, quem Auctor proponit, videndum eſt, num ejuſmodi vis illata ſit, quæ injuriam intulerit &c.

3 Confer not. 2. in cap. 9. tit. 5. ſecundæ partis pag. 699.

4 Poſt damnatam ab Alexandro VIII. prop. 2. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ; hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali*: non nulli ſunt, qui ex hac condemnatione certum jam ac definitum putant, in jure naturali dari poſſe invincibilem ignorantiam, quæ a formali peccato prorſus excuſet: quo poſito generalis illa regula, quam apud antiquos celebrem ex ipſa

lib.

ſuum, opus malum factum ex tali ignorantia, & per conſequens ſine voluntate, in quantum opus ipſum eſt malum, non excuſat a toto, etſi a tanto. Et in his verificatur illud Apoſtoli 1. Cor. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur*: & de hoc 1. quæſt. 4. paragrapho ultimo. Exempla ſume in Paullo, qui perſequebatur Eccleſiam Dei, arbitrans exinde obſequium ſe præſtare Deo; ſed, ut ipſe dicit, ignorans fecit, nec propter hoc ſe excuſat, ſed accuſat de peccato, 1. Timoth. 1. Similiter & filiæ Loth, quum inebriaverunt patrem, ut ex eo conciperent, quamvis putaverunt ſibi licere, credentes totum mundum ſubmerſum, ſicut & Sodoma, non excuſantur a peccato inceſtus propter igno-

lib. 6. Decretalium Auctor & heic & aliis locis inculcat, niſi quid excipiatur, damnata dicenda eſſet. At quum propoſitionis damnatæ falſitas non ſit in prima ejus parte, quæ invincibilem juris naturalis ignorantiam aliquando adſtruit (ſecus damnatum fuiſſet hanc ignorantiam adſtruere) ſed in ſecunda, quatenus eam ignorantiam, quæ invincibilis ponatur, a formali peccato nequaquam excuſare affirmat; jam ex damnatione hoc ſolum certo elicitur, quod *ubi ignorantia juris etiam naturalis ſit invincibilis, operantem ex ipſa a peccato formali excuſat*. Ratio eſt manifeſta; nam quod eſt invincibile, vinci ab homine nequaquam poteſt, ac proinde impoſſibile illi & omnino involuntarium eſt: quod autem eſt impoſſibile & omnino involuntarium, peccato verti non poteſt ex ſatis notis Antonini omniumque Patrum ac Theologorum principiis. Si vero invincibilis ignorantia eſt etiam inculpabilis, nihil, quod ex ipſa ſequitur, imputari poteſt ad culpam: unde Auctor part. 2. tit. 5. cap. 9. §. 2. pag. 700. ignorantiam vere invincibilem *a toto excuſare* diſerte ſtatuit. Utrum igitur in naturali jure ejuſmodi ignorantia locum habere queat, adhuc poſt Alexandri VIII. decretum quæſtio intacta & libera eſt. In hac autem controverſia ſi propria Auctoris ſententia quæratur, tria me obſervaſſe variis in locis memini. Alicubi eos excuſare videtur, qui in materiis, ubi Doctores contraria ſentiunt, peritorum conſilia ſequuti erant, dummodo ex opinionum contrarietate non inducantur ad dubitandum, ſed peritorum conſiliis acquieſcant tamquam probabiliori parti, ut Prælect. 1. §. 13. fuſius oſtendi, nec non in adnotationibus ad cap. 10. tit. 3. ubi non nulla ejuſmodi teſtimonia occurrunt: inter controverſas autem materias, plura ad jus naturale pertinere notum eſt. Sed hanc ſententiam inculcans, aliorum fere verbis utitur, non ſuis, nec de ignorantia ex propoſito agit, ſed incidenter.

Ubi vero ignorantiæ quæſtionem per ſe verſat, ſuiſque verbis definit, principii univerſalis loco ponit, juris naturalis vel divini ignorantiam excuſare neminem, ubi divini juris nomine illud videtur intelligere, quo in lege Evangelica ſola naturalis juris præcepta confirmata fuerunt. Præter locum præſentem, ac præter aliud tit. ultimi in regulam notiſſimam, *Ignorantia facti, non juris excuſat*, inſignis eſt locus part. 2. tit. 5. cap. 9. §. 2. pag. 700. in quo de ignorantia expreſſe agens, invincibilem a jure naturali vel divino prorſus excludit. Immo propoſitis Ulrici verbis, qui juxta priorem, quam indicavimus, opinionem eum a peccato excuſat, qui *peritos conſulit, quia poteſt dici in eo ignorantia invincibilis*, Antoninus, ne ex hoc univerſali principio aliquid obrepat, ſubjicit ſtatim ſola exempla dubitationum facti, & quaſi id non ſufficiat, excipit ab hoc principio dubitationes naturalis ac divini juris, inquiens: *In his tamen, quæ ſunt de jure naturali vel divino, quantumcumque conſuleretur ſibi ignoranti a peritiſſimis contrarium veritati, non excuſaretur a peccato illud agendo: quia in hujuſmodi non poteſt habere locum ignorantia invincibilis, quoad habentes uſum rationis*. Hæc tam aperta & ipſius Antonini Ulrici locum excipientis verba ſunt, ut nihil dubitandum videatur, quin ex ſuo ſenſu vere crediderit, nullam juris naturalis ignorantiam eſſe invincibilem, ut tot aliis in locis conſtanter inculcat. Ne vero de primis ac notioribus tantum juris naturalis præceptis locutus credatur, qui de caſu dubio ex contextu loquitur; hac ipſa part. 1. tit. 11. cap. 1. §. 3. inter caſus, in quibus ignorantia non excuſat, duos affert ad uſuram pertinentes & ſatis communes, quos non pauci facilius excuſant: alterum eorum, qui *dant pecuniam mercatoribus vel aliis ad diſcertionem* (*depoſita* alibi vocat apud nos quoque uſitata) *ſi non ſubſtant periculo, prout communiter fit*: alterum ejus, *qui mutuat proximo ſuo, ut ſubveniat ei in magna neceſſitate conſtituto, certam ſummam pecuniæ, recipiens*

in pignus aliquam domum, vel agrum, cujus fructum percipit, dum ille retinet ſuam pecuniam; & hos peccati damnat, *quamvis ipſi ſibi non faciant conſcientiam, exiſtimantes illud licitum*. Cur autem non excuſet ignorantiæ nomine, hanc rationem affert: *Quia illa conſcientia ſua non eſt cum ſcientia juris divini vel naturalis .... Ignorantia autem juris divini nullum excuſat; unde quidquid fit contra ipſum, fit cum mala conſcientia*. Horreſcere ad hæc deberent non nulli, a quibus utrique hi caſus apud nos frequentes, non excuſantur ſolum ignorantiæ invincibilis nomine, ſed & defenduntur, vel ſaltem diſſimulandi prædicantur. Tandem (quod tertio adverti) Antoninus alibi quaſi incertus, num ignorantia invincibilis in hiſce caſibus omnino excuſet, dubitanter loquitur, & particulam *forte*, aut aliam dubitativam apponit. Sic part. 2. tit. 1. cap. 7. §. 36. pag. 112. ſermonem quidem faciens de uſura manifeſta in depoſitis apud mercatores, poſtquam in ſuperiorem ſententiam ſcripſit: *Nec ignorantia excuſat a peccato, quia uſura eſt contra jus divinum & naturale, cujus ignorantia neminem excuſat*; addit: *Niſi forte aliquis ſimplex, ut mulier, non crederet eſſe uſuram, nullo modo talia facturus, ſi ſciret ibi eſſe uſuram, vel aliud peccatum: talis etſi excuſaretur forte a peccato, non tamen ab obligatione reſtitutionis*. Ubi particula *forte* his adhibita, animum vehementer dubitantem ſubindicat, ita ut id ex indulgentia potius, quam ex certa ſententia, datum, non conceſſum videri poſſit. Alia ſimilia loca prætermitto.

Forte tamen hæc conciliari quiſpiam crederet, ſi ad ignorantiam facti, quam unam Auctor excuſare poſſe ſæpius affirmat, ii caſus referantur, ubi ignorantia in aliquo invincibilis ſit: propterea quod in his non jus ignoretur, ſed eæ caſus circumſtantiæ, quæ ſi innotuiſſent, caſus juri ſubjectus cognitus fuiſſet. Sic etiam jus mere poſitivum, quod ignorari invincibiliter poteſt, relate ad naturale jus, quod poſitivo juri obedientiam præſcribit, tamquam factum habetur; ita ut qui aliquem fidei articulum invincibiliter ignorant revelatum, merum revelationis factum ignorent, quod ſi notum eſſet, divinæ illi revelationi fidem adhibendam, ut ipſum naturale jus præcipit, non ignorarent.

Sed quidquid hoc eſt, certum univerſim ex noſtro Auctore haberi debet, tum ignorantiam, quæcumque ſit, vincibilem eſſe, nec a peccato excuſare, quum aliqua præcedens culpa ſaltem negligentiæ eidem cauſſam dedit, unde hoc quoque loco ſaltem negligentiam præſumit. Negligentia autem habetur, non ſolum quum quis aliquod ſaltem confuſum ſuſpicandi principium, quo excitari poterat ac debebat ad inquirendam legis cognitionem, nihili faciens, nullam adhibuit ſtudii, orationis, conſilii &c. diligentiam; verum etiam quum debitam ac rei naturæ proportionatam non adhibuit, ac magis multo ſi in ea adhibenda fraudem aliquam commiſit, concupiſcentiaque magis, quam veritatis diſcendæ ſtudio ductus, Doctores, vel libros, qui faverent, conſuluit. Non dico ex omni negligentia, quæcumque interveniat, ignorantiæ peccatum in re gravi ſemper eſſe grave; ſed pro culpæ præcedentis quantitate nunc grave, nunc leve, nunc leviſſimum erit, cujus generis peccata, præſertim ignorantiæ, etiam in ſanctos cadere poſſunt. Hinc ignorantia culpabilis, quæ heic & alibi ab Auctore traditur excuſare *a tanto non a toto*, non ſolum minuere poteſt peccati gravitatem, ut minus grave ſit, quam citra ignorantiam fuiſſet; ſed etiam ita minuere, ut e gravi leve quandoque, immo & leviſſimum ſit, ſiquidem negligentia ſolum levis, vel leviſſima ei ignorantiæ cauſſam dederit. In jure autem naturali, cujus ſemina ſuſpiciones afferentia ſaltem confuſas indita nobis ſunt a natura, aliquam ſaltem leviſſimam negligentiam in iis, qui errant, fere ſemper intervenire (ut facillimum quidem eſt) Anto-

ignorantiam illam, ſed fuit ignorantia juris naturalis, arg. 15. quæſt. 5. *Inebriaverunt*. Similiter ordinatus in ſacris ſi dimitteret officium ex eo, quod neſcit ſe ad hoc obligatum præcepto Eccleſiæ, ut patet extra *De celebr. miſ.* cap. *Dolentes*, non excuſatur a mortali, quamvis non intendat neque velit illam omiſſionem officii in quantum peccatum: immo ſi ſciret, non obmitteret. Sed quia negligens eſt voluntas ad inquirendum, A quæ ſcire debet; ideo ei imputatur ad peccatum, ut habetur Diſt. 37. §. ultimo.

Quantum ad ignorantiam facti, notanda eſt diſtinctio Decretiſtarum, quæ ponitur Diſt. 50. can. *De his* 1. & extra *De homic. Sicut dignum*, videlicet, quod aut quis in facto, quod agit, dat operam rei illicitæ, aut licitæ. Et ſi dat operam 5 rei illicitæ, puta quia ſolatiatur aliquo ludo periculoſo, unde ſequitur mors vel mutilatio, quamvis

toninus cum antiquis præſumſit, quum ejuſmodi ignorantiam a peccato non purgare affirmavit; vel de ea negligentia ſaltem dubius, de peccati excuſatione dubitandum pariter cenſuit. At ex præmiſſis Auctoris principiis certum nihilo minus manere debet, quod ſicubi vere nulla negligentia, nullum ſuſpicandi principium ſaltem confuſum præceſſit; ibi omnis ignorantiæ culpa formalis purgatur.

Dixi *præceſſit*; nam opus non eſt, ut quis ex ignorantia peccet, quod actu ſemper de peccato ſuſpicetur, ſed ſatis eſt, quod præceſſerit ejuſmodi ſaltem confuſa ſuſpicio, qua ſatis excitari poterat ac debebat ad adhibendam diligentiam, nec tamen adhibuit. Hæc autem culpa præcedens non tam culpabilem fecit illum primum actum omiſſionis debitæ diligentiæ, quam illos omnes ex eadem negligentia conſequutos, in quibus eadem ignorantiæ voluntas ſaltem interpretative perſeverat: uti patet in judice, qui ignorans neceſſaria ad munus obeundum, non modo peccati accuſatur, cum munus primo ſuſcepit, ſed etiam quoties cum injuſtitia, vel cum injuſtitiæ periculo illud exercet.

Quod ſi quæras, cur uſus ſim vocibus *ſuſpicandi principium ſaltem confuſum*; reponam, quia etſi principium ejuſmodi ſuſpicionum univerſim per ſe idoneum non ſit ad dubitandum prudenter, nedum ad judicandum; pro conditione tamen humanæ ignorantiæ, quæ notiſſima eſt, ac pro ſanctarum legum præſertim naturalium obſervantia ſatis prudenter excitare nos debet ad conſiderationem, diligentiamque maxime neceſſariam adhibendam, ne ſi hæc negligatur, errori, ut ſæpe fit, vel ſaltem erroris periculo nos temere exponamus. In pleriſque præſertim male inſtitutis hominibus non niſi ejuſmodi ſuſpiciones confuſæ circa præcepta ceteroquin graviſſima menti occurrunt; quæ ſi non ſufficerent, eaſque negligere citra culpam eſſet, graviſſima ignorantiæ crimina in Scripturis reprobata a peccato excuſanda eſſent, de quibus nulla expreſſa cogitatio peccantibus oboritur; & hac eadem ratione excuſanda ſimiliter eſſent non pauca mala contra prima juris naturalis principia, quæ quandoque homines ita ignorarunt, ut non diſtincta, ſed confuſa de illis cogitatio præceſſerit. Si barbarorum, ac gentium hiſtorias evolvas, quid indicem, explorate cognoſces. Ignorantia quidem invincibilis hoc caſu allegari nequit. Invincibilis enim ea definitur, quæ vinci non poteſt, eorum nimirum, quæ quis peccata nequit cognoſcere. Ut autem poſſit homo peccatum cognoſcere, haud expreſſa cognitio neceſſaria eſt, ſed indicia aliqua etiam confuſa ſufficiunt, quibus ſi excitatus ad diligentiam obſequeretur, in veritatis cognitionem veniſſet, aut ſaltem in dubium prudens, quo peccatum ſatis cognoſcens, ignorantiam viciſſet. Quod ſi homo confuſis illis indiciis minus advertens (uti advertere poterat ac debebat) exploratiori peccati cognitione caruit; non impoſſibilitas, quæ invincibilitatem una parit, ſed concupiſcentia, vel deſidia, quæ lumen illud erumpens in ipſo ortu eliſit atque intercepit, voluntariam ignorantiæ cauſſam dedit. In voluntatis ergo vitium quum redeat ejuſmodi ignorantia, quis ad culpam eorum, quæ inde proficiſcuntur crimina, expreſſiorem cognitionem requirens, confuſis illis indiciis contentus non ſit? Quid? Ignorantiæ eadem eſt, ac inadvertentiæ ratio: nam, ut Suarius monet, ignorantia eatenus in morum actionibus ſpectata, quatenus voluntarium, vel involuntarium afficit, ad voluntarium, vel involuntarium proxime haud quaquam refertur ratione ſimplicis habitualis ſcientiæ, qua privat, ſed ratione actualis advertentiæ, quam exinde ſuſtollit, vel impedit: voluntas enim non movetur proxime ab habituali cognitione, ſed ab actuali. Num vero ad graviter peccandum, ut inadvertentia non excuſet, expreſſa conſideratio exigitur? Minime gentium: ſufficit enim, ut Theologi optimæ notæ tradunt, conſideratio virtualis, aut interpretativa, quæ tunc adeſt, inquiunt, quum quis poteſt & debet conſiderare, etſi non conſideret: tum nimirum ex quo conſiderare poteſt ac debet, inconſideratio voluntaria convincitur, ut peccato nequaquam excuſet. Hinc ſi quis voto caſtitatis, aut matrimonio adſtrictus, de voto, aut matrimonio nihil conſideraverit, quum carnali concupiſcentiæ indulſit, peccaſſe creditur ab omnibus non tam contra caſtitatem, de qua expreſſe cogitavit, quam contra voti, vel matrimonii vinculum, de quo etſi non cogitavit concupiſcentia mentem avocante, cogitare tamen potuit, ac debuit. Idipſum ergo in ignorantia dicendum, unde nemo Theologorum excuſat errores ejus indocti parochi, qui officii ſui munera ignorans, notitiam quidem illorum expreſſam numquam habuit, at ex ſuſpicionibus ipſi officio adnexis acquirere per ſtudium poterat ac debebat, vel ſaltem (quod ſatis eſſe vidimus Prælect. 1. §. 23.) dubitare, ut remedium aliunde quæreret, periculumque vitaret. Eædem ergo ſuſpiciones ſaltem confuſæ legis naturalis ſufficient, nec ſemper actu erumpentes exigendæ, quales nec in caſibus allatis ac maxime damnabilibus erumpunt, ſed quæ ita aliquando eruperint, ut impedimento voluntarie objecto, ignoratio tum voluntaria fuerit, nec retractata deinceps amplius ſaltem idonee, virtute perſeveret: id enim ad voluntarium, & ad inficiendum actu peccatum ignorantiæ ſatis eſt.

5 In dubiis de irregularitate ex homicidio, vel mutilatione caſuali ſolemnis hæc diſtinctio eſt inter dantes operam rei illicitæ, vel licitæ. Qui operam dant licitæ, nec peccant, nec irregularitatem incurrunt, niſi ſi debitam diligentiam omittant. Qui vero rei illicitæ operam dant, quacumque utantur diligentia, cum ex ipſo rei illicitæ exercitio ſatis peccant, tum vero ex eventu inde ſecuto irregularitatem ſubire coguntur. Hæc ex pluribus canonibus liquent. Vide lib. 5. Decretalium tit. *De Homicidio*, can. *Continebatur* 8. *Ad audientiam* 12. *Dilectus* 13. *Tua nos* 19. *Joannes* 23. *Quondam* 25. ubi quum ad irregularitatem evadendam hæc duo requiruntur, quod quis & *det operam rei licitæ, & ſtudeat etiam quam poteſt diligentiam adhibere*, ut poſtremo canone dicitur: tum vero ad incurrendam irregularitatem alterum ſatis eſſe colligitur, ſive debita prætermittatur diligentia in re etiam licita, ſive quacumque diligentia adhibita, rei illicitæ opera commodetur: hoc enim ipſum ſatis peccatum judicatur, quod, effectu mutilationis, vel homicidii etiam poſt diligentiam conſecuto, irregularitate puniendum ſit. Hinc S. Thomas 2. 2. quæſt. 64. art. 8. optime notat: *Secundum jura ſi aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium ſequatur, non incurrit homicidii reatum. Si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, ſi ex ejus opere mors hominis conſequatur.* Et ne quis forte exiſtimet S. Doctorem ſolam negligentiam taxare ſive in iis, qui licitæ, ſive in iis, qui illicitæ rei operam dant, ibidem in reſponſ. ad 3. ait: *Secundum canones imponitur pœna his, qui caſualiter occidunt, dantes operam rei illicitæ, vel non adhibentes diligentiam debitam.* Et in corpore articuli rationem affert, cur alterutrum ſatis ſit, quia etſi utroque caſu homicidium caſuale directe & per ſe voluntarium non ſit, eſt tamen ſatis voluntarium indirecte & per accidens, *ſecundum quod cauſſa per accidens dicitur removens prohibens: unde ille, qui non removet ea, ex quibus ſequitur homicidium, ſi debeat removere, incurrit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter: uno modo quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit; alio modo quando*

vis illud malum non velit; tamen quia voluit illum A ludum, unde ſecutum eſt, ei imputatur, & quoad peccatum, & quoad irregularitatem, & quoad pœnam judicialem. Similiter ſi cæcus ſagittam vel lapidem jaceret; ei imputaretur, quia dat operam rei illicitæ. Unde & Lamech, quando ſagitta occidit Chain, exiſtimans eum feram ſilveſtrem, non hominem, quia cæcus erat, ſed a puero, quem ſecum ducebat, ut fera judicatus fuit; non excuſatur a peccato, Gen. 4. Idem poteſt dici de minori doli capace, quamvis ætatis non perfectæ, & dante operam rei illicitæ; quod dictum eſt de majori & adulto, ut extra *De delic. puer.* cap. ult. Si vero dat operam rei licitæ; tunc aut adhibuit debitam diligentiam, aut non. Et ſi non adhibuit debitam diligentiam, non excuſatur a B peccato, licet malum ſequens ſit contra ejus voluntatem, puta ſiquis projiciat tegulas de tecto ad ipſum reparandum, & non ponat aliquod ſignum ante domum, nec dicit aliquid, quum projicit, & ſic cum una ipſarum interficiat tranſeuntem per viam. Aut ſi quis projiceret lapidem ad animalia bruta, & non reſpiciens tranſeuntem per viam a caſu interficeret aliquem contra voluntatem ſuam, ei imputaretur peccatum, & pœna judicialis, quia non adhibuit diligentem ſollicitudinem ad opus illud jactationis. Ubi vero adhibeat debitam diligentiam operi licito, ſi quod malum a caſu contingat, non ei imputatur; puta ſi quis incidendo arborem, dum eam proſternit, alius ſubito tranſit ſubtus eam, & ſic perimitur; quum tamen ille non videret eum, nec haberet æſtimare aliquem tranſiturum inde, ut Diſt. 50. *Sæpe*, & 15. quæſt. 1. *Siquis non iratus*. Unde & Jacob excuſatur in cognoſcendo Lyam, quæ non erat uxor ſua, loco Rachelis uxoris ſuæ, Gen. 29. In his autem, quæ ſunt de genere bonorum factis ex ignorantia juris vel facti, non habetur meritum, ex quo ibi non eſt voluntas ſeu intentio ad meritum actualis, vel habitualis. Ad quod facit, quod ait Ambroſius: *Non ſatis eſt benefacere, niſi id ex bono fonte, hoc eſt ex bona voluntate proficiſcatur*, Diſt. 86. *Non ſatis*, & Hieronymus: *Deus voluntatem, non opus, reſpicit*, ſcilicet ſine voluntate, 15 quæſt. 1. *Si quis non iratus*: v. g. ſi quis dat pauperi unum florenum eleemoſynaliter, volens dare tantum unum quatrenum, opus iſtud factum etiam in gratia non habet meritum unius floreni, ſed unius quatreni, quia voluntas non fuit ad florenum, ſed ad quatrenum. Similiter ſi quis iret ad miſſam die feſtivo, vel jejunaret die inſtituta ab Eccleſia, vel diceret officium exſiſtens ordinatus in ſacris, nec aliquod horum faciat actu vel habitu, [6] ut ſatisfaciat

De operibus bonis ex ignorantia.

Quando factu contra voluntatem punitur.

6

do non adhibet debitam ſollicitudinem. Neque refert, quod dans operam rei ſibi, non autem per ſe illicitæ, ſi debitam diligentiam adhibuit, ne ſequatur homicidium, quoad homicidium per accidens conſequens culpandus non videatur ex re aliunde ſibi illicita: nam ſatis in culpa habetur a ſacris canonibus, quod rem poſuit, quæ ipſi vetita erat, ut ex ea culpa homicidium conſequens, etſi forte per ſe eſſe poſſit inculpabile, in irregularitatem ſatis influat, ad quam incurrendam in canonibus nihil aliud requiritur, niſi, quod res, unde ſequitur homicidium, vetita ſit; ut in venatione accidit, quæ quum ſit clericis vetita, ſecuto homicidio, etiam poſt debitam diligentiam irregularem efficit clericum in foro Eccleſiæ, nulla ratione habita, numquam in venando culpam admiſerit. Unde Panormitanus in cit. can. *Tua nos* obſervavit: *Danti operam officio vel rei illicitæ, imputatur eventus mortis, quantumcumque proceſſit ſine culpa*, ideſt negligentiæ, quod vetiti operis culpa ſatis ſit: ſi enim nulla neque in hoc culpa eſſet, v. g. ex ignorantia invincibili juris Eccleſiaſtici prohibentis clerico opus de ſe licitum (quæ tamen in rebus ad ſtatum pertinentibus haud facile præſumi poteſt) nulla tum contraheretur irregularitas, quæ non ex defectu, ſed ex delicto infligitur. Neque dicas irregularitatem hoc caſu infligi ex delicto homicidii vel mutilationis, quod in exercitio rei quantumvis clericali ſtatui illicitæ nullum eſt, ubi omnis diligentia adhibita fuit. Nam quum Canones eum, qui caſuali homicidio, vel mutilationi cauſſam præbuit, irregularitate multarint, ſive quum diligentiam omiſit, ſive quum rei illicitæ operam dedit; palam eſt alterutram culpam voluiſſe punire, ita ut ejuſmodi irregularitas proprie ſit ex delicto vel homicidii, vel cauſſæ illicitæ, unde homicidium profectum ſit. Sicuti porro in homicidio, vel mutilatione caſuali nata ex negligentia in opere ceteroquin licito ad irregularitatem contrahendam haud neceſſaria eſt gravis negligentiæ culpa, qualis in majoribus cenſuris profecto requiritur; ſed levis, immo & per multos leviſſima ſatis eſt, ut Fagnanus cum Gloſſa & aliis Auctoribus ſtatuit can. *Quidam*, *de homicidio* num. 9. (*Culpa autem abeſt, ſi omnia facta ſunt, quæ diligentiſſimus quiſque obſervaturus fuiſſet*, inquit L. *Si merces* 25. D. *Locati*) ita haud exigenda eſt gravis culpa in exercitio operis illiciti, ex quo citra negligentiam homicidium, vel mutilatio ſequatur. Dixi *ſequatur*; effectus enim homicidii &c. ad irregularitatem infligendam omnino exigitur a canonibus, non autem ſola actio illicita, vel negligentia, ex qua potuit homicidium naſci, at enatum non eſt: quam in rem declaratio Congregationis Concilii in cauſſa Iprenſi diei 13. Jann. 1703. quæ allegata a non nullis, difficultatem movebat, editur a Benedicto XIV. tom. 5. notific. 13. egregiiſque obſervationibus, ne noceat, explicatur: unde etiam colligere licet, non multum fidendum non nullis declarationibus, quæ allegantur a quibuſdam, ſed non recitantur.

6 Dubium eſſe poteſt, num Auctor hoc loco intentionem ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ neceſſariam ſemper requirat, ut præcepto ſatisfiat, an ſolum ut peculiare obedientiæ meritum in actionem derivet. Certe niſi intentio ſaltem habitualis, vel potius virtualis adſit ſatisfaciendi præcepto, quantumvis actus ex alia virtute religionis, temperantiæ &c. bonus ac meritorius eſſe queat, non tamen ex virtute obedientiæ, quæ ſine aliqua obediendi intentione haud quaquam exercetur. At num ille, qui actus ab Eccleſia præceptos rite exſequitur, iis omnibus adhibitis, quæ ad ſubſtantiam actus præcepti neceſſaria ſunt, attentione ex. gr. ac devotione in audienda miſſa, vel officio recitando, religioſis actibus neceſſaria, num, inquam, is ſi intentione præterea careat ſatisfaciendi Eccleſiaſtico præcepto, huic ſatisfaciat nec ne, in controverſiam apud Theologos venit. In quo illa expedita ac generalis ſolutio videtur, conſiderare, quid Eccleſia præcipiat. Si intentionem ſatisfaciendi velit; quin hæc præſtanda ſit, dubitare nemini licet: Eccleſiam enim præcipere poſſe actus internos ex damnatis propoſitionibus ſtatuemus not. 4. in cap. 8. tit. 9. part. 2. pag. 991. Hinc ille etiam, qui miſſam pro animabus purgatorii, vel alia pia intentione audit, & non potius ex intentione ſatisfaciendi pro ſuis peccatis, pœnitentiæ ſibi impoſitæ non ſatisfacit, quum confeſſarius pœnitentiam imponens, hanc intentionem præcipiat, huicque præcepto parendum ſit. Si vero Eccleſia actum ex. gr. religionis, jejunii &c. præcipiat, non autem intentionem ſatisfaciendi præcepto; ita ut eo actu alias recte poſito etiam abſque tali intentione ſibi ſatisfactum velit; manifeſtum eſt illum unicum actum, ſi recte in ceteris fiat, præcepto ſatisfacere, nec intentionem ſatisfaciendi, quæ non præcipitur, neceſſariam eſſe. Solum videndum, ne aliunde actus ille diſtincte poni debuerit, ut ſi quis ex voto, vel pœnitentia diſtinctam miſſam audire, vel diſtinctum a præcepto jejunium ſervare debeat: hic enim miſſam audiens ex voto, vel pœnitentia, aliam miſſam audire tenetur, ut Eccleſiaſtico præcepto ſatisfaciat, non quod huic præcepto ex defectu intentionis non ſatisfecerit, ſed quod voto, vel pœnitentia Confeſſarii actus diſtinctus ab eo, quem Eccleſia præcipit, vulgo intelligatur præſcriptus, niſi aliud expreſſum fuerit; ne ex voto vel pœnitentia nihil novi operis impoſitum dicatur. Hac regula, ſi bene obſervetur, facile ſolvitur illa quæſtio, num præceptis auditionis miſſæ & officii divini ſimul ſatisfieri poſſit. Affirmant non nulli ea ratione ducti, quod

faciat præcepto Eccleſiæ, præſuppoſito, quod illud ignoret, vel etiam ſi ſcit, non habet intentionem ad illud, ſed a caſu, vel propter ſocietatem facit aliquod prædictorum; talis in hujuſmodi non meretur, ex quo non habet voluntatem ad illa opera. Dicit enim auctoritas *De pœnit.* Diſt. 1. quod *voluntas remuneratur, non opus*, id-eſt voluntas principaliter facit opus remunerandi.

De operibus factis ex ſcientia.

Quantum autem ad opera, quæ fiunt ex certa ſcientia, ſive in bonis ſive in malis, imputantur ad meritum vel demeritum, in quantum voluntas aſſentit operi, etſi non ipſi operi, in quantum meritorium vel demeritorium, quod habet in coactione conditionali: v. g. datur infideli optio, ut aut recipiat baptiſmum, aut occidetur vel amittet ſua bona; eligit talis baptizari, ne perdat vitam vel bona. In hujuſmodi opere bono iſte non acquirit nec meritum nec ſalutem ex eo, quod non habet voluntatem ad opus baptiſmi ſuſcipiendum, in quantum bonum eſt & ſalutiferum, argum. ad hoc *De pœnit.* Diſt. 1. *Tres ſcilicet ſunt actiones*. Similiter in malis operibus: quamvis enim aliquis non velit aliquo modo opus malum facere, in quantum malum & demeritorium; tamen aſſentit opus agere, quod ſcit eſſe malum, ne incurrat aliquod damnum; tale opus non excuſatur a peccato: v. g. pejerat quis, ne amittat ſuam cauſſam juſtam, qui tamen alias nullo modo vellet pejerare. Ad quod optime facit, quod ait Auguſtinus: *Si diligenter inſpiciatur, forte ipſum peccatum nemo velit, ſed propter aliud, quod vult, qui peccat. Omnes quippe homines, qui ſcientes faciunt, quod non licet, vellent licere. Uſque adeo ipſum peccare nemo appetit propter hoc ipſum, ſed propter illud, quod ex eo conſequitur.* 15. quæſt. 1. can. *Merito*; unde & Lucretia nobiliſſima Romana, quæ aſſenſit filio Tarquinii in adulterium, ne incurreret infamiam adulterii ex eo, quod ille minabatur ei, quod ſi non aſſentiret, interficeret eam, & unum ex ſervis juxta eam, & diceret marito ſuo Collatino, quod eos interfecerat, quia invenerat eos pariter commiſceri. Ob vitandam igitur talem infamiam aſſenſit operi nefario; de quo tamen tantam diſplicentiam habuit, quod propter hoc coram conſanguineis ſuis ſe occidit. Non excuſatur a peccato adulterii, quia potius debet quis *omnia mala tolerare, quam malo conſentire*, ſcilicet peccati, ut dicit Auguſtinus 32. quæſt. 5. can. *Ita ne.*

De opere exteriori quatenus voluntario.

§. IV. Quantum ad tertiam partem primæ & principalis diviſionis, quum ſcilicet voluntas reperitur cum opere exteriori; ſciendum, quod voluntas ipſa naturaliter ſemper præcedit actum exteriorem, ſicut cauſſa præcedit ſuum effectum, & tamquam regina potentiarum, & omnibus aliis habet imperare ſecundum doctores. Tempore vero aliquando voluntas eſt ſimul cum opere, aliquando in diverſo tempore. Et quando eſt ſimul cum opere exteriori vel immediate exſequitur ipſum, pro uno actu meriti vel demeriti computatur. Sed completius & gravius in ipſo opere exteriori, ut dictum eſt ſupra, puta quum quis volens furari, ſubito quærit furtum facere. Vel quum quis volens orare, vel eleemoſynam dare, ponit ſe ad orandum, vel dandum eleemoſynam. Sed quum voluntas & opus ſint in diverſis temporibus, medio intervallo, infra quod mens divertit ad illud, reputantur ut duo bona vel mala, ſecundum Petrum de Tharantaſio: v. g. habet quis voluntatem fornicandi vel occidendi & hujuſmodi, & dum tale malum deliberat agere, occurrunt ſibi aliæ voluntates & occupationes variæ, in quibus immoratur, deinde occurrente ſibi opportunitate perpetrat illud malum, quod voluntas decreverat, ſcilicet fornicationis vel homicidii; ibi ſunt duo peccata mortalia. Primum, quando voluntate decrevit illud agere: ſecundum, quando illud perpetravit, quod non fuit ſine voluntate iterum deliberante; unde & pro utroque a Deo punitur. In judicio autem humano punitur ſecundum, quando eſt contra leges vel canones. Et primum probatur, vel ex ſe notorium eſt. Dicit enim lex, quod grandis ratio ſuadet, ut maleficia puniantur, ff. *Ad l. Aquiliam*, l. *Ita vulneratus*. Et ut pœna unius ſit metus multorum, 9. quæſt. 3. can. *Si autem*. Et ff. *De pœnis* l. *Aut damnum. Nam ſi ea, quæ male uſurpantur, omittimus, exceſſus viam aliis aperimus*, Diſt. 93. can. *Pervenit ad nos*. Propagatur enim vitium, *niſi per correctionem diſciplinæ ſubſequatur correctio*, 21. quæſt. 2. *Placuit*. Et ſi pœna pro tali crimine exterius commiſſo eſt determinata in jure, tunc ſubdiſtinguendum eſt: quia aut judex, qui habet cognoſcere, eſt judex delegatus, & talis, qui non poteſt in pœna diſpenſare, ut extra *De offic. deleg.* cap. *De cauſſis*, & *De pœnit.* can. *Licet*. Et tunc pœnam illam lege taxatam mutare vel minuere non poteſt, 1. quæſt. 4. *Turbatur navicula*, §. *Notandum*. Et propterea dicit in Authen. *De judicib.* §. *Oportet*, quod judex non debet eſſe mitior lege. Si autem pro uno eodemque ſcelere diverſæ pœnæ de jure imponantur; tunc utraque uno eodemque tempore non eſt imponenda, extra *De judic. At ſi clerici*; ſed minor imponenda eſt, arg. *De pœnit.* Diſt. 1. can. *Pœnæ*. Vel opus eſt gratificatione, extra, *De paroc.* can. 1. vel illa imponatur, quæ magis timetur, extra *Ut lite non conteſt.* cap. *Quoniam frequenter*. Quia ut dicit Auguſtinus: *Hoc ſolum bene agitur ſive plectendo ſive ignoſcendo, ut mala vita hominum corrigatur*, 23. quæſt. 5. *Prodeſt*. Si vero eſt judex, qui habet merum imperium, & de illo crimine poſſit diſpenſare; tunc poterit commutare vel minuere pœnam, ut extra *De raptor.* cap. *In archie-*

De pœna infligenda.

Diſtinctio inter indicem.

hæc duo præcepta eamdem religionis virtutem ſpectantia inter ſe nequaquam pugnent. Si hæc una religionis intentio præcepta eſſet, & utrique actui ſimul debita religionis intentio poſſet adhiberi, non repugnarem. At vereor, ne præter religionem actus diſtinctos Eccleſia præcipiat. Eccleſiæ mentem colligi poſſe reor, ſi obſervemus privatum officium hodie permiſſum eſſe loco officii publici, quod in choro recitatur, & ſimiliter miſſas privatas, queis intereſſe nunc ſufficit, ſuccedere ſolemnibus, quæ inter ſacra officia canuntur: olim enim omnes officium in choro ſtatis horis canere, & miſſæ, quæ una & ſolemnis tantum erat, intereſſe debebant. Quum porro in choro recitentur ſeparatim horæ canonicæ, diſtincte autem miſſa celebretur; palam dignoſcitur, hos actus ex Eccleſiæ mente & inſtitutione diſtinctos eſſe oportere, ac eo quidem tempore, quo nondum privatum officium, vel miſſa erat permiſſa, non niſi per diſtinctos actus Eccleſiaſticis illis præceptis, quæ tum quoque obtinebant, ſatisfactum fuiſſe. Hæc duo itaque præcepta ex intentione & inſtitutione Eccleſiæ diſtinctos actus requirunt. Ex non nullis quidem cauſſis Eccleſia conſequentibus ſæculis miſſas privatas, privatum officium permittens, in id eo ipſo conſenſiſſe intelligitur, ut auditione privatæ miſſæ, & privata officii recitatione plerique ſatisfaciant. Num vero ex hac una indulgentia, quæ penitus conſtat, & in hac diſciplina prorſus neceſſaria eſt, alteram quoque indulgentiam colligere licebit de permiſſa ſimultanea utriuſque præcepti ſatisfactione, quæ nec liquet, nec ulla legitima de cauſſa permitti debuit? ubi autem nulla juſta cauſſa intervenit, diſpenſatio Eccleſiæ nulla præſumenda eſt. Hæc animadverſio inſtitutioni ac intentioni Eccleſiæ innixa me vehementer movet, ne plurium opinioni aſſentire queam. Aliis tamen meliori judicio præditis hanc ipſam animadverſionem ſubjicio.

chiepiſcopatu, & C. *Ex quib. cauſ. infam. irrogat.* l. *Etſi ſeverior*; dum tamen hanc diminutionem vel commutationem faciat cauſſa cognita, & in ipſa ſententiæ prolatione, & non poſt. Secus autem ſi faceret non cauſſa cognita, vel poſt ſententiam, quia tunc non poſſet. Et in hac cauſſarum cognitione habetur conſideratio locorum & temporum, perſonarum & cauſſæ, ac etiam multitudinis & ætatis & ſcandali. Nam ex iſtis omnibus rigor juris mitigatur, ut colligitur manifeſte extra *De ſenten. excom.* cap. *Pueris*, & 86. Diſt. *Tanta*, & Diſt. 50. *Ut conſtitueretur*, & 2. quæſt. 1. in principio, & extra *De tranſact.* can. ult. Item cauſſa cognita ex prædictis cauſſis & juribus poterit pœnam augmentari; & etiam quia multis graſſantibus vindicta opus eſt, ff. *De pœnis*, l. *Aut facta*. Nota etiam, quod arbiter poteſt leges tranſgredi, ff. *De arbitris*, l. *Qualem*. Si autem non eſt determinata a lege pœna, tunc imponitur arbitrio judicantis, ff. *De pœnit.* l. *Hodie*, & extra, *De offic. deleg.* can. *De cauſſis*. In bonis videtur idem dicendum quoad Deum ſive meritum, hoc eſt, quod voluntas bona cum opere exteriori ſubſecuto, tunc habet ſuam plenam perfectionem; unde & ad majorem remunerationem. Et hoc eſt quod Dominus requirit, dicens Matth. 7. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei*. Primum enim *Domine* refertur ad voluntatem, ſive ad affectionem, qua quis vult bonum. Secundum *Domine* refertur ad locum bonum. Sed tertium refertur ad exteriorem bonam operationem, quæ exigitur, quum adeſt poſſibilitas, ut ſupra dictum eſt. Comparatur enim mens ſeu voluntas bene diſpoſita bonæ arbori, de qua Chriſtus dixit in dicto capitulo, quod *fructus bonus facit*, non flores tantum affectionum, nec frondes tantum verborum, ſed & fructus exteriorum bonarum operationum. Florens enim ſi pulchri ſint, non tamen paſcunt. Unde devota anima dicit in Cant. 5. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum*, ideſt in mentem ſuam, *& comedat fructus pomorum ſuorum*, non flores dicit. Cuſtodiendi tamen ſunt, ne pereant vel deſtruantur, quia ex floribus ſequuntur fructus. Juxta illud Eccleſiaſtici 24. *Flores mei fructus honoris & honeſtatis*. Et propterea dicit Sponſa in Cant. 2. *Capite nobis vulpes parvulas*, ideſt tentationes ſeu cogitationes fraudulentas ſub ſpecie boni ſubintrantes, tunc ſunt *parvulæ*, ideſt in ipſo principio occurſus. Sequitur in textu: *Quæ demoliuntur vineam noſtram*, ideſt flores ejus. Unde & ſequitur: *Nam vinea noſtra floruit*. Similiter etiam frondes arboris non paſcunt homines, quamvis aliquando medicinalia ſint; propter quod dicit Apoſtolus cap. ult. *Folia ejus ad ſanitatem gentium*. Sic & bona verba, quamvis auditoribus plerumque proſint, ſi ſint ſine fructu operum, proſunt quandoque auditoribus, ſed non paſcunt ſpiritualiter facientem, vel ipſum Deum. Unde in figuram, quum ſemel Dominus Jeſus Chriſtus eſuriens ad arborem fici accederet, quia non invenit ibi fructus, ſed tantum folia, maledicens, ſubito exſiccata eſt, Matth. 21. ad ſignificandum, quod qui habent tantum verba, & non facta, a Deo reprobantur. Requiritur ergo ad bonitatem arboris, ut producat non ſolum flores bonarum voluntatum ſeu deſideriorum, & frondes ſalutarium locutionum, ſed & fructus etiam bonarum operationum; unde Jacobus in ſua Epiſtola can. cap. 2. [1] *Oſtende mihi fidem tuam ex operibus*. Et quales ſint fructus boni producti ab arbore bona, oſtendit Pſalmiſta, quum ait: *Erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo*, pſal. 1. Ubi tria poſſunt notari.

Primo diſpoſitio laudabilis ex parte ſui ſignatur, ibi: *Erit tamquam lignum*.

Secundo infuſio gratiæ optabilis ex parte Dei inſinuatur, ibi: *Quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*.

Tertio operatio imitabilis ex parte futuri demonſtratur, ibi: *Quod fructum ſuum*, &c.

§. V. Quantum ad primum *lignum* appellat hominem rationalem. Unde homo græce dicitur *antropos*, ideſt arbor reverſa. Nam ubi arbores irrationabiles habent radices in terra, & ramos verſus cælum; arbor rationalis, ideſt homo e converſo ſituatur. Nam caput eſt illi, quod eſt quaſi cyppus cum radicibus capi verſus cælum, & brachia cum manibus, tibiæ cum pedibus & digitis, quæ ſunt quaſi rami, & ramuſculi ſunt verſus terram, ut ſciat & conſideret ſe ex ipſa ſui diſpoſitione corporis mentem & cogitationes habere ad cæleſtia. Juxta illud Ovid. in 1. Metam.

Homo comparatur arbori.

Os hominum ſublime dedit (ideſt faciem)
cælumque videre
Juſſit:

ac etiam dum converſatur in terra, multiplicare bona opera jejuniorum, orationum, eleemoſynarum & hujuſmodi, juxta illud Eccleſiaſtes 9. *Quodcumque poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus*, &c. *Plantatum eſt* autem tale lignum *ſecus decurſus aquarum* quoad ſecundum, quum videlicet eſt circumdatus aqua divinæ gratiæ, quæ multiplex eſt in effectu, & currens, quia habentem facit promte operari. Juxta illud Ambroſii: Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Hæc eſt aqua, de qua Dominus dixit Samaritanæ: *Omnis, qui biberit ex aqua, quam dabo ei, non ſitiet*, Joann. 4. ſcilicet terrena, ea inordinate amando plus quam Deum; & merito, quia ex hac aqua procedit triplex alia aqua, ſcilicet ſapientiæ, pœnitentiæ, & patientiæ, quæ mirabiliter reficiunt. Et de aqua ſapientiæ dicit Sapiens de juſto habente gratiam, quod Dominus *aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum*, Eccleſiaſtici 15. Hæc ita reficit mentem guſtu divinorum in meditando, in legendo, in audiendo; quod, ut dicit Bernardus, guſtata ſuavitate ſpiritus, quod fit per ſapientiam, deſipit omnis caro. De aqua pœnitentiæ ſeu lacrymarum dicit pſal. 147. *Flabit ſpiritus ejus*, ideſt gratia Spiritus ſancti in mente, *& fluent aquæ* lacrymarum, quibus peccata purgantur ſecundum Chryſoſtomum, *De pœnit.* Diſtin. 1. can. 2. *Lacrymæ lavant delictum*. De tertia aqua dicitur figurate Exod. 14. *Aquæ erant eis pro muro a dextris & ſiniſtris*. Sicut aqua refrigerat, ita patientia ſuper omnia alia, *a dextris*, ideſt adverſis ſpiritualibus, ut tentationibus & anguſtiis, *& a ſiniſtris*, ideſt adverſis temporalibus, ut paupertate, fame, ſiti, frigore, infirmitate. In omnibus his, qui patienter fert, non poſſet habere melius refrigerium in anima, & etiam quoad corpus multum mitigatur pœna. Et hoc patet ex martyribus, qui in pœnis gaudebant, refrigerati ex patientia. Unde quando medici neſciunt, quid amplius faciant infirmo, pro ultimo remedio confortant eum ad patientiam. Quoad tertium, lignum iſtud facit *fructum*, dicit Pſalmiſta, ideſt opus bonum; quia primo cum recta intentione; & ideo dicit: *Dabit fructum*. Arbor enim ſi ſibi retineret fructus, in ea marceſcerent; ſed dando, aliis

[1] In Vulgata habetur: *Tu fidem habes, & ego opera habeo: oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.*

aliis & ſibi prodeſt. Sic mens bene diſpoſita, & in gratia fundata fructus operum ſuorum non ſibi attribuit, ſed Deo ab eo recognoſcens: nec ſibi tantum laborat, ſed & proximis ſuis; & ſic dat fructum, non retinet ſibi. Secundo operatur cum ratione; unde dicit: *Dabit fructum ſuum*, Fructus enim hominis, qui eſt animal rationale, proprie eſt actus procedens a ratione. Ratio autem, ut dicit philoſophus, ſemper deprecatur ad optima, ideſt inſtigat. Mala opera non ſunt proprie fructus hominis, ſed fructus ſilveſtres, cibus beſtiarum. Tertio arbor bona & rationalis facit opus cum debita obſervatione, ſcilicet circumſtantiarum. Unde dicit: *Dabit fructum in tempore ſuo*. Nullum enim eſt virtuoſum opus, niſi debitis circumſtantiis veſtiatur ſecundum B. Thomam 2. 2. Inter quas circumſtantias eſt debitum tempus. Unde Eccleſiaſtes 8. *Omni negotio tempus eſt & opportunitas*. Aliqui enim nimis cito exſequuntur, quod voluntati occurrit, non conſiderantes, quid inde mali poſſit contingere: quibus accidit ſicut arboribus amygdalis vel aliis, quæ quum nimis cito incipiunt florere, ſuperveniente pruina vel imbre amittunt flores & fructus. Alii vero nimis tardant ad exſequendam bonam voluntatem; propter quod aliquando vel flores deſideriorum cadunt, & non reddunt fructum, vel fructus faciunt ſerotinos nimis, qui communiter non matureſcunt, quia non ſunt *in tempore ſuo*. Bona igitur arbor, ideſt bona voluntas gratia informata, producit flores bonarum affectionum; & ſic primo dicit: *Domine*. Producit ſecundo frondes bonarum locutionum; & ſic ſecundo dicit: *Domine*. Producit tertio fructus bonarum operationum cum recta intentione, cum humana ratione, cum debita circumſtantiæ obſervatione; & ſic *tamquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum*, dans *fructum ſuum in tempore ſuo*, dicens tertio *Domine*. Facit voluntatem patris cæleſtis, & ipſe *intrabit in regnum cælorum*.

CAPUT XV.

Quomodo a voluntate bona non poſſunt procedere opera mala.

DE voluntate notandum, quod quum vere bona eſt, producere non poteſt mala opera. Ad quod facit, quod Salvator ait Matth. 7. *Non poteſt arbor bona fructus malos facere*, arbori hominem vel ejus voluntatem aſſimilans. Circa quam auctoritatem videnda ſunt tria.

A quo oriatur voluntatis probitas, quia *arbor bona*.

Ex quo ſequatur malignitatis in opere ejus impoſſibilitas: quum dicitur: *Non poteſt*.

In quo cognoſcatur criminoſæ operoſitatis qualitas, ibi: *Fructus malos facere*.

Homo arbori ſimilis.

§. 1. Quantum ad primum arbor deſignat, ut dictum eſt, hominem vel ejus voluntatem. Qui homo & ejus voluntas tunc arbor bona eſt, quando affectiones & cogitationes ejus tamquam radices fixæ ſunt in cælo, juxta illud pſal. 91. de juſto: *Plantatus in domo Domini*, &c. Hujus humor faciens fructificare eſt devotio; ſtipes rectus congrua intentio; ejus rami robuſti, potentiæ ſeu virtutes in bono permanentes; cortex autem exterior converſatio malis reſiſtens; folia ejus verba rationabilia, ſecundum illud: *Et folium ejus non defluet*, pſalm. 1. Flores odoriferi redolens fama, ſecundum illud Apoſtoli 2. Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo*. Fructus vero juſta opera, ſecundum illud: *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus*. Terra, in qua radicatur, humi- A litas. Dicitur autem humilis quaſi terræ acclivis. Radius ſolaris reverberans arborem, & fructus maturans, & ſuaves faciens, eſt gratiæ lumen. Aqua irrigans doctrina Scripturæ, ſecundum illud Eccleſiaſtici 15. *Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum*. Quando igitur iſta concurrunt, nulli dubium, quod arbor eſt bona, homo ſcilicet, & voluntas ejus. Permaxime autem ad hoc, ut voluntas ſignificata per arborem ſit bona, requiruntur duo ſecundum B. Thomam ſuper 2. ſenten. Diſt. 40. Primum eſt intentio finis boni. Secundum eſt electio ejus, quod eſt ad finem, ut ſcilicet ſit bonum, ideſt ad hoc, ut voluntas ſit bona, oportet, quod voluntas velit bonum, & propter bonum. Et ſi utraque bonitas in voluntate fuerit, ſcilicet bonitas intentionis, quæ eſt B reſpectu finis, & bonitas electionis, quæ eſt ejus, quod eſt ad finem; tunc ſemper erit voluntas bona, & actus exterior ſemper erit bonus, qui dicitur fructus. Et ſic permanens *bona arbor, fructus malos facere non poteſt*. Et de hac arbore bona, & copioſa, & fructuoſa poteſt exponi moraliter viſio Nabuchodonoſor, quam habuit de arbore, ut habetur Dan. 4. *Videbam, & ecce arbor in medio terræ*, &c. ibi vide hiſtoriam. Ubi poſſunt tria notari de homine virtuoſo.

Ut voluntas ſit bona, duo requiruntur.

Et primo ſanctitas ſtupenda in ejus deſcriptione, ibi: *Ecce arbor in medio terræ*.

Secundo ejus defectuoſitas lugenda in ejus præciſione, ibi: *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus*, C

Tertio ejus ſpecioſitas reſumenda ex germinis ſeu radicis reſervatione, ibi: *Verumtamen germen radicum ejus in terra ſinite*.

Sanctitas commendatur ex conditionibus arboris viſæ.

Quantum ad primum commendatur ſanctitas multipliciter ex conditionibus ipſius arboris viſæ. Et primo commendatur ab ejus virtuoſitate, quum dicitur: *Ecce arbor in medio terræ*. Conſiſtit enim virtus in medio vel rationis vel rei; propter quod dicit Sapiens: *Medium tenuere beati*. Secundo commendatur a magnanimitate, ſeu magna operoſitate, ibi: *Arborum*. Operatur enim magna amor Dei, ideſt operari facit ſecundum Gregorium. Tertio laudatur a vigoroſitate, ſcilicet ad toleranda mala fortiter, ibi: *Robuſta*. Sap. 5. *Stabunt juſti in magna conſtantia*. Quarto laudatur ab ejus ſublimitate, ſcilicet in contemplando ſuperna, ibi: *Procera*, ideſt alta, ſecundum illud Apoſtoli Philipp. 3. *Noſtra converſatio in cælis eſt*, ſcilicet per contemplationem. Quinto magnificatur ab ejus dignitate, ſeu opinionis claritate de eo, ibi: *Aſpectus ejus uſque ad terminos univerſæ terræ*; quod fit per diffuſionem nominis & famæ ejus. Sexto commendatur ab utilitate multiplici, ibi: *Et folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & eſca univerſorum in ea*. In foliis notantur verba Apoc. ultimo: *Et folia ejus ad ſanitatem gentium*, ſcilicet ſunt. In fructu opera vel ſcientia, ſecundum illud pſal. 103. *De fructu operum tuorum ſatiabitur terra*. In eſca refectio deſignatur. Sicut enim fructus veſtitur foliis, ita ſcientia adornatur verbis compoſitis & E operibus virtuoſis, juxta illud Proverb. 15. *Lingua ſapientum ornat ſcientiam*, ſcilicet exemplis & verbis. Septimo commendatur a poteſtate; & hoc reſpectu ſubditorum, ibi: *Subter ea habitabant animalia & beſtiæ, & in ramis ejus conſervabantur volucres cæli*. Per animalia & beſtias deſignantur mentes carnales & penitus ſæculares: ſeu per animalia voluptuoſi, & per beſtias iracundi, & hi dicuntur habitare ſubtus hanc arborem, quia hujuſmodi perſonæ premi debent rigore diſciplinæ. Per volucres cæli deſignantur ſpirituales affectus ad cæleſtia volantes; & hi dicuntur habitare in ramis, quia ſpirituales viri in locum

ſupe-

ſuperiorem, ideſt in auctoritate debent eligi, & digno homine ſublimari, ſecundum illud Apoſtoli: *Qui bene præſunt, duplici honore ſunt digni*, 1. ad Timoth. 5. ſcilicet & reverentia paternali, & ſubvenientia temporali.

Quid ſit ſuccidere arborem.

Secundum, ſcilicet defectuoſitas probi viri lugenda, notatur ibi, *ſuccidite arborem*; quod intelligi poteſt & de defectu ejus per mortem corporalem, & de defectu animæ per mortem ſpiritualem. Et quantum ad primum dicere ei, *ſuccidite arborem*, eſt diſponere & ordinare, vel miniſterio Angelorum vel operatione ſecundarum cauſſarum naturalium mortem viri probi, qui abſcindi dicitur, dum a terrâ habitabili hujus mundi ſubtrahitur. Juxta illud, quod dicitur de Chriſto Iſai. 53. *Abſciſus eſt de terra viventium*. Præciduntur tamen rami ejus, quum videlicet potentiæ ſenſitivæ organis corporeis affixæ auferuntur ab actibus ſuis. Excutiuntur folia, quia deficiunt verba doctrinæ. Diſpergitur fructus, quia deſinit facultas meritoria operandi. Fugiunt beſtiæ, quæ ſunt ſubtus eam, & volucres, qui erant in ramis, quia ſuditi boni vel mali ſubtrahuntur a juriſdictione & poteſtate ejus. Cum feris eſt habitatio ejus, quia quoad corpus cum ſerpentibus & buffonibus & vermibus aliiſque ſe reperit. Rore cæli intingitur, quia deſcendit pluvia & ros ſuper ſepulchrum cadaveris ejus. In herbis terræ eſt, quæ oriuntur ex terra ſuper corpus ejus. Hic autem defectus utique per mortem lugendus eſt, ſicut legitur de S. Ambroſio, qui audita morte alicujus ſancti viri amare lacrymabatur. Si autem exponatur de morte ſpirituali, quæ fit per culpam, ſic tunc ſucciditur arbor tam magna & pulchra, quum magnæ ſanctitatis vir decidit in mortali, ut David, Petrus & alii. Quod utique contingit, etſi non operante Deo, qui non eſt auctor peccati; tamen permittente eo, & gratiam ſubtrahente, ex culpa & demerito illius peccantis. Tunc autem rami præciduntur, quum virtutes magnæ ſubtrahuntur. Folia excutiuntur, quia gratia prius habita bene loquendi & fructuoſe prædicandi tollitur. Fructus diſpergitur, quia bona operatio jam facta quoad meritum tollitur. Fugiunt volucres & beſtiæ ab eo, quia & ſubditi boni & mali horrent ejus converſationem, & declinant conſortium. Cum feris habitat, ideſt cum dæmoniis & impiis, quorum voluntati aſſentit. In herbis terræ eſt, quia temporalibus vacat, & in illis gaudet. Cor ejus ab humano commutatur, quia nullum intellectum verum pene habet ſicut beſtiæ. Rore cæli intingitur, quia aliquando bona inſpiratione divina ad ſe recognoſcendum tangitur, ſed vinculo ferreo alligatur, quia conſuetudine mala & obduratione peccati detinetur. Et certe hujuſmodi defectus magis lugendus eſt, quam prior, ſcilicet de morte corporali. Quod etiam Ambroſius faciebat, audito caſu ſeu ruina ſpirituali alicujus perſonæ.

Quantum ad tertium, quod eſt reſumtio ſpecioſitatis deperditæ, hoc ibi notatur, quum dicitur: *Germen ejus in terra ſinite*, quia videlicet habilitas & aptitudo ad reſurgendum, cum omni ſpecioſitate naturali & ſpirituali virtute divina remanet. Et ſeptem tempora mutantur in eo, antequam redeat ad priſtinum ſtatum, quia ſcilicet ſeptem mundi ætates oportet compleri ante reſurrectionem univerſalem omnium. Et tunc recognoſcent omnes, *quod dominatur excelſus in regno hominum*, ut dicitur ibi Dan. 4. Et hoc continuando ad expoſitionem de morte corporali. Nam quantum ad defectum mortis ſpiritualis per peccatum dicitur remanere germen in terra, ad reviviſcentiam ipſius arboris, quia quantumcumque quis peccet a perfectione declinans, remanet tamen ſemper libertas arbitrii, & facultas vitam gratiæ recuperandi, & perfectionem omnem amiſſam, vel etiam majorem reſumendi ſecundum conatum & fervorem in reverſione; ſed oportet prius, quod ſeptem tempora mutentur ſuper eum, ideſt quod omnia peccata commiſſa in tempore univerſaliter deteſtetur, quæ in ſeptem capitalibus vitiis continentur. Et hoc per ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti. Et ſic ex beſtia revertitur ad ſtatum hominis, ſicut Nabuchodonoſor, & ad regnum inclytum, quia ex beſtiali mente tota paſſionibus dedita revertitur ad converſationem vitæ rationalis, & virtualis, & ad regnum virtutum & gloriæ prius amiſſum.

Bona arbor non poteſt malos fructus facere, & quomodo hoc debet intelligi.

§. II. Quantum ad ſecundum principale, quod eſt impotentia malignitatis operis notata in voluntate vel homine, quum dicitur, *non poteſt*, ſcilicet *malos fructus facere*. Ratio autem hujus eſt, quia *arbor bona* eſt: ſicut autem ex igne frigus procedere non poteſt, nec ex luce tenebra; ſic nec ex bona voluntate, ſeu ex habitu bonitatis non poteſt procedere malus actus. Sed bene poteſt arbor, ideſt voluntas vel perſona, quæ eſt bona, aliquo tempore effici mala arbor, & ſic faciet fructus malos; non autem dum bona perſeverat arbor. Unde Hieronymus ſuper Matthæum: *Si arbor bona fructus malos facere non poteſt*, quomodo Moyſes arbor bona peccavit ad aquas contradictionis, ſcilicet non credendo verbis Domini? Petrus quoque in paſſione Domini negavit Chriſtum. Et e contrario quomodo Jetro ſocer Moyſi arbor mala, quia gentilis, quomodo fecit fructum bonum dando conſilium Moyſi bonum, ſcilicet de conſtituendo coadjutores officii ſui? Et reſpondet, quod hoc intelligitur conditionaliter, ſeu conjunctim, videlicet quod, dum *arbor bona* perſeverat bona, *non poteſt facere malus fructus*, ideſt opera mala; ſed arbor bona poteſt effici mala, & tunc faciet malos fructus. Et ad idem facit, quod ait Auguſtinus in ſerm. Domini in monte dicens:

Error Manichæi.

Errant Manichæi, qui putant & dicunt, nec animam bonam poſſe fieri malam, neque e converſo malam bonam, intelligentes per arborem bonam, de qua Chriſtus loquitur, animas bonas, quarum dicunt Deum auctorem, & per arborem malam animas malas, quarum dicunt auctorem diabolum eſſe. Sed ut ſubdit Auguſtinus: Falſitas hujus opinionis, ſententiæ error oſtenditur ex modo loquendi ipſius Salvatoris: neque enim dicit, quod arbor bona non poſſit fieri mala, & e converſo; ſed quod *bona arbor non poteſt facere fructus malos*, & *mala bonos*, appellans bonam arborem bonam voluntatem, & malos fructus mala opera, & malam arborem malam voluntatem, & bonos fructus opera bona. Quod infallibiliter verum eſt conditionaliter, ideſt, quamdiu voluntas eſt vere bona, ut debet, non poteſt agere opera mala, & e converſo. Sic etiam exponitur illud Auguſtini, *De pœnit.* Diſt. 2. *Radicata. Radicata eſt caritas, ſecurus eſto, nihil mali procedere poteſt.* Quod intelligitur conjunctim ſecundum gloſſam, quia ex caritate elicitive vel imperative non poteſt malum procedere; ſicut & nix quamdiu eſt nix, non poteſt calida eſſe, ſed poteſt liquefieri, & tunc aquam vocamus. Quod autem voluntas bona poſſit in via fieri mala, patet ex hoc, quia dum viatores ſumus, liberum arbitrium flexibile eſt ad bonum & malum. Alia ratio eſt, quia caritas viæ, quæ facit voluntatem bonam, non replet totam capacitatem voluntatis, ſeu mentis, ut actualiter nihil aliud poſſit intendere niſi Deum ſicut caritas patriæ; dum autem ad alia extenditur, tunc poteſt a Deo averti per inordinatum affectum ad creaturam, ſecundum B. Thomam 2. 2. Sicut autem ex terra bona cauſſatur,

vel

vel in terra bona radicatur mala arbor; ſic mala voluntas, ideſt mala affectio cauſſatur ex voluntate, potentia naturali, quæ eſt bona, & radicatur in anima vel voluntate habitualiter, quæ anima & voluntas eſt bona in quantum voluntas. Nec etiam ſecundum Auguſtinum ex bono potuit oriri voluntas mala, quia bonum factum eſt a bono Deo; ſed quia de nihilo factum eſt, non de Deo.

Conditiones arboris bonæ.

Ad hoc autem, quod arbor ſit bona, & faciat fructus bonos, concurrunt plures conditiones. Et primo radicem habet in imo. Unde Auguſtinus: Attendite arborem, radicem figit in imo, at ramos tendat ad cælum. Sic mentem debet quis in humilitate firmare, ut poſſit eam ad cælum levare. Et non ſolum una radice inhæret terræ, B ſed omnibus. Radix eſt quaſi os arboris, per quod nutrimentum recipit; ſic ore cordis debet quis inhærere & figere in terra viventium.

Secundo arbor imperceptibiliter creſcit continue, quouſque veniat ad magnam altitudinem. Sicut dicitur Prov. 4. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens proficit & creſcit*, & ut dicit Virgilius

Labor improbus omnia vincit.

Tertio oportet, quod arbor cultivetur; alias degeneraret & ſilveſtris fieret, & inſipidos fructus produceret; ſic oportet mentem colere ferro compunctionis, & inutilia reſecare. Joann. 15. *Omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Et parabolice ſcribitur Luc. 3. dixiſſe cultorem vineæ patrono volente ſiculneam C quamdam infructuoſam ſuccidere: *Fodiam circa eam, & mittam ſtercora*, ut ſcilicet faciat fructum. Mittere ſtercora ad radices, eſt bene recogitare miſerias & defectus ſuos.

Quarto arbor bona non in uno ramo tantum, ſed in omnibus facit fructum; ſic non ſolum uno membro debet quis Deo ſervire, puta pedibus tantum eundo ad Eccleſias, ore tantum bene loquendo, aure verba Dei audiendo; ſed omnibus membris, quæ ſunt ut rami arboris rationalis, & corde & ore & manu operum & aliis multis. Rom. 6. *Exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.*

Quinto arbor non facit fructus, niſi ad quos producendum ordinata eſt a Deo & natura. Nam fi- D cus non producit uvas, nec vitis ficus. Ita *unuſquiſque*, ut ait Petrus 1. canonica cap. 4. *Prout accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes.* Non autem ſe intromittere debet de eo, in quo non habet gratiam ſeu aptitudinem vel commiſſionem.

Sexto arbor licet ſilveſtris faciat plures fructus, quam hortenſis; tamen hortenſis facit meliores. Sic laicus licet plura faciat opera exteriora, vel etiam religioni activæ deditus, quam contemplativus vel clauſtralis; tamen puriora & perfectiora ſunt opera contemplativorum, quam activorum, & religioſorum bonorum communiter, quam laicorum. Pſal. 17. *Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi* &c. Non dicit, *ſe-* E *cundum multitudinem.*

Septimo arbor ſi tranſplantetur, melius fructificat, ſi in locum meliorem mutetur; ſic mutando ſtatum, puta de laicali in religioſum, perfectiora opera aptus eſt facere. Sed ſciendum, quod paucæ arbores in autumno vel hyeme, pauciſſimæ in æſtate tranſplantantur; ſic in ſenectute, vel etiam in fervore juventutis pauci convertuntur, ſed in vere adoleſcentiæ communiter. Et aliquæ quidem arbores nil fructus faciunt, ut otioſi; aliæ folia tantum, ut verboſi; aliquæ folia fœtentia, ut ſambuci, ideſt luxurioſi; aliæ ſpinoſa folia, ut juniperus.

§. III. Quantum ad tertium principale, ſcilicet

A quomodo diſcernatur fructus bonus, quem arbor bona producit, a fructu malo, quem producere non poteſt, ſed arbor mala ipſum producit. Arbor bona, ut dictum eſt, eſt voluntas vere bona, vel homo bonus; & fructus bonus, actus bonus procedens ex ea. Et ex fructu arbor cognoſcitur, ait ipſe Salvator: A *fructibus eorum cognoſcetis eos*, Matth. 7. ſcilicet homines, ſi vere boni ſunt, vel hypocritæ mali, ſcilicet ſub pelle ovina. Sed difficile hoc videtur ad diſcernendum, & vix poſſibile ad cognoſcendum. Nam oratio & jejunium, eleemoſyna, & hujuſmodi fructus videntur boni; & tamen non ſolum boni homines ex bona voluntate iſta faciunt, ſed etiam mali homines, qui ſignantur per malam arborem.

Fructus bonus quomodo diſcernitur a malo.

Ad cognoſcendum igitur & diſcernendum eos, B notandum, quod triplex genus fructuum ſeu operum poteſt produci ſeu fieri ab homine. Aliqui enim actus ſunt de ſe mali, adeo quod nullo modo poſſunt eſſe, vel bene fieri; ſicut perjuria, blaſphemiæ, odia, & illa, quæ nominat Apoſtolus opera carnis, dicens ad Gal. 5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, avaritia* &c. Hos fructus arbor bona, dum bona eſt, producere non poteſt, ſed mala producit. Et ex hujuſmodi poteſt manifeſte cognoſci, quod hæc faciens arbor mala eſt. Sed tamen talia opera dici non poſſunt veſtimenta ovium, ſub quibus ſe abſcondunt falſi prophetæ, ideſt hypocritæ, C quia ipſa non habent ſpeciem vel apparentiam boni, unde poſſint alios decipere.

Tria operum genera.

Sunt aliqui alii fructus ſeu actus, qui de ſe ſunt boni, ita quod nullo modo poſſunt eſſe mali, ut actus illi, de quibus ait Apoſtolus ad Gal. 5. *Fructus autem ſpiritus ſunt caritas, pax, gaudium, patientia* &c. Hi actus, & ſimiles procedentes a gratia Dei producuntur, & fiunt a bona arbore, & non poſſunt produci a mala arbore, dum mala eſt. Sed quum ſciri non poſſit per certitudinem, qui gratiam habeat, & actus virtutum acquiſitarum ſint ſimiles actibus virtutum infuſarum, qui procedunt ex gratia, & ſunt vere boni, hinc eſt, quod per certitudinem ſciri non poteſt, ſi faciens illos actus, ſcilicet caritatis, exteriores, patientiæ, modeſtiæ, continentiæ, & alia, ſit arbor bona, quum poſſit ſimilia facere ſine gratia; & arbor mala, ideſt malus homo, habens malam voluntatem, plura illorum opera exterius apparentia poſſit facere.

Alii actus humani ſunt, qui dicuntur de genere bonorum, qui fieri poſſunt bona & mala voluntate, ut eleemoſyna, oratio, jejunium & hujuſmodi. Et iſta dicuntur veſtimenta ovium, quia ſunt proprie electorum, quum fiunt debito modo, ſcilicet in gratia; & hos fructus producere poteſt arbor bona & mala. Sed cognoſci plene non poteſt: quum procedunt a mala voluntate ſeu intentione, tunc ſunt mali, vel ſine gratia, & tunc etiam non ſunt vere boni ideſt meritorii; vel quum procedunt a bona voluntate & gratia, & tunc ſunt boni. Per conjecturam tamen poteſt diſcerni arbor bona a mala per quædam opera tamquam per ſigna.

De ſignis bonorum operum.

Et primum eſt, ſi fidei veritas non pervertatur in ſe vel in alio operando, ſed firmiter credat & vivaciter. Joann. 6. *Qui credit in me, habet vitam æternam.*

Secundum eſt, ſi mandata Eccleſiæ non contemnat, ſed impleat. Matth. 18. *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Eccleſiaſtes 8. *Qui ſervat præceptum, non experietur quidquam mali.*

Tertium eſt, ſi per eum novus ritus vivendi non introducatur, quod pertinet ad ſuperſtitionem & ſuperbiam; ſed communia documenta ſequa-

quatur, juxta illud Deuter. 19. *Non transferes terminos, quos posuerunt patres tui.*

Quartum est, si caritas proximi per eum non spernatur: 1. Joann. 3. *Translati sumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres. Sed qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum egere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei est in illo?* Certe non.

Quintum est, si peccatum per eum toto conatu fugiatur. Ecclesiastici 21. *Quasi a facie colubri fuge peccatum.*

Sextum, si verbum Dei delectabiliter audiatur. Joann. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, vel melius, si æquanimiter adversa & dulciter patiatur. Unde Christus Matth. 7. *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* idest B de adversitatibus fervorem spiritus, & dulcedinem caritatis, quasi diceret: Non hypocritæ, sed vere bonæ arbores.

Septimum est, si per eum de operibus bonis gloria mundi non quæratur: Joann. 7. *Qui quærit gloriam ejus, qui misit illum, hic verax est, & injustitia in eo non est.* Hos actus tamquam fructus bonos producit bona arbor, & fructus contrarios, qui sunt mali, producere non potest. Et quum aliquis facit hos fructus malos contrarios bonis, signum est, quod non est bona arbor.

CAPUT XVI.

De sensualitate.

DEinde videndum est de sensualitate, quæ idem est, quod appetitus sensitivus. Circa quam notanda sunt quattuor, scilicet diffinitio, subjectio, offensio, & duratio.

Quid est sensualitas.

§. I. Et quantum ad primum sciendum, quod Magister sent. lib. 2. Dist. 24. sic diffinit sensualitatem: *Sensualitas est quædam vis animæ inferior, ex qua est motus, qui intenditur in corporis sensus, atque appetitus rerum ad corpus pertinentium.*

Pro cujus declaratione sciendum, quod motus sensualitatis in duo tendit, scilicet in ea, quæ secundum exteriores sensus delectabilia sunt; & hoc est, quod dicitur in diffinitione, quod *ex sensualitate est motus, qui intenditur in corporis sensus.* Secundo tendit ad ea, quæ nociva, vel in con- D

De motu & appetitu sensualitatis.

venientia corpori, secundum solam æstimationem cognoscuntur; & sic in diffinitione dicitur, quod *ex sensualitate procedit appetitus rerum ad corpus pertinentium.* Sic igitur sensualitati duo attribuuntur, scilicet motus & appetitus. Cujus ratio est, quia licet sensualitas sit una potentia, ejus tamen plures sunt actus, non æque primi, sed secundum ordinem ab invicem se habentes. Motus enim sensualitatis est quædam inclinatio ad sensus corporis, dum scilicet appetimus ea, quæ per sensus corporis apprehenduntur; unde ad sensualitatem pertinent duo, scilicet corporis sensus quasi præambuli, & appetitus sensitivus, qui est E inclinatio, vel motus consequens apprehensionem sensitivam, & sic appetitus sensitivus fertur in aliquid, vel inclinatur duplici ratione: prima est, quia illud, in quod movetur vel inclinatur, est conveniens naturæ sentientis, sicut cibus & potus & alia hujusmodi, quæ sunt necessaria corpori. Secunda ratio est, quia illud est conveniens potentiæ sensitivæ, sicut color pulcher est delectabilis visui ad videndum, & sonus moderatus est conveniens & delectabilis auditui ad audiendum, & sic de aliis.

Et sic appetitus sensitivus est medius inter appetitum naturalem & rationalem. Superior est enim appetitui naturali, quia appetitus naturalis, qui est inclinatio naturæ in rem vel opus sibi con-

De ordine diversorum appetituum.

venientem, est absque propria apprehensione, scilicet ipsius appetitus, licet sequatur apprehensionem instituentis naturam: sicut appetitus naturalis lapidis est inclinatio vel motus deorsum. Sed appetitus sensitivus fertur & inclinatur in aliquid mediante propria apprehensione, idest notitiæ sensitivæ. Est tamen inferior appetitui naturali, quia appetitus rationalis fertur & inclinatur in bonitatem rei absolute; sed appetitus sensitivus fertur in bonitatem rei, non absolute, sed sub tali vel tali consideratione, puta vel quia est utilis, vel quia est delectabilis.

Hæc autem sensualitas figurata est in tentatione primorum parentum. Nam secundum Augustinum 2. de Trinitate, serpens assimilatur sensualitati: nam serpens non solum ostendit & proposuit mulieri delectativum vel pomum, sed etiam inclinavit mulierem in affectum peccati. Mulier vero comparatur inferiori rationi, eo quod acquievit serpenti, scilicet sensualitati. Vir autem assimilatur superiori rationi, eo quod occasione serpentis ad peccatum allicientis, vir, idest ratio, peccato consensit. Sed idem Augustinus contra Manichæos aliter assignat ista, scilicet quod serpens figuraret sensum, eo quod, sicut serpens proposuit & ostendit peccatum; ita sensus exteriores mulierem assimilat sensualitati vel concupiscentiæ, eo quod, sicut mulier inclinavit ad peccandum; ita sensualitas vel concupiscentia inclinat affectum ad peccandum. Vir vero assimilatur C rationi, eo quod, sicut vir credidit mulieri; ita ratio sensualitati vel concupiscentiæ. Hæc Thomas 1. 2. quæst. 81. & in quæstionibus de veritate. Gregorius vero dicit per serpentem significari diabolum, per mulierem carnem, idest sensualitatem, per virum spiritum, sive rationem, Dist. 6. *Sed pensandum.*

Sensualitas dividitur in irascibilem & concupiscibilem.

Distinguitur autem ipsa sensualitas, sive potentia appetiva sensualis in duas potentias realiter distinctas, scilicet irascibilem & concupiscibilem, sicut distinguitur genus in species specialissimas secundum Thomam supra 2. Sent. Dist. 24. Et hoc ratione ostenditur sic: Appetitus sensibilis est nobilior appetitu naturali, ut dictum est supra. Sed naturalibus oportet esse non solum inclinationem ad consequendum convenientia, & refugiendum nociva; sicut lapis naturaliter inclinatur ad locum deorsum, qui est sibi conveniens, & refugit aerem, quum jactatur in altum, descendens quamcitius ad terram; sed etiam inclinationem oportet esse ipsis naturalibus ad resistendum corrumpentibus & contrariis, quæ convenientibus impedimentum præbent, & ingerunt nocumenta. Sicut lapis resistit percutienti quantum potest, ne frangatur; similiter, & ignis, qui habet naturalem inclinationem, non solum ut recedat a loco inferiori, qui sibi non convenit, & tendat in locum superiorem sibi convenientem, sed etiam quod resistat corrumpentibus, puta absorbendo aquam, quæ eum extinguit, si non sit nimia quantitate, & per consequens major virtute. Ita enim in nobis in parte sensitiva oportet, quod sint duæ potentiæ, quarum una feratur in id, quod est sibi conveniens, & discedat ab eo, quod est sibi disconveniens. Et hæc dicitur concupiscibilis, quæ est convenientis appetitiva, & prosecutiva, & inconvenientis fugitiva. Aliam esse oportet etiam, quæ sit impedientis expulsiva; & hæc vis dicitur irascibilis, cujus objectum est arduum, & difficile ipsum, scilicet repellendo.

Comparando autem istos ad invicem, irascibilis videtur nobilior concupiscibili propter tres ejus excellentias: quarum prima est, quia irascibilis est propugnatrix & defensatrix concupi-

scibilis, eo quod ipsa insurgitur contra ea, quæ impediunt convenientia, quæ concupiscibilis appetit. Secunda excellentia irascibilis est, quia magis est affinis rationis vel magis rationalis, quam concupiscibilis. Hujus ratio est, quia ad concupiscibilem pertinet prosequi delectabile, sed irascibilis, derelicto delectabili, appetit victoriam, quam consequitur cum dolore. Tertia excellentia irascibilis est, quia magis laudabilis est, quam concupiscentia. Hæc B. Thomas 1. 2. quæst. 81. & in quæstionibus de veritate.

Sensualitas subjecta est rationi.

§. II. Secundum principale, quod est considerandum circa sensualitatem, est obsecutio vel subjectio, quam habet ad rationem: nam subditur rationi, & obedit Deo; quod probatur ex parte ordinis voluntatis & motoris. Primo ex parte ordinis sic: Motor inferior obedit superiori, & regulatur ab eo: sed inter partes animæ est ratio motor superior, sensualitas est motor inferior; ergo sicut ratio inferior obedit rationi superiori, & regulatur ab ea, ut patet supra; ita sensualitas obedit rationi, & regulatur ab ea, in quantum sensualitas mediante imaginatione movetur ad gaudium vel tristitiam, secundum quod ratio opponit vel ostendit sensualitati mediante imaginatione rem aliquam, sive sit contristabilis vel delectabilis, secundum quod ei videtur. Probatur hoc secundo ex parte voluntatis sic: Sicut in corporibus cælestibus sphæra superior movet sphæram inferiorem, ut dicitur in 3. de anima; sic appetitus superior, scilicet voluntas, movet appetitum inferiorem, ideſt sensualitatem. Tertio probatur hoc ex parte virtutis exsequentis, quia per rationem diligentem, & voluntatem imperantem vel retinentur vel moventur exteriora membra, ne peccatum sensualitatis perficiatur, ut patet per exemplum. Sicut in exercitu progredi ad bellum, vel non progredi, ex imperio ducis dependet; ita in nobis membra exteriora corporis non moventur, neque quiescunt nisi ad imperium ejus, quod principatur in nobis, scilicet ad imperium rationis & voluntatis. Propter quod dicitur Genesis 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, ideſt *appetitus tuus* inferior, qui dicitur sensualitas, *erit sub te*, ideſt sub appetitu rationali. *Et tu dominaberis illius*, ideſt sensualitatis, ut moveatur vel retineatur secundum imperium rationis & voluntatis. Vel sic: *Sub te erit*, ideſt sub te esse debet appetitus sensitivus, *& tu dominaberis illius*, ideſt dominari debes. Patet igitur ex dictis, quod ratio triplicem regulam adhibet sensualitati. Prima est, quia proponit ei, & ostendit objectum, ad quod moveatur. Secunda regula est, quia ratio & voluntas imperiose ferri potest in aliud; & sic retrahitur sensualitas ab actu suo. Tertia regula est, quia per rationem & voluntatem retinentur membra exteriora, ne perficiatur peccatum sensualitatis. Unde sensualitati humanæ naturali est moveri secundum regulam voluntatis & rationis. Hæc Thomas ubi supra. Est autem notandum secundum eumdem, quod ut dicit philosophus in 1. Politicorum, in homine est contemplari duplicem principatum, scilicet dispoticum & politicum. Dicitur autem principatus dispoticus ille, quo aliquis principatur servis, qui non habent facultatem in aliquo resistendi imperio præcipientis, quia nihil habent sui. Principatus autem politicus & regalis dicitur, quo aliquis principatur liberis, qui etsi subdantur regimini principis, habent tamen aliquid proprium, unde possunt reniti præcipientis imperio. Sic ergo anima dominatur corpori & membris ejus principatu dispotico, quia corporis membra in nullo possunt resistere imperio animæ, sed statim ad

Duplex principatus est in homine.

A appetitum animæ movetur manus & pes, & quodlibet membrum, quod natum est moveri voluntario motu; quod propterea dicitur, quia digestivum, nutritivum, & augmentativum, ita & generativum quoad membra genitalia, & pulsativum, quod est vitale, & motum hominis nominat, & non obedit rationi & voluntati, ut ait Gregorius Nyceus. Intellectus autem, seu ratio dicitur principari concupiscibili & irascibili politico principatu, quia appetitus sensitivus habet aliquid proprium, unde potest reniti imperio rationis. Natus est enim moveri appetitus sensitivus, non solum ab æstimativa in animalibus, & cogitativa in homine, quam dirigit ratio universalis; sed etiam ab imaginativa & sensu. B Unde experimur irascibilem vel concupiscibilem rationi repugnare per hoc, quod sentimus vel imaginamur aliquid delectabile, quod ratio vetat, vel triste, quod ratio recipit. Et secundum hoc dicit Apostolus: *Video aliam legem in membris meis contradicentem legi mentis meæ*. Per hoc autem non tollitur, quin concupiscibilis & irascibilis rationi obediant, quæ etiam aliquando in aliquo repugnant.

In sensualitate potest esse veniale.

§. III. Tertium principale circa sensualitatem considerandum est offensio: nam in sensualitate potest esse peccatum veniale, non tamen mortale. Et quod in sensualitate possit esse veniale, probatur tripliciter, scilicet auctoritate, ratione, & distinctione. Auctoritate quidem patet ad Rom. 7. ubi Apostolus ait: *Non enim bonum, quod volo, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*. Ubi Haymo in glossa dicit, quod Apostolus duorum hominum personas assumit, scilicet interioris, ideſt mentis; & exterioris, ideſt carnis seu carnalitatis, quasi diceret: Bonum, quod ego interius, ideſt in mente & ratione volo & approbo, exterius, ideſt in carne seu sensualitate non ago. Et ad Gal. 5. ait idem Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum* &c. Ubi Augustinus in glossa sic ait: Videte quale bellum proposui, qualem rixam, hoc intra teipsum sentis. Nec enim nullum vitium est, quum *caro concupiscit adversus spiritum*. Tunc enim *caro concupiscit*, quum anima carnali concupiscentia spiritui reluctatur, quæ quidem concupiscentia non est in anima sola, nec in carne sola, sed in utroque.

Secundo probatur idem ratione tali. Peccatum potest inveniri in qualibet potentia, cujus actus potest esse voluntarius & inordinatus, in quibus ratio peccati consistit; sed actus sensualitatis potest esse hujusmodi. Nam potest esse voluntarius, in quantum sensualitas, ideſt appetitus sensitivus, nata est moveri a voluntate, & ei obedire. Item & ipse actus, seu sensualitas potest esse inordinatus; quia sicut in nobis est rectus ordo, quando sensualitas rationi obedit, ita quando contrarium accidit, scilicet quod sensualitas non subdatur rationi, ipse actus sensualitatis est inordinatus; & per consequens in sensualitate est peccatum.

Motus sensualitatis est duplex.

Tertio hoc idem probatur distinctione: quidam enim sic distinguunt, quod motus sensualitatis est duplex. Unus est, qui dicitur primo primus, scilicet motus sensualitatis naturalis, quia imaginationem non sequitur, sed solum actionem naturalium qualitatum, procedens ex corporali dispositione vel complexione. Et nullus talis motus sic proveniens est peccatum. Et ratio hujus est, quia non subjacent imperio rationis vel voluntatis. Alius motus sensualitatis est, qui dicitur secundo primus, scilicet qui imaginationem vel deliberationem sequitur, & hic est peccatum. Et ratio hujus est, quia talis apprehen-

sio

sio vel imaginatio subjacet imperio rationis vel voluntatis. Potest enim ratio vel voluntas prohibere usum vel actum cujuslibet potentiæ apprehensivæ, & motum cujuslibet organi, & maxime in absentia sensibilis secundum tactum; quod si non facit, in sensualitate est peccatum veniale.

Motus sensualitatis illiciti possunt dupliciter considerari.

Sciendum tamen, quod motus sensualitatis illiciti possunt considerari dupliciter: uno modo sigillatim, & per se; & sic sunt in potestate nostra, & vitare possumus, quia quemlibet eorum præveniendo impedire possumus: alio modo possunt considerari in generali simul omnes; & sic non sunt in potestate nostra, quia dum uni obviare nitimur, ex alia parte motus illicitus surripere potest. Cujus ratio est, quia non potest esse simul intentio voluntatis renitentis contra diversa in actu.

In sensualitate non potest esse mortale.

Quod autem in sensualitate non possit esse mortale peccatum, triplici ratione probatur. Primo sic: Mortale peccatum habet esse in illa potentia, per quam homo potest separari a Deo: quod patet, quia per peccatum mortale fit separatio a Deo; sed separari a Deo non est sensualitatis, sed rationis & voluntatis. Secunda ratio est, quia peccatum mortale semper sequitur judicium rationis: sed motus illiciti sensualitatis præveniunt judicium rationis; ergo mortale nullo modo habet esse in sensualitate, sed in ratione & voluntate. Tertia ratio est, quia in eadem potentia habet esse actus virtutis & peccati, sive meritum, & demeritum: sed actus virtutis seu meritum non perficitur per id, quod est sensualitatis, sed magis per id, quod est rationis & voluntatis, cujus est eligere & ordinare in finem; ergo mortale peccatum non habet, quod sit mortale ex eo, quod est sensualitatis, cujus non est ordinare in finem; sed ex eo, quod est rationis & voluntatis, cujus est averti ab ultimo fine. Hæc B. Thomas supra 2. sent. Dist. 24. & in quæstionibus de veritate, quæst. 25.

Ratio potest habere tripliciter ad actus illicitos.

Item sciendum, quod ratio potest se habere ad motus illicitos, qui fiunt in sensualitate tripliciter, ut scilicet resistens, ut præcipiens, ut non impediens. Et primo ratio se habet ut resistens, scilicet quando ipsa ratio & voluntas motibus illicitis sensualitatis resistunt, scilicet habendo displicentiam de tali motu & conatu ad repellendum; & tunc nullum est peccatum, sed meritum coronæ, scilicet, si sit in statu merendi. Secundo se habet ratio vel voluntas ut præcipiens motus illicitos sensualitatis; puta quum aliquis ex proposito motum concupiscentiæ excitat, & imperat. Et tunc si sit illicitum in genere peccati mortalis, erit mortale. Tertio ratio vel voluntas se habet ut non prohibens motus illicitos sensualitatis; & tunc talis non prohibens, quum prohibere possit, venialiter peccat. Dicitur autem facere aliquis illud, quod non impedit, quum impedire possit. Hæc Thomas ubi supra.

De duratione sensualitatis.

§. IV. Quartum principale considerandum circa sensualitatem, est duratio ipsius. Si enim quæratur quanto tempore motus illiciti sensualitatis nobis durent, scilicet rebellio sensualitatis carnis ad spiritum; respondetur, quod in ista vita sensualitas a prædicta corruptione & rebellione liberari non potest, nisi per divinum miraculum, ut fuit in B. Virgine, quæ fuit a fomite miraculose liberata. Et quod nullus naturaliter valeat liberari a prædicta corruptione, probatur tripliciter. Ratione scilicet, similitudine, & sufficienti divisione.

Et ratione quidem sic: Necessitatem peccandi, saltem venialiter, consequitur necessitas moriendi: sed in hac vita necessitas moriendi non tollitur; ergo nec necessitas peccandi saltem venialiter; & sic nec corruptio sensualitatis, ex qua prædicta necessitas venit. Unde sicut homo naturaliter moritur, nec a mortalitate reduci potest nisi miraculose; ita naturaliter concupiscibilis tendit in delectabile, & irascibilis in arduum vel difficile, etiam præter ordinem rationis. Non ergo corruptio ista removeri potest, nisi miraculose virtute supernaturali.

Secundo hoc idem probatur similitudine vel exemplo. Nam secundum philosophum 7. Ethicor. temperatus non caret omnino concupiscentiis, sed aliquando vehementibus concupiscentiis vexatur, quales possunt esse incontinentes; ergo &c.

Tertio probatur idem ex sufficienti divisione, videlicet ex parte medici, morbi, medicinæ, & causæ. Ex parte quidem medici probatur: Licet Deus sit potens omnem morbum curare, tamen secundum ordinem suæ sapientiæ dispositi, & voluit, ut omnis morbus vel corruptio in hac vita non curetur; & hoc pro meliori, ut infra patebit. Ex parte vero morbi, scilicet culpæ vel sequelæ, probatur idem sic: Licet talis corruptio sit contra statum naturæ primitus institutæ, est tamen consequens principia naturæ sibi derelictæ. Ex parte quoque medicinæ, quod talis infectio naturaliter non curetur, probatur sic: Licet donum gratiæ, quod per Christum confertur, sit efficacius, quam peccatum primi hominis, non tamen ordinatur prædictum donum ad removendum corruptionem prædictam, quæ est naturæ, sed ad removendum culpam personæ.

Demum probatur hoc idem ex parte finalis causæ sic: Deus non debet omnino removere illud, ex quo sequitur bonum: sed prædicta corruptio est utilis ad multa & præcipue ad vitandum elationis vitium; ideo conveniens est, ut infirmitas sensualitatis maneat etiam post baptismum; propter quod dicit Apostolus 2. ad Cor. 12. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ* &c. Sicut etiam sapiens medicus dimittit aliquem morbum non curatum; quia talis curari non posset sine periculo majoris morbi. Hæc Thomas in quæstionibus de veritate, quæst. 25.

Et notandum, quod ipsa concupiscentia in quibusdam plus, in quibusdam minus invenitur. Sicut enim est de perfectione naturæ, ita est de corruptione ejus. Perfectio autem naturæ potest considerari dupliciter: Uno modo quantum ad rationem speciei; & sic æqualiter in omnibus invenitur: alio modo ex parte individui; & sic unus homo in corpore est potentior alio in explendis operationibus speciem consequentibus: & in mente unus promtior alio ad intelligendum vel ratiocinandum. Similiter est de corruptione fomitis, quia si consideretur, prout est infectio naturæ; sic est æqualiter in omnibus: sed si consideretur, prout est infectio personæ; sic in uno est major, quam in alio secundum quod per naturalem complexionem vel consuetudinem concupiscibilis vel irascibilis unius est efficacior & ferventior ad suum actum, quam alterius. Et secundum hunc modum fomes post baptismum dicitur diminui, in quantum scilicet gratia retardat impetum concupiscibilis & irascibilis in contrarios actus inclinans. Hæc Thomas in scripto super 2. sent. Dist. 32.

Sensualitas diversimode nominatur.

Sciendum etiam, quod concupiscentia ipsa, qua sensualitas est corrupta, ut dictum est, nominatur multis modis secundum Alexandrum de Ales 2. parte summæ, quæst. 89. in fine, videlicet dicitur concupiscibilis in parvulis, sed concupiscentia in adultis; libido autem, quum inclinat in actum, & hoc ex parte conjuncti, ideſt animæ &

carnis. Nam, prout accipitur ex parte animæ, dicitur vitium, in quantum habet oppositionem ad virtutem. Corruptio dicitur propter diminutionem boni naturalis. Languor propter inveterationem in illa. Et hæc tria quoad bonum. Nam quoad malum dicitur infirmitas propter impotentiam resistendi malis motibus, fœditas propter inquinationem spiritualium, pronitas propter inclinationem appetitus ad malum. Sed prout accipitur ex parte carnis dicitur lex carnis, quia infligitur A ipsi carni propter peccatum ex lege divinæ justitiæ. Dicitur & lex membrorum, quia dat quamdam aptitudinem ad mala, quæ fiunt per membra. Dicitur etiam tyrannus, quia dominatur violenter in quibusdam membris. Nominatur & stimulus carnis, quia stimulat ad peccatum. Fomes etiam, quia concupiscentia ipsa fovet ardorem peccati in carne, ut ex parte foveat peccatum in anima. Vel dicitur fomes, quia ardet in nobis, quum *caro concupiscit adversus spiritum*. Hæc ille.

TITULUS QUINTUS

DE ANIMA SEPARATA ET EXERCITIO EJUS.

CAPUT I.

De triplici morte, & miseriis nuntiis mortis, & multis aliis circa mortem.

DE separatione animæ a corpore per mortem, & de his, quæ sunt circa mortem consideranda, & de retributione & exercitio ipsius animæ separatæ. C

Circa quæ occurrit illud: *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* Ubi sciendum, quod interrogatio facta per *quis* aliquando importat raritatem, ut illud: *Quis putas est fidelis servus & prudens?* quasi diceret: Rarus, Matth. 24. Aliquando importat nullitatem, ut illud Jobi 14: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* quasi diceret: Nulla creatura. Et sic videtur in ista auctoritate sumi: *Quis est homo*, &c. Ubi tria possunt notari.

Primum mors criminalis, quæ est inevitabilis.

Secundum est mors corporalis, quæ est irremediabilis. D

Tertium est mors infernalis, quæ est interminabilis.

Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi? quasi diceret per singula: Nullus purus homo hoc ex se facere potest.

De morte criminali. §. I. Quantum ad primum sciendum, quod mors criminalis non est aliud quam privatio, vel subtractio gratiæ, quæ est animæ vita. Peccatum autem est, quod privat animam gratia, vel impedit ejus infusionem. Unde dicitur Sap. 16. *Per malitiam occidit homo animam suam.* Et quia, ut dicitur ad Rom. 3. *Omnes in Adam peccaverunt, & egent gloria Dei*, quia scilicet unum E erant cum illo, quando per illum peccatum inobedientiæ commissum est; ideo & omnes mortui sunt cum illo spiritualiter, seu criminaliter per peccatum originale, quod ab ipso trahitur per carnalem propagationem. Propter hanc igitur mortem originalis peccati, quam incurrit quilibet immediate, postquam anima corpori fuerit infusa, anima sine gratia reperitur. Solus Christus, qui non fuit homo tantum, sed Deus, & homo, ipsam evasit. Bene ergo dicit Psalmista: *Quis est homo, qui vivet?* quasi diceret: Nullus purus homo. Quamvis autem tollatur tale peccatum per baptismum, & ibi per gratiam vivificetur anima; pauciissimi tamen sunt, qui pervenientes ad usum rationis conservent hanc vitam gratiæ, & non moriantur per varia peccata mortalia. *Anima* enim, *quæ peccaverit*, dicit Dominus, *ipsa morietur*, Ezech. 18. Sicut autem liber est homo ad projiciendum se in puteum profundum, sed exire non valet, nisi ei auxilium porrigatur: & sicut impossibile est per virtutem cujuscumque creaturæ mortuum resuscitari; sic non potest aliquis a morte peccati resurgere ad vitam gratiæ per se vel virtute cujuscumque creaturæ. Et hoc est, quod dicit psal. 87. *Numquid medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?* Medici sunt prælati, doctores, confessores, & hujusmodi, qui suis verbis vel orationibus vel sacramentis tamquam quibusdam medelis utuntur ad vivificationem peccatorum. Sed certe hoc non valent efficere, nisi manus vel virtus Domini operetur. Unde dicitur Luc. 6. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et Joann. 6. *Spiritus est, qui vivificat*, idest gratia Spiritus sancti. Bene ergo dicit Psalmista: *Quis est homo, qui vivet*, idest qui conservet vitam gratiæ rectam? quasi diceret: Rarus. Sed certe in mortem peccati prolapsus nullus vivet ex se, nisi a Christo resuscitatus. Unde 1. Cor. 15. *In Christo omnes vivificabuntur*. Augustinus: Quia scilicet nullus ex his, qui vivificantur, hoc habet, nisi ab ipso.

Mors infernalis. §. II. Quantum ad tertium, revertendo postea ad secundum, quia prolixius, notandum, quod mors infernalis est gehenna, idest ignis infernalis cum privatione perpetua divinæ visionis, quæ quum sit vita perfectissima, permaxime anima dicitur mori, perpetuo ipsa privata. Et de hac morte dicitur Apocal. 2. *Qui vicerit*, scilicet vitia, *non lædetur a morte secunda*, scilicet inferni. Et Gregorius in Moral. Erit ibi mors sine morte.

Per primam autem mortem supradictam pervenitur ad istam. Unde Augustinus Dist. 25. *Unum orarium*, §. *Alias ea*, dicit: *Quicumque aliquid criminalium in se dominari cognoverit, & non digne se emendaverit, &, si habuerit spatium longo tempore, pœnitentiam non egerit, &c. æterna illum flamma sine ullo remedio cruciabit.* Et hoc est, quod dicit psalm. 88. *Quis eruet animam suam de manu inferi?* Certe nullus, qui ad locum damnatorum finaliter fuerit deputatus; quia

qui

qui deſcenderit ad inferos, non aſcendet, Jobi 7. Et quia omnes naſcimur filii iræ, & conſequenter debitores hujus mortis æternæ, adeo eſt tenax & fortis manus inferni, ideſt poteſtas diaboli, Dei juſtitia, quod nullus ſe erueret, niſi Chriſtus extraheret ſua paſſione. Et quamvis plurimi quotidie deſcendant ad ipſum; tamen, ut dicitur Proverb. 27. *Infernus & perditio numquam implentur*.

De morte corporali.

§. III. Revertendo ad ſecundum, ſcilicet de morte corporali, clarum eſt & evidens, quod eſt irremediabilis. Unde proverbialiter dicitur: Ad omnia eſt remedium, niſi ad mortem. *Statutum eſt* enim *omnibus hominibus ſemel mori*, ait Apoſtolus ad Hebr. 9. & Eccleſiaſtes 9. dicitur: *Nemo eſt, qui ſemper vivat, aut qui hujus rei habeat fiduciam*. Bene ergo dicit Pſalmiſta: *Quis eſt homo, qui non videbit*, ideſt experietur *mortem?* Certe nullus, quia ut dicit Apoſtolus ad Roman. 8. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit*. Verum mortem ipſe ſpontanea voluntate ſuſcepit; nos autem ei ſubjicimur ex neceſſitate. Dicitur autem mors *a mordeo mordes*, ex eo videlicet, quia mordet hominem, ſeparando unam partem ab alia, ſcilicet animam a corpore, partem principalem dimittendo, minorem partem aſſumendo, & conſumendo per maſticationem & digeſtionem, ſicut accipit in morſo rei eſibilis. In morte enim dimittitur anima, quæ eſt pars principalis intacta, ideſt immortalis: corpus, quod eſt minus principale, vermibus conſumitur. Vel dicitur mors *a morſu*, eo quod morſu ligni vetiti per vitium gulæ mors introducta eſt. Unde ad Roman. 5. dicitur: *Per unum hominem*, ſcilicet Adam, *peccatum intravit in mundum*, ſcilicet originale; & hoc quando momordit fructum vetitum, *& per peccatum mors*, ſcilicet intravit in mundum. Vel dicitur mors *in morſu*, quia conſideratio ejus mordet conſcientiam retrahendo a multis malis; propter quod dicitur: *Mors tibi futura eſt, & approperat, & non tardat*, 13. quæſt. 2. can. *In Eccleſiaſtico*. *Quanto autem morti magis appropinquas*, ait Gregorius, *tanto ſollicitior atque timidior eſſe debes*, Diſt. 86. can. *Tanta nequitia*, ad hoc ſcilicet mordente & ſtimulante conſcientia. Pro majori autem declaratione horum notandum, quod homo poteſt conſiderari ſecundum triplicem ſui ſtatum, ſcilicet ſecundum ſtatum naturæ primo a Deo formatæ, & ſecundum ſtatum naturæ per peccatum deformatæ, & ſecundum ſtatum in ultima reſurrectione reformatæ naturæ: quam diſtinctionem ponit Magiſter in 2. ſentent. In primo igitur ſtatu homo fuit ita mortalis, quod potuit mori & non mori. Mori, ſi peccabat; non mori ſi non peccabat. Unde *De conſec.* Diſt. 4. can. *Placuit igitur*, dicitur: *Si quis dixerit Adam primum hominem mortalem factum ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore, ideſt de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ; anathema ſit*. In ſecundo ſtatu poteſt mori, & non poteſt non mori, quia neceſſitatem habet moriendi. Unde proprius diceretur homo mortuus quam mortalis, quia neceſſitatem habet ad hoc, ſicut peccatum neceſſarium eſt eſſe peccatum; propter quod dicit Apoſtolus ad Roman. 8. *Corpus mortuum eſt*. In tertio ſtatu poterit non mori, & non poterit mori.

Mors unde dicatur.

Status hominis triplex.

Incorruptibile dicitur triplex.

§. IV. Et pro pleniori dilucidatione hujus materiæ ſciendum ſecundum B. Thomam in 1. parte, quæſt. 97. quod incorruptibile dicitur aliquid tripliciter. Uno modo ex parte materiæ, eo ſcilicet quia non habet materiam ut Angelus; vel habet materiam, quæ non eſt in potentia, niſi ad unam formam, ſicut corpus cæleſte; & hoc dicitur incorruptibile ſecundum naturam. Alio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte formæ, quia ſcilicet rei corruptibili ſecundum naturam inhæret aliqua diſpoſitio, per quam totaliter a corruptione prohibetur; & hoc dicitur incorruptibile ſecundum gloriam. Tertio dicitur incorruptibile ex parte cauſſæ efficientis; & hoc modo fuiſſet homo incorruptibilis & immortalis in ſtatu innocentiæ. Non enim corpus ejus erat indiſſolubile per aliquem immortalitatis vigorem in corpore exiſtentem; ſed inerat naturæ animæ vis quædam ſupernaturaliter data, per quam poterat corpus ab omni corruptione ſervare, quamdiu ipſa ſubjecta Deo manſiſſet. Quod rationabiliter factum eſt. Quia enim anima rationalis excedit proportionem corporalis materiæ, conveniens fuit ut in principio ei virtus daretur, per quam poſſet corpus conſervare ſupra naturam corporalis materiæ: & quia anima rationalis & anima & ſpiritus eſt. Anima dicitur, in quantum dat vitam, quod eſt ſibi commune, & aliis animabus. Spiritus dicitur, in quantum habet virtutem intellectivam & immaterialem, quod eſt ſibi proprium, non aliis animabus. In primo igitur ſtatu anima communicabat corpori, quod ei convenit in quantum anima; unde dicebatur corpus animale, in quantum ſcilicet habet vitam ab anima. Primum autem principium vitæ in iſtis inferioribus eſt anima vegetativa, cujus opera ſunt, alimento uti, generare & augere; quæ opera conveniebant homini in primo ſtatu. In ultimo vero ſtatu poſt reſurrectionem communicabit quodammodo anima corpori, quod ei convenit in quantum ſpiritus, immortalitatem quidem quantum ad omnes, impaſſibilitatem vero, gloriam, & virtutem quantum ad bonos, quorum corpora dicuntur ſpiritualia. Unde tunc cibis non indigebunt, ſicut in primo ſtatu.

De primo ſtatu hominis ante peccatum Adæ.

In illo igitur primo ſtatu duo remedia habebat contra duos defectus. Primus defectus eſt deperditio humidi per actionem caloris naturalis, & contra hunc defectum ſubveniebatur homini per eſum aliorum lignorum paradiſi, ſicut & nunc ſubvenitur nobis per cibos, quos ſumimus. Secundus defectus eſt debilitas vigoris naturalis ex admiſtione extranei proveniens: quod enim generatur ex aliquo extraneo adjunctum ei, quod prius erat, humido præexiſtenti, minuit virtutem activam ſpeciei: ſicut aqua miſta vino, quamvis convertatur in vinum; minuit tamen virtutem ejus; & quanto plus additur, tanto magis minuit, ut tandem vinum fiat aquoſum, & tollatur ſpecies & ratio vini & virtus ejus. Sic enim eſt in ſumtione cibi: quamvis enim per cibum reparetur humidum; non tamen in vigore priori, unde fit, ut finaliter ſolvatur virtus illa. Et contra hunc defectum erat lignum vitæ. Habebat enim virtutem fortificandi virtutem ſpeciei contra debilitatem. Et quia virtus cujuſcumque corporis eſt finita, non poterat illud lignum ſemel ſumtum dare vitam tempore infinito, ſed uſque ad certum tempus, poſt quod vel translatum fuiſſet ad gloriam, vel iterum comediſſet de eo. Immortalitas ergo illa principaliter erat ex virtute data animæ ſupernaturaliter, ſecundario ex uſu lignorum. Hæc B. Thomas.

De ſecundo ſtatu hominis poſt peccatū Adæ.

Neceſſitatem moriendi habet homo in ſecundo ſtatu, & etiam mors naturalis & pœnalis; quod declarat B. Thomas 2. 2. quæſt. 164. ſic: Naturale dicitur quod ex principiis naturæ cauſſatur: principia naturæ per ſe in corporalibus ſunt materia, & forma. Et quia forma hominis eſt anima rationalis, quæ eſt immortalis; ideo ex parte formæ non eſt mors homini naturalis. Materia autem eſt corpus; quod, quia compoſitum eſt ex contrariis, ideo eſt corruptibile, & ex hoc mors eſt

Moriendi neceſſitat.

eſt homini naturalis. Hæc autem conditio in materia humani corporis eſt conſequens ex neceſſitate materiæ, quia oportebat corpus humanum eſſe organum tactus, & per conſequens medium inter tangibilia; & hoc non poterat eſſe, niſi eſſet compoſitum ex contrariis. Sed Deus, qui conditor eſt hominis, omnipotens eſt, & ex ſuo beneficio ademit homini primitus inſtituto neceſſitatem moriendi, ita quod quamdiu ratio ejus ſubdita eſſet Deo, tamdiu corpus ſubjiceretur ſpiritui, & eſſet immortale; quod beneficium tranſfundebat per generationem in poſteros. Et quia primus homo receſſit a Dei obedientia; ideo ex culpa ſua fuit, quod auferetur ei & toti humano generi illud beneficium, & remaneret cum neceſſitate moriendi; & ſic mors eſt pœnalis per peccatum inducta.

Quatenus mori meritorium & ſatisfactorium eſſe poſſit.

Mors ſecundum Petrum de Palude in 4. quia eſt homini naturalis & debita pro peccato originali; ideo pro actuali non ſatisfacit, quia eadem ſolutio non parit duas liberationes. Sed quantum eſt de dolore mortis & languore, illud bene ſatisfacit pro actuali, quia illud non debetur originali ſecundum actum, ſed ſecundum aptitudinem; unde qui deficiunt ſenio non dolentes, mortis debitum perſolvunt, ſicut fames & ſitis. Et hujuſmodi pœnalitates ſunt pœna debita ſecundum aptitudinem, & non ſecundum actum. Unde ſive acceptentur, ſive aſſumantur, ſatisfaciunt quoad actum. Mors vero violenta, in quantum non eſt debita pro peccato originali, cui non debetur pœna ſenſus; & ideo ſi eſt injuſte illata, ſi attingat uſque ad titulum & triumphum martyrii, certum eſt, quod ſatisfacit pro omni pœna. Unde Auguſtinus loquens de Cypriano martyre: *Etſi ad tempus damnaris ab homine.... ab inferiore accepit ſententiam, a ſuperiore*, ſcilicet Deo, *coronam*, 11. quæſt. 3. *Etſi*. Sed ſi non ſit cauſſa martyrii, ſed tantum pœna & innocentia, ſi patienter illam accipiat pro peccatis ſuis, multum ſatisfacit. Sed quia non eſt voluntarie aſſumta; ideo licet excedat omnem aliam pœnam, quæ poſſit eſſe liberatoria totaliter a pœna debita, non tamen ex toto ſatisfacit ſemper. Unde Ambroſius, *De pœnit.* Diſt. 3. *Prima conſolatio*, dicit: *Prima conſolatio eſt*, ſcilicet in tribulatione, *quia non obliviſcitur miſereri Deus. Secunda per punitionem, ubi etſi fides deſit*, ideſt remorſus conſcientiæ de peccato, *pœna ſatisfacit & relevat* eum, ſi patienter portatur, ut exponit Gratianus. Si vero ſit mors juſte illata pro aliquo peccato actuali morte digno; tunc de ſe, etſi patienter feratur, non ſatisfacit, quia jam illa pœna eſt debita in foro mundi. Sed propter magnitudinem contritionis poteſt ſatisfacere etiam in totum. Petrus de Palude. Unde Hieronymus: *Chriſtus in Paradiſum de cruce latronem intulit..... & homicidii pœnam fecit martyrium*, *De pœnit.* Diſt. 1. *Importuna*. Et ut dicit ibi gloſſa: Improprie dicitur martyrium illud propter ſimilitudinem effectus. Nam illa pœna ejus ex magnitudine contritionis introduxit eum ſubito in regnum, ſicut facit verum martyrium; quamvis non fuerit martyrium, quia non pro fide paſſus. Dicit enim Auguſtinus, quod martyrem non facit pœna, ſed cauſſa. Sed B. Thomas in 4. videtur dicere, quod mors violenta etiam pro peccatis illata, ſi patienter feratur, de ſe habet ſatisfacere. Quod etiam Hieronymus aſſerit, dicens, Deum velut omnium rerum, ita & ſuppliciorum habere menſuram & magnum peccatum magnis diuturniſque lui cruciatibus; ſi quis autem punitus ſit, ut ille in lege, qui maledixerat Iſraelitæ, & qui in ſabbato ligna collegerat, tales poſtea non puniri, quia culpa levis præſenti ſupplicio compenſata ſit, *De pœnit.* Diſt. 3. *Sunt plures*, §. *Auctoritas* cum can. ſequenti, ſcilicet *Quærat hic aliquis*. Et omnia hæc dicta de morte violenta intelliguntur, quum quis eam ſuſtinet, non ſolum patienter, ſed etiam propter Deum, non propter mundi favorem. Unde Hieronymus: *Si ita martyrium ferimus, ut noſtras ab omnibus reliquias venerari optemus, & ſi opinionem vulgi ſectantes intrepidi ſanguinem fuderimus, & ſubſtantiam noſtram uſque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam præmium quam pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta ſunt, quam corona victoriæ*, 1. quæſt. 1. *Vide*.

Mortis nuntii ſunt tres.

§. V. Mortis corporalis tres ſunt nuntii ſecundum Hugonem de ſancto Victore.

Primus nuntius eſt multiplex & varius caſus.

Secundus eſt infirmitas & defectus.

Tertius eſt miſera ſenectus. Propter quod dici poteſt de quolibet homine illud, quod dicitur de filio reguli, Joann. 4. *Incipiebat enim mori*.

Quantum ad primum docet experientia, quod multiplices & varii caſus mortis improviſi, de quibus vix poſſet æſtimari, contingunt hominibus. Unde Eccleſiaſtes 9. dicitur: *Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut capiuntur piſces hamo.... ita capiuntur homines tempore malo*, ſcilicet impremeditate, & præter intentionem. Hinc & Proſper:

Ferro, peſte, fame, vinclis, algore, calore,
Mille mors miſeros mors capit una homines.

Caſus mortis improviſæ.

Quum igitur quilibet ſciat ſe ſubditum hujuſmodi caſibus variis mortis, tamquam quidam nuntius ei ſignificat, quod de momento in momentum mori poteſt; & ſi ſanus foret & juvenis, ideo ſibi providere debet. Non ſolum enim malis, ſed & bonis eveniunt varii caſus horribiles mortis, quod patet per exemplum. Quidam propheta ſanctus poſtquam ex Domini præcepto reprehendit Hieroboam de idololatria ſua, revertens domum, in via a leone ſtrangulatus eſt, 3. Reg. 13. Joſias innocens & optimus Dei cultor in bello a rege infideli Ægypti occiſus eſt. Vide hiſtoriam 4. Reg. cap. 22. & 23. & 2. Paralip. cap. 35. 36. Juvenis quidam in infirmitate gravi conſtitutus, accepto dono omnium linguarum, ut patuit per experientiam, poſtea manibus & lacertis morſibus propriis dilaniatus, mortuus eſt, ut narrat Gregorius in 4. Dialogorum. Summus Pontifex quidam toxicatus in ſanguine Chriſti celebrans mortuus eſt, ut habetur ex Cronicis Martinianis. Imperator quidam Chriſtianiſſimus a pediculis conſumtus eſt, remedium non inveniens, ut narrat Vincentius in ſpec. hiſtor. Miniſter quidam ſolitarii ſancti viri a civitate Alexandriæ recedens, ubi totum clerum & populum repererat occupatum in veneratione ſepulturæ cujuſdam peſſimi hominis, quum reverteretur ad cellam illius prædicti ſolitarii, reperit calvariam ejus, reſiduo corporis a beſtiis devorato, ut habetur in Vitis Patrum. B. Jordanus magiſter ordinis prædicatorum in mari ſubmerſus eſt, ut patet in 3. libro de vita fratrum. Quædam matrona audiens proprium filium occiſum in bello, quod tamen verum non erat, poſt amarum fletum de morte ipſius, quadam die revertentem ad domum videns ipſum, præ lætitia crepuit & defuncta eſt, ut recitat Valerius Maximus lib. 9. cap. 12. quod eſt de morte non vulgari. E contra Antiochus, quia non potuit obtinere, quod voluit, præ triſtitia & inſoporeitate mortuus eſt: & innumera alia poſſent adduci, ex quibus mentes infirmæ aliquando ſcandalizantur, exiſtimantes vel Deum non habere curam de ſuis electis, vel tales ſic inſueto & horribiliter morientes, non fuiſſe ſervos Dei, ſed gra-

graviſſimos peccatores. Sed errant hi nimis ſecundum Auguſtinum, quum mala mors dicenda non ſit, quam bona vita præceſſerit. Deus inſuper etſi ei ſit cura de omnibus, permaxime tamen de fidelibus ſuis, juxta illud Sap. 12. *Tu, dominator virtutis, omnia cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos.* Sed & inter fideles ſecundum B. Auguſtinum maxime diligit membra unigeniti ſui, ideſt electos. Verum quum ipſe unigenitus morte acerbiſſima & ignominioſiſſima fuerit condemnatus: *Sicque oportuit Chriſtum pati, & intrare in gloriam ſuam*, ut habetur Luc. ult. tanto membra ejus, quæ ſunt electi, efficiuntur ipſi ſimiliora & pulchriora, quanto horribilius & pœnoſius mortem ſubierint. Qui enim non pepercit figulo, ait devotus Bernardus, figmento non parcet. Non pepercit Baptiſtæ, ſed dimiſit eum decapitari poſt ſaltum puellæ. Nec Petro primo paſtori ſibi dilectiſſimo, quin a peſſimo tyranno Nerone crucifigeretur. Nec aliis Apoſtolis ſuis, quin variis tormentis interimerentur. Et ad hoc facit quod narrat Robertus Holchot ſuper lib. Sap. quod ſcilicet quum quidam doctus vir & ſanctus mortuus in ſtudio ſuo fuiſſet repertus, & ex hoc plurimi ſcandalizarentur de ejus ſubitanea morte, invenerunt manum illius defuncti ſeu digitum in quodam libro aperto, tangentem verſum, ubi dicitur: *Juſtus, quacumque morte præventus fuerit, in refrigerio erit*, Sap. 4. ex quo conſolati & ædificati ſunt plurimum. Et ſimiliter quum quidam religioſus ordinis minorum, qui ſuper hac materia vacillabat, audita morte magiſtri Jordanis in mari, multum perturbaretur, apparente ei in viſu B. Jordane in magna gloria, & eum admonente, quod de hujuſmodi ſcandalizari non deberet, conſolatus eſt. Quamvis autem aliquando ſervis Dei contingat horribilis mors ob defectum alicujus peccati; tamen communiter minuta ſunt illa peccata. Sicut accidit in morte illius prophetæ ſupradicti ſtrangulati, in quo ex una parte oſtenditur clementia divinæ bonitatis, dum hic ſuos ad plenum quærit purgare, ne vel purgatorium habeant intrare; quod Auguſtinus petebat, dicens: Domine, hic ure, hic ſeca, ut in futuro parcas. Ex alia parte oſtenditur ſeveritas divinæ juſtitiæ, & quam dure puniet ſcelera magna, quando tam aſpere ſibi dilectos pro minutis correxit.

Infirmitates prævias morti.

Secundus nuntius mortis eſt infirmitas, quæ multipliciter adeo gravat, ut dicit pſal. 37. in perſona humani generis: *Non eſt ſanitas in carne mea:* & quid ipſa, niſi quidam nuntius mortis, quum diſponat ad eam? Unde Gratianus in Decretis 15. quæſt. 1. *Illud relatum*, §. *Itaque*, dicit: *Infirmitas, quæ proprie carnis dicitur, qua, elementorum ſeu humorum concordia turbata, caro ipſa afficitur, & tandem diſſolvitur.* Adeo autem reperitur caro humana infirma, ut vix reperiatur, qui non ab utero matris aliquam infirmitatem ſecum adduxerit, quæ eum frequenter moleſtet, & tandem perimat. Aliqui quidem paſſionem iliacam, vel colicam, vel podagram, vel calculeam ſuſtinent. Alii hydropiſim, vel ptiſim, vel paralyſim, vel epylenſiam incurrunt. Torquentur & plurimi dolore capitis, pectoris, ſtomachi, aut viſcerum. Febris quamplurimos vexat, & ſæpe aut ephimera, aut longa quotidiana, ſeu phlegmatica, aut tertiana, ſeu quartana, ſeu ethica. Et quamvis medicinæ auctores multa in ſuis libris expreſſerint, & remedia adhibuerint; tamen ad notitiam omnium attingere non valuerunt, & mortis remedia inuere.

Aliquando proſunt menti.

Verum, etſi infirmitates corporales nocivæ ſunt corpori, plurimum tamen proficiunt menti. Unde Ambroſius: *Quod nocet corpori, juvat ſpiritum,* A *De pœnit.* Diſt. 1. can. *Poteſt.* Nam infirmitas corporalis frequenter peccatum impedit, ne ſcilicet fiat. Unde Ambroſius eod. can. *Ægritudo carnis peccatum repellit.* Et in Proverbiis dicitur 20. *Livor vulneris abſterget mala.* Secundo infirmitas ferventiorem reddit; unde pſal. 15. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt*, ideſt ferventius operantes. Tertio infirmitas humilem reddit; unde Apoſtolus 2. ad Corinth. 12. *Gloriabor libenter in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti*, ſcilicet humilitatis, ob quam conſervandam ſibi fuerat datus ſtimulus carnis, ideſt quædam infirmitas corporalis ſecundum Auguſtinum. Quarto conſtantem efficit ex aſſuetudine patiendi, quemadmo- B dum & artifex, & terræ cultor, & ſtipendiarius ex continuatione exercitii fortiores reddunturUnde ait Apoſtolus ibidem: *Quum enim infirmor, tunc fortior ſum*, ſcilicet contra nequitias dæmonum & tentationum. Quinto & ultimo ad perfectionem adducit, ibidem: *Virtus in infirmitate perficitur.*

Homines in prima ætate mundi quare diutius vixerunt.

Homines autem primæ ætatis, quia propter vigorem naturæ non ita de facili infirmabantur, ideo diutinæ vitæ erant. Aſſignat nihilominus Nicolaus de Lyra ſuper Gen. cap. 5. & 6. cauſſas tam prolixæ eorum ætatis, ita ut tranſcenderint plures nongentos annos. Et prima eſt ex bonitate complexionis primorum parentum; fuerunt enim adeo in integritate formati, unde optime com- C plexionati, & ſic ad longiorem vitam diſpoſiti. Illa autem bonitas magis deſcendit ad homines propinquos illius temporis, quam alios. Secunda cauſſa eſt ex modo vivendi, quia temperate vivebant; nunc autem ſatis intemperate homines vivunt: propter quod dicitur Eccleſiaſtici 37. *Propter crapulam multi perierunt.* Tertia eſt ex bonitate nutrimenti, quia meliora fuerunt terræ naſcentia ante diluvium, quia inundatio fuit ex aquis Oceani ex magna parte: aquæ autem ſalſæ inducunt ſterilitatem. Quarta cauſſa eſt ex ſcientia Adæ, quia habuit perfectam ſcientiam omnium naturalium pluſquam quicumque; & ſic potuit cognoſcere virtutem herbarum & lapidum, quæ valent ad conſervationem vitæ, & ipſe docuit alios: hanc autem doctrinam talium parum D habemus. Quinta cauſſa eſt ex bono aſpectu ſiderum ſuper regionem illam, quia aſpectus cæli multum facit ad prolongationem vitæ. Sexta cauſſa eſt ex divina diſpoſitione hoc ordinante, ut per longam vitam hominum cito multiplicaretur genus humanum, & ut homines illius temporis per longam vitam poſſent habere experientiam de curſu cæli, & effectus ſiderum, & hujuſmodi. Quum igitur infirmitas in nobis frequenter diſponit perſonam ad mortem, quidam nuntius eſt ſignificans ipſum cito moriturum.

Senectus nuntia mortis.

Tertius nuntius mortis eſt ſenectus. Nam ut dicit Apoſtolus ad Hebr. 8. *Omne, quod antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Hæc E autem ſenectus plena eſt miſeriis, quæ annuntiant, ſeu judicant domum corporis cito ruituram. Unde Boetius de phil. conſol. in primo metro:

Nam veniet properata malis inopina ſenectus.

Et quæ ſint iſta mala, multum particulariter declarat Salomon. Eccleſiaſtes ult. a principio capituli uſque ad illud incluſive: *Spiritus redeat ad eum, qui dedit illum.* Dicit ergo ibi: *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ*, ſcilicet de ipſo cogitando, ipſum venerando, propter ipſum bene operando; & hoc *in juventute*, quia juventus fortis eſt ad labores. Hinc & Seneca: In juventute cogitavi, ut bene facerem; in ſenectute, ut bene moriar. Sequitur in textu: *Antequam veniat tempus afflictionis tuæ*, ſcilicet ſene-

ſenectutis, quæ hominem affligit multipliciter, & præcipue ex ſuſpicionibus. Senes enim ſunt multum ſuſpicioſi ſecundum philoſophum in lib. Rethoric. Putant enim ſe deſpici & derideri. *Et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent anni*, ideſt antiquitatis, quibus homo ſibimet efficitur tædioſus, & aliis, ut frequenter appetat mortem. Aliquando etiam ſenſus deficit; propter quod dicit pſal. 70. *Ne projicias me in tempore ſenectutis, quum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

De miſeriis ſenectutis.

§. VI. Subſequenter ſpecificat Salomon miſeriam ſenectutis in ſpeciali. Et primo quantum ad miſerias mortem antecedentes. Secundo quantum ad ipſam concomitantes, ibi: *Ibit homo.* Tertio quantum ad ipſam ſubſequentes, ibi: *Et revertatur pulvis.*

Circa primum, hoc eſt miſerias mortem antecedentes, ponitur triplex genus defectus, videlicet potentiæ apprehenſivæ, & potentiæ motivæ, & membrorum exteriorum. Et defectus quidem potentiæ apprehenſivæ notatur in eo, quod ſequitur: *Antequam tenebreſcant ſol, & lumen, & luna, & ſtellæ.* Per ſolem intelligitur intellectus, qui clarius cognoſcit; per lunam, quæ minus lucet, ratio, quæ diſcurrit ad cognoſcendum, & nondum apprehendit; per lumen imaginatio, quæ formas apprehenſas a ſenſibus retinet; per ſtellas ſenſus exteriores, qui ſenſibilia apprehendunt. Omnia iſta tenebreſcunt tempore ſenectutis, in quantum ſcilicet multum debilitantur, deficientibus organis corporis, quibus ſunt affixæ, imaginatio ſcilicet & ſenſus exteriores. Intellectus autem, & ratio, etſi non ſunt affixa corporeo organo; tamen quandoque debilitantur, vel ex defectu memoriæ, vel aliqua infirmitate, quæ eis aufert uſum rationis, & reducit quaſi ad pueritiam; ſicut dicitur de Alberto Magno, qui fuit ſummus philoſophus. Exinde notat defectum virtutis ſeu potentiæ motivæ, vel etiam appetitivæ, quum dicit: *Et revertantur nubes poſt pluviam.* Apte autem per nubes inſinuantur vires motivæ, & appetitivæ, quum dicit: *Revertantur &c.* quia ſicut nubes vento moventur; ſic motiva & appetitiva ſpiritibus & humoribus ad diverſa moventur. Dicuntur autem hæ reverti *poſt pluviam*, quia poſt humiditatem corporis, deficiente paullatim humido radicali, virtus ejus vel appetitus attenuatur.

Deinde ponit miſeriam ſenectutis quantum ad defectum membrorum exteriorum, qui ſunt ſex.

Quorum primum exprimit dicens: *Quando commovebuntur cuſtodes domus.* Hæc domus corpus noſtrum luteum eſt. Jobi 4. *Qui habitant domos luteas.* Hujus *cuſtodes* ſunt oſſa; quia, ut dicit Ariſtoteles in lib. de animalibus: Natura fecit oſſa dura ad cuſtodiendum membra molia, ſicut coſtas ad cuſtodiam ventris, & teſtam ad cuſtodiam capitis. Hæ *commovebuntur* in ſenectute, quando eorum juncturæ laxabuntur. Vel *cuſtodes* dicuntur brachia, quia ſe exponunt, ut cuſtodiant totum corpus.

Secundus defectus exteriorum membrorum eſt debilitas crurium, quæ ſunt ad corporis ſuſtentationem; & hoc notatur, quum ſequitur: *Et nutabunt viri fortiſſimi*, ideſt crura: quia ſicut viri fortes portant pondus corporis; ita crura portant corpus hominis. Hæc autem nutant, quum vacillant, & non firmiter ſuſtentant, ſed quaſi cadendo hinc inde declinant.

Tertius defectus eſt dentium, qui ſunt ordinati ad maſticationem & contritionem ciborum; & hæc innuitur, dum ſequitur: *Et otioſæ erunt molentes in minuto numero. Molentes* ſunt duæ maxillæ, quæ ad modum duarum molarum conterunt cibum, & hæ *in minuto numero*, ſcilicet dentium, qui cadunt paullatim de maxillis ſenum: ſunt *otioſæ*, quia cibum maſticare non poſſunt.

Quartus defectus eſt oculorum, qui ordinati ſunt ad videndum. Viſus autem paullatim deficit in ſenibus; unde dicitur de Iſaac Gen. 27. *Senuit Iſaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat.* Hunc autem defectum exprimit, quum ſubdit: *Et tenebreſcent videntes per foramina*, ideſt oculi videntes per ocularia, quia per ſe ſufficienter videre non poſſunt, obſcurabuntur.

Quintus defectus eſt labiorum, quæ ſunt ad ſermonis propalationem, qui notatur, quum ſubditur: *Et claudent oſtia in platea, in humilitate vocis molentes.* Oſtia ſunt labia, juxta illud Pſal. 140. *Et oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Dicuntur autem ſenes *claudere oſtia in platea*, quia ita ſubmiſſe loquuntur, quod non poſſunt audiri ab aliis, qui ſunt in platea; ſed ſunt *molentes in humilitate vocis*, quia deficiente virtute vocem emittunt exiguam.

Sextus defectus eſt aurium; quæ ſunt ad vocum perceptionem; & hoc notatur, quum dicitur: *Et conſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis: conſurgent*, ſcilicet homines ſenes, *ad vocem volucris*, ſcilicet galli ſecundum Hieronymum. Noctis enim medio, quum gallus cecinerit, feſtinus conſurgit, nequaquam valens in ſtrato ſæpius membra convertere; levem enim & modicum ſomnum habet propter frigiditatem, & ſiccitatem humorum. Frigeſcente enim ſanguine, & ſiccato humore, & ex nutrimenti parvitate, quia pauci vaporis feruntur ad cerebrum; ideo parum dormiunt, & hic etiam eſt ſpecialis defectus, ſcilicet ſomni. Nam quantum ad defectum auditus magis congruit, quod ſequitur: *Et obſurdeſcent omnes filiæ carminis*, ideſt aures, quæ libenter audiunt harmonias, & delectantur in carminibus; & ideo dicuntur *filiæ carminis. Obſurdeſcent*, quia cantilenas audire non poſſunt ſenes. Unde dicit Berzellay Galaadites ſenex ad David: *Numquid ſenſus mei vigent ad diſcernendum ſuave vel amarum? aut delectare poteſt ſervum tuum cibus aut potus, vel audire poſſum ultra voces cantorum vel cantatricum?* 2. Regum 19. quaſi diceret: Non. Ponit conſequenter Salomon ſigna aliqua debilitationis ſenum. Et primo quantum ad timorem. Unde dicit: *Excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via*, ideſt loca aſpera & alta. Secundum quantum ad canorum effuſionem, quod innuit dicens: *Florebit amigdalus*: flores amigdali ſunt albi; unde ſignificant capillos canos ſenum: & dicit quidam ſapiens: Canicies multi temporis flos eſt, cujus fructus mors eſt. Tertium ſignum eſt pedum & tibiarum inflatio, quod innuit dicens: *Impinguabitur locuſta.* Locuſta, ut dicitur, in ſenectute impinguatur, & eſt potius illud tumor, quam pinguedo. Dicitur locuſta impinguari, quia ſenex, qui in juventute eſt gracilis tibiis & pedibus, in ſenectute erit ponderoſus. Aliud ſignum eſt defectus caloris; unde ſequitur: *Diſſipabitur capparis.* Capparis eſt herba calida, quæ valet renibus. Secundum autem Hieronymum in Hebræo nomen eſt communem ad herbam & ad florem, & per hoc ſignificatur in ſene defectus caloris naturalis & generativæ virtutis. Unde dicitur 3. Reg. 1. *Rex David ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies, quumque operiretur veſtibus, non caleſiebat*; unde nec Abiſac Sunamitem cognoſcere potuit.

Quantum ad ſecundum, ſcilicet miſerias poſt ſenectutem mortem concomitantes, dicit Salomon Eccleſiaſtes 12. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Domus iſta eſt ſepulchrum, juxta illud pſal. 48. *Sepulchra eorum domus illorum in æternum.*

Di-

Dicitur autem ſepulchrum domus æterna, ſeu æternitatis, quia quantum eſt de virtute naturæ, numquam corpus inde exiret: quod enim reſurgat, virtute divina efficitur. Vel etiam dicitur ſepulchrum domus æterna, quia incertum eſt, quando inde reſurget, ideſt quando erit finis mundi. Dicitur enim æternum non ſolum, quod non habet principium nec finem, ut Deus ſolus, juxta illud pſal. 101. *Tu autem, Domine, in æternum permanes*. Aut quod habet principium, ſed non finem, juxta illud Eccleſiaſtes 1. *Terra in æternum ſtat*. Sed etiam quod habet tempus incertum, nobis ignotum. Juxta illud, quod dictum fuit Abrahæ de circumciſione: *Erit pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*, Gen. 17. Quando autem portatur cadaver ad ſepulchrum, communiter amici & conſanguinei comitantur lugentes; & hoc eſt, quod ſubditur: *Et circuibunt in platea plangentes*, ſcilicet amici defuncti. Reſumit exinde miſerias mortem concomitantes, dicens: *Antequam rumpatur funis argenteus*, ſcilicet, *memento creatoris tui*. *Funis argenteus* poteſt dici cartilago, quæ eſt ligamentum partium corporis, & continet & ligat ſpinalem medullam: vel etiam poteſt dici vis vegetativa, quæ dicitur *funis*, propter vitæ continuationem, & texitur iſte funis tribus funiculis, ſcilicet vi generativa, nutritiva, & augmentativa. Dicitur autem *argenteus* iſte funis propter harmoniæ conſonantis proportionem.

Alius defectus notatur, quum ſubditur: *Et recurrat vitta aurea*. *Vitta* dicitur involutio venarum, quia per eam totum corpus ligatur & ſalvatur: & dicitur *aurea* propter ruborem ſanguinis, quem continet. Hæc recurrit, quando venarum & arteriarum involutio amplius non perdurat, ſed deficit.

Alia miſeria eſt ſenis morientis ruptio veſicæ; & hoc innuitur, quum ſubditur: *Et conteratur hydria ſuper fontem*. *Hydria* eſt receptaculum aquæ exhauſtæ a fonte. Similiter veſica eſt receptaculum urinæ procedentis ex epate tamquam a fonte. Urina enim eſt colamentum ſanguinis & aliorum humorum, ab epate tamquam a fonte quodammodo in totum procedens corpus: *hydria* ergo *ſuper fontem conteritur*, quando veſica rumpitur, & ad receptionem talis colamenti inutilis redditur.

Sequitur alius defectus: *Et confringatur rota ſuper ciſternam*. *Rota* eſt inſtrumentum, per quod fit extractio æque de puteo, vel ab alio loco. *Ciſterna* eſt receptaculum continens aquam lutoſam. Rotam ergo *ſuper ciſternam* confringi, eſt meatum ſuperfluitatis impuræ & groſſæ a ventre, qui eſt quædam ciſterna, excuti & omnimode diſſipari.

Miſeriæ mortem ſequentes.

Quantum ad tertium ponuntur conditiones mortem ſequentes, videlicet regreſſio corporis ad ſuum principium; unde ſubdit: *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Et per primam reverſionem oſtenditur magna miſeria hominis, quia ſcilicet in pulverem revertitur, & quam citius, Jacobi 4. *Quæ eſt vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps æſtimabitur*[1] *putridus*, juxta illud, quod dixit Marthæ de Lazaro: *Jam fœtet*, Joann. 11. Sed & vita ejus pene ex omnibus partibus corporis exhalat, præcipue in ſenibus. A vermibus demum conſumitur: Jobi 25. *Homo putredo, & filius hominis vermis*. Et Eccleſ. 10. *Quum morietur homo, hæreditabit ſerpentes, beſtias & vermes*. *Revertitur* autem *ſpiritus*, ideſt anima *ad Deum, qui dedit illum*, ſcilicet Dominum, ſi meminerit ejus in juventute ſua &c.

De his, quæ ſenectutem decorant.

§. VII. Quamvis enim plures ſint miſeriæ ſenectutis, ut dictum eſt, ſunt tamen aliqua, quæ ipſam decorant. Et primum eſt perfectior de divinis cognitio; unde Jobi 12. *In antiquis eſt ſapientia*. Et hoc per diutinam lectionem, auditionem, meditationem divinorum.

Secundum eſt de humanis, ſeu agendis melior determinatio; unde Job ibidem: *In his, qui multo ſunt tempore, eſt prudentia*. Quum enim experientia ſit magiſtra rerum, & ſenes plura fuerint experti, juvenes pauca; hinc eſt, quod prudentiores ſunt ſenes, & difficulter in juvenibus prudentia reperitur.

Tertium eſt matura conſiliatio; juvenes enim, quia ſanguine fervent, præcipites ſunt in conſiliis, & propter inexperientiam rerum. Senes autem magis valent conſiderare pericula, quæ contingere poſſunt. Unde Dominus non juvenes, ſed ſeniores ſeptuaginta inſtitui fecit, ad juvandum Moyſen in regimine populi. Et Salomon ſeniores habuit in conſilio ſuo, quorum conſilium optimum, quia non eſt ſecutus Roboam filius ejus, ſed conſilium præſumtuoſum juvenum, decem partes regni amiſit, 3. Reg. 12.

Quartum eſt reverentiæ veneratio: debent enim ſenes honorari ab omnibus; quod Dominus mandavit, dicens Levit. 19. *Coram cano capite ſurge* &c. Et propter hoc dicit Apoſtolus 1. ad Tim. 5. *Seniorem non increpaveris, ſed obſecra ut patrem*. Et propter reverentiam, quam habet ipſa ætas, prudentiam & maturitatem aptius ponuntur in regimine, quam juvenes. In cujus figuram præcepit Dominus, levitas a vigeſimo quinto anno & ſupra portare onera templi, ſeu tabernaculi, aliis vero annis ſupra 50. ubi incipit ſenectus, ſervare vaſa tabernaculi, ideſt cuſtodire & regere animas, quæ ſunt vaſa Eccleſiæ ad recipiendum gratiam deputata, Num. 8.

Quintum eſt a paſſionibus ſedatio, & præcipue carnalis concupiſcentiæ. Unde dicit Hieronymus, quod omnia vitia cum ſenectute ſeneſcunt. Et Sap. 4. *Ætas ſenectutis vita immaculata*. Et hoc, niſi quis ſit inveteratus dierum malorum ex continuata aſſuefactione, ſicut fuerunt illi duo ſenes, qui falſe accuſaverunt Suſannam, Dan. 13. de quibus dicitur Iſaiæ 65. *Puer centum annorum morietur*, ſcilicet morte æterna. Et Proverb. 22. *Adoleſcens juxta viam ſuam* ambulans, ſcilicet ſequendo appetitus ſuos, *etiam quum ſenuerit, non recedet ab ea*.

Sextum eſt augmentatio meritorum. Quanto enim quis plus vivit, tanto plura merita acquirere poteſt; unde & præmia.

Num vita produci, vel abbreviari poſſit.

De termino vitæ, utrum poſſit abbreviari vel prolongari. Et videtur quod non, quia dicit pſal. 103. *Aſcendunt montes*, ideſt homines perfecti altitudine contemplationis & gratiæ, *& deſcendunt campi*, ideſt peccatores per latam viam, *in locum quem fundaſti eis*, ſcilicet cæli, quoad perfectos, inferni, quoad campos ſive malos, quæ illis ſunt præparata. Fit autem hic aſcenſus & deſcenſus poſt mortem. De quo ſubdit pſal. 103. dicens: *Terminum poſuiſti, quem tranſgredientur*. Et ad idem facit, quod ait Job 14. *Poſuiſti terminos ejus*, ſcilicet vitæ, *qui præteriri non poterunt*, ideſt nec prolongari, nec breviari.

In contrarium eſt, quia dictum eſt per Iſaiam ex parte Domini Ezechiæ regi: *Morieris tu, & non vives*, & tamen additi ſunt ad vitam ejus quindecim anni, ut habetur Iſaiæ 38. Pro quæſtionis hujus declaratione notandum, quod terminus vitæ humanæ poteſt conſiderari tripliciter.

Pri-

1 In Vulgata pro *æſtimabitur putridus*, legitur *exterminabitur*.

Primo per reſpectum ad actionis humanæ variationem.

Secundo per reſpectum ad cauſſarum ſecundarum ſeu naturalium operationem.

Tertio per reſpectum ad divinæ diſpoſitionis præordinationem.

Quantum igitur ad primum, utique terminus humanæ vitæ & prolongari & abbreviari poteſt. Nam ſicut bene utens beneficio recepto meretur ſibi augeri; ita abutens eo meretur privari. Et ideo, quia peccator male utitur vita præſenti, meretur eam ſibi auferri, juxta illud, quod dicit de quadam ficulnea infructuoſa dominus ejus cultori ipſius, ſcilicet: *Succide eam; ut quid etiam terram occupat?* Luc. 13. Et propter hoc dicitur Jobi 17. *Dies mei breviabuntur*, & Eccleſiaſtes 7. *Ne impie agas multum, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo*. Exempla patent Gen. 6. ubi dati fuerunt centum viginti anni vitæ humani generis, quum videlicet Dominus dixit: *Eruntque dies ejus centum viginti annorum*, ad hoc ſcilicet ut reverterentur ad pœnitentiam. Sed quia homines abuſi ſunt addentes ſcelera majora, ablati ſunt eis viginti anni. Nam tranſactis centum inundavit diluvium. Sic exponit Hieronymus *De pœnit.* Diſt. 1. *Prædixerat*. Et Ananias filius Azariæ falſus propheta, quia prædixit, tamquam ex parte Domini loquens, reverſionem Jechoniæ filii Joachim cum populo ſuo, quam citius de captivitate Babylonica, cujus contrarium prophetaverat Hieremias, & confregit catenas, quas Hieremias in collo portabat ex mandato Domini in ſignum captivitatis plenioris futuræ, dixit illi Hieremias: *Quia confidere feciſti illum populum in mendacio; idcirco.... hoc anno morieris*; & ſic *mortuus eſt*, ut habetur Hier. 28. Et parvulus natus ex adulterio David cum Berſabee, propter peccatum ipſius David ante octavum diem mortuus eſt, 2. Reg. 12. Frequenter enim puniuntur filii pro peccatis parentum pœna temporali & corporali ſecundum ſententiam doctorum; numquam autem pœna ſpirituali, ſeu gehennali.

Filii ſæpe puniuntur pro peccatis parentum.

Et e contra, vita bonorum meretur prolongari. Unde Eccleſ. 3. *Qui honorat patrem, vita vivet longiore.* Et Ezechiæ revertenti ad pœnitentiam additi ſunt anni quindecim, ut ſupra dictum eſt. Et multis paribus conceſſum eſt diu vivere propter probitatem ipſorum & utilitatem aliorum, qui ſecundum viam naturæ vivere non poterant.

Quantum ad ſecundum etiam vita hominis prolongari & abbreviari poteſt ſecundum Bernardinum ordinis minorum in quodam ſermone. Dicuntur autem cauſſæ ſecundæ, ſeu naturales influentiæ diſpoſitio aeris, complexio corporis, regimen vitæ & hujuſmodi. Sicut enim videmus fructus meliores & durabiliores naſci in uno loco, quam in altero ſecundum diſpoſitionem terræ & aeris & aſpectum cæli ad tales arbores; ſic & ſanius & diuturnius vivunt homines in uno loco, quam in altero ſecundum influentiam cæli. Unde & de quadam inſula circa extrema terræ dicitur, quod homines ibi ſaniſſime vivunt, & multum ſeneſcunt, & vix mori poſſunt, niſi ad aliam inſulam tranſferantur. Docet & experientia, quod in civitate infecta peſte morientur centum in die, & in alia civitate ſimili propinqua vel eadem alio tempore, non morientur decem. Ab utero matris plurimi adducunt diverſas infirmitates, quæ vitam abbreviant. Unde & de Chriſto Jeſu, quia erat optime complexionatus, dicunt ſapientes, quod ſaniſſime vixiſſet, & valde diu naturaliter. Regimen vitæ ſi ſit inordinatum, vitam habet abbreviare. Unde & Galenus dicit: *Athletas, quorum vita & ars ſagina eſt, nec vivere poſſe diu, nec ſanos eſſe*, ut refert Hieronymus, *De conſec.* Diſt. 5. *Ne tales*. E contra regimen vitæ moderatum diuturnam facit. Unde Chryſoſtomus dicit: *Nihil ſic ſalutem, nihil ſic ſenſuum acumen operatur, nihil ſic ægritudinem fugat, ſicut moderata refectio*, *De conſec.* Diſt. 5. *Nihil*.

Chriſtus diu vixiſſet naturaliter.

Quantum vero ad tertium, ſcilicet Dei præordinationem, terminus vitæ humanæ a Deo præfixus eſt, ut nec prolongari nec abbreviari poſſit, quia Dei præſcientia aut præordinatio infallibilis eſt. Et ſecundum hunc reſpectum intelligitur illud Jobi ſuperius allegatum: *Conſtituiſti terminos ejus* &c. Et illud pſalmi: *Terminum poſuiſti* &c. Et quia, ut dicitur in libro de cauſſis: Prima cauſſa plus influit in cauſſatum ſecundæ cauſſæ, quam ipſa ſecunda cauſſa; ideo quum Deus ſit prima cauſſa omnium, effectus quicumque ſecundarum cauſſarum ſive naturalium, ſive a libero arbitrio procedentes magis ſubjiciuntur ipſi primæ cauſſæ, ſcilicet Deo, quam ipſis cauſſis ſecundis. Sed contingit aliquem effectum mortis vel infirmitatis, vel alterius caſus, aliter eſſe præordinatum a Deo, quam debeat procedere a cauſſis ſecundis; & tunc eveniet talis effectus non ſecundum quod habet reſpectum & influxum ab ipſis cauſſis ſecundis; ſed ſecundum quod eſt præordinatum a Deo. Et ſecundum hoc intelligitur illud Sap. 4. de immatura morte juſti, quæ non eſt ſecundum cauſſas ſecundas: *Raptus eſt, ne malitia immutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*: & infra: *Placita erat Deo anima ejus; & ideo feſtinavit eum educere de medio iniquitatum* per mortem. Et e contra aliquando contingit, ſicut mors Ezechiæ: quamvis ſecundum cauſſas ſecundas, videlicet diſpoſitionem naturalem corporis & demeritum ejus propter peccatum ſuperbiæ vel ingratitudinis, tunc evenire deberet, quando dixit Iſaias ei: *Morieris tu, & non vives*, habitu reſpectu ad cauſſas ſecundas; tamen quia in præordinatione divina erat, ut ſuperviveret adhuc quindecim annis, dicuntur ei additi quindecim anni, quibus poſtea vixit. Nec tamen Iſaias dixit falſum Ezechiæ, ſignificans eum moriturum, quia prophetavit hoc ex Dei revelatione, ſecundum quod ille effectus mortis erat in cauſſis ſecundis, ſecundum quas omnino erat futura. Revelat enim Deus prophetis ſuis aliqua non ſimpliciter, ſecundum quod ſunt futura in ſeipſis, ideſt non ſecundum divinam præordinationem, ſed ſecundum ordinem, quem habent ad cauſſas ſecundas tantum; & ideo ſi aliter contingit, quam dicant, non propterea falſum dicunt ſecundum Thom. 2. 2. ſicut etiam ſi medicus ſecundum omnia ſigna & regulas medicinæ prædicit aliquem de ſua infirmitate moriturum, qui tamen non moritur, Deo mirabiliter eum ſanante; & aſtrologus prædicit ſiccitatem vel inundationem multam futuram ſecundum influxum conſtellationum; ſi hoc non venit, non dicunt falſum, quia loquuntur ſecundum cauſſas ſecundas, ſed Deus poteſt eas immutare ut placet. [2] Aliquando vero ita ſe habet præordinatio ad aliquem effectum, ſecundum quod ipſe procedit a cauſſis ſecundis; & ad hoc facit, quod dicit Gregorius 16. Moralium ſuper illud Jobi: *Sublati ſunt ante tempus ſuum*, quod creans nos, & ordinans omnipotens Deus, juxta ſingulorum merita diſponit terminum vitæ, ut vel malus ille breviter vivat, ne multis bene agentibus noceat; vel bonus iſte diutius in hac vita ſubſiſtat, ut multis boni operis

[2] Ex Janſoniana editione an. 1479. hæc inſeruimus uſque ad illa, *qui numquam credunt mori*.

ris adjutor exſiſtat, vel rurſum malus longius diferatur in vita, ut prava adhuc opera augeat, ex quorum tentatione purgati juſti verius vivant, vel bonus citius ſubtrahatur, ne ſi diu hic vixerit, ejus innocentiam malitia corrumpat. Sciendum tamen, quia benignitas Dei eſt peccatoribus pœnitentiæ ſpatium largiri; ſed quia accepta tempora non ad fructum pœnitentiæ, ſed ad uſum iniquitatis vertunt, quod de divina miſericordia mereri poterant, amittunt: quamvis omnipotens Deus tempus uniuſcujuſque ad mortem præſtat, quo ejus vita terminatur, nec alio tempore quiſque mori poterit, niſi ipſo, quo moritur. Exponit ergo illud dictum Jobi, quia ſcilicet *ſublati ſunt* mali *ante tempus ſuum*, ſcilicet quo ipſi ſperabant vivere, qui numquam credunt mori; verum quia ſcire non poſſumus, quid ſit in præordinatione Dei de termino vitæ noſtræ; ſcimus autem

A ipſum velle nos conſervare in vita ſecundum beneplacitum ſuum; ideo in conſervatione vitæ debemus nos regulare ſecundas cauſſas ſecundas, non tamen utendo ſuperſtitionibus, vel incantationibus, vel tranſgreſſionibus alicujus præcepti Dei, vel Eccleſiæ, ſeu regulæ quoad religioſos, etiam ſi per hoc mors vitaretur, quia inde mors animæ ſequeretur. Dicit autem Auguſtinus, quod ſi una anima pereat, *innumerabilium corporum mors .... huic damno comparari non poteſt*, 24. quæſt. 3. *Si habes*. Sed cavendo a contrariis, utendo medicinis, habitando in locis ſanis, ſubtrahendo ſe a locis infectis peſte; licitum eſt cuilibet, quum nullo jure prohibeatur, niſi quis eſſet curatus in loco infecto peſte. Talis enim deſerere non poſſet plebem ſuam propter peſtem, [3] niſi providerit de vicario idoneo. Et in caſu etiam extremæ neceſſitatis corporalis vel ſpiritualis, ubi alii

Quid agendum pro vitæ cõſervatione.

B

3

3 Ne quem fallat hæc exceptio, non nulla notanda ſunt. Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 1. reſidentiam eorum, qui curam animarum gerunt, præcipiens, hujus mandati cauſſam retulit in *præceptum divinum, quo mandatum eſt omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere* &c. Quum itaque reſidentiæ perſonalis præceptum ex divino ſacri miniſterii exhibendi præcepto dimanet; palam eſt reſidentiæ debitum perſonale eſſe non poſſe, niſi ſacri ipſius miniſterii debitum perſonale ſit, ita ut *per ſe*, niſi juſta excuſatio adſit, curæ animarum inſervire debeat præcepto divino, qui, ut inſerviat *per ſe*, reſidere *perſonaliter* debet: ſecus ſi *per alium* poſſet divino illi præcepto ſatisfacere, nihil fuiſſet, quod ex hoc divino præcepto perſonalis reſidentia veluti neceſſaria imponeretur. Hinc Concilium Aquilejenſe anno 1596. tit. *de Reſidentia* optime monuit, *reſidentiæ* nomen non meram poſtulare corporis *præſentiam*, *quum ex ſacris canonibus reſidentia ſit accipienda in eum ſenſum, ut ſit laborioſa, non otioſa*. Sola itaque juſta cauſſa, ſi adſit, quemadmodum excuſare paſtoris abſentiam poteſt, ita & perſonalis operis defectum: unde eo caſu ſolum, in quo juſta cauſſa per epiſcopum approbanda interſit, *vicarium idoneum* curæ deputandum Tridentina ſynodus approbat. Juſta autem abſentiæ cauſſa eſſe nequit peſtis tempus, quod majorem parochi operam efflagitat magiſque neceſſariam. Neque pro juſta cauſſa vicarii ſubſtituendi allegetur periculum vitæ ipſius parochi, qui ſi hac de cauſſa cederet loco, non *paſtorem* ſe gereret, ut ex Evangelio debet, qui *animam ſuam dat pro ovibus ſuis*, ſed *mercenarium*, *qui oves dimittit*, *quia non pertinet ad eum de ovibus*. Quid? Si paſtori id liceat, quo jure vicarius periculum ſuum contemnere cogetur? Niſi is, qui mercenario ſimilis cenſetur, paſtorem agat, ex quo mercenarium paſtor imitatur. Legenda in hanc rem egregia Auguſtini Epiſt. 228. ad Honoratum Epiſcopum Thianenſem, quam in non abſimili quæſtione ob imminens Vandalicæ irruptionis ac cædis periculum ſcriptam, S. Poſſidius informandis ſacerdotum Dei moribus maxime *utilem & neceſſariam* judicavit. Heic autem quum S. Doctor univerſim ſtatuit paſtoribus illicitum eo in periculo a ſuis gregibus recedere, idoneis licet vicariis relictis; tum vero eum ſolum caſum fugæ approbat, ac ſupplendi per alios, quum periculum proprium ſolius paſtoris eſt, uti quum paſtor ipſe per ſe ad necem quæritur; non autem quum periculum commune eſt paſtoris & ovium. *Fugiant omnino*, inquit num. 2. *de civitate in civitatem* paſtores, *quando eorum quiſquam ſpecialiter a perſecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deferatur Eccleſia .... Sed quando omnium, ideſt Epiſcoporum, clericorum, & laicorum eſt commune periculum, hi, qui aliis indigent, non deſerantur ab eis, quibus indigent.* Multis hoc & auctoritatibus & hiſtoriis ſeu exemplis confirmat: & *ſi aliqui deſeruerunt plebes ſuas; hoc eſt*, ait num. 5. *quod dicimus fieri non debere. Neque enim tales docti auctoritate divina, ſed humano vel errore decepti, vel timore ſunt victi*. Et num. 10. allata eorum objectione, qui fugam eo nomine excuſabant, *ut ſe pro utilitate Eccleſiæ temporibus tranquillioribus ſervarent*; reſpondet, hoc eo caſu poſſe fieri a non nullis, dum per alios idoneos ſuppleant, ſi Eccleſiæ utilitas major vere ſit, atque ſpectetur, uti in S. Athanaſio accidit, qui peculiariter quæſitus ab Arianis, quibus naviter obſiſtebat, ſe fuga ſubripiens, catholicæ fidei, quam profugus vindicavit, plurimum conſuluit. Id in particulari periculo facilius evenire poteſt. *Sed quando eſt commune periculum*, inquit, *magiſque timendum eſt, ne quiſquam id facere credatur, non conſulendi voluntate, ſed timore moriendi, magiſque fugiendi obſit exemplo, quam vivendi proſit officio, nulla ratione faciendum eſt. Denique S. David, ne ſe committeret periculis prœliorum, & fortaſſis* exſtingueretur (*ſicut ibi* 1. Reg. 21. 17. *dictum eſt*) lucerna Iſmel, *a ſuis hoc petentibus ſumſit, non ipſe præſumſit; alioquin multos imitatores feciſſet ignaviæ, qui eum crederent hoc feciſſe, non conſideratione utilitatis aliorum, ſed ſuæ perturbatione formidinis*. Ut autem de ipſo caſu peſtis, quæ non particulare, ſed commune periculum affert, propriora afferamus; hæc eadem communis utilitatis ratio, ut ſe in locum tutum recipere, S. Carolo propoſita fuit, dum ſæva peſtis Mediolani graſſarentur. At ille acquieſcendum minime duxit, propterea quod id omnino muneri Epiſcopali repugnare dicebat: quam ſententiam laudans confirmanſque in ejus Vita celeberrimus noſter Epiſcopus Cardinalis Auguſtinus Valerius, *carnalis & adulterinæ prudentiæ* eos perſtringens, qui ajebant S. Carolum non debuiſſe ſe tanto periculo exponere: *Et potuit Deo adjuvante*, inquit p. 46. *& debuit, quum nihil poſſit eſſe anima una pretioſius, & ad paſtorem pertineat animarum, animam ſuam ponere pro ovibus ſuis, ſe exponere periculis omnibus, imitari Chriſtum paſtorum principem, & ſalutem animarum ſibi creditarum ſuæ vitæ præferre. Ita caritatis ordo poſtulat*. Scandalum etiam parochorum S. Antiſtes verebatur, ne ſi ipſe periculum declinaret, hoc exemplum ceteri imitarentur, ut fuſe narrant Carolus a Baſilica Petri Epiſcopus Novarienſis & Petrus Guiſſanus in ejus vita lib. 4. cap. 8. Parochos interim ſui officii ac debiti commonit urus, *moſtrò chiaramente per conſulti d' uomini letterati, come eſſi erano tenuti per obbligo di coſcienza a miniſtrare almeno i ſacramenti della penitenza e communione agli appeſtati*, ut in eadem vita legitur lib. cit. cap. 3. Quin ut obmurmurantium os obſtrueret, ſeceſſionemque parochorum impediret, Sacræ Congregationi Concilii quæſtionem propoſuit, *an parochi tempore peſtis teneantur reſidere in ſuis parochialibus, & ſacramenta per ſe ipſos miniſtrare parochianis ſuis eo morbo infectis: anve, ſi id non faciant, poſſint ſtatim privari: non exſpectato tempore a veteribus Canonibus præfixo iis, qui a ſuis Eccleſiis abſunt*. Multum agitata fuit hæc controverſia in Congregatione, ſententiæque ſæpius communicatæ cum ipſo ſummo Pontifice Gregorio XIII. ut pluribus refert Fagnanus in cap. *Clericos, de Clericis non reſidentibus* a num. 37. Tandem *die* 10. *Sept.* 1576. *facta Sanctiſſimo relatione in Conſiſtorio, Sanctitas ſua decrevit ſcribendas ſimpliciter litteras ad Cardinalem S. Praxedis* (S. Carolum) *quibus ſignificetur, dubio in Congregatione propoſito & ad Sanctiſſimum relato, Sanctitatem*

In periculis animarum exponere se debent sacerdotes etiam morti.

alii non adessent, quilibet teneretur juvare de eo, quod potest, non obstante infectione pestis, quum se offert talis necessitas. Hoc etiam confirmat Gratianus dicens: *Quamvis certissime sciamus, neminem ultra terminum sibi a Deo præfixum esse victurum, omnibus tamen languentibus non incongrue medemur*, 23. quæst. 4. *Vasis iræ*, §. *Non ergo* in fine.

§. IX. Circa mortem ipsam tria sunt videnda. Et primum est, quod mors propria est debite exspectanda.

Secundum est, quod mors aliena est æquanimiter toleranda.

Tertium est, quod mors ipsa est frequenter rememoranda.

Ad mortē debita præparatio.

Quantum ad primum sciendum, quod mors debite exspectatur, quum ad eam quis debite præparatur. Unde Dominus ait Matth. 24. *Estote parati, quia qua nescitis hora, filius hominis venturus est.* Idem habetur Luc. 12. & Matth. 25. *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Propterea incertam voluit Deus nobis esse horam mortis. Primo quidem, ut homo vivat purius, quia ut dicit Cyprianus: *Qualem te invenit Dominus, quum vocat, talem pariter te judicat, De pœnit.* Dist. 1. can. *Numquid*. Stultum autem est vivere in illo statu, in quo quis non vellet mori. Et quum de momento in momentum hoc posset accidere, ratio debet urgere ad pure vivendum propter hujusmodi incertitudinem. Secunda ratio, ut homo operetur communius, & per consequens utilius. Si enim sciret homo in brevi se morituram, a multis bonis desisteret, quæ cedunt in utilitatem aliorum, ut sibi soli vacaret; quod tamen non congrueret. Unde cuidam sancto viro, quando fuit ei revelata mors inde ad certum tempus futura, dictum est ei ab Angelo: Age quod agis, operare quod operaris, ut refert Gregorius in lib. Dialogorum. Tertia ratio est, ut conversetur homo humanius. Si enim quis sciret se diu victurum, prosequeretur odia & vindictas & injurias; & sic si scirent homines se cito morituros, multi nimis melancolice viverent, & alios ex hoc amaricarent & tædiarent. Primæ duæ rationes

Cur sit mors incerta.

A sunt B. Thomæ in summa. Debet autem ipsa mors exspectari non solum patienter, sed lætanter; quod faciebat Psalmista, pro hoc orans & dicens psal. 141. *Educ de carcere animam meam.*

Mors nō est timenda.

Ubi potest notari triplex caussa, sive ratio, quare mors non debet timeri, sed desiderari. Et prima est, quia in vita præsenti anima in corpore manet & in illo loco obscuro, tædioso, & periculoso, cujusmodi est carcer. *Tenebris* enim *involvimur*, ait Job cap. 37. Miseriis replemus & laboribus, juxta illud Eccles. 2. *Cuncti dies ejus laboribus & ærumnis pleni sunt.* Periculis subjicimur mortis criminalis & infernalis; sicut qui stat in carcere, est multoties in periculo vitæ. Propter quod clamabat Apostolus, Rom. 7. *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & psal. 114. *Pericula inferni invenerunt me.* Secunda ratio est, quia mors lætanter exspectanda est propter pleniorem & acutiorem divinorum & Dei laudationem. Unde subditur: *Ut confiteatur nomini tuo.* Non enim anima confitetur Deo, & laudat eum & contemplatur, ut velit, propter gravamen corporis. Unde dicitur Sap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Et propter hoc B. Andreas pendens in cruce orabat liberari ab hujusmodi onere, scilicet corporis, quod aliquando a contemplatione impediebatur propter necessaria vitæ. Tertia est propter bonorum consecutionem; unde dicit psal. 141. *Me exspectant justi*, scilicet in alia vita. *Beati* autem *mortui, qui in Domino moriuntur*, Apoc. 14. *Si beati;* ergo omni bono pleni: & Seneca: Mors timenda non est, quam immortalitas animæ sequitur. Sicut autem *reposita est corona justitiæ his, qui diligunt adventum Dei*, scilicet per mortem, ut dicitur 2. ad Tim. 4. ita & timere habet de pœna, qui quasi invitus migrat a sæculo. Unde Cyprianus hoc reprehendens dicit: *Quam præposterum, quamque perversum est, ut quum voluntatem Domini fieri postulemus, quando vocat & accersit nos de hoc mundo, non statim voluntatis ejus imperio pareamus. Obnitimur, & reluctamur, & pervicacium more servorum*

tem suam decrevisse, parochos tempore pestis teneri omnino residere in suis ecclesiis parochialibus: posse tamen per alium idoneum ministrare parochianis suis peste infectis sacramenta baptismi & pœnitentiæ; &, si non residerint, contra eos procedendum esse servata forma cap. 1. sess. 23. in fine. Quam exceptionem, ut parochus *per alium* dicta sacramenta ministrare possit, Pontifex approbavit, *ea præsertim ratione*, inquit Fagnanus num. 39. *ut parochus posset audire confessiones sanorum, qui alias eum reformidarent, si viderent ipsum accedere ad pestilentes, & nollent ei confiteri veriti contagionem; utque etiam ipse parochus officio hortandi, prædicandi, consolandique suos omnes parochianos uberius & plenius fungi possit*: ubi tamen pro praxi videndum, num hic spiritualis & potior finis vere adsit & moveat, ut Augustinus superius advertit. Ad onus vero Episcoporum quod attinet, potiorem in iis, quam in parochis obligationem esse declaratum fuit. Num hoc Congregationis, & Pontificis responsum ad S. Carolum missum fuerit, ignoro: nulli enim vitæ ejus Scriptores hanc declarationem eidem traditam memorant, solasque litteras indicant, quæ, antequam negotium decideretur, jussu Pontificis scriptæ ad eumdem fuerunt per Carniliam, ubi idem Pontifex zelum ejus, quo mortis periculum contemnendum duxerat, maxime commendans, auctoritatibus SS. Patrum obligationem cujuscumque Christiani, ne dum Episcoporum & parochorum, in ejusmodi necessitatibus inculcabat, ut Guissanus late exponit cap. 3. Hasce porro litteras, quas excitandis hominibus perutiles credidit, edendas curavit: & ut majorem fructum pareret, studiose conquisita eisdem addidit aliquot Ecclesiastica monumenta, nimirum Epistolam S. Dionysii Alexandrini & S. Cypriani sermonem occasione pestis

lucubrata, memoratas Augustini litteras ad Honoratum, & alia id genus, quibus non tam obligatio exprimeretur, quam eximia virtus & præmium eorum, qui hac de caussa mortem oppetunt, ea spe ductus, fore ut hæc consideratio excitare omnes ad vitæ contemtum. Hæc indicari item voluit in Concilio provinciali V. in futuram disciplinam pro regimine tempore pestis servando, quæ si parochi & Episcopi serio cogitent, *non modo*, inquit in eodem Concilio, *umquam non erunt in ancipiti deliberatione officiorum, quæ eis* (ovibus peste infectis) *necessario præstare debeant; sed nihil potius statuent, quam illis in discrimine calamitateque versantibus omne spirituale pabulum ministrare, etiam si vitæ periculum subeant, memoria & recordatione ea excitati, quod sibi specialis cura commissa est illas pascendi.* Vide multa eodem in Concilio, & plura etiam ex antiquitate elicita invenies apud Thomasinum part. 3. de Beneficiis lib. 3. cap. 66. & seqq. ubi de residentia & ministerio semper in Ecclesia observatis tempore periculorum mortis latissime disputat. Ne vero Auctorem aliter sentire credas, lege part. 3. tit. 20. cap. 2. §. 2. pag. 1099. ubi de persecutionis periculo differens, non alia tradit: quumque alibi, ut quis a curato beneficio possit abesse, & vicarium ponere, dispensationem requirat ex justa caussa; ad hos tantum casus *justæ caussæ* pertinere dicenda est ea exceptio loci præsentis, *nisi providerit de vicario idoneo*, non autem ad merum periculum vitæ in communi discrimine, quod nequaquam excusare diserte affirmat loco allegato: nisi forte malis dicere, eum heic *notasse factum, non jus*, quatenus scilicet plura beneficia curata tum temporis vicarios haberent, ut ex Goffrido monuit eadem part. 3. tit. 15. cap. 1. §. 9. pag. 813. litt. E.

vorum, ante conſpectum Domini cum triſtitia & mœrore perducimur, exeuntes iſthinc neceſſitatis vinculo, non voluntatis obſequio: & volumus ab eo præmiis cæleſtibus honorari, ad quem venimus inviti, 13. quæſt. 2. *Quam præpoſterum*.

Triplex diſpoſitio ad mortem.

Exſpectatur debite ipſa mors, ſi pia præparatio fiat, ſecundum Domini hortamen dicenti Luc. 12. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum*. Ubi tria poſſunt notari. Primum eſt a vitioſis delectationibus abſtractio, ibi: *Sint lumbi veſtri præcincti*. In lumbis enim eſt motus delectationis venereæ, propter quod dicitur Jobi 40. quod *fortitudo ejus*, ſcilicet diaboli, eſt *in lumbis ejus*. Cinctura autem eſt quædam reſtrictio lumborum, ſignans B mortificationem delectationis. Secundum eſt in operibus fervens dilectio, ibi: *Lucernæ ardentes in manibus veſtris*. Lucerna ſignat mentem ſive conſcientiam. Ignis ardens fervens eſt caritas, juxta illud Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram*. Manus ſunt opera. Tertium eſt viva vigilatio, ibi: *Et vos ſimiles hominibus exſpectantibus*. Vigilant enim tales non ſolum in prima vigilia, ſed in ſecunda & tertia, & quouſque veniat Dominus. Eſt enim prima vigilia ætas juventutis, ſecunda virilitatis, tertia ſenectutis; in qualibet autem ætate debet quilibet vigilare incohærendo bonis operibus, & exſpectando Domini adventum. Signanter autem dicit *exſpectantibus*, ſcilicet contra illos, qui impatientia moti, nolunt exſpe- C ctare, ſed prævenire Dei adventum, inferentes ſibi ipſis mortem, quod nullo modo licet, neque propter quamcumque miſeriam vel tribulationem mundi evadendam, ut fecit Saul, & armiger ſuus, 1. Reg. ult. Catholicon; nec propter peccatum quodcumque puniendum, ut Judas, qui laqueo ſe ſuſpendit, Act. 1. nec propter quodcumque peccatum evitandum, ut fecerunt quædam mulieres, ne violarentur a quodam tyranno, ut habetur in hiſtor. eccleſ. nec propter quamcumque aliam cauſſam, ut expreſſe dicit Auguſtinus in primo de civit. Dei, & 23. quæſt. 5. *Si non licet*. Et de hac materia plene in ſecunda parte in tractatu de homicidio. Ut enim dicitur Eccleſiaſt. 11. *Mors & vita a Domino Deo*. Unde inferre ſibi D mortem, eſt auferre, quod Dei proprium eſt. Nam etſi judex ſive rector juridice occidit; in hoc ut Dei miniſter agit, & ideo non male facit, 23. quæſt. 5. *Qui malos*. Nec eſt contra id, quod dicitur Sap. 1. *Deus mortem non fecit*. Intelligitur enim *mortem*, ideſt cauſſam mortis, ſcilicet peccatum. Unde ſubdit: *Nec lætatur in perditione vivorum*.

Mortui ſit moderate lugendi.

§. X. Secundo, ut dictum eſt, mors aliorum eſt æquanimiter toleranda. Et circa hanc quidem ex compaſſione eſt moderate lugendum, ex deſperatione a nimia triſtitia cavendum, ex dilectione efficaciter ſubveniendum.

Quantum ad primum dicitur Eccleſiaſtici 22. *Supra mortuum plora; defecit enim lux ejus*. Unde & David non ſolum mortem ſibi dilectiſſimi Jonathæ deflevit, ſed & mortem Saulis inimiciſſimi, qui eum perſequebatur pro eo, quod jejunavit, ut habetur 2. Reg. 1. Et de B. Ambroſio legitur, quod quum audiebat mortem alicujus ſancti viri, amare flebat, tum quia præceſſerat eum ad præmium, tum quia ſubtractum eſſet a fidelibus tale auxilium, quum pauciſſimi boni reperiantur. Et Eccleſiaſtici 38. dicitur: *In mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare*.

Nec eſt contra, quod ait Apoſtolus 1. ad Theſſal. 4. *Non contriſtemini de dormientibus*, ideſt mortuis, *ſicut & ceteri, qui ſpem non habent*. Et illud, quod ait Chryſoſtomus, 13. quæſt. 2. *Ubicumque* 2. *Ubicumque ſepeliamur, Domini eſt terra, & plenitudo ejus. Omnino fit, quod oportet fieri. Lugere autem, & deplorare, & lamentari eos, qui de hac vita recedunt, ex puſillanimitate contingit*. Nam, ut dicit Gratianus in paragrapho immediate ſequenti, hoc intelligitur, quum fit *per deſperationem futuræ reſurrectionis*, ut patet ex ipſis verbis Apoſtoli. Vel etiam quum inordinate hoc fit, ut a gentilibus, clamando, & lacrymando, & carnes lacerando & hujuſmodi. Sed *pietatis affectu & humanitatis intuitu mortuos lugere non prohibemur, ſicut non nullos ſanctorum aliorum exſequiis pias lacrymas impendiſſe legimus*, ut de B. Martino, & aliis.

Cavenda eſt nimia juſtitia propter mortem alicujus.

Secundo dico, quod nimia triſtitia propter mortem cujuſcumque eſt cavenda; unde Eccleſiaſtici 38. dicitur: *Ne dederis in triſtitiam cor tuum*, ſcilicet nimiam, *ſed repelle eam a te.... Neque enim eſt converſio*, ſcilicet ad vitam, *& huic nihil proderis*, ſcilicet mortuo, *& teipſum peſſimabis*: & paullo ſuperius rationem aſſignans peſſimationis dicit: *A triſtitia enim feſtinat mors*, ſcilicet corporis, *& cooperit virtutem*, ſcilicet animi, *& triſtitia cordis flectit cervicem*: & ſecundum hoc intelligitur dictum Cypriani, 13. quæſt. 2. *Quam præpoſterum*, videlicet: *Nobis quoque ipſis minimis & extremis, quoties revelatum eſt, quam frequenter atque manifeſte de Dei dignatione præceptum eſt, ut conteſtarer aſſidue, & publice prædicarem, fratres non eſſe lugendos, accerſione dominica de ſæculo liberatos, quum ſciamus illos non amitti, ſed præmitti*. Loquitur enim de lugentibus ex deſperatione ſeu cum nimia triſtitia. Nec obſtat, quod Jacob Patriarcham defunctum planxerunt Ægyptii ſeptuaginta diebus, & poſtea filii ejus in terra Canaan ſeptem diebus, Geneſ. 50. & quod filii Iſrael Moyſen defunctum planxerunt triginta diebus, Deuteron. ult. Nam, ut dicit Gratianus, 26. quæſt. 2. *Sors non eſt*, §. *His ita*: *Multa permittebantur* in veteri teſtamento illis tamquam imperfectis, *quæ tempore perfectionis*, ſcilicet gratiæ, *eliminata ſunt. Omnia* etiam *in figuram contingebant illis*, 1. Cor. 10. quæ nunc ceſſant; unde & Chriſtus conſolans viduam lugentem defunctum unigenitum, qui portabatur ad ſepulchrum, dixit: *Noli flere*, Luc. 7.

Poſſunt autem aſſignari decem rationes, propter quas quis debet & poteſt conſolari, & non nimis contriſtari.

Prima ratio eſt, quia Deus vult ſic. Non ergo debes ejus reſiſtere voluntati; unde Auguſtinus: Nihil eſt, quod de illa aula ſummi & æterni non egrediatur inviſibilis Imperatoris. Et etiam tu petis in oratione: *fiat voluntas tua*, quia voluntas Dei eſt prima cauſſa omnium rerum; nec poteſt inveniri ratio, quare ſic vult, ſecundum Magiſtrum in 1. ſenten. placeat igitur homini, quidquid placet Deo. Et ob hoc, quia placet Deo, E ait Seneca.

Secunda ratio eſt: quia quælibet creatura eſt Dei, ad Rom. 14. *Sive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus*; & ideo ſicut non debes triſtari, ſi is, qui mutuavit aliquid, illud repetit; ſic nec de morte proximi tui. Unde dicit Hieronymus: Nil abſtulit tuum, qui dignatus eſt recipere proprium: & Auguſtinus dicit: Qui perfecte diligit Deum, non contriſtatur de morte cujuſquam: & Job 1. *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, &c.

Tertia ratio eſt, quia *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*, ad Hebr. 9. & Bernardus dicit ſuper illud: *Proprio Filio non pepercit*: Si igitur non pepercit figulo, numquid parcet figmento? Si ergo commune eſt hominibus mori, non debes

con-

contriſtari, ſi filio tuo accidat illud. Et Ambroſius in lib. de bono mortis: Quid abſurdius, ut id, quod ſcis omnibus eſſe præſcriptum, quaſi ſpeciale deplores?

Quarta ratio eſt, quia mors liberat hominem a miſeriis hujus vitæ; unde dicit Salomon, Eccleſaſtes 2. *Cuncti dies ejus laboribus & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem quidem mente requieſcit*. Et ideo noſter Salvator in morte Lazari fecit feſtum dicens: *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo*, Joann. 11. Sed in reſuſcitatione ejus lacrymatus eſt per compaſſionem, quia revocabat eum ad miſerias hujus vitæ; unde dicit Auguſtinus in lib. de viſitatione infirmorum: O mors deſiderabilis, o mors omnium præſentium malorum finis, o mors laborum clauſura, & quietis initium! Quis poſſit cogitare tuarum utilitates beatitudinum? Nam male mori non eſt Chriſtianorum, quorum mors eſt vivere in Chriſto; & ratio eſt, quia dicit pſalm. 35. *Apud te eſt fons vitæ*.

Quinta ratio eſt, quia Deus omnia novit, & videt, quid eſt melius pro homine; & ideo talis moritur, qui ſi remaneret in vita, faceret mala, & eſſet de reprobandis, quum ſit de electis; vel ſi non eſſet de electis, feciſſet pejus, Unde dicitur Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia immutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona &c.*

Sexta ratio eſt, quia tua accidia, & triſtitia tibi nocet, & ei nihil prodeſt. De quo eſt exemplum 2. Reg. 12. ubi dicitur, quod David, donec filius ſuus infirmaretur, ſtabat in triſtitia & planctu, poſt mortem vero filii incœpit a ſe excludere triſtitiam & planctum, & poſuit ſe ad comedendum. Et interrogatus quare hoc feciſſet; reſpondit, quia ante mortem ejus forte potuiſſet impetrare a Deo per planctum ſuum ſanitatem filii, quod non poteſt fieri poſt mortem.

Septima ratio eſt, quia nocet tibi talis triſtitia; ideo dicitur Eccleſiaſtici 38. *Ne dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam a te, & memento noviſſimorum. Noli oblivisci: neque enim eſt reverſio illius, & huic nihil proderis, & te ipſum peſſimabis*. Dum enim homo tanta triſtitia abſorbetur, animum non habet liberum ad orandum pro eo, quem luget.

Octava ratio eſt, quia multi ſunt, qui damnantur propter amorem amicorum; quia ſecundum Auguſtinum ſuper Geneſim ad litteram: Sæpe offenditur Deus, ne offendatur amicus. Multi enim damnantur propter filios vel uxores & ſimul. Et ideo quum hoc ſit tibi incertum, an ſi vixiſſet filius tuus, ipſe fuiſſet cauſſa damnationis tuæ; ideo non debes triſtari.

Nona ratio eſt, quia reſurget; unde Apoſtolus 1. Theſſal. 4. *Non contriſtemini de dormientibus, ſicut ceteri, qui ſpem non habent*. Et 13. quæſt. 2. *Quam præpoſterum*: & Ambroſius: Ceſſabunt lacrymæ meæ, &c. & ideo dicitur Eccleſiaſtici 22. *Modicum plora ſuper mortuum*.

Decima ratio eſt, quia ſi ipſe, qui mortuus eſt, reperit ſe in bono loco, debes lætari, quia orabit pro te. Auguſtinus: Sic enim amici noſtri a torrente voluptatis inebriantur, ut noſtri non obliviſcantur.

Mortuis eſt ſubveniendum.

Tertio mortuis eſt efficaciter ſubveniendum. Unde Eccleſiaſtici 38. dicitur: *Contege corpus illius*, ſcilicet mortui, *& non deſpicias ſepulturam illius*. Unde & Tobias multum Deo placuit in ſepeliendo mortuos. Sed non minus ſubveniendum eſt animæ orando, & alia bona pro ipſa faciendo. Et ad hoc facit, quod dicitur 13. quæſt. 2. *Qui divina*: *Qui divina vocatione ab hac vita recedunt, cum pſalmis tantummodo, & pſallentium vocibus debent ad ſepulchrum deferri ..... Sufficiat autem, quod in ſpe reſurrectionis, Chriſtianorum corporibus famulatus divinorum impenditur canticorum*.

§. XI. Tertium principale eſt, quod mors eſt frequenter memoranda; unde dicitur Eccleſiaſtici 38. in perſona mortui: *Memor eſto judicii mei*, ſcilicet mortis, *ſic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie*. Hinc & Plato: Summa ſapientia eſt meditatio mortis: valet enim ad multa hujuſmodi recordatio; propter quod dicitur Eccleſiaſtes 7. *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum ſit*. Et primo quidem valet ad mundi contemtum, juxta illud Hieronymi ad Paullinam: Facile contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe eſſe moriturum. Contemnit ſane memorans mortem carnis delicias, quum ſit a vermibus conſumenda, juxta illud Eccleſiaſt. 10. *Quum mortuus fuerit homo, hæreditabit ſerpentes, beſtias & vermes*. Contemnit mundi honorificentias, quia ut dicit pſal. 48. *Quum interierit*, ſcilicet homo, *non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus*; unde & Baſilius ad reprimendum motum elationis, & gloriæ, quum in diebus proceſſionis in pontificalibus eſſet ornatus, ordinavit aliquem ex ſuis familiaribus ſibi debere dicere: Pater, jube perfici ſepulchrum tuum, quia neſcis, quando moriturus es. Contemnit talis mundi divitias, quum ex eis nil valeat portare, juxta illud Jobi 27. *Dives quum dormierit, nihil ſecum afferet; aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet*.

Memoria mortis utilis.

Secundo valet mortis recordatio ad labores ſufferendum Job. 3. *Quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer, quum invenerint ſepulchrum. Effodientes theſaurum* multum laborant, ut inveniant ipſum, quem ſumme deſiderant. Et quia antiqui in ſepulchris ſuis faciebant theſauros abſcondere; ideo tales *effodientes* quum inveniunt ſepulchrum, *gaudent*, nihil curantes de labore, ſperantes quam citius ad theſaurum, quem optabant, pervenire, viſo ſepulchro. Sic deſiderantes theſaurum ſupernæ vitæ, quum conſiderant, quod per mortem cito ipſum conſequuntur, fortiores redduntur ad labores & paſſiones, intelligentes illud Apoſtoli ad Roman. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Hinc & Auguſtinus in ſermone: Quidquid ſævit pro nomine Chriſti, ſi vinci poteſt, tolerabile eſt; ſi vinci non poteſt, migrare hinc facit, non aufert, ſed accelerat ipſam requiem, ipſam dulcedinem, quæ quum venerit, ſine fine erit.

Valet tertio ad peccatum cavendum, ut dicitur Eccleſ. 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima, & in æternum non peccabis*. Sicut e converſo dicitur Threnor. 1. *Sordes ejus in pedibus ejus: ſordes* peccatorum *ejus*, ſcilicet animæ, *in pedibus*, ſcilicet affectuum. *Nec eſt recordata finis ſui*. Quum enim quis conſiderat mortem, delectationem omnem peccati deficere ſentit. Et quum punitionem audit, dicente Domino Apoc. 18. *Quantum ſe exaltavit, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*, cavet ſibi a peccato. Et ad hoc Joannes Damaſcenus ponit talem ſimilitudinem: Quidam dum a facie unicornis, ne ab eo devoraretur, velocius fugeret, in quoddam baratrum magnum cecidit: dum autem caderet, manibus arbuſculam quamdam apprehendit, & in baſi quadam lubrica & inſtabili pedes fixit; reſpiciens vero vidit duos mures unum album, alterum nigrum, inceſſanter radicem arbuſculæ, quam apprehenderat, corrodentes, & jam prope

erat

erat, ut ipſam abſcinderent. In fundo autem baratri vidit draconem terribilem ſpirantem ignem, & aperto ore ipſum devorare cupientem; ſuper baſem vero, ubi pedem tenebat, vidit quattuor aſpidum capita inde prodeuntium. Elevans autem oculos vidit exiguum mellis de ramis illius arbuſculæ exire, oblituſque periculi, in quo undique poſitus erat, ſeipſum dulcedini illius modici mellis totum dedit. Quis igitur hominem iſtum non judicaret inſanum, qui ita attendit ad illud modicum delectationis habendum, quod tam multiplicis periculi obliviſcitur, tamquam ſi cæcus eſſet, ac ipſum non videret? Et ideo orabat Pſal. 12. *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte*, ideſt in conſideratione & memoria: *ne quando dicat inimicus meus*, ſcilicet diabolus *prævalui adverſus eum*, ſcilicet per peccatum. Unicornis igitur mortis tenet figuram, quæ homines ſemper perſequitur, & apprehendere cupit. Unde dicitur Jobi 39. *Numquid volet Rhinoceros ſervire tibi.* Rhinoceros eſt unicornis, & iſte non vult alicui ſervire, quia mors nemini vult ſubjici, ſeu parcere, ita ut elephantem, etiam cornu in ventrem figens interimat, quia ſcilicet mors quemcumque virtute vel ſcientia vel poteſtate magnum interemit. Baratrum, ſive foſſatum mundus eſt omnibus malis plenus. Arbuſcula uniuſcujuſque eſt vita, quæ per horas diei & noctis quaſi per murem album & nigrum inceſſanter conſumitur, & inciſioni appropinquat. Baſis quattuor aſpidum corpus eſt ex quattuor elementis compoſitum, quibus inordinatis corporis compago diſſolvitur. Draco terribilis eſt infernus cunctos devorare cupiens. Dulcedo ramuſculi mellea eſt delectatio fallax mundi, per quam homo ſe ducitur, ne ſuum periculum intueatur. Et ſic dum mundi delectationibus vacat, & ſe moriturum non conſiderat, conſumta radice arbuſculæ, & baſe deſtructa, in foſſatum cadit, & ibi *deſiderium peccatorum peribit*. Sed dum mortem bene recogitat propinquam, mel dimittit delectationis mundanæ, & peccatum & periculum evadit; & ideo dicitur Eccleſiaſtici 38. *Memor eſto noviſſimorum tuorum, & noli obliviſci*: & ſic poteſt intelligi illud a Salvatore noſtro parabolice dictum: *Recumbe in noviſſimo loco*, Luc. 14. ideſt requieſce in conſideratione mortis.

Nota, quod triplex eſt mors ſpiritualis, ſcilicet
Mors criminalis indefectionis.
Mors clauſtralis converſationis.
Mors infernalis cruciationis.

De morte criminali.

§. XII. Quantum ad primum dicitur Ezec. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*. Per peccatum occidit homo animam ſuam. Ubi nota, quod peccator aſſimilatur mortuo propter tria, ſcilicet primo propter conſimilem defectum, propter ſimilem effectum, propter conſimilem aſpectum.

Peccator aſſimilatur mortuo propter tria.

De primo moriente corpore talis eſt proceſſus in deficiendo. Primo corpus diſtemperatur & diſcruciatur, ſecundo infirmatur, tertio moritur, quarto portatur extra domum, quinto ſepelitur, ſexto a vermibus conſumitur. Iſto modo anima primo diſtemperatur & diſcruciatur per tentationem & cogitationem de peccato. Secundo infirmatur per comitantem delectationem. Tertio per conſenſum. Quarto aſportatur & elongatur ab hominibus per culpæ ſuæ abominationem & diffamationem apud homines. Quinto ſepelitur per malam conſuetudinem. Similiter enim terra vel lapis ſuperpoſitus onerat & opprimit corpus, ut non reſurgat etſi poſſit; ita mala conſuetudo, quæ eſt quædam moles graviſſima, opprimens, & incitans hominem ad peccandum; unde Auguſt. 8. lib. conf. can. 5. Lex peccati eſt vitioſa conſuetudo, qua trahitur & tenetur etiam invitus animus eo merito, quo in eam volens illabitur. Et in eodem libro loquens de ſtatu peccati ante baptiſmum ſuum ait: Suſpirabam, inquit, ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Hæc Auguſtinus. Et hæc conſuetudo peccandi comparatur ſepulturæ Lazari ſecundum eumdem in ſermone Domini in monte lib. 1. cap. 13. Et ſicut videtis, iſtis maximis & nobilibus fiunt ſepulchra honeſtiſſima, de marmore vel de aliis lapidibus honeſtis ſeu lignis, cum picturis & figuris, quæ ſimul ornant & honorant; ita iſtis magnis & potentibus mortuis per peccatum faciunt adulatores ſepulchra dealbata & depicta, ideſt palliantes & ornantes & excuſantes, immo commendantes peccata potentum, quia *laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*, pſal. 9. Et iſti videntur eos honorare & ornare, & ita faciunt; ſed tamen ſimul cum hoc onerant & opprimunt miſeros, ut non reſurgant per pœnitentiam de peccatis. Unde multum notat Gregorius in 4. Moralium cap. 75. quod Chriſtus tres mortuos ſuſcitavit, puellam in domo, juvenem in porta, Lazarum in ſepulchro. Quartum vero mortuum diſcipulo nuntiante cognoſcit, ſed eum non ſuſcitat, quia valde difficile eſt, ut is, quem poſt uſum malæ conſuetudinis etiam adulantium linguæ excipiunt, a mentis ſuæ morte revocetur; de quibus etiam dicitur Lucæ 9. & Matthæi 8. *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Mortui enim mortuos ſepeliunt, quum peccatores peccatorem favoribus premunt. Erat autem Lazarus mortuus, ſed non ſepultus a mortuis, ſed a fidelibus mulieribus. Sexto corpus mortuum a vermibus conſumitur, & mens privata vita gratiæ, a verme conſcientiæ deſperationis & finalis impœnitentiæ corroditur & mordetur. Sic ergo convenienter peccatum dicitur mors propter conſimilem defectum vel proceſſum deficiendi: ſic enim intrat in animam, ſicut mors in corpus, Rom. 5. *Peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*.

In conſuetudinarios.

Secundo ponitur peccatum mors propter conſimilem effectum. Mors namque facit corpus rigidum frigidum & fœtidum, putridum & horidum, terreum atque ponderoſum. Iſto modo peccatum mortale facit animam rigidam & ſuperbam & inobedientem ad Deum: Prov. 18. *Cum obſecrationibus loquitur pauper, & dives* ideſt ſuperbus, *effabitur rigide*. Frigidum per invidiam, quam vocat propheta malitiam. Hierem. 6. *Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam facit animam malitia ſua*. Fœtidam per luxuriam: Iſaiæ 34. *De cadaveribus eorum aſcendit fœtor*. Putridam per gulæ immoderantiam, per quam ſenſus & ratio ſopiuntur & ſepeliuntur, & homo in aſinum commutatur. Hierem. 22. *Sepultura aſini ſepelietur putrefactus & projectus*. Terrenam per avaritiam, quæ nihil ſapit niſi terrena, ut dicatur tali animæ ſicut talpæ dixit natura: & ſerpenti dixit Deus Geneſ. 3. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Pigram per accidiam, quæ nihil boni operatur. Prover. 13. *Vult & non vult piger*: & convenienter peccatum vocatur mors propter conſimilem effectum: Rom. 7. *Peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem, ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum*.

Tertio propter conſimilem aſpectum: quantumcumque enim homo fuerit amabilis, pulcher, & delicatus, ſtatim poſt mortem erit horribilis, turpis, & abominabilis, & a communione hominum ſepa-

ſeparandus. Sic anima ante peccatum pulcherrima & formoſa eſſe videtur, juxta illud Can. 4. *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te*; ſed per peccatum ſpoliatur gratuitis, & vulneratur naturalibus, fit fœtida & abominabilis coram Deo, ut dicat illud Ezech. 16. *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum*. Et tunc per peccatum anima miſera ſeparatur a communione fidelium & ab amicitia Dei & Angelorum bonorum. Prov. 14. *Miſeros facit populos peccatum*. Fatuiſſimus operarius eſt ille, qui difficillimis laboribus ſe fatigat; & tamen nihil ſtipendii vel mercedis in fine reportat. Quot laboribus & periculis difficilibus ſe exponunt homines pro peccato, iſti pro voluptatibus, illi pro cupiditatibus, iſti pro vanitatibus? inexplicabile eſt dicere; & quod erit ſtipendium? certe mortis ſupplicium & infernale ſuſpendium: Rom. 6. *Stipendia peccati mors*. Et ideo poſtquam Salomon præmiſit Sap. 1. *Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ*, ſignanter adjunxit: *Neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum*, quaſi diceret: Nullum aliud lucrum habebitis per peccatum. Et quia manus eſt organum organorum hominis, ſicut dicitur 3. de anima; ideo malæ operationes quæcumque, quæ homo poteſt exercere per opera manuum ſuarum, prohibentur.

Peccatorũ miſeria.

Religio aſſimilatur morti.

§. XIII. Quantum ad ſecundum, ſancta religio figurative vocatur mors. Unde vulgariter regulares dicuntur mortui, & ſæculares viventes. Tamen malus ſæcularis eſt vere mortuus, & bonus regularis vere vivens. Nam malo ſæculari dicitur Apocal. 3. *Nomen habes, quod vivas, ſed mortuus es*: & de ſanctis dicitur 2. Cor. 6. *Quaſi morientes, & ecce vivimus*. Mortui autem ſunt peccato, viventes autem Deo, juxta illud Rom. 6. *Exiſtimate vos quidem mortuos eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu*; quare autem religioſi mortui dicantur, poſſunt aliquæ congruitates adduci. Primo enim tamquam moriturus condit teſtamentum ſuum, in quo legat animam Deo, corpus tumulo, facultates habitas & habendas reſignat mundo. Exſecutores autem iſtius teſtamenti conſtituit prælatos ſuos, quorum cuſtodiæ tam corpus ſuum quam animam tradit. Item moriturus incipit amittere calorem ſuum naturalem: poſtea uſum ſenſuum exteriorum, ſicut viſus, auditus & hujuſmodi. Tandem ultimo motum ſuum proprium, ita quod ſi moveri debeat de loco ad locum; oportet, quod hoc fiat per aliquos, non per ſeipſum: pannus ei tribuitur brevis & in certa menſura, & ſic finaliter abſconditur in ſepulchro. Iſto modo moraliter ingrediens religionem, primo amittit omnem calorem naturalem, & omnem amorem carnalem & mundialem amicorum & parentum, quo poſſit a mundi contemtu & a ſancta contemplatione retardari. Secundo amittit quaſi uſum ſenſuum exteriorum per honeſtam & religioſam cuſtodiam, videlicet viſus, auditus, tactus &c. Tertio perdit quaſi loquelam per ſilentium locis & temporibus convenienter ſervatum. Silentium namque juvat ad mentis refectionem & gratiam conſequendam. In cujus figura Zacharias mutus genuit Joannem, ideſt gratiam, Luc. 1. Quarto perdit motum proprium, videlicet voluntatem; quia nuſquam ſe movet, aut alio vadit, niſi per obedientiam vel licentiam prælatorum. Quinto ſibi tribuitur pannus modicus, quia habitus vilis ad neceſſitatem non ad ſuperfluitatem. Et ſexto tandem abſconditur in clauſtro quaſi in ſepulchro ſuo, ne per ſæculi tumultus a ſanctis occupationibus perturbetur. Unde iſtis mortuis dicitur Coloſſ. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſ-*

A *condita eſt cum Chriſto.*

De morte infernali

§. XIV. Quantum ad tertium dico, quod tertia mors eſt infernalis cruciationis. Et hæc eſt e converſo deteſtanda, de qua pſal. 48. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos*: ovis eſt ſtolidiſſimum pecus, & inter alias conditiones hoc habet, quod ſi ſit in domo accenſa, nullo modo exit ab igne, ſed magis ingerit ſe igni. Sic damnati in inferno ſic effecti ſunt ſtolidi, & per malitiam obſtinati, quod de inferno, qui eſt eis quaſi domus accenſa, numquam exibunt, & hæc eſt mors ſecunda: Apocalyp. 2. de qua in pſalm. 33. *Mors peccatorum peſſima*. Huic contrariatur vita æterna, de qua loquens Ambroſius, ita dicit: Ibi eſt vita ſine morte, B dies ſine nocte, gaudium ſine mœrore, tranquillitas ſine labore, fortitudo ſine debilitate, rectitudo ſine perverſitate, pulchritudo ſine deformitate, veritas ſine falſitate, caritas ſine invidia, felicitas ſine miſeria.

Requirere ab aliquo ut revelet ſtatum ſuũ poſt mortẽ, an ſit licitum.

Item quæritur, utrum ſit licitum ab aliquo moriente requirere, quod revelet ei ſtatum ſuum poſt mortem. Reſpondet de hoc B. Thomas in quadam quæſtione de quodlibetis, quod quum peccatum ſit contra naturam, ut patet per Damaſcenum in 2. lib. requirere impletionem naturalis deſiderii non eſt peccatum, niſi aliqua inordinatio adjungatur, ſicut patet in ſumtione cibi & potus. Homo autem naturaliter ſcire deſiderat. Unde ſi requirat alicujus rei notitiam, non C eſt peccatum, niſi forte per accidens, hoc eſt per aliquam inordinationem adjunctam, puta: Si per ſtudium alicujus ſcientiæ aliquis impediatur officio prædicationis debitæ, ut propter ſtudium geometriæ, aut etiam ſi quis inquirat aliquid cognoſcere ſuperbe & præſumtuoſe, aut ſi qua alia inordinatio circa hoc contingat. Nulla autem inordinatio in hac inquiſitione videtur, ſiquis inquirat a moriente cognoſcere ſtatum ejus poſt mortem, ſubjiciendo tamen hoc divino judicio. Unde nulla ratio eſſe videtur, quare debeat dici hoc eſſe peccatum, niſi forte ex dubitatione fidei de futuro ſtatu, quaſi dubitando inquirat.

D

CAPUT II.

De tribus noviſſimis mortis, ſeparatione animæ, judicio particulari, & ſententia finali.

TRia ſunt noviſſima in morte; & ideo dicitur in plurali, *memorare noviſſima*. Primum eſt animæ ſeparatio, ſecundum eſt ſeparatæ ad Deum præſentatio, tertium eſt præſentatæ ſententiæ illatio.

Quantum ad primum ſciendum, quod in ſeparatione animæ a corpore communiter ſupervenit multiplex bellum durum & graviſſimum, quod Chriſtus inſinuavit ſub ſimilitudine obſidionis Hieroſolymæ dicens: *Circumdabunt te inimici tui vallo, & coangуſtabunt te undique, & ad terram proſternent te*, Luc. 19. Et rationem aſſignat dicens: *Eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ*, ſcilicet recipiendo Chriſtum per gratiam & dilectionem.

E

Et in prædictis verbis notatur triplex bellantium genus contra animæ civitatem in noviſſimo, ſcilicet ſeparationis ejus a corpore.

Primum eſt dæmoniorum infeſtatio, ibi: *Circumdabunt te*.

Secundum eſt propinquorum moleſtatio, ibi: *Et coangуſtabunt te*.

Ter-

Tertio eſt ſenſuum fatigatio, ibi: *Et ad terram proſternent te.*

De infeſtatione dæmonum in morte.

§. I. Quantum ad primum dicit Gregorius in Homil. ipſius Evangelii, quod diabolus præcipue aggreditur hominem in fine graviſſime & aſtutiſſime tentans, ſciens plus temporis non ſibi reſtare ad ſeducendum. Et in hujus figuram dixit Dominus antiquo ſerpenti, Gen. 3. *Tu inſidiaberis calcaneo ejus*, ſcilicet creaturæ rationalis, cujus calcaneus corporalis eſt extremitas corporis, finem vitæ deſignans. Et ſicut ſerpens in cauda dicitur habere venenum; ita in fine hominis tentationes omnis malitiæ ſuggerit. Et de hoc pſal. 16. *Inimici mei animam meam circumdederunt; adipem ſuum concluſerunt; os eorum locutum eſt ſuperbiam.* Inimici noſtri maximi ſunt dæmones, & hi animam vallo *circumdant*, quum peccata commiſſa ante mentem ponunt, vel diverſa tentamenta ſuggerunt hinc inde. *Adipem ſuum* concludunt, quia abundantem malitiam ſuam in animam includere quærunt. *Os eorum loquitur ſuperbiam*, dum videlicet de infidelitate, vel de deſperationis crudelitate, vel de confeſſionis taciturnitate morientem tentant; quæ omnia ad ſuperbiam pertinent. Quum enim ſciat, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, Hebr. 11. & *dubius in fide ſit infidelis*, extra *De hæret.* cap. *Dubius*; ideo ad dubitandum de fide conatur inducere. Sed dicitur Apocal. 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem*, ſcilicet incluſive, *& dabo tibi coronam vitæ*. Unde legitur de quodam magno doctore, quod quum eſſet in extremis conſtitutus, diabolus adveniens ſuggerendo cœpit alloqui mentem ejus, & quærere quid ipſe crederet. Reſpondit autem ipſe cogitationi tali ſe credere quod credebat Eccleſia. Et ulterius ipſe quæſivit, quid Eccleſia crederet; & reſpondit: Articulos, qui in ſymbolo continentur, ſcilicet Deum trinum & unum Dei Filium, a Virgine conceptum & natum, & hujuſmodi. Cui ſubdidit ſuggeſtio diabolica: Nonne philoſophia, qua ſecundum rationem eſt, ut didiciſti, docet hoc impoſſibile fore? Et ſic intrans ipſe diſputationem ſuper hujuſmodi, exiſtimans propria virtute rationis illam expellere, in incredulitate incidit, & mortuus eſt. Inde ad paucum tempus alius doctor infirmatus eſt ad mortem, cui apparens prædictus mortuus, quia ſibi familiaris & notus, interrogavit de fide ſua, ne forte erraret. Cui ille reſpondit: Credo quod credit Sancta Mater Eccleſia. Et ille: Quid credit Eccleſia? Reſpondit infirmus: Id quod ego credo. At ille iterum inquit: Et tu quid credis? Reſpondit idem quod prius, ſcilicet, quod credit Eccleſia. Et ſic pluries interrogando, numquam potuit eum de prædictis terminis educere, nec in deſperationem ponere; propter quod demum ille mortuus exclamans dixit: Heu mihi, quare non ſic feci in infirmitate mea ultima? volui diſputare cum diabolo, confidens ex ſuperbia mea de proprio ingenio, ex quo ſuccubi de fide dubitans, & propter hoc æternaliter damnatus ſum.

Deſperatione nil periculoſius.

Ponunt autem & iſti inimici dæmones aliam obſidionem & vallum, ſcilicet deſperationis: & certe *periculoſa eſt deſperatio*, ut dicitur 2. Reg. 1. immo nil periculoſius; & ideo permaxime de deſperatione tentant. Quod etiam fecit erga B. Bernardum. Nam ut habetur in ejus legenda, in gravi infirmitate conſtituto ſupervenit ſibi tentatio deſperationis de ſua ſalute, conſiderans ſe in multa negligentia Deo ſerviſſe, & ſe nihil quaſi boni feciſſe, unde tantum præmium gloriæ recipere deberet; ſed illuſtratus a Deo reſpondit tentatori: Fateor nil feciſſe dignum tanto præmio; ſed Chriſtus Dei Filius duplici ratione illud obtinet, ſcilicet merito paſſionis, & ratione hæreditariæ ſucceſſionis, quia naturalis filius Dei. Ipſe una ratione contentus eſt ipſum poſſidere, ſcilicet in quantum filius; merito autem paſſionis ſpero mihi certitudinaliter velle elargiri. Sicque confuſus eſt inimicus, & non prævaluit contra eum. Sicut contra Cain, qui dixit: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear*, Geneſ. 4. & ſicut Judas, qui *laqueo ſe ſuſpendit*, Matth. 27. Aliquos inducit ad taciturnitatem confeſſionis alicujus peccati, vel ad non reſtituendum. Taciturnitas autem talis ex ſuperbia oritur, ut dicitur *De pœniten.* Diſt. 1. *Quis aliquando*, §. *Taciturnitas*; unde in Vitis patrum legitur, quod cuidam probo religioſo in infirmitate conſtituto, apparuerunt duo dæmones in forma Angelorum bonorum, dicentes ſe miſſos a Deo, ut portarent animam ejus ad cælum, ſed ita gravem reperiebant, quod non poſſent deferre. Nihilominus darent ſibi modum ad alleviandum peccata ſua, videlicet ut exinde teneret ſilentium firmiſſimum: quibus recedentibus, ille nulli loquebatur, nec reſpondebat; quod perpendens quidam ſanctus vir & expertus viſitans eum cœpit admonere, ne permitteret ſe decipi a diabolo, qui *ſe aliquando transformat in Angelum lucis*. Ex cujus verbis illuminatus locutus eſt, & revelavit quomodo ſibi apparuerant illi duo, & quid dixerant, & quod poſtea recordatus fuerat de quodam peccato mortali commiſſo in ſæculo, de quo numquam confeſſus fuerat ex oblivione: quod ſubito confeſſus eſt, alias fuiſſet damnatus. Et ſic detectæ ſunt inimicorum inſidiæ. Sic igitur *circumdabunt te inimici tui vallo* tentationum in fine. Nam & ad Chriſtum acceſſit in cruce pendentem, ſicut ipſe ait Joann. 14. *Venit* enim, ideſt veniet *princeps mundi hujus*, ideſt diabolus, *& in me non habet quidquam*, ſcilicet peccati. Sed & B. Martinus, quum ipſum vidiſſet in extremis conſtitutus, ait: Quid hic aſtas cruenta beſtia? &c. quamvis ergo graves ſint ejus tentationes; tamen qui recte vivit, & verum membrum Chriſti eſt, ipſe, qui caput eſt noſtrum, pro eis pugnat & vincit; ſicut & ipſe ait Joann. 16. *Confidite, quia vici mundum*, ideſt peccata & tentationes mundi.

Quomodo conſanguinei bellant contra morientes.

Quantum ad ſecundum. Aliud genus bellantium inimicorum eſt multitudo conſanguineorum, de quibus dicitur Mich. 7. *Inimici hominis domeſtici ejus*, ideſt conſanguinei; & illi multum coanguſtant. Primo quidem, quia durum eſt ſibi deſerere filios, & uxorem, & alios, quos inordinatæ diligit; unde Auguſtinus de ſero pœnitente ait: *Quem morbus urget, & pœna terret, ad veram vix veniet ſatisfactionem, maxime quum filii, quos illicite dilexit, ſint præſentes, & uxor & mundus ad ſe vocent*, *De pœnit.* Diſt. 7. *Nullus*. Et frequenter ex inordinato amore filiorum potius volunt perdere animam, quam aliena reſtituere, ne pauperes remaneant.

Hiſtoria uſurarii.

Unde quod de quodam uſurario legitur in infirmitate conſtituto, quod quum filii perſuaderent ad reſtituendum; ille reſpondit, quod ſi hoc ageret, ad hoſpitale eos ire oporteret. Moritur igitur ſine reſtitutione facta: poſt mortem unus filius totam partem ſibi contingentem reſtituit, & Dei ſervitio ſe mancipavit. Alter vero retinuit ſuam partem mundanis deditus, & inde ad modicum mortuus eſt. Quadam autem die quum oraret ille, qui reſtituerat, vidit terram apertam, & in centro ignem infernalem, ibique jacere filium ſuper patrem, alterque alterum maledicere. Pater filium, eo quod amore ejus illicite acquiſierat, nec ſatisfecerat; filius patrem, eo quod talia male ablata ſibi dimiſerat.

Coanguſtant tales inimici domeſtici morientem, in quantum unus quærit ſibi legari tantum, alius tantum; & tota eorum ſollicitudo eſt de lana, non de anima. Aliquando etiam incipiunt evacuare capſas, quod videns infirmus non parum anguſtiatur, & de eventu familiæ ſuæ.

Coanguſtant aliquando, quia voluntatem de ſuis diſponere non permittunt, nec ad eum ingredi doctum religioſum, ne forte faceret ſibi conſcientiam de reſtitutione, vel eleemoſynis pauperibus dandis: decipiunt eum, dicentes cito ſanandum, quum tamen ſit periculum. Medicus autem, qui ut domeſticus aſſumitur, non ſervat præceptum Eccleſiæ, *De pœnit. & remiſ. Quum infirmitas*: quia non admonet primo, ut mittat pro confeſſore; & ideo bene dicitur Hierem. 9. *Unuſquiſque ſe a proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit.*

De ſenſuũ fatigatione.

§. III. Quantum ad tertium inimici noſtri domeſtici ſunt ſenſus noſtri figurati per quinque fratres divitis Epulonis, de quibus pſal. 58. *Eripe me de inimicis meis, Deus meus.* Utique inimici noſtri ſunt, qui furantur pretioſiſſima, ſcilicet animam: Thren. 3. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*: & ſic de aliis. Iſti autem cum organis ſuis laborant, & paullatim deficiunt, & ita animam defatigant, ut vix valeat infirmus aliquis de ſalute cogitare, ſed quomodo poſſit ſanari, & habere guſtum ciborum, & hujuſmodi; unde pſal. 6. *Non eſt in morte, qui memor ſit tui.* Demum ad terram proſternunt dolores ipſi corporis. Et ſicut arbor magna, quæ habet plures radices in terra multum defixas, quum per ſecurim inciditur, magno impetu proſternitur ad terram; ita quum anima ſeparatur a corpore per ſecurim mortis, quum extrahere habeat omnes potentias, & vitam ab organis corporis, fit hoc cum maxima violentia & dolore, & præcipue in peccatoribus. Unde Eccleſiaſtici 41. dicitur: *O mors, quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis, viro quieto!* &c.

Sed electos ſuos in hujuſmodi bello humorum ad ſe invicem bellantium, Deus mirabiliter conſolatur. Unde Gregorius 4. Dialog. dicit: Juſti aliquando in morte ſua ſanctorum præcedentium viſiones aſpiciunt, ne ipſam mortis ſuæ pœnalem ſententiam pertimeſcant, & ſine dolore & formidinis fatigatione ſolvantur. Et aliquando ſanctos eis apparentes aſpiciunt. Exemplum de presbytero, qui dixit ſorori: [1] Tolle igniculum, adhuc foculus eſt: cui apparuerunt Apoſtoli Petrus & Paulus, cap. 11. in Dial. Aliquando Angelos vident. Exemplum in Stephano cap. 19. in eodem lib. 4. de B. Nicolao epiſcopo. Aliquando vident Virginem Mariam. Exemplum de Muſa cap. 17. lib. 4. Aliquando Dominum Jeſum Chriſtum. Exemplum de Tharſilla cap. 16. eodem lib. 4. Aliquando ſentiuntur cæleſtes melodiæ, & odor ſentitur, & lux videtur, ſicut in Servulo paralytico, cap. 14. eodem lib. 4. E contra mali in morte vident dæmones cum magno impetu, & violentia extrahentes animam de corpore vel devorantes, ſicut habetur in Vitis Patrum, & in 4. Dialogorum de eremita hypocrita, qui dixit ſe paullatim abſorberi a dracone, &c. Memorare ergo iſtud primum noviſſimum.

De ſecundo noviſſimo, ideſt judicio particulari.

§. IV. Secundum noviſſimum animæ ſeparatæ eſt ante Deum præſentatio; ut enim dicit Apoſtolus ad Heb. 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium.* Judicium, ſcilicet particulare diſcuſſionis de anima, quæ ei præſentatur; unde pſal. 71. *Deus, judicium tuum regi da*, ideſt o *Deus* pater *da*, ideſt dabis *judicium*, ſcilicet diſcuſſionis & examinationis, *regi*, ideſt Chriſto, qui eſt *Rex regum, & Dominus dominantium.* Et infra: *Judicare*, ideſt ad judicandum *populum tuum in juſtitia.* Ante ipſum oportet nos præſentari, juxta illud Apoſtoli Rom. 14. *Omnes ſtabimus ante tribunal judicis Chriſti*, & 2. Cor. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*: & quia ut dicit Gregorius: *Qualis quiſque hinc egreditur, talis in judicio præſentatur*, Diſt. 25. *Qualis*; ideo, ut dicit Sapiens: *Ante judicium para juſtitiam*, ideſt opera, cum quibus compareas, Eccleſiaſtici 18. Nam omnia alia te deſerunt, niſi opera tua; Apoſt. 14. *Opera illorum*, ſcilicet mortuorum, *ſequuntur illos.* Unde Joannes Damaſcenus circa hoc ponit ſimilitudinem talem: Fuit quidam habens tres amicos, unum diligebat plus quam ſe, alium ſicut ſe, tertium minus ſe & ſatis parum. Hic quum fuiſſet citatus a domino ſuo ad reſpondendum in curia ſuper factis ſuis, unde ſibi periculum mortis imminebat, acceſſit ad primum, rogans, ut cum eo iret, & eum juvaret, qui reſpondit ſe non poſſe propter alias occupationes; tamen propter amicitiam ſuam, ſi ſententiam mortis acciperet, daret ei ſaccum cilicinum ad eum involvendum. Ad alium accedens pro ſimili cauſſa, etiam ille ſe excuſavit, ſed tamen propter amicitiam eum aſſociavit uſque ad curiam. Ad tertium accedens cum verecundia & confuſione, quia parum dilexerat, rogavit ſimiliter, ut eum aſſociaret; cui ille: Licet parum mihi dilectionis oſtenderis, nihilominus nolo te deſerere, ſed ad judicem tecum volo venire, & pro te loqui. Homo hic ſignificat quemlibet peccatorem, qui habet tres amicos; mundum, quem diligit magis, quam ſe ideſt ſalutem ſuam; conſanguineos, quos diligit ut ſe; aliqua bona opera, quæ tamen parva ſunt, & cum modica affectione facta. Quum autem citatur per mortem a Domino, & multum habet timere de ſententia danda, utique mundus nimis amatus ab ipſo, non comitatur eum, ſed dat ſibi pro cadavere cooperiendo ſaccum vilem. Conſanguinei etiam non vadunt ad judicium ad intercedendum pro eo, ſed aſſociant uſque ad Eccleſiam funus. Sed bona opera eum comitantur, & ſi ſunt facta in caritate, eum defendunt; unde Ambroſius: Non ſunt hominis bona, quæ ſecum ferre non poteſt, ſcilicet temporalia. Sola miſericordia comes eſt defunctorum. Quum igitur anima Deo præſentatur, exigitur ratio ab ea, ſecundum quod parabolice habetur Matth. 18. de rege, *qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.*

De quibus eſt ratio reddenda.

Et primo ponit rationem de bonis naturalibus.

Secundo ponit rationem de bonis ſpiritualibus.

Tertio ponit rationem de bonis temporalibus.

Quarto ponit rationem de peccatis admiſſis & dimiſſis.

Quinto ponit rationem de fiendis omiſſis.

Sexto ponit rationem de ſubditis commiſſis.

Quantum ad primum dicit Apoſtolus 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* quaſi diceret: nihil. Ipſe enim Deus *te fecit* quantum ad corpus, & *poſſedit* quantum ad vitæ conſervationem, & *creavit* quantum ad animam, Deut. 32. Sunt autem bona naturalia figurata per talenta plura vel pauciora commiſſa a domino ſervis ſuis ad lucrificandum, ut habetur parabolice Matth. 25. nam *uni dedit quinque talenta, alteri duo, alii unum tantum*: & poſt certum tempus veniens vocavit eos, ut rationem redderent de lucro.

Unum

[1] Videtur hæc memoriter Auctor ſcripſiſſe: nam apud Gregorium legitur: *Recede a me, mulier; adhuc igniculus vivit; paleam tolle.*

Unum igitur talentum poteſt dici eſſe liberum arbitrium, quod omnibus datur adultis, niſi fatuis, qui non habent reddere rationem. Et hoc ſolo ſine ſanitate corporis & aliis bonis temporalibus poteſt multa facere, ſcilicet ad gratiam ſe præparare, ſi eam non habent. Et certum eſt ſecundum B. Thomam in 4. quod nulli eam ſubtrahit facienti, quod in ſe eſt, & receptam poteſt & debet augmentare; unde Eccleſiaſtici 15. dicitur: *Deus creavit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui*, ideſt poteſtate arbitrii: *poſuit ante eum malum & bonum; ad quod voluerit, extendat manum ſuam.*

Duo talenta ſunt liberum arbitrium quoad animam, & valitudo corporis, quæ a Deo dantur. Unde pſal. 26. *Dominus illuminatio mea*, ideſt cauſſa illuminationis quoad animam & rationem, *& ſalus mea* quoad corporis ſanitatem: & certe magnum eſt illud talentum; quia, ut dicitur Eccleſiaſtici 30. *Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis.*

Quinque vero talenta, intellectiva acuta ad inveſtigandum, & memorativa tenax ad recordandum, æſtimativa ad arbitrandum, imaginativa fortis ad phantaſiandum, ſenſitiva exterior ad exercitandum. Ratio igitur exigetur de intellectiva, ſi circa vana & curioſa ſe exercuit, quia tunc demeruit, aut circa divina præcepta, quia tunc lucratus eſt merita. Unde Eccleſ. 3. *In pluribus operibus ejus ne fueris curioſus, ſed quæ tibi præcepit Deus, illa cogita ſemper.* De memoria inquiretur, ſi fuerit occupata ad recolendum injurias ob vindictam contra illud: *Nec memor eris injuriæ*, Levit. 19. Aut ad recolendum divina beneficia, ſecundum exemplum Iſaiæ dicentis 63. *Miſerationum Domini recordabor*; tunc enim lucratur. De æſtimativa juncta cum ratione, ſi ſe æſtimavit ſupra ſe: nam tunc ratio multum perdidit: ad Gal. 6. *Qui ſe æſtimat aliquid eſſe, quum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Sed habendo rectam æſtimationem de futuro præmio per pœnas conſequendo, & principaliter virtute Dei multum lucratur. Et ſic faciebat Apoſtolus dicens ad Rom. 8. *Exiſtimo, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

De immaginativa cum intellectu juncta ad phantaſiandum circa Scripturarum concordantiam. Pſal. 41. *Abyſſus abyſſum invocat.* Ab altitudine phantaſiæ, ideſt veteris teſtamenti, ubi eſt *abyſſus* quaſi infinitæ ſapientiæ, *invocat abyſſum* novi teſtamenti, & econverſo; quia unum reddit teſtimonium alteri. *Et abyſſus* culparum *invocat abyſſum* pœnarum ex teſtimonio Scripturarum, quod phantaſiæ altitudo concernit, & ſic lucratur. De ſenſitiva exteriori exigitur ratio, ſi uſus eſt rationabiliter, non pueriliter; unde Apoſtolus 1. Cor. 14. *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote*, ideſt non utendo ad malitias peccatorum.

Qui vero duo talenta accepit, ſcilicet ſanum ſenſum ſeu intellectum & corpus, exigetur ratio, ſi intellectu attentione fecit orationes, & audivit divina, & ſi corpus ſpiritui ſubjecit per abſtinentias, moderatas tamen, ſecundum illud Apoſtoli Rom. 12. *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam Deo placentem.*

Qui vero unum tantum accepit, etiam ſi illud non multiplicaverit præparando ſe ad gratiam & vivendo ſecundum eam, ut malus & piger condemnabitur. Qui vero accepta multiplicaverit, bene utendo dicetur ei: *Euge ſerve bone & fidelis*, &c. Matth. 25.

De bonis ſpiritualibus exigetur ratio, quæ utique dantur a Deo, 1. Cor. 12. *Unicuique datur*, ſcilicet a Deo, *manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem.* Et hæc ſunt decem figurata per decem mnas, quas homo nobilis dedit uni ex ſervis ſuis, alteri dans quinque, alteri unam, ut negotiarentur cum eis, ut habetur Luc. 19. parabolice. Novem ex his ſunt gratiæ gratis datæ communes bonis & malis, quas enumerat Apoſtolus 1. Cor. 12. *Diviſiones gratiarum ſunt* &c. Decima gratia, quæ eſt omnibus utilior, eſt gratia gratum faciens. Hæc datur cuilibet in baptiſmo, niſi ponat obſtaculum. Sed gratiæ gratis datæ omnes non dantur ſimul uni communiter, ſed alicui plures, alicui pauciores; alicui autem dantur omnes ſimul cum gratia gratum faciente, ut B. Dominico: habuit enim ſermonem ſapientiæ, ſcilicet ad loquendum ſapide & alte de divinis: ſermonem ſcientiæ ad loquendum efficaciter de humanis & moralibus. Habuit & fidem, ideſt quamdam certitudinem credendorum; quod oſtendit in diſputatione contra hæreticos, præcipue in carta in ignem miſſa & illæſa. Gratia ſanitatum ei non defuit, quia plurimos ex variis languoribus ſanavit. Operatio virtutum in eo refulſit, ideſt in ſignum miraculorum, ut reſuſcitatio mortuorum: prophetiam ſe habere oſtendit, revelatione occultorum, ut de converſione cujuſdam hæretici deputati ad mortem: diſcretio ſpirituum ei affuit, in cognoſcendo inſidias dæmonum ſibi apparentium: genus linguarum, præcipue intelligendo idioma aliorum ſibi ignotum. Interpretatio quoque ſermonum in eo fuit oſtenſa, quod mirabiliter & ſuaviter exponebat myſteria ſcripturarum, unde plures libros poſtillavit. Habuit & gratiam gratum facientem, ut patet ex ſanctitate ejus & operibus virtuoſis; de uſu earum exigetur ratio. Nam qui tantum mnas unum recipit, ideſt gratiam gratum facientem, reddere habet rationem, non ſolum ſi conſervavit, ſed & ſi augmentavit per exercitum virtutum. Propter quod dicebat Apoſtolus 2. ad Cor. 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* In vacuum recipit, ideſt fruſtra, qui in ea ſe non exercet. Unde in illa parabola, quia non multiplicavit eam, qui unam accepit mnam, reprehenſus & ea privatus fuit. Qui recipit aliquas ex gratiis gratis datis, ſed non omnes, figuratur per eum, qui quinque acceperat. Et talis etiam, ſive partem ſive omnes receperit, rationem reddet, quomodo eis uſus eſt, & quo fine, videlicet ſi ad utilitatem proximorum, & honorem Dei, propter quæ dantur, aut propter honorem proprium: 1. Pet. 4. dicitur: *Unuſquiſque prout accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes, ut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Hinc Aug. 1. quæſt. 1. *Prophetavit*, dicit: *Non ſe jactent, qui forte ſine caritate habent ſanctum Dei munus*, ideſt aliquam gratiam gratis datam; *ſed videant, qualem rationem ſint habituri cum Deo, qui ſanctis non ſancte utuntur*; ut Saul malus & Balaam prophetiam habentes.

S. Dominici gratiæ gratis datæ.

Bona temporalia ſunt divitiæ, honores, fama & hujuſmodi, quæ dantur abundanter & mediocriter, & tenuiter ſecundum beneplacitum Dei. Ut enim dicit Ambroſius de divite: *Quando hanc ingreſſus es lucem, quando de ventre matris exſiſti, quibus quæſo facultatibus, quibus ſubſidiis conſtipatus ingreſſus es?* Diſt. 47. *Sicut ii*, quaſi diceret: nullis. Ergo a Deo tibi conceſſa ſunt, non ad diſſipandum, vel tibi retinendum, ſed rationabiliter diſpenſandum tibi & aliis; & de hujuſmodi diſpenſatione ratio exigitur, ut habetur parabolice Luc. 16. de quodam villico, qui diffamatus, quod diſſipaſſet bona Domini ſui, vocatus ab eo ait: *Redde rationem villicationis tuæ.* Ad idem facit, quod ait Auguſtinus: *Homines, quia rationabiles*

ſunt facti, de ſe & de omnibus rebus, quas in uſum vitæ præſentis acceperunt, rationem reddituri ſunt Deo, & pro actuum ſuorum qualitate recepturi ſunt pœnam, aut gloriam, 15. quæſt. 1. *Firmiſſime tene, ſ. Ex eo autem*. Qui igitur tenaces ſunt, & pauperibus non ſubveniunt; male poterunt reddere rationem, ut dives Epulo, Luc. 16. Et qui ea in vanitatibus, in ludis, in conviviis, in pompis conſumunt, deterius eis erit, niſi ſe recognoſcant & doleant, ut filius prodigus, qui *diſſipavit omnem ſubſtantiam ſuam vivendo luxuriose*, Luc. 15. ſed poſtea ad patrem cum humilitate reverſus eſt. Peſſime autem rationem reddere poterunt, qui per fas & nefas acquirunt & retinent talia, ſicut Acham, qui furatus regulam auream & chlamydem, propter hoc lapidatus eſt. Joſue 7.

Quarto exigetur ratio de peccatis admiſſis & dimiſſis. De omni verbo otioſo *reddent homines rationem in die judicii*, Matth. 12. non ſolum univerſalis, ſed & particularis judicii, quod eſt per mortem. Eſt autem verbum mentale, ut cogitatio, vocale ut locutio, manuale ut laboratio. Et de quolibet horum ſi fuerit otioſum, ideſt inutile & infructuoſum punitur. Unde Mich. 2. *Væ vobis, qui cogitatis inutile*. Et multo magis & ſtrictius de locutionibus maledicis, detractoriis, mendaciis, perjuratoriis, incantationibus & hujuſmodi. Quum autem hujuſmodi piiſſimus Deus dimittat revertenti ad pœnitentiam, & toties, quoties exigetur ratio, ſi ipſe ita dimiſit odium offendentibus eum. Nam ſi non dimiſit, ſed cum odio fraterno migravit, acerrime confundetur, & punietur, ſecundum ſimilitudinem datam a Salvatore noſtro, Matth. 18. de ſervo debitore decem millium talentorum, qui quum fuiſſet oblatus domino ſuo in ratiocinio fiendo, & *non haberet unde redderet*, juſſiſſetque dominus ejus eum vendi & uxorem ejus & filios, & ex pretio ſibi ſatisfieri, humiliatus ille promittens ſatisfactionem, datâ ſibi dilatione, dominus ejus dimiſit eum liberum & debitum ejus. Poſtmodum ſervus ille inveniens conſervum ſuum debitorem in centum denariis, quum ille ſe humiliaret, & peteret dilationem ab eo repentente debitum, noluit concedere; ſed miſit eum in carcerem. Quo audito dominus ejus iterum fecit vocari eum dicens: *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi* &c. Demum *tradidit eum tortoribus*. Dominus iſte & rex Deus eſt, debitor decem millium talentorum eſt tranſgreſſor præceptorum, cogitatione locutione vel operatione. Exactio ſeu inquiſitio ratiocinii prima vice eſt per inſpirationem & internam compunctionem, in qua conſideratione videt ſe peccator dignum condemnatione, ut ſcilicet vendatur in ſervum diabolo, ut ſcilicet ei ſubjiciatur in pœnis, & uxor ejus, ideſt voluntas, & filii, ideſt affectus ſui & ſenſus. Sed ſciens divinam pietatem, miſericordiam humiliter petit, proponens in futurum vita comite ſatisfacere de malis ſuis. Ad quam compunctionem & propoſitum ſubito Deus liberat a ſervitute diaboli, & debitum peccatorum relaxat. Sed ingratus homo de tam immenſo beneficio quum poſtea recipit aliquam injuriam a proximo, vel recordatur de alia ſibi facta, non vult ignoſcere, ſed quærit vindictam. Et perſeverando in hujuſmodi crudelitate, Deus ſecundo vocat, ſcilicet per mortem. Et ſi cum tali indiſpoſitione ad tribunal Chriſti accedit, poſt maximam confuſionem, tandem traditur tortoribus carceris infernalis. Et ad hoc facit, quod dicit Auguſtinus: *Qui divini beneficii oblitus ſuas vult vindicare injurias, non ſolum de futuris peccatis veniam non merebitur, ſed etiam præterita, quæ ſibi dimiſſa fuiſſe gaudebat, ei imputabuntur ad pœnam, De pœnit.* Diſt. 4.

Quinto ponit rationem, ſeu exigit de bonis omiſſis, quæ innumera ſunt; propter quod dicit pſal. 18. *Delicta quis intelligit?* quaſi diceret: nullus. Et dicuntur *delicta* peccata omiſſionis, quaſi derelicta, ſcilicet bona, quæ fieri debebant. Et quæ ſint iſta delicta ſeu bona omiſſa, in parte oſtendit in eo, quod ſubdit: *Ab occultis meis munda me* &c. Multa enim ſunt peccata, quæ eo quod ſunt nobis ignota & oblita, omittimus de ipſis agere pœnitentiam. Multa enim ſunt, quæ, etſi in ſe bona ſint, & bona intentione facta, propter aliquam circumſtantiam debitam ibi omiſſam demeritoria ſunt. Quis etiam poſſet intelligere tempus omiſſum, in quo potuit quiſque bona plura agere? De quo inquit Bernardus: Omne tempus ibi impenſum exigetur a te ratio qualiter fuerit expenſum. Secundo erga proximum omittit quis etiam multa, quæ debet facere, ut fraternam correctionem; de qua omiſſione Auguſtinus ait: Si neglexeris corrigere, pejor effectus es eo, qui peccavit. Sed de hac materia fraternæ correctionis habes in 2. parte tit. 9. cap. 5. Similiter omittit quis bona exempla proximo ſuo dare & a ſpecie mali ſibi cavere; propter quod efficitur alteri occaſio ruinæ. Et iſta ſunt delicta aliena, de quibus pſal. 18. *Ab alienis parce ſervo tuo. Ab alienis*, ſcilicet peccatis, quorum ſum occaſio. Tertio omittit quis facere plura bona, ut mundum deſerere, religionem intrare, & alia opera perfectionis facere propter amorem ſuorum, ne diſpliceat eis; propter quod ſubdit propheta ibidem: *Si mei non fuerint dominati*, ſcilicet amici & propinqui: vel etiam quum proponit quis ſenſus ſuos diligenter cuſtodire, ne mors peccati intret per eos, tractus poſtea ſenſualitate omittit illud exſequi, & ſic ſui, ſcilicet ſenſus damnantur ejus. Sed tunc quis erit immaculatus, ut ſubdit Pſalmiſta, ſi ab occultis, & ab alienis, & ſuis liber fuerit peccatis? Hæc converſatio immaculata, ſcilicet libera ab omnibus mortalibus figuratur per veſtem nuptialem, quam quis non habet in nuptiis Eccleſiæ militantis; ſed ſi ſine ea præſentatur ante conſpectum ſuperni judicis, cum ſumma ſui confuſione dicitur ſibi: *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* ut habetur parabolice Matth. 22. Sicut enim illi, qui noluerunt invitati ire ad illas nuptias, ſignificant Judæos, & alios infideles, qui ad nuptias Eccleſiæ, ideſt fidem accedere noluerunt; propter quod igni cum civitate traditi ſunt, ideſt animæ, & poſtea corpora ipſorum; ſic ille, qui nuptiis interfuit ſine veſte nuptiali, ſignificat quemlibet Chriſtianum non habentem virtuoſam converſationem, ſed maculatam, & ob hoc talis etiam mittitur in tenebras exteriores obmuteſcens.

Peccata ignorantiæ.

Sexto exigetur ratio de ſubditis commiſſis. Unde Apoſtolus ad Hebr. ult. *Subditi obedite præpoſitis veſtris..... ipſi enim pervigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris*. Et aliqui quidem rationem reddituri ſunt quantum ad gubernationem œconomicam, ſicut pater & mater de moribus filiorum: non enim minus de animabus eorum curam gerere debent, ne infirmentur per peccata, quam de corporibus, ut ſana conſerventur. Quod quia non fecit Hely, etſi in ſe bonus fuerit, horribili morte multatus eſt, 1. Reg. 4. aliqui rationem reddent de aliis quoad gubernationem polliticam, ſcilicet civitatum, & caſtrorum; & hi rationem habent reddere, & puniri de legibus injuſtis vel injuſte conſtitutis, de malis conſuetudinibus non exſtirpatis, ſi potuerunt exſtirpare, de taleis, & aliis gravaminibus extortis, de ſententiis iniquis, & aliis hujuſmodi. Et, ut dicitur Sap. 6. *Judicium duriſſi-*

rissimum fiet his, qui præsunt. Durum, si non bene rexerint seipsos; durius, si non bene gubernaverint familiam propriam; durissimum, si justitiam legalem omnibus non ministraverint. Alii vero rationem reddituri sunt quoad gubernationem ecclesiasticam, ut prælati Ecclesiæ, videlicet si regimen consecuti sunt canonice, & non per ambitionem vel simoniam: si per se, vel saltem alios populos docuerunt necessaria saluti: si bona Ecclesiarum bene tractaverunt, pauperes sublevando, non in pompis vestium, in mulis, in consanguineis, in ludis, & turpitudinibus male expendendo: si plus de anima subditi, quam de lacte & lana curam habuerunt: si vitia debite correxerunt. Unde 13. quæst. 1. *Ecclesias* dicitur de talibus: *Unusquisque terminis suis sit contentus, & taliter Ecclesiam & plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal judicis æterni ex omnibus sibi commissis rationem reddat, & non judicium, sed gloriam pro suis actibus percipiat*. Unde & Dominus dixit Luc. 12. *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus super familiam suam?* quasi diceret: Rarus. *Sed beatus ille servus, quem quum venerit Dominus, inveniet ita facientem*, scilicet fideliter & prudenter. Sed si secus fecerit, *veniet dominus..... hora, qua nescit, & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet*.

De tertio novissimo postremæ sententiæ.

§. V. Tertium & novissimum, quod est memorandum, est post rationem redditam coram Christo judice sententiæ illatio. Est autem super omnia hoc horrendum, & expavendum; quia, ut dicitur Eccles. 11. *In quamcumque partem lignum ceciderit, sive ad Austrum sive ad Aquilonem, ibi erit*. Et loquitur de ligno seu arbore rationali, quæ tunc cadit, quum moriens sententiam recipit, scilicet vel eundi *ad Aquilonem*, idest ad infernum: *ab Aquilone* enim *pandetur omne malum*, Hierem. 1. vel *ad Austrum*, ubi est calor signans caritatem, vel *ad Austrum*, scilicet paradisum actu vel aptitudine recipiendum; & *ibi* semper *erit* secundum ea, quæ hic operatus est, sententiam reportando. Unde psal. 61. dicitur: *Potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua*. Potestas absoluta & universalis in eo est ad faciendum de creatura ad placitum suum, nec est qui de manu sua possit eruere. Potestas in ipso est ad puniendum peccatores. Inest sibi & misericordia ad remunerandum bonos ultra condignum, & puniendum malos citra condignum. Reddet unicuique, non secundum opinionem hominum, quæ sæpe errat, sed *secundum opera sua*. Unde &, ut habetur parabolice Matth. 25. fatuæ virgines quinque, quæ similes prudentibus videbantur, aliam sententiam reportarunt, quam illæ signantes animas quinque sensibus deditas, unde & fatuas. Nam quia non portaverunt secum oleum in vasis, idest caritatem in conscientiis, quum habuerunt occurrere sponso, scilicet ipsi judici Christo, eis novissime venientibus, idest pro reportatione sententiæ, *clausa est janua*, & dictum est eis: *Nescio vos*. Multum terret sanctos ista consideratio. Nam ut dicit Gregorius: *Multa sunt, quæ de Dei judicio homines ignorant; quia fortasse quos vos laudatis, ille reprehendet, & quos vos reprehenditis, ille laudabit*. Et loquitur Gregorius sic scribens Mauritio Imperatori, 11. quæst. 1. *Sacerdotibus*. Unde in vitis Patrum quum abbas Agathon esset in extremis, ostendebat se multum timere: cui circumstantes quum interrogarent, quare timeret, quum per sexaginta annos semper Deo servisset cum magna abstinentia, dixit ille: Laboravi juxta fragilitatem meam in servitio Dei: sed quia alia sunt judicia Dei, quam nostra; ideo timeo. Aliquando putamus Deo placere, ubi demeremur propter aliquem defectum nobis ignotum. Unde & Job 9. *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti*.

§. VI. Et ad hoc etiam facit, quod dominus procuratori vineæ dicit: *Voca operarios, & redde illis mercedem*, Matth. 20. Ubi tria notantur, primo

Nostra migratio, ibi: *Voca*.

Varia hic exercitatio, ibi: *Operarios*.

Operis retributio, ibi: *Redde illis mercedem*.

De vocatione Dei triplici.

Quantum ad primum dicit Job 14. *Vocabis me*, scilicet per mortem, *& respondebo tibi* hinc migrando. Et ut dicit Cyprianus, *De pœnit.* Dist. 1. *Numquid Cain: Qualem te invenit Dominus, quum vocat, talem te judicat*. Vocat autem ipse Deus prius nos in vita præsenti ad laborandum in vinea Ecclesiæ, & varie. Nam aliquos vocat ad necessariorum observationem, aliquos ad perfectorum conversationem, aliquos ad plurimorum gubernationem.

Ad observantiam legis.

Et de primo potest illud intelligi psal. 49. *Deus de cælo Dominus locutus est, & vocavit terram*, idest hominem: & hoc: *A solis ortu usque ad occasum*, idest a principio, quo sol intelligentiæ oritur ei, *usque ad occasum* senectutis. Vocat autem ad tria observanda omnibus necessaria, scilicet ad fidem credendorum, spem æternorum, & dilectionem Dei & proximorum. Et de his in figuram dixit Moyses, Exodi 3. *Dominus Deus Hebræorum vocavit nos, via trium dierum ibimus in solitudinem*, scilicet vitæ præsentis. *Via trium dierum* est opera illarum trium virtutum; & sic immolamus Deo nostrum sacrificium sibi gratum spiritualiter. Nam de fide dicit B. Petrus in 1. canonica sua cap. 2. *De tenebris*, scilicet infidelitatis, *nos vocavit in admirabile lumen suum*, scilicet fidei. De spe dicit idem Apostolus 1. Petr. 5. *Deus vocavit nos in æternam gloriam suam*, scilicet ad sperandum eam. De caritate, 1. Cor. 1. *Vocati estis in societatem filii ejus*, quod utique est per caritatem. Facit autem istam vocationem tripliciter, scilicet per internam inspirationem, per beneficam largitionem, & variam flagellationem. Quæ tria notantur Prov. 1. *Vocavi vos*, scilicet per internam inspirationem, juxta illud Apost. 3. *Sto ad ostium, & pulso. Sto ad ostium*, scilicet ad portam intellectus & voluntatis, *& pulso* per instigationem ad bona opera; *sed renuistis*, subdit Deus, *expandi manus meas, nec fuit, qui aspiceret*, quoad secundum, scilicet largitionem beneficiorum. *Expandit manus* in creando, secundum illud psal. 118. *Manus tuæ, Domine, fecerunt me*. *Expandit* in cruce redimendo, psal. 140. *Elevatio manuum mearum*, &c. *Expandit* in gubernando; sed non est, qui aspiciat recognoscendo. Et inter alia beneficia dat consilia & monita per prædicationes. Sed *despexistis*, inquit sapientia, quæ Deus est, *omne consilium meum*. Vocat per flagella. Gregorius in Homil. Ecce tot flagellis atterimur, tot animarum asperitatibus deterremur; & tamen vocantem, scilicet per hæc flagella, sequi contemnimus. Et hoc est, quod subdit sapientia: *Increpationes meas*, scilicet per flagella, *neglexistis* non emendando vos. Et subdit malum proveniens in non audiendo, & sequendo tales vocationes: *Ego*, inquit, *in interitu vestro*, scilicet mortis æternæ, *ridebo; &* ideo Apostolus hortabatur dicens, Ephes. 4. *Obsecro vos... ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis*.

Ad statum perfectionis.

Quantum ad secundum, vocationem scilicet ad statum perfectionis, dicit Isai. 41. *Vocavit ab oriente justum, ut sequeretur se*. Et loquitur de Abraham

ham, cui Dominus dixit, Geneſ. 17. *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Vocavit autem eum ab oriente, quando ſibi dixit: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi*, Gen. 12. Hæc terra figurat ſtatum religionis, & perfectionis, ad quam quis vocatus debet tria facere in illis verbis notata.

Debet enim primo egredi *de terra*, ideſt de affectu terrenorum, ut non ſolum non habeat quid proprium, ſecundum illud Auguſtini: *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia*, 12. quæſt. 1. *Non dicatis*; ſed abrenuntiat affectui inordinato omnium temporalium, honoris, potentiæ, gloriæ & hujuſmodi.

Secundo debet egredi *de cognatione ſua*; de hac cognatione dicit Job 17. *Putredini dixi: pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus.* Oportet ergo etiam deſerere patrem appetitus ſenſualis, qui non quærit niſi putrida, ideſt corruptibilia, & matrem curioſitatis ſenſitivæ, & ſorores & fratres paſſionum impugnantium, ac etiam affectum parentelæ carnalis. Unde Ambroſius: *Hæc eſt vera ſæculi fuga, alienatio cariſſimorum, & abdicatio domeſticorum, ut ſuis ſe abneget*, 12. quæſt. 1. *Cui portio.*

Tertio egredi oportet *de domo patris ſui.* Primus pater noſter, quum terram ingredimur, eſt diabolus, cujus per originale peccatum filii dicimur. Domus ejus propria voluntas, & ſuperbia, quam continue inhabitat. Et hanc etiam oportet deſerere per humilitatem & veram obedientiam. Et hanc vocationem, quum ſit ad terram promiſſionis, ideſt vitam æternam, ut dicit Pet. in 2. canonica ſua 2. *Satagite, ut per bona opera certam vocationem veſtram faciatis.*

Tripliciter autem vocat Deus ad hujuſmodi ſtatum. In cujus figuram Samuel divino cultui mancipatus ter fuit a Domino evocatus, ut habetur 1. Reg. 3. Aliquos enim vocat ad hujuſmodi ſtatum ob alicujus miſeriæ evaſionem; & ſic fuit vocatus Abbas Moyſes, ut habetur in collationibus patrum. Nam quum feciſſet furtum, & quæreretur ad mortem, ut evaderet, habitum religionis aſſumſit; ſed poſtea timore ſervili depoſito magnum apicem perfectionis apprehendit. Secundo aliquos vocat per doctrinæ eruditionem; & ſic vocatus fuit B. Antonius, quum audivit in Eccleſia legi, *ſi vis perfectus eſſe*, &c. Sic & Barnabas, & plures alii diſcipuli profecti ſunt ad prædicationem Apoſtolorum, Act. 4.

Tertio vocantur alii per ſpecialem revelationem, ut Paullus, qui de ſe dicit: *Quum placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret in me filium ſuum*, &c. ad Galat. 1. Sic etiam ut habetur in Vitis fratrum de quodam ſtudente Bononiæ, quod in ſomno viſum eſt ſibi eſſe ſupra pratum latiſſimum, & quum ſuperveniente maxima tempeſtate huc illucque fugiendo diſcurreret, nec recipi potuiſſet in domo, ubi habitabat veritas, nec in domo juſtitiæ, nec etiam miſericordiæ; demum ad domum pacis veniens conſuluit ſibi ad evadendum mortem, quod iret ad domum prædicatorum: ex qua viſione intellecta ille factus eſt frater. *Videte* ergo *vocationem veſtram*, ait Apoſtolus 1. Corinth. 1.

Ad aliorum gubernationem.

Quantum ad tertium dico, quod vocantur aliqui ad aliorum gubernationem, ſcilicet per prælationem. Unde ad Hebr. 5. *Nec quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Non dixit: *Qui ſe ingerit*, ſed *qui vocatus eſt a Domino.* Unde Gregorius: Sicut qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris altaribus eſt admovendus; ſic qui ultro ambit, vel importune ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus, 8. quæſt. 1. *In ſcripturis.* Et ſicut ipſi apoſtoli, qui fuerunt primi prælati Eccleſiæ, ter fuerunt a Domino evocati, ut patet Joann. 1. Matth. 4. Luc. 5. ſic etiam vocatur quis a Domino in prælatione tripliciter, videlicet vel per canonicam electionem, de qua extra *De elect.* cap. *Quum in cunctis*, & cap. *Quia propter*; vel per ſuperioris ex ſe impoſitionem, vel per divinam revelationem, ut contigit B. Nicolao, & B. Severo, & Ambroſio. Et in tali vocatione debet quis aſſimilari Aaron in ſua vocatione, ut videlicet ſicut virga Aaron fronduit, floruit, fructus produxit; ita & prælatus abundet in frondibus ſanæ doctrinæ, in floribus modeſtiæ & bonæ famæ, in fructibus operationis virtuoſæ. Sed heu! quia poteſt dici illud Salvatoris: *Multi ſunt vocati*, in iſtis variis vocationibus, ſcilicet neceſſariæ obſervationis, religionis, & prælationis; *pauci vero electi*, Matth. 22. quo ſcilicet ad conſecutionem præmii. Et hoc, quia impediuntur vel per carnalia opera, vel per divitias nimis amatas, vel per curioſitatem & ſuperbiam, ſunt figurati per eos, qui vocati ad cœnam, noluerunt accedere, ut habetur parabolice Luc. 14. de quibus dicitur: *Nemo virorum illorum*, qui invitati fuerunt, venire voluerunt; & ideo *non guſtabunt cœnam meam.* Ubi notatur & humana iniquitas in non veniendo, ibi: *Nemo virorum illorum.* Et divina benignitas in accerſendo, ibi: *Qui vocati ſunt.* Et ſecutura infelicitas, ibi: *Non guſtabunt cœnam meam*, de qua Apocalyp. 19. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.*

Homo naſcitur ad laborem 1.

§. VII. Quantum ad ſecundum, ubi ſcilicet dicitur: *Operarios*, notatur humana exercitatio. *Homo* enim *naſcitur ad laborem, & avis ad volandum*, ut dicitur Jobi 5. Unde & de primo parente noſtro Adam dicitur Geneſ. 2. quod *Deus poſuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur.* Vinea autem, in qua operantur homines, ſignat Eccleſiam ſecundum Gregorium & alios doctores Eccleſiæ. Et hæc vinea plantata fuit in lege naturæ. In cujus figuram legitur, quod *Noe cœpit exercere terram, & plantavit vineam*, Gen. 9. Poteſt etiam ſignificare animam. *Vinea Domini exercituum domus Iſrael eſt*, Iſai. 5. *Domus Iſrael* ad litteram erat populus judaicus, qui deſcendit ab Iſrael, qui alio nomine vocatus eſt Jacob. Et in illa familia Jacob remanſerat verus cultus Dei, & conſequenter Eccleſia, aliis declinantibus ad idololatriam nationibus. Spiritualiter autem *domus Iſrael* eſt congregatio fidelium bonorum, qui Deum vident viva fide. Iſrael enim interpretatur *videns Deum*, & Jacob *ſupplantator*, ſcilicet vitiorum; & utrumque fit viva fide. Hæc autem vinea habuit initium ſecundum Gregorium ab Abel juſto: quamvis enim primi parentes, ut creditur, egerint pœnitentiam de peccato inobedientiæ ſuæ, ut dicitur *De pœnit.* Diſt. 1. *Sicut primi*, & ſic pertinuerint ad vineam iſtam; non tamen dicitur inchoaſſe in eis, quia primi fuerunt ad deſtruendum, ne videatur initium habuiſſe a peccatoribus, & habebit finem in ultimo juſto. Et ſciendum, quod ipſi boni fideles cujuſcumque nationis & temporis, & vinea dicuntur, & cultores vineæ diverſo reſpectu. Vinea ſunt, in quantum coluntur, & exercentur a Deo, a ſeipſis per liberum arbitrium, & a ſuperioribus ſuis. Cultores ipſius vineæ dicuntur, in quantum exercent potentias animæ ſuæ, & proximos ſuos monitis & exemplis. Sicut etiam dicitur domus Dei fideles boni, & habitatores ipſius domus, ut dicit Hieronymus; tranſplantata autem eſt ſub lege Scripturæ ſeu Moſaica,

Cultores vineæ quales.

ca; & de hoc pſal. 79. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, ejeciſti gentes, & plantaſti eam.* Quando videlicet Dominus populum Judæorum, qui erat in Ægypto ſub ſervitute Pharaonis eductum ſub Ægyptiaca ſervitute, data ei lege in deſerto conduxit in terram promiſſionis, proſtratis, & devictis nationibus Cananeorum, qui ibi habitabant. Fuit autem multiplicata, & mirabiliter dilatata per orbem iſta vinea tempore gratiæ per Apoſtolos Dei virtute. Unde pſal. 79. *Dux itineris fuiſti, in conſpectu ejus, plantaſti radices ejus, & implevit terram.* Dicitur autem vinea quodammodo itinerare, dum paullatim creſcit, & extenditur. Sic Eccleſia ex ubertate palmitum procedentium a Chriſto & Apoſtolis mundi jam cinxit abitum. Radices autem plantavit, quando A
B Apoſtolos in diverſis locis poſuit ad prædicandum & fructificandum; & ſic *implevit terram*, & appellata eſt vinea iſta. Plantavit autem vineam iſtam Dominus Deus; ſicut ipſe ait Hierem. 2. *Ego te plantavi vineam electam, omne ſemen verum*, ſcilicet virtutum in te ponendo.

Triplex proviſio Eccleſiæ.

Providit autem ei de tribus ad utilitatem ipſius, ut habetur parabolice Matth. 21. videlicet de cuſtodia Angelorum, qui figurantur per *ſepem*, quam *circumdedit* ipſi vineæ, ut ibi dicitur: quamvis enim ſingulis hominibus fidelibus & infidelibus ſint ad cuſtodiam ſingulares Angeli deputati; ultra hoc tamen ſpecialiori modo & diligentiori Eccleſiæ aſſiſtunt ad cuſtodiam,
C & defendendum a contrariis, ut patet in veteri & novo teſtamento per multa exempla, ut de Angelo, qui præcedebat populum Hebræorum in ſuis itineribus, Exod. 14. Et de Angelo, qui eripuit Petrum de carcere, & de manu Herodis, Act. 12.

Secundo providit de regimine ſpirituali ſacerdotum; quod figuratur in illa parabola per *turrim* in medio vineæ ædificatam, ad intuendum, & oſtendendum inſidias inimicorum; quod tanto melius agunt, quanto altiores ſunt ſanctitate & peritia. Et in lege naturæ primogeniti erant ſacerdotes, ut dicit Magiſter in hiſtoria Scholaſtica: & de Melchiſedech, qui erat rex Salem, & obtulit Abrahæ panem & vinum in figuram excellentiſſimi ſacramenti Eccleſiæ, dicitur quod *erat ſacerdos Dei ſummi*, Gen. 14. quem Hebræi dicunt eſſe primogenitum Noe, ſcilicet Sem. In lege Moſaica primus ſacerdos & pontifex fuit Aaron offerens panes cum aliis ſacerdotibus Deo ſuo, & ſacrificia in ſignum veri ſacrificii Jeſu Chriſti. In lege gratiæ primus ſacerdos & pontifex ſummus poſt Chriſtum fuit Petrus Apoſtolus. Et licet multi ſacerdotes, & prælati fuerint, & ſint mali, de quibus Hierem. 12. *Paſtores demoliti ſunt in vineam meam*, ſcilicet malis exemplis; tamen monitis & ſacramentis cuſtodiunt vineam Eccleſiæ.

Tertio providit de declaratione agendorum, & per hoc leges deſignatas per *torcular*. Nam ſicut torcular premit, & premendo ſeparat vinum a ſuperfluitate corticis uvæ; ita lex premit conſcientiam, & remordendo ſeparat virtutes a vitiis, virtutes conſervando, vitia abjiciendo. Agebat hoc prius lex naturalis ex inſtinctu rationis. Sed quum quaſi deleta eſſet talis lex ſcripta in cordibus propter abundantiam iniquitatis, ut legere neſcirent in ea, addidit plantator hujus vineæ Eccleſiæ Dominus Deus legem Moſaicam, ſcribendo in tabulis lapideis legem decem præceptorum, quæ dictat ratio naturalis. Et quia in proceſſu temporis Scribæ & phariſæi perverterant verum intellectum ipſius legis cum ſuis falſis expoſitionibus, ut patet Matth. 5. 6. & 7. capitulis; ideo Chriſtus ſuperaddidit legem evangeli-
A cam, legem amoris, auferendo falſas expoſitiones divinæ legis, & evacuando cæremonialia per adimpletionem in ſe, & populo ſuo, ac etiam addendo conſilia.

Diverſi ſunt operarii in vinea Domini.

§. VIII. Operarii autem in hac vinea ſunt non ſolum prælati, ſed & quicumque alii. Sed tripliciter operantur homines erga vineam iſtam.

Aliqui nequiter ad devaſtandum.

Aliqui excellenter ad fructificandum.

Aliqui ſegniter ad degenerandum.

Primi operarii ſunt mali, de quibus pſal. 79. *Vindemiant eam*, ſcilicet vineam, *omnes, qui prætergrediuntur viam: exterminavit eam aper de ſilva: ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Ubi notantur tria genera devaſtantium vineam Eccle-
B ſiæ, & his omnibus redditur merces æternæ damnationis, ſicut Judas *recepit mercedem iniquitatis.*

Tres ſunt vineam domini devaſtantes.

Et primi ſunt omnes hypocritæ, & ſimulatores, ibi: *Vindemiant eam.*

Secundi ſunt tyranni & perſecutores, ibi: *Exterminavit eam aper de ſilva.*

Tertii hæretici, & perverſores, ibi: *Singularis ferus depaſtus eſt eam.*

Mali Chriſtiani.

Primi ſunt omnes, qui habent fidem ſine operibus, quæ mortua eſt; & ſic quum nomen habeant, quod vivant ratione Chriſtianiſmi; tamen mortui ſunt ex defectu operum, ut dicitur Apocal. 3. Hi *prætergrediuntur viam* mandatorum Dei, & *vineam vindemiant*, quærentes fructum ſibi,
C non Deo: *ſibi*, ideſt ſuæ ſenſualitati. Et qui ſint ibi hypocritæ facientes contra juſtitiam, qua colitur vinea Eccleſiæ, & qui ſint tales, inſinuat Cyprianus in libro de duodecim abuſionibus, dicens: Sapiens ſine operibus, ſenex ſine religione, adoleſcens ſine obedientia, dives ſine eleemoſyna, femina ſine pudicitia, dominus ſine virtute, chriſtianus contentioſus, pauper ſuperbus, rex iniquus, epiſcopus negligens, plebs ſine diſciplina, populus ſine lege; per hæc, inquit, ſuffocatur juſtitia, quæ eſt omnis virtus.

Sapiens hic dicitur peritus in aliqua ſcientia, præcipue morali, & theologica. Et quum finis talis ſcientiæ ſit opus bonum, propter quod dicit Chriſtus Joann. 13. *Si hæc ſcitis, beati eritis,*
D *ſi feceritis ea*; peritus igitur non habens opera virtuoſa, abutitur ſcientia, & deſtruit operibus ſuis malis, ſeu furatur fructum vineæ Domino, pluſquam alii imperiti, quia ad horum exempla multum attenditur.

Ætas ſenectutis, vita immaculata, ut dicitur Sap. 4. ſcilicet eſſe debet, tum quia naturaliter paſſiones in ea mortificantur, tum quia exemplum ceterorum ut juvenum eſſe debet ſenex, tum quia pedem habet in fovea; & ideo ſollicitiſſimus in operibus religionis chriſtianæ, ſcilicet orare, viſitare Eccleſias, frequenter confiteri, & communicare, prædicationes frequentare, & hujuſmodi. Quod ſi non fecerit, ſed inſiſtit lucris, laſciviis, tabernis, & hujuſmodi, utique
E ſe & alios ſuo exemplo deſtruit vineam. Et ſibi poteſt illud invehi: *Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua*, Dan. 13. ideſt nunc punientur.

Tertia abuſio eſt adoleſcens ſine obedientia. Nil ita neceſſarium & utile adoleſcenti, ſicut ſubjici ſuis majoribus, & obedire. Propter quod dicitur Thren. 3. *Bonum eſt viro, ſi portaverit jugum ab adoleſcentia ſua*, ſcilicet ſubjectionis & obedientiæ. Sicut enim virgula viridis flecti poteſt ad omnem partem de facili, ſicut cera mollis omne ſignum ſigilli apta eſt recipere; ita & mens adoleſcentis faciliter flectitur ad bonum vel malum, & recipit diſpoſitionem virtutum vel vitiorum, ſecundum ejus converſationem. Unde ſi

egre-

egreditur terminos obedientiæ & ſubjectionis, ſequens proprium judicium & libertatem, abutitur ſua adoleſcentia, & diſponitur ad perditionem; juxta illud Prov. 22. *Adoleſcens juxta viam ſuam ambulans, quum ſenuerit, non recedet ab ea*, ideſt ſi ſequitur propriam voluntatem, & in hoc perſeverat, poſtea ita obdureſcit, quod neſcit ab ea recedere, niſi in ipſa adoleſcentia ad pœnitentiam revertatur, & obedientiam, ſicut egit ab adoleſcentia prodigus poſt conſumtionem ſubſtantiæ reverſus ad domum patris, ut habetur Luc. 15.

Quarta abuſio eſt dives ſine eleemoſyna, quum Dominus Deus concedat abundantiam bonorum temporalium aliquibus, ut dent pauperibus eleemoſynas, ut ſic facientes ſibi amicos de Mammona iniquitatis, recipiantur in æterna tabernacula: Si pauperibus non ſubveniunt, abutuntur ſubſtantia ſua vindemiantes vineam Eccleſiæ, in quantum reputantur indigentibus illa bona auferre, quæ eleemoſynaliter ipſi potuiſſent & debuiſſent concedere, ut notat Ambroſius Diſt. 47. *Sicut ii*. Unde Apoſtolus ſcribit Timotheo dicens: *Divitibus hujus ſæculi præcipue.... bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*, 1. ad Timot. 6.

Quinta abuſio eſt ſemina ſine pudicitia. Importat autem pudicitia honeſtatem in actibus & geſtis exterioribus, quam maxime decet mulieres habere, juxta illud 1. ad Tim. 3. *Mulieres ſimiliter oportet eſſe pudicas, non detrahentes, ſobrias*: dicitur autem pudicitia a pudore, ideſt verecundia; & hanc, ſcilicet verecundiam, permaxime natura conceſſit mulieribus tamquam optimum frænum ad reprimendum laſcivias & vanitates ejus. Unde Eccleſiaſtici 26. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata*. Si ergo mulier pudicitiam dimittit, abutitur conditione ſua & ſuis levitatibus, tripudiis, cantilenis, fucis, ornatibus, & aliis modis vindemiat vineam Eccleſiæ, a multis auferens fructum ſalutis.

Sexta abuſio eſt dominus ſine virtute: qui aliquos regit temporaliter ſive ſervos, ſive familiam, ſive communitatem, dominus dici poteſt. Sed ut dicit Salvator Joann. 8. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. Quum autem quælibet virtus patiatur detrimentum ab uno vitio ſecundum Auguſtinum, *De pœnit.* Diſt. 5. can. 1. quinimmo & expellatur a vitio directe ſibi oppoſito & contrario, ſicut ſanitas repellitur per infirmitatem, & lux per tenebras; ideo ſi dominus, ideſt quicumque rector alterius ſit ſine virtute, ſervus erit, non dominus, & abutens ſuo dominio, & vindemiabit Eccleſiam, ſuo malo exemplo ſibi ſubditos ad prava inducens: qualis enim dominus, tales & miniſtri ejus.

Septima abuſio eſt Chriſtianus contentioſus. Nomen Chriſtiani derivatum eſt a Chriſto, quod eſt nomen mititatis & pacis, & Chriſtus non contendit, neque litigavit cum quoque, & ad contentionem vitandam tunicam auferenti non ſolum non repetere mandavit, ſed & palium dimittere, Matth. 5. hinc & Apoſtolus ait 1. Cor 11. *Si quis videtur inter vos contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, ſed neque Eccleſia Dei:* & Gregorius in Homil. Melius puto fore, ſalva fide, aliorum intellectui credere, quam contentionibus deſervire. Qui ergo contentionibus vacat Chriſtianitate abutens, vineam Eccleſiæ fructu ſpirituali ſpoliat.

Octava abuſio eſt pauper ſuperbus. Paupertas ſive in temporalibus ſive in ſpiritualibus eſt conditio dejectionis & vilificationis. Unde datur homini occaſio quaſi urgens ad ſe humiliandum, & per ipſam humiliationem ſibi procurant & acquirunt vitam æternam, ſecundum illud Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu*, ideſt humiles, *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Sed ſi pauper ſe exaltet, & deſtitutus bonis ſpiritualibus ſe aliis præferat, & velit ab hominibus honorari, abutitur conditione ſua, & ſibi ac pluribus nocet.

Nona abuſio eſt rex iniquus, ut dicit Auguſtinus in lib. 4. de civit. Dei cap. 4. Remota juſtitia, regna non ſunt aliud, niſi magna latrocinia. Spectat igitur ad dignitatem regiam juſtitiam ſervare, & idem ſuis miniſtris imponere. Unde Sap. 6. dicitur: *Audite reges, & intelligite.... quoniam data eſt poteſtas a Domino vobis, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur; quoniam quum eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis, neque cuſtodiſtis legem juſtitiæ*. Et ſubdit: *Horrende & cito apparebit vobis*. Injuſtitia vero eſt quædam inæqualitas. Dicitur autem rex iniquus, ideſt non æquus. Eſt autem æquitas juſtitia dulcore miſericordiæ temperata. Quia ergo in regendo non ſervat juſtitiam, terribiliter vindemiat vineam, deſtruens Dei Eccleſiam.

Decima abuſio eſt epiſcopus negligens. Secundum Auguſtinum Epiſcopus nomen eſt Græcum, derivatum ab *epi*, quod eſt ſupra, & *ſcopos*, quod eſt intentio, videlicet quia multum vigilanter debet intendere gregi ſuo, 8. quæſt. 1. *Qui epiſcopatum*. Unde Dominus ad Ezechielem ait in perſona cujuslibet prælati Eccleſiæ, Ezech. 3. *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael.... Si dicente me ad impium: morte morieris; non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via ſua impia, & vivat; ipſe impius in impietate ſua morietur, ſanguinem vero ejus de manu tua requiram*. Nam ut dicitur per Leonem papam, Diſt. 86. can. 1. *In ſeriorum ordinum culpæ, ad nullos magis referendæ ſunt, quam ad deſides negligenteſque prælatos, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorem diſſimulant adhibere medicinam*. Epiſcopus ergo ſi eſt negligens abutens officio ſuo, vineam Eccleſiæ vindemiat, fructum temporale inde ſibi vendicans, & de ſalute animarum nihil curans.

Undecima abuſio eſt plebs ſine diſciplina. Diſciplina aliquando ſumitur pro doctrina, aliquando pro correctione vel morum compoſitione; & his omnibus plebs indiget. Unde Salomon, Proverb. 1. *Fili, audi diſciplinam patris tui*, ideſt doctrinam patris, videlicet non ſolum carnalis, ſed magiſtri, & prælati, & ſenioris de bono te inſtruentis. Quum enim anima naſcatur ut tabula raſa, niſi doctrinam ſuſcipiat, ignoranter & beſtialiter oportet, ut vivat. De diſciplina autem correctionis ſive flagelli dicit Apoſtolus ad Hebr. 12. *Si extra diſciplinam eſtis... adulteri, non filii eſtis*. Si enim homines, & præcipue plebes, quæ modicam habet & prudentiam & maturitatem, proſperantur, & ſine flagellis ſe reperiunt, abutuntur proſperitate, & in multa mala incidunt.

Duodecima abuſio eſt populus ſine lege; quod intelligendum videtur quoad ejus obſervationem. Nam pauci populi ſunt, præcipue inter fideles, qui leges aliquas non habeant, ſed pauciſſimi obſervant. Et ſimiles eſſe videntur telis aranearum, quibus capiuntur muſcæ; ſed a majoribus animalibus lacerantur, quum tamen Auguſtinus dicat: *Quicumque legibus imperatorum, quæ pro Dei voluntate (alias veritate) feruntur, obtemperare non vult, acquirit ſibi magnum ſupplicium*, Diſt. 9. can. 1. Hi ergo omnes mali Chriſtiani, unde & hypocritæ nequiter operantur in vinea Eccleſiæ.

Leges ſunt ſimiles telis aranearum.

Sed

Sed demum dicetur eis a Chriſto: *Non novi vos, diſcedite a me operarii iniquitatis*, Matth. 7. Et loquitur ibi de falſis prophetis, qui ſecundum Origenem ſignificant hypocritas.

Perſecutores.

Secundi nequiter operantes in vinea Eccleſiæ ſunt perſecutores, de quibus poteſt intelligi illud Jobi 15. *Lædetur quaſi vinea*, ſcilicet Eccleſia, *in primo flore*, hoc eſt in primitivo ſuo ſtatu. Quæ læſio præcipue facta fuit a tyrannis infidelibus. Unde pſal. 79. in prædicta auctoritate ſubdit: *Exterminavit eam aper de ſilva. Aper*, qui eſt animal ferox & ſilveſtre dilacerans & comminuens, quæ ſibi occurrunt, ſignat Romanorum imperium, quod alia dominia dilacerans, ſibi ſubjugavit, & hic *de ſilva*, ideſt de gentilitate infructuoſa. Hoc autem imperium *exterminavit*, quantum in ſe fuit, vineam Eccleſiæ, quærendo ipſam deſtruere, & ponendo extra terminos mundi per plures tyrannos imperatores. Unde & Auguſtinus 18. de civit. Dei, refert Eccleſiam Dei decem magnas perſecutiones fuiſſe paſſam ad imperatoribus Romanis figuratas per decem plagas Ægypti, & ei unam tantum reſtare, ſcilicet eam, quæ erit tempore Antichriſti, poſtquam liberabitur Eccleſia plene de ſervitute mundi & diaboli, ſicut per undecimam plagam, videlicet ſubmerſionis Pharaonis cum exercitu ſuo in mari rubro, plene liberatus eſt populus Dei de Ægyptiaca ſervitute. Prima igitur computatur ſub Nerone Imperatore, ſub qua principes Apoſtolorum Petrus & Paullus martyrio coronati ſunt cum aliis multis. Secunda ſub Domitiano, in qua Joannes Evang. poſt martyrium, quo miſſus fuit in dolium olei ferventis, ſed illæſus exivit, in inſulam Pathmos relegatus fuit. Tertia ſub Trajano, in qua Clemens in mari ſubmerſus eſt. Quarta ſub Antonino. Quinta ſub Severo. Sexta ſub Maximiano. Septima ſub Decio. Octava ſub Valeriano. Nona ſub Aureliano. Decima ſub Diocletiano, & Maximiano. Non autem negat ipſe Auguſtinus, ſeu reprobat, quod iſtas decem perſecutiones paſſa fuit Eccleſia; ſed hoc reprobat, quod ſolum iſtas decem tantum fuerit paſſa, quum ſuſtinuerit multas alias diverſis temporibus. Et præcipue narrat ipſe Auguſtinus ibidem & de aliis duabus factis ab Imperatoribus Romanis, ſcilicet a Juliano Apoſtata, & Valente Arriano fratre Valentiniani. Sub his autem duodecim perſecutionibus exterminata eſt vinea Eccleſiæ quantum ad aliquos in parte, quia videlicet timore tormentorum a fide receſſerunt. Exterminata eſt corporaliter, ſeu quoad vitam præſentem, quantum ad innumeros fideles, qui pro fide martyrio coronati ſunt. Sed plantatis radicibus, ideſt mortuis, & ſub terra poſitis ipſis martyribus, qui erant præcipui in Eccleſia, impleta eſt terra fide Chriſti, quia mirabiliter dilatata eſt Eccleſia per orbem. Unde pſal. 128. loquens in perſona Eccleſiæ de hujuſmodi perſecutionibus ſuis ait: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea*, ideſt in ſtatu primitivo meo; *dicat nunc Iſrael*, ideſt populus Dei. Interpretatur enim Iſrael videns Deum, quod Eccleſiæ congruit per fidem. *Etenim non potuerunt mihi*, ſcilicet auferre fidem & caritatem. Sed *ſupra dorſum meum*, ideſt fideles, quos ſuſtineo, *fabricaverunt*, ſcilicet coronas perpetuas, per percuſſiones ſuppliciorum, *peccatores*, ſcilicet ipſi infideles perſequentes & impugnantes, *prolongaverunt iniquitatem ſuam*, ſcilicet augendo peccata ſua. Sed demum Deus *concidit cervices peccatorum* ipſorum perſequentium, ſuperbiam illorum annihilando, & de mundo ſublatos deputando damnationi. Unde & ipſi fideles conſtantes in fide figurati ſunt per Naboth Nabutheum, qui quum noluiſſet vineam ſuam tradere Achab regi idololatræ petenti, demum falſe accuſatus injuſte occiſus eſt.

Eccleſia habuit decem perſecutiones, & undecima erit ſub Antichriſto.

Sed ipſe Achab cum omni domo ſua ad nihilum redactus eſt, 3. Reg. 21. Sic & prælati Eccleſiæ, & alii veri fideles, nec precibus, nec minis aut terroribus tyrannis acquieverunt, ut vineam Eccleſiæ traderent in manibus eorum, acquieſcendo ſcilicet perfidiæ eorum, uſque ad acerbiſſimam mortem reſiſtendo. Et licet aliquando viderentur Eccleſiam, ideſt fideles, ad placitum poſſidere; demum ipſis regibus & tyrannis miſerabiliter de medio ſublatis, vinea Eccleſiæ in ſua libertate permanſit. Et ut dicitur 1. Mach. 3. *Conturbati ſunt omnes operatores iniquitatis*, ſcilicet illi perſecutores tyranni.

Hæretici.

Tertii operari mali ſunt hæretici perverſores, de quibus figurative dicitur Judicum 9. *Habitatores Sichem egreſſi ſunt in agros vaſtantes vineas. Sichen* interpretatur *laborans*, & ſignat hæreticos, qui laborant ad pervertendum alios. Hi *egreſſi ſunt* de domo vel civitate unitatis eccleſiaſticæ *in agros* latos vitiorum ad devaſtandum *vineas*, ideſt plebes Eccleſiæ. Eccleſia enim figurata per vineam, & una eſt & multæ. Una unitate finis & fidei, multa ratione pluralitatis locorum & rituum, in quibus diſperſa eſt. Quos ut deſtructores cavere admonet Apoſtolus ad Phil. 3. dicens: *Videte malos operarios*. Et 2. ad Cor. 11. *Hujuſmodi Pſeudoapoſtoli operarii ſunt doloſi, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti*. Horum autem noxium opus in vinea Eccleſiæ notat pſal. 79. in dicta auctoritate, quam inducit: *Singularis ferus depaſtus eſt eam*. *Ferus* dicitur cœtus hæreticorum, quia intellectum ferum, & beſtialem habent in ſuis doctrinis, & ferilitatem crudelitatis, quum poſſunt, adverſus fideles exercent. *Singularis* dicitur hic *ferus*, quia ſingulares ſunt in opinione, nolentes aſſentire communi ſententiæ ſapientum. Vel etiam ſingulares ex ſuperbia, qua cupiunt ceteris anteferri in vita vel ſcientia, facientes ſe capita aliorum. Et hic *ferus depaſtus eſt* vineam Eccleſiæ, quantum ad omnes, qui errores eorum ſecuti ſunt, qui incorporati cum eis a Deo & Eccleſia damnati ſunt.

Omnes autem hæretici in doctrinis ſuis duodecim articulis fidei contrarii inveniuntur, ideſt contrarium ſenſiſſe, & dixiſſe alicui ex duodecim articulis directe, vel indirecte, principaliter, vel reductive.

De hæreticis, & eorum erroribus.

Equidem primus *ſingularis ferus*, qui *depaſtus eſt*, & multas vites deſtruxit de vinea Eccleſiæ, docens contra primum articulum fidei, fuit Arius, aſſerens tres perſonas divinas eſſentialiter differentes, quum fateatur tres Deos, & tres eſſentias divinas, majoremque unum altero, contra illud Deuter. 6. *Dominus Deus tuus unus eſt*: quod Eccleſia fatetur in ſymbolo dicens: *Credo in unum Deum*.

Secundus *ferus ſingularis* fuit Sabellius hæreticus, contra ſecundum articulum dogmatizans, & aſſerens Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum unam eſſe eamdemque perſonam, quæ aliquando vocatur Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus ſanctus. Cujus fallaciam deſtruit Joannes dicens: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus*, 1. Joann. 5. *Tres*, ſcilicet perſonæ, quod fatetur Eccleſia non ſolum in ſymbolo Athanaſii, ubi dicitur: *Alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti*.

Contra tertium articulum, ſcilicet creationis rerum, locutus eſt *ferus* ille, qui dictus eſt Manichæus, fingens, diabolo inſtigante, & ponens duo prima principia rerum. Unum videlicet principium inviſibilium, & hoc eſſe Deum dicit: aliud principium, ſcilicet viſibilium; hoc aſſerit eſſe diabolum. Cujus contrarium aſſerit Sapiens Salomon dicens Eccleſiaſtici 18. *Qui vivit in æternum, crea-*

creavit omnia ſimul; quod fatetur Eccleſia dicens: *Creatorem cæli & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium.*

Contra quartum articulum, ſcilicet *ſanctam Eccleſiam catholicam: ſanctorum communionem* &c. quæ ſignificatur utique per gratiam ſacramentalem, dixit alius *ferus*, Pelagius dictus, aſſerens principaliter per proprium arbitrium poſſe ſalvari. Sed contra eum dicit Apoſtolus ad Epheſ. 2. *Gratia Dei ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis.* Et illud ad Titum 3. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis*, &c.

Quintum articulum, ſcilicet *carnis reſurrectionem*, *ferus* quidam, ut ponit Gregorius in Moral. hæreticus impugnavit dicens: In futura reſurrectione recepturos nos eſſe carnem non veram, ſed aeri & vento ſimilem. Quem elidit Job dicens: 19. *In carne mea videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe ... & non alius*, ideſt non mutatus alia carne.

Sexto, qui eſt de vita æterna, contradixit quidam hæreticus cum ſequacibus ſuis, quærens depaſcere vineam Eccleſiæ dicens, Deum non videri per eſſentiam ſuam a ſanctis, in qua viſione eſſentiali conſiſtit vita æterna, ſecundum illud Joann. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum*, &c. Sed dicebat ſolum per quamdam ſpeciem vel ſimilitudinem videri. Cui Joannes in canonica prima imponit ſilentium dicens, *videbimus ſicuti eſt.*

Contra, ſeptimum, ſcilicet quod Dei filius *eſt conceptus de Spiritu ſancto, natus ex Virgine; ferus* ille, dictus Hebion, locutus eſt dicens, Chriſtum non de Spiritu ſancto, nec de Virgine conceptum, ſed ex commiſtione viri cum muliere, quem Evangeliſta jugulat, dicens Matth. 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.*

Octavum reſpuens, ſcilicet Chriſtum filium Dei paſſum, & mortuum, Mahumetus peſſimus *ferus*, cum ſuis Sarracenis dicit, Chriſtum non fuiſſe paſſum, & mortuum, quum Dei filius eſſet, & impaſſibilis.

Sed Daniel obſtruit os eorum dicens: *Occidetur Chriſtus*, &c. Daniel. 9. Et Petrus 1. Petri 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis*, &c. Paſſus eſt autem ſecundum humanitatem aſſumtam, non ſecundum deitatem.

Nonum videtur deſtruere *ferus* ille, qui dixit, Chriſtum animam non habuiſſe, ſed loco animæ fuiſſe deitatem. Et eſt nonus de deſcenſu ad inferos, quod fuit ſecundum animam, non ſecundum carnem, quæ ſepulta fuit, nec ſecundum deitatem, quæ ubique eſt. Unde pſal. 15. in perſona Chriſti contra illos ait: *Non derelinques animam meam in inferno* &c.

Decimum, quod eſt de reſurrectione Chriſti tertia die, Judæus *ferus* malignus audire non potuit, dicens non reſurrexiſſe, ſed corpus ejus a diſcipulis furatum fuiſſe. Sed Apoſtolus 2. ad Tim. 2. teſtatur hanc reſurrectionem dicens: *Memor eſto Dominum Jeſum reſurrexiſſe a mortuis .... ſecundum Evangelium meum.* Et Pſal. 3. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exſurrexi.*

Undecimum de aſcenſione negat Euthyches hæreticus, dicens carnem converſam in deitatem. Quod ſi eſſet, non aſcendiſſet, quia deitas in cælis & ubique eſt. Contra hoc Michæas propheta ait 2. *Aſcendens pandet iter ante eos.* Et pſal. 46. *Aſcendit Deus in jubilatione.*

Duodecimus articulus eſt, quod Chriſtus *venturus eſt judicare vivos & mortuos*, ad retribuendum præmium bonis, & pœnam æternam reprobis. Contra hunc latratus eſt Origenes, dicens, Chriſtum debere in fine omnes ſalvare & pro eis pati. Sed contra eum eſt, quod ait Chriſtus Matth. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Et Dan. 12. *De pulvere terræ evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper.* Quamvis contra articulos fidei duodecim ſint non ſolum duodecim feri ſingulares & hæreſiarchæ nequiter operati, vineam Eccleſiæ depaſcentes, & multos inficientes, quoniam multi alii ſunt expreſſi & exſtincti, ut patet 24. quæſt. 3. can. penult. Et extra *De ſumma Trinit. & fide Cathol.* cap. *Damnamus*, & in opuſculis B. Thomæ de articulis fidei & ſacramentis; ſed numquam potuerunt prævalere, nec poterunt: Chriſtus enim oravit pro ea, ut non deficiat fides ejus. Pro Petro oravit dicens: *Ego pro te oravi, ut non deficiat fides tua*, Luc. 22. & Matth. 16. dixit: *Super hanc petram*, ſcilicet ſe Chriſtum, *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi*, ideſt errores & hæreſes, *non prævalebunt adverſus eam.* Quinimmo ſublatis hæreſibus ſubortis, paullatim Eccleſia remanſit glorioſior & clarior in doctrina per expoſitiones & diſputationes doctorum hæreticos confutantium, Domino eam cuſtodiente. Vide Iſaiam cap. 27. ipſe dicit: *In die illa vinea meri cantabit ei. Ego Dominus, qui ſervo eam, repente propinabo ei, ne forte viſitetur contra eam; nocte & die ſervo eam.*

Operarii vineam Domini excolentes.

§. IX. Secundi operarii in vinea Eccleſiæ ſunt, qui operantur excellenter ad faciendum ipſam fructificare. Et ad hoc exhortatur Apoſtolus dicens 2. Timoth. 2. *Sollicite cura teipſum probabilem exhibere operarium Deo inconfuſibilem.* Et ad frequentandum & continuandum opus, exhortatur Salomon Eccleſiaſtes 9. dicens: *Quodcumque poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia valent apud inferos, quo tu properas.* Et ad mittendum hujuſmodi excellentes operarios in vineam Eccleſiæ, orabat pſal. 79. dicens: *Domine Deus virtutum, convertere, reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam*, ſcilicet per efficaces operarios, *& perfice eam*, ideſt diſpone, ut perfectum fructum producant. Apte autem Eccleſia figuratur per vineam multiplici de cauſſa ſecundum Hugonem cardinalem ſuper pſalmos. Et prima eſt propter ligni abſciſſi inutilitatem. Non enim utile eſt lignum vitis abſciſſum, niſi ad combuſtionem; ſic homo ab Eccleſia ſeparatus numero vel merito. Unde Dominus Ezech. 15. *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſilvarum? Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus? aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo, quodcumque vas? Ecce igni datum eſt in eſcam*; ſic etiam dixit Chriſtus Joann. 15. *Ego ſum vitis.... ſi quis in me non manſerit*, ſcilicet unitus per caritatem, per quam quis merito eſt in vinea Eccleſiæ, *mittetur foras ſicut palmes, & areſcet ..... & in ignem mittetur, & ardet.*

Eccleſia figuratur per vineam.

Secunda ratio eſt propter fructus ſuavitatem: ſola enim vinea vinum habet, quod lætificat cor hominis & confortat. Sic ſola Eccleſia habet vinum doctrinæ ſalutaris, animam lætificantis & confortantis. Unde Cant. 8. dicitur: *Dabo tibi poculum ex vino condito.* Vinum conditum eſt dulce & medicinale, & Matth. 7. dicitur: *Numquid colligunt de ſpinis uvas?* quaſi diceret: Non habetur ſalutaris doctrina a Judæis, aut Gentilibus aut hæreticis. Sed & de illis dicitur Deuter. 32. *Uva eorum, uva fellis, & botri amariſſimi. Fel draconum vinum eorum* &c.

Tertia ratio eſt, quia ſicut pinguedine debilitatur

tatur vinum, & luxuriatur vinea, ideſt ſuperfluos producit palmites; ſic in Eccleſia ex abundantia temporalium naſcitur luxuria in palmitibus, ideſt clericis & laicis; & ex hoc inſipidatur & inſipidum fit vinum, ideſt doctrina Eccleſiæ, ut de eo dici valeat illud Iſaiæ 1. *Vinum tuum miſtum eſt aqua*, ideſt carnali voluptate inſipidum factum. Et propter hoc Dominus viſitat ipſam vineam, ſæpe abſcindendo palmites, ideſt ſuperfluitates temporalium per varias afflictiones, ut magis fructificet. Unde conquerens Dominus de vinea Eccleſiæ dicit Iſaiæ 27. *In prælio gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter*, quaſi dicat: parum fructificat Eccleſia proſperitate, ſed faciam eam fructificare per adverſitatem. Et loquitur ſecundum conſuetudinem quarumdam regionum. In Alvernia enim in aliquibus locis ita quandoque multiplicantur vineæ, quod quaſi in ſilvas vineæ degenerant, & tunc homines comburunt eas, & poſtea optime fructificant. Vinea etiam radicata inter petras & in eminenti loco in radio ſolis melius vinum facit. Sic illi de Eccleſia, qui ſunt fundati & radicati in duritia pœnitentiæ, in eminentia vitæ contemplativæ in fervore dilectionis & benevolentiæ, melius docent & operantur, Hierem. 31. *Adhuc plantabis vineam in montibus Samariæ*. Samaria interpretatur non ſolum *cuſtodia Domini*, ſed etiam *conjunctio Domini*, & per pœnitentiam & contemplationem conjungitur homo Deo, & Dominum in ſe cuſtodit. Ipſa autem vinea Eccleſiæ perficitur per excellentes operarios, quos ipſe Deus conducit ad operandum vineam mane, hora tertia, ſexta, nona, & undecima, ut habetur parabolice Matth. 20. de patrefamilias, qui *exiit conducere operarios in vineam ſuam*, quia videlicet in diverſis ætatibus mundi a primo Abel juſto, uſque ad ultimum naſciturum poſuit multos ſanctos in ipſa Eccleſia ad exercendum ſe & alios in perfectione virtutum. Vel diverſæ horæ ſignificant ſecundum Gregorium in Homel. diverſas ætates hominum, ſcilicet pueritiæ, adoleſcentiæ, juventutis, ſenectutis, ac decrepitæ ætatis, in quibus homines vocantur a Deo ad pœnitentiam & virtuoſam converſationem.

Ut vinea fructificet, tria requiruntur.

Ad hoc autem, quod vinea fructificet, triplici opere indiget, videlicet ligonizatione, putatione, & ligatione.

Ligonizatione quidem indiget ad hoc, ut ſpinæ & herbæ inutiles eradicentur, in quo opere terra ferro ſcinditur, & abſciſſis radicibus herbarum ſoli oſtenduntur. Sic in vinea Eccleſiæ ſeu animæ, ad hoc, ut fructificet Deo, oportet, quod terra cordis ferro contritionis frangatur, ut abſcindantur peccata etiam uſque ad radices cogitationum, & manifeſtentur per confeſſionem, ne occultata reviviſcant. Unde in ſeptuageſima, quando in officio repræſentatur lapſus primorum parentum, & punitio, ſcilicet introductio generis humani in exilium hujus mundi ad agendam pœnitentiam, propter quod Dominus induit eos habitu pellium animalium, ut cognoſcerent ſeipſos & pœnitentiam agerent, Eccleſia dimittit cantica lætitiæ, ut *gloria in excelſis*, niſi in magnis ſolemnitatibus, & *Alleluja*, & ſumitur tractatus loco *Alleluja*, qui tractatus habet cantum aſperum & lacrymoſum, ad inducendum homines ad pœnitentiam; & hoc per novem hebdomadas facit, ſcilicet uſque ad Paſcha, quia ſcilicet amiſit ſocietatem Angelorum, qui ſunt diſtincti in novem ordines. Aliam rationem habes *De conſecr.* Diſt. 1. *Hi duo*. Nam quia ipſi noluerunt in Paradiſo pœnitere, & confiteri peccatum ſuum, ſe excuſantes; ideo expulſi ſunt, ut vel ſaltem ex afflictione hujus exilii pœniterent, quod & fecerunt.

De ſeptuageſima.

Secundo oportet, quod vinea putetur; unde dicitur Cant. 2. *Tempus putationis advenit*. Per putationem autem abſcinduntur palmites ſuperflui, ne fructum impediant; ita & in cultu ſpirituali animæ oportet ſuperflua reſecare. Paucis enim minimiſque natura contenta eſt, dicit Boetius de conſol. Phil. lib. 2. Proverb. 5. Sed ſenſualitas inſatiabilis eſt, quærens multa ſuperflua; propter quod dicebat Apoſtolus 1. ad Tim. 6. *Habentes victum, & quibus tegamur, his contenti ſimus*. Tempus autem congruum huic putationi eſt tempus adoleſcentiæ, quæ indiget majori fræno propter majorem inclinationem ad ſuperfluitates, & vanitates, quæ ſignatur per tempus veris, in cujus principio vel circa fit putatio materialium vinearum.

Tertio oportet, quod ligetur. Debent autem ligari vites, ideſt potentiæ animæ firmo palo, ſcilicet Chriſto, ut dicere poſſit cum Apoſtolo, Gal. 2. *Cruci affixus ſum*, ſcilicet per affectum & imitationem. Proderit inſuper multum ad fructificandum, immo neceſſarium videtur, ut vinculo obedientiæ alicui patri ſpirituali alligetur, cujus conſilio dirigatur. Sed bene videat, neſit arundo vacua, ideſt hypocrita, ſed conſtans & ſolidus in obſequio divino. Perutile etiam erit animalia, quæ deſtruunt vineam, capere & occidere; unde dicitur Cant. cap. 2. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*. Vulpes parvulæ ſecundum Bernardum ſuper Cantica ſignant cogitationes, quæ occurrunt ſub ſpecie boni. Eſt enim vulpis animal calidiſſimum: ſicut quum alicui ſuggeritur affectus prælationis ſub ſpecie fructificationis, & indiſcretio vitæ ſub ſpecie temperantiæ & hujuſmodi, iſtæ deſtruunt vineam, niſi parvulæ, ideſt in initio mortificentur.

Quum autem ſic bene exercetur & colitur vinea, optime fructificat, & Deo affertur fructus ipſi gratus. Unde in figuram legitur Gen. 40. quod pincerna regis Pharaonis in carcere poſitus vidit in ſomnis vitem, treſque ex ea propagines procedentes, quæ gemmas floreſque & uvas paullatim producebant, ipſiſque maturatis ille pincerna ex eis premebat vinum in calicem Pharaonis offerens ad bibendum. Pincerna in carcere eſt quilibet noſtrum poſitus in carcere hujus mundi propter defectum ſaltem contracti originalis. Hoc eſt autem ſignum, ut quis ad curiam revertatur regis æterni, ut ei gratus & propitius ſit factus, quum ſcilicet videt quaſi per ſomnium, quia hic non habetur certitudo ſalvationis futuræ, niſi per ſigna, quum ſcilicet quis videt vineam animæ cum tribus potentiis ſuis, memoria, intellectu, & voluntate, gemmas bonorum propoſitorum, flores bonorum exemplorum, fructus rectorum operum producere, & in eis proficere, ita quod expreſſis vinatiis, ideſt defectibus, & imperfectionibus vinum ſpiritualis fervoris & lætitiæ in calice cordis offerat Deo, propter eum omnia faciendo. Per hoc ſperare poteſt per interpretationem ſanctorum, quod eductus de carcere mundi ad curiam Pharaonis regis æterni revocabitur cum honore. Vel ſic exponi poteſt: Vitis eſt Chriſtus, ſicut ipſe dixit Joann. 15. Vera vitis dicitur ad differentiam umbraticæ, quæ converſa eſt in amaritudinem. Tres propagines ſunt tres ordines fidelium in Eccleſia. Qui per gratiam adhærent, ſcilicet prælati, activi, & contemplativi, figurati per Noe Job & Daniel, de quibus habetur Ezech. 14. & per Petrum, Jacobum, & Joannem, qui ſe invenerunt in transfiguratione, Matth. 17. & per Lazarum, Mariam,

Prælati quomodo vivere debent in Eccleſia,

ri am, & Martham, quos diligebat Jeſus, Joann. 11. prælati enim regunt Eccleſiam figuratam per arcam rectam a Noe. Paſcere debent verbo & exemplo, ſicut dictum fuit Petro, Joann. ult. Viriliter ſe debent habere in militia Dei, mortui mundo ut Lazarus. Contemplativi vacare debent orationi & meditationi, caſtitati & abſtinentiæ, ut David fecit, & puritati & ſapientiæ, ut Joannes Evangeliſta, auditui divinorum, quieti, & ſolitudini, ut Maria Magdalena. Activi vero operibus miſericordiæ, ut Job, & gubernationi familiæ, & luctari cum vitiis, ita ut ſupplantentur: Jacob enim interpretatur *ſupplantator*; & inſiſtere ſollicite neceſſariis domus, ut Martha. Vel tres propagines tres ſtatus, ſcilicet virginum, viduarum, & conjugatorum. Vel tres propagines tres gradus in Eccleſia, ſcilicet incipientium, proficientium, & perfectorum. Et hi omnes producunt gemmas cogitationum bonarum, flores ſanctarum affectionum & exemplorum, & uvas rectorum operum. Ex quibus Chriſtus eliciens vinum meritorum, ipſe Chriſtus porrigit, & præſentat in curia ſuperna coram rege univerſorum; & hoc in calice principaliter ſuæ paſſionis tertia die, ſcilicet tempore gratiæ. Et de his tribus ordinibus, ſtatibus vel gradibus exponit B. Thomas ſuper Can. illud: *Sexaginta ſunt reginæ, octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus*, Cant. 6.

Reginæ enim ſignificant virgines, quia ipſe ſe optime regunt quoad domandas concupiſcentias carnis, & magis dicuntur ſponſæ Chriſti, quam aliæ. Hæ ſunt *ſexaginta* in numero parvo, ſed excellenti: quamvis enim in ſe ſit parvus numerus ſexaginta, reſpectu ſuperiorum tamen ſuperabundans. Dicitur autem numerus ſuperabundans ille, cujus partes ſingulæ, quæ in ſe multiplicatæ conſtituunt ipſum totum ſimul, poſt adunatæ & collectæ excedunt ipſum totum. Sicut partes aliquot e ſexageſimo ſunt unum, & duo, tria, & quattuor, & quinque, & ſex, & decem, & quindecim, & viginti, & triginta. Et hæc omnia ſimul excedunt non ſolum ſexaginta ſed & octoginta. Signant etiam *reginæ ſexaginta* animas perfectas ex dignitatis & numeri ſignificatione. Tales enim admittuntur frequenter ut veræ ſponſæ ad amplexus regis Salomonis, ideſt Chriſti per contemplationem & intimam unionem, & generant ſtirpem regis, ideſt perfecta opera faciunt, & cum magna fiducia in domo ſuperna converſantur. Componitur autem numerus ſexagenarius ex ſex & decem, quia denarius ſexies multiplicatus conſtituit ſexaginta. Et denarius, quia eſt primus limes numerorum, ſignat perfectionem: ſenarius, qui eſt numerus quadratus in figuris (nam figura quadrata habet ſex facies, ut patet in taxillo) ſignat firmitatem, quia res quadrata ex omni facie firma manet.

Concubinæ, ideſt viduæ, quæ dicuntur concubinæ, quia habuerunt aliquando alium virum, quam Chriſtum. Et hæ dicuntur *octoginta*, quia in majori numero ſunt, quam virgines. Dicuntur etiam animæ proficientes, etſi nondum perfecte, quæ etſi aliquando admittuntur ad amplexum divinum per contemplationem, & guſtum ſpiritualium; non tamen ita frequenter ut perfectæ animæ, nec perfecta ſunt opera earum. Laborant tamen ad obſervantiam decem præceptorum, & exercitium octo beatitudinum, de quibus habetur Matth. 5. & ideo dicuntur *octoginta*, qui numerus componitur ex denario octies multiplicato.

Adoleſcentulæ ſunt animæ in ſtatu conjugii, vel etiam imperfecti ſeu incipientes in via Dei. Et hi ſunt in majori numero, quam virgines & viduæ, vel perfecti, & proficientes, licet in minori merito. Unde adoleſcentulæ dicuntur, quia adhuc teneræ ad ſufferendos labores, nondum ſenſu perfectæ ac mutabiles.

De negligenter operantibus in vinea.

§. X. Operantur aliqui alii ſegniter in vinea Eccleſiæ. Unde vinea paullatim degenerat, & deſtruitur. Et de hoc Prov. 24. dicit Salomon: *Tranſivi*, ſcilicet per conſiderationem, *per agrum hominis pigri, & per vineam ſtulti*, ideſt mentem & converſationem, *& ecce totum repleverant urticæ*, ideſt paſſiones concupiſcibiles urentes, ut urtica, *& operuerant ſuperficem ejus ſpinæ* ideſt paſſiones iraſcibiles, quæ pungunt alios. Et de huſmodi vinea, ſeu anima Dominus conquerens dicit: *Quid eſt, quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod exſpectavi, quod faceret uvas, & fecit labruſcas*, Iſaiæ 5. ideſt exſpectavi, ut faceret fructum bonorum operum, & fecit fructum inutilem. Unde infra dicit: *Exſpectavi, ut faceret judicium, & ecce iniquitas; ut faceret juſtitiam, & ecce clamor*. Sed timendum eſt, quod ſubdit: *Nunc oſtendam vobis, quid faciam vineæ meæ*, ideſt animæ tepidæ & pigræ, ſi ſe non emendet. *Auferam ſepem ejus*, ideſt remorſum conſcientiæ pungentis auferri permittam, ſeu timorem, *& erit in direptionem* a dæmoniis per tentationem. *Diruam maceriem ejus*, ideſt permittam removeri conſiderationem vitæ ſanctorum, qui lapides dicuntur, *& erit in conculcationem* vitiorum. *Et ponam eam deſertam*, bonis ſcilicet ſpiritualibus. *Non putabitur*, ideſt non removebit talis piger & tepidus ſuperfluitates, & occaſiones vitiorum. *Nec fodietur ferro*, ſcilicet compunctionis & confeſſionis. *Et aſcendent ſuper eam vepres & ſpinæ*, ideſt malæ cogitationes & affectiones. *Et nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem*, ideſt non percipient doctrinam fructificantem & utilem eis; unde cuilibet tali dicitur Apoc. 3. *Non invenio opera tua plena*. In mente ergo habe, quid acceperis, & audieris, & tene, & pœnitentiam age. Nam demum ut dicitur Apoc. 14. *Miſit Angelus*, ideſt Chriſtus, *falcem ſuam*, ſcilicet mortis, *& vindemiavit vineam terræ*, Eccleſiam ſcilicet militantem, *& omnem palmitem, qui non fert fructum, tollet eum a ſe, & omnem, qui fert fructum, purgabit*, Joann. 15.

De mercede reddenda.

§. XI. Quantum ad tertium principale diviſionis, ſcilicet circa ſextum, ideſt de facienda retributione, dicitur: *Da illis mercedem*.

Nota primo, quod non dicit, ut veniant cras, ſed immediate poſt opus, *da illis mercedem*; unde Tob. 4. dicitur: *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii tui omnino apud te non maneat*. Da ergo, & non differas.

Nota ſecundo, quod dicit *illis*, ſcilicet operariis in vinea. Sed dicit Apoſtolus 1. ad Cor. 3. quod *unuſquiſque ſecundum ſuum laborem mercedem propriam accipiet ſecundum laborem*, quoad qualitatem, quoad quantitatem, quoad diuturnitatem. Quoad qualitatem boni laboris vel mali, quoad quantitatem magni laboris vel parvi, quoad diuturnitatem multi temporis vel modici. Nam qui laboravit in vinea ad deſtruendum ut primi, quum congrua merces ſeu retributio peccati ſit pœna; ideo ut dicitur Eccleſiaſtici 30. *Effugatur a Domino portans mercedes iniquitatis*, & ad Romanos 1. de reprobis dicitur: *Mercedem, quam oportuit, in ſemetipſis recipientes*: ad Hebr. 2. *Omnis prævaricatio & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem*. Qui laboravit negligenter, & tandem in gratia moritur, mercedem accipit, ſed non de operatis in mortali; unde Aggæi 1. dicitur: *Qui congregavit mercedes, miſit eas in ſacculum pertuſum*, ideſt qui fecit ope-

opera de genere bonorum extra caritatem, non inde recipit præmium in gloria; ſicut quod ponitur *in ſaccum pertuſum*, non remanet ibi, ſed extra mittitur: qui autem laborat excellenter, mercedem gloriæ accipit. Unde Sap. 10. *Reddet Deus juſtis mercedem laborum ſanctorum ſuorum*, & quæ ſit iſta merces, oſtendit Pſalmiſta dicens pſal. 126. *Ecce hæreditas Domini filii merces fructus ventris. Merces*, ideſt præmium, *filii*, ſcilicet Dei per adoptionem: & hujus merces eſt *hæreditas Domini*, ideſt bonum gloriæ, quem tamquam hæredibus filiis tribuit, quæ hæreditas ſeu felicitas gloriæ eſt *fructus ventris*, ſcilicet beatiſſimæ Mariæ.

De quantitate mercedis, & meriti.

Secundo datur merces ſecundum quantitatem laboris: quanto enim quis plus laboraverit, & bene in vinea Domini, tanto majorem mercedem accipiet; ita tamen, quod non intelligatur æqualitas laboris ad mercedem in quantitate. Nam ut dicit idem Apoſtolus 2. ad Cor. 4. *Quod in præſenti eſt momentaneum, & breve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, & ad Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*. Sed intelligitur æqualitas in proportione, ſcilicet ut ubi eſt major labor, ibi ſit major merces: ſed labor poteſt intelligi major vel potior tripliciter ſecundum beatum Thomam ſuper epiſtolam 2. ad Corinth. ſuper dictam auctoritatem. Primo modo ſecundum formam caritatis, & huic labori reſpondet merces eſſentialis, quæ conſiſtit in viſione Dei & fruitione, juxta illud Joann. 14. *Qui diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*. Qui ergo ex majori caritate laborat, etſi minorem laborem patiatur, quam alius, plus recipiet de mercede præmii eſſentialis, quia limpidius Deum videbit, & de tali viſione magis gaudebit. Secundo poteſt attendi magnitudo laboris ex ſpecie operis. Sicut enim in rebus humanis ille plus præmiatur, qui digniori opere laborat, ſicut architector pluſquam artifex manualis mercedis accipit, licet minus laboret corporaliter; ita in rebus divinis, qui nobiliori opere occupatur, majus præmium accipiet, quantum ad aliquam prærogativam præmii accidentalis, licet forte minus corporaliter laboret. Unde aureola datur virginibus, doctoribus, & martyribus, non aliis. Et conſiſtit præmium accidentale in quodam gaudio, quod habetur de opere privilegiato, vel etiam de aliis bonis operibus ratione laboris. Tertio attenditur magnitudo laboris ex quantitate ipſius laboris. Et ſi major ſit labor in opere, quod ſit ex natura operis, ut jejunare magis, quam abſtinere ab eſu carnium, aut etiam ex conditione complexionis, ut colerico communiter difficilius eſt jejunium, quam flegmatico; ſic major labor meretur majorem mercedem, & quoad remiſſionem pœnæ temporalis, & quoad gaudium accidentale, quod recipiet de majori labore; unde Sap. 10. dicitur: *Reddet Deus mercedem laborum ſuorum*, ſcilicet juſtis. Sed ſi major labor in opere proveniat ex defectu voluntatis, puta ex tepiditate, vel negligentia (facta enim hujuſmodi, etſi ſint levia, aliquando videntur & ſunt alicui multum laborioſa, ſed hoc propter defectum mentis indiſpoſitæ) talis magnitudo non auget, ſed minuit mercedem: Iſaiæ 40. *Deficient pueri: & elaborabunt: pueri*, ideſt imperfecti. Hæc B. Thomas.

Aureola quibus datur.

De diuturnitate meritorum.

Tertio datur merces ſecundum diuturnitatem, quia qui tempore longiori laboravit, ceteris paribus plus recipiet, quia plura merita acquirit. Signanter dicitur ceteris paribus, quia qui minori tempore vixit, ſi in illo tempore ſuo plus laboravit, vel cum majori caritate, quam alius, qui diu vixit, majorem mercedem recipiet, arg. Matthæi 20.

Nec eſt contra, quod dicitur in parabola evangelica, ſcilicet quod *acceperunt ſinguli unum denarium*, & ſic non plus qui diu laboravit, ut ab hora prima, quam qui undecima. Ad quod reſpondetur quod merces, quæ redditur, eſt ipſe Deus, juxta illud Gen. 15. *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis*. Et pro hac mercede laborantes mercenarii laudantur, juxta illud: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus!* ideſt refectionibus ſpiritualibus, Lucæ 15. ſecus ſi intenderent aliam mercedem in alia vita; & hæc merces communis eſt omnibus & propria ſingulorum. Communis quidem omnibus, quia omnes ſancti vident Deum, & fruuntur eo, qui eſt merces eorum. Propria autem erit ſingulorum, quia unus alio clarius videbit, & plenius fruentur ſecundum determinatam ſibi menſuram a Deo: & hoc oſtenditur Joann. 14. ubi dicitur: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt*, ideſt varietates præmiorum modo prædicto. Et hæc merces dicitur *denarius*, & propter æternitatem, quam continet, quam ſignat forma denarii circularis, & propter deitatem, quam habet, quæ ſignatur in imagine ſculpta regis in denario, & propter recipientium qualitatem, hi ſunt Angeli, & homines, qui ſunt decem, quia novem ſunt ordines Angelorum, & quaſi decimus natura humana: & eis datur propter habitam perfectionem, ſignatam etiam per denarium numerum, quia primus limes eſt numerorum, & propter obſervantiam decem præceptorum homines illuc perducuntur. Omnes autem ſancti, etiam minimi, ita ſunt quieti & pleni bono gloriæ divinæ viſionis, quod nil plus appetunt, nec minimus motus mentis inſurgit appetendi majus præmium aliorum: ita enim plenos ſe eſſe cognoſcunt, quod plus non cupiunt.

Quod autem dicitur in Evangelio aliquos murmuraſſe, intelligitur dictum per hypotheſim, ideſt per præſuppoſitionem, non ſecundum realitatem, quod ibi ſit aliqua quærela. Sed ſi præſupponatur hoc, quod tamen eſt impoſſibile; oſtenditur per rationem, quod nulli ſit injuria. Nam Deus glorioſus patronus vineæ nulli debet aliquid ex neceſſitate, ſed *gratia Dei vita æterna*, Rom. 6. De ſuo, in quo nulli tenetur, poteſt facere quod vult, dare, & non dare ſine aliqua injuſtitia. Nec etiam ex condignitate aliquis quantumcumque laboret, meretur illud præmium, ſi conſiderentur ipſa opera hominum in ſe. Sed ex congruitate tribuit denarium hunc, in quantum videlicet ſua liberalitate promiſit dare talem mercedem laborantibus in vinea mediante gratia ſua, & ſic ſervat.

Sed & noviſſimi prius recipiunt & efficiuntur primi in recipiendo mercedem, in quantum ſancti novi teſtamenti, ſi purgati migrant, ſubito evolant, & denarium mercedem recipiunt, Dei ſcilicet viſionem. Sed ſancti veteris teſtamenti poſt mortem quantumcumque perfecti & purgati non recipiebant mercedem, ſed deſcendebant ad lymbum, ibi exſpectantes per adventum Chriſti denarium ſuum. Nec etiam poſſent conqueri de iſta retardatione, quia ipſa liberatio eorum ſine meritis ſufficientibus eorum fuit & præmiatio. *Voca* ergo *operarios*, dicit procuratori pater familias, ideſt Chriſto, qui procuravit nobis præmium & mercedem mediante paſſione; & hoc ſero, ideſt in fine vitæ noſtræ, & ipſe ſolvit, virtute tamen & voluntate patris æterni, quia ſecundum deitatem eſt ejuſdem virtutis & voluntatis.

Sententia finalis.

Poſt vocationem igitur, ſcilicet per mortem operariorum in vinea, per præſentationem, & eorum diſcuſſionem; demum redditur merces per ſenten-

tentiam unicuique ſecundum opera ſua; unde & Apoc. 1. dicitur, quod ex ore ſedentis in throno *exibat gladius ex utraque parte acutus*. Gladius iſte ſententia eſt ex ore judicis ſuperni prolata, ſeparans reprobos a bonis. Et contra reprobos quidem proferens ſententiam, aſpectus ejus apparebit eis ut fulgur, terribilibus verbis eos increpans, & dicens cuilibet reprobo ſecundum Chryſoſtomum ſuper Matth. Ego propter te homo factus ſum, deluſus, cæſus, & crucifixus: ubi eſt tantarum injuriarum mearum fructus? Ubi eſt ſervitus, quam mihi pretio ſanguinis mei debuiſti? Ego ſuper gloriam meam te habui, quum eſſem Deus apparens homo; & tu omnem rem viliſſimam terræ dilexiſti amplius quam juſtitiam meam & fidem. Mittite ergo ſtantibus & miniſtris dicet, *ligatis manibus ejus & pedibus in tenebras exteriores: & quis ſtabit ad videndum eum?* inquit Malach. 3. cap. quaſi diceret: Intolerabile erit illud. *Ipſe enim quaſi ignis conflans*. Væ autem homini illi, contra quem proferetur talis ſententia. *Melius enim ei fuiſſet, ſi natus non fuiſſet homo ille*. Neque enim ab illa ſententia appellari poterit, quia a ſumma poteſtate procedet, quæ non habet ſuperiorem. Appellatio autem fit ab inferiori ad ſuperiorem, ut habetur 2. quæſt. 6. per totum. Neque per errorem intollerabilem evacuabitur, ut in judicio humano per aliquando contingit, juxta illud, quod habetur 11. quæſt. 3. can. *Epiſcopus* & can. *Injuſtum*. Cui enim illata ſententia, quia juſtiſſima erit, *Juſtus* enim *Dominus, & juſtitiam dilexit* &c. pſal. 10, neque pecunia, amicitia vel precibus revocari poterit, ſicut fit in præſenti, 11. quæſt. 3. *Epiſcopus presbyter*, §. *Ad hoc reſpondendum*. Unde & Hieronymus: *Quum ante tribunal Chriſti venerimus, nec Job, nec Daniel, nec Noe rogare poſſunt pro quoquam, ſed unumquemque onus ſuum portare*, ſcilicet oportet, 13. quæſt. 2. *In præſenti*. Et ad idem facit, quod ait pſal. 48. *Frater non redimet*, ſcilicet Chriſtus, qui eſt frater noſter in illo judicio; *redimet homo*, quaſi diceret: Non aliquis quantumcumque ſanctus, ex quo Chriſtus ipſe non liberat reprobum, *non dabit Deo placationem ſuam*, ſcilicet ipſe reprobus in nullo placare poterit. *Et pretium redemtionis animæ ſuæ*, ſcilicet ſolvere non poterit pro ſui liberatione, ſed *laborabit in æternum*. Hæc autem ſententia pulchre & plene fuit deſignata Daniel. 5. in ſententia data contra regem Balthaſſar, ubi dicitur, quod Balthaſſar quum feciſſet grande convivium optimatibus, uxoribus, & cum concubinis ſuis, & biberent in vaſis aureis & argenteis, quæ aſportata erant de templo Hieroſolymorum, laudarentque *Deos ſuos aureos, & argenteos, ferreos, æreos, ligneoſque, & lapideos, apparuerunt digiti quaſi hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ, & rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis, & tunc facies ejus commutata eſt, & perturbabant eum cogitationes ejus. Et compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur*. Et quum nullus ſapientum curiæ legere potuiſſet ſcripturam, demum a Daniele lecta eſt: *Mane, Thechel, Phares*, eademque die ipſe Balthaſſar regnum amiſit & vitam, interfectus a Perſis & Medis.

Moraliter exponendo ſecundum Nicolaum de Lyra Balthaſſar, qui interpretatur capillus capitis, ſignificat ſuperfluitatem, quia capillus naſcitur ex ſuperfluitate. Hæc ſuperfluitas reperitur in peccatoribus, & in luxuria manifeſta, quod ſignatur per concubinas ejus, & in gula, quod deſignatur ex convivio, & in inepta lætitia per vinum figurata, & adulatorum applaudentia in optimatibus inſinuata, & in ſuperbia in vaſis aureis demonſtrata: & in avaritia, *quæ* ſecundum Apoſtolum *eſt idolorum ſervitus*, Coloſ. 3. & in diis, quos laudabat præſignata, quæ quidem avaritia vel eſt cum violentia, & hi ſunt dii ferrei; quia ſicut ferrum domat omnia, ſic iſti ſine miſericordia cuncta auferunt. In æreis diis ſignatur avaritia, quæ eſt cum fraudulentia, quia videtur eſſe verum, & non eſt, quod fraude fit. In diis argenteis ſignatur avaritia, quæ quæritur ex doctrina, quia argentum ſonorum eſt. In diis aureis innuitur avaritia præſidentium, propter claritatem & nobilitatem ipſius auri. In diis lapideis avaritia uſurariorum, qui in lapides inſenſibiles & inconvertibiles fiunt. In diis ligneis avaritia aliorum illicite lucrantium. Contra hujuſmodi igitur divino judicio comparens videt ſcripturam ſententiæ contra ſe dari per manum ſcribentem. Ubi ſciendum, quod ſcribens eſt pater, manus eſt filius, digitus eſt Spiritus ſanctus. Sicut enim digitus eſt a manu & brachio, & manus tantum a brachio procedit, ita Spiritus ſanctus a Patre & Filio, & Filius tantum a Patre derivatur. In pariete notatur plenitudo aſſumti hominis a Dei filio. Aula eſt uterus virginalis, candelabrum, contra quod ſcripſit certitudo naturalis dictaminis, quia deficit naturalis cognitio in omnibus his perſcrutandis myſteriis; & ideo dicitur: *Aſpiciebat articulos manus ſcribentis*. Scriptura autem eſt articulus, ſeu ſententia extremi examinis. Scriptura igitur hæc, ideſt ſententia auctoritative procedit a Patre & Filio & Spiritu ſancto. Manifeſtative vero a Jeſu Chriſto de Virgine nato. Quia, ut dicitur Joann. 5. *Pater omne judicium dedit filio*. Scriptura, quæ continet: *Mane Thechel, Phares*, ſignificat, quia in iſto judicio Deus notabit omnes actiones hominis: *Mane*, enim interpretatur numeratio. Ponderabit omnes circumſtantias: *Thechel* enim dicitur ponderatio. Separabit omnes occaſiones: *Phares* enim dicitur diviſio: & tunc ſequitur in taliter ſententiato terror affectionis, quod notatur in faciei mutatione: error cognitionis, quod ſignatur in cogitationum perturbatione: mœror afflictionis, quod innuitur in renum diſſolutione: terror deſperationis, quod oſtenditur in genuum colliſione. Quum igitur tam ſubtile ſit illud examen, tam terribilis illa ſententia: *Si juſtus vix ſalvabitur*, ut ait Petrus in canonica ſua 1. Petr. 4. *impius & peccator ubi parebunt?* ad quod etiam facit notabile exemplum, unde ſumſit originem ordo Carthuſienſium. Quum enim circa annum Domini milleſimum Pariſiis quidam doctor ſolemnis eſſet defunctus, ſcientia & honeſtate vitæ famoſus, delatum eſt corpus ejus ad Eccleſiam magno comitatu univerſitatis & populi. Et dum feretro, ubi jacebat in medio cori poſito, celebrarentur exſequiæ, cunctis videntibus ſurrexit cadaver, & dixit: Ante tribunal Chriſti raptus ſum. Quo dicto ſe depoſuit ut prius. Ex quo cunctis ſtupentibus decretum eſt die ſequenti iterum proſequi officium inchoatum, quo facto, quum cantaretur lectio illa: *Reſponde mihi* &c. reſurrexit ſecundo cadaver & dixit accuſatus ſum, & ſubito jacuit ut prius. Creſcente autem admiratione in cunctis, placuit in ſequentem diem tertium ſepulturam differri. Et quum jam exiſſet fama hæc in univerſam terram illam, factus eſt concurſus nimius hominum, & clericis officium funeris celebrantibus, ſurrexit tertio corpus illud dicens: Juſto judicio Dei condemnatus ſum, ſicque privatus eſt ſepultura, ex quo divina ſententia erat reprobatus. Et propter hoc aliqui ex doctoribus ſeu ſcholaribus conſiderantes pericula mundi & futurum diſtrictum examen relinquentes ſæculum

ordinem Carthuſienſium fundaverunt, & ſancte vixerunt. Sed cuilibet electo apparebit aſpectus ipſius judicis ſicut nix, ſuavis videlicet & delectabilis, & ſententiam proferens dicet: *Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25. Quod intrat in aliquo loco, undique circumdatur a loco. Intrans ergo *in gaudium Domini tui*, quod eſt perfectum, undique ab ipſo gaudio circumdabitur. Nam aſpiciens ſupra & videns deitatem ſumme gaudebit, juxta illud Iſaiæ 60. *Tunc videbis, & affluës, & mirabitur & dilatabitur cor tuum*, ſcilicet lætitia ineffabili. Si ad infra reſpiciunt, ideſt ad damnatos, inde gaudent, propter quod dicitur pſal. 57. *Lætabitur juſtus, quum viderit vindictas*, ideſt punitiones peccatorum. Non quod lætetur de malo alterius, ſed de divina juſtitia. Si conſpiciunt ad intra, gaudent de pura conſcientia & ſua gloria. Juxta illud: *Exſultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*, ideſt in conſcientiis ſuis. Si reſpiciunt extra, ſumme gaudent de ſocietate innumera tam præclara. Unde dicunt ad invicem, quod dicitur in Apoc. 19. *Gaudeamus, & exſultemus, & demus gloriam Deo*. Et ut dicit Bernardus: Illud eſt verum gaudium, quod non de creatura, ſed de creatore concipitur, quod quum acceperis, nemo tollet a te, ſcilicet gaudium æternum. Cujus comparatione omne pulchrum fœdum, omne dulce amarum, omne, quod delectare poteſt, moleſtum, & non ſolum anima, quæ in cælum introducitur, gaudium ineffabile ſuſcipit, ſed & tota cæleſtis curia. Unde & de ſanctis canit Eccleſia, quod de eorum tranſitu *gaudent Angeli, & collaudant filium Dei*. In cujus etiam figuram, quando arca Dei introducta eſt in Jeruſalem, cum magno tripudio omnium in loco ſuo collocata eſt, 2. Regum 6. Sicque recipit mercedem æternam.

CAPUT III.

De morte infernali, & de cauſſis, æternitate, & multiplicitate pœnarum inferni.

DAta ſententia a judice ſuperno, quilibet vadit ad locum ſuum, vel ad infernum, vel ad paradiſum vel ad purgatorium. Et primus dicere poteſt: *Vadam, & non revertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, Jobi 10. Ubi tria notantur.

Primum eſt adductivum infernalis cruciationis: *Quia vadam*.

Secundum eſt continuativum perpetualis afflictionis: *Quia non revertar*.

Tertium eſt multiplicativum pœnalitatis variationis: *Quia ad terram tenebroſam*.

De cauſſis damnationis.

§. I. Quantum ad primum, quod ſcilicet inducit ad damnationem, eſt ſciendum, quod amor terrenorum nimius eſt prima cauſſa peccatorum & damnationis, & hoc eſt *ire ad terram*: vadit enim anima pede amoris; unde Auguſtinus: Pes meus eſt amor meus. Sicut dicitur: Juſtus vadit ad cælum per deſiderium, ita peccator ad terram, per inordinatum affectum, & cum eo intrat ſeptem vias difficiles, quæ ducunt ad infernum; unde dicunt ipſi damnati in inferno, ut habetur Sap. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis: ambulavimus vias difficiles*. Et quia per moralia melius intelliguntur ſpiritualia, A nota quod ſeptem ſunt viæ difficiles: prima eſt via montuoſa, via ſpinoſa, via lutoſa, via tenebroſa, via tumultuoſa, via ſumtuoſa, via tædioſa, *Septem viæ difficiles peccatorũ.*

Dico primo, quod via montuoſa eſt difficilis ad ambulandum, montuoſa, ideſt montium, ſicut patet ad ſenſum. Unde homines communiter fatigantur & ſudant in aſcenſu, & propterea declinant tales vias, quando poſſunt. Iſta moraliter eſt via ſuperbi, qua quærit perverſe dominari aliis, magnus reputari, exaltari, alios deprimere, ſe extollere. Sed certe laborioſa eſt via. Multum enim perturbantur tales, anxiantur, famulantur aliis, ut habeant honorem intentum; unde dicit Gregorius in Moral. quod omne, quod hic eminet, mœroribus plus afficitur, quam honoribus gaudet. Sed ſuperbus non ſentit iſtum laborem, quia paucum habet ad Deum amorem, & multum ad mundum, unde accidit de eo ſicut de lepore, quia facillime aſcendit ad montem currendo, quum tamen communiter aſcenſus ſit difficilis, & hoc quia habet crura anteriora breviora poſterioribus cruribus. Sicut quamvis facilius ſit deſcendere per humiliationem, quam aſcendere per elationem & ambitionem; tamen quia ſuperbus crura anteriora, ideſt affectionem ad Deum modicam habet, & poſteriora, ideſt affectionem magnam habet ad mundum; ideo non ſentit laborem, ſed faciliter currit. Juxta illud Jobi 15. *Cucurrit adverſus Deum erecto collo*. Noviſſima autem hujus viæ conducunt ad infernum; & ideo cave.

Secunda via eſt difficilis, quando eſt ſpinoſa, ideſt plena ſpinis: nam tranſiens per eam in pannis apprehenditur, ab his dilaceratur, pungitur cruentatur; & ſic habet laborem. Iſta via ſpinoſa opus eſt avaritiæ, in qua quæruntur divitiæ aſſimilatæ a Chriſto ſpinis, Luc. 7. Quia mentem lacerant diſtrahendo ſpinis, Luc. 8. Quia mentem dilacerant diſtrahendo a Dei timore, pungunt continuis ſollicitudinibus, timoribus, & anguſtiis, cruentant inducendo ad diverſa peccata, ut mendaciorum, proditionum, fallaciarum, perjuriorum, uſurarum, fraudulentiarum, & hujuſmodi. *Sepiam*, ait Dominus avaris, Oſeæ 2. *vias tuas ſpinis*. Terminus hujus vitæ eſt infernus; unde Apoſtolus dicit 2. ad Timoth. 6. quod *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & in deſideria multa..... quæ mergunt hominem in inferno*; ergo cave.

Tertia via eſt difficilis, quando eſt lutuoſa, tum quia homo lubricatur, tum quia pes infigitur in cæno, & cum difficultate diſtrahit eum, tum quia deturpatur; & talem viam, ſcilicet multum lutuoſam, ſolent facere beſtiæ. Hæc autem eſt via luxurioſorum ſimiles beſtiis, de quibus ait propheta Joel. 1. *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo*. Difficulter autem trahunt pedem affectionis a luto voluptatum, quibus infiguntur. De quibus ait pſal. 9. *Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*.

Quarta via eſt difficilis, quum eſt tenebroſa. Oportet enim, quod quis vadat palpando, ne cadat in aliquod præcipitium, quod non videt: timet etiam hinc inde capi a latronibus, & ſic difficultatur. Hæc eſt via invidorum, qui tenebroſi ſunt; quod patet ex ethymologia nominis. Invidus enim dicitur quaſi non videns, quia bona aliorum videre non poteſt, niſi cum magna ſui afflictione. Tales ſemper ſtant in timore, ne alii habeant bona. De quibus poteſt intelligi illud Proverb. 2. *Ambulant vias tenebroſas, qui lætantur, quum malefecerint*, ſcilicet aliis hominibus, *& exſultant in rebus peſſimis*, ideſt caſibus adverſitatum aliorum.

Quinta via eſt difficilis, quum eſt tumultuoſa,

ideſt

ideſt quum multi ambulant per eam, ita quod ſe comprimunt. In talibus enim viis homines impinguntur, aliquando conſtriguntur; unde & ſemel B. Petrus dixit Chriſto per talem viam ambulanti: *Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt*, Luc. 8. Hæc autem eſt via iracundorum, qui propter iracundiam ſuam multis & diverſis affliguntur, & conculcantur contumeliis, clamoribus, rixis, minis, odiis, & hujuſmodi. Et de his dicit pſalm. 13. *Contritio & infelicitas in viis eorum*. Conteruntur enim temporaliter, & felicitate privantur quoad animam propter iram ſuam; unde ſubdit Pſalmiſta: *Et viam pacis non cognoverunt*; & pro *quia*.

Sexta via eſt difficilis, quum eſt ſumtuoſa, ideſt quum hoſpitia illius viæ ſunt in charo foro. Mali enim homines libenter vadunt per tales vias, ubi ſciunt multum expendi. Et hæc eſt via guloſorum, qui ut ſatisfaciant gulæ ſuæ, non curant de tali difficultate, expendentes multam pecuniam in detrimentum animæ & corporis. Ideo enim ait Seneca: Cito morimur, quia de mortibus paſcimur, ideſt de animalibus mortuis; quod maxime faciunt guloſi, de quibus pſal. 48. *Hæc via illorum ſcandalum ipſis, poſtea in ore ſuo complacebunt*. Quamvis enim recipiant ſcandalum ſæpe animæ, & corporis doloribus; tamen poſtea tranſacto dolore volunt complacere ori ſuo.

Septima via eſt difficilis, quando eſt tædioſa; & hoc eſt, quando eſt multum ſaxoſa, vel tota plana, & uniformis & neſcitur terminus. Hæc via eſt acidiæ, quæ inſurgit ex duritia pœnitentiæ, ac etiam quando aliquis vult ſemper occupari in uno aliquo, puta vel ſemper legendo, vel ſemper meditando & orando, vel ſemper manibus laborando. Dicitur enim communiter, quod via, quando eſt totaliter plana, magis fatigat ambulantem, quam quum eſt aliquando plana, aliquando aliqualiter montuoſa per colliculos. Et ratio eſt, quia in via plana & uniformi omnes partes corporis ſimul fatigantur; ſed in via aliqualiter montuoſa in aſcendendo, dum fatigantur genua & tybiæ, quaſi refrigerantur crura. In deſcendendo autem crura fatigantur, & genua & tybiæ quaſi pauſantur. Sic in opere humano melius fertur labor, quando aliquis uno tempore legit, altero orat, alio in exterioribus vacat, quam ſi ſemper vellet legere, orare, vel operari, quia ex tali continuatione uniformi alicujus rei attædiatur communiter homo. Exemplum Antonii, quando vidit Angelum aliquando laborantem, aliquando orantem. De via horum poteſt intelligi illud Prover. 14. *Eſt via*, quæ *videtur homini recta: & noviſſima ejus ducunt ad mortem*, ſcilicet acidiæ. Videtur enim aliquando alicui bonum eſſe ſemper ſe occupari exterioribus pro temporali ſalute vel ſpirituali proximi. Alteri multum legere, & per hoc intrant frequenter in mortem acidiæ, videlicet negligendo ea, quæ ſunt eis magis neceſſaria, quando etiam non attendit quis ad præmium, qui eſt terminus noſtræ viæ; cito fatigatur bonis operibus. Quum igitur quælibet harum viarum ducat ad perditionem, exi de eis, ſi vis mortem evadere, juxta illud Iſaiæ 55. *Derelinquat impius viam ſuam*. Dicit enim Auguſtinus, quod quicumque cum aliquo mortali tranſit, æterna flamma illum trucidabit inferni, non purgatorii.

Tædium ex eadem actione.

De æternitate inferni.

§. II. Quantum ad ſecundum principale dico, quod pœna infernalis domus eſt perpetua non habens finem; quod notat Job in auctoritate præfata dicens: *Non revertar. In inferno nulla eſt redemtio*, ait idem. Videtur forte alicui iſtud inconveniens eſſe & injuſtum, ut quum culpa fuerit temporalis & ad tempus, pœna pro ea data eſt æternalis; ſed ſex rationibus demonſtratur juſtiſſime animam in culpa mortali decedentem æternaliter cruciari.

Cur pœna damnatorum eſt æterna.

Prima eſt qualitas offenſæ. Nam & in humana converſatione quanto majoris dignitatis eſt offenſus, tanto offendens majorem pœnam meretur. Dando enim alapam regi, mortem meretur: dando puero, pro injuria non habetur. Quum enim per peccatum homo, quantum in ſe eſt, percuſſerit, & offenderit Deum, qui eſt dignitatis infinitæ; meretur peccator pœnam infinitam. Pœna autem infinita non poteſt eſſe ſecundum intenſionem, quia ſic conſumeret naturam; oportet ergo, ut ſit infinita ſecundum extenſionem, ideſt ſecundum durationem, ut ſic pœna reſpondeat culpæ.

Secunda ratio eſt, quia, manente cauſſa, debet remanere effectus; cauſſa autem illius pœnæ eſt culpa. Quum autem culpa mortalis poſt mortem ab anima tolli non poſſit, quia, ut dicit Damaſcenus, quod eſt homini mors, eſt Angelo caſus; igitur debet ſemper manere pœna. Quod autem dicit Auguſtinus 13. quæſt. 2. *Tempus*, circa finem, quod *quibus proſunt ſuffragia*, ſcilicet pro defunctis facta, *vel ad hoc proſunt, ut plena remiſſio ſit, aut ut tollerabilior ſit ipſa damnatio*; non vult Auguſtinus propter hoc, quod pœna damnatorum minuatur per ſuffragia, ut quidam dixerunt; quia ſi ſic eſſet, poſſet aliquis per ſuffragia multiplicata liberari ab inferno: quod hæreticum eſt dicere ſecundum Thomam in 4. ſed loquitur Auguſtinus de his, qui ſunt in purgatorio, quibus proſunt ſuffragia vel ad liberationem, vel ad pœnarum alleviationem, ad quam damnati, ideſt condemnati ſunt. Dicitur enim quis damnari, quum deputatur ad pœnam.

Tertia ratio eſt, quia peccator, quantum in ſe fuit, peccavit voluntate perpetua. Nam ſemper voluiſſet vivere, ut ſemper potuiſſet peccare. Quod autem peccator peccatum dimiſerit quantum ad actum, hoc fuit ex parte Dei, qui per mortem ſubtraxit ſibi facultatem; & ideo juſtum eſt, ut puniatur pœna æterna, ſive perpetua, juxta illud: *Ite maledicti in ignem æternum*, Matth. 25. Hanc rationem aſſignat Gregorius in 4. dialogorum, & habetur *De pœnit.* Diſt. 1. *Voluiſſent*, dicens: *Voluiſſent iniqui ſine fine vivere, ut potuiſſent ſine fine peccare*; quod oſtendunt, quia *dum vivunt, peccare non deſinunt. Ad magnam ergo juſtitiam pertinet judicantis, ut numquam careant ſupplicio, qui dum viverent, numquam voluerunt carere peccato*.

Quarta ratio eſt, quia ratio concupiſcibilis & iraſcibilis erraverunt, præponentes finitum minimum bonum ſummo bono infinito. Nam divitiæ, honores, voluptates, & hujuſmodi valde parvum ſunt bonum & miſtum cum amaritudine. Deus autem ſummum bonum eſt, & *non habet amaritudinem converſatio ipſius*, dicit Sapiens Sap. 8. Miſer autem peccator, ut conſequatur illud fragile bonum temporale, contemnit, & dimittit ſummum bonum tranſgrediendo ejus præcepta; & ideo quia in infinitum erravit, in infinitum debet puniri; unde dicit Chryſoſtomus, quod Chriſtus in fine reprobis dicet, oſtendens quam juſte condemnet eos ad pœnas æternas: Ego propter vos homo factus ſum, propter vos deluſus, cæſus, & crucifixus. Ego ſuper gloriam meam vos habui, & vos omnem rem viliſſimam terræ amplius dilexiſtis, quam juſtitiam meam & fidem.

Quinta ratio eſt, quia peccator peccavit in æterno ſuo, & ideo debet puniri in æterno Dei. Æternum hominis eſt vita præſens. Hic enim eſt ſtatus merendi, & demerendi: æternum Dei

eſt

est alia vita, quæ semper durat. Non enim est conveniens, ut culpa temporalis puniatur pœna perpetua, quum videamus istud servari in humana conversatione, ut dicit Augustinus in lib. de civit. Dei cap. 21. Nam adulterium, homicidium, & hujusmodi, quod committitur, secundum leges humanas punitur morte; & illud quidem maleficium temporale est, & cito transit actus ejus: pœna autem perpetua, quia scilicet separat a vita ista & conversatione hominum, mors, quæ ei infertur, ad quam numquam revertitur.

Sexta ratio est, quia ipse peccator damnatus stat in inferno cum voluntate obstinata in malo semper, & odit Deum punitorem ejus. Unde & propter odium, quod habent ad ipsum, dicit Joan. Apocalyp. 16. quod damnati *commanducaverunt linguas suas præ dolore, & blasphemaverunt Deum, qui habet potestatem super has plagas*. Ratio autem dictat, & justitia exigit, ut etiam dicit Gregorius, quod sicut pœnitentibus, & veniam postulantibus, judex debet misericordiam facere; ita obstinatis & contumacibus nullam debet veniam præstare; & ideo semper puniuntur juste, quum semper sint aversi a Deo, & ei rebelles.

Septem pœnæ inferni.

§. III. Quantum ad tertium principale dico, quod notatur multiplex & varia pœna in inferno, in eo, quod dicitur: *Ad terram tenebrosam* &c. Ubi signantur septem pœnæ infernales. Prima est locatio vilitatis, quia *ad terram*. Secunda privatio deitatis, quia *tenebrosam*. Tertia cruciatio igneitatis, quia *opertam mortis caligine*. Quarta ablatio refrigerabilitatis, quia *ad terram miseriæ*. Quinta excæcatio veritatis, quia *tenebrarum*. Sexta associatio malignitatis, quia *umbra mortis*. Septima implicatio inordinabilitatis, quia *nullus ordo*.

Quantum ad primum dico, quod anima cruciatur in inferno ex vilitate loci, ubi se reperit. Patet enim ad sensum, quia quando nobilis persona est adjudicata, & clausa ab aliquo loco vili, puta si rex ponatur in carcere, etiam si nulla alia pœna sensibili cruciaretur, ex hac solum incarceratione multum doleret. Quum igitur anima sit nobilissima regina, & sciat se esse creatam ad habendum dominium totius mundi, & sibi competat locus cæli Empyrei, qui est super omnes cælos, & videat se detrusam in centrum terræ, qui locus est infernus infimus omnium, ubi etiam secundum Basilium in fine mundi ponetur sex omnium elementorum: nam, ut ipse dicit, tunc proprietates elementorum læsivæ ab eis separabuntur virtute divina, & in infernum mittentur ad cruciatum malorum; ex tali igitur carcere habet magnam pœnam ultra alias etiam, & merito: quia enim terram dilexit plus quam cælum; & ideo *ad terram* condemnata est.

Quantum ad secundum, quia *tenebrosam*, idest lumine gloriæ privatam secundum expositionem Thomæ super Job, dico, quod privatur anima damnata visione deitatis, juxta illud Isai. 26. * *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*. Hæc autem maxima pœna est: parum, & quasi nihil comprehendimus eam, quia nescimus intelligere, quantum bonum Deus est animæ, ipsum possidendo. Tanto enim quis plus dolet de aliquo amisso, quantum illud reputabat magis utile & amabile. Et quia in vita præsenti intellectus noster corpore aggravatus, se habet ad Deum, ut oculus vespertilionis se habet ad lumen solis; ideo parum diligimus ipsum Deum, & parum curamus ipsum amittere. Sed anima timens, quæ aliquantulum gustavit dulcedinem divinæ præsentiæ per gratiam, ex anxietate & pœna, quam sentit, quando subtrahendo sibi ipsi reliquitur, potest aliquantulum, licet valde parum intelligere de tali pœna privationis divinæ divisionis; sed quum anima separatur a corpore, sibi subito infunduntur species omnium rerum naturalium. Unde majorem cognitionem habet de Deo & creaturis, quam nullus philosophus mundi. Et sic cognoscens, quod Deus est summum bonum, & summe utilis animæ, videns se eo privatam sua miseria, quum capax fuerit eum acquirendi, summe dolet; unde Chrysostomus dicit, quod potius vellet pati mille ignes infernales, quam privari Dei visione. Hæc enim visio Dei tantæ pulchritudinis est, tantoque amore dignissima, dicit Augustinus de civit. Dei, ut sine hac quibuslibet, & quantislibet bonis præditum Plotinus existimet infeliciſſimum. Si enim tantus erit splendor gloriæ, qui exibit a Christi humanitate ad judicium venientis, quod sol obscurabitur, qui tunc erit septies lucidior, quam modo sit, quia scilicet non apparebit claritas ejus respectu claritatis Christi; quanta erit claritas gloriæ ejus divinitatis, a qua excluduntur semper damnati?

Animæ separatæ notitia.

Quantum ad tertium dico, quod cruciabuntur in igne, & animæ quidem solæ usque ad diem judicii, postea animæ simul & corpora, ut sicut cum utroque peccavit, cum utroque puniatur; unde dicetur eis, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*; & Judith 16. *Dabit ignem & vermes in carnes ipsorum*, & hic ignis ita acerrime cruciat, ut mors dicatur, & ita obscurus est, ut caligo nuncupetur. Et ideo dicit Job, illam *terram* infernalem *opertam* esse *caligine mortis*, ideſt igne trucidante. Sicut enim mortis pœna excedit omnem pœnam aliam, quæ hic sentitur; sic & ignis inferni, ut dicit Augustinus: *Excellit omnem pœnam, quam umquam aliquis expertus est in vita ista, numquam in carne tanta inventa est pœna, licet mirabilia martyres passi sint tormenta, De pœnit.* Dist. 7. can. ult. Unde & Isaiæ 30. *Præparata est ab heri Tophet a rege præparata, profunda & dilatata. Nutrimenta ejus ignis & ligna multa. Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Tophet* interpretatur *gehenna*, sive aula plena stultorum; gehenna autem est infernus plenus stultis peccatoribus. Hæc dicitur *præparata ab heri*, ideſt ab æterno, *a rege*, scilicet Domino Deo. *Ligna*, quæ nutriunt ignem inferni, sunt peccata reproborum, quæ sicut semper permanent, ita & ignis ille semper cruciat. *Flatus Domini succendens* est influxus virtutis ejus, affligens animas & postea corpora sine eorum consumtione. Est autem ignis ille fæculentus & turbidus, sicut flamma mista fumo, ut non videant, nisi quod est ad augmentum pœnæ eorum.

Quartum est ablatio refrigerabilitatis; & ideo dicitur: *terram miseriæ*. Miseria opponitur felicitati: & sicut felicitas perfecta patriæ supernæ excludit omnem defectum; ita miseria infernalis excludit omne refrigerium & consolamentum. In hac vita sustinemus utique multas miserias; propter quod dicitur Jobi 14. de homine: *Repletur multis miseriis*. Sed inter eas plura habet refrigeria, & scit ipsas miserias tandem debere deficere. Sed in inferno, ubi est summa miseria, nullum refrigerium est, adeo quod dives Epulo, qui tamdiu desideraverat guttam aquæ, ut refrigeraret linguam suam, secundum quod habetur Luc. 16. adhuc obtinere non valuit. Pro gratia singulari damnati reciperent permanere in illis pœnis, saltem tot annis, quot sunt guttæ aquæ maris & grana arenæ ejus, ut postmodum liberi essent, & ex hoc refrigerium aliquod susciperent. Quamvis enim illa innumerabilia sint nobis, finita tamen sunt, & a Deo dinumerata, & sic aliquando finem haberent; sed quum sciunt num-

** Ex Interpretibus LXX.*

quam finem habere pœnam eorum, ideo refrigerio carent. Solet hic ſocietas afflictorum aliquod præſtare refrigerium, juxta illud : *Solacium eſt miſeris ſocios habere pœnarum.* Sed ex eorum ſocietate nullam percipiunt conſolationem, etiam amicorum & parentum, quos hic multum dilexerunt, ſed potius pœnæ augmentum. Unde Auguſtinus de damnatis inquit : *Non propterea minus ardebunt, quia cum multis ardebunt*, 2. quæſt. 1. *Multi* in fin.

Quinta eſt afflictio obſcuritatis ; & ideo dicitur : *Terram tenebrarum.* Sunt enim ibi tenebræ interiores & exteriores. Exteriores quidem, quia neque a radio ſolis illuminantur, neque ab igne illuſtrantur, ubi ſunt. Unde dicitur Matth. 22. *Mittite eum in tenebras exteriores.* Interiores tenebras ſuſtinent, quia lumine gratiæ privantur. Et quamvis ſyndereſis in eis remaneat, quæ eſt lumen rationis, remurmurans contra malum, eſt eis ad pœnam. Et hic eſt vermis ille, de quo dicitur Iſai. ult. *Vermis eorum non morietur.* Adeo autem obſcurati ſunt, ut reputent Deum injuſtum, & odiant eum in quantum punientem ſecundum illud pſal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Et licet ſcientia, quam quis habet in vita præſenti, multum delectet ; illi tamen damnati, etſi retineant ſcientiam hic acquiſitam, & majorem adhuc recipiant, hoc tamen non eſt in eis ad ſublevamentum pœnæ, ſed augmentum, quia cognoſcunt ſua culpa ſe privari perfectione ſcientiæ, quæ ſolum habetur in ſuperna patria, quam valde optant.

Sexta eſt aſſociatio malignitatis ideſt, dæmoniorum ; unde dicitur locus iſte *umbra mortis.* Dicitur autem diabolus mors, quia quantum eſt in ſe, nemini parcit, ſicut & mors, & *umbra mortis*, ideſt ſimilitudo. Quia ſicut mors privat vita naturali ; ita per peccatum diabolus animam vita ſpirituali. Unde Iſaiæ cap. 9. dicitur : *Habitantibus in regione umbræ mortis*, ideſt in peccato, quod eſt regio diaboli, *lux orta eſt eis*, & Apocal. 6. dicitur, quod ſedens ſuper equum pallidum, *nomen illi mors*, & *infernus ſequebatur eum.* Congrue autem talem habebunt ſocietatem, ut quos habuerunt incentores in culpa, hebeant tortores in pœna, ut dicit Gregorius in lib. Moral. qui multipliciter vexabunt eos. Unde Hierem. 16. *Servietis diis alienis*, ſcilicet in inferno, *Diis*, ideſt dæmoniis, *alienis*, ideſt extraneis ab omni miſericordia, *qui non dabunt vobis requiem*, ceſſando ſcilicet a pœnis. Tantus eſt horribilis aſpectus dæmonis, ut quidam religioſus videns eum in corpore aſſumto, ita exterritus eſt, ut exclamando fortiſſime præ pavore ſemivivus remanſit. In ſe autem reverſus quum inquiriretur de cauſſa clamoris & defectionis, reſpondit, ex eo quia diabolum viderat. Et quum interrogaretur de forma ejus, inquit : Neſcirem, nec poſſem vobis deſcribere, ſed unum vobis dico, quod ſi mihi daretur optio intrandi in fornacem ſumme incenſam, vel in ictu oculi dæmonem aſpicerem, præeligerem ipſam fornacem ingredi, ut habetur in Vitis Patrum. Si ergo tantum terrorem incutit aſpectus unus dæmonis, quid faciet aſpectus, & continua converſatio cum innumerabilibus ?

Septimum eſt implicatio inordinabilitatis, quum dicitur : *Ubi nullus ordo inhabitat.* Sicut ordo rerum inducit pulchritudinem & complacentiam, ita ablatio ordinis confuſionem & diſplicentiam. Et ex parte quidem Dei punientis eſt ibi ſummus ordo, ſicut & in cunctis aliis operibus ejus. *Quæ* enim *a Deo ſunt, ordinata ſunt*, ait Apoſtolus Rom. 13. Et ordinem quidem ſervat, ſuperbos cum ſuperbis, avaros cum avaris, luxuriosos cum luxurioſis puniendo. Et hoc innuitur Matth. 13. ubi parabolice dicitur a patrefamilias ſervis ſuis, ideſt a Deo Angelis ſuis : *Colligite zyzania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum* : erit enim unus faſciculus omnium ſuperborum, alius hypocritarum, alius invidorum, & ſic de aliis. Servabit quoque ordinem in exhibitione pœnarum, quia ei, qui plura peccata commiſit, vel graviora, gravior pœna dabitur, juxta illud Apocal. 18. *Quantum ſe exaltavit, & in deliciis fuit*, ſcilicet peccator, *tantum date ei tormentum & luctum.* Servabit & ordinem illum, quem ponit Sapiens Salomon Sapient. 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Peccat enim miſer homo per creaturas male eis utendo, & per creaturas affligitur, non ſolum ignis, ſed etiam aliarum rerum. Unde pſal. 10. *Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum* ; & Salomon Sap. 5. *Pugnabit pro eo*, ſcilicet Deo, *orbis terrarum contra inſenſatos. Tranſibunt* enim, ſicut ait Job 24. *ab aquis nivium ad calorem nimium.* Ecce ordo, qui hic conſuevit ſervari, ablatus eſt : nam quum quis ſuſtinet calorem magnum, non habet frigus, & e converſo. Et tranſeundo de uno ad aliud ſentit refrigerium, ſaltem in principio. Sed in inferno experiuntur & calorem & algorem, & nullam habent conſolationem. Item quum quis patitur aliquod malum, non timet illud, ſed antequam patiatur ; ſed in inferno & patiendo timet, & timendo patitur. Bene igitur ait Pſal. 33. *Mors peccatorum peſſima.* Prima enim, quæ eſt corporalis, eſt mala, ſcilicet naturæ. Secunda, quæ eſt criminalis, eſt pejor. Sed tertia, quæ eſt infernalis, eſt peſſima ; & ideo doctrina Chriſti eſt obſervanda, per quam ipſa *mors peſſima* evitatur, juxta illud Joann. 8. *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.*

CAPUT. IV.

De ſententia eorum, qui aſcendunt in Cælum.

DAtur ſententia a ſuperno judice erga ſecundum genus hominum, ſcilicet omnino purgatorum, qui liberi ſunt ab omni defectu : & iſta eſt cæli via, per quam incedens anima, quum a corpore ſeparatur, immediate pervenit ad ſummam felicitatem & gloriam. De qua Pſalmiſta. 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Et viſio Dei (ut ait Auguſtinus) eſt tota merces. Hanc docuit Chriſtus tenere exemplo ſuo dicens : *Relinquo mundum, & vado ad patrem*, Joann. 16. Reliquit Chriſtus mundum non ſolum quoad præſentiam corporalem, ſed etiam quoad converſationem mundialem, liber ſemper ab omni peccato. Unde dicebat ipſe : *Ego non ſum de hoc mundo*, Joann. 8. Ivit ad patrem per paſſionem, ut per aſcenſionem pararet nobis locum, advocatus noſter factus apud patrem. Unde dixit diſcipulis : *Vado vobis parare locum*, Joann. 14. ideſt ad præparandum vobis regnum ab æterno, vobis diſponendo per gratiæ infuſionem & veſtram exercitationem. Unde Apoſtolus ad Gal. 1. *Tradidit ſemetipſum pro nobis Chriſtus, ut eriperet nos de hoc ſæculo nequam.* Et hoc faciens, ſcilicet relinquens ſæculum, in quantum *nequam*, dicere poteſt : *Relinquo mundum*, &c. Ubi tria nota.

Aſcenſionis Chriſti ratio.

Primum eſt egreſſus a loco animum inficiente, ibi : *Relinquo mundum.*

Secundum eſt progreſſus in bono ad cælum dirigente, ibi : *Vado.*

Ter-

Tertium eſt acceſſus in termino deſiderium implente, ibi: *Ad patrem*.

§. I. Quantum ad primum ſciendum, quod mundus ſecundum aliquod dicitur per antiphraſim, eo quod munditia caret. Sic piſcina, quæ piſce caret. Unde Auguſtinus: O munde immunde, qui te diligunt, non te norunt. Qui autem *voluerit amicus eſſe hujus mundi, inimicus Dei conſtituetur*. Et ideo relinquendus eſt mundus. Sex enim genera malorum reperiuntur in ipſo notata per litteras ipſius dictionis.

Sex genera malorũ ſũt in mundo.

Prima eſt multiplicitas malignitatis.
Secunda eſt vanitas mutabilitatis.
Tertia eſt nullitas tranquillitatis.
Quarta eſt defectuoſitas veritatis.
Quinta eſt veritas periculoſitatis.
Sexta eſt ſervilitas corruptibilitatis

Quantum ad primum dicitur 1. Joan. 5. *Totus mundus in maligno poſitus eſt*, ideſt in malo igne, ſcilicet avaritiæ, concupiſcentiæ, ſuperbiæ, & aliorum vitiorum. Et ideo in figuram hujus legitur Joſue 6. quod Hierico tota igne ſuccenſa eſt, præcepitque Dominus, ut de rebus illis nullus de populo ſuo aliquid ſumeret; & quia Acham contra mandatum fecit aliquid ſubripiendo, lapidatus fuit. Hierico interpretatur *luna*, quia ſicut ipſa eſt aliquando plena, aliquando media, aliquando vacua in apparentia luminis; ita in mundo aliqui ſunt pleni temporalibus, aliqui vacui, aliqui mediocriter ſe habent, & plene; & pene omnes incendit ignis cupiditatis, quæ *eſt radix omnium vitiorum*, ut dicitur 1. Timoth. 6. & quia *bonorum auctori inhærere non valeamus, niſi cupiditatem.... funditus evellamus*, ut dicit Gregorius, Diſt. 47. *Bonorum auctori*; ideo Dominus prohibet accipere res Hierico, ideſt vitia mundi. Qui vero accipit mortem perpetuam incurrit, ſicut Acham corporalem. Unde 1. Joann. 2. dicitur: *Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo ſunt*, ideſt vitia, quæ ſunt in ea mundanis; quia *ſi quis mundum diligit, non eſt caritas patris in eo:* Iſai. 52. *Exite de medio ejus*, ſcilicet Babylonis, quæ interprætatur *confuſio*, ſignificans mundum plenum confuſione peccatorum, *& immundum ne tetigeritis*, ideſt mundo immundo affectu non adhæſeritis, ut poſſitis dicere: *Relinquo &c.*

Quantum ad ſecundum dico, quod in mundo eſt vanitas vertibilitatis, ſeu mutabilitatis; propter quod ait Apoſtolus 1. ad Cor. 7. *Qui utuntur hoc mundo, fiant tamquam non utentes*, ideſt ita utantur rebus mundi, quod in eis finem non conſtituant, nec ut rebus permanentibus inhæreant: & ſubdit: *Præterit enim figura hujus mundi*, non quidem quoad ſubſtantiam, ſed quoad ſuperficialem, quam natura habet, formam, & quoad apparentiam. Apparent enim divitiæ, deliciæ, honores, potentiæ, & hujuſmodi magna bona, quæ omnia cito deficiunt. Unde & in figuram, regionem Sodomæ, quæ videbatur ut paradiſus deliciarum, juſſit Dominus Loth juſtum cum familia ſua egredi, ne involveretur igne & ſulphure vitiorum, & æternæ damnationis, cum eis combuſta illa regione, ut habetur, Gen. 19. Dicit Magiſter hiſtoriarum, quod ibi ex arboribus naſcuntur quidam fructus pulcherrimi aſpectus, ſed ipſis apertis non reperitur in eis niſi favilla, fœtor, ac cinis. Sic & ex mundo, ubi apparet multa pulchritudo, demum finis ejus eſt fœtor vitiorum, ignis tormentorum, & cinis mortuorum. Et quamvis omnia, quæ ſunt in mundo, mutabilia ſint, propter quod ſecundum Iſidorum, mundus dicitur a motu, qui permaximæ mutabilitatis reperitur in homine mundi; ideo dicit pſal. 38. *Univerſa vanitas omnis homo vivens*, ideſt tota vanitas ſeu mutabilitas eſt in homine, ita ut dicat Job 14. *Fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet*. Mutatur enim de ætate in ætatem, de ſano in infirmum, & e contra, de frigore in calorem, & e converſo, de gaudio in mœrorem, & de odio in amorem, & econverſo, & de ſapiente in inſipientem, de una phantaſia cogitationum ad aliam imaginationem, de libero in ſervum, de divite in pauperrimum, de domino in captivum, de gloria in ignominiam, & hujuſmodi; & ſic ut dicitur 1. Joann. 2. *Mundus tranſit, & concupiſcentia ejus*. Quum autem omnis motus ſit quid imperfectum reſpectu quietis, & nuturaliter appetatur perfectum, non imperfectum; ergo relinquendus eſt mundus.

Tertia miſeria mundi eſt nullitas tranquillitatis. Unde Salvator noſter inquit: *In mundo preſſuram habebitis, in me autem pacem*, Joann. 16. Nec mirum quia quum mundus abundet iniquitatibus habere pacem non valet, quia *non eſt pax impiis* dicit Dominus. Sed Chriſtus eſt, qui habet, & dat veram pacem & perfectam: & in ſignum hujus dicit Hieronymus, quod ſcrutando antiquas hiſtorias ſemper reperitur mundus pace caruiſſe, & bellis innumeris laceſſitus uſque ad adventum Chriſti in carne. Tunc enim fuit plena pax per orbem, ad oſtendendum, quod ipſe Chriſtus tunc natus eſt, pax noſtra, auctor, & amator pacis, & dator. Unde dixit diſcipulis, Joann. 14. *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*; pax mundi, ideſt amatorum mundi, eſt gaudere in temporalibus, triumphare in honoribus, deliciis affluere, tribulationibus carere. Concordare invicem in peccatis committendis, non contriſtari pravos in vitiis corrigendis. Sed hoc modo Chriſtus non dat pacem, ſed pax ejus eſt ſubjectio carnis ad ſpiritum, dilectio animi ad proximum, conformatio voluntatis ſuæ ad Deum. Et hanc utique *mundus dare non poteſt pacem*, ut canit Eccleſia. Quantum autem mundus careat tranquillitate & pace interiori & exteriori, omnibus patet, quum vix reperiatur domus una, in qua non contingat frequens diſcordia. Sic & prima domus Adæ habuit bellum inter filios, & arca Noe inter fratres, & ſchola Chriſti inter diſcipulos. Quum igitur tranquillitas & pax multum appetatur, & in mundo parum habeatur; ergo relinquendus eſt.

Quarta miſeria mundi eſt defectuoſitas veritatis ſeu cognoſcibilitatis. Unde Salvator noſter Joann. 17. inquit: *Pater juſte, mundus te non cognovit*. Sed neque ipſum Chriſtum Dei filium intellexit, ut dicitur Joann. 1. *Mundus eum non cognovit*, ſcilicet verbum incarnatum. Ipſum quoque ſpiritum veritatis percipere non valet, prout Salvator dicit diſcipulis ſuis, Joann. 14. *Spiritum mundus non poteſt accipere, quia non vidit eum, nec ſcit eum*. De divinis igitur parum vel nihil ſcit ſeu cognoſcit mundus, ubi eſt ſumma & perfectiſſima veritas. De humanis & naturalibus pauciſſimas cognoſcit veritas per ſcientiam. Naſcitur ſiquidem anima noſtra ſecundum philoſophum ſicut tabula raſa, in qua nihil eſt pictum. Et ſi poſtea aliqua addiſcat, tamen cum multa difficultate & temporis prolixitate, & frequenter miſta falſitate. Unde & omnes philoſophantes, qui ſpiritum veritatis non acceperunt, in multis erraverunt. Propter quod dicit Apoſtolus 1. Cor. 3. quod *ſapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum*: & iterum: *Stultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi*, ſcilicet apparere, dum per effectum oſtendit ſe poſſe agere, quod illi dicebant impoſſibile, neſcientes Dei

Mundus falſitate plenus.

omnipotentia. Unde apte figuratus eſt mundus per Ægyptum, quæ interpretatur *tenebræ*, quæ & ita denſiſſimis tenebris flagellata eſt, ut per triduum alter alterum videre non poſſet, nec de loco moveri ſuo, Exod. 10. Et ipſa dicitur mater ſuperſtitionis, & idololatriæ, de qua Ægypto juſſit Dominus exire populum ſuum. Quum ergo tenebras horreamus, & lucem veritatis naturaliter appetamus, relinquendus eſt mundus, &c.

Quinta miſeria eſt varietas periculoſitatis: *Qui navigant mare*, inquit Sapiens, *enarrant pericula ejus*, Eccleſiaſtici 43. quia ſcilicet frequenter ea experiuntur. Mare autem amarum ſecundum doctores ſignat mundum. Quia ſecundum Boetium 2. de conſol. proſ. 4. * Felicitatis humanæ dulcedo multis amaritudinibus reſperſa eſt. *Navigant* autem qui converſantur in mundo, & hi experiuntur *pericula ejus*. Qualia expertus Pſalmiſta pſal. 114. ait: *Pericula inferni invenerunt me.* Nam quum lapſus eſt de alta contemplatione & perfectione in adulterium & homicidium, periculum incurrit intrandi infernum. Et ſic diſcurrere vales per exempla ſanctorum, & lapſus eorum, ut Adæ, Saulis, Moyſi ad aquas contradictionis, Ezechiæ, Salomonis, Judæ proditoris, Nicolai e ſeptem diaconibus, & in Vitis patrum, clare videbis pericula varia & noxia mundi, quæ ſine Dei adjutorio vitari non poſſunt. Solus Chriſtus omnia evaſit pericula, quia impeccabilis erat. Et ſecundum hoc poteſt intelligi illud dictum Judæis, Joann. 8. *Vos de hoc mundo eſtis, ego non ſum de hoc mundo*, ſcilicet periculis vitiorum ſubjectus, ſicut & vos. Unde B. Antonius videns in oratione mundum laqueis plenum connectentibus ſe invicem, exclamavit: O quis iſtos evadet, ſcilicet laqueos periculorum! & reſponſum fuit: Sola humilitas. In cujus figuram diſcipuli navigantes cum Chriſto, orto periculo naufragii, clamaverunt humiliter dicentes: *Domine, ſalva nos, perimus*, Matth. 8. Quum autem naturale ſit evitare pericula, ergo relinquendus eſt mundus: *Relinquo mundum* &c.

Sexta miſeria eſt ſervitus corruptibilitatis. De qua Apoſtolus ad Rom. 8. *Ipſa creatura liberabitur*, ſcilicet egrediendo per mortem de mundo *a ſervitute corruptionis*, ideſt corporis corruptibilis. Multipliciter enim ſubjicimur, partim neceſſitatibus, partim voluptatibus corporis, & frequenter vincimur ab appetitibus ejus, ideſt ſenſualitatis. Dicitur autem 2. Petri 2. *A quo quis victus eſt, ejus & ſervus eſt*. Narratur in lib. de 7. donis, quod quum quidam nobilis fuiſſet ingreſſus religionem, ejus germanus, hoc audito, quum eſſet miles & potens diſpoſuit in mente illum reducere de religione. Unde ſumens ſecum arma & ſocios, quum illa die non poſſet ad monaſterium applicare, contingit eum in ſilva dormire, ubi habuit talem viſionem. Videbatur ſibi quieſcere in amœno prato, & quod ſex juvenes a dextris ejus eſſent, & tres a ſiniſtris, & cœperunt dicere: Pugnemus adinvicem. Et concordantibus ad hoc dixerunt: Manifeſtemus prius nomina noſtra, quilibet dicat ſuum. Dicit ergo primus eorum, qui erat a dextris: Ego vocor pulchritudo. Dicit ſecundus, & ego ſanitas. Tertius dicit, ego ſum juventus. Quartus ait, ego fortitudo. Quintus, ego divitiæ. Sextus, ego ſpes vanæ vitæ. Eorum autem, qui erant a ſiniſtris, dixit primus, ego vocor infirmitas. Secundus, ego vocor ſenectus. Tertius, & ego mors. Incipit ergo bellare infirmitas contra primos duos, qui erant a dextris, ſcilicet pulchritudinem & ſanitatem, & proſtravit eos, quia infirmitas aufert pulchritudinem & ſanitatem. Senectus pugnat contra alios duos, ſcilicet fortitudinem & juventutem, & eos dejecit & proſtravit. Demum mors contra divitias & ſpem vitæ, & aufert eos de mundo. Dicunt tandem iſti tres: Occidamus nunc iſtum juvenem. Qui hoc audiens expergefactus valde timuit. Et quum veniſſet ad monaſterium, & narraſſet germano viſionem; expoſuit germanus ille viſionem, ſcilicet quod pratum amœnum erat mundus, in quo quieſcebat, & ſex juvenes erant ſex, quæ ſunt in mundo, quæ videntur magna eſſe, ſed omnia deficiunt; & ſic induxit eum ad contemtum ejus. Sed iſta eſt differentia inter bonos & malos, quia boni etſi ad horam ſerviunt ſenſualitati, non tamen, ut dominetur eis; mali autem ſervi efficiuntur ipſius ſenſualitatis. Chriſtus autem etſi voluntarie fecit ſe ſubjectum neceſſitatibus corporis, ut fami, quum eſuriret in deſerto, ſiti, quum ad fontem Jacob ſitiret; tamen numquam vel ad momentum ſenſualitati ſervivit præter rationem; & ſic poteſt intelligi illud dictum diſcipulis Joann. 17. *Jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt.... Non rogo, ut tollas eos de mundo; ſed ut ſerves eos a malo*, ne ſcilicet in eis dominetur iniquitas. Relinquendus eſt ergo mundus, ſicut & ſervitus abjicienda, ut cum Chriſto dicat: *Relinquo* &c.

§. II. In ſecundo principali notatur progreſſus de bono ad cælum dirigente, quum dicitur, *vado*. Quamvis Chriſtus non tunc actualiter iverit ad patrem, præſentiam ſuam corporalem ad cælum deferendo, ſed in aſcenſione ſua, propter quod exponi poteſt, *vado*, ideſt, *vadam*, quod de propinquo erat futurum; tamen continue actualiter ibat ad patrem anima ejus videndo & fruendo ejus divinitate, ac etiam quotidie per electos ſuos, qui ſunt membra ejus, vadit ad patrem. Sunt autem ſex viæ, quibus relinquendo mundum in morte immediate itur ad patrem cæleſtem, ſcilicet Jeſum Chriſtum.

Prima eſt martyrii tolerationis.
Secunda eſt baptiſmalis purificationis.
Tertia eſt intentionalis compunctionis.
Quarta eſt virtualis perfectionis.
Quinta eſt diutinalis tribulationis.
Sexta eſt indulgentialis plenæ conceſſionis.

Quantum ad primum communis ſententia doctorum eſt, quod qui martyrium ſuſcipit pro fide Chriſti, vel etiam pro quacumque virtute conſervanda, vel [1] exercenda decedens, immediate ingreditur cælum. Unde cantatur de ſanctis martyribus: *Sancti tui mirabile conſecuti ſunt inter ſervientes præceptis*, Sap. 19. & paullo poſt: *In mari rubro apparuit via ſine impedimento: via*, ſcilicet ad cælum: *In mari rubro*, ſcilicet effuſione ſanguinis, *ſine impedimento*, ſcilicet culpæ &

* *Felicitas hujus mundi.*

Pugna ſenectutis.

Sex ſunt viæ, per quas itur ad cælum.

Martyrii.

1

1 Erunt forte non nulli, qui martyrium proprie dictum non habebunt illud, quo quis in exercitio alicujus virtutis mortem oppetiit. At Benedictus XIV. catholicæ Eccleſiæ feliciter & utiliter præſidens, qui quattuor immenſi operis, eruditionis, ac doctrinæ volumina jam Cardinalis Bononiæ Archiepiſcopus edidit *de Beatificatione & Canonizatione*, in tertio volumine de martyrio & cauſſis martyrii fuſe diſſerens omnem difficultatem diſſolvet. Etenim cap. 11. oſtendit quidem ſatis luculenter ad martyrium proprie dictum requiri tyrannum; a quo mors inferatur, ut proinde ii, qui peſte infectis ſervientes, ex ipſo tantæ caritatis exercitio vitam obeunt, ex perſecutoris mortem infligentis defectu martyres proprie dicti vere non ſint, tametſi ad martyrii meritum quam proxime accedant. At ſi perſecutor non deſit, non ſolius fidei, ſed cujuſcumque virtutis, *prout a fide Chriſti præſcribitur*, cauſſam, ob quam mors inferatur, ad martyrium proprie dictum ſatis eſſe demonſtrat.

& pœnæ debitæ, quæ tollitur per martyrium; unde in Apocal. de martyribus dicitur Apoc. 7. *Laverunt ſtolas ſuas*, ideſt animas, & *candidas eas fecerunt*, ideſt purificatas, *in ſanguine agni*, ideſt in paſſione Chriſti, quam ſunt imitati. Hinc & Cyprianus in ſermone: O dedicata paſſio, & glorificata confeſſio, abſolvitur per martyrium anima a vinculo carnis, & in cælo cum triumpho elevatur ab Angelis! Et propterea dicitur extra *De celebr. miſſ.* cap. *Quum Marthæ*, quod *injuriam facit martyri, qui orat pro martyre*, quia videlicet indubitanter creditur ad cælum evolaſſe. Et qui ſunt in cælis, quum nullo bono careant, aliorum non indigent ſuffragiis. Quod etiam per plura exempla oſtenſum eſt animas martyrum ſubito volare ad patrem cæleſtem. Sicut legitur de Tiburtio & Valeriano, quorum animas vidit Maximus in puncto martyrii aſcendere in cælum. Et B. Emerentiana collectanea B. Agnetis, ſine baptiſmo aquæ baptizata proprio ſanguine fuſo ad cælum evolavit, & multis aliis.

Baptiſmatis purificatio.

Secunda via immediata ad cælum eſt purificatio baptiſmalis. In cujus figura filii Iſrael viam facientes per Jordanis fluvium, eo tranſacto immediate intraverunt terram promiſſionis. Jordanis, in quo Chriſtus baptizatus eſt, & inde collata eſt virtus in Baptiſmo, ſignificat baptiſmum. Per hunc tranſit cum Joſue, qui Baptiſmum recipit & Jeſum fide. Et hic eſt effectus ejus, ut ſanctificatus intret in regnum cælorum, ſignatum per terram promiſſionis, ſi tunc moritur, quantacumque peccata originali addidiſſet. Et ad hoc oſtendendum baptizato Chriſto *aperti ſunt cæli*, & vox Patris intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus*, Matth. 3. Quod intelligitur non ſolum de Chriſto, ſed & de quocumque baptizato debite, in quantum ſcilicet filius eſt per adoptionem. Filio autem debetur paterna hæreditas. Hanc viam tenent omnes parvuli baptizati decedentes ante uſum rationis, quia ſcilicet ſubito evolant; & ideo pro eis orare non oportet, & ſiquod officium pro eis fiat in Eccleſia, magis ſit ad conſolationem vivorum, quam pro adjutorio ipſorum.

Contritio.

Tertia eſt intentionalis compunctionis. De qua poteſt intelligi illud pſal. 76. *In mari via tua*, ideſt in magna amaritudine compunctionis eſt via Dei ad cælum. Non tamen quæcumque compunctio ſeu contritio eſt via immediate ducens ad cælum, quum quis decedit; ſed oportet, quod ſit valde intenſa, ita quod auferat omnem culpam & debitam pœnam. De qua dicitur Thren. 2. *Magna eſt velut mare contritio tua*. Hanc, quia habuit Diſmas latro, ſcilicet ille, qui cum Chriſto crucifixus eſt a dextris ejus, audire a Chriſto meruit: *Hodie mecum eris in paradiſo*, Luc. 23. Non enim martyrium fecit illum ſubito decedentem paradiſum introire, quia martyr non fuit, quum pro ſuis ſceleribus damnatus fuerit, non pro fide, ſed propter maximam ſui compunctionem. Hanc etiam creditur habuiſſe Maria Magdalena, quæ cum lacrymis ſuis lavit pedes Domini Jeſu. Similiter & de quadam meretrice legitur, quod, audita quadam prædicatione, tanta compunctione & lacrymarum effuſione ad confeſſionem acceſſerit, quod in proceſſu ipſius præ dolore mortua eſt. Et quum prædicator dubitans de ejus ſalute recommendaret populo, vox de cælo audita eſt, quod non indigeret illa eorum orationibus, potius ipſi ſuis, quia immediate ad cælum evolaverat. Et de hujuſmodi tam intenſa compunctione ad litteram intelligitur illud dictum Auguſtini in lib. de pœnitentia, & allegatur *De pœnit.* Diſt. 3. *Sunt plures:* quod *vera pœnitentia ad puritatem baptiſmi conatur adducere pœnitentem*.

Caritas.

Quarta via eſt virtualis perfectionis, de qua Proverb. 4. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem*, ideſt perfectam converſationem. Hæc perfectio conſiſtit in perfectiſſima caritate, quæ ſecundum Apoſtolum ad Coloſſ. 3. *eſt vinculum perfectionis*.

Ejus ſigna.

Hujus effectus & ſigna ſunt martyrii deſiderium pro Dei honore & proximi ſalute, carnem ſpiritui ſubjectam experiri, ſedatum eſſe ſatis a paſſionibus, & ſi aliquando aliquantulum inſultum aliquem ſentiat cogitationum turpium, non multum moleſtari, Deum animo occupari per contemplationem, concipere viſionis ejus effectum, peccati odium, mundi faſtidium, vitam præſentem in patientia habere, mortem in deſiderio, in aliis exercitiis, niſi quantum caritas urgeat, non delectabiliter occupari, ſed magis contemplationi & lectioni vacare. Per hanc viam hortatus eſt Dominus Abraham incedere, quum ei dixit: *Ambula coram me, & eſto perfectus*, Gen. 17. ideſt totaliter dirige mentem tuam ad me, omnia ad me referendo, & meæ voluntati te ſubjiciendo, ſic eris perfectus. Hanc perfectionem intraverat Apoſtolus, quum dicebat Philip. 1. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Et iterum cap. 3. *Quæ retro ſunt, oblitus .... ad bravium ſupernæ vocationis feſtino. Quicumque perfecti ſumus, hoc idem ſentiamus*. Hanc conſecuti ſunt viam perfectionis B. Bernardus, Benedictus, Dominicus, Franciſcus, Thomas & alii. Et ideo ſubito eis apertæ ſunt januæ cæli immediate in eorum tranſitu, ut patet in eorum legendis de eorum tranſitu per varias viſiones. Et ad hanc viam perfectionis intrandam inſtitutæ ſunt religiones ſanctæ & cæremoniæ & ſtatuta earum ſunt adminicula & media ad iſtam viam. Et quum per medium veniatur ad extremum, qui ferventer non tepide progrediendo, non retrocedendo, voluntatem propriam abnegando, non ſuperioribus detrahendo, non otio, & confabulationibus & murmurationibus vacando, ſecundum piis exercitiis, orationi, devotioni, contemplationi, in officio attentioni inſiſtendo, quum his infimum ſe æſtimando: ſic qui per hujuſmodi media ad perfectionem veniet, cælum introibit. Nam ſecundum B. Thomam in ſumma pie creditur religioſo in ſuſceptione habitus præcipue profeſſorum debito modo omnia peccata ſibi remitti, etiam quoad pœnam. Et in 4. ſententiarum inducit ſententiam, quam habetur in Vitis patrum, ſcilicet quod ſuper hujuſmodi eadem gratia deſcendit, quam ſuper baptizatos. Et devotus Bernardus dicit, quod tales confidentius moriuntur & copioſius remunerantur.

Tribulationis via patienter tolerata.

Quinta via eſt tribulationes patienter tolerare. Sap. 10. dicitur de hac via: *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei*. Et paullo poſt: *Honeſtavit illum in laboribus*, quaſi diceret: Labores & tribulationes ſunt viæ rectæ, per quas oſtendit Deus perveniri ad regnum ſuum. Propter quod & ipſe dicit Hier. 31. *Adducam eos per torrentes aquarum per vias rectas. Torrentes aquarum* ſignant tribulationes magnas. Et Act. 14. dicitur, quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*. In cujus figuram Dominus populum ſuum non per viam planam ſeu propriam, quæ erat brevior & facilior, *ſed per viam deſerti circumduxit*, ut habetur Exodi 13. quæ via erat multum aſpera, & in ipſa ſuſtinuerunt multos labores & tentationes, & exinde intraverunt terram lacte & melle manantem, quæ ſignat cæleſtem patriam. Pauciſſimi tamen intraverunt, quia & pauci ſunt, qui viriliter adverſis utantur. Ad quod etiam facit, quod ait Gregorius, videlicet:

Ab electis ſuis Deus maculas peccatorum temporali afflictione curat abſtergere, quas in eis in æternum non vult videre, De pœnit. Diſt. 1. *Si peccatum*. Nec tamen omnis tribulatio & afflictio liberat hominem a peccato; ſed contritum & humiliatum. Nec etiam contritum liberat ab omni pœna communiter, ſed a quota, ideſt certa quantitate plus & minus, ſecundum patientiam & devotionem ſuſtinentis & gravitatem doloris & diuturnitatem temporis. Unde tot poſſet quis ſuſtinere, & tamdiu devote, quod plene purgatus in fine ſubito ad cæleſtem patriam evolaret. Exemplum de Lazaro mendico ulceribus pleno portato ab Angelis in ſinum Abrahæ, Luc. 16. Et ſimiliter de Tarſilla & Servulo in 4. Dialog.

Indulgentia non prodeſt impœnitentibus.

Sexta via eſt indulgentiarum, quæ dicuntur plenariæ conceſſæ particularibus perſonis in articulo mortis, vel alicui Eccleſiæ, quas ſolus Papa poteſt conferre. Et de hac poteſt intelligi illud Iſai. 35. *Hæc via ſancta vocabitur*. Et Eccleſiaſtici 17. *Pœnitentibus dedit viam juſtitiæ*. Signanter dicit *pœnitentibus*, quia impœnitentibus nulla valet indulgentia. Per indulgentiam ipſam appellat *viam juſtitiæ*, dum videlicet debita peccatorum, ideſt pœnæ, ad quas ſunt obligati, non ex abrupto dimittit, ſed facit ſibi ſolvi de theſauro Eccleſiæ, ſcilicet merita, ſeu ſatisfactiones Chriſti, & ſanctorum per eum, cui commiſſus eſt talis theſaurus, ſcilicet Papam. Exigitur etiam ibi quædam juſtitia æquitatis, ut ſcilicet Papa diſcrete & rationabiliter concedat, & recipiens id, quod injungitur in forma indulgentiæ, adimpleat cum plena devotione; & talis niſi ponat obſtaculum, ſecundum Raynerium & Hoſtienſem decedens immediate ad cælum evolat.

Per aliquam igitur iſtarum viarum, oportet quemlibet incedere, ſi vult poſſe dicere: *Vado ad patrem*, ſcilicet immediate poſt mortem. Si tibi dura videtur via martyrii prima, ſaltem incede per quintam. Nam ſecundum Gregorium martyres ſine ferro eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo teneamus. Si ſecundam viam egreſſus es, ſcilicet puritatem & innocentiam baptiſmalem, intra per tertiam, ſcilicet perfectæ pœnitentiæ. Si peccatorum pondere gravatus, tempus non videtur tibi poſſe ſufficere ad ſatisfaciendum, ingredere monaſterium, ut conſuluit Stephanus Papa quemdam ſceleroſum *humiliare ſub manu abbatis*, ſeu alterius ſuperioris, ut Deus *refrigeret animam tuam*, 33. quæſt. 2. *Admonere*. Si autem durus tibi videtur hic ſermo, ad indulgentias recurre debito modo. Et poſſunt iſta ſex media evolandi ad cælum ſignari per ſex hydrias aquæ repertas in nuptiis ob purificationem. Hæc omnia valent ad purificandum peccata, & hæ ſunt in nuptiis Eccleſiæ militantis decoratæ per præſentiam Chriſti, ut habetur Joann. 2. Aqua autem in vinum convertitur, quia tales viæ & ſtatus ſunt aſperæ & difficiles, ſed convertuntur in vinum ſuave ſpiritualis conſolationis.

Viſio Dei explet omne deſiderium.

§. III. Quantum ad tertium, ſciendum, quod attingendo ad patrem cæleſtem, & per eſſentiam ipſum videndo, impletur omne humanum deſiderium. Unde & Philippus dixit Joann. 14. *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis*. Nihil enim aliud eſt ad ſufficientiam. *Non* enim *ſufficiunt panes ducentorum denariorum*, inquit ipſe Philippus, Joann. 6. Denarius imaginem regis habens, eſt Angelus intellectualis, homo rationalis, & Scriptura divinalis. Quodlibet horum habent in ſe imaginem regis æterni. Centenarius ſignat perfectionem; quia quantumcumque Angelus, & homo, & Scriptura ſit quid perfectum, & totaliter & plene poſſideatur, non ſufficit panis, ideſt refectio ejus ad ſufficientiam, etſi aliqualiter reficiat. Sed Pater perfecte reficit. Qui autem videt Patrem, videt & Filium & Spiritum ſanctum in una deitate. Et *hæc*, inquit Salvator, *vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum patrem, & quem miſiſti*, ſcilicet per incarnationem attributam Spiritui ſancto, *Jeſum Chriſtum* in humanitate & deitate unitum, Joann. 17. *Quomodo* autem *miſeretur pater filiorum*, ait pſal. 102. *miſertus eſt Dominus timentibus ſe*. Bonus pater, etſi filii ejus delinquant, corrigit. Unde Ambroſius: *Non ſemper oſculatur pater filios, ſed aliquando caſtigat: & quum caſtigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur*, 5. quæſt. 5. can. 3. Sic & Deus pater caſtigat ſuos in præſenti. Et quia humiliantur, & ut legitimi ſe habent, timorem filialem oſtendentes ad patrem ſuum, dimittit eis hæreditatem; ſic & pater cæleſtis facit electis ſuis, ut ſint ſecundum Apoſtolum Rom. 8. *hæredes quidem Dei*, ſcilicet patris, *cohæredes autem Chriſti*. Dicitur autem *pater miſericordiarum*, & *Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*, ſcilicet quam in præſenti habuimus, 2. ad Cor. 1. *Pater* quidem dicitur *miſericordiarum*, quia & hic ſubvenit miſeriis noſtris, & illic liberat ab omni miſeria: *Pater* eſt *conſolationis* præbendo gaudium ſupernæ fruitionis.

Deus ab omni miſeria nos liberat.

Et quoad primam miſeriam mundi, ſcilicet malignitatem peccatorum, propter quæ affliguntur homines, & conſcientia remordet, liberat Deus pater, & conſolatur in regno, quia *nihil coinquinatum introibit in illam, aut faciens abominationem*, ſed *ſine macula ſunt ante thronum Dei*, ut habetur Apoſt. 14. Nullus enim ibi peccare poteſt. Unde Salvator Lucæ 12. *Complacuit patri veſtro vobis dare regnum*. Sed *regnum ejus*, ut dicitur Dan. 7. *non corrumpetur*, ſcilicet per aliquod vitium.

Liberat ſecundo pater ipſe a miſeria mutabilitatis, quia anima mutari non poteſt niſi per ſanctas cogitationes & affectiones, non diſcurrendo de noto ad ignotum, ſed ſimplici intuitu veritatem accipiendo. Corpus etiam poſtea non variabitur de ætate in ætatem, de ſanitate in infirmitatem, de divite ad pauperiem, nec aliis modis. Unde dicitur Iſai. 25. quod in convivio, quod Dominus celebrabit in monte: *Faciet*, inquit, *Dominus in monte hoc convivium pinguium*. Et paullo poſt ſubdit: *Et mortem præcipitabit in æternum*. Mutabilitas ſecundum Hieronymum eſt quædam mors, unde Jac. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio.*

Liberat tertio a nullitate tranquillitatis, ideſt a guerris, diſcordiis, & aliis inquietatibus, quæ verſantur in mundo. Nam ibi *ſedebit populus in pulchritudine pacis, & requie opulenta* &c. Iſaiæ 32. *Pulchritudinem* appellat ipſum ordinem pacis ſummum. *Requiem opulentam* tranquillitatem ad multa ſe extendentem. Nullus enim ibi poteſt egredi civis, nec intrare hoſtis, immo nec appropinquare ibi ſecundum Alchuinum. Nulla pulſat honoris ambitio; nemo iraſcitur; nemo læditur; inſidiæ dæmonum nullæ, ſed conſona cuncta, & jucunda ſunt omnia. Ex prædictis enim vitiis ſequuntur diſcordiæ & alia vitia. Sed ibi nulla diſſenſio, nulla ſeditio, nulla contentio, ſed omnes concordant in una voluntate, quam Dei eſſe conſtituunt. Eſt igitur hic pater *princeps pacis*, & *futuri ſæculi*, Iſaiæ 9.

Liberat a quarta, ſcilicet defectus cognitionis. *Tenebræ* enim vitiorum *operiunt terram*, & *caligo* errorum *populos*, Iſaiæ 60. Sed in illa patria omnes *ſcient me a majore uſque ad minorem*, Hier. 31. Et allegatur ab Apoſtolo ad Hebr. 8. Licet non eiſdem verbis. Et hæc ſcientia perfecta eſt, & cla-

clara. Unde & Auguſtinus de civit. Dei allegans Plotinum, ſeu Porphyrium eunuchum, dicit, egrediendas eſſe animas a corporibus ad patriam, ibique patere omnia. Unde dicit Chriſtus, Lucæ 22. *Diſpoſuit pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Menſa iſta eſt idea divinæ mentis, in qua tot ſunt fercula, quot ſunt creaturæ cum virtutibus ſuis, quæ omnes in ſe conſideratæ unum faciunt, prout in ipſo Deo.

Liberat a quinta, ſcilicet a periculis, quia ibi nullum periculum nec quoad animam, nec quoad corpus. Sicut enim hic corpus electorum fuit ſubjectum ſpiritui; ita ibi perfectius ſubjicietur, ſubito exſequendo, quod voluntas appetierit, quæ non niſi rationabilia deſiderare poterit; & ſic nullus peccare poteſt. Et hoc eſt, quod dicit Salvator Joann. 10. *Nemo rapiet oves meas*, ideſt electos, *de manu patris*, præcipue in regno. Sed etſi hic aliquando rapiuntur a diabolo, tamen revertuntur.

Liberat a ſexta, ſcilicet a ſervitute corruptionis, quia omnes defectus, quos hic patimur, famis, ſitis, infirmitatis, & hujuſmodi, auferet. Unde Apoc. 21. dicitur: *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum, & non eſurient nec ſitient amplius*, &c. Unde Bernardus: O vita vitalis, o vita ſempiterna, & ſempiterne beata, ubi gaudium ſine mœrore, requies ſine labore, dignitas ſine tremore, perpetuitas ſine corruptione, opes ſine amiſſione, ſanitas ſine languore, abundantia ſine defectione, vita ſine morte, beatitudo ſine calamitate perpetua eſt, ubi omnia bona perfecta in caritate ſunt, ubi ſpecies, & viſio Dei facie ad faciem, ubi plena ſcientia in omnibus, & per omnia, ubi ſumma bonitas Dei cernitur, & lumen illuminans a ſanctis glorificatur, ubi præſens Dei majeſtas conſpicitur. Et hoc vitæ cibo ſine defectu mens intuentium ſatiatur. Vident, & videre deſiderant; ſine anxietate deſiderant, & ſine faſtidio ſatiantur. Hæc ille. *Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis*, ſcilicet ſublevari a miſeriis. *Ipſe enim pater amat vos*, Joann. 16. Et ut perfectus amicus liberabit in regno ſuo electos ab omni languore.

CAPUT V.

De his, qui ſententiantur ad purgatorium.

DAtur ſententia a ſuperno judice erga tertium genus hominum, quod eorum animæ, quum ſeparantur a corporibus, vadant ad locum temporalis purgationis, quia ſecum portant aliquid infectionis. Et in eorum perſona dicit pſal. 65. *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* In quibus verbis ad Dominum directis poſſunt tres concluſiones notari.

Prima, quod non perpetuo cruciantur, ibi: *Tranſivimus.*

Secunda, quod pro peccato, ſcilicet in gratia affligantur, ibi: *Et aquam.*

Tertia, quod ſuffragio alieno liberantur, ibi: *Eduxiſti nos in refrigerium.*

§. I. Quantum ad primum ſciendum, quod quum anima recedit a corpore, ſi non eſt plene purgata, & libera ab omni culpa & debito pœnæ, non eſt idonea ad intrandum regnum cæleſte. Sed etſi non defert ſecum mortalia peccata, non eſt etiam digna gehenna, ſed eſt medius locus, qui ſcilicet dicitur purgatorium, quo deſtinatur ob ſui purificationem ad tempus. Et ideo dicere poſſunt animæ ipſæ: *Tranſivimus per ignem*, ideſt non ſemper manſimus. Unde Apoſtolus 1. ad Cor. 3. dicit: *Si quis ædificaverit ſuper hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, & ſtipulam... ipſe ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, ſcilicet tranſeundo. Ædificium ſpirituale eſt multiplicatio bonorum operum. Quot enim bona opera fiunt, quaſi tot lapides ſuperponuntur. Fundamentum hujus ædificii eſt fides Chriſtiana, ſine qua ſpiritualiter ædificari non poteſt. Lignum, fœnum, & ſtipula, quæ non durat in igne, ſignant diverſa peccata venialia graviora vel leviora, quæ quis immiſcet inter bona opera ſua. Et ſic dicitur *ſuperædificare*; non quia ſint quaſi ad meritum pertinentia, ut bona opera, ſed quia ſunt non deſtruentia ædificium ſalutis ſecundum Thomam in 4. Hujuſmodi igitur ſecum deferentes ſalvi fiunt, *ſic tamen quaſi per ignem* purgatorii tranſeuntes. Nec tamen *quaſi* ibi eſt nota ſimilitudinis, ſed expreſſio veritatis, ut illud *quaſi unigeniti a patre*, Joann. 1. Et quia ignis in Scriptura ſignat afflictionem, ſecundum quem intellectum dixit Joannes Baptiſta de Chriſto: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne*, Matth. 3. ideſt abluet, & purificabit vos gratia, & pœna afflictiva; ideo ſciendum, quod ſunt quattuor afflictiones animarum, quæ ſunt in purgatorio.

Quattuor ſunt afflictiones purgatorii.

Prima eſt ex privatione viſionis Dei ad tempus.

Secunda eſt ex inſultatione, & viſu dæmonis,

Tertia eſt ex cruciatione materialis ignis.

Quarta eſt ex conſideratione negligentiæ ſubventionis.

Quantum ad primum notandum, quod anima, dum in purgatorio demoratur, Dei viſione privatur, & cum ſummo deſiderio ſeparata a corpore affectat Deum videre, cognoſcens ipſum eſſe ſummum & perfectiſſimum bonum, quod ſolam ipſam poteſt quietare, videns ſeipſo privari, etſi ad tempus propter ſuum defectum ſumme dolet. Unde clamat mentaliter cum pſal. 41. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam*, &c. licet enim ſperet ſeipſum viſurum; tamen, ut dicitur in Proverbiis cap. 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam*, & tanto magis, quanto res ſperata magis amatur. Tam enim intenſum eſt deſiderium animæ videndi Deum, quod nullius deſiderio in præſenti adæquari poteſt. Nam etſi Jacob patriarcha multum affectaverit videre filium ſuum Joſeph Ægypto præſidentem, quem mortuum æſtimabat, & regina Sabba vehementer optaverit videre regem Salomonem, & audire ſapientiam ejus, quod regnum dimiſit, veniens a finibus terræ, & Simeon juſtus tanto fervore cupierit videre Chriſtum Dominum, quod pro alio vivere non valebat; tamen quilibet harum affectionum minor eſt illa animæ ſeparatæ inhiantis Deum videre. Et hæc maxima ſuper omnes pœnas eorum, qui ſunt in purgatorio ſecundum Thomam in 4. & Chryſoſtomum.

Secunda afflictio eſt dæmonis irridentis. Solet enim homini eſſe valde anguſtioſum, quum videt inimicum ſuum inſultare, & irridere de pœnis ejus. Et propter hoc Razias vir venerabilis, & magnæ opinionis in populo Iſrael, ne captus illuderetur ab inimicis, projecit ſe ex feneſtra inter turbas, inteſtina, quæ egrediebantur de corpore ejus, projiciens ſuper eos, ut habetur 2. Mach. 14. Ipſi ſiquidem dæmones poteſtatem non habent torquendi animas purgandas, ſicut animas damnatas, quum fuerint in præſenti eorum victores; ſed aſſiſtentes ante eas irrident, & inſultant eis de ſuppliciis ſuis ſecundum Thomam in 4. Pie tamen creditur, quod & Angeli boni aliquando viſitent eos, & confortent. Unde legitur

Medius locus purgatorii.

de

Exemplum. de quodam, qui diu infirmus jacuerat, quod attædiatus ſuper hoc pluries Dominum rogaverat, ut eum de ſæculo evocaret, cui Angelus Dei apparens ex parte Dei ſibi optionem dedit, ut eligeret alteram horum, aut tunc mori, & per diem integrum in purgatorio manere, aut per aliquos adhuc in infirmitate perſeverare, & poſtmodum moriens ad cælum ſubito evolaret, qui elegit tunc mori, conſiderans diem unam cito tranſituram. Quo facto quum anima illa jam per horam in purgatorio perſtitiſſet, ultra pœnas acerbiſſimas alias a dæmoniis illuſus, apparuit ei Angelus Domini dicens ſe illum eſſe, qui ei dederat optionem in ſæculo conſtituto. At ille reſpondit: Hoc eſſe non poteſt, quia Angelus mentiri non novit: ſed ille mihi dixit tantum per integram diem in purgatorio manſurum, & ego jam hic fui per multos annos afflictus acerrime. Cui Angelus: Confortare, inquit, & viriliter age; noveris enim quod ex 24. horis unam tantum hic expleſti, & tibi reſtant adhuc viginti tres aliæ. At ille: Rogo te, ut ſupplices pro me Dominum Deum, ne reſpiciat ad inſipientiam meam, quia hoc ex gratia poſtulavi. Talia enim & tam acerba expertus ſum, quod paratus ſum ad omnem infirmitatem, & pro quantocumque tempore pro nomine ejus patienter ferre, ſi hinc placet ſibi me educere. Qui exauditus ad votum reviviſcens, lætanter omnia ſufferebat, recolens eorum, quæ ſuſtinuerat. Demum poſt aliquod tempus ad Chriſtum feliciter migravit.

Tertia eſt ignis materialis cruciatio. Quamvis enim ignobilius non agat in nobilius, nec conſequenter corpus in ſpiritum; tamen ille ignis purgatorius non naturaliter, ſed ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ agit in animas, detinendo eas, & affligendo modo a nobis imperceptibili. Unde Auguſtinus: *Hic ignis, etſi non ſit æternus, miro tamen modo eſt gravis. Excelli enim omnem pœnam, quam umquam aliquis expertus eſt in hac vita*, *De pœnit.* Diſt. 7. can. ult. Adeo enim eſt gravis, quod ignis, quo utimur, reſpectu illius reputatur ut ignis pictus. Et dicitur non eſſe æternus, non quidem quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad officium, ut dicit B. Thomas in 4. quia ignis ille non habet purgare electos, niſi uſque in diem judicii; permanet tamen poſtea, quia idem eſt in ſubſtantia cum igne inferni. Unde Gregorius dicit: Sub eodem igne palea fumigat, *Exemplum.* & aurum rutilat. Super hoc etiam habetur exemplum in legendis ſanctorum de commemoratione defunctorum, de illo ſcilicet ſcholari defuncto, qui apparens doctori ſuo narrans gravitatem pœnarum alterius vitæ; & in ſignum hujus ſuper palmam manus guttam ſudoris ejus impoſuit, quæ ſubito perforavit, ejus cum dolore intenſiſſimo, &c. ibi vide.

Quarta afflictio eſt conſideratio negligentiæ ſuorum amicorum & propinquorum ad ei ſubveniendum, propter quod clamant illud Jobi 19. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei*. Siquis enim in gravibus doloribus eſſet conſtitutus, nec ſe poſſet juvare, videret autem ſuos amicos & propinquos eum deſerere, quum tamen multipliciter poſſent eum ſublevare; nonne magnam amaritudinem inde conciperet de eorum inhumanitate? Tales ſunt animæ in purgatorio, quoniam ſe juvare non poſſunt, ſed exſpectant ſublevari a ſuis, quos in ſæculo dimiſerunt; ſed quum non ſentiant eorum juvamen, non parvam cauſſam habent doloris, & præcipue quum multum laboraverint, & multarum pœnarum ſe debitores fecerint peccando, ut illis bona dimitterent. Et tanta eſt crudelitas horum, quod etiam quæ pauperibus legaverunt, diu differant adimplere. Sed ta-

A les ſecundum quod habetur 13. quæſt. 2. *Qui oblationes* 1. & 2. ut *egentium necatores* debent excommunicari. Exemplum quære in legendis de milite, qui intrans juſtum bellum, diſpoſuit de ſuo equo, ut in caſu mortis cognatus ejus pretium pauperibus daret, &c. ibi vide.

§. II. Quantum ad ſecundum principale, nota quod cauſſa, quare itur ad purgatorium, eſt peccatum, cum quo quis moritur; ſed & tale, quod non tollit gratiam: & hoc notatur, quum dicitur *per aquam*, ſcilicet *tranſivimus*. Aqua enim ſignat culpam & gratiam. Nec eſt inconveniens unam & eamdem rem ſignificare diverſa & ſibi contraria propter varias ejus proprietates; hoc enim frequenter reperitur in Scriptura *Quare itur ad purgatorium.*

B ſecundum Gregorium in Moral. Nam leo & Chriſtum & diabolum ſignat. Chriſtum propter ejus dignitatem. Diabolum propter ejus ſerveritatem. Sic & aqua ſignat quandoque culpam propter ejus velocem fluxibilitatem & frigiditatem; quandoque gratiam propter ejus purificationem & refrigerationem. Quod totum Salvator noſter oſtendit, quum dixit Samaritanæ: *Qui biberit ex hac aqua*, ſcilicet cupiditatis, *ſitiet iterum; qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei*, ſcilicet gratia, *non ſitiet in æternum*, Joannis 4. Eſt igitur quadruplex aqua cupiditatis, per quam tranſeuntes de hoc mundo animæ, cum aqua gratiæ oportet, quod tranſeant per ignem purgatorii, ubi frigiditatem illam dimittant.

C Et prima eſt cupiditas temporalitatis, *De cauſſis, quare itur ad purgatorium.*
Secunda eſt cupiditas familiaritatis.
Tertia eſt cupiditas ſenſualitatis.
Quarta eſt negleſtæ pœnalitatis.

Prima igitur cauſſa, qua itur ad purgatorium, eſt cupiditas, ideſt inordinatus affectus, quem quis habet ad temporalia, ut divitias, & honores, potentias, & hujuſmodi; ita tamen, quod ſemper præponatur omnibus talibus amor Dei. Quum enim quis nimis ſollicitatur ad ipſa acquirenda, nimis timet circa ipſa amittenda, nimis dolet de ipſorum amiſſione, nimis gaudet de eorum poſſeſſione, non eis utitur, & ſubvenit debita diſcretione. In omnibus hujuſmodi committuntur frequenter venialia, & utinam non aliquando pervenirent ad D mortalia. Difficile eſt reperire talia poſſidentes ſine inordinatione affectus. Unde Gregorius dicit, quod cura rei familiaris vix ſine peccato exerceri poteſt, ab his etiam, qui noverunt vitare peccatum.

Secunda cauſſa eſt inordinatus affectus ad parentes & amicos, quia frequenter fit, ut dicit Auguſtinus, ut offendatur Deus, non offendatur amicus, quum tamen ſecundum veram caritatem nec minimum veniale quis pro ſalute proximi committere debeat. Et quia inordinata affectio ad hujuſmodi trahit hominem ad plura peccata; ideo Chriſtus dixit: *Inimici hominis domeſtici ejus*, Matthæi 10.

Tertia cauſſa eſt cupiditas ſenſualitatis, propter quod dicit Apoſtolus ad Rom. 13. *Curam carnis ne feceritis in concupiſcentia*. Appetit enim ipſa ſenſualitas contraria ſpiritui, quæ ſcilicet ſunt delectabilia ſenſibus, ut videre, audire, guſtare, & hujuſmodi, horret & refugit dura & aſpera, ut viglare, orare, jejunare, & hujuſmodi; propter quod, etſi ſpiritus promtus ſit ad bonum, caro tamen infirma frequentiſſime cadens ſaltem in venialibus, cum quibus decedens ad purgatorium mittitur. Unde Gregorius: *De quibuſdam levibus culpis eſſe ante diem judicii purgatorius credendus eſt ignis*, Diſt. 25. *Qualis*. Unde in Vitis patrum legitur, pro hujuſmodi levibus quoſdam probos viros ad purgatorium deputatos, & aliqui quidem pro delectatione, quam habebant in cantu, alii pro delectatione nimia in potu, alii pro ni-

nimia ſollicitudine in ædificiis etiam eccleſiaſticis, alii pro ſtudio curioſo gentilium. Gregorius etiam narrat de Paſchaſio ſancto viro in 4. Dial. quod in purgatorio ſtetit, cujus cauſſam ibi vide.

Quarta cauſſa eſt neglectæ pœnalitatis, ideſt quia in præſenti neglexit ſatisfacere ad plenum pro mortalibus commiſſis, de quibus tamen pœnituit & contritus fuit. Nam quum peccator revertitur ad pœnitentiam veram, reſtituitur ſibi gratia & Dei amicitia, & debitum pœnæ inferni; remanet tamen obligatus communiter pœnæ temporali: quantæ autem, nullus ſcire poteſt. Cui ſi non ſatisfacit, non ſolum per pœnitentias injunctas a confeſſore, quia illud communiter quaſi nihil eſt reſpectu ejus, quod debet; & per alia opera pœnalia in gratia facta, ut jejunium, eleemoſyna, oratio, flagellatio, & hujuſmodi, quod reſtat in morte ei de pœna ſolvenda, ibi ſuſtinet uſque ad plenum, niſi ſublevetur ab aliis. Unde Auguſtinus, *De pœnit.* Diſt. 7. can. ult. §. *Sed quoniam: Purgandus eſt igne purgationis, quia in aliud ſæculum diſtulit fructum converſionis.*

Animæ educuntur de purgatorio quattuor modis.

§. III. Quantum ad tertium principale, ſcilicet quod libenter demum ille animæ tranſeant de pœna ad gloriam, oſtendit pſal. 65. quum ſubdit: *Et eduxiſti nos in refrigerium*. Educuntur autem de purgatorio quattuor modis.

Primo per modum interceſſionis.

Secundo per modum redemtionis.

Tertio per modum propriæ ſolutionis.

Quarto per modum alienæ pro eo afflictionis.

Primus igitur modus eſt per interceſſionem, videlicet, aut capitis, ſcilicet Jeſu Chriſti, quum offertur ſacrificium corporis ſui in altari pro defunctis, 13. quæſt. 2. *Non æſtimemus*; & hoc eſt præcipuum ſuffragium. Exemplum de monacho in legendis, qui ſuffragiis triginta miſſarum evolavit ad cælum. Et in Vitis fratrum de fratre Rao, qui unica miſſa liberavit a purgatorio quemdam, qui ibi eſſe debebat quindecim annis. Interceſſio etiam membrorum, ideſt fidelium ſuffragatur ipſis purgandis, propter quod Eccleſia frequenter orat pro ipſis liberandis, ut illud: *Domine Jeſu Chriſte, libera animas omnium fidelium defunctorum*, ſcilicet qui fuerunt vere fideles numero & merito, *de manu inferni*, ideſt de poteſtate purgatorii: & infra: *De ore leonis*, ideſt diaboli, *ne cadant in obſcurum*, ideſt ne detineantur in obſcuro, in quo ceciderunt, *ne abſorbeat eas tartarus*, ideſt ne abſorptas teneat; *ſed ſignifer ſanctus Michael repræſentet eas*. Ubi oſtenditur, quomodo animæ educantur de purgatorio, videlicet per Angelos ſanctos, eas repræſentantes Archangelo Michaeli, qui cum maximo tripudio & gaudio totius curiæ cæleſtis ante conſpectum Dei ſtatuit eas, Quod patet per parabolam Matth. 18. & Luc. 15. ovis ad ovile reportatæ cum magno gaudio amicorum & vicinorum, ideſt ſanctarum virtutum ſeu Angelorum, & animarum de introductione ejus. Unde canit Eccleſia: *Archangele Michael, conſtitui te cuſtodem* &c. Lux ſancta promiſſa Abrahæ, eſt vita glorioſa figurata per terram promiſſionis. Nec enim credendum eſt Eccleſiam intendere orare pro damnatis, immo hoc prohibet, quum ſciuntur; ſed quia hoc non poteſt nobis innoteſcere certe, quum etiam quis in extremis poſitus poſſit pœnitere, dato quod rariſſimum & periculoſiſſimum ſit tunc vere pœnitere, ut habetur *De pœnit.* Diſt. 7. per totum; ideo Eccleſia orat pro omnibus defunctis, bene præſumens de quolibet, niſi appareat contrarium.

Secundus modus eſt per redemtionem, Dan. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime*. Quod habet locum non ſolum in vita præſenti, ſed etiam in purgatorio, quum videlicet quis legat largas eleemoſynas pro ſe fieri. Sed bene talis advertere debet, quod perſonas conſtituat, ſive exſecutores ſive commiſſarios tales, & hæredes obliget culpabiles ſub pœnis privationis hæreditatis, vel aliquid hujuſmodi, ut quam citius expediat. Nam ſi tardaverit, nullam expiationem ſive ſublevationem ſentiet, quouſque illud fuerit impletum, & ſi parem facit, partem habebit.

Tertius modus eductionis eſt per viam ſolutionis propriæ in purgatorio. Quum autem ipſi non poſſunt ſe per aliquod ſuffragium vitæ præſentis juvare, quia non ſunt in ſtatu merendi vel ſatisfaciendi; ideo illi, qui non habent amicos vel notos, qui eis ſuffragentur ſpecialiter, tamdiu manent in purgatorio, quouſque per illas pœnas debitum ſolvant. Quamvis generalia ſuffragia ab Eccleſia pro omnibus fiant; tamen modicum inde reportant reſpectu ſpecialium. Diſtribui enim habent in multa millia animarum. Unde Salvator: *Non exies*, ſcilicet de carcere purgatorii, *donec reddas noviſſimum quadrantem*, ideſt donec ſatisfacias etiam pro minimo veniali, Matth. 5. per te pœnam ſuſtinendo vel per alium ſuffragantem. Sic ſanctus Judas Machabæus, *collatione facta, duodecim millia dracmas argenti miſit Jeroſolymam offerri* eas ibi *pro peccatis mortuorum*, ſcilicet vel venialibus vel pœnis debitis mortalibus. Obſervandum etiam eſt, quod de ſubſtantia ſua, non aliena, legata faciat, quum ſcilicet perſonæ ſciuntur, quibus ſatisfieri debet. Sed etſi legaverit pro incertis, quum ipſis debitor ſit, modicam inde expiationem vel ſublevationem reportat in purgatorio; magnum tamen commodum recipit, quia evitat infernum. Unde legitur in Cronicis Martinianis, quod quum quidam maximus princeps legaſſet in morte magnam quantitatem pecuniæ erogari debere poſt mortem ſuam pauperibus, & impletum fuiſſet; apparuit cuidam ſuo familiari dicens ſe ahuc in purgatorio detineri, quia de data eleemoſyna nullam ſuſceperat ſublevationem, quia erat illicite congregata. Sed rogavit, ut daret certam aliam quantitatem licite acquiſitam, & ſic ſentiret ſuffragium; quod & factum eſt, & inde eductus in refrigerium. Sed & a quocumque eleemoſyna detur pro defunctis, ſive per amicos, ſive per extraneos; eis valet, ſi in purgatorio ſunt. Et ratione redemtionis, quia ille per eleemoſynas captivum redimit: ſicut etiam frequenter fit in curiis ſæcularibus; * ſi tamen ille, qui facit hoc, ſit in gratia conſtitutus. Valet & ratione interceſſionis, ideſt orationum & miſſarum, quæ fiunt ab his, qui eleemoſynam recipiunt: & hoc ſive ſit malus ille, qui eleemoſynam præſtat, ſive ſit malus ipſe ſacerdos, clericus, vel religioſus accipiens ſecundum Thomam in 4. Et ratio eſt, quia quum ſint tales miniſtri Eccleſiæ, & Eccleſia per eos operetur, nec poſſint fruſtrari orationes Eccleſiæ, ideo quod debent vel faciunt miniſtri Eccleſiæ, Deus acceptat, etſi ad ſui perniciem miniſterio utantur. Et ideo notorii mali non debent ad hujuſmodi de facile induci. Et ſecundum B. Thomam in 4. quanto culpa in præſenti magis radicatur in ſubjecto per inordinatam affectionem & aſſuefactionem, reſpondet in purgatorio acerbitas pœnæ, ceteris paribus, & graviori culpæ reſpondet illi diuturnitas pœnæ.

* *Vide dicenda tit. 10. cap. 2. §. 2.*

Quartus modus deducendi animas de purgatorio in refrigerium, eſt afflictio proprii corporis pro peccatis accepta, puta jejunium, vigilia, abſtinentia, peregrinatio, ratione laboris ibi tolerati, non ratione indulgentiæ poſitæ ad talem Eccleſiam, niſi forma indulgentiæ expreſſe hoc contineret, ut ſcilicet prodeſſet & vivis & mortuis: & aliter non valent ſecundum Thomam in 4. Similiter & maceratio carnis per diſciplinam va-

let pro eis assumta. Unde & de B. Dominico legitur, quod quasi omni nocte unam disciplinam inter alias, cum catena ferrea usque ad sanguinem sibi dabat pro sublevamine defunctorum.

CAPUT VI.

De cognitione animæ separatæ.

Anima separata cognoscit aliter quam nunc.

§. I. DE cognitione animæ separatæ. Et primo quod cognoscit anima separata, sed non convertendo se ad phantasmata, sicut quum est unita. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas in 1. parte quæst. 89. art. 1. quod quum nil operetur, nisi in quantum est in actu, modus operandi uniuscujusque rei sequitur modum essendi ipsius. Habet autem anima alium modum essendi, quum est separata, manente tamen eadem natura animæ. Animæ igitur secundum illum modum essendi, quem habet, quum est corpori unita, competit modus intelligendi, qui est convertendo se ad phantasmata corporum, quæ in corporeis organis sunt; quum autem fuerit a corpore separata, competit ei modus intelligendi per conversionem ad superiora, & ad ea, quæ simpliciter intelligibilia sunt, sicut & aliis substantiis separatis. Unde modus intelligendi per conversionem ad phantasmata, est ei naturalis, sicut & corpori uniri. Sed esse separatam a corpore est præter rationem suæ naturæ, & similiter intelligere absque conversione ad phantasmata.

Quamvis intelligere per conversionem ad superiorem sit simpliciter nobilius, quam intelligere per conversionem ad phantasmata; tamen talis modus intelligendi, prout erat possibilis animæ, erat imperfectior. Quod sic declaratur: In substantiis intellectualibus invenitur virtus intellectiva per influentiam divini luminis, quod in primo principio est unum & simplex, & quanto magis creaturæ intellectuales distant a primo lumine, tanto magis dividitur illud lumen & diversificatur. Et inde est, quod Deus per unam essentiam omnia intelligit. Superiores autem intellectualium substantiarum, etsi per plures formas intelligant; tamen intelligunt per pauciores & magis universales & virtuosiores ad comprehensionem rerum propter efficaciam virtutis, quæ est in eis. In inferioribus autem sunt formæ plures & minus universales & minus efficaces ad apprehensionem rerum, in quantum deficiunt a virtute intellectiva superiorum. Si ergo inferiores substantiæ haberent formas in illa universitate, in qua habent superiores, quæ non sunt tantæ efficaciæ in intelligendo, non acciperent per eas perfectam cognitionem de rebus, sed in quadam communitate & confusione: quod aliqualiter apparet in hominibus. Nam qui sunt debilioris intellectus per universales conceptiones magis intelligentium non accipiunt perfectam cognitionem, nisi eis singula in speciali explicentur. Inter substantias autem intellectuales manifestum est ultimas esse animas humanas secundum ordinem naturæ. Hoc autem perfectio universi exigebat, ut essent diversi gradus in rebus.

Si igitur animæ humanæ sic essent institutæ a Deo, ut intelligerent per modum, qui competit substantiis separatis, non haberent cognitionem perfectam, sed confusam & in communi. Ad hoc ergo ut perfectam & propriam possint habere cognitionem de rebus, sic naturaliter sunt institutæ, ut corporibus uniantur, & sic ab ipsis rebus sensibilibus cognitionem propriam de eis accipiunt; sicut homines rudes ad scientiam induci non possunt, nisi per materialia exempla. Et sic patet, quod propter hoc melius animæ est, ut corpori uniatur, & intelligat in corpore per conversionem ad phantasmata; & tamen separata potest habere alium modum intelligendi.

Quod autem dicit philosophus in 3. de anima, quod intelligere corrumpitur, corrupto quodam interius, ut phantasma, intelligitur de modo intelligendi per conversionem ad phantasmata, quem in corpore anima habet, qui modus deficit per mortem, ut dictum est. Intelligit autem anima separata non quidem per species innatas, quia non habet, quum a principio sit ut tabula rasa; nec per species, quas abstrahat a sensibus, quia non habet organa sensus & imaginationes, quibus mediantibus abstrahantur species intelligibiles a rebus; nec etiam per species prius abstractas & postea conservatas, quia sic anima pueri nihil intelligeret post mortem, sed intelligit per species ex influentia divini luminis participatas, quarum anima fit particeps, sicut & aliæ substantiæ separatæ, quamvis inferiori modo. Unde quam cito cessante conversione ad corpus, anima ad superiora convertitur.

Animæ separatæ cognitio extenditur.

§. II. Anima separata perfectam cognitionem habet de aliis animabus separatis, loquendo de cognitione naturali animæ. Unde & dives in inferno vidit Abraham & Lazarum, Luc. 16. De Angelis autem imperfectam cognitionem deficientem, scilicet cognitionem naturalem. Nam de cognitione gloriæ, quam habent animæ, scilicet in Deo, est alia ratio. Pro hujus declaratione dicit B. Thomas ubi supra art. 2. quod per hoc, quod anima separata cognoscit seipsam, accipere possumus, qualiter cognoscat & alias substantias separatas. Et quamdiu quidem est anima corpori unita, ut dictum est supra, intelligit convertendo se ad phantasmata; & ideo nec seipsam intelligere potest, nisi in quantum sit actu intelligens per species intelligibiles a phantasmatibus abstractas. Sed quum fuerit separata, intelligit non convertendo se ad phantasmata, sed ad ea, quæ sunt secundum se intelligibilia; unde seipsam per seipsam intelliget. Est autem commune omni substantiæ separatæ, quod intelligit id, quod est infra se, & id, quod est supra se per modum substantiæ. Sic enim intelligitur aliquid, secundum quod est in intelligente. Est autem aliquid in altero per modum ejus, in quo est. Modus autem substantiæ animæ separatæ est infra modum substantiæ angelicæ, sed est conformis modo aliarum animarum separatarum; & ideo, ut dictum est, habet anima separata cognitionem perfectam de aliis animabus separatis, sed imperfectam de Angelis. Ultima autem felicitas hominis consistit in perfecta cognitione solius Dei, qui nisi per gratiam videri non potest. In cognitione autem aliarum substantiarum separatarum consistit magna felicitas, si tamen perfecte cognoscantur; quod tamen non contingit naturali cognitione in animabus separatis, nec tamen est ultima, etiam si esset perfecta, ut posuerunt quidam philosophi; & ideo falsum dixerunt.

Anima separata quomodo cognoscit ipsa naturalia.

Anima separata non cognoscit omnia naturalia statim. Nam si hoc esset, sequeretur, quod homines frustra studerent ad rerum scientiam capescendam; quod est inconveniens dicere. Pro cujus declaratione dicit S. Thomas ubi supra art. 3. quod anima separata intelligit per species separatas, quas recipit ex influentia divini luminis, sicut & Angeli. Sed tamen quia natura animæ est infra naturam Angeli, cui ille modus est connaturalis; ideo anima separata per hujusmodi species non habet perfectam rerum cognitionem, sed quasi in communi & confusam. Sicut

ut ergo Angeli ſe habent ad perfectam rerum cognitionem naturalium per hujuſmodi ſpecies; ita animæ ſeparatæ ad imperfectam rerum earum cognitionem & confuſam. Ergo Angeli habent perfectam cognitionem omnium naturalium per ſpecies, quia omnia, quæ fecit Deus in propriis naturis, fecit in intelligentia angelica ſecundum Auguſtinum ſuper Gen. Animæ autem ſeparatæ etiam perfectæ non certam & propriam, ſed confuſam & communem de omnibus naturalibus cognitionem habent. Et ideo non fruſtra hic laboratur ad habendum ſcientiam, quia ſcientia hic acquiſita per ſtudium eſt propria & perfecta, non confuſa, ut illa. Futura autem nec Angeli, nec dæmones, nec animæ ſeparatæ cognoſcunt, niſi vel in ſuis cauſſis, vel per revelationem; non autem cognitione naturali per ſpecies inditas.

Anima ſeparata cognoſcit aliqua ſingularia.

Animæ ſeparatæ cognoſcunt aliqua ſingularia. Unde dives in inferno dixit: *Habeo quinque fratres*, &c. Lucæ 16. Non tamen omnia cognoſcunt ſingularia etiam præſentia. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas ubi ſupra art. 4. quod duplex eſt modus intelligendi. Unus per abſtractionem a phantaſmatibus, & per hunc modum non poſſunt cognoſci ſingularia ab anima directe, ſed indirecte, ut dictum eſt ſupra. Alius modus eſt per influentiam ſpecierum a Deo; & per iſtum modum intellectus poteſt cognoſcere ſingularia. Sicut enim Deus, in quantum eſt cauſſa omnium univerſalium & individualium principiorum, cognoſcit omnia univerſalia & ſingularia; ita ſubſtantiæ ſeparatæ a corporibus per ſpecies, quæ ſunt quædam participatæ ſimilitudines divinæ eſſentiæ, poſſunt cognoſcere ſingularia. In hoc tamen eſt differentia inter Angelos, & animas ſeparatas, quia Angeli per hujuſmodi ſpecies non ſolum naturas rerum in ſpeciali cognoſcere poſſunt; ſed etiam ſingularia ſub ſpeciebus contenta. Sed animæ ſeparatæ habent confuſam cognitionem naturalium per ſpecies. Et ideo non poſſunt cognoſcere ſingularia, niſi illa, ad quæ quodammodo determinantur, ad quæ habent aliquam habitudinem, quam non habent ad alia, vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem aut divinam ordinationem; quia omne, quod recipitur in aliquo, determinatur in eo per modum recipientis.

Quid de habitibus ſcientiæ acquiſitis.

Anima ſeparata retinet ſibi habitus ſcientiæ hic acquiſitæ, ſed non remanet actus ſecundum eumdem modum ſciendi. Primum ſic declarat B. Thomas ubi ſupra art. 5. Scientia eſt in intellectu, qui eſt locus ſpecierum, ut dicitur in 3. de anima. Et ideo quamvis ſcientia hic acquiratur ex ſenſibilibus, & per conſequens ex viribus ſenſitivis, quarum illa ſunt objecta, oportet, quod habitus ſcientiæ acquiſitæ ſit partim in ipſo intellectu, & partim in viribus ſenſitivis. Et hoc poteſt conſiderari ex ipſis actibus, ex quibus acquiritur ſcientia. Nam habitus ſunt ſimiles actibus, ex quibus acquiruntur, ut dicitur in 2. Ethicorum. Actus autem intellectus ex quibus ſcientia acquiritur, ſunt per converſionem ad phantaſmata, quæ ſunt in viribus ſenſitivis. Sicut ergo actus intellectus principaliter quidem & formaliter eſt in ipſo intellectu, materialiter autem & diſpoſitive in viribus; idem dicendum eſt de habitu, ſcilicet quod quantum ad id, quod aliquid præſentis ſcientiæ habet eſſe in inferioribus viribus, non remanebit in anima ſeparata; quantum autem ad id, quod habet eſſe in intellectu, neceſſe eſt ut maneat; quia talis forma in intellectu nec per ſe corrumpi poteſt, ſicut corrumpitur aliquid a ſuo contrario, ut frigidum a calido, quia ſpeciebus intelligibilibus, quæ ſunt in intellectu poſſibili ſeu intentione intelligibili, nil eſt contrarium, præcipue quantum ad ſimplicium intelligentiam, ſcilicet ejus, quod quid eſt. Nec per accidens corrumpi poteſt talis forma, ſcilicet per corruptionem ſubjecti, quia ſubjectum ſcientiæ, quod eſt intellectus, eſt incorruptibile.

Quod autem Apoſtolus 1. ad Corin. 13. dicit, quod *ſcientia deſtruetur*, intelligitur quantum ad actum, qui nunc eſt, quia ſcilicet intelligendo per ſpecies intelligit a ſenſibilibus abſtractas. Et ſicut aliquis minus bonus ſecundum ſtaturam corporis, erit major aliquo magis bono; ita nihil prohibet aliquem minus bonum aliquam habere ſcientiam, quam non habet magis bonus: ſed tamen nullius momenti eſt in comparatione ad alias prærogativas, quas meliores habebunt.

Quantum vero ad actum habituum hic acquiſitorum de ſcientiis, non erit idem modus intelligendi, qui nunc eſt. Secundum ergo ſpecies intelligibiles hic acquiſitas anima ſeparata intelligere poteſt, quæ prius intellexerat; non tamen eodem modo, ſcilicet per converſionem ad phantaſmata, ſed per convenientem modum animæ ſeparatæ. B. Thomas ubi ſupra art. 6.

Scientiæ acquiſitæ quomodo remanent in anima.

§. III. Anima ſeparata ſecundum naturalem cognitionem, de qua hic agitur, quæ communis eſt ſalvatis & damnatis, in alia vita non cognoſcit, quæ hic aguntur particularia ſecundum B. Thomam ubi ſupra art. 8. Et hujus ratio eſt, quia anima ſeparata per hoc cognoſcit ſingularia, quod quodammodo eſt determinata ad illa vel per veſtigium alicujus præcedentis cognitionis vel affectionis, vel per divinam ordinationem. Animæ autem mortuorum ſecundum ordinationem divinam & ſecundum modum eſſendi, ſegregatæ ſunt a converſatione viventium, & conjunctæ converſationi ſubſtantiarum ſpiritualium, quæ ſunt a corpore ſeparatæ; unde quæ apud nos aguntur, ignorant. Et hanc rationem aſſignat B. Gregorius in 8. Moralium, tractans illud Jobi 14. *Sive fuerint filii ejus nobiles, ſive ignobiles, ignorat.* Ubi ſic dicit: Mortui vitam in carne viventium poſt eos, qualiter hic diſponatur, ignorant, quia vita ſpiritus longe eſt a vita carnis, & ſicut corporea & incorporea diverſa ſunt genere, ita ſunt diſtincta cognitione.

Si autem objiciatur illud Luc. 16. de divite Epulone, qui dixit: *Habeo quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum* &c. & ſic videtur, quod habuerit curam de fratribus, & per conſequens cognoverit ſtatum eorum; reſpondet beatus Thomas, quod animæ mortuorum poſſunt habere curam viventium, etſi ignorent ſtatum eorum. Sicut e converſo viventes habent curam de mortuis facientes ſuffragia pro eis, licet neſciant ſtatum eorum. Poſſunt etiam mortui facta viventium ſcire non quidem per ſeipſos, ſed per animas eorum, qui hinc accedunt ad eos, vel per Angelos ſeu dæmones, vel ſpiritu Dei revelante, ut dicit Auguſtinus, & habetur 13. quæſt. 2. *Fatendum*. Diſtantia autem localis inter nos & ipſos non eſt cauſſa hujus ignorantiæ, ſed cauſſa ſupradicta. Et ratio eſt ſecundum B. Thomam ubi ſupra art. 7. quia anima ſeparata intelligit ſingularia per influxum ſpecierum ex divino lumine, quod lumen æqualiter ſe habet ad propinquum & diſtans. Unde diſtantia localis nullo modo impedit cognitionem animæ ſeparatæ. Quod etiam patet, quia dives in inferno vidit Abraham a longe.

Sed quantum ad animas ſeparatas beatorum dicit B. Gregorius ubi ſupra, quod hoc de eis ſentiendum non eſt, quod ſcilicet dictum eſt de aliis, ſecundum cogitationem naturalem, quia quæ in-

tra omnipotentis claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quod ſit foris aliquid, quod ignorent.

Num mortui ſciant quid vivi agant.

Auguſtinus tamen in lib. de cura pro mortuis agenda, dicit expreſſe, quod neſciunt mortui, quid in hac vita agant vivi, etiam filii eorum, ut habetur in gloſſa ſuper illud Iſaiæ: *Abraham neſcivit nos.* Quod confirmat idem Auguſtinus per hoc, quod non viſitabatur a matre ſua, nec in triſtitiis conſolabatur, ſicut quando vivebat. Nec eſt probabile, ut vita facta felicior, quia beata, ſit effecta crudelior. Sed per hoc, quod promiſit Dominus Joſiæ regi, ut prius moreretur, ne videret mala, quæ ſuperventura erant populo ſuo, 4. Reg. 22. Auguſtinus dubitando hoc dixit; ſed Gregorius aſſertive dicit, quod pullo modo eſt credendum. Secundum ergo ſententiam Gregorii videtur, quod animæ ſanctorum Deum videntes, omnia præſentia, quæ hic aguntur, cognoſcant. Sunt enim æquales Angelis Dei, de quibus etiam Auguſtinus aſſerit quod ea, quæ apud vivos aguntur, non ignorant; ſed quia animæ ſanctorum ſunt perfectiſſime conjunctæ juſtitiæ Dei, nec triſtantur, nec rebus viventium ſe ingerunt, niſi ſecundum quod ordo divinæ juſtitiæ exigit.

Diverſis apparitionibus apparent animæ defunctorum.

§. IV. De apparitionibus animarum ſeparatarum. Sciendum ſecundum B. Thomam ubi ſupra art. 8. quod quum apparent vivis animæ defunctorum ad aliquod annuntiandum, quod utique aliquando contingit, ut dicitur Matth. penult. quod *multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.... & apparuerunt multis;* aliquando etiam apparent animæ ſine corporibus propriis ſuſcitatis, ſed aliis corporibus aſſumtis, ex aere formatis, ſicut potuit eſſe Moyſis jam defuncti coram Chriſto ſe transfigurante, Matth. 17. Vel de anima Paſchaſii, quæ apparuit B. Germano in balneis pro loco purgatorii ſibi aſſignato, ut narrat Gregorius in 4. Dialogorum, & de pluribus aliis ibi, & in Vitis patrum habetur. Quod quum evenit, per ſpecialem Dei diſpenſationem contingit, ut animæ defunctorum rebus viventium interſint: & eſt hoc inter Dei miracula computandum. Vel hæ apparitiones fiunt per operationes bonorum Angelorum, ignorantibus etiam ipſis mortuis, ſicut etiam vivi aliis aliquando viventibus in ſomniis apparent ignorantibus eis; ſicut forte accidit in apparitione B. Nicolai Conſtantino dormienti ad prohibendum necem trium innocentum viventium. Et apparitio etiam B. Ambroſii & officiatio ejus ad exſequias B. Martini per Angelum fuit in forma ejus, quum ipſe corporaliter remanſit Mediolani, quod tamen ipſe non ignoravit. Quod etiam legitur de frequenti apparitione Chriſti aliquibus ſanctis, ut B. Catherinæ de Senis: & aliis magis videtur credibile, quod fuerint per Angelum Chriſti perſonam repræſentantem, quam perſonam propriam Chriſti; ſicut etiam Angelus apparebat, & loquebatur Moyſi in perſona Dei. Vel etiam hoc poteſt fieri per operationem Angelorum malorum ad decipiendum homines. Sicut ſecundum unam expoſitionem Auguſtini habetur C 1. Reg. 28. de Samuele mortuo apparente Sauli, quem dicit Auguſtinus fuiſſe diabolum in forma Samuelis, ut habetur 26. quæſt. 5. *Nec mirum.*

TITULUS SEXTUS

DE CAUSSIS PECCATORUM ET ANIMÆ PASSIONIBUS.

CAPUT I.

De triplici cauſſa peccati, ſcilicet ignorantia, fragilitate, & malitia.

QUum dictum ſit ſupra, quod *peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei*, & omne, quod fit, cauſſam habet; ideo videndum eſt E de cauſſa peccati. Cauſſa autem peccati poteſt eſſe triplex ſcilicet interior, exterior, inferior, quia triplicem cauſſam reperimus in peccato primorum parentum. Cauſſa interior eſt ratio & ſenſualitas, quæ figuratur per Adam & Evam; cauſſa exterior fuit antiquus ſerpens & pomum. Et de his duobus habes Diſt. 6. *Teſtamentum*, & can. ſeq. Cauſſa inferior, ideſt peccatum, ibi etiam concurrit, & fuit cauſſa peccati gulæ, quædam ſcilicet mentis elatio, quæ præceſſerat in mente ipſorum ſecundum Auguſtinum. Unde & dicitur Diſt. 35. *Sexta die*, gulam fuiſſe primam prævaricationem; intelligendum eſt de peccatis exterioribus. Et quia extra primum peccatum omnia alia poſſunt dici & peccata & pœna peccati; ideo de peccato in genere agitur congrue in iſta prima parte, ubi tractatur de pœnis.

Cauſſa peccati iterior eſt triplex.

Cauſſa autem interior peccati iterum poteſt eſſe triplex ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 75. Quum enim peccatum conſiſtat in actu, & principium humanorum actuum ſit ſenſitivus appetitus, intellectus, & affectus, ſive voluntas; ſic peccatum poteſt cauſſari a ſenſualitate, voluntate, & ratione. Sicut enim ex judicio rationis voluntas movetur in aliquid ſecundum rationem; ita etiam & paſſione ſenſus, appetitus ſenſitivus in aliquod inclinatur, quæ inclinatio interdum trahit voluntatem & rationem. Et quia cauſſa peccati eſt, aliquod bonum apparens motivum, quum defectu debiti motivi, ſcilicet regulæ rationis, vel legis divinæ, ipſum motivum, quod eſt apparens bonum, pertinet ad apprehenſionem ſenſus & appetitum; ipſa autem abſentia debitæ regulæ pertinet ad rationem, quæ nacta eſt hujuſmodi regulam conſiderare: ſed ipſa perfectio voluntarii actus peccati pertinet ad voluntatem, ita quod ipſe actus voluntatis præmiſſis ſuppoſitis jam eſt quoddam peccatum. Et quamvis iſta tria communiter aliquo modo concurrant in peccato mortali,

tali ; tamen ſecundum aliquid horum eſt magis cauſſa, & prior ad actum peccati, quod committitur; ſecundum hoc dicitur quis peccare vel ex ignorantia, quod pertinet ad defectum rationis, vel ex malitia, quod pertinet ad inordinationem voluntatis, vel ex infirmitate ſive paſſione, quod pertinet ad inordinationem ſenſualitatis, in qua ſunt paſſiones. Unde Gregorius, *De pœnit.* Diſt. 2. *Sciendum quippe, quod peccatum tribus modis committitur: aut enim peccatur ignorantia, aut infirmitate, aut ſtudio*, ideſt malitia.

§. I. Quantum ad primum, ſcilicet de peccato ex ignorantia, dicit Auguſt. 15. quæſt. 1. *Merito. Quæritur, quæ ſint peccata* * *neſcientium*. Sed nota quod triplex ignorantia poteſt reperiri in actu peccati. Thom. 1. 2. quæſt. 76. Prima eſt, quum neſcitur id, quod fit, eſſe prohibitum, & per conſequens malum, puta quum fornicatur quis, neſciens fornicationem eſſe peccatum; & hæc dicitur ignorantia juris. Secunda eſt quum ſcit quis aliquem actum eſſe prohibitum & malum; ſed neſcit hoc, quod agit, eſſe illum actum, ut quum ſciens adulterium eſſe peccatum, accedit ad uxorem alienam, quam putat eſſe ſuam, ut Jacob ad Liam, vel occidit hominem, quem putat feram. Et hæc dicitur ignorantia facti. Et hæc non excuſat a peccato, ſi datur opera rei illicitæ; ſicut nec Lamech excuſatur ab occiſione Cain 15. quæſt. 1. §. *Sed objicitur*. Aut etiamſi non adhibetur debita diligentia. Unde non excuſaretur, qui diabolum adoraret ſubito apparentem ſub Angelo lucis, ut dicitur 29. quæſt. 1. in gloſſa. Tertia ignorantia eſt, quum ſcit quidem id, quod quis agit, eſſe peccatum in univerſali, puta nullam fornicationem eſſe committendam, & etiam ſcit eſſe fornicationem, ſed non cognoſcit in particulari illum actum, qui eſt fornicatio, non eſſe faciendum, obnubilatus paſſione vel habitu vitioſo & hujuſmodi, ut actualiter non conſideret, & intelligat id, quod agit, eſſe malum. Iſta ignorantia reperitur in omni peccato. Unde philoſophus dicit, quod omnis malus eſt ignorans, & Proverb. 14. dicitur: *Errant, qui operantur malum*. Et Diſt. 38. *Quamvis*, dicitur: *Non niſi rerum ignorantia poteſt errare .... Pro vero quippe approbat falſum, quod erroris eſt proprium*. Hæc igitur non eſt cauſſa peccati, ſed aliquid conſequens ad cauſſam, ſcilicet ad paſſionem vel habitum inclinantem ad peccatum. Secunda etiam ignorantia non eſt cauſſa peccati, ſed concomitanter ſe habet ad ipſum. Unde reſtat, quod tantum prima eſt cauſſa peccati, prout nunc loquimur, quia tollit ſcientiam prohibentem actum peccati. Et hæc ignorantia, niſi ſit affectata, excuſat a tanto, etſi non a toto, ſi eſt eorum, quæ quis ſcire tenetur, & ſcire poteſt, Diſt. 37. §. ult. Quod autem Ambroſius dicit, quod graviſſime peccat, qui ignorat, intelligitur uno modo vel de ignorantia ſimpliciter affectata, vel de ignorantia infidelitatis ſecundum Thomam: vel dic *graviſſime*, ideſt periculoſiſſime; quia qui ignorat morbum, non quærit medicum. Item licet tranſeunte reatu per pœnitentiam, remaneat ignorantia ſecundum, quod eſt privatio ſcientiæ; non tamen remanet negligentia, ſecundum quam ignorantia dicitur peccatum. Nec ſequitur, quod ignorans continue actu peccet, ſed ſolum quando eſt tempus acquirendi ſcientiam, quam habere tenetur, ſicut in aliis peccatis omiſſionis. Unde & notanter dicitur, quod *ignorantia mater cunctorum errorum .... a cunctis vitanda eſt*, Diſt. 38. can. 1. Et de ipſa ignorantia multa habes in 2. part. tit. 5. cap. 9.

§. II. Quantum ad ſecundum, ideſt peccatum ex malitia. Nota ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 78. quod peccatum ex malitia dicitur peccatum, quod quis facit, quaſi ſcienter malum eligens, quia talis id, quod ſcit eſſe malum ſpirituale, quod eſt malum ſimpliciter, per quod bono ſpirituali privatur, vult ipſum, ut bono temporali potiatur; quod totum procedit ex inordinatione voluntatis, quia ſcilicet minus bonum magis amat. Nam quum aliquis eligat pati detrimentum in bono minus amato, ad hoc vult, ut potiatur bono magis amato: ſicut quum vult homo pati abſciſſionem membri etiam ſcienter, ut conſervet vitam magis amatam. Ideo quando voluntas eſt ita inordinata, quod aliquod bonum temporale plus habitualiter amat, puta divitias vel voluptates, quam ordinem rationis vel legis divinæ vel caritatis, vel aliquid hujuſmodi; ſequitur quod velit diſpendium pati in aliquo ſpiritualium bonorum, ut potiatur aliquo temporali bono. Eſt tamen in ipſa ignorantia aliquo modo, inquantum ſcilicet neſcit in particulari, illud malum non eſſe ſuſtinendum propter conſequutionem talis boni. Peccatum ergo ex malitia, quum non procedit ex impulſu appetitus ſenſitivi, quod eſt peccare ex paſſione; neque ex defectu rationis, quod eſt peccare ex ignorantia; ſequitur, quod procedit ex ipſa voluntate, qua ex ſeipſa movetur ad malum.

Inclinatio ad malum ex tribus oritur.

Et hoc poteſt eſſe tripliciter.
Uno modo ex habitu male acquiſito.
Secundo ex aliqua ægritudinali habitudine.
Tertio ex remotione alicujus prohibentis.

Quantum ad primum eſt ſciendum, quod quum aliquis acquirit ſibi habitum vitioſum ex multiplicatione actuum malorum, inducentem conſuetudinem, quæ vertitur in naturam; hinc eſt, quod illa mala diſpoſitio habituata ſit quaſi conveniens, & ſimilis bono: & hoc modo ratione convenientiæ tendit voluntas quaſi in bonum, quia unumquodque ſecundum ſe tendit in id, quod eſt ſibi conveniens. Et ſic peccare ex habitu eſt peccare ex malitia.

Quantum ad ſecundum eſt ſciendum, quod etiam ſine habitu acquiſito vitii contingit aliquem peccare ex malitia quantum ad ſecundum. Quod quum non procedat neque ex ignorantia neque ex paſſione, oportet quod proveniat ex aliquo principio corrupto intrinſeco, quod dicitur ægritudinalis hebetudo, ſicut aliquis habet quaſdam naturales inclinationes ad aliqua prædicta propter corruptionem naturæ ipſius.

Quantum ad tertium ſciendum, quod voluntas aliquando per ſe tendit ad aliquod malum per remotionem alicujus prohibentis: puta ſi aliquis prohibeatur peccare, non quia peccatum ei ſecundum ſe diſpliceat, ſed propter ſpem vitæ æternæ, vel propter timorem gehennæ, remota ſpe per deſperationem, vel timore per præſumtionem; ſequitur quod ex certa malitia quaſi abſque fræno peccet, quod eſt peccare in Spiritum ſanctum, de quo vitio habes infra in 2. parte tit. 8. cap. 7. & 8.

Peccare ex malitia peſſimum.

Et nota, quod peccatum ex certa malitia eſt gravius peccato ex infirmitate, ſive ex paſſione, triplici ratione. Prima quidem, quia quum peccatum conſiſtat in voluntate, quanto motus peccati eſt magis proprius voluntati, tanto peccatum eſt gravius ceteris paribus. Sed in peccato ex malitia motus ipſius peccati eſt magis proprius voluntati, quia ex ſeipſa in malum movetur, quam quando peccatur ex paſſione, quia eſt a quodam intrinſeco impulſa ad peccandum, & quanto malitia fuerit vehementior, tamto peccatum eſt gravius. Unde Gregorius dicit: *Multo gravius malitia, quam infirmitate peccatur*, *De pœnit.* Diſt. 2. *Sciendum*.

Secun-

* *Nolentium* habetur in canone.

Ignorătia.

Juris.

Facti,

Ignorantia omnium peccatorũ.

Quæ ignorantia ſit cauſſa mali,

Quomodo peccatur ex malitia.

Secundo quia peccatum ex malitia eſt diuturnius; nam habitus, quo ut in pluribus peccatur ex malitia eſt qualitas permanens: unde aſſimilatur infirmo continua infirmitate laboranti. Sed paſſio, quæ inclinat voluntatem ad peccandum, eſt qualitas cito tranſiens; unde aſſimilatur ei, qui laborat in infirmitate interpollatim, & ſic cito redit ad bonum propoſitum pœnitens. Ad hoc facit, quod dicitur *De pœnit.* Diſt. 1. *Et venit*. Ubi dicit Hieronymus: *Sancti ſi peccant, coram Deo peccant*, quia ſcilicet cito revertuntur ad pœnitentiam.

Tertio quia peccatum ex malitia eſt periculoſius; nam ſic peccans male eſt diſpoſitus quantum ad ipſum finem, qui eſt principium in operabilibus. Et ſic ejus defectus eſt periculoſior, quam ejus, qui ex paſſione peccat, cujus propoſitum tendit in bonum finem, licet propoſitum ejus ad horam interrumpatur. Ad hoc facit *De pœnit.* Diſt. 1. *Super tribus*, ubi dicit Hieronymus: *Quartum ſcelus eſt, poſt peccatum non agere pœnitentiam, ſed ſuo ſibi complacere delicto.*

De peccatis ex infirmitate.

§. III. Peccatum vero ex infirmitate vel paſſione dicitur ex ſimilitudine infirmitatis corporalis: corpus enim tunc dicitur infirmum, quando impeditur vel debilitatur in exſecutione propriæ operationis propter aliquam inordinationem partium corporis, ita ſcilicet, quod humores & membra non ſubduntur virtuti regitivæ & motivæ corporis. Sic infirmitas animæ dicitur, quando impeditur ipſa in propria operatione propter inordinationem partium ejus, ſcilicet concupiſcibilis & iraſcibilis, quæ tunc ſunt inordinatæ, quum non ſubduntur rationi, quod fit per paſſiones inſurgentes. Et ille, qui eſt in paſſione conſtitutus, ſcit peccatum eſſe, quod agit, in univerſali quidem, non in particulari, quia non conſiderat illud in particulari propter paſſionem impedientem. Impedit autem paſſio talem conſiderationem tripliciter.

Paſſiones tripliciter ad peccandum trahunt impedientes cõſiderationem.

Primo quidem per quamdam abſtractionem. Quum enim omnes potentiæ animæ in una eſſentia animæ radicentur, neceſſe eſt, quod quando una potentia intenditur in ſuo actu, altera remittatur in actu ſuo, vel ut totaliter impediatur, tum quia omnis virtus ad plura diſperſa fit minor. Unde e converſo quando intenditur circa unum, minus poteſt ad alia diſpergi, præcipue ſi intenditur intenſe, tum quia in operibus animæ animalibus requiritur quædam intenſio; quæ autem vehementer applicatur ad unum, non poteſt alteri vehementer attendere. Et ſecundum hunc motum per quamdam diſtractionem, quando motus appetitus ſenſitivi fortificatur ſecundum quamcumque paſſionem, neceſſe eſt quod remittatur, vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui eſt voluntas.

Secundo impeditur talis conſideratio a paſſione per contrarietatem, quia plerumque paſſio inclinat ad contrarium hujus, quod ſcientia univerſalis habet. Unde philoſophus dicit in 3. Ethicorum, quod ſyllogiſmus incontinentis, qui ſcilicet vincitur a paſſione, habet quattuor propoſitiones in mente: duas univerſales, quarum una eſt rationis, quæ dicit nullam fornicationem eſſe committendam, quia mala; alia paſſionis, quæ dicit omnem delectationem eſſe ſectandam, quia bona. Paſſio igitur incontinentis ligat rationem, ne aſſumat & concludat ſub illa univerſali, quæ dicit, nullam fornicationem eſſe committendam. Si enim ſub illa ſumeret, ſic diceret: iſta eſt fornicatio, quam ſcilicet vis facere, & per conſequens malum: & tandem concluderet; ergo non eſt faciendum. Sed aſſumit incontinens propoſitionem ſub univerſali paſſionis, & dicit:

Syllogiſmus incontinentis.

A iſta eſt delectatio, quum ſcilicet vult fornicari: unde concludit; ergo eſſe faciendam.

Tertio tollit paſſio conſiderationem per quamdam immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodo ligatur, ne libere in actum exeat, ſicut etiam ſomnus vel ebrietas quadam corporali tranſmutatione facta, ligat uſum rationis. Et quod hoc contingat in paſſionibus, patet ex hoc, quod aliquando quum paſſiones multum intenduntur, homo amittit totaliter uſum rationis. Multi enim propter abundantiam humoris vel iræ ſunt converſi ad inſaniam. Et propter hunc motum paſſio trahit ad judicandum in particulari, contra ſcientiam, quam habet in univerſali. Scientia enim univerſalis, quamvis certiſſima ſit, non B habet principalitatem in operatione; ſed magis ſcientia particularis, eo quod operationes ſunt circa ſingularia. Et ſicut ebrius quandoque profert verba ſignificantia profundas ſententias, quas mente dijudicare non poteſt propter ebrietatem, ita in paſſione exiſtens, etſi ore proferat hoc non eſſe faciendum, tamen interius non ſentit propter paſſionem quod illud non ſit faciendum. Thomas 1. 2. quæſt. 77.

Paſſiones quæ proprie ſint.

Et nota, quod paſſiones propriæ ſunt motus potentiarum animæ, non quidem apprehenſivarum, ut eſt ſenſus & intellectus, ſcilicet appetitivarum; non tamen ſunt motus appetitus rationalis, qui dicitur voluntas, ſed appetitus ſenſitivi, qui dicitur ſenſualitas, quæ diſtinguitur in potentiam C concupiſcibilem & iraſcibilem. Sed quum amor & gaudium, triſtitia, & ira, & hujuſmodi, quæ propriæ ſunt paſſiones, attribuuntur Deo vel Angelis vel ſanctis hominibus, ut patet in Scriptura; tunc improprie & large aſſumuntur, & ſignificant ſimplicem actum voluntatis cum ſimilitudine affectus paſſionis, ſed abſque paſſione. Et ipſi quidem motus paſſionum ſecundum ſe conſiderati quum ſint naturales, & communes nobis & brutis, non faciunt nos virtuoſos vel vitioſos, ſed ſecundum quod a ratione regulantur bene vel male.

Paſſiones dupliciter ſe habẽt ad rationem.

Et ſciendum, quod ipſæ paſſiones dupliciter ſe poſſunt habere ad judicium rationis. Uno modo antecedenter, & ſic quum obnubilent judicium rationis, ex quo dependet bonitas actus D moralis, & ex impulſu inclinet voluntatem, diminuit bonitatem actus quantum ad opera virtuoſa, ac etiam gravitatem peccati quantum ad opera vitioſa. Laudabilius eſt enim, quod aliquis ex judicio rationis facit opus caritatis, quam facere ſola paſſione miſericordiæ: & minus peccatum eſt ex paſſione peccare, quam ex malitia, ut dictum eſt. Alio modo ſe habent conſequenter, & hoc dupliciter. Uno modo per modum redundantiæ, quia ſcilicet quum ſuperior pars animæ intenſe movetur in aliquid, ſequitur motus ejus etiam pars inferior, etſi paſſio exiſtens conſequenter in appetitu ſenſitivo eſt ſignum intenſionis voluntatis, unde indicat bonitatem majorem, quoad opera virtuoſa, & malitiam etiam majorem quoad E opera vitioſa. Alio modo per modum electionis, quando ſcilicet homo ex judicio rationis eligit affici aliqua paſſione, ut promtius operetur cooperante appetitu ſenſitivo. Et ſic paſſio animæ addit ad bonitatem quoad virtuoſa opera, & ad malitiam quoad vitioſa. Thomas 1. 2. quæſt. 24.

CA-

CAPUT II.

De paſſionibus animæ, ac ſpeciatim de paſſione, amore, & ejus effectibus.

Undecim ſunt paſſiones appetitus ſenſitivi.

PAſſiones autem animæ ſunt undecim, ſex quidem in concupiſcibili potentia, ſcilicet amor, & odium, deſiderium ſeu concupiſcentia, & fuga, gaudium ſive delectatio, & triſtitia ſive dolor. In iraſcibili quinque, ſcilicet ſpes, & deſperatio, timor, & audacia, & ira, cui nulla paſſio opponitur. Quod autem dicantur quattuor, juxta illud Boetii de philoſophica conſolatione lib. Metro ult. Gaudium pelle, pelle timorem, ſpemque fugato, nec dolor adſit, de quibus etiam ait Auguſtinus in 14. de civit. Dei; hoc propterea dicitur, quia hæ ſunt principales, quia ſunt completivæ & finales reſpectu aliarum paſſionum. Pro horum declaratione eſt ſciendum, quod in motibus appetitivæ partis bonum habet quaſi virtutem attractivam, malum autem virtutem repulſivam. Bonum ergo primo quidem in potentia appetitiva cauſſat quamdam inclinationem ſeu aptitudinem vel connaturalitatem ad ipſum bonum; quod pertinet ad paſſionem amoris, cui per contrarium reſpondet odium ex parte mali. Secundo ſi bonum ſit nondum habitum, dat appetitui motum ad exſequendum bonum amatum; & hoc pertinet ad paſſionem deſiderii vel concupiſcentiæ. Et ex oppoſito ex parte mali eſt fuga vel abominatio. Tertio quum adeptum fuerit bonum, dat appetitui quietationem quamdam in ipſo bono adepto; & hoc pertinet ad delectationem vel gaudium, cui opponitur ex parte mali dolor vel triſtitia. In paſſionibus autem iraſcibilis, præſupponitur quidem aptitudo vel inclinatio ad proſequendum bonum vel fugiendum malum ex concupiſcibili, quæ abſolute reſpicit bonum vel malum. Et reſpectu boni nondum adepti eſt ſpes, & deſperatio, reſpectu autem mali nondum invadentis eſt timor, & audacia, reſpectu boni adepti non eſt aliqua paſſio in iraſcibili, quia jam non habet ratio rationem ardui, ſed ex malo jam imminenti ſequitur paſſio iræ. Thomas 1. 2. quæſt. 23.

Triplex eſt amor.

§. I. Amor eſt prima paſſionum & principalis, ex qua aliæ cauſſantur, ut oſtendit Auguſtinus in 14. de civit. Dei. Eſt autem amor aliquid pertinens ad appetitum. Nam amare eſt velle bonum; bonum autem eſt objectum appetitus. Et ſic ſecundum triplicem appetitum, qui reperitur in rebus, eſt triplex amor. Thomas 1. 2. quæſt. 26. Eſt enim quidam appetitus non conſequens apprehenſionem ipſius appetentis, ſed alterius; & hujuſmodi dicitur appetitus naturalis. Res enim naturales appetunt, quod eis convenit ſecundum ſuam naturam, non per apprehenſionem propriam, ſed per apprehenſionem inſtituentis naturam, ideſt Dei. Alius appetitus eſt conſequens apprehenſionem ipſius appetentis, non ex judicio libero, ſed ex neceſſitate; & talis eſt appetitus in brutis, qui tamen in hominibus aliquid libertatis participat, in quantum obedit rationi. Eſt & alius appetitus conſequens apprehenſionem appetentis ſecundum liberum judicium; & talis eſt rationalis ſive intellectualis appetitus, qui dicitur voluntas. In unoquoque autem horum appetituum amor dicitur id, quod eſt principium motus tendentis in finem amatum. In appetitu autem naturali principium motus eſt connaturalitas appetentis ad id, in quod tendit. Et iſta connaturalitas dici poteſt amor naturalis, ſicut ipſa connaturalitas corporis gravis ad locum infimum eſt per gravitatem, & dici poteſt amor naturalis, & ſimiliter aptatio appetitus ſenſitivi vel voluntatis ad aliquod bonum, ideſt ipſa complacentia boni dicitur amor ſenſitivus vel intellectualis. Unde talis amor non importat ſeu nominat motum appetitus tendentem in appetibile: nam iſtud pertinet ad deſiderium ſive concupiſcentiam; ſed nominat motum appetitus, qui immutatur ab appetibili, ut ei appetibile complaceat. Et ſic ipſa complacentia appetibilis dicitur amor.

Amor dilectio & caritas differunt.

Differunt autem iſta tria, ſcilicet amor, dilectio, & caritas. Amor enim importat complacentiam ad rem amatam, ſive talis complacentia ſit in appetitu ſenſitivo, ſive in voluntate; & ſic eſt communis nobis & brutis. Dilectio autem ſupra amorem addit præcedentem electionem, ut ipſum nomen ſonat, & poteſt convenire & bonis & malis, quamvis non multum a Scriptura vel a catholicis doctoribus dicatur de malis. Caritas autem addit ſupra dilectionem quamdam perfectionem, ſeu divinam infuſionem, ut *De pœnit.* Diſt. 2. *Caritas*. Eſt autem amor cauſſa cognitionis ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 26. Nam bonum apprehenſum a ſenſu movet appetitum ſenſitivum, & apprehenſum ab intellectu movet voluntatem. Similitudo etiam eſt cauſſa amoris: tendit enim in aſſimilatum ſicut in unum ſibi ipſi. Delectatio etiam, vel aliqua alia paſſio, quæ tamen prius procedit ab amore, cauſſat amorem, ſicut unum bonum cauſſa eſt alterius.

Nota, quod amor eſt via, qua itur ad Chriſtum ad ſupernam patriam. Unde ipſe ait Joann. 3. *Omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Credere autem in Chriſtum ſecundum Auguſtinum eſt credendo tendere in ipſum. Via autem amor caritatis eſt. Unde Apoſtolus 1. ad Cor. 12. ait, volens loqui de caritate: *Excellentiorem viam vobis demonſtro*. Hinc inquit Hugo de arrha animæ ipſi loquens: O anima mea, ſcio quia vita tua amor eſt, & ſine amore eſſe non potes. Et bene: nam ex amore fiunt quæcumque aguntur. Omnia enim agunt propter finem. Finis autem eſt bonum deſideratum ab amante. Eſt etiam amare, ſecundum Thomam in 4. contra gentiles, actus principalis voluntatis, a quo alii procedunt. Nam deſiderat voluntas bonum amatum, quum non habet: delectatur in præſentia boni amati; triſtatur, quum timet amittere ipſum: dolet de ejus perditione; iraſcitur, ſi impeditur a conſecutione. Iſte autem amor, ſi regulatur a Spiritu ſancto, caritas dicitur, quæ eſt via ſecundum Auguſtinum, quæ ducit ad cælum. Si eſt ſine Spiritu ſancto, cupiditas eſt radix omnium malorum, via quæ ducit ad infernum contraria caritati. Quod autem amor noſter fiat caritas per Spiritum ſanctum, patet per illud, quod dixit Chriſtus Joann. 7. *Qui credit in me, ſicut Scriptura dicit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu ſancto, quem accepturi erant credentes in eum*: pſal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Et ſic *omnis, qui credit in eum, non perit, ſed habet vitam æternam*.

Omnia ex amore fiunt.

Septem amores.

§. II. Septem ergo amores poſſunt eſſe in nobis, qui ſi regulantur a Spiritu ſancto, caritas ſunt; ſi ibi deſint, ſunt cupiditas. Primus amor naturalis, amor ſenſualis, amor parentalis, amor conjugalis, amor patrialis, amor ſocialis, amor rei temporalis.

De amore naturali.

De primo dicit quidam ſapiens: Eſt cunctis communis amor. Et iſte amor naturalis inſenſibilibus eſt naturalis inclinatio ad conſervationem ſui eſſe. Hinc eſt, quod aqua fluminum currit, quantum poteſt, ad mare, quia ibi melius conſervatur. Lapis in altum projectus quam citius revertitur ad terram, ubi conſervatur. Vitulus, agnus,

gnus, porcellus, quum ducuntur ad macellum, reluctantur, in quantum possunt. Iste amor est eximius inter animam & corpus humanum. Nam quum sit maxima distantia conditionis inter eos & differentia; unum corpus, aliud spiritus; unum vilissimum, scilicet corpus, aliud nobilissimum plusquam omnes cæli & planetæ; tanto amore conjunguntur, quod unum numquam vellet dimittere aliud. Et ratio est, quia ex tali separatione tollitur natura hominis, qui homo non est corpus tantum, vel anima tantum; sed conjunctum ex anima & corpore. Etiam imperfectis viris non tollitur iste amor, immo augetur, in quantum cognoscunt vitam suam utilem aliis. Unde Apostolus Rom. 8. & 2. Cor. 5. & Phil. 1. de se & aliis Apostolis: *Nos ipsi ingemiscimus, primitias spiritus habentes, eo quod nolumus exspoliari*, scilicet corpore, *sed supervestiri*, idest vellemus cum corpore regnum intrare. Quod autem dixerat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, erat secundum instinctum divinum superantem naturalem. Iste ergo amor naturalis, si non regulatur a Spiritu sancto, cupiditas dicitur, & malus. Nam quum quis amat vivere, ut possit gaudere, & delectari in mundo, & diu permanere in suis concupiscentiis, non curans de salute animæ, vel etiam quum ita amat vitam, quod propter ipsam conservandam facit fieri incantationes, vel alia quæcumque contra Dei mandata, amor infernalis est suus amor. Sed quum amat sui conservationem præsuppositio beneplacito divinæ voluntatis, ad hoc ut pœnitentiam agat, ut merita augeat, ut aliis prosit, eligere paratus potius mortem, quam aliquod criminale committere propter sui conservationem, non peccat, Joann. 6. *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam*, idest instinctus secundum Spiritum sanctum est, qui facit habere vere amorem vitæ, non instinctus secundum carnem.

De amore sensuali.

Secundus est amor sensualis. Iste est quædam inclinatio sensualitatis cum complacentia ad ea, quæ sunt delectabilia sensibus. Unusquisque enim sensus amat & delectatur de objecto sibi proportionato, visus in videndo pulchra, auditus in audiendo suaves sonos & cantus, olfactus de fragrantia odorum, florum, & aromatum & aliis, gustus in dulcedine saporum & hujusmodi. Sed si iste amor non regitur a Spiritu sancto, efficitur bestialis, & pejor omni bestia, insaniæ proximus. Unde & multi insatuati sunt ex tali amore, quando exit limites suos. Iste inducit mala innumera ad curiositates, ad carnalitates, ad tripudia, ad spectacula, ad crapulam & ebrietatem & hujusmodi. Unde dixit Christus Joan. 12. *Qui amat animam suam*, scilicet sensitivam, acquiescendo ejus appetitibus, *perdet eam*, idest animam intellectivam. Est enim ibi relatio simplex, quia necesse est, ut ruat in multa peccata; propter quod sancti viri semper attendunt ad mortificationem sensuum & carnis, ut possint magis in Domino delectari: & secundum Gregorium, tanto unusquisque a superno amore disjungitur, quanto in infimis delectatur. Unde S. Dominicus per totam noctem multoties vigilabat, & ter in die se disciplinabat catena ferrea. Et B. Franciscus in cibis aliquando cineres vel aquam immiscebat, ut magis essent capaces divinorum. Et nimia familiaritas, quam habent mulieres cum personis spiritualibus, etsi pura intentione, nisi magno rigore gubernetur, in sensualem convertitur. Cujus signum est, quando magis cogitat de ipso, quam de Deo, & delectatur de ejus præsentia corporali magis quam de doctrina ejus, & hujusmodi. Spiritus autem sanctus, quum regit hunc amorem, facit quærere tantum necessaria corpori vel spiritui, & superflua resecare. Unde Apostolus Rom. 8. *Si spiritu facta carnis*, idest sensualitates, *mortificaveritis*, *vivetis*. Et qui sic credit in Christum, *non perit*, *sed habet vitam æternam*.

Tertius est amor parentalis. Magnus utique est amor inter parentes, & tanto major, quanto strictior est parentela; unde inter patrem & matrem & filios est maximus, major tamen parentum in filios, quam filiorum in parentes. Et ratio est secundum Thomam 2. 2. quia tanto amor est major, quanto diuturnior, & quanto est ad certiorem rem. Sed amor patris & matris est diuturnior quam filiorum. Nam subito quando nascuntur filii, parentes incipiunt eos amare: sed filii differunt per plures annos, antequam ament parentes, quia non habent usum rationis, quo cognoscunt eos esse parentes. Etiam parentes sunt magis certi de filiis suis, quam filii de parentibus. Et quia mater est magis certa de prole, quam pater, & administrat materiam in generatione; ideo ipsa tenerius amat & vehementius, quam pater. Amandus est generator, ait Augustinus, sed præponendus est Creator. Si igitur iste amor parentalis non dirigitur a Spiritu sancto, inducit ad multa mala, & quasi ad idololatriam. O quot sunt parentes, qui propter inordinatum amorem ad filios, damnationem incurrunt! O quot sunt, qui eis quasi idolis inserviunt! Et nota, quod idololatria habuit initium ab inordinato amore parentum in filios, & e converso. Nam Ninus, qui ædificavit Ninivem, mortuo Bello patre suo, propter inordinatum amorem patris fecit fieri statuam ejus repræsentativam, ordinans, quod quicumque haberet refugium ad ipsam post maleficium commissum, liber esset ab omni pœna. Et propter hoc multi videntes se mortem evadere, cœperunt ipsam venerari & adorare. Et aliæ civitates similia fecerunt. Alius autem non minus dolens de morte filii, fecit sibi imaginem ejus, eam colens, ut dicitur in lib. Sap. 14. Sic multi faciunt de filiis idola. Nam, ut dimittant eos divites, congregant per fas & nefas, nec curant ire ad infernum. Et contra multi filii & filiæ inspirantur mundum deserere, & ingredi religionem, videntes pericula sæculi; sed ne contristentur parentes, dimittunt prosequi bonam inspirationem. *Qui amat patrem suum & matrem plusquam me, non est me dignus*, &c. Sed si regitur a Spiritu sancto, est amor caritatis, ut scilicet parentes ament filios principaliter quoad animam eos erudientes & corrigentes, & filii parentes eis in licitis obedientes & subvenientes. Unde Apostolus ad Roman. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, scilicet non hominum tantum. Et talis, *qui credit in eum, non perit, sed habet vitam æternam*.

Mater ardentius amat quam pater.

Inordinatus amor filiorum.

Qui verus amor filiorum.

Quartus est amor conjugalis, qui fundatur in duobus: in communicatione mutua ad prolem procreandam, & cooperatione gubernationis domus, & provisione necessariorum vitæ. Vir enim vacat circa exteriora negotia, uxor ad gubernationem domus. Iste amor, si non regitur a Spiritu sancto, est amor fatuus, & causa multorum malorum. Unde Hieronymus: Amor formæ mulieris, rationis oblivio est, & insaniæ proximus. Propterea legitur de Salomone, qui ardentissimo amore conjunctus est uxoribus, quod infatuatus est, & idola adoravit. *Origo amoris erat honesta, sed magnitudo deformis*, inquit Hieronymus de quibusdam conjugatis .... *Et, ut ait Xistus*, scilicet philosophus, *in sententiis: adulter est in uxorem suam amator ardentior*, 32. quæst. 4. *Origo*. Sed si regatur a Spiritu sancto, caritas est. Et modum docet Apostolus, dicens ad Ephes. 5. *Viri*,

De amore conjugali.

ri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam. Dilexit autem, ut eſſet ſancta, caſta, honeſta, & ad hoc laboravit inſtruendo ipſam. Sic vir debet diligere uxorem, ut ſit honeſta, modeſta, & hujuſmodi, nec acquieſcere vanitatibus, & docere ipſam, & e converſo uxor virum cum humilitate inducendo ad reverentiam divinorum, ſumtionem ſacramentorum, & hujuſmodi. Bonitas uxoris multoties virum iniquum efficit bonum, ſicut dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. de infideli: *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem.* Exemplum patet in rege Aſſuero, & uxore ejus Heſter, in Theodora, & Siſinio, in Cæcilia & Valeriano, & quotidie hoc cernitur; unde Apoſtolus Galat. 5. *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis*, ideſt carnalis amoris, qui inducit ad multa illicita perpetrandum conjugatos, & aſſentiendum malis; & talis, quia credit in Chriſtum, *non perit.*

De amore patriali.

Quintus eſt amor patrialis. Unde Sapiens: *Dulcis amor patriæ.* Iſte eſt ita magnus, quod aliquando ſuperat amorem parentelæ, & materialem. Unde narrat Auguſtinus lib. 3. de civit. Dei cap. 16. & lib. 5. cap. 18. quod Junius Brutus proprios filios, & virgis cædi, & tamdem occidi juſſerit amore patriæ. Nam favebant Tarquinio ſuperbo regi Romanorum expulſo. Eamdem Hiſtoriam ponit Valerius Maximus lib. 5. cap. 8. ſcilicet de parentum auſteritate contra filios. Narrat etiam Auguſtinus lib. 5. de civ. Dei cap. 18. & Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. de militari diſciplina de Manlio Torquato, qui proprio filio non pepercit, propter amorem patriæ, cujus bonum maxime procurabat ex obedientia legum, & punitione tranſgreſſionis ipſarum. Nam quum eſſet conſul Romanorum in quodam bello, quum imperaſſet neminem debere de exercitu ſuo movere arma contra inimicos eorum, filius ejus audacia ductus ſub ſpe victoriæ movit bellum, & victoriam habuit, & nihilominus pater fecit eum decapitare, quia fecerat contra ſtatutum ſuum. Unde poeta:

Vicit amor patriæ, laudumque immenſa cupido.

In libro quoque Machabæorum 1. cap. 6. habemus de Eleazaro, qui ut liberaret patriam ab inimicis, ipſe ſolus inceſſit per media caſtra inimicorum, ſcilicet exercitus regis Antiochi, quouſque pervenit ad elephantem, ſuper quem erat poſitum caſtrum de lignis factis ad bellandum, ubi plures ſtabant, excellentiorem & ornatiorem ceteris elephantibus, æſtimans ibi regem eſſe, & ingreſſus ſubtus eum, occidit, ſub eo occumbens. Hic autem amor, ſi non regitur a Spiritu ſancto, committit ſcelera multa, frangit fidem, ordinat proditiones, leges Dei tranſgreditur, de ordinationibus Eccleſiæ non curat, clerum conculcat, & omnia facit, ut poſſit conſervare ſtatum ſuum temporalem. Et tandem iſte amor generat ambitionem, ſectas & partialitates producit, ſeditiones excitat, concitat bella, odia gignit, invidias nutrit, omnem juſtitiam pervertit, adulationibus ſervit, detractionibus, & perſecutionibus ſævit, nemini parcit, & tandem patriam deſtruit. Sicut Judæi, quia fecerunt contra Deum & legem ejus, ut conſervarent ſtatum temporalem patriæ, occidendo Chriſtum, *ne forte veniant Romani*, Joann. 11. *& tollant noſtrum locum, & gentem*, dicentes: Tandem amiſerunt patriam temporalem & æternalem diſperſi per orbem, &c. Sed ſi regitur a Spiritu ſancto iſte amor patriæ caritas eſt. Et tunc attendit, ut ſuper omnia in civitate obſerventur leges Dei, auferantur partialitates, exſtirpentur malæ conſuetudines, exaltentur boni, puniantur iniqui, mali contractus eliminentur. Sic vere amatur civitas, & hinc conſervatur ſua libertas: Apoſtolus 2. Cor. 3. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Et talis amator patriæ, quia credit in Chriſtum, *non perit*, &c.

De amore ſociali.

Sextus amor eſt ſocialis, qui alio modo dicitur amicitia. Et ut dicitur in Proverb. *Amico fideli nulla eſt comparatio.* Valde intenſus eſt iſte amor, & multa facit. Talis amor fuit inter Jonatham filium Saul, & David, ut 1. Reg. 18. Et tantus, quod non curaret Jonathas incurrere indignationem & contumeliam patris, excuſando ipſum David. Et non ſolum in vita, ſed & poſt mortem ſervavit David amicitiam, benefaciendo filio Jonathæ, ſcilicet Miphiboſeth, 2. Reg. 9. Unde & ipſe David audita morte Jonathæ, lugens dicebat: *Ita te diligebam, ſicut mater diligit unicum filium ſuum*, 2. Reg. 1. Iſte autem amor, ſi non ducitur a Spiritu ſancto, incidit in varia peccata. Nam ut complaceat quis amico, vel ne diſpliceat, aſſentit aliquando in id, quod non debet: ſic Adam acquievit uxori ſuadenti ſibi eſum pomi vetiti, non quia credidit ſe per hoc ſimilem Deo futurum, ſed ne diſpliceret & contriſtaret ſociam, ductus non amore concupiſcentiæ, quæ adhuc non erat in eo, ſed amore ſociali, quo timet quis non offendere amicum ſuum, ut dicit Auguſtinus. Sed ſi eſt ſociatus cum Spiritu ſancto, eſt caritas fraternitatis, ad quam exhortatur Apoſtolus, Epheſ. 4. dicens: *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus.* Iſte amor omnia exteriora facit communia. Unde Clemens: *Quidam Græcorum ſapientiſſimus, amicorum dixit debere omnia eſſe communia*, 12. quæſt. 1. *Dilectiſſimis.* Immo & ipſas voluntates unit in Deum & communem utilitatem, propter quod dicitur de primis fidelibus, qui fuerant repleti Spiritu ſancto, Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una in Domino.* Pertinet autem ad veritatem hujus amicitiæ ſecundum Tullium in lib. de amicitia, ut nec quid inhoneſtum, ideſt vitioſum, petas ab amico, nec rogatus facias. Inſuper quamvis amicitiæ ſit proprium delectabiliter converſari adinvicem; tamen ſecundum Thomam 2. 2. non debet verus amicus vereri contriſtari amicum ſuum, quum expedit, ſcilicet in reprehendendo eum de defectibus ſuis, ſi committit aliquos; alias ſi ſemper vellet placere, eſſet adulator, non amicus. Super omnes autem amicitias mundi perfectiſſima & fructuoſiſſima eſt illa, qua aliqui, vel aliquæ ſub una regula & religione debita obſervatione vivunt. De qua venerabilis Caſſianus facit unam collationem, quæ intitulatur *Abbati Joſeph*, ubi ponuntur proprietates ejus. Talis ergo *non perit*, &c.

Amor creaturæ irrationalis.

Septimus & ultimus eſt amor creaturæ irrationalis. De Domino Deo dicitur Sap. 11. *Diligis omnia, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Unde quum debeamus Dominum imitari, debemus & omnia amare; aliter tamen creaturas rationales, & aliter irrationales. Nam creaturas rationales, quæ ſunt in ſtatu gloriæ, amamus ex caritate, quia jam poſſident beatitudinem gloriæ. Quæ autem nondum adeptæ ſunt, ſed adipiſci poſſunt, ut qui ſunt in purgatorio, & omnes viatores, ex caritate & in caritate diligimus, ut ſcilicet perveniant ad ſupernam patriam. Alias autem creaturas amamus non in caritate, ut ſcilicet habeant vitam æternam, quum non ſint capaces, ſed amamus, in quantum ſunt creaturæ Dei, ut ſint ad illud, ad quod ordinavit eas Deus; ſicut ſervus bonus non ſolum amat familiam domini ſui, ſed etiam animalia, bruta, ut veſtes, equos, domos, & omnia ejus. Nos etiam poſſumus ea amare, in quantum deſerviunt nobis, ſed ita moderate debemus amare, quod propterea nil fiat iniquum. Si igitur amas pecuniam, & honores, domos, vi-

vineas, cibum, potum, gloriam, veſtes & hujuſmodi; ita ama, quod propter hoc non facias aliquod inordinatum; ita ama, quod totum referas in Deum. Nam ut dicit Auguſtinus: Minus te, Domine, amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Sed ſuper omnia amari debet ſapientia: *Hanc amavi & exquiſivi a juventute mea*, ait Sapiens doctus a Spiritu ſancto, Sap. 8. Heronymus ad Ruſticum monachum, & habetur *De conſec.* Diſt. 5. *Numquam: Ama ſtudia Scripturarum*, ſcilicet ſacrarum, ubi eſt vera ſapientia, & carnis vitia non amabis. Sapientia enim ducit ad claritatem æternam, ad quam nos perducat, &c.

De effectibus amoris.

§. III. Sunt autem effectus amoris plures, ſcilicet extaſis, unio, zelus, ſeu fervor, languor, liquefactio, inhæſio, vulneratio, inebriatio, quæ videtur reduci ad extaſim, & de ſingulis dicendum[1]. Extaſis, quod ſit effectus amoris, patet per id, quod dicit Dionyſius, quod divinus amor extaſim facit, non ſinens homines ſui eſſe amatores.

1 *De extaſi.*

Pro cujus declaratione nota ſecundum B. Thomam 1. 2. quæſt. 28. quod extaſim pati aliquis dicitur, quum aliquis extra ſe ponitur; quod quidem contingit & ſecundum vim apprehenſivam, & ſecundum vim appetitivam. Secundum quidem vim apprehenſivam aliquis dicitur extra ſe poni, quando ponitur extra cognitionem ſibi propriam, vel quia ad ſuperiora ſublimatur, ſicut homo dum elevatur ad apprehendenda aliqua, quæ ſunt ſupra ſenſum & rationem, dicitur extaſim pati, in quantum ponitur extra naturalem apprehenſionem rationis & ſenſus; vel quia ad inferiora deprimitur, puta quum aliquis in furiam vel amentiam cadit, dicitur extaſim paſſus. Secundum appetitivam vero partem dicitur aliquis extaſim pati, quando appetitus alicujus in alterum fertur exiens quodammodo extra ſe ipſum. Primam quidem extaſim facit amor diſpoſitive, in quantum ſcilicet facit meditari de amato, ut dictum eſt. Intenſa autem meditatio unius abſtrahit ab aliis. Sed ſecundam extaſim facit amor directe: ſimpliciter quidem amor amicitiæ; amor autem concupiſcentiæ non ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Nam in amore concupiſcentiæ quodammodo fertur amans extra ſeipſum, in quantum ſcilicet non contentus gaudere de bono, quod habet, quærit frui aliquo extra ſe. Sed quia illud extrinſecum bonum quærit ſibi habere, non exit ſimpliciter extra ſe, ſed talis affectio in fine ipſam concluditur. Sed in amore amicitiæ affectus alicujus ſimpliciter exit extra ſe, quia vult amico bonum, & operatur quaſi gerens cauſſam & curam atque providentiam ipſius propter amicum ſuum.

Duplex extaſis.

Nota, quod zelus ex intenſione amoris provenit. Manifeſtum eſt enim, quod quanto aliqua virtus intenſius tendit ad aliquid, fortius etiam repellit omne contrarium vel repugnans. Quum enim amor ſit quidam motus in amatum, ut Auguſtinus dicit in lib. 83. quæſtionum, intenſus amor quærit excludere omne, quod ſibi repugnat. Aliter tamen hoc contingit in amore concupiſcentiæ, & aliter in amore amicitiæ. Nam in amore concupiſcentiæ, qui intenſe aliquid concupiſcit, movetur contra omne illud, quod repugnat conſecutioni vel fruitioni quietæ ejus, quod amatur, & hoc modo dicuntur viri zelare uxores. Si eſt amor amicitiæ, quærit bonum amici; unde ſi eſt intenſus, facit hominem moveri contra omne illud, quod repugnat bonis amici. Et ſecundum hoc dicitur aliquis zelare pro amico vel pro Deo, quando ea, quæ ſunt circa honorem vel voluntatem Dei, repellere ſecundum poſſe conatur.

§. IV. De unione dicit Dionyſius cap. 4. de divin. nom. quod amor eſt virtus unitiva.

De unione amantis ad amatum.

Pro cujus declaratione dicit Thomas 1. 2. quæſt. 28. art. 1. quod duplex eſt unio amantis ad amatum. Una ſecundum rem: puta, quum amatum præſentialiter adeſt amanti. Alia unio eſt ſecundum affectum; quæ quidem unio conſideranda eſt ex apprehenſione præcedenti: nam motus appetitus ſequitur apprehenſionem. Quum autem ſit duplex amor, ſcilicet concupiſcentiæ & benevolentiæ, uterque procedit ex quadam apprehenſione unitatis amati ad amantem. Quum enim aliquis amat aliquid, quaſi concupiſcens illud, apprehendit illud quaſi pertinens ad ſuum bene eſſe. Similiter quum aliquis amat aliquem amore amicitiæ, vult ei bonum, ſicut & ſibi vult bonum; unde apprehendit eum ut alterum ſe, in quantum ſcilicet vult ei bonum ſicut & ſibi ipſi. Et inde eſt, quod amicus dicitur alter ipſe: & Auguſtinus dicit in 4. confeſ. quod bene dixit quidam de amico ſuo, dimidium animæ ſuæ eſſe. Primam igitur unionem amor facit effective, quia movet ad deſiderandum & quærendum præſentiam amati, quaſi ſibi convenientis & ad ſe pertinentis. Secundam unionem facit formaliter, quia ipſe amor eſt talis unio vel nexus; unde Auguſtinus dicit in 8. de Trin. cap. ult. quod amor eſt vis quædam aliqua copulans, vel copulare appetens, ſcilicet amantem, & quod amatur. Quod enim dicit Auguſtinus, copulans refertur ad unionem affectus, ſine qua non eſt amor: quod vero dicit copulare appetens, pertinet ad unionem realem. Item ſciendum ſecundum B. Thomam ubi ſupra, quod unio tripliciter ſe habet ad amorem. Quædam enim unio eſt, quæ eſt cauſſa amoris; & hæc quidem eſt unio ſubſtantialis quantum ad amorem, quo quis amat ſeipſum; quantum ad amorem, quo quis amat alia, eſt unio ſimilitudinis, ut dictum eſt. Quædam vero unio eſt eſſentialiter ipſe amor, & hæc eſt unio ſecundum coaptationem affectus, quæ quidem aſſimilatur unioni ſubſtantiali, in quantum amans ſe habet ad amatum; in amore quidem amicitiæ ut ad ſeipſum, in amore autem concupiſcentiæ, ut ad aliquid ſui. Quædam vero unio eſt effectus amoris, & hæc eſt unio realis, quam amans quærit de re amata. Et hæc quidem unio eſt ſecundum convenientiam amoris. Ut enim philoſophus refert in 2. Politic. Ariſtophanes dixit, quod amantes deſiderarent ex ambobus fieri unum; ſed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt unionem, quæ convenit & decet, ut ſcilicet ſimul converſentur, ſimul loquantur, & in aliis hujuſmodi conjungantur.

Unio tripliciter ſe habet ad amorem.

De unitate ſecundum triplicem ſtatum, ſcilicet incipientium, proficientium, perficientium ſeu perfectorum, loquitur pſal. 67. *Qui habitare facit*, ſcilicet Deus, *unius moris in domo*, ſcilicet Eccleſiæ militantis & triumphantis. Utraque enim dicitur domus Dei *unius moris*, ideſt ſecundum unum & eumdem morem, ideſt actus virtuoſos in genere. Nec perveniri poteſt ad unitatem civitatis ſupernæ, niſi per unitatem præſentis Eccleſiæ; & hoc eſt, quod ait Apoſt. 1. Cor. 9. *Qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium.* Currimus quidem omnes ad mortem quantum ad corpus, & ad ultimum finem beatitudinis, quantum ad na-

De unitate ſecundum triplicem ſtatum.

1 Qui de *exſtaſi* fuſe cognoſcere cupit, adeat præclarum Benedicti XIV. Opus *de Beatificatione & Canonizatione* lib. 3. cap. 49.

naturale desiderium animæ. Sed solum *unus*, id- A
est qui manet in unitate Ecclesiæ, ille *accipit bravium* supernæ gloriæ. Sic qui descendebat in piscinam post motionem aquæ ab Angelo, unus sanabatur ab omni infirmitate. Qui enim in piscinam baptismi vel pœnitentiæ descendit se humiliando ad illud suscipiendum post contactum aquæ in Jordane a Christo, qui est *magni consilii Angelus*, seu post passionem suam, per quam aquas intravit summæ afflictionis, sanus efficitur ab omni infirmitate animæ, si unus, idest in unitate Ecclesiæ hoc agit: de hoc Joann. 5. Ad hanc unitatem hortatur Augustinus dicens 1. quæst. 1. *Teneamus: Teneamus unitatem, fratres, quoniam præter unitatem etiam qui facit miracula, nihil est*. Nam & magi Pharaonis fece- B
runt miracula, & tamen reprobi, quia extra unitatem. Propterea voluit gloriosus Deus unum esse principium omnium hominum, scilicet Adam, ex quo postea Eva formata est, ut considerantes homines se unum principium habere quoad corpulentam substantiam seu propagationem, unitatem amarent, & tenerent ad invicem, ut dicit Magister sentent. in 2. lib. Et sicut *est unus pater, qui in cælis est*, Deus, quem solum debemus cognoscere nostrum creatorem, & auctorem omnium bonorum, & non alium; ita & *unus est magister* noster Christus, ut dicitur Matth. 23. qui solus illuminat mentes hominum, sine quo nullus illuminari potest.

De unitate incipientium.

De unitate incipientium dicitur Actuum 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*. Ad hanc unitatem requiritur primo, ut idem credatur quantum ad substantiam fidei implicite vel explicite, præteritum, vel futurum secundum tempora varia. Ephesios 4. *Una fides, unum baptisma*. Secundo requiritur, ut unum & idem appetatur ab omnibus, scilicet honor, & gloria Dei, & salus animarum. Ephes. 4. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*, glossa ibi: ut idem velimus, & idem nolimus cum fratribus; quod intelligendum est de his, quæ mala non sunt. Tertio ut eidem, & pro eodem gratia agatur, seu petatur. Ephes. 4. *Unus Deus, & pater omnium*, a quo scilicet est *omne datum optimum*, qui est super omnes requirendus, & per omnes, scilicet fideles, regratiandus, & in omnibus invocandus: D
ut enim dicitur Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quam petierint, fiet illis a patre meo. Consenserint*, idest in unum convenerint ad petendum. Quarto, ut defectus aliorum sufferatur, seu supportetur. Ephes. 4. *Supportantes* dicitur *invicem in caritate*. Caritas dicitur quasi cara unitas. Glossa: talis actio nec frangitur negotio, nec frigida est otio, nec turbulenta, nec marcida, nec audax, nec fugax, nec præceps, nec jacens. Quinto unitas in hoc reperitur in incipientibus, quia idem speratur, scilicet præmium: Ephesios 4. *Vocati estis in una spe*. Hæc quinque notantur ad Rom. 15. ubi dicitur: *Quæcumque scripta sunt*, &c. Ubi notatur unitas E
in credendo in eo, quod dicit, *ad nostram doctrinam scripta sunt, doctrinam* scilicet fidei, quæ est de eisdem. Secunda unitas, scilicet in appetendo vel volendo, ibi notatur, quum subditur: *Deus autem patientiæ & solatii det vobis, idipsum sapere in alterutrum*. Quum autem aliqui idem sapiunt de aliqua re, & idem judicium habent, si boni sunt, idem volunt. Ex hoc enim aliquando diversa boni volunt, quia videtur hoc alii aliud esse melius. Tertia unitas, scilicet in gratias agendo vel petendo, notatur in eo, quod sequitur: *Omnes unanimes uno ore honorificetis Deum & patrem Domini nostri Jesu Christi*. Quarta scilicet in supportando, ibi notatur, quum sequitur: *Suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos*, idest supportate.

Consequenter declarans quomodo Christus suscepit Judæos quidem, quos appellat *circumcisionem*, eis prædicando primo, & per se, exinde gentes per prædicationem Apostolorum. Et sic suscepit utrosque, *ut faceret utraque unum*, secundum Apostolum, quoad conversos. Quinta unitas ibi notatur: *Deus autem spei*, scilicet auctor: in singulari dicit *spei*, quia una est spes nostra, scilicet de superna beatitudine, quam ipse solus conferre potest, & in eo, quod sequitur, quinque fructus notari possunt hujus unitatis. Primus est, quod lætificat quoad concupiscibilem; unde dicitur: *Repleat vos omni gaudio*. Secundus est, quod pacificat seu quietat, quum subditur: *& pace*. Tertius, quod certificat quoad rationalem; unde subdit: *in credendo*. Quartus, quod ad superna elevat intellectum; unde dicit: *Ut abundetis in spe*. Quintus quia contra adversa roborat, concludens: *& virtute Spiritus sancti*.

Quinque fructus unitatis.

De unitate proficientium.

De unitate proficientium potest intelligi illud Col. 3. *Pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua vocati estis in uno corpore*. Proficientes enim advocantur secundum statum eorum, ut sedatis passionibus, virtutibus insistant. Et ad hanc unitatem quinque concurrunt, quæ notat princeps Apostolorum dicens: *Omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles*, idest sitis, 1. Pet. 3. In istis quinque ostendit debere servari unitatem animi. Et primum est C
compassio respectu peccatorum in eo, quod dicit *Compatientes*. *Unum corpus sumus in Christo*, ait Apostolus ad Rom. 12. Sed in corpore videmus, quod *si patitur membrum unum, compatiuntur omnia membra*, 1. Cor. 12. patitur membrum spiritualiter per peccatum, compatitur membrum aliud per compassionem, ut faciebat Apostolus, dicens 2. Cor. 11. *Quis infirmatur*, scilicet per peccatum, *& ego non infirmor*, scilicet per compassionem? Secundum est viscerosa dilectio respectu bonorum, in eo, quod subditur: *Fraternitatis amatores, omne enim animal diligit sibi simile*. Eccles. 13. Et multo magis similitudo, quæ ex bonitate virtuali debet movere ad amorem, qui facit unitatem. Tertium est subventio respectu egenorum; unde subdit: *Misericordes*, ut dicat per effectum illud Prov. 1. *Marsupium sit unum omnium nostrum*. Nam ut dicit Clemens: Græcorum quidam sapientissimus dixit, amicorum debere esse omnia communia. Ipsa lex naturalis in extrema necessitate facit omnia communia, & quodammodo unum. Quartum est modestiæ observatio respectu extraneorum, unde addit: *modesti*, idest morigerati, & bene compositi: Phil. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*. Quintum est omnis querimoniæ & rancoris depositio respectu adversariorum; unde subdit: *Humiles, non reddentes malum pro malo*. Dicit Dominus Jesus Matthæi 24. quod *duo erunt in agro; unus assumetur, alius relinquetur. Duo molentes in mola; una assumetur, & una relinquetur, & duo in lecto uno* &c. Ager, ubi laboratur, signat vitam activam, in qua qui est unus unitus cum proximo, assumitur ad gratiam: & qui alius, idest divisus per odium, relinquitur. Molitio signat pœnitentiam, ita quod mola superior est spes, & inferior timor: & inter hæc movetur pœnitens. Sed in statu pœnitentium, qui est unus, salvatur; qui est alius, idest divisus per odium, reprobatur. Lectus, ubi quiescit, est contemplatio, & ex contemplativis unus per dilectionem salvatur, & alius, scilicet habens rancorem contra proximum, damnatur. De unitate proficientium seu perfectorum Apostolus ad Phil. 3. *Unum autem, quæ qui-*

De unitate perfectorum.

dem retro ſunt, obliviſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium. Et per hanc requiruntur quinque, quæ notat Apoſtolus 1. Cor. 12. loquens de fidelibus ad ſimilitudinem unitatis, quæ reperitur in corpore humano. Unde dicit: *Omnes in unum corpus baptizati ſumus.* Et poſtea ſpecificat illa quinque. Et primum eſt ſuperbiæ excluſio, quod notat, quum dicit: *Non poteſt oculus dicere manui: opera tua non indigeo*, &c. Sic non debet ſpeculativus contemnere activum, æſtimando non eo egere, quod pertinet ad ſuperbiam, propterea uni data eſt una gratia, alteri alia, ut humilientur homines ad invicem, & unum fiant. Secundum eſt infirmorum ſuperabundans ſupportatio; unde ſubdit: *Quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent*, appellans *inhoneſta* infirmos & imperfectos. Tertium eſt mutua ſollicitudo per impenſionem beneficii. Unde ſubdit: *Pro invicem ſollicita ſint membra*, &c. Quartum eſt in paſſione communis tribulatio ſeu compaſſio ad augmentum meriti; unde ſubdit: *Si quid patiatur unum membrum, compatiuntur alia membra.* Quintum eſt de bono communis congratulatio, ibi: *Si gaudet unum membrum*, &c. ad Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, idipſum invicem ſentientes.*

Neceſſarium dupliciter.

§. V. De multiplici unitate diverſis modis neceſſaria. Unde Chriſtus dixit Marthæ: *Porro unum eſt neceſſarium*, Lucæ 10. Ubi advertendum, quod neceſſarium dicitur aliquid uno modo, quia ſine illo aliquid eſſe non poteſt; & ſic cibum dicimus neceſſarium ad vitam hominis corporalem ſecundum viam naturalem. Et ad vitam ſpiritualem dicimus neceſſariam ſumtionem ſacramentorum præcipue baptiſmi & pœnitentiæ, actu vel propoſito. Unde a Theologis dicuntur ſacramenta neceſſitatis: & baptiſma unum eſt, quia ad unum effectum principaliter ordinatum, ſcilicet ad tollendum originale, quamvis & alia tollat, ſi invenit, & quia ſub una ſubſtantiali forma datur, Epheſ. 4. *Unus Deus .... unum baptiſma.* Ambroſius etiam dicit, quod *ſicut unum eſt baptiſma, & pœnitentia eſt una, De pœnit.* Diſt. 3. *Reperiuntur*: quod dictum, ſi intelligatur de ſolemni pœnitentia, quæ olim fiebat, vult dicere, quod non poteſt iterari, ſicut nec baptiſmus; ſed ſi intelligatur de pœnitentia privata & ſacramentali, iterari frequenter & quotidie poteſt. Sed dici poteſt *una*, quia ad unum effectum ordinata, ideſt ad tollendum culpam actualem, quæ ſi mortalis eſt, auferri non poteſt niſi per ipſam, & ſic *unum eſt neceſſarium*. Alio modo dicitur neceſſariam illud, ſine quo aliquid bene eſſe non poteſt, quod utile eſt; & ſic cibus carnium neceſſarius ad vitam dicitur, ſcilicet ad bene eſſe, & utilius nutrimentum; ſed ad vitam ſpiritualem ſic neceſſaria eſt obſervantia conſiliorum Chriſti ſeu contemtus mundi. Unde Salvator dixit: *Niſi quis renuntiaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, Lucæ 14. Diſcipulatus autem Chriſti conſiſtit in quadam perfectione vitæ ſpiritualis, ad quam melius pervenitur per contemtum terrenorum; & hoc eſt illud *unum*, quod dixit Chriſtus juveni quærenti viam ad conſequendum vitam æternam, ſcilicet *adhuc unum tibi deeſt*, Lucæ 18. *Si vis perfectus eſſe*, &c. Eſt igitur & hoc *unum neceſſarium* ad vitam ſpiritualem perfectius habendam & multum utile.

Septiplex unitas eſt neceſſaria.

Sciendum autem ſeptemplicem eſſe unitatem neceſſariam & utilem, ſed variis modis. Unitas naturalis, & hæc eſt neceſſaria ad hominis conſervationem. Unitas conjugalis, & hæc eſt neceſſaria ad generis multiplicationem. Unitas policialis, & hæc neceſſaria ad multitudinis directionem. Unitas Eccleſiaſticalis, & hæc neceſſaria ad ſalutis conſecutionem. Unitas regularis, & hæc eſt neceſſaria ad perfectionis adeptionem. Unitas perſonalis, & hæc neceſſaria ad peccatoris redemtionem. Unitas eſſentialis ſeu divinalis, & hæc neceſſaria ad orbis gubernationem.

Unitas naturalis.

De prima inquit Athanaſius: Anima rationalis & caro unus eſt homo. Neque enim caro eſt homo, neque anima rationalis eſt homo, ſed iſta duo unita conſtituunt unam naturam, quæ dicitur homo. Naturalis eſt ergo iſta unio & neceſſaria ad conſervationem talis ſpeciei ſeu naturæ. Et ſicut neceſſaria eſt hujuſmodi unitas ad conſervationem eſſe naturalis, ita neceſſarium eſt ad conſervationem eorum eſſe ſpiritualis, quod unita ſint ad operandum; quod contingit, quando anima dominatur corpori, & caro ut ancilla ſubjugatur ſpiritui. Nam, ut ait Bernardus: Dominam ancillari & ancillam dominari, magna eſt abuſio. Et ſicut in domo aliqua ſi ancilla dominaretur, vel rebellaret matronæ non poſſet eſſe unitas & concordia, ſed multa diviſio & inquietudo; ita ſi ratio non dominatur, ſed ſenſualitas velit ſpiritui imperare, nec renuat, ut ſatisfaciat voluptatibus carnis, non eſt ibi unitas, quia ſyndereſis pars ſuperior rationis remordet, & contradicit tali ſubditioni. Sed quum ita ſubjicitur caro rationi ad bona opera, ut dicere valeat illud Pſalmiſtæ: *Cor meum*, ideſt voluntas, *& caro mea*, ideſt ſenſualitas, *exſultaverunt*, ideſt extra ſe ſaltaverunt, non propria quærentes, ſed *in Deum vivum*, conformando ſe ejus voluntati; tunc hæc unitas facit hominem fortem ad omnia: etenim dicitur in lib. de cauſſis: Omnis virtus unita eſt magis infinita, ideſt fortior. Quod patet per experientiam, quod tres vel plures candelæ accenſæ non ita faciliter exſtinguuntur, ſicut quælibet de per ſe. Et magis eſt fortis ad reſiſtendum inimicis & invadendum exercitus adunatus quam diſperſus. Unde dicitur Judith 15. quod *Aſſyrii*, ſcilicet exercitus Holofernis, *non adunati in fugam ibant præcipites; filii autem Iſrael uno agmine perſequentes debilitabant omnes quotquot poterant invenire*. Sic potentiæ ſenſitivæ & rationales cum ſuis aliis potentiis adunatæ, ideſt directæ in Deum, conſervant utrumque hominem.

Unitas conjugalis.

De ſecunda unitate dicitur Geneſ. 2. *Erunt duo in carne una; duo*, videlicet vir & uxor, *in carne una*, ideſt ad unam carnem, hoc eſt prolem generandam, ſecundum Nicolaum de Lyra. Unde & de una coſta facta eſt prima uxor, ſcilicet Eva, ad inſinuandum, quod non plures debet quis habere uxores, ſicut nec uxor plures viros. Quod autem Jacob, David, & aliqui alii habuerunt plures uxores, diſpenſative fuit a Domino ordinatum diverſis rationibus, quas ob brevitatem dimitto. Eſt autem neceſſaria hujuſmodi unitas ad multiplicationem humani generis. Unde & illud præceptum datum primis parentibus, ſcilicet: *Creſcite, & multiplicamini*, ſcilicet per actum conjugalem, neceſſarium fuit obſervari in principio humanæ generationis. Et iterum poſt diluvium, quouſque ipſum genus humanum eſſet notabiliter multiplicatum. Nam poſtmodum, quia ſemper inventi ſunt multi vacantes tali operi, ſcilicet nuptiarum, magis quam viduitati vel virginitati, ideo in libertate hominum poſitum eſt alteri conjungi, vel continentiam ſervare. Sicut autem iſta unitas eſt ordinata ad unam carnem, ideſt prolem procreandam; ita ad eam etiam neceſſariis vitæ & moribus educandam, ad quod requiritur utriuſque parentis, ſcilicet patris & matris exercitium, & labor diutinus. Et ideo neceſſarium

eſt

eſt, quod talis conjunctio, ſcilicet viri & mulieris, fiat per vinculum conjugale, quod diſſolvi non poteſt ad placitum, ſicut conjunctio, quæ fit per fornicationem; ſed neceſſarium eſt cohabitare in unum, & invicem debitum reddere ad prolem procreandam, & ſufficienter gubernandam, ſecundum Thomam contra gentiles. Et tunc talis unitas ſeu conjunctio eſt abſque peccato, quando ad hunc finem exercetur, ſcilicet cauſſa prolis generandæ vel debiti reddendi. Et in hujus ſignum dicit Ambroſius in lib. de offic. quod nubentes poſt benedictionem juncti uno invicem vinculo copulantur; quod videlicet ideo fit, ne compagem unitatis conjugalis dirumpant, at vero quod eadem juncta candido purpureoque colore per miſcetur. Candor quippe ex munditiæ vitæ purpura ad ſanguinis poſteritatem adhibere, ut hoc ſigno & continentia & lex continendi ab utriſque ad tempus admoneatur, & poſt hoc reddendum debitum non negetur.

De tertia unitate, ſcilicet politiali ſeu populari, dicitur Judic. 20. *Convenit univerſus Iſrael ad civitatem quaſi homo unus eadem mente, unoque conſilio*, ſcilicet ad providendum bono communi. Unde & civitas dicitur quaſi civium unitas. Eſt enim neceſſaria talis unitas ad bonam gubernationem populi, ut ſcilicet quæratur principaliter bonum commune, ſpiritualiter, & temporaliter, poſtponendo omne privatum commodum. Unde apud Platonem in Thimeo illa civitas juſtiſſime ordinata traditur, in qua quiſque neſcit affectus proprios. Cauſſatur autem, & conſervatur hæc unitas in civitatibus, quando ad hoc unum attendit, ut jura ſerventur univerſaliter, ideſt tam a minoribus quam a majoribus, ne alias appareant ut telæ aranearum, quæ animalia parva, ut muſcas, capiunt ut occidantur, & a majoribus animalibus lacerantur. Secundo ut honores & officia pluraliter diſtribuantur, & non omnia vel multa uni, & nihil alteri. Unde Gregorius: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita in uno eodemque ſpiritu ..... in corpore Eccleſiæ*, vel civitatis *conferendum eſt hoc officium uni, alii committendum eſt aliud .... Varietas enim perſonarum per diverſa officia diſtributa, & fortitudinem & venuſtatem manifeſtat*, Diſt. 89. *Singula*. Tertio debet eſſe unitas civium, ut onera proportionaliter imponantur. Nam ſi majoribus vel amicis levia injungantur, plebeis autem & minus notis onera gravia & importabilia imponantur, oportet ſequi diſcordiam, invidiam, ſeditionem, & alia mala deſtruentia civitatem. Melius etiam gubernatur civitas vel regnum per unum vel paucos ſapientes communiter, quam per multos. Unde Hieronymus dicit ad Ruſticum: In apibus princeps unus eſt: grues unam ſequuntur ordine iterato: judex provinciæ unus. Roma condita duos fratres reges ſimul habere non potuit, ſed fratricidio dedicatur. In Rebeccæ utero Eſau & Jacob bella geſſerunt. Hæc ille. Romani dum uniti fuerunt ad quærendum bonum commune, totius orbis dominium adepti ſunt: & e converſo diviſi ad quærendum quique propria ad nihilum devenerunt.

Unitas Eccleſiaſtica. De quarta unitate, ſcilicet Eccleſiaſtica, dicitur Act. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Anima* quidem *una* quantum ad intellectum per unitatem fidei, *cor unum* quantum ad voluntatem per unitatem caritatis. Dicitur autem caritas quaſi cara unitas, quia unit nos cum Deo & proximo. *Qui* enim *adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo*, 1. ad Cor. 6. Adhæſio autem fit per caritatem. Nihil autem carius & perfectius tali unione; hæc autem unitas eſt neceſſaria ad conſecutionem ſalutis. Unde Beda ſuper Matthæum dicit: Quicumque ab unitate fidei vel ſocietate Petri Apoſtoli, ſcilicet per caritatem quolibet modo ſeipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolvi, nec januam regni cæleſtis poſſunt ingredi. Sicut autem eſt *unum ovile*, ſcilicet Eccleſiæ; ita & *unus paſtor*, ut habetur Joann. 10. Et ut ait Cyprianus epiſcopus: *Ut hanc unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit*, ſcilicet quum dixit Petro, Matth. 16. *Tibi dabo claves*, &c. *Hoc erant utique ceteri Apoſtoli, quod Petrus fuit pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis. Sed exordium ab unitate proficiſcitur ut Eccleſia Chriſti una monſtretur.* Et infra: *Quomodo ſolis multi radii ſunt, ſed unum lumen, & rami arboris multi ſunt, & robur unum tenaci radice fundatum, & de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur, exundantis copiæ largitate; unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium ſolis a corpore, diviſionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa per totum orbem radios ſuos porrigit; unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur.* Hæc ille 24. quæſt. 1. *Loquitur*. Figurata eſt autem ipſa Eccleſia per tunicam Domini inconſutilem, quæ ſortita eſt, cujus eſſet, non autem diviſa, Joann. 19. Sicut autem, qui recedit ab unitate Eccleſiæ Romanæ ſalvari non poteſt, ita qui recedit ab unitate capitis ſui, ideſt ſummi pontificis per ſchiſma damnari neceſſarium eſt, ut oſtendit Cyprianus, 7. quæſt. 1. *Denique*, ibi vide, & ut dicitur Eccleſ. 9. *Qui in uno offendit*, ideſt in hac unitate, *multa bona perdet*, quia omnia ſpiritualia.

Unitas regularis. De quinta unitate, ſcilicet regulari, ideſt religioſorum, dicitur pſal. 132. *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum!* ubi dicit Auguſtinus ſuper pſal. quod hæc unitas, etſi conveniat omnibus Chriſti fidelibus, proprie tamen monaſteriis & fratribus convenit habitantibus in unum ſpiritualiter & corporaliter. Unde & monaſterium dicitur *a monos*, quod eſt unum, quia maxime debet ibi unitas reperiri. Et poteſt in dicto verſu triplex bonum notari, ut omne bonum comprehendatur ibi in tali ſtatu.

In ſtatu regulari triplex bonum.

Bonum utile, ibi: *Ecce quam bonum.*

Bonum delectabile, ibi: *Et quam jucundum.*

Bonum honeſtum, ibi: *Habitare fratres in unum.*

Bonum honeſtum. Et incipiendo a tertio, tunc bonum honeſtum & perfectum eſt in ſtatu religioſo, quando fratres habitant *in unum*, ideſt in unitate, non in diviſione, in unitate ſcilicet ſubſtantiæ communis, vel remota proprietate. *In unum* obedientiæ totalis abjecta propria voluntate; *in unum* continentiæ integralis ſine venerea ſocietate. Hæc triplex unitas eſt neceſſaria ad perfectionis adeptionem: nam ut dicitur Luc. 6. *Perfectus omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter ejus*, ſcilicet Chriſtus, qui fuit mendicus & pauper, *factus obdiens uſque ad mortem; & lilium convallium* per continentiam virginalem. Sicut ergo fratres ſecundum carnem quum habitant *in unum*, vivunt de una communi ſubſtantia domus; ita fratres ſecundum ſpiritum habitantes in una domo, debent accipere neceſſaria ab uno cellario, ab uno veſtiario, vivere ſub uno modo, ut unitatem in cordibus foveat, & repræſentetur uniformitas in exterioribus moribus, juxta illud pſal. 67. *Qui habitare facit*, ſcilicet Deus, *unius moris*, ideſt

Notandū.

ſecun-

ſecundum unum morem *in domo* religionis. Unde Clemens papa: *Communis vita omnibus neceſſaria eſt, fratres, maxime his, qui Deo militare irreprehenſibiliter cupiunt, & vitam Apoſtolorum, eorumque diſcipulorum imitari*, ideſt perfecte vivere ..... *Et ſicut aer dividi non poteſt, neque ſplendor ſolis, ita nec reliqua, quæ communiter data ſunt omnibus*, 12. quæſt. 1. *Dilectiſſimis*. Quod intelligitur de religioſis ſecundum gloſſam. Et ſicut fratres carnales obediunt ſuo patri carnali; ſic fratres ſpirituales obedire debent patri ſpirituali *in unum*, ideſt in totum. Quum enim per injunctionem obedientiæ prælati manifeſtetur voluntas Dei, non autem per inſtigationem propriæ voluntatis, ſed ſæpe per hanc deviatur ab ea, ideo *obedire oportet*, Act. 5. ut conformetur quis voluntati Dei. Hoc eſt unum, quod poſtulabat David dicens pſal. 26. *Unam petii a Domino, hanc requiram*, &c. *ut videam voluntatem Domini*, ut ſcilicet eam cognitam impleam. Fratres ſecundum naturam habitant *in unum* ſuum, ſine aliqua inter ſe venerea voluptate, niſi ſint pejores beſtiis, quæ talia oſtendunt horrere. Sic religioſi debent caſte vivere mente & corpore. *Qui* enim *cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*, 1. Cor. 7. Ut ergo non ſit diviſus, ſed unitus cum Deo, *in unum* debent habitare, ideſt ſolum ſine conjuge. Unum enim dicitur, quod indiviſum eſt a ſe, & diviſum a quolibet alio; non ergo uniatur, ſeu conjungatur carnaliter alteri, & in ſe maneat indiviſus, ideſt impollutus.

Bonum delectabile.

Bonum delectabile notatur in ſtatu hujuſmodi per ſimilitudinem poſitam, ibi: *Sicut unguentum in capite*, &c. *& ſicut ros Hermon*. Hæc non poſſunt intelligi ad litteram, ideſt ſecundum corticem, quia numquam Aaron fuit ita inunctus, ut unctio deſcenderet in oram veſtis. Nec ros Hermon poteſt deſcendere in montem Sion, quum ſint multum diſtantes, & mons Sion ſit altior monte Hermon ſecundum Hugonem cardinalem. Oportet ergo intelligere ſpiritualiter. *Aaron* primus & ſummus ſacerdos eſt figurative Chriſtus. *Caput Aaron* eſt ipſe Chriſtus, in quantum caput & rector Eccleſiæ: *unguentum* eſt gratia, qua ſanantur vulnera peccatorum, & leniuntur adverſa: *barba Aaron*, quæ ſignat virilitatem, & capiti inhæret, eſt congregatio apoſtolorum, qui Chriſto adhæſerunt, & viriles fuerunt in gravia ſufferendo, & ardua aggrediendo; & ideo bis ponitur *barba*. *Veſtis Aaron* eccleſia, quæ circumdat Chriſtum. *Ora veſtis* ſunt minores fideles Eccleſiæ, vel qui erunt in fine mundi. Sicut gratia deſcendens a capite Jeſu Chriſto in Apoſtolos, & de Apoſtolis in omnes fideles uſque ad finem ſæculi, ita ſe habet, quod facit eos jucundos & lætos, ita quod *ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*, Act. 5. unde ipſa gratia dicitur ſicut paradiſus, ubi eſt magnum gaudium. Ita ſtatus religionis, ubi eſt unitas, vera facit jucundos. *Hermon* interpretatur *lumen exaltatum*, & ſignificat Chriſtum; *Sion ſpeculatio*, & ſignificat Eccleſiam. Sicut ergo *ros* miſericordiæ & dulcedinis ſpiritualis deſcendit a Chriſto in Eccleſiam triumphantem; ita *ros* dulcedinis ſpiritualis a Deo infunditur in religioſos, præcipue ſpeculantes per contemplationem. Unde Bernardus dicit, quod ibi irroratur frequentius.

Bonum utile.

Bonum utile ibi notatur, quum ſubdit: *Illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſæculum*. Ecce utilitas magna, quia *Dominus mandavit*, ideſt miſit *illic* in tali unitate *benedictionem*, ideſt multiplicationem virtutum ſecundum Hugonem Cardinalem, & ſic perfectionem & vitam, ſcilicet ſpiritualem gratiæ conſervandam, *uſque in ſæculum*, ideſt in aliam vitam, ſcilicet gratiæ. Nil utilius homini virtutibus. Unde de eis dicitur Sap. 8. *Sapientiam & ſobrietatem docet & juſtitiam & virtutem*, ideſt fortitudinem, *quibus nil utilius in vita eſt hominibus*.

Unitas perſonalis.

De ſexta unitate, ſcilicet perſonali, dicitur in pſal. 48. *Simul in unum dives, & pauper*. Quod impletum eſt, quando *Verbum caro factum eſt*: tunc enim *dives* in miſericordia Deus, *& pauper* in multa miſeria homo in una perſona, & eadem perſona reperta ſunt. *Deus* enim *& homo unus eſt Chriſtus*, inquit Athanaſius in ſymbolo. Neque enim natura humana, quæ erat in Chriſto erat una perſona, & natura divina erat alia perſona, ut dicit Neſtorius Hæreſiarcha. Neque natura humana aſſumta converſa eſt in naturam divinam, ut dixit Euthyches hæreticus. Sed ut dicit Leo papa in ſermone: Salva utriuſque proprietate naturæ, naturæ ſcilicet divinæ & humanæ, & in unam coeunte perſonam ſuſcipitur ab æternitate mortalitas, ideſt a Deo æterno natura humana mortalis: ſi enim Deus non eſſet, non afferret remedium. Si verus homo non eſſet, non præberet exemplum. *Neceſſarium* ergo hoc *unum*, ideſt unio naturæ divinæ cum humana, ut mori poſſet ex uno, & reſurgere ex altero; & ſic ſecundum Gregorium in 3. Moral. per unicam ſuam mortem, ſcilicet tantum corporis, nos a duplici morte redemit corporali, ſcilicet & ſpirituali. In cujus ſignum una die integra & artificiali, & duabus noctibus mortuus jacuit, quia ſua unica morte lucida, quia ſine peccato, nos a duabus mortibus tenebroſis liberavit. Unde Petrum volentem eum in tempore paſſionis defendere reprehendit dicens: *Quoniam ſic oportet fieri*, ut ſcilicet patiar ob redemtionem peccatorum.

Beneficium divinæ incarnationis.

Unitas eſſentialis.

De ſeptima unitate, ſcilicet eſſentiali, dicitur 1. Joan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo*, ſcilicet Chriſto, *Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt*. Et Joan. 10. *Ego & Pater unum ſumus*, non inde excluſo Spiritu ſancto, qui eſt nexus amborum. Ubi notandum eſt, quod Abbas Joachim male intellexit iſtam unitatem in divinis. Dicebat enim hanc unitatem non eſſe *veram & propriam, ſed quaſi collectivam & ſimilitudinariam*. *Sicut multi homines dicuntur unus populus, & multi fideles una Eccleſia*. Et ſicut dicitur 3. Regum ult. *Populus meus, & populus tuus unum ſunt*, ſcilicet collective, non ſubſtantialiter. Et ad adſtruendam ſuam ſententiam ut veram, inducebat ipſe Joachim illud, quod Chriſtus dixit in oratione de fidelibus ſuis ad Patrem: *Volo, Pater, ut ſint unum in nobis*, ſcilicet fideles, *ſicut & nos unum ſumus, ut ſint conſummati in unum*, Joann. 17. *Non enim fideles*, dicebat Joachim, *ſunt unum, ideſt quædam una res, quæ communis ſit omnibus; ſed tantum ſunt unum, ideſt una Eccleſia propter fidei unitatem, & tandem unum regnum propter unionem indiſſolubilis caritatis*: ſimilem dicens eſſe unitatem in perſonis divinis ſeu Trinitate. Et quia Magiſter Petrus Lombardus in 1. ſententiarum Diſtin. 5. dixerat, quod *quædam res ſumma eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, & illa non eſt generans nec genita nec procedens*; dixit eum in hac ſententia fuiſſe hæreticum, quia *quaternitatem, non Trinitatem aſtruebat in Deo: videlicet tres perſonas, & illam communem eſſentiam quaſi quartam*. Sed ſacroſanctum concilium univerſale determinavit opinionem ſeu ſententiam Joachim hæreticam & falſam, & veriſſi-

rissimam esse sententiam magistri Petri prædictam, videlicet, quod *una quædam summa res est, quæ veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus, ineffabilis, & incomprehensibilis: tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earumdem. Et ideo in Deo solummodo est Trinitas, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, seu essentia, seu natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest. Et illa res non est generans, nec genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus sanctus, qui procedit, ut distinctio sit in personis, & unitas in natura.*

Ad auctoritatem autem inductam Evangelii respondet, quod quum dicit Christus, *ut sint unum in nobis, sicut nos unum sumus*, ly *sicut* non dicit omnimodam similitudinem, scilicet æqualitatem, sed secundum proportionem, ita ut quum dicitur, *sint unum in nobis*, intelligitur ibi *unio caritatis in gratia*. Et quum subditur, *sicut nos unum sumus*, ibi attenditur *unitas identitatis in natura*. Quemadmodum & intelligitur illud: *Estote vos perfecti, sicut Pater vester perfectus est*, Matth. 5. non scilicet secundum æqualitatem, sed secundum proportionem, quasi diceret: *Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester perfectus est perfectione naturæ*. Hæc omnia extra *De sum. Trin. & fide cathol.* cap. *Damnamus*. Ista autem peroptime declarat Thomas in expositione prædictæ Decretalis, *Damnamus*, dicens, quod iste Joachim rudis fuit in subtilibus fidei dogmatibus, & in duobus errabat circa hanc materiam. Primo, quia dicens Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse unam substantiam, ponebat unitatem essentiæ trium personarum non esse veram & realem & simplicem, sed similitudinariam, scilicet per consensum amoris, sicut dicitur nos unum esse cum Deo per amorem. Et sic incidit in errorem Arrianorum, licet non pertinaciter. Secundo erravit male intelligendo verba magistri Petri; quia in eo, quod dixit Petrus, quod *quædam summa res est Pater & Filius & Spiritus sanctus*, credidit, quod illam rem diceret esse aliquid aliud a tribus personis divinis quasi quartum; quod ille non dixit. Ubi considerandum est, quod nihil connumeratur aliis, quod non distinguitur ab eis. Unde quia animal non distinguitur ab homine, equo, & bove, quorum quodlibet est animal, ideo non possumus dicere quod homo equus; & bos sunt quattuor, sed tria tantum, quia quodlibet eorum est animal. Ita quælibet trium personarum est illa res, scilicet essentia divina vel natura: non potest dici, quod tres personæ, & illa res sint quattuor, quia illa res non est aliud a tribus personis. Hæc Thomas. Hæc autem unitas est necessaria ad gubernationem universi. Entia enim nolunt male disponi, & melius gubernatur regnum vel multitudo per unum, quam per plures, secundum philosophum. Et quum gubernatio universi sit optima, necessarium est dicere, unum esse gubernatorem ejus; quod per rationes probat philosophus in ultimo Metaphys. dicens: Unus est ergo princeps: si enim plures essent, aut omnino essent in omnibus æquales, aut non. Si vero unus alio major in aliquo, minor non esset Deus, quia non omnem perfectionem haberet. Si omnino æquales & diversi in essentia, tunc unus superfluus esset, quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora. Si essent unum in substantia & natura, licet plurales in personis; sic sunt unus Deus gloriosus. Et sic necessarium est esse unum Deum, Deut. 6. *Deus tuus unus est*. Et Bernardus: Si dici potest, unissimus est, quia absque omni compositione; quod in nulla creatura reperitur.

De zelo. §. VI. Notandum de zelo, qui est effectus amoris, & de quo dicitur in psal. 68. *Zelus domus tuæ comedit me*.

Primo ejus diffinitionem.

Secundo ejus productionem.

Tertio ejus per signa manifestationem.

Diffinitur. Et quantum ad primum, zelus aliter diffinitur a philosopho, aliter a theologo. Philosophus enim secundo Rethoricorum diffinit, quod zelus est tristitia de bono alterius ex eo, quod nobis deest illud bonum. Sic ergo est tristitia de bono alterius ex eo motivo, quod bonum alterius reputetur impeditivum boni proprii seu excellentiæ, propter quod non vellet tale bonum proximo inesse: talis enim tristitia pertinet ad invidiam. Neque enim zelans tristatur de bono alterius propter hoc, quod compatitur proximo de malo ejus: hoc enim pertinet ad misericordiam. Neque propter hoc tristatur zelans de bono alterius, quia ille sit indignus illo bono, quod facit nemesis; sed est tristitia de bono alterius, eo quod tale bonum deest nobis; & sic diffinit philosophus zelum. Et circa bona spiritualia est laudabilis, scilicet contristari se habere defectum ipsorum; propter quod ait Apostolus 1. Corinth. 12. *Æmulamini*, quod idem videtur, quod zelare, *charismata meliora*, idest ardenter desiderare excellentiora bona. Sed si zelus & hujusmodi esset de temporalibus, potest esse cum peccato & sine peccato secundum Thomam 2. 2. quæst. 36. A theologis vero zelus sic diffinitur. Zelus est quidam fervor mentis, quo quis debet incitari ad proficiendum cum melioribus. Juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 11. *Æmulor vos*, idest zelo, *Dei æmulatione*. Vel secundum Augustinum & Alchuinum super illud psal. *Zelus domus tuæ* &c. Zelus est fervor animi, quo mens abjecto humano timore pro defensione veritatis accenditur, & subditur: *Zelus domus tuæ comedit me*. Glossa interlinealis, idest intus commovit & quasi corrosit, ut impios ejicerem, & periculo me exponerem, quum scilicet, flagello facto de funiculis, *omnes ejecit de templo* &c. Joann. 2.

Ejus causa. Caussatur autem, seu producitur zelus ab amore intenso ut effectus ejus; quod ostenditur auctoritate, ratione & distinctione. Auctoritate quidem, ut beati Dionysii dicentis cap. 4. de divinis nominibus, quod Deus appellatur zelotes juxta illud Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes* propter multum amorem, quem habet ad exsistentiam, & maxime ad ea, in quibus posuit & impressit imaginem suam, sicut ad Angelum & hominem.

Ratione vero idem probatur sic. Quanto virtus aliqua intensius tendit in aliquid, tanto fortius repellit omne contrarium & repugnans. Quum ergo zelus proveniat ex intensione amoris, ut patet, ad zelum pertinere videtur, quod aliquis non patiatur consortium, vel amorem contrarium in amato, ipsum refutans quantum potest. Tertio probatur idem inductive. Nam dicitur quis zelare pro Deo & pro amico; & pro Deo quidem dicitur quis zelare, quando ea, quæ sunt contra honorem vel voluntatem Dei, repellere secundum posse conatur. Sicut legitur de Elia, 3. Reg. 19. *Zelo zelatus sum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel*, & Num. 25. de Phinees dicit Dominus: *Avertit Phinees iram meam a filiis Israel, quia zelo meo succensus*, idest magno ardore honoris mei succensus, *motus est contra eos*, scilicet virum Israelitam, & mulierem Madianitam, interficiens eos coeuntes simul. Pro amico autem zelare, quando ea, quæ fiunt, vel dicuntur contra bonum amici, homo

Zelus duplex.

mo repellere ſtudet. Ubi tamen notandum, quod aliter ſe habet amicus zelans amore benevolentiæ, aliter zelans amore concupiſcentiæ. Nam in amore benevolentiæ, quo principaliter quæritur bonum amati, zelans ſtudet & conatur repellere omne, quod contrariatur honori & bono amati, non propter ſe, ideſt propter utilitatem ipſius amantis, ſed propter bonum amici: ſed in amore concupiſcentiæ eſt oppoſitum, quia ſcilicet ſtudet repellere omne illud, quod contrariatur & impedit fruitionem, & plenam delectationem boni amati, in quantum eſt bonum ſuum, non amatæ rei; & ſic viri dicuntur zelare pro uxoribus vel aliis mulieribus.

Bonũ, quod amatur, duplex eſt.

Ubi etiam notandum, quod bonum, quod quis amat, eſt duplex, quia vel eſt perfectum, quod integre poteſt ſimul multis poſſideri; & ex amore talis boni non cauſſatur zelus invidiæ vel indignationis, quia nullus invidet alteri de cognitione veritatis vel viſione lucis, quæ ſimul a multis cognoſci & videri poteſt; ſed de excellentia hujuſmodi cognitionis poſſet eſſe zelus, quia ex hoc magis ab aliis honoraretur, & hoc jam pertinet ad temporalia bona & imperfecta. Aliud bonum eſt imperfectum defectuoſum & parvum, quia ſimul a multis poſſideri non poteſt, & ex amore talium, quando inordinatus eſt, cauſſatur zelus indignationis, & hujuſmodi, ut de divitiis, de honoribus, de delectationibus carnalibus & hujuſmodi.

Triplex eſt zelus.

Eſt igitur triplex zelus, ſcilicet pro Deo bonus, ſi tamen ſit ſecundum ſcientiam, ideſt rectam rationem; alias magis poſſet pertinere ad vindictam & iram: de quo Apoſtolus Rom. 10. *Zelum quidem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.* Zelum hunc habuit, ut dictum eſt Elias, & de hoc etiam pſal. 118. *Tabeſcere me fecit zelus meus* &c. Illum zelum fatuum non ſecundum ſcientiam habuit Saul, quando occidi fecit Gabaonitas, non obſtante juramento facto eis a Joſue. Sed propter hoc iratus Dominus, miſit famem ſuper terram diu, quouſque fuit ſatisfactum a David Gabaonitis, &c. Vide hiſtoriam 2. Reg. 21. Pro amico circa honeſta & rationabilia, non inutilia & reſpicientia laudem ſuorum doctorum, vel majorum & aliorum magis quam Dei & veritatis. Qualem indiſcretum zelum habebant Corinthii, contendentes de ſuis baptiſtis, quibus Apoſtolus ait 1. ad Corinth. 3. *Quum inter vos ſit zelus & contentio, nonne carnales eſtis?* Talem zelum habebant & diſcipuli Joannis erga ipſum, ægre ferentes Chriſtum plus ipſo honorari, ut patet in Evangelio. Eſt tertius zelus carnalis pro bono proprio, quo quis indignatur contra eos, qui habent vel quærunt haberi conſortium in re amata pro delectatione vel utilitate mundana ex eo, quod impedit perfectam & totam fruitionem ſeu delectationem rei amatæ, & iſte eſt plenus ſuſpicionibus, & dicitur zelotypia. De quo dicitur Num. 5. *Si ſpiritus zelotypiæ concitaverunt virum contra uxorem.*

Zelus fatuus.

Sciendum etiam, quod quum zelus proprie non ſit aliud, quam intenſus amor refutans conſortium in amato, zelus ipſe non refutat niſi amorem contrarium in amato, quod ſcilicet ſit contra ſuum, non autem ſi ſit directe ſecundum ſuum. Sic v. g. vir non indignatur, ſi filius ſuus uxorem diligat, quia apprehendit hoc ipſum agere, in quantum uxor patris eſt dilecta ab eo; ſed ſi extraneus amaret uxorem illam, indignaretur, quia conciperet illam, eam diligere propter propriam dilectionem; & ſic contrariatur perfectæ delectationi vel fruitioni, quam quærit in ſua uxore. Sic a ſimili Deus diligit creaturam ſuam, & maxime Angelum & hominem. Unde in eis non patitur alienum amorem, qui ſcilicet non referatur ad gloriam ſuam. Unde quando homo refert amorem ſuum ad gloriam Dei, amans ſcilicet aliquam creaturam, in quantum Dei creatura, vel Dei capax, vel bona, eadem dilectione diligit, qua & Deus, ideſt ſimili. Sed quando creatura rationalis quærit gloriam in creatura, ponens ibi finem ſuum, & præponens amorem creaturæ amori divino; tunc ſuus amor contrariatur amori & honori divino; & amorem talem contrarium non patitur zelus divinus, unde ſoli peccato indignatur Deus, & punit: unde dixit Exodi 20. *Ego Deus zelotes viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.... & faciens miſericordiam in milia his, qui diligunt me & cuſtodiunt præcepta mea.*

Zelus Dei qualis.

In quibus verbis commendatur Deus

Primo a fervore dilectionis, ibi: *Deus zelotes.*

Secundum a rigore punitionis, ibi: *Viſitans peccata patrum* &c.

Tertia a dulcore compaſſionis vel præmiationis, ibi: *Et faciens miſericordiam* &c.

Et inchoando a tertia dicitur Deus facere *miſericordiam in millia*, ideſt in omnes. Ponitur enim finitum pro infinito. Juſta illud pſal. 104. *Verbi, quod mandavit in mille generationes.* Facit autem miſericordiam ſalvatricem, non ſimpliciter omnibus, ſed ut ſubditur: *His, qui diligunt me*, quæ dilectio manifeſtatur per obſervationem præceptorum, propter quod ſequitur, *& cuſtodiunt præcepta mea.* Sic ergo notatur in Deo & juſtitia, quum dicitur *viſitans*, ideſt puniens *iniquitatem* &c. Et miſericordia, quum ſubditur, & *facens miſericordiam* &c. Ubi oſtenditur, quod in terra miſericordia præcellit juſtitiam, quanto plus comprehenditur per *millia*, quam per *tertiam*, & *quartam generationem*.

Quantum ad ſecundum dicitur Deum viſitare iniquitates, ideſt punire. Et ſic medicus dicitur viſitare infirmum, quum eum curat per aſpera remedia, intendes, quantum in ſe eſt, ſanationem ejus. Ita Deus dicitur viſitare peccatorem, quum flagellat, intendens per adverſa a peccatis emendare. Viſitat autem peccata *patrum in filios*, quia punit aliquando filios pro peccatis parentum; quod intelligendum eſt de pœna temporali, non æternali, de qua pœna æterna intelligitur Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Magis autem puniuntur filii pro parentibus, & e converſo, & pro aliis conſanguineis temporaliter, quam pro extraneis, vel propter diffuſionem, quia pœna propinquorum redundat in alios, in quantum filius eſt quædam res patris, vel propter imitationem, quia exempla propinquorum domeſticorum magis movent filios, & alios propinquos, quam extraneos, qui non ita frequenter converſantur cum illis. De hac tamen materia vide plenius in 3. parte tit. 29. &c. ubi declaratur quomodo unus puniatur pro alio vel non. Quod autem ſubditur *uſque ad tertiam & quartam generationem*, ſecundum litteralem expoſitionem intelligitur *uſque*, ſcilicet quo vivunt. Tantum enim aliquando homines conſueverunt vivere, ut tertiam & quartam generationem filiorum videant. Et ſic mutuo videre poſſunt filii peccata patrum ad imitandum, & patres pœnas filiorum ad dolendum. Et hoc ſecundum B. Thomam 1. 2. quæſt. 77.

Quattuor ſint gradationes in peccato.

Secundum autem expoſitionem moralem ſic intelligitur. Quattuor ſunt generationes ſeu progreſſus in peccato, Prima eſt cogitatio peccati. Secunda delectatio in peccato citra conſenſum. Tertia conſenſus peccati. Quarta operatio peccati.

cati. Non visitat ergo Deus, *ideſt* non punit pœna æterna peccata primæ & ſecundæ generationis, ſed tertiæ & quartæ, ideſt conſenſum in mortale, vel opus. Magiſter Sententiarum in lib. 2.

Quantum ad primum notatum in diviſione, ſed ultimo poſitum, quoad declarationem, quia materia prolixior; notandum, quod ad comprehendendum intenſum fervorem amoris erga nos oportet conſiderare ea, quæ facit multum zelotypus erga uxorem ſuam. Quæ omnia Scriptura oſtendit Deum facere erga nos, unde dicitur zelotes: Exodi 34. *Dominus zelotes nomen ejus*. Et Zach. 8. ait *Zelatus ſum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus ſum Jeruſalem*, ideſt Eccleſiam vel animam quamlibet. Sicut ergo zelotypus uxoris ſeptem facit circa uxorem, videlicet, quod audit, reſpicit, longe ſe ire fingit, ſubito venit, alium habitum aſſumit, inquirit, & nulli parcit; ſic iſta Deus facit animæ, quam diligit.

Zelotis effectus.

Primo namque zelotypus audit, ſi uxor videlicet loquatur cum ſuſpecto, & quid dicat; ita & Deus, unde Sap. 1. dicitur: *Auris zeli audit omnia*, ideſt *auris* Dei zelantis animas ex multo amore, quem habet ad eas, *audit*, ideſt percipit mente *omnia* verba cordis, oris, & operis. Et ſi invenit aliquid cogitantem, loquentem, operantem non directum in eum, iraſcitur puniens hic vel in futuro.

Deus zelotes, & quomodo.

Secundo zelotypus reſpicit nutus & actus mulieris zelatæ per feneſtras vel rimulas vel alios modos illi occultos; ſic Deus facit, unde Canticorum 2. dicitur: *Et ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*. Stare dicitur, quia immutabilis & impeccabilis eſt, *poſt parietem ſtat*, quia ſcilicet in humanitate aſſumta divinitas latuit; ſicut ille, qui eſt poſt parietem, non videtur in propria perſona, ſed per aliqua ſigna. *Reſpicit per feneſtras & cancellos*, ideſt per creaturas nobiliores, tamquam *per feneſtras*, & inferiores tamquam *per cancellos*, per quos minus videtur de re ipſa, ideſt reſpicit quali effectu moveantur ad creaturas rationales vel irrationales, ſi videlicet propter eum vel propter mundum. Unde Zach. 1. dicitur, *zelatus ſum Jeruſalem*, ideſt animam vel Eccleſiam, & *Sion*, quæ interpretatur *ſpeculatio*, *zelo magno*, ſcilicet in conſideratione operum ejus diligenti.

Tertio zelotypus longe ſe ire fingit; ſic Deus Prov. 7. *Abiit via longiſſima*, ſcilicet Chriſtus, ut fingat ſe non videre vel audire, quum tamen ab oſtio non recedat, ſecundum illud Apoſtol. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*. *Sto* ſcilicet *ad oſtium* voluntatis, per quod ingreditur ad animam Chriſtus, & *pulſo* per increpationem & occultam inſpirationem. *Si quis audierit vocem meam* per prædicationem, & alios modos intelligendo & obediendo, & *aperuerit januam*, impedimentum gratiæ non præſtando, *introibo ad illum* per gratiam juſtificantem, & *cœnabo cum illo*, & *ipſe mecum* in refectione ſpirituali, & poſtea ſupernali. Quaſi ergo longe recedit, quum ſinit malignum in ſuis iniquitatibus proſperari. Se oſtendit prope eſſe, quum ſubito terribiliter flagellat: Sap. 5. *Accipiet armaturam zelus illius*, ſcilicet Dei, & *armabit creaturam ad ultionem inimicorum*.

Quarto zelotypus ſubito venit, quando uxor non credit. Unde Apoſtolus 1. ad Theſſal. 5. *Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet*: Apoc. 3. *Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur*, ſcilicet improviſus tibi: Soph. 1. *In igne zeli ejus devorabitur omnis terra*, ideſt omnis peccator amans inordinate terrena, *devorabitur*, quia ſubito abſorbebitur a pœnis inferni, quia noluit ſe præparare, & vigilare ad adventum ejus per mortem.

Quinto zelotypus alium habitum aſſumit, ut quaſi cognoſcatur alius eſſe, & ſic mulier videatur eſſe magis libera ad malum peragendum, ſi vult. Sic Deus, quum ſit ſemper quaſi naturali habitu indutus, perfectiſſima juſtitia, & clementiſſima miſericordia & benevolentia, aliquando videtur ſecundum exteriorem apparentiam mutare habitum juſtitiæ, & habere habitum injuſtitiæ, quum videlicet permittit multos in magnis ſceleribus proſperari, & per longa tempora, & habitum miſericordiæ & benevolentiæ, quæ maxime debetur bonis, mutare in habitum crudelitatis & inclementiæ, dum permittit ſanctos multipliciter affligi, ac ſi non curaret de eis. Ex quibus caſibus contingentibus animæ videtur quaſi dari occaſio cujuſdam libertatis ad malum, quaſi Deus non ſit punitor malorum, & amator bonorum, ut ſic libere faciat malum, quia inde nullum malum ei ſequatur. Sed anima caſta propter hoc nullo modo dimittit fidelitatem debitam ſponſo Chriſto, nec adhæret diabolo. Et ex hoc Deus magis diligit, videns firmitatem ejus: Ezech. 23. *Ponam zelum meum in te*, dicit Dominus loquens de populo ſuo.

Sexto zelotypus inquirit a familia domus ſuæ vel a vicinis, & amicis de geſtis ipſius uxoris, ſi quid ſciunt vel viderint procacitatis vel levitatis. Deus autem ut inquirat de converſatione animæ ſponſæ ſuæ, non oportet, qui omnia novit, antequam fiant. Sed dicitur inquirere, quia inquirentes facit eos, videlicet, qui ſunt in domo ſua, Angelos ſanctos. Unde ſingulis animabus dat unum in cuſtodiam ad obſervandum vitam ejus. Juxta illud pſal. 90. *Angelis ſuis Deus mandavit*, &c. Et hi diligenter inquirunt quomodo ſe habeat anima, vel ad accuſandum vel excuſandum, & commendandum eam coram ſponſo. Similiter per prophetas præſidentes, & doctores inquirit, & inquirere facit mores animarum, ut vel emendentur, vel, ſi permanſerint in ſua malitia, demum contra eas teſtificentur. Quod totum ſit ex magno zelo, quem habet ad animas, ut dici poſſit illud Iſaiæ 9. *Zelus Domini exercituum faciet hoc*.

Septimo zelotypus non parcit adultero vel uxori: Proverb. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujuſquam precibus*, &c. Et ſecundum litteram exponitur ſic: *zelus*, ideſt amor vehemens viri erga uxorem, ita ut non poſſit ſuſtinere colloquium alterius cum ea, timens amiſſionem delectationis plenæ in ea, & *furor viri*, ſcilicet contra adulterum, *non parcet*, ſcilicet a morte corporali, adultero etiam, ſi lex non puniat, *in die vindictæ*, ideſt quando comprehendetur cum adultera: *nec acquieſcet cujuſquam precibus*, quin ipſum occidat. Spiritualiter poteſt exponi de Chriſto, qui in judicio reperiens animam adulteraſſe, nec pœnituiſſe, *non parcet*, nec flectetur per precamina vel munera nec miſericordia in judicio univerſali vel particulari.

§. VII. Alius effectus amoris eſt languorem facere. Nam quando bonum amatum amanti eſt abſens; tunc ex ſui abſentia triſtitiam cauſſat, quæ triſtitia per languorem ſignificatur. Unde Tullius in 3. de Tuſculanis quæſtionibus dicit, quod maxime triſtitia ægritudinem nominat, & intenſum deſiderium de conſecutione amati. Hæc B. Thomas 1. 2. quæſt. 28. Quod autem triſtitia de abſentia dilecti languorem animæ ſignificet, patet per illud, quod dicitur Cant. cap. 2. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.*

Amor languorem generat.

Et ſubditur: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. In quibus verbis ſponſa amore infirmata tria facit.

Tria opera animæ amore languentis.

Primo quærit remedia, ibi: *Fulcite me floribus*.

Secundo oſtendit morbum, ibi: *Amore langueo.*

Tertio innuit, ſeu agnoſcit beneficium, ibi: *Læva ejus*, &c.

Quantum ad primum anima quærit remedium in hoc, quod dicit: *fulcite me floribus, ſtipate me malis*. Petit enim adjuvari orationibus ſanctorum, quæ hic dicuntur flores arborum, & muniri bonis operibus eorum, & hoc eſt ſtipari malis, ideſt pomis. Vel ſic: *Fulcite me floribus*, ideſt conſolamini me exemplis bene incipientium, exempla ipſa mihi proponendo: *ſtipate me malis*, ideſt roborate me exemplis perfectorum, ipſa mihi nuntiando. Vel ſic: *Fulcite me floribus*, ideſt virtutibus interioribus, quæ ſunt initia bonorum operum, ſicut flores principia fructuum: & *ſtipate me malis*, ideſt non ſolum verborum foliis, ſed virtutum operibus. Vel ſic: *Fulcite me floribus*, ideſt replete me ſuffragiis ſanctorum. Canit Eccleſia: *Sancti tui florebunt, ſicut lilium*. Et de Virgine glorioſa illud canitur: *Circumdabant eam flores roſarum*, ideſt martyres: *Stipate me malis*, ideſt roborate me præſentia divinarum perſonarum. Malum enim, ideſt tale pomum, eſt rotundum. Forma autem rotunda non habet principium nec finem in ipſa figura; & ideo apte ſignificat perſonas divinas, ideſt Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum tamquam tria mala, ſeu poma, quæ principium non habent neque finem. Solus enim Deus eſt, qui poteſt animam replere, & ſic ſtipare ſeu roborare, quod a nullo moveatur.

Secundo oſtendit ſponſa ſponſo ſuo morbum, quum ait: *Quia amore langueo*, quod intelligitur ſecundum gloſſam interlinealem, ideſt amore ſupernæ viſionis deficio, juxta illud Pſalmiſtæ: *Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei* &c. vel ſecundum gloſſam collateralem *amore langueo*, ideſt defectum in amore temporalium ſuſtineo. Quanto enim ad amorem Chriſti veri ſponſi ſeſe ſponſa accendit, tanto ad amorem temporalium langueſcit, ut ſcilicet ei vileſcant, juxta illud Apoſtoli Philipp. 3. *Omnia arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam*. Sicut enim languens non habet delectationem in cibis ſolitam, ſed faſtidium & abominationem; ita perfectus Chriſti amator faſtidit iſta temporalia, & circa ea cum tædio occupatur. Tertio modo exponitur ſic, *langueo*, ideſt amore ejus pœnas carnis ſuſtineo. Quanto enim quis plus amat ſponſum, tantum plus carnem domat, ut ſcilicet ſatisfaciat offenſis contra eum commiſſis, & plenius ſpiritu poſſit ei vacare. Ac etiam ut ei magis conformetur, qui paſſus eſt pro nobis pœnas innumeras. Languet ergo anima in defectu peccati, ideſt dolet, eo quod dilectum offendit. Secundo in effectu boni, eo quod quantum vellet pro delicto pati, non ſufficit. Tertio in affectu Dei, eo quod differtur beatitudo, quam appetit.

Tertio principaliter recognoſcit beneficium, ibi, *læva ejus*, &c. Ubi beneficium gratiæ in præſenti innuit, quum dicit, *læva* &c. Et beneficium gloriæ in futurum, quum ſubdit, *dextera illius*, &c. Per lævam enim ſponſi vita præſens deſignatur, & per dexteram vita æterna, quæ perfectior eſt, ſicut dextera perfectior eſt ſiniſtra: per caput etiam ſponſi mens, quæ animæ principatur, aſſumitur. Sed *læva* ſponſi dicitur eſſe *ſub capite* ſponſæ, quia vitam temporalem ſub mente ſua ſemper ponit, ideſt ſub ratione, ut ipſam vitam dirigat ſecundum naturam rationis, nec aliquid temporale ei præponat. Dextera autem ſponſi amplexatur ſponſam, quia vitam æternam omnibus modis amplexari concupiſcit: & ſicut quod amplexatur, firmiter tenetur; ita ipſam vitam ſupernam inamiſſibiliter conſequitur, & ſponſo fruitur. Vel *læva ejus* ſignificat vitam activam, & *dextera* contemplativam. Sed activam oportet ſemper tenere *ſub capite*, ideſt exercere ſe in activa non totaliter, prout occupatio trahit, ſed ſecundum regulam rationis. Contemplativa vero, quia *optimam partem elegit, quæ non auferetur*, ſed perficitur in alia vita; ideo ipſa fruendum, non reſtringendum. Vel *læva ejus*, ideſt juſtitia ſeveritatis, quam ſponſus aliquando ponit *ſub capite* ſponſæ, ut eam excitet a ſomno pigritiæ cum flagellis & minis. *Dextera* vero ejus miſericordiæ & benignitatis, qua animam converſam multa ſpe & fiducia confortat.

Notandum etiam, quod quum beneficium gratiæ inſinuetur ibi: *Læva ejus*, &c. ſicut læva aliquis utitur propter tria; ſic Dominus gratia ſua tripliciter animam ſponſam juvat. Nam primo læva ſupponitur lapſo, ut erigatur, & ſic dicitur læva quaſi *læſo valens*; ſic Deus læva gratiæ lapſos erigit Pſal. 36. *Quum ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam*. Secundo læva ſupponitur juſto activo, ut in labore ſuſtentetur, & ſic dicitur læva, quaſi *levans vadentes*, Ezech. 3. *Abii amarus in indignatione ſpiritus mei. Manus enim Domini erat mecum confortans me*. Tertio læva ſupponitur juſto, devoto & contemplativo, ut in contemplatione æternorum quieſcat. Et ſic dicitur læva, quaſi *vacantibus læta*. Iſaiæ 49. *In umbra manus ſuæ protexit me*. Quum autem dicit, *dextera ejus*, &c. beneficium gloriæ ſignificat, ut dictum eſt. Nam ſicut dextera ſpecialiter tria facit, ſcilicet attrahit, ſtringit & unit; ſic ſpiritualiter gloria dextera Dei. Primo enim attrahit per cognitionem: Pſal. 117. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me*. Secundo ſtringit per fruitionem: Pſal. 62. *Adhæſit anima mea poſt te*; & merito, quia *me ſuſcepit dextera tua*. Tertio conjungit vel unit per amorem. Amor enim unit Deo ſecundum Auguſtinum. Et ideo dicit: *Amplexabitur me*, ideſt conjunget me æternaliter ſponſo.

Amor liquefacit.

§. VII. Alius effectus amoris eſt liquefacere, ideo dicitur Cant. 5. *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt mihi*. In quo verbo Spiritus ſanctus tangit tria, quæ multum ſunt notanda, videlicet primo ſubjectum culpæ, ibi: *Anima mea*. Secundum effectum gratiæ, ibi: *Liquefacta eſt*. Tertio actum amicitiæ, ibi: *Ut dilectus locutus*, &c.

Primo igitur notat ſubjectum culpæ, quum dicit: *Anima mea*, ideſt voluntas, quæ eſt ſubjectum culpæ; vel gratiæ amoris vel odii. Omnis enim anima vel eſt converſa ad Deum per amorem, & ſic *liquefacta*, vel averſa a Deo per odium, & ſic eſt obſtinata vel indurata. Hierem. 5. *Induraverunt faciem ſuam ſupra petram, & reverti noluerunt*. Nam congelatio & liquefactio, durum & molle in ſe & in ſuis effectibus naturaliter opponuntur. Sic ſpiritualiter liquefactio cordis eſt conditio amori conveniens. Duritia vero cordis eſt diſpoſitio repugnans amori, quod probatur ex tribus proprietatibus, duri, vel molis, vel liquidi. Nam durum eſt, quod

Effectus liquefactionis.

Subſiſtit propriæ terminationi.

Reſiſtit alienæ inciſioni.

Obſiſtit facillime ſuſceptioni. Et ſic omnis qui obdurati & obſtinati eſt cordis, peccat his tribus modis.

Tres proprietates duri cordis.

Primum enim durum eſt, quod ſubſiſtit propriæ ter-

terminationi, eo quod durum ſuis terminis continetur; liquidum vero ſuis terminis non continetur, ſed alienis, ſicut patet de aqua, quæ non continetur aqua, ſed terra vel aliqua re ſolida. Sed oportet, quod ab amante terminatio illa, hoc eſt duritia vel congelatio cordis, quæ infra ſuos terminos ſine amore continebatur, amoveatur; & inſit debita diſpoſitio, ſcilicet liquefactio cordis, ut anima ſit amoris merito vel rationabiliter ſuſceptiva. Cujus ratio eſt, quia ſicut res naturalis non amittit unam formam, niſi exclusis diſpoſitionibus, quibus forma illa in materia continebatur; ſic in ſpiritualibus, niſi excluſa cordis duritia, veluti amori contraria, non ſequitur liquefactio cordis, nec per conſequens cor eſt ſuſceptivum amoris. A

Secundo durum reſiſtit alienæ inciſioni, liquidum vero velociſſime cedit. Sic ſpiritualiter congelatio cordis ſeu duritia mentis impedit ſicut contraria diſpoſitio amatum, ne ſubintret affectum amantis, & conjungatur ei. Sed liquefactio importat quamdam mollitiem cordis, ex qua amatum vulnerat vel penetrat cor amantis. B

Tertio durum eſt, quod obſiſtit facillime receptioni; liquidum vero eſt econverſo, quia eſt faciliter receptivum. Sic ſpiritualiter, ſicut duritia vel congelatio cordis eſt diſpoſitio contraria impediens, ne cor ab amore dividatur; ita ne amor a corde recipiatur. Nam amatum ab amante numquam recipitur, niſi prius amans a ſeipſo ſeparetur in amatum tendens; & ſecundum hoc dicitur amor extaſim facere, & fervere, quia quod fervet, extra ſe ebullit & exhalat. Hæc Beatus Thomas in 3. Sententiarum Diſt. 21. art. 1. C

Obſtinatus peccat tripliciter.

His tribus modis peccat omnis, qui eſt obdurati & obſtinati cordis. Primo quia ſicut durum ſubſiſtit propriæ formationi vel terminationi; ſic qui eſt mentis obſtinatæ præſumit, & promittit ſibi peccati impunitatem. Eccleſiaſt. 5. *Peccavi, & quid accidit mihi triſte?* Secundo qui eſt obſtinatæ mentis, reſiſtit & contemnit Dei bonitatem, quia a Deo longanimiter exſpectatur; ſed contra hoc Apoſtolus ad Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus .... contemnis?* Tertio qui eſt obſtinatæ mentis, non recipit, hoc eſt non cognoſcit Dei benignitatem. D

Contra hoc dicit Apoſtolus ibidem: *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

Secundo tangit effectum gratiæ, ibi: *Liquefacta eſt*, quaſi diceret: Poſtquam *dilectus locutus eſt mihi* interna locutione, *anima mea liquefacta eſt*, quia dum Chriſtus per ſpiritum ſuum animæ ſe deſideranti infundit, omnem duritiam cordis mox excludit & diſſolvit. Liqueſcit ergo anima ad verbum dilecti temporaliter, ſed in liquorem aquæ, in mollitiem ceræ, in odorem ſpeciei aromaticæ. Primo liqueſcit anima in liquorem aquæ, pſal. 147. *Emittet verbum ſuum*, ſcilicet inſpirationis & communicationis, *& liquefacit ea*, ſcilicet corda arida, *& fluent aquæ* compunctionis. Et per hoc ſolvitur glacies cordis. Secundo liqueſcit anima in mollitiem ceræ, & hoc igne dilectionis: pſal. 38. *Concaluit cor meum intra me*, &c. Et iterum: *Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei*: dicit enim *tamquam cera liqueſcens*, & merito, ut in ea ſcribatur ſponſi doctrina, pingatur vitæ forma, & ſigilletur ſimilitudo Deo grata. Nam in cera ſcribimus, in cera pingimus, cera ſigillamus. Tertio liqueſcit anima in odorem vel ad odorem ſpeciei aromaticæ, quæ quidem eſt pulchra in horto, odorifera in mortario, ſaporoſa in electuario. Sic devota liquefactio, ideſt cordis dilectio, eſt pulchra in horto religionis, odorifera in mortario tribulationis, ſapida & delectabiliſſima in electuario, ideſt in præmio æternæ glorificationis. Et quia anima ad verbum dilecti ſic liqueſcit, ideo creſcit, currit, clareſcit. Creſcit in virtute, currit in caritate, clareſcit in veritate. Vel creſcit quoad meritum, currit quoad terminum, ſcilicet Deum, clareſcit quoad præmium. E

[1] Tertio tangitur actus amicitiæ, ibi: *Ut dilectus eſt locutus*: nam ſi proprium eſt amicorum ad invicem loqui, maxime Dei; ideo dixit: *Ut dilectus locutus eſt:* loquitur enim Deus ſuæ ſponſæ tribus modis: primo quum bonam inſpirationem ei immittit, Oſeæ 2. *Loquar ad cor ejus;* vel quum ſuam voluntatem ei intimavit, ut dicit Gloſſa ibidem. Secundo quum maculas ſuas prius commiſſas ei oſtendit, & hoc ut erubeſcat, timeat, & ab eis recedat, Jobi 36. *Loquetur, ut revertatur ab iniquitate.* Tertio quum dona & gratias, quas ei contulit, ad memoriam reducit; & hoc ut cognoſcat, & amorem attendat, & indiviſibiliter teneat & cuſtodiat, Iſaiæ 40. *Loquimini ad cor Jeruſalem, & advocate eam*, &c.

§. IX. Alius effectus amoris eſt vulnerare. Ratio hujus eſt, quia proprietas acuti eſt dividendo penetrare: ideſt ad intima rei pervenire. Sed B. Dionyſius cap. 7. celeſt. hierarchiæ, dicit amorem eſſe acutum intime, intente, active, & reductive. Primo dicit, quod amor eſt acutus, eo quod ſicut acutum dividit unam partem ab altera, ſic & amor amantem dividit a ſeipſo, ideſt ab effectu proprio, & conjungit amato. Unde dicit idem Dionyſius cap. 3. de divin. nomin. quod amor non ſinit eſſe ſui ipſius, ſed amatorum. Secundo ſubdit, quod amor eſt acutus intente quoad intellectum, quia amans oblitus ſui, per amorem trahitur ad intendendum amato, ſcilicet Deo & proximo. Tertio dicit, quod amor eſt acutus intime quoad effectum, quia amori non ſufficit qualiſcumque conjunctio, ſed quærit & facit ſubintrare amatum & penetrare amatum, & unire ſe ſibi, ſecundum quod etiam ſi poſſet cum amato vellet fieri unum. Quarto dicit, quod amor eſt acutus active & reductive, ſicut ignis, qui ſuam ſimilitudinem in aliis cauſſat, excludendo unam formam, & inducendo propriam; ſic amor Dei formam facit. Hæc B. Dionyſius ubi ſupra, & Albertus ibidem, & B. Thomas 3. Sent. Diſt. 27. quod B. Thomas confirmat ibidem auctoritate ſacræ Scripturæ, Cant. 4. *Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum*. In quibus verbis tanguntur tres effectus, quos amor, & præcipue caritatis, habet producere: habet enim dividere, unire, decernere, vel eligere. Primo habet amor caritatis dividere; unde dicit *vulneraſti*. Magna enim & violenta eſt vis caritatis ipſum affectum Dei attingens & penetrans, & velut *ſagitta jecur ejus*, ubi eſt cor, & per conſequens ſedes amoris, *transfigens*, ut dicitur in Proverbiis 7. *Vulneraſti* igitur triplici vulnere, ſcilicet amoris, compaſſionis, & paſſionis. Primo *vulneraſti* vulnere amoris in incarnatione. Unde gloſſa: pro amore tuo carnem ſuſcepi. Secundo *vulneraſti* vulnere compaſſionis in progreſſu hujus vitæ, Lucæ 19. *Videns civitatem, flevit ſuper illam*. Tertio *vulneraſti* vulnere paſ- F

[1] Hæc uſque ad paragraphi finem ſupplevimus ex Jenſoniana editione an. 1479. in cete is erat tantum: *Tertio tangitur actus amicitiæ, ibi*: Dilectus meus, *de quo infra paragrapho decimo & ſequenti;* quæ verba neſcio, cur ſubjiciantur item in Jenſoniana editione ſub paragraphi finem, quum de hoc textu *Dilectus* nihil in ſubjectis paragraphis occurrat.

passionis in cruce, Isaiæ 53. *Vulneratus est propter iniquitates nostras.*

Secundo amor, & præcipue caritatis, habet unire; & ideo subdit, *cor meum:* nam amor amati penetrat affectum amantis; unde dicitur *cor meum.* Ex quo sequitur, quod vulnus non est sine sensu, qui etiam cor penetrat: bonum vulnus, de quo tanta virtus egreditur. *Tetigit* mulier *fimbriam vestimenti ejus*, & virtutem de se Christus sensit exire; quanto magis si cor ejus non leviter tangitur, sed vulneratur. Respexit Petrum, & cor ejus percussit & compunxit ad pœnitentiam. Vulnerati cordis lacrymæ præbent signa.

Lucæ 8. Marci 8. Lucæ 12.

Tertio amor caritatis habet discernere & eligere; sed amor mundi non, quia cæcus. Unde dicit, *in uno oculorum tuorum*, quod verbum quattuor modis exponitur. Primo sic: *Vulnerasti cor meum* amore, *in uno*, non in pluribus; quia Martha sollicita est, turbatur erga plurima: *porro unum est necessarium*, Lucæ 10. Et in psal. 26. *Unam petii a Domino*, &c. Secundo sic: Si uni adhærere est necessarium, quo magis inhæret, quam oculo? certe nullo; ergo *in uno oculorum*. Nam ubi amor, ibi oculus, & e converso. Cujus ratio est, quia potest videre & videri, & ideo index solet esse amoris. Tertio sic: *In uno oculorum* dicit se vulneratum, & non in pluribus, ad ostendendum, quod duplex est oculus, scilicet affectus & intellectus, oculus affectus vulnerat desideriis & suspiriis, intellectus vero non, quia consistit in pura speculatione. Quarto modo exponitur sic: Nam intentio assimilatur oculo, ergo sicut duplex est oculus, ita est duplex intentio: una, qua intenditur honor Dei; & iste oculus, scilicet rectæ intentionis vulnerat, quia rectissime in Deum tendit. Alia intentio est, quæ oblique tendit in Deum. Cujus figuram habemus in Genesi 29 ubi dicitur, quod *Rachel erat venusta facie & decora aspectu; Lia vero lippis erat oculis* &c.

Amor inebriat.

§. X. Alius effectus amoris est inebriare per totum; quod dupliciter probo, scilicet similitudine & auctoritate. Primo probo hoc ratione vel similitudine, quia sicut ebrius calore vini, sui & aliorum obliviscitur omnium; ita amans ex amore amati sic in amatum tendit, quod sui ipsius & omnium rerum præter illum, quem amat, obliviscatur. Secundo hoc idem probo auctoritate Cant. 5. *Comedite amici mei, & bibite, inebriamini carissimi*, quæ quidem verba possunt esse verba Christi ad discipulos in cœna, vel Dei ad suos speciales amicos. In quibus verbis tanguntur tria, scilicet delectabilis refectio, incomparabilis & singularis dilectio, mentalis transformatio. Primo tangitur delectabilis refectio ibi, *comedite:* sed forte quæres, quid? actus enim non est sine objecto, sic nec comestio sine comestibili; quid ergo comedemus? Respondetur ibidem supra immediate, *comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* In quibus verbis vide tria. Primo modum, quo assumitur, quia *comedi*: glossa, idest mihi incorporavi; nam per modum manducationis sumitur corpus Christi. Secundo vide bonum, quod percipitur, quia *favum & vinum*, *favum* scilicet deitatis. Prov. 25. *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud. Vinum* redemtionis, scilicet sanguinem Christi: Matth. 26. *Bibite ex hoc omnes.* Tertio vide nexum, quo conjungitur, quia *favum cum melle, & vinum cum lacte.* Dicit ergo: *Comedite favum cum melle*, nam favus est quoddam compositum ex cera & melle, & propter sui excellentiam aureis litteris scribebatur: est enim favus cera continens mel, idest caro continens deitatem, vel caro continens Deum; aut favus est mel in cera, idest Deus in carne, vel divinitas in humanitate; unde Can. 4. *Mel & lac sub lingua ejus.* Bene dicit *sub lingua*, eo quod postquam sacerdos sua lingua super hostiam verba consecrationis finivit, ibi est *mel* divinitatis, & *lac* humanitatis. Hoc mel gustavit Jonathas, quando in summitate virgæ gustavit de melle, & *exhilarati sunt oculi ejus*, ut dicitur 1. Reg. 14. Secundo addit: *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Illud vinum fuit sanguis nostræ redemtionis, qui fluxit de latere Christi, quod quidem vinum, ut infirmis esset salubrius vel utilius ad bibendum, aqua fuit admistum: Prov. 9. *Bibite vinum, quod miscui vobis.* Hoc vinum recusat bibere, qui contradicit passioni ejus. Bene igitur utriusque nexus, scilicet favi & melli, vini & lactis est necessarius. Ubi nota, quod quidam comedunt favum sine melle, sicut occulti hæretici, qui comedunt corpus Christi, sed non credunt ex eo pervenire ad æternam salutem. Quidam comedunt cum melle non suo, sicut christiani existentes in peccato mortali, qui credunt in eo esse salutem, & est quidem, sed non eorum. Quidam alii comedunt favum cum melle suo: sicut boni christiani, qui sumunt, & suam salutem in eo constituunt. Et vide, quod dicit *favum*, sed non *meum*: *comedi*, inquit, *favum*, sed non meum &c. sed mel dicit meum: *Comedi favum cum melle meo*, quia corpus Christi salus, unde provenit nostra salus.

Communicantiũ diversitas.

Secundo principaliter tangitur singularis dilectio, quum subditur in principali auctoritate, *amici mei carissimi.* Nam suos amicos vocat præcipue propter tres rationes. Prima est propter voluntatem & affectuum unitatem, quia vera amicitia est idem velle & idem nolle, ut dicit Tullius. Secunda ratio est propter præceptorum adimpletionem: Joann. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis* &c. Tertia est propter amoris continuationem: Prov. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Vocat autem eos non solum *amicos*, sed *carissimos.* Unde dicit, *amici carissimi*, idest caritate pleniſſimi.

Ubi nota, quod inter electos, quos amicos appellat, triplex est differentia. Quidam enim sunt onere carnis gravati, qui adhuc gemunt, & hi habentur cari per caritatem, quam habent; quidam alii sunt, qui carnis pondere sunt soluti, qui sunt in cælo, & hi sunt cariores, eo quod promtiores & expeditiores facti sunt ad amandum: quidam vero sunt in cælo utraque stola velati; & hi sunt carissimi, eo quod amore divino fruuntur, & alacriores quanto de proprio nihil residuum est, quod eos aliqualiter sollicitet vel retardet. Vel dicas quod Apostoli & alii electi sunt cari, cariores, & carissimi. Sunt enim cari, in quantum creatura Dei, cariores, quia gratia informati, carissimi, quia gloria coronati: Ephes. 5. *Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi.*

Inter amicos Christi triplex est differentia.

Tertio principaliter tangitur mentalis transformatio, quum subjungitur, & *inebriamini*, scilicet divino amore. Ex quibus verbis datur intelligi, quod comedere, idest per fidem Christo incorporari, est bonum: bibere, idest Christo delectari, est melius; sed inebriari, idest sui obliviſci, est optimum.

Ubi sciendum, quod comedentium hoc ineffabile sacramentum corporis & sanguinis redemtoris nostri Jesu Christi, est differentia triplex: quidam enim comedunt, & non bibunt, sicut illi, qui non sunt *amici*; quidam comedunt, & bibunt, sed non inebriantur, sicut illi, qui sunt *amici*, non tamen *carissimi*; quidam vero comedunt & bibunt & inebriantur, ut illi qui sunt *carissimi*, idest perfecti. Quod probo de omnibus per exemplum. Primo enim dico, quod sunt quidam, qui comedunt & non bibunt, ut illi, qui non sunt amici,

Triplex est differentia sumentium corpus Christi.

mici, ut v. g. quidam ſunt qui in ſancta Eccleſia divina præcepta, & juſtorum exempla audiunt & addiſcunt, nec tamen propter hoc vitam ſuam corrigunt. Secundo quidam alii ſunt, qui comedunt & bibunt, ſed non inebriantur, ſicut amici Dei; non tamen cariſſimi & perfecti, ſicut ſunt illi, qui in ſancta Eccleſia præcepta divina audiunt, & cæleſtia pluſquam terrena amare diſcunt & volunt, & pro deſiderio cæleſtium multa pauperibus tribuunt, a pravis operibus ſe cuſtodiunt, nulla alicui violenter rapiunt, prædicationem libenter audiunt, in fide Chriſti & operibus bonis proficiunt; & tamen uxores & filios habent, pinguiora nutriunt, res ſuas diligunt, quamvis his omnibus Chriſtum præponant, hi profecto comedunt & amici ſunt, quando ſine crimine vivunt. Sed adhuc eſt amplius, ſcilicet bibere & inebriari; & ideo tertio ſunt aliqui alii, qui tanta aviditate divinam Scripturam audiunt vel legunt, ut protinus cunctis terrenis operibus abdicatis ſola cæleſtia ambiunt, parentes, uxores, filios, & domos & omnia tranſitoria abjiciunt, & ſolummodo Chriſtum ſequuntur, vel ſequi & amplecti concupiſcunt, ejus deſiderio ſe affligunt jejuniis, afficiunt lacrymis, exercent meditationibus divinis. Sola, quæ ſunt æterna, cogitant, contemplationibus vacant, ad hoc vacantes, ut ea, quæ retro ſunt, obliviſcentes, in anteriora magis ac magis ſe extendant. Et iſti quid aliud agunt, niſi quod bibentes inebriantur, dum omnium terrenorum per deſiderium obliviſcuntur? Idcirco a ſponſo cæleſti non tantum *amici*, ſed etiam *cariſſimi* vocari merentur. Unde ergo dicit: *inebriamini*. Gloſſa: ideſt corporem mentis excutite, & ad amorem æternorum accenſi temporales pœnas non ſentietis, ſicut ebrius, qui obliviſcitur omnium temporalium; unde in pſal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.*

Amoris eſt amato inhærere.

§. XI. Alius effectus amoris eſt inhæſio. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 28. art. 2. quod iſte effectus mutuæ inhæſionis poteſt intelligi, & quantum ad vim apprehenſivam, & quantum ad vim appetitivam: nam quantum ad vim apprehenſivam, amatum dicitur eſſe in amante, in quantum amatum immoratur in apprehenſione amantis, ſecundum illud Philipp. 1. *Eo quod habeam vos in corde.* Amans vero dicitur eſſe in amato ſecundum apprehenſionem, in quantum amans non eſt contentus ſuperficiali apprehenſione amati; ſed nititur ſingula, quæ ad amatum pertinent intrinſecus diſquirere, & ſic ad interiora ejus ingreditur, ſicut de Spiritu ſancto, qui eſt amor Dei, dicitur 1. Cor. 2. *Scrutatur etiam profunda Dei.* Sed quantum ad vim appetitivam amatum dicitur eſſe in amante, prout eſt per quamdam complacentiam in ejus affectu, ut vel delectetur in eo, aut in bonis ejus, apud præſentiam, vel in abſentia per deſiderium tendat in ipſum amatum per amorem concupiſcentiæ, non quidem ex aliqua extrinſeca cauſſa, ſicut quum aliquis deſiderat aliquid propter alterum, vel quum aliquis vult bonum alteri propter aliquid aliud, ſed propter complacentiam amati interius radicatam; unde & amor dicitur intimus, & dicuntur viſcera caritatis. E converſo autem amans eſt in amato, aliter quidem per amorem concupiſcentiæ, aliter per amorem amicitiæ: amor namque concupiſcentiæ non requieſcit in quacumque extrinſeca aut ſuperficiali adeptione vel fruitione amati; ſed quærit amatum perfecte habere quaſi ad intima illius perveniens. In amore vero amicitiæ amans eſt in amato, in quantum reputat bona vel mala amici ſicut ſua, & voluntatem amici ſicut ſuam, ut quaſi ipſe in ſuo amico videatur bona vel mala pati & affici; & propter hoc proprium amicorum eſt eadem velle, & de eodem triſtari & gaudere ſecundum philoſophum, in 9. Ethicor. & in 2. Rhetor. ut ſic in quantum quæ ſunt amici, æſtimat ſua, amans videatur eſſe in amato quaſi idem factus amato. In quantum autem e converſo vult & agit propter amicum, ſicut propter ſeipſum, quaſi reputans amicum idem ſibi; ſic amatum eſt in amante. Poteſt autem & tertio modo mutua inhæſio intelligi in amore amicitiæ ſecundum viam redamationis, in quantum mutuo ſe amant amici, & ſibi invicem bona volunt & operantur. Quod autem amor cauſſet mutuam inhæſionem dicitur Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, quod verbum ſex modis exponitur.

Diſtinctio duplicis amoris.

Primo ſic, vox eſt ſponſæ ſponſi imperio parituræ, & promittentis & dicentis: *Dilectus meus mihi*, ſcilicet præcepit, ut ſurgerem, & venirem, ut faciem meam ei oſtenderem, *& ego illi*, ſcilicet integerrime & devotiſſime obediam, quia ipſe diliget me, & ego illum; & ideo una prorſus debet eſſe voluntas ſui præcipientis & mei obedientis.

Secundo modo exponitur ſic: *dilectus meus mihi* intendit, quia ſollicitus mihi, *& ego illi*, ſcilicet intendo ſollicita ſervire ſibi, quaſi diceret: omnino miranda eſt ſponſi mei dignatio, quia intendit mihi, ſed non unius laudanda miſeratio, qua efficit, ut ego intendam illi.

Tertio modo exponitur ſic: *dilectus meus mihi*, ſcilicet congruit, quia ſi puritas, ſi ſpecioſitas, ſi generoſitas, ſi fidelitas, ſi quod præcipuum eſt, caritas mutua in alterutrum attendatur, omnino congruit mihi ſponſus, *& ego illi*. Sed omnia hæc habet ipſe per naturam, ego per gratiam.

Quarto modo exponitur ſic: *dilectus meus mihi*, eſt omnium laborum dolorum fatigationum pretium ſive præmium, ſecundum quod ipſe dixit Abrahæ, Gen. 15. *Ego merces tua magna nimis: & ego illi*, ſcilicet ſua omnium laborum dolorum fatigationum merces & præmium. Omnia enim propter me habendum fecit & ſuſtinuit omnes labores, immo ſeipſum propter me habendum dedit; unde Apoſtolus 1. ad Cor. 6. *Emti eſtis pretio magno* &c.

Quinto modo exponitur ſic: *dilectus meus mihi*, ideſt ad meam utilitatem bibit calicem paſſionis, unde tota ejus vita & tota mors ejus fuit mihi, ideſt propter me, *& ego illi*, ideſt ad gloriam ejus, & honorem bibam, & dicam pſal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem* &c.

Sexto modo exponitur ſic: *dilectus meus mihi*, eſt totum, quod amo, quod cupio, quod quæro. Quid enim venit quærere in terris, niſi ovem, quæ perierat, & dracma, quam perdiderat; *& ego illi*, ſcilicet ſum totum, quod amat, quod cupit, quod quærit.

CAPUT III.

De ſecunda paſſione, ſcilicet odii.

Odium naturale & odium paſſionale differunt.

ODium, quod eſt amori contrarium, prout eſt naturale, ſic importat quamdam diſſonantiam naturalem ad id, quod eſt repugnans, & corruptivum naturæ; & ſic eſt in omnibus rebus, ſicut amor naturalis, qui importat conſonantiam & coactionem ad id, quod convenit rei. Sed prout eſt paſſio, ſic odium eſt quædam diſſonantia appetitus ad id, quod apprehenditur ut nocivum & repugnans; quod autem eſt repugnans rei, habet

bet rationem mali ; & ſic odium eſt de malis . Cauſſatur autem odium ex amore. Nil enim oditur niſi per hoc, quod contrariatur etiam convenienti, quod amatur. Dicitur autem quis odire ſeipſum, in quantum vult ſibi aliquod bonum, quod ei eſt ſimpliciter malum & nocivum ut peccatum, & quia vult illud, quod eſt contrarium rationi, etſi placitum ſenſualitati. Veritas in univerſali odio haberi non poteſt. Importat enim conſonantiam, quæ communis eſt omnibus rebus, ſed in particulari poteſt aliqua veritas odio haberi, quia ſcilicet repugnat bono amato, ut quum quis non vellet aliquod verum eſſe, quod eſt, vel non vellet ſcire aliquod opus eſſe peccatum, ut liberius peccaret, vel quum quis vult latere in peccato, odit quod cognoſcatur veritas peccati. Hæc B. Thom. 1. 2. quæſt. 29.

Triplex eſt genus odii, ſcilicet Domini Dei, viri juſti, & hominis perverſi. Ad Rom. 12. *Odientes malum, adhærentes bono*: Matth. 18. *Sic faciet vobis pater meus cæleſtis, ſi non remiſeri is unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*, ſcilicet odium, ita ſcilicet ut non habeatis in corde ex injuriis receptis.

Odit Deus, ſed ſine ſui mutatione.

Odit juſtus, ſed cum diſcretione.

Odit impius, ſed cum malignatione.

De odio Dei.

S. I. Quantum ad primum dixit Achior Holoferni, ut habetur Judith 5. *Deus illorum*, ideſt Iſraelitarum, qui ſoli colebant verum Deum, *odit iniquitatem*. *Jacob dilexi, Eſau odio habui*, Malach. 1. *Jacob*, qui interpretatur *ſupplantator*, ſignat bonos ſupplantantes, ideſt dominantes & vincentes dæmones & vitia. *Eſau* interpretatur *fruſtra* vel *rubeus*, & ſignat peccatores rubeos peccatis, qui fruſtrantur fine ultimo. Odit autem Deus, non ſecundum paſſionem, quæ eſt cum tranſmutatione corporali, ſicut odiunt animalia, quia Deus incorporeus eſt. Nec etiam odit cum mutatione affectus & voluntatis, ſicut odit Angelus & homo, qui variantur in affectibus & motibus voluntatis; Deus autem immutabilis eſt, & unicum voluntatis actum habet, qui non differt a ſua voluntate & eſſentia. Eſt ergo odium Dei ad creaturam, ipſa ſubtractio gratiæ, vel non conferre eam, & punitio peccati; & quia omnis creatura, in quantum creatura, bona eſt, quia a Deo facta; ideo bene dicitur Sapien. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti*. Diligit utique omnia ad eſſe naturale. Nec odit ſeu punit peccatorem in quantum creaturam; ſed in quantum peccatorem, ideſt ratione mali, quod ipſe Deus non facit. Quamvis autem odiat omnem iniquitatem, præcipue dicit Salomon ipſum ſex odire, & permaxime ſeptimum, quod additur: dicitur enim Proverb. 6. *Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus: oculos ſublimes*, ideſt ſuperbos & arrogantes; *linguam mendacem*, quæ ſcilicet eſt habituata in mendaciis dicendis; *manus effundentes ſanguinem innoxium*, ideſt crudeles & homicidas; *cor machinans cogitationes peſſimas*, ut facientes conjurationes & proditiones tractantes; *pedes veloces ad currendum in malum*, ideſt qui præcipitantur, & ſine conſideratione feſtinant ad mala; *proferentem mendacia*, ut oſtendat differentiam a ſecundo, ubi dictum eſt: *linguam mendacem*, quaſi declarans & magis determinans, quod dixerat: ſubdit: *Teſtem fallacem*, ideſt mendacium in judicio. Et quia prædicatores dicuntur teſtes Dei; ideo ſi ſint fallaces, ut ſcilicet non dicant vera, vel ad debitum finem, ſed propter lucrum vel honorem proprium, aut non bene vivant, facientes, quod docent; hos odit Deus. Septimum eſt: *Qui ſeminat inter fratres diſcordias*; quia ergo iſta odit Deus, ab his debet quilibet cavere, ne odio habeatur a Deo.

De odio viri juſti, quod tria reſpicit.

S. II. Quantum ad ſecundum dicitur Amos 5. *Odite malum, & diligite bonum*. Odium autem habent juſti ad tria mala, ſcilicet offenſæ deitatis, collectæ pravæ ſocietatis, & nocivæ propinquitatis.

Habent primo odio omnem iniquitatem, in quantum eſt offenſa Dei, & contra rationem, ſive ſit in ſe, ſive in aliis, juxta illud pſal. 118. *Omnem viam iniquam*, ideſt actum iniquitatis, *odio habui*. Unde & Magiſter Sent. in 4. Diſt. 14. dicit quod pœnitere eſt peccata odire, ſcilicet commiſſa &c. Diſcernunt tamen juſti naturam a culpa in odio ſuo. Nam ita odiunt culpam in ſe & in proximis, quod diligunt naturam, & merito, quia creatura, in quantum creatura, a Deo eſt, & bona, & ideo diligenda & amanda. Et quia ejuſdem rationis eſt velle alicui bonum, & appetere illi aliquod malum, quod procederet in bonum ejus, ſicut deſiderare abſciſſionem manus, ut ſervaretur vita hominis; ideo recte juſti appetunt aliqua mala temporalia peccatoribus, ut emendentur de iniquitatibus ſuis. Et ſignum hujus, ſcilicet quod diligant naturam, & odiant culpam, eſt, quia quum videant indigentiam naturæ, ſubveniunt illis, quorum vitia odiunt, Et hoc eſt, quod ait Auguſtinus: Sic diligendi ſunt homines, ut eorum non diligantur errores, quia aliud eſt odiſſe; quod fecerunt, ſcilicet peccatum; & aliud, quod facti ſunt, ideſt naturam, quod utique non licet. Et Diſt. 86. dicit Leo Papa: *Odio habeantur peccata, non homines; corrigantur tumidi, tolerentur infirmi, & quod caſtigare ſeverius neceſſe eſt, non ſævientis animo plectatur, ſed medentis*. Hæc ille. Odit juſtus pravam ſocietatem ex eo, quod multum poteſt nocere, juxta illud pſal. 25. *Odivi Eccleſiam malignantium*. Et præcipue ſocietas hæreticorum odienda eſt & vitanda, quia, ut dicit Apoſtolus 2. Timoth. 2. *Sermo eorum ut cancer ſerpit*, ſed juſtus *Jeſus filius Sirach* dicit Eccleſiaſtici cap. 25. & cap. 50. *Tres ſpecies odivit anima mea .... pauperem ſuperbum, divitem mendacem, & ſenem fatuum & inſenſatum. Pauper ſuperbus* eſt, qui rebus temporalibus indigens, ita ſe habet in exteriori apparatu, ac ſi dives eſſet. Vel qui vacuus ſcientia & intellectu ponit ſe ad ardua & ſubtilia. Vel qui vacuus ſcientia, & in virtutibus parvus, magna de ſe æſtimat. *Dives* magis deteſtabilis in mendacio, quia non habet occaſionem mentiendi, ſcilicet neceſſitatem. Vel dives in virtutibus & ſcientia, cujus mendacium multum nocet. *Senem fatuum* in locutionibus vanis & laſcivis. *Inſenſatum*, quoad cognitionem ſpiritualium.

Tria odibilia.

Odit juſtus nocivam propinquitatem. Propinqui enim homines communiter non quærunt, niſi terrena de eis, honores & divitias & hujuſmodi. Et diligere eos in hujuſmodi eſſet aſſentiri voluntati eorum, & tradere ſe mundo; quod fiendum non eſt, ſed deteſtandum, & odiendi ſunt in quantum ad iſta, ideſt habendi in diſplicentia. Et ſic intelligitur quod Chriſtus ait: *Qui non odit patrem, & matrem, fratres, & ſorores*, &c. *non poteſt eſſe meus diſcipulus*, Luc. 14. & illud Joann. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo*, ideſt quantum ad ea, quæ ſunt mundi, ut vitia & peccata & delectationes carnis habendo in deteſtationem & vitando, *in vitam æternam cuſtodit eam*. Et quod ait Apoſtolus, quia *nemo umquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam*, verum eſt quantum ad ea, quæ ſunt neceſſaria vitæ, ſecundum inſtinctum etiam naturæ.

S. III.

De odio impiorum.

§. III. Quantum ad tertium dicitur de fratribus Joſeph, quod *oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui*, Gen. 37. Et de Ægyptiis quod *oderant filios Iſrael*, Exodi 1. & de Eſau quod *oderat Jacob*, Gen. 27. Et communiter mali odiunt bonos. Et ratio eſt, quia veritas odium parit, ut dicit Terentius, & juſti veritatem dicunt, reprehendentes malos, quum oportet; propter quod dicebat Chriſtus: *Me odit mundus, quia teſtimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala ſunt*, Joann. 7.

Sed advertendum, quod perverſi odiunt Deum, proximum, & animum ſuum. Odiunt quidem Deum, in quantum eſt punitor ſcelerum ſuorum, & flagellat, & prohibet mala, quæ optant perpetrare, ſed aliquando non valent; & ipſum eſt maximum peccatum, quia directe contra caritatem Dei, & eſt conditio dæmonum & damnatorum, qui Deum odiunt, quia punit eos; & de hoc pſal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*. Odiunt mali ſeipſos, qui ea faciunt, quæ ſumme nocent eis, ſcilicet peccata. Utique diceretur ſe quis odire, qui ſeipſum occideret. Sed hoc agit peccator occidendo per iniquitatem animam ſuam. Unde pſal. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*, quantum ſcilicet ad partem intellectivam, quæ eſt pars principalior. Nam quantum ad partem ſenſitivam nimis ſe diligit.

Odiunt & proximos intendentes malum eorum in quantum malum, ideſt in nocumentum ſolum eorum. Sed ut dicit Joannes in can. 1. cap. 3. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, occidens ſcilicet animam ſuam, & privans gratia. Hoc autem prohibetur in Levit. 19. ubi dicitur: *Non oderis fratrem in corde tuo*. Odiunt autem communiter bonos, qui reprehendunt eos, ſicut odebat Achab Michæam dicens: *Non prophetat mihi niſi malum, & idcirco odi eum*, 2. Reg. 22. Sed *qui odit correctionem, minuetur vita*, dicitur Eccleſiaſtici 19. De odio quomodo ſit peccatum, & quam grave & mortale, habes 2. parte.

CAPUT. IV.

De tertia paſſione, quæ dicitur deſiderium, & quarta, quæ dicitur abominatio.

§. I. TErtia paſſio dicitur concupiſcentia ſeu deſiderium. Pro cujus declaratione eſt ſciendum, quod bonum delectabile ſecundum ſenſum, in quantum ſibi appetitum adaptat quodammodo, & conformat, ſic cauſſat paſſionem amoris. In quantum vero ipſum bonum abſens attrahit ad ſeipſum appetitum, cauſſat paſſionem, quæ dicitur concupiſcentia. In quantum autem ipſum bonum, quia præſens quietat appetitum in ſeipſo, ſic cauſſat paſſionem, quæ dicitur delectatio. Et ſic proprie appetitus delectationis ſecundum ſenſum, qui pertinet ſimul ad animam & corpus, dicitur concupiſcentia, ut ſonat ipſum nomen. Et eſt paſſio in appetitu concupiſcibili, cui opponitur paſſio innominata, quæ poteſt dici abominatio.

Triplex eſt concupiſcentia.

Et poteſt dici, quod ſit triplex concupiſcentia. Prima ſpiritualis, Sap. 6. *Concupiſcentia ſapientiæ perducit ad regnum perpetuum*. Improprie tamen talis appetitus dicitur *concupiſcentia*, quum ſit de ſpiritualibus pertinentibus ad voluntatem. Magis proprie dici poteſt deſiderium, quod importat ſimplicem motum in rem deſideratam. Dicitur tamen & *concupiſcentia* propter ſimilitudinem quamdam, vel propter intenſionem appetitus ſuperioris partis, ex quo fit redundantia in inferiorem appetitum, juxta illud pſal. 83. *Cor meum & caro mea exſultaverunt*. Alia concupiſcentia dicitur naturalis, & hujuſmodi eſt appetitus delectabilis convenientis naturæ animalis, ſeu de his, quibus natura corporis ſuſtentatur, vel quantum ad naturam individui, ut cibi & potus; vel quantum ad naturam ſpeciei, ut in venereis. Tertia eſt concupiſcentia animalis, quæ ſcilicet non de his eſt, quæ afferunt delectationem per ſenſum carnis, vel ſuſtentationem; ſed ſunt delectabilia ſecundum apprehenſionem imaginationis, aut alicujus hujuſmodi acceptationis, ſicut pecunia, ornatus veſtium, & hujuſmodi. Quando quælibet harum concupiſcentiarum a ratione reguntur, bonæ ſunt. Quando autem ſunt præter vel contra rationem, ſcilicet prout in eis eſt amor inordinatus ad creaturam, ſic ſunt malæ. Et ponuntur eſſe tres radices ſeu cauſſæ omnium malorum, 1. Joann. 2. *Omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis*, quod pertinet ad ſecundam, *aut concupiſcentia oculorum*, quod pertinet ad primam, *aut eſt ſuperbia vitæ*, & hæc eſt tertia radix, quæ pertinet ad inordinatum appetitum boni ardui, ut honorum, excellentiæ & hujuſmodi. Et ſicut ad primas duas poſſunt reduci omnes paſſiones concupiſcibiles; ita ad tertiam omnes paſſiones iraſcibiles. Et ſciendum, quod concupiſcentia naturalis non poteſt eſſe infinita in actu; eſt enim ejus, quod natura requirit. Natura enim ſemper tendit in finitum & certum; ſed poteſt eſſe infinita per ſucceſſionem, quia ſcilicet poſt acceptum cibum iterum vult cibum. Unde Dominus dixit Samaritanæ Joann. 4. *Qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*. Sed concupiſcentia non naturalis eſt omnino infinita; ſequitur enim rationem. Ratio autem poteſt in infinitum procedere. Unde Ambroſius: *Nec finis umquam, nec ſatietas aderit cupiditati*, Diſt. 47. *Sicut hi*. Hæc B. Thomas 1. 2. quæſt. 30. art. 2. 3. & 4. De malo uſu hujus paſſionis dicitur a Gregorio: *Quum mens concepta deſideria ſequitur, ſervire rebus convincitur, quarum amore ſuperatur*, 14. quæſt. 1. §. 1. Et Leo papa: Virum catholicum ſicut nullo errore, ita nulla cupiditate implicari oportet, dicente Scriptura: *Poſt concupiſcentias tuas ne eas* &c. Eccleſiaſtici 18.

§. II. Sciendum, quod eſt triplex genus deſideriorum. Eſt enim deſiderium peccatorum, deſiderium juſtorum, deſiderium beatorum.

De deſiderio peccatorum.

De primo dicitur pſal. 3. *Deſiderium peccatorum peribit*. Eſt enim hoc deſiderium plenum paſſionibus carnis; & ideo ſicut *omnis caro fœnum* cito deficiens a ſua viriditate, ſic deſideria pravorum. Sed quantum damnum inferat hominibus, oſtendit Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. dicens de amatoribus mundi: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli & deſideria multa & inutilia, quæ mergunt homines in interitum*. Habent enim deſideria peccatorum, multiplicitatem, inutilitatem, & nocibilitatem, ſecundum auctoritatem Apoſtoli inductam.

Multiplex eſt.

Quia igitur multa ſunt, ideo non facienda ſeu ſequenda, juxta illud ad Rom. 13. *Curam carnis ne feceritis in deſideriis*; nimis enim multiplicantur. Inducunt enim perturbationem ſecundum illud, quod dixit Marthæ Dominus Luc. 10. *Turbaris erga plurima*. Sicut enim deſideria juſtorum ſunt unita in fine, & ideo pacifica, quia in unitate non poteſt eſſe diverſitas vel contrarietas; ita deſideria malorum ſunt diverſificata in va-

variis vitiis invicem rixantibus, 2. ad Timoth. 3. *Ducuntur variis deſideriis*, ideſt a Deo ſeorſum ducuntur, ſeu ſeparantur; & ideo non eſt cum eis Dominus unitatis & pacis. Adducunt hoſtium multiplicationem; propter quod 1. Pet. 2. dicitur: *Obſecro vos tamquam advenas & peregrinos abſtinere a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam*, ideſt milites infernales ſecum trahunt ad proſternendum animam. Demum judicium Dei, & punitionem inferunt: pſal. 77. *Non ſunt fraudati a deſiderio ſuo*, quod ſcilicet habuerunt circa carnes ex vitio gulæ: & ſequitur: *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*.

Secundo quia inutilia ſunt hujuſmodi deſideria, ideo fugienda ſunt: 2. ad Tim. 2. *Deſideria autem juvenilia fuge*: habent enim vanitatem: Hierem. 2. *Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ attraxit ventum amoris ſui. Onager* eſt homo paſſionibus beſtialibus deditus, hic eſt *aſſuetus in ſolitudine*, ideſt ad ea, quæ ſunt mundi, *in deſiderio animæ*, ipſum ſcilicet perſequendo, deſiderium hoc inde attrahit *ventum*, ideſt vanitatem. Non enim exſequendo deſiderium ſuum conſequitur intentum, ſcilicet quietationem & contentamentum, ſed vanitatem, quam amat. Præbent & hæc deſideria ſervitutem. Unde Gregorius: *Quum mens concepta deſideria ſequitur, ſervire rebus convincitur, quarum amore ſuperatur*, 14. quæſt. 1. §. 1. Tollunt vivacitatem: Prov. 21. *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim manus ejus quidquam operari. Tota die concupiſcit, & deſiderat*, ſcilicet mala. Et quia non operatur bona opera, unde anima vivit; ideo in mortem animæ incidit.

Nocivum. Tertio quia nociva ſunt, ideo abneganda & abjicienda: ad Titum 2. *Abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobrie & pie & juſte vivamus in hoc ſæculo*. Hæc enim abjiciendo homo vivit *ſobrie* quoad ſe, ad Gal. 5. *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis*, ideſt ſobrie vivetis, ſi ſecundum ſpiritum, ideſt rationem vixeritis, quia ipſa abdicat ſæcularia deſideria. Vivit *pie* quoad Deum, exſpectando, & deſiderando adventum ejus cum bonis operibus. De impiis autem dicitur Michææ 7. *Dominum Deum noſtrum non deſiderabunt*. Vivit *juſte* quoad proximum, ſervans illud 1. Theſſal. 4. *Nullius aliquid deſideretis*.

De deſiderio juſtorũ. De ſecundo deſiderii genere dicitur Prov. 11. *Deſiderium juſtorum omne bonum eſt*. Et iſtud deſiderium principaliter eſt voluntatis; ſed aliquando etiam ſenſualitatis, ut quum quis deſiderat aliqua corpori neceſſaria vel utilia, bono modo & fine. Deſiderant autem juſti præcipue tria, ſcilicet ſui juſtificationem & obeditionem: pſalm. 118. *Mandata tua deſiderabam*, ſcilicet implere. Item *concupivit anima mea deſiderare juſtificationes* &c. Secundo deſiderant proximi ædificationem & conſolationem: Rom. 1. *Deſidero vos videre, ut aliquid vobis impertiar gratiæ ſpiritualis*. Et ſic Chriſtus dixit: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum*, Luc. 22. Hoc enim deſideravit valde, & ideo deſideravit, quia agnus ille comeſtus, qui dicitur paſcha, ſignabat paſſionem, & ſacram communionem, quæ pro noſtri utilitate deſiderabat impleri. Tertio deſiderant Dei viſionem vel fruitionem: Iſai. 26. *Anima mea deſideravit te in nocte*, ideſt in vita præſenti &c. Philipp. 1. Apoſtolus: *Deſiderium*, inquit, *habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*.

De deſiderio beatorum. De tertio deſiderii genere dicit pſal. 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum*. Numquam impletur deſiderium alicujus, niſi ſit beatus. Hoc autem deſiderium eſt totaliter remotum a paſſione. Et quum deſiderium proprie importet & magnam aviditatem ad rem deſideratam propter complacentiam ad ipſam, & carentiam habitionis illius rei, ſicut quum quis deſiderat pecuniam vel alia; ipſam tunc non habet? in deſiderio beatorum eſt primum, ſcilicet quia non faſtidiunt æſtimationem illius boni, ſed habent ſummam aviditatem & complacentiam. Propter quod dicitur 1. Pet. 1. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. Sed ſecundum non eſt in deſiderio eorum; quia non carent, ſed quotidie poſſident illud bonum. Unde ad hoc bonum deſiderandum invitans ſapientia, quæ Deus eſt, ait Eccleſiaſtici 24. *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me*, ideſt deſideratis, *& a generationibus meis adimplemini*, ideſt a bonis, quæ genero, hoc eſt infundo creaturis, ſaturabimini, ſed ſine faſtidio. Unde ſubditur: *Qui edunt me*, ſcilicet poſſidendo vel fruendo per gloriam, *adhuc eſurient .... & qui elucidant me*, ideſt clare cognoſcunt; quod non fit, niſi in patria *vitam æternam habebunt*.

Abominatio quid ſit. Abominatio eſt quædam fuga & vitatio ejus, quod quis odit vel ei diſplicet. Sicut deſiderium eſt quidam motus concupiſcibilis tendens in rem amatam, quam præſentem non habet. Sunt autem quædam inter cetera, quæ faciunt hominem Deo abominabilem, & ideo vitanda. Et primum eſt in cogitationibus & affectibus immundialitas: Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea, quæ dilexerunt*. Secundum in propoſitis inſtabilitas. Unde in figuram Levit. 11. dicitur: *Omne, quod ſupra pectus ſuum graditur, & habet multos pedes .... abominabile erit vobis. Graditur ſupra pectus*, ſcilicet per terram, qui habet mentem fixam in terrenis. *Habet multos pedes*, qui diverſa propoſita habet, & non firmatur in eis, quum bona ſunt. Tertium perverſitas in judiciis: Prover. 17. *Qui condemnat juſtum, & juſtificat impium, uterque eſt abominabilis apud Deum*. Quartum in contractibus doloſitas: Proverbior. 20. *Pondus & pondus, menſura & menſura: utrumque abominabile eſt apud Deum*. Quintum conſuetudinis tenacitas: Jobi 15. *Abominabilis & inutilis, qui bibit quaſi aquam iniquitatem*. Aqua potus eſt conſuetudinarius; & ideo ſignat peccati conſuetudinem.

CAPUT V.

De quinta paſſione, quæ dicitur delectatio vel gaudium.

EST alia paſſio in appetitu ſenſitivo, quæ dicitur delectatio vel gaudium. Pro cujus declaratione ſciendum, quod iſta eſt differentia inter animalia & alias res materiales; quia aliæ res materiales, quando conſtituuntur in id, quod convenit eis ſecundum naturam, hoc non ſentiunt, ſed animalia hoc ſentiunt. Et ex iſto ſenſu cauſſatur quidam motus animæ in appetitu ſenſitivo, & hic motus eſt delectatio, quæ eſt paſſio. Delectationum autem quædam eſt corporalis, quæ ſcilicet conſequitur adeptionem eorum, quæ ad naturam corporis pertinent, ſicut ſunt cibi, potus, & venerea; & iſta eſt communis nobis & brutis. *Delectatio eſt duplex.* Alia ſpiritualis eſt, quæ conſequitur adeptionem eorum, quæ pertinent ad intellectum, & iſta eſt communis nobis & Angelis, & dicitur gaudium. Unde gaudium proprie eſt ſpecies delectationis. Et talis delectatio, quæ eſt in voluntate, non eſt cum tranſmutatione corporali, ſicut delectatio corporalis, & quælibet alia paſſio; ſed importat ſimplicem motum voluntatis,

tatis; unde dicit Auguſtinus in 14. de civ. Dei: Quid nil eſt aliud cupiditatis lætitia, quam voluntas in conſuetudine eorum, quæ volumus.

Error Epicuri circa delectationes.

§. I. Item circa delectationes fuit duplex error antiquorum. Nam Epicurei dixerunt omnes eſſe bonas. Sed in hoc decepti ſunt, quia non diſtinguebant inter ſimplex bonum, & bonum ſecundum quid. Quum ergo delectatio ſit quies; ſi id, in quo quieſcit appetitus, ſit ſimpliciter bonum, quia eſt ſecundum rationem; & illa delectatio eſt ſimpliciter bona. Sed ſi ſit bonum ſecundum quid, puta conveniens ſenſui, ſed contrarium rationi; erit delectatio bona ſecundum quid, ideſt ſenſui, ſed mala ſimpliciter, licet apparens bona, ut fornicatio.

Error Stoicorum.

Alii, ut Stoici, arbitrabantur eſſe dicendum omnes delectationes ſenſibiles eſſe malas, moti ex hoc, ut quia homines ſunt proni ad hujuſmodi delectationes immoderatas, ab ipſis ſe retrahentes ad medium virtutis pervenirent; ſed iſta æſtimatio non fuit conveniens. Nam quum nullus poſſit vivere ſine aliqua corporali delectatione, ſi illi, qui docent omnes delectationes eſſe malas, deprehendantur aliquas delectationes ſuſcipere, magis homines ad delectationes erunt proclives, exemplo operum, verborum doctrina prætermiſſa. In operationibus enim & paſſionibus humanis, in quibus experientia plurimum valet, magis movent exempla quam verba. Dicendum igitur, quod delectationum aliqua eſt bona, illa videlicet, in qua appetitus ſuperior vel interior requieſcit in eo, quod convenit rationi vel legi Dei, & quæ eſt de operatione bona. Magis enim eſt propinqua delectatio operationi, quam deſiderio. Deſiderium autem dicitur bonum, quod eſt de bona operatione.

Delectatio mala optima.

Alia delectatio eſt mala, illa videlicet, in qua appetitus inferior vel ſuperior requieſcit in eo, quod diſcordat a ratione vel a lege Dei, vel etiam quæ eſt de mala operatione. Optima autem delectatio inter humanas, eſt in fruitione Dei: nam optimum in unoquoque eſt finis ejus; finis autem eſt duplex, quia vel ipſa res vel uſus rei, ut finis avari eſt pecunia vel uſus pecuniæ. Ultimus autem finis hominis eſt Deus, qui eſt ſummum bonum, vel fruitio ejus, quæ importat delectationem quamdam in ultimo fine. Et in

Error Platonis.

hoc erravit Plato, qui quum æſtimaret omnem delectationem conſequi generationem & motum, quod tamen eſt falſum; ſequebatur ſecundum eum nullam delectationem habere rationem ultimæ perfectionis. Et nota quod delectatio non ſenſualis, quæ eſt communis bonis & malis, ſcilicet voluntatis, eſt quaſi regula & menſura bonitatis vel malitiæ moralis. Secundum enim quod quiſque delectatur ſecundum rationem, ſic deprehenditur bonus vel malus. Thomas 1. 2. quæſt. 34. Cauſſat autem delectatio iſtos effectus, dilatationem, deſiderium, aliquando etiam uſum rationis impedit, & delectationem perficit: vide declarationem notabilem 1. 2. quæſt. 33.

Unde cauſſatur delectatio.

§. II. Cauſſatur autem delectatio ab operatione, ſicut a propria & prima cauſſa. Nam quum ad delectationem duo concurrant, ſcilicet conſecutio boni convenientis, & cognitio hujuſmodi adeptionis, utrumque conſiſtit in quadam operatione. Nam actualis cognitio quædam operatio eſt: ſimiliter bonum conveniens adipiſcimur quadam operatione. Ipſa etiam operatio propria quoddam bonum conveniens eſt.

Item cauſſatur delectatio a motu propter tranſmutationem, quæ ibi fit. Et hoc tripliciter.

Primo ex parte noſtra, qui delectamur. Tranſmutatio enim efficitur nobis delectabilis propter hoc, quod natura noſtra tranſmutabilis eſt, & propter hoc, quia quod eſt nobis conveniens nunc, non erit nobis conveniens poſtea, ſicut calefieri ad ignem in hyeme, & poſtea in æſtate.

Secundo ex parte boni delectantis, quod conjungitur nobis. Nam actio continuata alicujus agentis auget effectum. Quanto enim quis diutius appropinquat igni, tanto magis calefit. Naturalis autem habitudo in quadam menſura conſiſtit; & ideo quando continuata præſentia delectabilis ſuperexcedit menſuram, remotio efficitur delectabilis.

Tertio ex parte ipſius cognitionis. Nam quum homo deſideret cognoſcere aliquid totum, & perfectum, quum aliqua non poterunt apprehendi tota ſimul, in his delectat tranſmutatio, ut unum tranſeat, & alterum ſuccedat, & ſic totum ſentiatur. Si autem ſit aliqua res, cujus natura ſit intranſmutabilis, & non poſſit in ea fieri exceſſus naturalis habitudinis per continuationem delectabilis, & quæ poſſit totum ſuum delectabile ſimul intueri, non erit ei tranſmutatio delectabilis. Et quanto aliquæ delectationes plus ad hoc accedunt, tanto plus continuari poſſunt.

Item cauſſatur delectatio ex ſpe, in quantum videlicet per eam fit conjunctio rei delectantis, & delectati, non ſolum ſecundum apprehenſionem, ſed etiam ſecundum facultatem vel poteſtatem adipiſcendi bonum, quod delectat, ad Rom. 12. *Spe gaudentes*.

Item memoria cauſſat delectationem, non quidem inquantum eſt rei abſentis, ſicut nec etiam ſpes, ſed inquantum per eam fit conjunctio ſecundum apprehenſionem tantum ad rem delectabilem. Pſal. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum*.

Item triſtitia non in quantum triſtitia, ſed in quantum facit memoriam rei dilectæ, ex cujus ſola apprehenſione delectatur, quamvis de ejus abſentia triſtetur: ſit etiam memoria triſtitiæ delectabilis propter ſubſequentem evaſionem. Nam ſecundum quod homo apprehendit ſe evaſiſſe triſtitia, & doloroſa, accreſcit ei materia gaudii: Pſal. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ*, &c. Per panem enim intelligitur refectio delectationis.

Operatio cauſſat delectationē tripliciter.

Item operatio aliorum cauſſat in nobis delectationem. Et hoc tripliciter. Primo in quantum per operationem alicujus conſequimur aliquod bonum. Secundo in quantum per operationes aliorum efficitur nobis aliqua cognitio, vel æſtimatio proprii boni. Et ſic ex laudatione vel honoratione aliorum, & dilectione, quæ fit nobis, delectamur. Tertio in quantum ipſæ operationes aliorum, ſi ſint bonæ, æſtimantur ut bonum proprium propter vim amoris, qui facit æſtimare quaſi amicum eumdem ſibi. Unde in 2. Epiſtola Joann. *Gavisus ſum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate*.

Item benefacere alteri cauſſat delectationem. Et hoc tripliciter. Uno modo per comparationem ad effectum, quod eſt bonum in altero conſtitutum, in quantum reputamus ut noſtrum. Secundo per comparationem ad finem, quia per hoc, quod alteri benefacit, ſperat conſequi aliquod bonum ſibi, vel a Deo vel ab homine; ſpes autem eſt cauſſa delectationis. Tertio modo per comparationem ad principium, quod principium eſt triplex. Unum eſt facultas benefaciendi. Nam per hoc fit quædam imaginatio abundantis boni in ſe, ex quo poſſit aliis communicare. Aliud pricipium eſt habitus inclinans, ſecundum quem benefacere fit alicui connaturale. Tertium eſt principium motium, ideſt amor; puta quum aliquis movetur ab aliquo, quem diligit, ad benefaciendum alicui.

Similitudo eſt cauſſa amoris.

Item ſimilitudo eſt cauſſa delectationis: nam ipſa eſt cauſſa amoris, qui cauſſat delectationem. Si autem ſimile ſit corruptivum proprii boni, quod poteſt eſſe per exceſſum, ſicut patet in ſuperabun-

dantibus cibis; sic generat fastidium, non delectationem.

Item admiratio causat delectationem. Est enim admiratio desiderium quoddam sciendi; quod in homine contingit ex hoc, quod videt effectum, & ignorat causam, vel ex hoc, quod causa talis effectus excedit cogitationem vel facultatem ejus; & ideo admiratio est causa delectationis, in quantum habet adjunctam spem consequendi cognitionem ejus, quod scire desiderat, & propter hoc omnia mirabilia sunt delectabilia. Et quum delectatio habeat duo, scilicet quietem in bono, & hujusmodi quietis perceptionem; quantum ad primum quum perfectius sit contemplari veritatem cognitam, quam inquirere ignotam; contemplationes rerum scitarum per se loquendo sunt magis delectabiles, quam inquisitiones rerum ignotarum. Quantum ad secundum inquisitiones sunt quandoque delectabiliores, secundum quod ex majori desiderio procedunt, unde homo maxime delectatur in his, quæ de novo invenit vel didicit. Hæc omnia Thom. 1. 2. quæst. 32.

Delectationes spirituales majores sunt corporalibus.

Et nota, quod delectationes spirituales intelligibiles, si comparentur delectationibus sensibilibus corporalibus simpliciter, & secundum se loquendo, sunt majores. Et hoc apparet secundum tria, quæ requiruntur ad delectationem, scilicet bonum conjunctum, & id, cui conjungitur, & ipsa conjunctio. Nam ipsum bonum spirituale est majus quam bonum corporale, & majus dilectum, cujus signum est, quod homines a maximis voluptatibus corporalibus se abstinent, ut non perdant honorem, qui est bonum intelligibile. Similiter ipsa pars intellectiva est nobilior, & magis cognoscitiva, quam sensitiva. Conjunctio autem utriusque est magis intima, & perfecta, & firma. Intimior quidem est, quia sensus sistit circa accidentia rei exteriora; intellectus vero penetrat usque ad rei essentiam. Perfectior est, quia conjunctioni sensibili rei ad sensum adjungitur motus, qui est actus imperfectus; unde delectationes sensibiles non sunt totæ simul, sed in eis aliquid transit, aliquid restat consummandum, ut patet in delectatione ciborum, & venereorum; sed intelligibilia conjunguntur intellectui absque; motu; unde delectationes eorum sunt totæ simul, & sic sunt magis perfectæ. Est etiam firmior, quia delectabilia corporalia sunt corruptibilia, & cito deficiunt; bona vero spiritualia sunt incorruptibilia.

Delectationes corporales sunt vehementiores spiritualibus.

Sed quoad nos delectationes corporales sunt magis vehementes spiritualibus propter tria. Primo, quia sensibilia sunt magis nota quoad nos. Secundo, quia quum delectationes corporales sint passiones appetitus sensitivi, sunt cum aliqua transmutatione corporali. Transmutatio autem est delectabilis homini quasi ei naturalis. Sed transmutatio corporalis non est in spiritualibus delectationibus, nisi per quamdam redundantiam ab appetitu superiori in inferiorem. Tertio, quia delectationes corporales appetuntur ut quædam medicinæ contra corporales defectus & molestias, ex quibus tristitiæ quædam consequuntur in homine. Unde delectationes corporales supervenientes hujusmodi tristitiis, magis sentiuntur, & per consequens magis acceptantur, quam delectationes spirituales, quæ non habent tristitias contrarias. Thom. 1. 2. quæst. 31.

De gaudio naturali & spirituali.

§. IV. De gaudio vario. *Gaudete in Domino semper*, ait Apostolus ad Phil. 4.

Notandum, quod gaudere naturaliter quilibet desiderat, sed est gaudium criminale quod congruit peccatoribus; & hoc est *gaudere*. Est gaudium spirituale, quod congruit justis viatoribus; & hoc est *gaudere in Domino*. Et est gaudium, quod congruit comprehensoribus, & hoc est *gaudere in Domino semper*. De his gaudiis variis notabilem distinctionem ponit Petrus de Tharantasio super Epistolam Pauli ad Phil. 4. circa finem sic dicens: Quidam gaudent in vanitate mundi. Alii in voluptate peccati. Tertii in voluntate boni. Quarti in visione Dei. Primum gaudium est periculosum & vanum, secundum pernicioſum & insanum, tertium gratiosum & bonum, quartum est gratiosum & verum.

De gaudio mundi.

Est ergo primo gaudium mundi, de quo Joann. 16. *Mundus gaudebit*. Hoc ostendunt non esse bonum quattuor. Primum falsitas casus. Merito timet & non gaudet, qui videt domum proximi comburi; ideo Hierem. 45. *Quos plantavi, ego evello*, ut Luciferum, Adam, Judam, & universam terram hanc, ut diluvio, & *tu quæris tibi grandia*. Hoc præcipue probat vanitatem gaudii, quod gaudemus in statu, in quo possumus damnari. Secundum ignorantiam status: merito dolet, & non gaudet viator, qui dubitat de rectitudine viæ. *Nemo* autem *scit, an amore vel odio dignus sit*, Ecclesiastes 9. & Tobiæ 5. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo*. Tertium est causæ gaudii transitus: plus dolet quam gaudeat pater videns filium nasci, & cras mori; sic & mundus transit, de quo gaudemus. Ideo Iobi 20. *Gaudium hypocritæ*, ideſt mundi, *ad instar puncti*. Quartum est multiplicitas reatus. Vane expendit superflua, qui * obligatur ad multa. *In multis enim offendimus omnes*, Jacobi 3. quod emendare tenemur luctu; ideo vane gaudemus. Isai. 22. *Vocavit Dominus ad fletum & planctum, ad calvitium .... & ecce gaudium & exsultatio*, &c.

* al. *caligatur*.

De gaudio peccati.

Secundo est gaudium peccati, de quo Ecclesiast. 19. *Qui gaudet iniquitate, denotabitur*, ideſt de nota libri vitæ delebitur. Quod gaudium ostendunt esse insanum quattuor, efficiens, materia, forma, & finis. Aliquando enim judicatur res vituperabilis ratione efficientis, ut dona iniquorum. Aliquando ratione materiæ, ut nummus plumbeus. Aliquando ratione formæ, ut homo monstruosus. Aliquando ratione finis, ut Syrenarum cantus. Sic gaudium peccatorum secundum quamlibet sui causam vituperabile, & insanum est. Et primo ratione efficientis, si laborans ad mortem rideret & gauderet, reputaretur freneticus. Peccans mortaliter laborat ad mortem animæ. Ecclesiastes 2. *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: Quid frustra deciperis?* Vere peccator decipitur per ignorantiam status. Quia si averteret peccati maculam, offensam & pœnam, fleret secundum illud Lucæ 19. *Quoniam si cognovisses & tu* &c. Secundo ratione materiæ fatuus reputaretur, qui ignem ad se comburendum, vel laqueum ad se suspendendum, vel gladium ad se interficiendum faceret scienter & gaudenter. Sic facit, qui gaudet in peccato; ideo Prov. 15. *Gaudium est stulto facere stultitiam*. Tertio ratione formæ. Fatua esset mulier, quæ coram marito suo ostenderet signa impudicitiæ suæ; sic fatui sunt, qui in choreis commessationibus & hujusmodi gaudent, qui in hoc culpam Deo & hominibus manifestant. Sic illi, de quibus Sap. 2. *Venite, fruamur bonis*, &c. Isaiæ 24. *Ingemuerunt omnes, qui lætabantur corde; cessavit gaudium*; ideo 1. Cor. 7. *Tempus breve est, reliquum est, ut... qui gaudent, sint tamquam non gaudentes*. Quarto ratione finis. Piscis sumens cibum cum hamo, avis granum cum laqueo, fatue gaudent, quia statim ex hoc sequitur dolor mortis. Si ergo motus recipit speciem a fine, cujus finis malus, & ipsum quoque malum. Finis gaudentium in peccato malus, quia Jobi 21. dicitur: *Tenent tympanum, & cytha-*

*cythara*m, *& gaudent*, &c. ſcabioſus dum fricat ſe, gaudet, ſed vertitur in anguſtiam. Sic hujus gaudium, Prov. 14. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii*, &c. Ideo peccatoribus gaudentibus dicitur Jacobi 4. *Miſeri eſtote, & lugete, riſus veſter*, &c.

De gaudio juſtorum.

Tertio eſt gaudium juſti, de quo Prov. 21. *Gaudium juſto eſt facere judicium* &c. Hoc gaudium oſtendunt gratioſum & bonum eſſe quattuor. Quia eſt de beneficiis Dei, de adverſitatibus mundi, & proſperitatibus proximi, ſtatus proprii.

Primo ergo eſt gaudium ſpirituale de beneficiis Dei. Sicut egeni merito gaudent de donis divitum, pſal. 125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion*, &c. *tunc repletum eſt gaudio*, &c. ergo gaudendum de incarnatione, ut infirmo de præparatione medicinæ, Hierem. 15. *Factum eſt mihi verbum tuum in gaudium*, quia *verbum caro factum eſt*, Joann. 1. Lucæ 1. *Ecce ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exſultavit infans in gaudio*, &c. De nativitate, ut infirmo de præſentia medici Lucæ 2. *Evangelizo vobis gaudium*, &c. De apparitione, ut cæco viſo lumine, Matth. 2. *Videntes ſtellam Magi gaviſi ſunt*, &c. de prædicatione & converſatione, ut diſcipulo de doctrina magiſtri, Joann. 3. *Amicus ſponſi .... gaudet*, &c. de victorioſa paſſione, ſicut viro de victoria pugilis ſui, Abacuch. 3. *Ego autem in Domino gaudebo*, &c. De ſacramentorum inſtitutione & virtute, ſicut ſanato de curatione, Iſai. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris*, ideſt ſacramentis. De glorioſa reſurrectione, ſicut ſervo de domini exaltatione, Joann. 20. *Gaviſi ſunt diſcipuli*, &c. de mirabili aſcenſione, ſicut catholico de interdicti amotione, Joann. 14. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem*.

Secundo gaudet juſtus de adverſitatibus mundi, ſicut mercator de mercimoniis lucroſis, Matth. 5. *Beati eſtis, quum maledixerint vobis homines*, &c. *Gaudete in illa die*, &c. Item ſicut debitor in debitis acquirendis, ſicut Chriſtus poſuit animam ſuam pro nobis, dignum eſt, ut nos pro eo patiamur, Act. 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu concilii*, &c. Item ſicut miles probus in torneamentis, quia ibi probatur & acquiritur gloria; ſic homo patiens in adverſis, Jacobi 1. *Omne gaudium exiſtimate*, &c.

Tertio debet juſtus gaudere de proſperitatibus proximi, ſicut unum membrum de ſalute alterius, Rom. 12. *Gaudere cum gaudentibus*; ideo Jobi 31. *Si gaviſus ſum ad ruinam ejus, qui me oderat*. Ergo gaudet juſtus & bene de peccantium pœnitentia, 2. ad Cor. 7. *Nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*. De ignorantium ſapientia Prov. 23. *Fili, ſi ſapiens fuerit animus tuus, tecum gaudebit cor meum*. De proficientium perſeverantia, in Canonica Joann. 2. *Gaviſus ſum valde, quia inveni de filiis tuis*, &c.

Quarto gaudet juſtus de ſtatu proprio, ſicut obſeſſus infirmitate caſtri in exſultatione & devotione adverſarii, Prov. 14. *Cor, quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus non miſcebitur extraneus*. Et ſic omne iſtud genus gaudii eſt ſanctum.

De gaudio beatorum.

Quarto & ultimo ſequitur gaudium paradiſi, de quo Matth. 25. *Euge ſerve bone & fidelis .... intra in gaudium Domini tui*. Hoc gaudium oſtendunt glorioſum quattuor. Primo aſpectus gratiſſimæ pulchritudinis: ſi delectabile eſt oculis videre ſolem ſive creaturarum pulchritudinem, quanto delectabilius erit videre pulchritudinem increatam. Ideo pſal. 20. *Lætificabis eos in gaudio cum vultu tuo*. Secundo amplexus ſummæ dulcedinis: ſi amplexus ſponſi delectat ſponſam, quanto plus amplexus Dei, qui eſt *ſplendor lucis æternæ*, delectat animam. Ideo Apoc. 19. *Gaudeamus, & exſultemus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni*, &c. Felix anima, quæ poteſt dicere: *Læva ejus ſub capite meo*, &c. Cant. 2. Tertio expulſio omnis inquietudinis. Si gaudet qui de uno ſtulto ſe liberat, quanto gaudebit, qui de omnibus ſtultis & ſtultitiis liberabitur? Iſaiæ 35. *Gaudium & lætitiam obtinebunt*, &c. Quarto obtentus æternus dictæ beatitudinis. Si quis gaudet de convivio, quod tamen non durat, niſi per dimidiam diem, quanto gaudebit de convivio æterno? Joann. 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis*. Hoc eſt plenum gaudium, de quo Joann. 16. *Petite, & accipietis*, &c. Felix triſtitia in labore præſentis pœnitentiæ, quæ in illud gaudium convertetur. Appetendum ergo eſt gaudium, ubi rationalis videbit pulchritudinem, concupiſcibilis amplexabitur ſummam dulcedinem, iraſcibilis tenebit totam quietem, totus homo æternam beatitudinem.

Felicitas patriæ.

CAPUT VI.

De ſexta paſſione, quæ dicitur dolor, ſive triſtitia.

§. I. SEquitur de paſſione, quæ dicitur dolor ſive triſtitia. De qua cum ceteris Auguſtinus de civ. Dei in 14. cap. 8. inducit illud Virgilii:

Hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque ....

Ad dolorē duo concurrunt.

Pro cujus declaratione ſciendum, quod ſicut ad delectationem duo requiruntur, ſcilicet conjunctio boni, & perceptio hujus conjunctionis; ita etiam ad dolorem duo requiruntur, ſcilicet conjunctio alicujus mali, quod ea ratione eſt malum, quia privat aliquod bonum, & præceptio hujus conjunctionis. Pertinet autem dolor ad appetitum; nam omnis motus appetitivus ſeu inclinatio conſequens apprehenſionem, pertinet ad appetitum intellectivum, vel ſenſitivum. Inclinatio enim appetitus naturalis non ſequitur apprehenſionem ipſius appetentis, ſed alterius. Quum igitur dolor ſicut delectatio præſupponat in eodem ſubjecto ſenſum vel apprehenſionem aliquam, manifeſtum eſt quod dolor eſt in appetitu ſenſitivo vel intellectivo. Et ſecundum quod eſt in appetitu ſenſitivo, propriiſſime dicitur paſſio. Quod autem Auguſtinus dicit, dolorem eſſe corporis, pro tanto dicitur, quia cauſſa doloris eſt in corpore; ſed motus doloris ſemper eſt in anima. Sicut autem gaudium eſt ſpecies delectationis, ita & triſtitia eſt ſpecies doloris. Et ſicut ſola illa delectatio, quæ ex interiori apprehenſione cauſſatur, gaudium nominatur, quæ autem ex exteriori apprehenſione cauſſatur, declaratio nominatur, non autem gaudium; ita ſolus ille dolor, qui ex interiori apprehenſione cauſſatur, nominatur triſtitia; qui autem ex exteriori dolor, non triſtitia nominatur. Et quia vis cognitiva interior, imaginatio, vel intellectus poteſt percipere præſens præteritum & futurum, ſenſus vero exterior non percipit niſi præſens; ideo triſtitia eſſe poteſt de præſenti præterito & futuro: ſed dolor corporalis, qui ſequitur apprehenſionem ſenſus exterioris, non poteſt eſſe niſi de præſenti. Naturaliter autem major eſt appetitus delectationis, quam fuga triſtitiæ. Cujus ratio eſt, quia cauſſa delectationis eſt bonum conveniens, cauſſa autem doloris vel triſtitiæ eſt aliquod malum repugnans. Contingit autem eſſe aliquod bonum conveniens abſque omni diſſonantia.

Cur magis triſtitiam fugiamus, quam delectationem quæramus.

Non autem poteſt eſſe aliquod malum totaliter repugnans abſque omni convenientia. Per accidens autem contingit, quod triſtitiam aliquis magis fugiat, quam delectationem appetat. Et hoc tripliciter. Primo ex parte apprehenſionis; quia, ut dicit Auguſtinus, amor magis ſentitur, quum eum prodit neceſſitas. Ex indigentia autem amati procedit triſtitia, quæ eſt ex amiſſione alicujus boni amati, vel incurſu alicujus mali contrarii. Delectatio autem non habet indigentiam boni amati, ſed quieſcit in eo jam adepto. Secundo ex parte cauſſæ triſtantis, ex eo ſcilicet quia eſt magis repugnans bono amato, & per conſequens majus malum, quam ſit bonum illud, in quo delectamur. Magis enim amamus conſiſtentiam corporis, quam delectationem cibi. Tertio ex parte effectus, quia triſtitia non impedit tantum unam delectationem, ſed omnes. Eſt autem dolor interior ſimpliciter loquendo potior quam exterior. Nam dolor interior eſt ex hoc, quod aliquid repugnat appetitui ipſi; dolor autem exterior ex hoc, quod repugnat appetitui, quia repugnat corpori. Quod autem eſt per ſe, eſt prius eo, quod eſt per aliud. Patet etiam hoc ex parte apprehenſionis. Nam apprehenſio imaginationis & rationis eſt altior, quam apprehenſio ſenſus tactus; & ſic potior eſt dolor interior exteriore. Cujus ſignum eſt, quod etiam dolores exteriores quis voluntarie ſuſcipit, ut evitet interiorem. Quandoque tamen dolor exterior eſt cum interiori, & tunc dolor augetur: quidquid enim ſenſu apprehenditur, poteſt apprehendi imaginatione & ratione, ſed non convertitur.

Dolor interior major eſt exteriori.

De ſpeciebus triſtitiæ.

Ponit autem Damaſcenus & Gregorius Nicænus quattuor ſpecies triſtitiæ: quum enim triſtitia ſit de malo, in quantum malum alterius æſtimatur ut ſuum; ſic eſt triſtitia miſericordiæ. In quantum apparens malum, ſed vere bonum æſtimatur, ut ſui bonum diminutivum; ſic eſt triſtitia invidiæ. In quantum vero malum ſic aggravat, ut non appareat aliquod refugium; ſic eſt anguſtia. In quantum autem ſic aggravat, ut etiam ipſa membra immobilitet; ſic eſt acidia. Eſt etiam & triſtitia pœnitentiæ, quæ eſt de malo proprio. Eſt autem triſtitia bona, quando eſt ſecundum rationem; mala vero quando eſt contra vel extra rationem. Thomas 1. 2. quæſt. 35. Cauſſat autem triſtitiam bonum amiſſum & magis malum conjunctum, ideſt præſens ſecundum ſenſum vel imaginationem patienti. Item concupiſcentia ſeu cupiditas cauſſat triſtitiam, in quantum ſcilicet retardatione boni cupiti, vel totali ſubtractione triſtamur. Item appetitus unitatis: unumquodque enim appetit unitatem, ſicut & bonitatem, quia bonum uniuſcujuſque conſiſtit in quadam unitate. Sicut ergo amor boni cauſſat dolorem modo dicto; ita & amor unitatis. Item poteſtas major, in quantum ſcilicet remanet appetitus in contrarium inclinans, cauſſat dolorem. Si enim non reſiſteret appetitus, ſed conſentiret, non cauſſaret dolorem.

Cauſſa triſtitiæ.

Ex triſtitia inordinata impeditur homo ab addiſcendo. Item ex ea aggravatur animus aſpirando ad evaſionem mali. Item debilitatur, vel etiam privatur ab operando. Item inter omnes paſſiones maxime nocet corpori, & hoc non ſolum per quantitatem exceſſivam, ſed etiam quantum ad ſpeciem ſui motus. Hæc Thomas 1. 2. quæſt. 37. In remedium (nota) triſtitiam habet mitigare quælibet delectatio, ſicut illi contraria. Item fletus mitigat triſtitiam, & hoc tum quia ad exteriora diffunditur, tum propter ipſam operationem fletus, quæ quum conveniat triſtato, efficitur delectabilis. Item dolor amici compatientis mitigat etiam triſtitiam; & hoc quia ei ſit imaginatio in contriſtato, quod alii cum ipſo ferant onus triſtitiæ. Tum quia ex hoc percipiunt contriſtati ſe amari, quod eſt delectabile. Item contemplatio veritatis mitigat triſtitiam, quia maximam delectationem cauſſat. Item ſomnus & balneum, & hoc quia reformant naturam corporalem in debitum ſtatum motionis vitalis. Thomas 1. 2. quæſt. 38.

Delectatio mitigat triſtitiam.

§. II. De multiplici triſtitia. Nota, quod ait Salvator diſcipulis: *Mulier quum parit, triſtitiam habet*, Joann. 16. Et iterum ibidem: *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. Et *mulier* quidem naturalis, ideſt femina, *triſtitiam habet* in partu humanali. *Mulier* carnalis, ideſt mala conſcientia, *triſtitiam habet* in partu criminali. Et *mulier* virtualis & intellectiva, *triſtitiam habet* in partu ſpirituali. Ubi ſciendum, quod ſunt ſeptem genera triſtitiæ.

Multiplex eſt triſtitia.

Prima mulier unam habet, ſecunda tria, & tertia tria in partibus ſuis.

Eſt igitur triſtitia paſſionis, & hæc moderanda.
Eſt triſtitia attædiationis, & hæc reſecanda.
Eſt triſtitia æmulationis, & hæc abdicanda.
Eſt triſtitia conturbationis, & hæc ſegreganda.
Eſt triſtitia miſerationis, & hæc procuranda.
Eſt triſtitia compunctionis, & hæc peramanda.
Eſt triſtitia devotionis, & hæc amplexanda.

De triſtitia in quantū eſt paſſio naturalis.

Quantum ad primum ſciendum, quod ſicut naturale eſt homini gaudere & delectari in præſentia rei amatæ, & in habitione rei convenientis naturæ, vel ſenſualitati, vel rationi; ita e contra naturale eſt triſtari de privatione rei amatæ, & de eo, quod moleſtat naturam, ſenſualitatem, aut rationem. Et quia frequenter contingit nos incidere in ea, quæ ſunt moleſta & nociva naturæ, vel ſenſualitati, vel rationi; ſicut infirmitates, famem, ſitim, frigus, vituperationes, injurias, pœnas & hujuſmodi; ideo frequenter triſtitia nos tangit, ſaltem ſecundum paſſionem. Et quia nullus eſt tam compoſitæ felicitatis, qui non aliqua ex parte cum ſua fortuna rixetur, ſecundum Boetium de philoſophica conſol. ideo nullus eſt, qui aliquando non contriſtetur. Verum quia ex naturalibus, ut dicit philoſophus, non ſumus laudabiles neque vituperabiles, nec meremur, nec demeremur; ideo ſiſtendo in ipſo primo motu paſſionis, & non ultra progrediendo, non eſt peccatum. Hanc & Chriſtus Jeſus habuit. Unde dixit diſcipulis, Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Hinc & Ambroſius: Suſcepit Dominus triſtitiam meam confidenter, triſtitiam nomino, qui crucem prædico. Dicitur autem triſtis ſecundum Ethymologiam quaſi triſtis ſtans, ut habetur in Catholicon, quia ipſa triſtitia terit, ideſt affligit & conſumit corpus; & ideo dicitur Prov. 25. *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ſic triſtitia nocet cordi viri*. Et adeo, quod Antiochus rex incidit in languorem præ triſtitia, & dixit ſuis: *Pereo triſtitia magna in terra aliena*, 1. Machab. 6. quod & multis aliis contingit; & ideo moderanda eſt iſta triſtitia, & refrænanda, orando & conformando ſe in omnibus voluntati divinæ, ſine cujus beneplacito adverſa pati non poſſumus, ſicut ipſe Jeſus contriſtatus docuit nos exemplo ſuo prolixius orans & dicens: *Non mea voluntas, ſed tua fiat*, Luc. 22. Et ut dicitur in 3. Sententiarum, triſtitia fuit in eo ſecundum propaſſionem, non ſecundum paſſionem, ideſt tali modo, quod ex illa triſtitia in nullo obſcurata eſt ratio, nec ab aliquo bono per eam vel in momento ſe ſubtraxit. In nobis autem ſecundum paſſionem, ideſt taliter, quod aliquantulum obtenebrat intellectum, & debilitat affectum. *Mulier* ergo *quum parit* ad litteram, *triſtitiam*

Quomodo moderāda.

Quatenus fuit in Chriſto.

ſtitiam habet ex afflictione. Unde primæ mulieri in perſona omnium dictum fuit (excepta Virgine Maria, quæ ſine dolore peperit) *In dolore paries filios*, Gen. 3. Dolor comprehendit triſtitiam; ſic & quælibet anima in operando multa afflictiva; ſed *triſtitia vertetur in gaudium*, 1. Petr. 2. *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Deum quis ſuſtinet triſtitias*: gratia autem ducit ad gloriam.

De triſtitia attædiationis.

Secunda eſt triſtitia attædiationis, quum quis ſcilicet contriſtatur in operibus vel de operibus bonis, ad quæ tenetur ratione laboris exiſtentis in eis, ut in orando, dicendo officium, jejunando, confitendo & hujuſmodi. Unde Damaſcenus diffiniens acidiam, quæ importat tædium operandi, dicit, quod acidia eſt triſtitia aggravans animum, ut nil ei libeat facere. Iſta triſtitia devicti filii Iſrael, quum ambulabant per deſertum, ut venirent ad terram promiſſionis, cœperunt habere tædium laboris, & habere in nauſeam ſuavem cibum mannæ, ſed mortui ſunt plurimi, Num. 21. Sic preſſi triſtitia acidiæ faſtidiunt bona ſpiritualia, qui etſi in principio videantur laborioſa, tamen ſunt vere ſuavia. Et ſicut illi, contemto ſuaviſſimo illo cibo, quæſierunt viliſſimos cibos ita accidit acidioſis. Nam quum non diu quis in triſtitia manere poſſit, ut eam expellat, neſciens ſe convertere ad bona ſpiritualia, quæ etſi in principio videantur laborioſa, tamen ſuavia multum ſentiuntur; tradit ſe ad mundana carnalia viliſſima, ut eorum delectatione abjiciat triſtitiam. Propterea dicit Sapiens Eccleſiaſtici 30. *Triſtitiam longe repelle a te; multos enim occidit triſtitia*, ſaltem ſpiritualiter. Sic Dominus Jeſus ſurgens ab oratione, quum inveniſſet diſcipulos dormientes præ triſtitia, ut dicitur Matth. 26. excitavit ad orationem: & quia non ſe juverunt ad laborandum in oratione, inciderunt quam cito in mortem infidelitatis circa divinitatem Chriſti. Sed & quum Chriſtus dixit cuidam adoleſcenti quærenti viam ſalutis & perfectionis: *Si vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus .... & ſequere me. Quum ille hoc audiſſet, abiit triſtis*, Matth. 19. quia dives erat. Ideo videbatur ſibi nimis difficile relinquere ſubſtantiam. *Mulier* ergo, ideſt ſenſualitas, *quum parit* faciendo opera peccatorum ad ſe delectandum, ut vitet triſtitiam, *triſtitiam habet* incurrendo labores & dolores in eis, & remorſum conſcientiæ ſuſtinet, qui generat non parvam triſtitiam. Unde dicit philoſophus, quod omnis malus impletur pœnitudine, ſcilicet poſt malum commiſſum. Et de hujus partu criminali dicit Jacobus in canonica, Jac. 1. *Concupiſcentia, quum conceperit*, ſcilicet malum deſiderium, *parit peccatum: peccatum, quum conſumatum fuerit, generat mortem*, ſcilicet æternam.

Triſtis nemo poteſt eſſe diu.

De triſtitia æmulationis.

Tertia eſt triſtitia æmulationis, ſcilicet quum quis triſtatur de bono alterius, quod aliquando pertinet ad invidiam, aliquando ad neemeſim ſecundum philoſophum. Quum qui triſtatur de bono proximi temporali vel ſpirituali, in quantum bonum ipſum proximi apprehenditur ut diminutivum ſui honoris & gloriæ, ſecundum judicium ſuum, licet falſum ſit; ſic triſtitia eſt invidia. Unde Damaſcenus dicit, quod invidia eſt triſtitia de bono alieno. Et quia contra caritatem proximi eſt, propter quod dicit Apoſtolus 1. ad Cor. 13. quod *caritas non æmulatur*, ideſt non invidet, ſicut nec frigefacit ignis; ideo Apoſtolus admonet ipſam abdicandam dicens, Rom. 13. *Non in contentione & æmulatione*, ideſt invidiæ & triſtitiæ converſemini. *Omnis* enim *plaga*, ideſt invidia, Eccleſiaſtici 25. *triſtitia cordis eſt*. Vulnerat enim animam & corpus; unde Seneca: Utinam oculi invidorum in omnibus civitatibus invenirentur, ut de omni felicitate torquerentur. Eſt & alia triſtitia, qua quis triſtatur de bono alterius temporali, in quantum ſibi videtur eo indignus, ſicut quum quis triſtatur aliquem malum honorari, dignitate ſublimari, divitias habere & hujuſmodi. Sed quum divina providentia iſta diſponantur, quæ cuncta certiſſime diſpenſat; non debet aliquis de hujuſmodi contriſtari. Aliquando enim talia Deus concedit malis, ut conſiderata Dei benignitate erga ſe, revertantur a viis ſuis peſſimis, vel ſi non ſe emendant, ad remunerandum bona, quæ hic faciunt. Et ita ſunt hujuſmodi parva & tranſitoria, quod non debeant boni curare, & contriſtari his carere. Unde pſal. 36. *Noli æmulari in malignantibus*, ſcilicet ſi videris eos proſperitatem habere; & hoc ideo, quoniam ut ſubditur: *Tamquam fœnum velociter areſcent*, &c. *Mulier* ergo, ideſt anima vivens ſecundum ſenſualitatem, *quum parit* opera, ſcilicet æmulationis, *triſtitiam habet*, ideſt afflictionem de ipſa ſua invidia. Et quum peperit, non utique triſtitia ſua convertitur in gaudium; & hoc ideo, quia non peperit maſculum, ideſt opus virtuoſum, ſed feminam, ideſt opus vitioſum fecit; & ſic triſtitiam ſuper triſtitiam habet, Eccleſiaſtici 37. *Nonne triſtitia ineſt uſque ad mortem*, ſcilicet inferni, ubi eſt ſumma triſtitia?

De triſtitia turbationis.

Quarta triſtitia eſt turbationis, ſcilicet quum quis ex adverſitate vel injuria recepta triſtatur multum circa ipſam, ita quod exinde turbatur; non quod triſtitia ſit ira, ſed ex ipſa cauſſatur, niſi quis cito abjiciat eam. Et de hoc poteſt intelligi illud Eccleſiaſtici 14. *Felix, qui non habuit animi ſui triſtitiam*, ſcilicet perturbationis. Et propterea dicit Hieronymus: *Iram vince patientia ..... nec mens tua vagetur variis perturbationibus, quæ ſi pectori tuo inſederint, dominabuntur tui*: & can. *De conſecrat.* Diſt. 5. *Numquam*. Signanter autem dicit: *Iram vince patientia*, quia primum, quod occurrit menti, quando adverſa & injurias ſuſtinet, eſt triſtitia & dejectio quædam animi, quia videtur ſibi indigna pati; & tali triſtitiæ opponitur patientia, & eam expellit ut ſuum contrarium. Et quia ex illa triſtitia poſt eam cauſſatur ira; ideo per patientiam vincitur ira, quia remota cauſſa, removetur effectus. Hanc autem triſtitiam perturbationis, etſi haberi non debet in animo, quia vitioſa; tamen oſtendi debet in actu extrinſeco ad correctionem aliorum. Dicitur enim Eccleſiaſtes 7. *Per triſtitiam vultus corrigitur animus delinquentis*. Quum reprehendendo quis exhibet faciem triſtem & turbulentam, is, qui corrigitur, comprehendit illi, qui reprehendit, multum diſplicere talem defectum; & ſic magis datur ſibi occaſio emendandi. Et Proverb. 25. dicitur: *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Sic legimus de B. Auguſtino, quod ſi in menſa aliquis cœpiſſet detrahere, oſtendebat ſe triſtem & turbatum, adeo quod dicebat obloquentibus:

Si quis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam indignam noverit eſſe ſibi.

De triſtitia miſerationis.

Quinta triſtitia eſt miſerationis, quum ſcilicet quis videns miſerias proximorum corporales vel ſpirituales contriſtatur. Unde Auguſtinus dicit in lib. de civit. Dei, quod miſericordia eſt alienæ miſeriæ noſtra in corde compaſſio. Hanc habebat Apoſtolus, quum dicebat ad Rom. 9. *Triſtitia mihi eſt magna, & continuus dolor cordi meo.* Hanc & Salvator habuit, quando *videns civitatem*, ſcilicet Hieroſolymam, *flevit ſuper illam*,

ut

ut habetur Luc. 19. Compatiebatur enim perditioni illorum, & propter magnas tribulationes, quas debebant ſuſtinere tempore obſidionis futuræ ſub Tito & Veſpaſiano, quam expreſſit ipſe. Hanc etiam oſtendit, quando de morte Lazari *lacrymatus eſt*, Joann. 11. ex compaſſione ſororum ejus, vel potius ex compaſſione ad animam Lazari, quæ revocabatur ad miſerias hujus vitæ, ut dicitur 13. quæſt. 2. *Qui divina*. Et quanto quis habet majorem caritatem, tanto magis habet hanc triſtitiam; nam miſericordia effectus eſt caritatis. Unde de B. Dominico legitur, quod miſeratio, quæ cum eo ab infantia creverat, nullius aſpectæ afflictionis ſinebat eum non eſſe participem; propter quod bis voluit in ſervum venumdari, ad redimendum filium cujuſdam viduæ ab infidelibus captum, quum mater illius ſubſidium ab eo poſtularet, & altera vice ad ſubveniendum neceſſitati quorumdam nobilium. Compati autem debet quilibet præcipue crucifixo. Nam ſecundum Apoſtolum 2. ad Timoth. 2. *Si compatimur, & conregnabimus*. Quis enim tam duri cordis eſt, qui ſi videat dominum ſuum optimum, patrem amantiſſimum, benefactorem largiſſimum, aſperrima tolerare, & pro ſui utilitate, non compatiatur, non contriſtetur & multum; quanto magis &c.

Triſtitia compunctionis.

Sexta triſtitia eſt compunctionis, quum ſcilicet quis triſtatur & dolet de peccatis commiſſis, de qua dicit Apoſtolus 2. ad Cor. 7. *Triſtitia, quæ ſecundum Deum eſt, ſalutem operatur*. Et loquitur, ut ex præcedentibus patet, de triſtitia pœnitentiæ & compunctionis. Et quia nil utilius ad ſalutem & purgationem peccatorum ex parte noſtra triſtitia & dolore pœnitentiæ veræ; ideo amanda eſt & procuranda. Unde dicitur Eccleſiaſtes 7. *Cor ſapientum, ubi triſtitia eſt*. Petrus Apoſtolus, quia *flevit amare*, ideſt cum magna triſtitia peccatum ſuum, inde percepit remiſſionem, Matth. 26. Maria Magdalena, quia contriſtata eſt valde de peccatis ſuis, ita ut lacrymis ſuis lavaret pedes Salvatoris, meruit audire: *Remittuntur tibi peccata tua*, Luc. 7. Et quanto quis plus triſtatur de peccatis, cum ſpe tamen remiſſionis ex divina miſericordia, plus recipit mundationis. Et triſtitia quidem ſecundum rationem, quæ non eſt aliud, niſi quædam diſplicentia voluntatis, & deteſtatio de peccato, in quantum ſunt offenſa Dei, nimia eſſe non poteſt. Et ratio eſt ſecundum B. Thomam, quia amor Dei, unde illa procedit, non poteſt eſſe nimius. Sed triſtitia, quæ eſt in parte ſenſitiva, & eam affligit ſenſibiliter, illa poteſt excedere, ſicut & alia afflictiva corporis, ut jejunium, vigilia, diſciplina, & hujuſmodi; & ideo oportet illam moderari. Cavenda eſt autem triſtitia hypocritarum, qua exterminant facies ſuas propter mundi gloriam, ut laudentur; propter quod Salvator ait: *Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes*, Matthæi 6.

Triſtitia hypocritarum.

De triſtitia devotionis.

Septima triſtitia devotionis, dum ſcilicet contriſtatur ex dilatione patriæ ſupernæ, conſiderans felicitatem & ſecuritatem illius, & pericula vitæ præſentis. De hac pſal. 41. *Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me?* Sed aſſignatur ratio ſupra, ibi: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*. Ecce triſtitia. Et ſubdit cauſſam: *Dum dicitur mihi quotidie: ubi eſt Deus tuus?* ideſt ex dilectione gloriæ. Hæc procedunt ex magna caritate, & ipſam nutriunt, & animam ſanant, ſed non reperiuntur niſi ex magna conſequeſtratione a tumultu hominum & cogitationum. Et in hujus figuram legitur, quod Anan *invenit aquas calidas*, ideſt balneares in ſolitudine, Geneſ. 36. Aquæ calidæ ſunt lacrymæ devotionis, quæ ſolitarius invenit.

CAPUT VII.

De ſeptima paſſione, quæ dicitur ſpes.

Conditiones objecti ſpei.

§. I. PAſſionum autem iraſcibilis prima eſt ſpes. Circa objectum autem ſpei, ideſt id, in quod tendit motus ſpei, quattuor conſiderantur conditiones. Primo quidem, quod ſit bonum. Non enim proprie loquendo eſt ſpes, niſi de bono; & per hoc differt ſpes a timore, qui eſt de malo. Secundo ut ſit futurum. Non enim eſt ſpes de præſenti habito; & per hoc differt ſpes a gaudio, quod eſt de præſenti. Tertio requiritur, quod ſit aliquod arduum cum difficultate adipiſcibili. Non enim dicitur quis ſperare aliquod minimum, quod eſt ſtatim in ſua poteſtate, ut habeat; & per hoc differt ſpes a concupiſcentia ſeu deſiderio, quæ eſt de bono futuro abſolute, unde pertinet ad concupiſcibilem, ſpes ad iraſcibilem. Quarto, quod illud arduum ſit poſſibile adipiſci. Non enim aliquis deſiderat id, quod omnino adipiſci non poteſt; & per hoc differt ſpes a deſperatione. Præſupponit autem deſiderium, ſicut & omnes paſſiones iraſcibilis, præſupponunt paſſiones concupiſcibilis. Quum autem motus ſpei importet quamdam extenſionem appetitus in id, quod ei repræſentat vis cognoſcitiva ut bonum arduum & adipiſcibile; ideo ſpes pertinet ad appetitum. In hoc enim videtur differre vis, ideſt potentia appetitiva a potentia cognoſcitiva, quia appetitiva perficitur per extenſionem ad res deſideratas; ſed cognoſcitiva per receptionem rerum cognitarum in cognoſcente, ſcilicet per ſuas ſimilitudines.

Experientia eſt cauſſa ſpei dupliciter.

Eſt autem cauſſa ſpei experientia. Et hoc dupliciter. Primo quia per experientiam homo acquirit facultatem de facili aliquid faciendi, ex quo ſequitur ſpes. Secundo quia per experientiam fit homini æſtimatio, quod aliquid ſit ſibi poſſibile, quod impoſſibile ante experientiam reputabat; ſed per hunc ſecundum modum eſt etiam cauſſa defectus ſpei.

Juventus eſt cauſſa ſpei.

Item juventus cauſſa ſpei eſt; & hoc propter tria, quæ accipiuntur ſecundum conditiones boni, quod eſt objectum ſpei, ſcilicet arduum, futurum, & adipiſcibile. Juvenes habent multum de futuro, & parum de præſenti; & ideo, quia memoria eſt præteriti, ſpes futuri, parum habent de memoria, & multum vivunt in ſpe. Juvenes etiam propter caliditatem habent multos ſpiritus, & ita in eis cor ampliatur. Ex amplitudine autem cordis eſt, quod aliquis tendat in arduum; & ideo juvenes ſunt animoſi & bonæ ſpei. Juvenes etiam, quia non ſunt paſſi repulſam, nec multa impedimenta in ſuis conatibus experti, de facili reputant aliquid poſſibile adipiſci. Et ſic propter inexperientiam, & contraria, quæ non ſunt paſſi in ſuis operibus, ſunt bonæ ſpei.

Ebrietas cauſſat ſpem.

Ebrietas cauſſat ſpem propter caliditatem cordis ex vino, & inconſiderationem periculorum; fatuitas vero tantum propter inconſiderationem.

Spes dupliciter ſe habet ad amorem.

Effectus ſpei eſt amor. Sciendum tamen, quod ſpes & eſt cauſſa, & eſt effectus amoris ſecundum diverſos reſpectus. In quantum enim ſpes reſpicit bonum ſperatum, ſpes ex amore cauſſatur. Non enim eſt ſpes, niſi de bono deſiderato & amato. In quantum vero ſpes reſpicit id, per quod fit nobis poſſibile aliquid; ſic amor cauſſatur ex ſpe, & non e converſo. Ex hoc enim, quod per aliquem ſperamus nobis provenire bona poſſe, movemur in ipſum ſicut in bonum noſtrum, & ſic incipimus amare eum. Item ſpes adjuvat ope-

operationem. Et hoc dupliciter, ſcilicet & ratione objecti, quod eſt arduum poſſibile; arduum autem excitat attentionem: & ratione effectus, quia ſcilicet cauſſat delectationem; delectatio autem adjuvat operationem. Thom. 1. 2. quæſt. 40.

De ſpe naturali.

§. II. Triplex autem eſt ſpes, videlicet naturalis, virtualis, & criminalis. Spes naturalis eſt quædam paſſio; unde & philoſophus dicit, quod juvenes ſunt magnæ ſpei. Hæc eſt communis nobis & brutis. Per experientiam enim videmus, quod canis movetur ad inſequendum leporem, & accipiter avem & hujuſmodi; quod non faceret, niſi quia ſperat aſſequi. Eſt autem hæc paſſio in vi iraſcibili, quæ eſt etiam in brutis, ſecundum Thomam in 3. Sentent. Diſt. 27. Quum enim omnis paſſio ſit in concupiſcibili vel iraſcibili, B omnis illa paſſio, de cujus intellectu eſt appetitus in bonum, vel conveniens ſimpliciter, eſt in concupiſcibili, ſicut amor, delectatio, & hujuſmodi, & oppoſita horum. Omnis autem illa paſſio, de cujus intellectu eſt motus in bonum cum circumſtantia difficultatis, eſt in iraſcibili. Et hujuſmodi ſunt omnia illa, quæ important bonum vel malum, cum denominatione alicujus quantitatis, ſicut ira, quæ exſurgit ex magna læſione, quam quis poteſt vindicare, ſed non in promtu. Timor non eſt de quolibet malo, ſed de magno, cui non poteſt reſiſti vel difficulter. Spes importat motum appetitus ad aliquod bonum commenſuratum appetenti. Non enim eſt de bono & tanto, ad quod modo nullo poteſt perveniri, nec tamen de tam parvo, quod pro nullo habeatur; ſed de eo, quod eſt difficile haberi, & tamen poteſt haberi, propter quod dicitur arduum. Et ſic arduum addit quamdam ſpecialem rationem bonitatis, ſcilicet pretioſitatem quamdam ex hoc ipſo, quod non de facili poteſt haberi, ſicut dicitur eſſe rarum carum. Differt autem in hoc ab audacia, quia audacia importat extenſionem appetitus in aliquod arduum malum, ut repellatur. Spes autem extenſionem appetitus in arduum bonum, ut acquiratur: ſed quia de ſpe, ut eſt paſſio, dictum eſt ſupra; ideo non hic aliud de ea. Naturalia tantum non ſunt nec vitia nec virtutes,

De ſpe virtuali.

Spes virtualis eſt virtus theologica, de qua pſal. D 70. *Tu es, Domine, ſpes mea*, & eſt ibi prædicatio per cauſſam, ideſt tu es cauſſa ſpei meæ. Ubi etiam ſciendum ſecundum Thomam in 3. Sent. Diſt. 2. quod ſpes ultra acceptionem prædictam, ſcilicet pro paſſione, ſecundum quod ſumitur in bonum, accipitur quadrupliciter. Uno modo, prout nominat habitum inclinantem ad actum voluntatis ſimilem actui ſpei, quæ eſt paſſio partis ſenſitivæ, ut ibi 1. Cor. 13. *Nunc manent fides, ſpes, caritas*. Secundo modo, prout nominat actum procedentem a tali habitu, & ſic eſt actus virtutis, ut ibi in pſal. 59. *Mohab olla ſpei meæ. Mohab* ſignificat malos, qui ſunt *olla* facientes ſua perſecutione ferveſcere & coquere, ideſt perficere ſpem noſtram. Tertio modo, prout nominat rem ſperatam; & ſic eſt objectum virtutis, ut ad Tytum 2. *Exſpectantes beatam ſpem*, ideſt viſionem beatam ſperatam. Quarto modo, prout nominat certitudinem, quæ ſequitur ſpem, ut ibi ad Rom. 5. *Probatio vero ſpem*, ideſt ſpei certitudinem; & ſic nominat ſtatum perfectionis in virtute quantum ad certitudinis intentionem. Eſt etiam ſciendum, quod ſpes, quæ eſt virtus, non opponitur timori, qui eſt donum, quamvis illa de bono futuro, iſte de malo futuro. Et ratio eſt, quia ſpes ſe extendit in Deum ex conſideratione divinæ largitatis. Timor vero dicit reſilitionem ex conſi-

Theologica.

Spes ſumitur quadrupliciter.

A deratione propriæ pravitatis; & ita non eſt ſecundum idem reſilitio timoris, & extenſio ſpei; unde non ſunt contraria, quum contraria ſint ſecundum idem.

De ſpe criminali.

Spes criminalis ſolo nomine & improprie dicitur ſpes propter aliquam apparentem ſimilitudinem, quam habet cum ipſa, de qua dicitur in pſal. 61. *Nolite ſperare in iniquitate*. Et in Evangelio, Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Nam talis ſpes, quæ improprie & large dicitur ſpes, in mutuo inducit uſuram, extra *De uſur.* cap. *Conſuluit*. Quod intelligitur, quando talis ſpes eſt cauſſa [1] principalis mutui. De iſta materia plene in 2. parte tit. 1. cap. 7. Et dicitur ſpes ſecundum Ethymologiam quaſi pes progrediendi ad ardua, ut dicitur in Catholicon.

Triplex eſt vana confidentia.

Secundum iſtam largam acceptionem ſpei, ſcilicet in malum, nota ſecundum Guillelmum in ſumma virtutum, quod ipſa eſt triplex. Prima eſt confidentia de ſeipſo. Secunda eſt confidentia de alio. Tertia eſt confidentia de aliquo vano. De prima dicitur Proverbiorum 28. *Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt*. Vere autem ſtultus eſt confidens de ſe, quæ proprie loquendo præſumtio eſt. Nam homo non eſt ſufficiens ex ſe, nec ad ſubſiſtendum nec ad defendendum ſe, nec ad merendum, eo quod homo nec aliqua alia creatura ſit ſufficiens ad ſubſiſtendum ex ſe, ut oſtendit Gregorius dicens: Eſſe omnium, quæ de nihilo facta ſunt, in nihilum retenderet C niſi ea omnium auctor manu regiminis retineret. Secundo non eſt ſufficiens defendere ſe ab hoſtibus ſuis, immo a dæmonibus cito perimeretur, niſi a Deo protegeretur: Thren. 3. *Miſericordiæ ejus, quod non ſumus conſumti*.

Tertio eſt inſufficiens ad merendum, quia nec ex ſe ſufficit bonam vitam inchoare, 2. Corinth. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis*. Cogitatio autem primum opus videtur eſſe. Poteſt homo ſe perimere, ſed non ſe reſuſcitare, Oſææ 13. *Perditio tua ex te, Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*. Item eſt inſufficiens in bono inchoato perſeverare. Gregorius: Cito bonum amittitur, niſi a largiente cuſtodiatur. Eſt etiam inſufficiens in bono proficere, pſal. 83. *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones* &c.

Confidentia in homine fallax.

Confidentia ſeu ſpes in homine eſt fallax, & confundens hominem: Iſaiæ 20. *Confundentur ab Æthiopia ſpe ſua, & ab Ægypto gloria ſua*. Et confidunt homines in altero aliquando ratione poteſtatis. Sed dicitur his, Iſai. 31. *Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium in equis ſperantes*, ſequitur ibidem: *Et non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael* &c. Aliquando ratione conſanguinitatis, ſecundum quod dicitur Hier. 17. *Maledictus vir, qui confidit in homine, & ponit carnem*, ideſt parentelam, *brachium ſuum*, ideſt robur ſuum. Aliquando ratione malitiæ & iniquitatis, pſal. 61. *Nolite ſperare in iniquitate* per aſtutias hominum, putantes obtinere, quæ volunt.

Confidentia in re vana eſt confidere in vita temporali, quæ brevis & momentanea eſt. Sap. 5. *Spes impii quaſi lanugo, quæ a vento tollitur*: vel confidere in divitiis: 1. ad Timoth. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo*: vel confidere in fama & opinione hominum. Jobi 8. *Spes hypocritæ peribit*. Quid enim hypocrita in cunctis ſuis operibus ſperat, niſi honoris reverentiam, gloriam laudis, a melioribus metui, ſanctus ab hominibus vocari. Sed *peribit* iſta *ſpes*, quia æternitatem non quærens fugit,

Spes hypocritæ.

quod

1 Vide Prælect. 11. in ſecundam partem §. 4. n. 3. pag. xxix.

quod tenet, quia ejus intentio in illa gloria non figitur, quæ ſine fine poſſidetur. Job. 8. *Sicut telæ aranearum fiducia ejus*, ſcilicet hypocritæ. Omnis ergo iſta mala improprie dicta ſpes abjicienda eſt.

CAPUT VIII.

De octava paſſione, quæ dicitur deſperatio.

DEſperatio eſt paſſio contraria ſpei. Sicut enim ſpes importat quemdam acceſſum: tendit enim ſperans in objectum, ideſt rem ſperatam, quæ eſt bonum arduum, quod habet rationem attractivi prout eſt cum poſſibilitate adipiſcendi; ſic deſperatio importat quemdam receſſum: nam deſperans diſcedit a bono arduo, non quia non deſideret, ſed quia conſiderat illud cum impoſſibilitate obtinendi; & ideo habet rationem retractivi.

Deſperatio non ſemper capitur in malâ parte.

§. I. De deſperatione quamvis ipſa ſonet in vitium, tamen aliquando ſine peccato eſt, quum ſcilicet eſt ſolum ſecundum motum paſſionis primum, ut quum quis videns ſe in periculis maximis maris, vel invaſionis ſibi factæ, vel infirmitatis graviſſimæ, deſperat evadere mortem, nihil tamen inconveniens agit propter hoc: paſſionibus enim puris nec meremur, nec demeremur. Aliquando eſt meritoria ratione adjunctæ humilitatis, puta quum quis vocatus vel miſſus ad aliquod officium vel exercitium magnæ importantiæ, deſperans de aptitudine ſua & idoneitate ad illud, humiliter recuſat & refugit, non tamen animo obſtinato. Sic Moyſes deſperans ſe eſſe aptum ad loquendum Pharaoni, & educendum populum de Ægypto propter impeditiorem linguam recuſavit ire, niſi cum ſocio, ſcilicet Aaron eloquenti, Exodi 4. Et Saul, audito quod deberet rex fieri ſuper Iſrael, ſe abſcondit in domo, reputans ſe omnino indignum, 1. Reg. 10. Et Gregorius fugit deſperans ſe apte papatum rectorum. Aliquando eſt vitioſa & condemnatoria, ut quum quis deſperat de remiſſione peccati & ſalute, vel receptione auxilii a Deo in ſuis indigentiis.

Septem poſſunt eſſe cauſſæ deſperationis.

Hujus autem deſperationis ſeptem poſſunt eſſe cauſſæ ſecundum Mauritium de diſtinctionibus. Et prima eſt ex confuſione, quam habet quis de peccati ſui publicatione. Confunditur quis ex hoc aliquando, ut intret deſperationem, & effrænis peccet, ex quo videt ſe famam amiſiſſe. Et propter hoc præcipitur a Chriſto, ut quum peccatum alicujus eſt occultum, occulte corrigatur, non palam, ne amiſſo pudore ex ipſius manifeſtatione, qui eum retinebat, frequenter ſine fræno recidivet, Hierem. 2. *Deſperavi, nequaquam faciam*, dicebat populus Judæorum, ſcilicet ultra quod Dominus jubet. Et quaſi aſſignans cauſſam hujus deſperationis ſubdit: *Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, ſic confuſa eſt domus Iſrael.* Confuſio furis deprehenſi in furto, deſignat confuſionem animi ex publicatione ſui peccati. Sed ut dicitur Eccleſiaſtici 20. *Eſt, qui præ confuſione perdit animam.* Et ideo non debet propter hoc quis deſperare, ſed conſiderare confuſionem immenſam, quam habebit in finali judicio, quando publicabuntur omnia ſcelera ſua coram toto mundo, Hierem. 20. *Confundentur vehementer*, tunc ſcilicet, *quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod numquam delebitur*, & ex hac conſideratione ceſſare a malis, & ſperare Dei adjutorium & famæ recuperationem, quæ utique recuperatur per pœnitentiam & bonam vitam, ut patet ex Magdalena & Paullo.

Secunda cauſſa deſperationis eſt ex peccatorum commiſſa multiplicitate. De quibus poteſt intelligi illud Epheſ. 4. *Deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis.* Sed ſicut incedens per viam lutoſam, & frequentiſſime cadens in cænum, non tamen ibi ſe firmat, ſed reſurgit; ita quantumcumque quis deliquerit, ſemper debet reſurgere per pœnitentiam, & numquam deſperare. Ad quod animat peccatores ipſe fons pietatis Jeſus, dicens Petro: *Non tibi dico ſepties*, ſcilicet ſi peccaverit frater, dimitte, quum pœnitet, *ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Matth. 18. etiamſi commiſiſſet omnia peccata, quæ commiſſa ſunt ab initio mundi uſque ad nunc, 1 quæ numerantur a Luca cap. 3. & deſcribuntur 77. eſſe ab Adam uſque ad Chriſtum. Ad quod etiam facit quod ait Chryſoſtomus in lib. de reparatione lapſi dicens: *Talis eſt erga homines Dei pietas, ut numquam reſpuat hominis pœnitentiam, ſi ei pure & ſimpliciter offeratur. Etiamſi ad ſummum quis pervenerit vitiorum, & reverti velit ad virtutis viam, ſuſcipit, & libenter amplectitur, & omnia facit, quatenus ad priorem revocet ſtatum, De pœnit.* Diſt. 3. *Talis.* Exemplum patet in parabola de prodigo filio, qui abierat in regionem longinquam, & conſumſerat omnem ſubſtantiam, &c. ubi notatur multiplicitas vitiorum, tamen reverſus cum magno gaudio receptus fuit a patre, Luc. 15.

Deus numquã reſpuit pœnitentiã hominis.

Tertia cauſſa provenit ex flagitii enormitate: Mich. 1. *Deſperata eſt plaga ejus*, ſicut eſt peccatum contra naturam proditio, homicidium & hujuſmodi. Sic Judas Scarioth attendens enormitatem ſceleris commiſſi deſperans ſe umquam poſſe ſatisfacere, *laqueo ſe ſuſpendit*, Matthæi 27. Majus autem fuit peccatum ipſa deſperatio & occiſio ſui, quam proditio: abſtulit enim ſibiipſi tempus pœnitentiæ, quod ſolum eſt in vita præſenti; ſic enim ſibi fuiſſet indultum ſicut Petro, ſi pœnitentiam egiſſet. Nam 1. quæſt. 7. *Si quis, §. Epiſcopum*, dicitur: *Bonus eſt in omnibus Deus & aperta viſcera ejus*, ſcilicet miſericordiæ, *omni homini pœnitenti.* Unde Leo Papa in ſerm. *Sceleratior omnibus, o Juda, & infelicior exſtitiſti, quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum. Exſpectaſſes conſummationem criminis tui, & donec ſanguis Chriſti pro peccatoribus funderetur, informis lethi ſuſpendium diſtuliſſes, De pœnitent.* Diſt. 3.

Quarta cauſſa deſperationis eſt ex temporis diuturnitate, puta quum quis permanet in peccato per multa tempora, vel uſque ad mortem, Prov. 24. *Si deſperaveris laſſus in die anguſtiæ, minuetur fortitudo tua.* Dies anguſtiæ eſt dies mortis. Neque enim lapſus in peccata uſque in finem debet deſperare: quamvis enim periculoſum ſit permanere diu in peccatis, qui uſus vertitur in naturam, & naturalia niſi per divinam potentiam non mutentur; tamen manet uſque ad extremum vitæ liberum arbitrium ad aptandum & præparandum ſe ad gratiam, quam Deus infundit ſemper facienti homini quod in ſe eſt, ſecundum Thomam in 4. Quæ gratia ſubito tollit omnem habitum vitii, in quantum contrarium virtutibus infuſis. Unde Leo Papa: *Nemo eſt deſperandus, dum eſt in hoc corpore conſtitutus, quia nonnumquam quod diffidentia ætatis differtur, conſilio maturiore perficitur, De pœnit.* Diſt. 7. Idem: *Miſericordiæ Dei, nec menſuras poſſumus ponere, nec*

Nemo debet deſperare in hac vita.

1 Deeſt aliquid, & forte *per omnes mundi generationes, quæ* &c. vel aliquid ſimile.

nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras converſio, De pœnit. Diſt. 1. *Multiplex.* Exemplum de latrone in cruce, de quo Julius Papa: *Latro unius momenti pœnitentia meruit eſſe in paradiſo in hora ultima confeſſionis*, 26. quæſt. 16. *Si presbyter.* Exemplum de Manaſſe impiiſſimo Rege Juda, qui diu perſeveravit in multis malis: regnavit enim per quinquaginta annos, in ſenectute propter peccata ſua captus ab inimicis & incarceratus, pœnitens meruit indulgentiam & reſtitutionem regni ſui, 4. Reg. 21. & 2. Paralip. 33.

Quinta cauſſa eſt ex puſillanimitate, dum ſcilicet videtur peccatori nimis difficile, & quaſi impoſſibile poſſe facere pœnitentias ſibi injungendas, quum pro unuquoque mortali ſecundum regulas antiquas Eccleſiæ deberet imponi ſeptennis pœnitentia, ut habetur 22. quæſt. 1. *Prædicandum*; ſed hodie, quum ſint arbitrariæ pœnitentiæ, ut habetur extra *De pœnit. & remiſ.* cap. *Omnis utriuſque*; non injungitur pœnitentia alicui, quam non poſſit faciliter peragere, dummodo peccata velit dimittere, & reſtituere, & ſatisfacere proximis de his, quæ tenetur: & ſi hoc durum, tamen neceſſarium & rationabilius & utilius eſt homini præponere ſalutem ſuam ſubſtantiæ temporali & familiæ, quæ in brevi habet dimittere, & nil ſecum poteſt ferre, quam propter amorem filiorum & divitiarum aliena retinendo in infernum demergi cum familia ſua. Alius autem ex puſillanimitate deſperat ſe poſſe vitare peccata, expertus frequenter recidivum. Sed quum gratia potior ſit quam natura, gratia, quæ datur in pœnitentia, credere debet, quod faciet eum fortiorem cunctis hoſtibus. Nam ſecundum B. Thomam minimus gradus gratiæ eſt ſufficiens ad reſiſtendum omni tentationi, ut ſcilicet non aſſentiat, & etiam ſuffragia Eccleſiæ eum juvant. Debilis quoque eſt hoſtis, qui non vincit niſi volentem. Unde dicebat Job Domino cap. 17. *Pone me juxta te*, ſcilicet per gratiam, *& cujus vis manus pugnet contra me*, quaſi diceret: nullus prævalebit.

Sexta cauſſa deſperationis procedit ex falſa imaginatione, dum ſcilicet quis videt ſe multum tepidum in Dei ſervitio, & omnia defectuoſe, & pauca bona agere, vel multum vexari a tentationibus fidei vel luxuriæ, & hujuſmodi, dubitat & quaſi æſtimat ſe a Deo reprobatum, & odio habitum, propter quod deſperat ſe poſſe ſalvari. In quorum perſona dicebat pſal. 30. *Ego dixi in exceſſu mentis meæ*, ſcilicet rationis: *Projectus ſum a facie oculorum tuorum*, ut ſcilicet non videas me ad approbationem & ſalutem. Sed, ut dicitur 2. Reg. 2. *Periculoſa eſt deſperatio*, hanc per modum tentationis ingreſſi ſunt ſancti viri ad tempus, ut legimus de S. Bernardo & de quibuſdam aliis; ſed falſa eſt iſta imaginatio, quia ut dicit Salvator Matth. 18. *Non eſt voluntas patris, ut pereat unus ex his puſillis*. Propterea toti mundo omnibus proponit documenta ſalutis & ſacramenta gratiæ. Et dicit B. Thomas 1. Sent. quod ſi revelaretur alicui, quod eſſet reprobatus, & deberet damnari, non debet credere, ſed eſſe illuſionem diaboli ſub ſpecie Angeli lucis: vel ſi ſciret eſſe a Deo talem revelationem, debet credere hoc dictum fore ſub conditione, videlicet ſi ſuam converſationem non mutet, quam habet malam. Sed talis dicat cum effectu illud Jobi 13. *Etiam ſi occiderit me*, ideſt occidendum & damnandum revelaverit, *ſperabo in eum. Quoniam ſperavit in me, liberabo eum*, ait ipſe per pſal. 90. *Protegam eum.* Et infra: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.*

Remedium deſperationis.

Septima cauſſa deſperationis eſt multiplicatio temporalis afflictionis, a qua quum quis non credit poſſe erui, nec poſſe ſufferre, ſe deſperat, procurans ſibi mortem, ut illa adverſa evadat: Hierem. 5. *Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis?* Multum enim talis decipitur, quia dum credit evadere miſerias illas, quas patitur, incurrit multo majores, & ipſam, ſcilicet mortem, quæ eſt ultimum terribilium, & æternas pœnas inferni. Sicut fecit Saul rex Iſael, qui in monte Gelboe prælium exercens cum Philiſthiim, videns exercitum ſuum devictum, timens capi, & in ultionem illudi ab inimicis, ex deſperatione ſuper haſtam ſuam ſe projecit ad occidendum: & quia per illum modum non plene mortuus eſt, rogavit adoleſcentem Amalecitam, ut complete occideret eum, ne vivus caperetur a Philiſthæis; quod & factum eſt, & damnatus inde, ut habetur 1. Reg. ult. & 2. Reg. 1. Sed quantumcumque quis adverſis circumdetur & anguſtietur; numquam debet diffidere de adjutorio Dei, & præcipue ut propter hoc agat aliquid iniquum. Mirabiliter enim Deus adjuvat in caſibus, ubi deficit virtus humana. *Reſpicite, filii, nationes hominum, & videte, quia nullus ſperavit in Domino, & derelictus eſt*, Eccleſ. 1. De David legimus, quod quum Saul perſequens eum in quodam monte ſeu loco cinxiſſet eum cum ſociis, ita quod David deſperabat evadere de manibus ejus, ſubito delata fuerunt ipſi Saul nova, quod Philiſthiim invaſerant, & diſcurrerant per territorium ejus; propter quod coactus fuit redire, & ſic David evaſit. Numquam ergo debet quis in anguſtiis deſperare, ſed Deo ſe recommendare, qui omnia poteſt. Seneca: Fortuna tibi omnia abſtulit, ſpem reliquit. Idem: Tolle ſpem, nemo victus tentabit arma, quum tamen videas quotidie aliquando fortes viros & bene munitos vinci & capi, & e converſo, paucos & debiles pervenire ad magnas victorias præter omnem ſpem & credulitatem humanam.

CAPUT IX.

De nona paſſione, quæ dicitur audacia.

CONtraria autem paſſio ad timorem dicitur audacia. Quum enim de ratione contrariorum ſit, quod maxime a ſe diſtent, & audacia maxime diſtat a timore. Nam timor refugit nocumentum futurum propter ejus victoriam ſuper ipſum timentem. Sed audacia aggreditur periculum imminens propter victoriam ſui ſupra ipſum periculum. Et ſic patet, quod contrariatur audacia timori. Et nota, quod andacia, ira, & nomina omnium paſſionum, ſecundum quod important abſolute motum appetitus ſenſitivi in aliquod bonum vel malum, ſic ſunt nomina paſſionum; ſecundum vero, quod ſimul cum motu tali important receſſum ab ordine rationis, ſic ſunt nomina vitiorum; & iſto modo loquendi utuntur communiter doctores, ſcilicet de ira, audacia, & hujuſmodi, prout important vitium.

Conſequitur autem audacia ad ſpem: ex hoc, quod aliquis ſperat ſuperare terribile imminens, ex eo audacter inſequitur ipſum. Sic ad timorem ſequitur deſperatio; ideo enim quis deſperat, quia timet difficultatem, quæ eſt circa bonum ſperandum; & ſic proſecutio boni pertinet ad ſpem; fuga vero boni ad deſperationem; fuga autem mali ad timorem; inſecutio vero mali terribilis ad audaciam. Cauſſatur etiam audacia ex parte quidem appetitivi motus, qui ſequitur apprehenſionem per ea, quæ faciunt æſtimare, quod poſſibile ſit adipiſci victoriam, vel per propriam po-

tentiam, ſicut fortitudo corporis, experientia in periculis, multitudo pecuniarum, & talia hujuſmodi, ſive per potentiam aliorum, ſicut multitudo amicorum vel quorumcumque auxiliantium, & præcipue ſi homo confidat de auxilio divino. Unde illi, qui ſe bene habent ad divina, audaciores ſunt, ut etiam dicit philoſophus. Ex prædictis enim omnibus provocatur ſpes, quæ cauſſat audaciam. Cauſſatur etiam per remotionem terribilium appropinquantium, per quod tollitur timor, quia non habet homo inimicos, quando nulli nocuit, & hujuſmodi. Ex parte vero tranſmutationis corporalis cauſſatur audacia per provocationem ſpei in excluſione timoris, ex his, quæ faciunt caliditatem circa cor. Unde ſecundum philoſophum habentia parvum cor animalia ſecundum quantitatem ſunt magis audacia, & habentia magnum cor ſunt timida, quia calor naturalis non tantum poteſt calefacere magnum cor, ſicut parvum. Habentes etiam pulmonem ſanguineum, ſunt audaciores propter caliditatem cordis exinde ſequentem: vini etiam amatores ſunt magis audaces propter caliditatem vini. Item audaces ſecundum philoſophum ſunt volantes ante pericula, ſed in ipſis diſcedunt. Et ratio eſt, quia quum audacia ſit motus appetitus ſenſitivi, ſequitur apprehenſionem ſenſitivæ virtutis. Virtus autem ſenſitiva non eſt collativa, nec inquiſitiva ſingulorum, quæ circumſtant rem, ſed habet ſubitum judicium. Unde quando audaces, qui ex ſubita apprehenſione aggreſſi ſunt aliquod difficile, non conſiderantes pericula, quando jam experiuntur ipſa, ſentiunt majorem difficultatem, quam æſtimaverunt; & ideo deficiunt. Sed ratio eſt diſcurſiva omnium, quæ afferunt difficultatem negotii; & ideo forte qui ex judicio rationis aggrediuntur pericula, in principio videntur remiſſi, quia non paſſim, ſed quum deliberatione debita ingrediuntur; quando autem ſunt in ipſis periculis, non experiuntur aliquid improviſum, ſed quandoque minora illis, quæ præcogitaverunt; & ideo magis perſiſtunt. Thomas 1. 2. quæſt. 45.

Vinum vedit homines audaces.

CAPUT X.

De decima paſſione, quæ dicitur timor, & de effectu & utilitate ejus.

Cauſſa timoris duplex.

DE timore videnda ſunt quinque, ſcilicet ortus, objectum, defectus, effectus, & profectus ſecundum Raynerium in ſumma.

Quantum ad primum ſciendum, quod cauſſa timoris eſt duplex, ſcilicet amor, & defectus virtutis. Quod amor ſit cauſſa timoris, probatur tali ratione: ex hoc, quod aliquis amat aliquod bonum, ſequitur, quod timeat privativum illius boni, quod amat; ergo amor boni eſt cauſſa timoris mali privativi illius boni. Ad hoc etiam facit, quod ait Auguſtinus in lib. 83. quæſt. videlicet: Nulli dubium eſt, non eſſe aliam cauſſam metuendi, niſi ne illud, quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiſcamur ſperatum; ergo &c. Per accidens autem eſt, quod e converſo timor ſit cauſſa amoris. In quantum enim homo, quia timet puniri a Deo, ſervat ejus mandata, ſic incipit ſperare de Deo, & ſpes introducit amorem. Hæc B. Thomas 1. 2. quæſt. 43.

Secundo defectus virtutis eſt cauſſa timoris, quod ſic probatur. Contrariorum effectuum ſunt contrariæ cauſſæ: ſed divitiæ, robur, multitudo amicorum, poteſtas, excludunt timorem ſecundum philoſophum 2. Æthicorum; ergo per contrarium defectus horum bonorum cauſſat timorem. Probatur & alia ratione ſic: Objectum timoris eſt malum, quod de facili vitari non poteſt, ſed ex defectu virtutis contingit, quod aliquis vitare non poteſt ſeu repellere malum imminens; ergo &c. Hæc Thomas ubi ſupra.

De ſpecibus timoris.

Ponit autem Damaſcenus ſex ſpecies timoris, qui eſt paſſio, ſcilicet ſegnitiem, erubeſcentiam, verecundiam, admirationem, ſtuporem, & agoniam. Quorum ſufficientiam ſic declarat B. Thomas 1. 2. Quum timor ſit de futuro malo, quod excedit poteſtatem timentis, ut ſcilicet reſiſtere non poſſit, ſicut bonum hominis; ita & malum conſiderari poteſt vel in operatione ipſius vel in rebus exterioribus. In operatione ipſius hominis poteſt malum dupliciter timeri. Primo quidem labor gravans naturam, & ſic cauſſatur ſegnities, quum ſcilicet aliquis refugit operari propter timorem excedentis laboris. Secundo turpitudo lædens opinionem: & ſic ſi turpitudo committatur in actu, ſic eſt erubeſcentia: ſi ſit de turpi jam facto, eſt verecundia. Malum vero, quod in rebus exterioribus conſiſtit, triplici ratione poteſt excedere hominis facultatem ad reſiſtendum. Primo ratione ſuæ magnitudinis, quum ſcilicet aliquis conſiderat aliquid malum magnum, cujus exitum conſiderare non ſufficit, & ſic eſt admiratio. Secundo ratione conſuetudinis, quia ſi aliquod malum inconſuetum noſtræ conſiderationi offertur, & ſic eſt magnum noſtra reputatione; & hoc modo eſt ſtupor, qui cauſſatur ex inſolita imaginatione. Tertio modo ratione improviſionis, quia ſcilicet provideri non poteſt, ſicut futura infortunia timentur, & dicitur agonia. Hæc beatus Thomas.

Malum eſt objectum timoris.

ſ. 1. De objecto timoris. Nota, quod primo & principaliter eſt ipſum malum, ſecundario quod poteſt infligere illud malum. Et quia Deus eſt ſumma bonitas, in quantum timor reſpicit ipſum malum; ſic Deus timeri non poteſt, quia nullum malum eſt in eo. Eſt autem ſciendum, quod timor per ſe eſt de malo. Et ratio hujus eſt, quia timor eſt de eo, quod eſt privativum ejus, quod amamus. Quum ergo amor ſit boni, & malum ſit privativum boni; ſequitur, quod timor ſit de malo. B. Thomas 1. 2. quæſt. 42.

Secundo notandum, quod timor non eſt de malo culpæ proprie. Hujus ratio eſt, quod illud, quod omnino ſubjacet poteſtati hominis, non habet rationem terribilis: ſed malum culpæ eſt hujuſmodi, eo quod propriam cauſſam habet voluntatem humanam, quæ vitare poteſt quodcumque peccatum; ergo &c. Tamen poteſt dici aliquo modo timorem eſſe de malo culpæ, etſi non ita proprie. Ratio hujus eſt, quia timor eſt de malo futuro terribili, quod vitari & vinci poteſt, ſed cum magna difficultate. Quum ergo voluntas humana poſſit ab aliquo extrinſeco inclinari ad peccandum, ſi illud inclinans habet magnam vim ad inclinandum; ſecundum hoc poteſt eſſe timor de malo culpæ, ut quum quis timet commorari in ſocietate malorum, ne inducatur in malum, etſi non cogatur. Separatio autem a Deo timetur, quia eſt conſequens peccatum, ut pœna. Thomas ubi ſupra.

Timor eſt de malo naturæ.

Tertium eſt, quod timor eſt de malo naturæ; quod patet ex hoc, quia mors eſt malum naturæ, & mors eſt inter omnia mala terribiliſſimum, ut dicit philoſophus in 2. Rethor. Thomas ubi ſupra. Et propterea Chriſtus ſingulariter admonuit diſcipulos mortem non eſſe timendam, quæ propter Deum infertur, dicens Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, quia ſciebat maxime timeri ab hominibus.

Quartum notandum eſt, quod timor eſt de malo futuro. Et in hoc differt a triſtitia, ſeu dolore,

re, quia triſtitia eſt de malo præſenti, timor de A malo futuro; & hinc eſt, quod illud malum, quod non æſtimatur vel apprehenditur ut futurum, ſed ut præſens & neceſſarium, non timetur. Unde dicit philoſophus in 2. Rethor. quod illi, qui jam decapitantur, non timent mortem, videntes ſibi imminere neceſſitatem mortis. Thomas ubi ſupra.

Timor eſt de malo futuro propinquo.

Quintum eſt, quod timor eſt de malo futuro propinquo. Si enim malum apprehendatur ut multum remotum & multum diſtans, non timetur. Unde dicit philoſophus, quod homines, etſi ſciant quod morientur, tamen quia non apprehendunt, nec æſtimant mortem prope, nil curant. Thomas ubi ſupra.

De malo arduo.

Sextum eſt, quod timor eſt de malo arduo, cui de facili reſiſti non poteſt: ſed triſtitia poteſt B eſſe de quocumque malo parvo vel magno; timor autem non eſt niſi de magno malo. Cujus ratio eſt, quia eſt de illo malo, quod non ſubjacet voluntati noſtræ & poteſtati, ſed tale eſt magnum & arduum.

Et quum timor ſit de malo principaliter, quattuor ſunt mala inter alia, quæ magis timentur, pœnalia, inſolita, repentina, irremediabilia.

Primo igitur timentur pœnalia mala. Cujus ratio eſt, quia vitare talia non ſubjacet poteſtati noſtræ, & voluntati de facili (ut dictum eſt ſupra) de morte.

Quadruplex malum eſt, quod magis timetur.

Secundo timentur inſolita. Cujus ratio eſt, quia experientia facit magis potentem ad operandum; & ideo ſicut auget ſpem, ita diminuit timorem. C Per oppoſitum inexperientia facit hominem minus potentem ad operandum, & ideo ſicut inexperientia diminuit ſpem, ita auget timorem: inſolita autem carent experientia; ergo &c. Item unumquodque magis apparet contrario juxta ſe poſito. Unde quum aliquis ſtatim tranſit a paupertate ad divitias, propter paupertatem præexiſtentem divitias magis æſtimat, & e converſo divites ſtatim ad paupertatem venientes eam magis horrent. Thomas ubi ſupra.

Tertio timentur repentina. Et ratio hujus eſt, quia omnia corporalia bona & mala, quanto magis conſiderantur, tanto minora apparent. Et per oppoſitum quanto minus conſiderantur, tanto apparent majora. Et ideo ſicut per diuturnitatem D dolor præſentis mali mitigatur, ut patet per Tullium in lib. de Tuſculanis quæſtionibus; ita etiam ex præmeditatione minuitur timor futuri mali: quod autem repente venit, præmeditari non poteſt. Thomas ubi ſupra.

Quarto timentur irremediabilia. Cujus ratio eſt, quia quum malum ſit objectum timoris, quod auget malum, auget timorem: ſed diuturnitas vel perpetuitas mali auget malum; quod patet, quia ſi pati malum in tanto tempore eſt malum; ergo pati illud in duplicato tempore erit malum duplicatum; ergo pati idem malum perpetuo eſt quoddam malum infinitum. Sed irremediabilia, quorum non invenitur auxilium, accipiuntur ut

Timor extremi judicii.

perpetua; ergo &c. Thomas ubi ſupra. Ex his E patet extremum judicium multum eſſe timendum, tum quia ſupra omnia afflictivum, tum quia repentinum vel improviſum, tum quia inſolitum, tum quia omnis remedii excluſivum: tunc enim nulla patebunt remedia. Secundario (ut dictum eſt) objectum timoris eſt illud, quod poteſt infligere malum; & ſic Deus poteſt & debet timeri. Timet autem homo ſecundum hæc tria, ſcilicet divinam æquitatem. Nam conſiderando divinam juſtitiam, qua Deus inflictor eſt pœnæ, vel ſubtractor ſuæ gratiæ vel gloriæ ex merito peccati noſtri; tunc Deus poteſt & debet timeri a nobis. Unde Malach. 1. *Si Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Secundo timet homo humanam poteſtatem, quando eſt læſiva, vel quando eſt injuſta, quia ſic in promtu habet nocumentum inferre, ſicut legitur de Holoferne, quod *cecidit timor illius ſuper omnes inhabitantes terram*, Judith. 2. Et hoc propter potentiam magnam uſurpatam, tum quia non receperant legatos Nabuchodonoſor cum honore. Tertio timet homo crimen ejus cognoſcentem, ſicut ille, qui eſt conſcius criminis, quia poteſt nocumentum inferre, timet, ne crimen revelet, ſicut Moyſes quum deprehenderet hebræum ſocio ſuo injuriantem, & ille reſpondiſſet: *Quis te conſtituit judicem ſuper nos? num interficere me vis, ſicut interfeciſti heri Ægyptium? timuit Moyſes*, eo quod ille ſciret illud; unde & fugit a facie & curia Pharaonis, ne ſcilicet accuſaretur, Exodi 2.

Triplex conditio hominum reprehenſibilis.

§. II. De defectu timoris. Sciendum quod triplex eſt conditio, vel varietas hominum. Nam quidam ſuperabundant in audendo, quidam in timendo, quidam in non timendo.

Primi ſunt nimis audaces, ſicut fuerunt illi tres viri de exercitu David, qui iverunt uſque ad portam Bethlehem, ubi morabantur caſtra Philiſthiim, qui erant inimici Iſrael, & ex ciſterna, quæ ibi erat, hauſerunt aquam, quam deſideratam a David attulerunt ei, ſed non voluit bibere, immo libavit Domino, propter maximum periculum, ad quod ſe ſine cauſſa urgenti poſuerant, 2. Regum 23. Horum ſocietatem admonet vitare Sapiens, dicens Eccleſiaſtes 8. *Cum audace non eas*, id-eſt non converſeris cum eo, qui non metuit, ut recta ratio docet. Sunt aliqui, qui ſuperabundant in timendo, & hi dicuntur timidi, qui ſcilicet timent, quando non oportet, & ubi non oportet, & eo modo, quo non oportet, quibus pſal. 13. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Et hoc eſt peccatum, ſicut Petrus ita timuit mortem, quod Chriſtum negavit, ut patet Luc. 22. Unde Auguſtinus 2. quæſt. 3. *Non ſolum: Timendo mortem carnis tuæ, dabis mortem animæ tuæ.*

Tertii ſunt, qui ſuperabundant in non timendo, & tales dicuntur impavidi, qui ſcilicet nihil timent. Tales ſunt ſimiles cuidam judici, de quo dicitur Luc. 18. *Erat quidam judex in civitate, qui Deum non timebat, & homines non verebatur*, &c. & licet timor Dei magis debeat retrahere a peccato, quam verecundia mundi; tamen oppoſitum frequenter contingit. Unde Theophilus ſuper illo verbo, ſic dicit: Vide, quod impudentem erga homines eſſe, gravioris eſt mali indicium. Deum enim quamplures homines non timent, attamen humano cohibentur pudore. Quum enim aliquis ſit impudens erga homines, tunc creſcit tumultus vitiorum. Et de diabolo dicitur Jobi 41. *Factus eſt, ut nullum timeret*, ideſt non per naturam, ſed elevationem, ad hoc venit, *ut nullum timeret*: vel ſic: *Factus eſt* bonus, ſed per propriam præſumtionem ad hoc venit, ut nec Deum, nec quod paſſurus eſt, timeret. Licet enim dæmones timore naturali tormenta timeant, quia ut dicitur Jacob. 2. *Dæmones credunt, & contremiſcunt*; non tamen habent timorem filialem: vel ſic: *Factus eſt, ut nullum timeret*, ſcilicet per hunc modum, quod vellet ei ſubjici. Quod autem timor & intimiditas ſit peccatum, vide in 2. parte tit. 9. cap. 16.

Timoris effectus.

§. III. De effectu timoris. Nota, quod tria in nobis cauſſat timor inter alia. Primo contractionem efficit. Secundo tremorem elicit. Tertio operationem impedit.

Cauſſat contractionem.

Quantum ad primum timor contractionem efficit ſecundum B. Thomam ubi ſupra quæſt. 44. Nam ex imaginatione alicujus mali, quæ cauſſat timorem, fit in nobis contractio virtutis & caloris.

Contrahitur enim virtus animalis ad interiora. Cujus ratio eſt, quia quod malum aliquod repelli non poſſit, provenit ex debilitate virtutis. Virtus autem quanto debilior eſt, tanto ad pauciora ſe poteſt diffundere, & ad exteriora ſe poteſt minus extendere; & hoc patet per exemplum. Videmus enim in morientibus, quod calor naturalis ad interiora retrahitur propter debilitatem virtutis, ſimiliter in civitatibus, quando cives timent, retrahunt ſe ab exterioribus, & recurrunt ad interiora loca magis tuta, quantum poſſunt. Fit ſecundo ex timore contractio caloris. Cujus ratio eſt, quia ſpiritus, vel calor, qui eſt cauſſa coloris in timentibus, retrahitur ab exterioribus ad interiora, quo ſubtracto removetur color.

Pallorem. Ubi notandum, quod timor facit pallentes, tacentes, & fugientes. Primo pallentes facit. Cujus ratio eſt, quia calor & ſpiritus in timentibus (ut dictum eſt) retrahitur ab exterioribus ad interiora; hoc ſubtracto removetur color, & ſequitur palledo. Unde videmus, quod timentes mortem palleſcunt, eo quod tunc ex timore mortis calor, qui eſt cauſſa coloris, ad interiora retrahitur. Oppoſitum autem hujus verecundia cauſſat, nam verecundati non palleſcunt, ſicut faciunt timidi, ſed potius rubeſcunt. Cujus ratio eſt, quia ſicut in timore fit retractio vel contractio caloris ad interiora, ita in verecundia fit diffuſio caloris ad exteriora. Quanto autem calor, qui eſt cauſſa coloris, ad exteriora diffunditur, tanto magis rubedo cauſſatur.

Taciturnitatem. Facit ſecundario homines tacentes. Cujus ratio eſt, quia in timentibus fit motus interioris caloris, & ſpirituum a corde ad inferiora; & ideo timor contrariatur formationi vocis, quæ fit per emiſſionem ſpirituum ad ſuperiora per os, per quod timor non ſinit formare vocem, & per conſequens tacentes facit. Sed in dolentibus eſt oppoſitum; nam in dolore natura conſervat interius ſpiritum & calorem, ut hoc utatur ad expellendum nocivum. Multiplicatis autem interius ſpiritibus a calore, neceſſe eſt, quod emittantur per vocem; & ideo dolentes vix poſſunt ſe continere, quin clament, ut dicit philoſophus in lib. de probleumatibus.

Fugam. Tertio timor facit fugientes. Cujus ratio eſt, quia in timentibus propter frigiditatem ingroſſantem, ſpiritus & calor a ſuperioribus ad inferiora moventur, nec congregantur circa cor; ſed magis recedunt a corde ex imaginatione defectus virtutis. Et propter hoc timentes non promte invadunt, ſed magis refugiunt. Irati autem oppoſitum faciunt; nam irati redduntur promti & audaces ad invadendum. Cujus ratio eſt, quia in iratis propter ſubtilitatem ſpirituum & calorem, qui provenit ex appetitu vindictæ, fit interior motus ſpirituum ab inferioribus ad ſuperiora; & ideo congregantur ſpiritus & calor circa cor, propter quod irati promte & audacter incedunt. Hæc B. Thomas ubi ſupra.

Tremorem. Secundus effectus timoris eſt, quia tremorem elicit. Cujus ratio eſt, quia in timore calor ab exterioribus ad interiora contrahitur. Remoto autem ab exterioribus calore, qui membra continebat, remanent membra frigida; & propter hoc accidit in eis tremor. Tremor enim ex frigiditate cauſſatur, propter quod tremunt membra timentium. Et primo tremit cor, eo quod in timore calor deſerit cor. Secundo tremit vox propter vicinitatem arteriæ vocalis ad cor. Tertio tremit mandibula inferior propter continuitatem. Quarto ſequitur ſtrepitus dentium propter eamdem rationem. Quinto brachia & manus, tum propter connexionem ad pectus, ubi eſt cor, tum

A quia hujus membra ſunt magis mobilia, propter quod in timentibus & genua tremunt. Unde Iſaiæ 35. *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia & trementia roborate.* Thom. 1. 2. quæſt. 44.

Timor operationē impedit. Tertius effectus eſt, quia operationem impedit. Pro cujus declaratione videnda ſunt tria. Primum eſt, quod operatio exterior a duobus cauſſatur, ſcilicet ab agente principali, quod eſt anima, & ab agente inſtrumentali, ſcilicet a membris corporis. Unde & propter defectum agentis principalis & imperantis vel moventis, & propter defectum agentis inſtrumentalis non obſequentis, operatio poteſt impediri. Secundum videndum eſt, quod timor impedit operationem ex parte corpo-
B ris, vel ex parte membrorum ejus. Cujus ratio eſt, quia propter defectum caloris, qui ex timore cauſſatur in membris exterioribus, & præcipue in membris ſuperioribus, timor ex ſubtractione caloris membra debilitat; & ſic ea impedit operari. Tertium conſiderandum eſt, quod ſi timor ſit multum vehemens & exceſſivus, intantum quod rationem perturbet; tunc talis timor impedit operationem ex parte mentis. Si autem ſit ita moderatus, quod rationem non perturbet, *De timore bono.* tunc ad bene operandum confert, in quantum ſcilicet ſollicitudinem cauſſat, & facit hominem attentius conſiliari & operari; & hoc eſt, quod dicit Apoſtolus ad Phil. 2. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini*, ideſt *cum metu* mentis
C & *tremore* corporis: vel ſic, *cum metu*, ideſt non præſumtuoſe, ſed cum humilitate, & *cum tremore*, ſcilicet manifeſto, *operamini ſalutem veſtram*, ideſt vitam æternam, quaſi diceret Apoſtolus: Nos meremur vitam æternam per humilitatem, & per bonam operationem, quæ ex nobis non habemus, ſed a Deo, qui ſecundum eumdem *operatur in nobis velle* bonum & *perficere* bonum, Phil. 2. Hæc B. Thom. 1. 2. quæſt. 44. Quod autem dicit philoſophus, quod timor facit homines conſiliativos, hoc intelligendum eſt non ſecundum quod conſiliativum a facultate dicitur conſiliandi bene, quia ſic nec timor nec aliqua paſſio facit conſiliativos. Nam hominibus afflictis aliqua paſſione videtur quid majus vel minus, quam ſit ſecundum
D rei veritatem, quod fit ex defectu rectitudinis judicii: ſed facit timor conſiliativos, prout conſiliativus dicitur a voluntate vel ſollicitudine. Conſiliantur enim homines de magnis, in quibus quaſi nobis ipſis diſcredimus. Ea autem, quæ timorem incutiunt, habent quamdam magnitudinem, tum quia apprehenduntur ut difficilia ad repellendum, tum quia apprehenduntur ut de prope exiſtentia; unde in timoribus conſueverunt homines conſiliari.

Effectus timoris Dei. §. IV. De profectu timoris. Sciendum, quod ex divino timore tria nobis bona proveniunt.

Et primo gratia infunditur.

Secundo culpa excluditur.

Tertio vita perficitur.

E Quantum ad primum dico, quod gratia infunditur ex timore Dei; unde Prover. 14. dicitur: *Timor Domini fons vitæ.* Sicut enim a fonte procedit rivulus aquæ, ſic a timore Dei rivulus gratiæ. Unde Bernardus ſuper Cant. ſermon. 54. In veritate didici nihil eſſe ita efficax ad promerendam gratiam Dei, retinendam & recuperandam, quam ſi in omni tempore inveniaris coram Deo non altum ſapere, ſed timere; & ideo Proverb. 28. dicitur: *Beatus vir, qui ſemper eſt pavidus.* Super quo verbo ſic dicit Bernardus: Time quum arriſerit gratia Dei; time, quum abierit; time, quum denuo revertitur; time, quum præſens exſtiterit; quum adeſt, time, ne indigne opereris. Sed ſi abſceſſerit, multo magis timendum eſt; quia ubi deficit

cit gratia, deficis & tu. Si autem gratia tibi propitiata redierit, tunc multo magis timendum eſt tibi, ne forte contingat, te recidivum pati; ergo pro omni tempore eſt timendum.

Secundo ex timore Dei culpa excluditur vel remittitur. Unde Eccleſ. 1. *Timor Domini expellit peccatum*. Et hoc tribus modis, corrigendo ſcilicet præterita, vitando præſentia, cavendo futura. Et primo quidem modo excludit timor Domini peccatum, ſcilicet commiſſum ſeu præteritum, & hoc ex conſideratione damnificationis; inde inducitur contritio, ſicut apoſtematis ſciſſura expellit ſaniem; unde Iſai. 26. *A timore tuo, Domine, concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum ſalutis*, ideſt compunctionem, unde ſpiritus ſalvatur. Secundo ex conſideratione futuræ confuſionis inducit confuſionem, ſicut vomitus expellit cibum venenoſum. Tertio ex conſideratione æternæ punitionis inducitur ex timore ſatisfactio, ſicut in infirmo convaleſcente remanent de infirmitate aliquæ nocivæ reliquiæ, quæ expelluntur per medicinam. Secundo modo culpa remittitur vitando præſentia per innocentiam: Proverb. 15. *Per timorem Domini declinat omnis a malo*. Tertio modo remittitur culpa per timorem providendo futura: Eccleſ. 7. *Qui Deum timet*, ſcilicet timore filiali, *nihil negligit*, ſcilicet facere eorum, quæ tenetur facere & vitare.

Tertio vita ex timore Dei perficitur. Quum enim timor filialis fundetur & radicetur in caritate, creſcente caritate augetur timor. Unde Gregorius: Mens, quæ plus eſt illuminata & inflammata, plus timet. Hoc autem Deus exigit a nobis. Unde dicitur Eccleſiaſtes ultim. *Time Deum, & mandata ejus obſerva*: hoc eſt, omnis homo, *Deum time*, ſcilicet timore filiali, qui ſcilicet docet non pœnam, ſed offenſam patris timere, *& mandata ejus obſerva*, ideſt ob ipſum, & propter ipſum ſerva, non ob aliud. Et ſubdit cauſſam: *Hoc eſt enim omnis homo*, ideſt ad hoc factus eſt omnis homo, ut Deum timeat & mandata ejus ſervet: vel ſic, *hoc eſt omnis homo*, ideſt per hanc formam, ſcilicet per timorem Dei & obſervationem mandatorum, habet homo eſſe gratiæ, & demum gloriæ, quod eſt perfectius, quam eſſe naturæ: vel ſic: *Hoc eſt omnis homo*, ideſt hoc ſolum requiritur ab omni homine, & per hoc beatificatur: vel ſic: *Hoc eſt omnis homo*, ideſt totus & perfectus homo. Si enim alterum deeſt, ſcilicet vel declinare a malo, vel facere bonum dimidius, non totus eſt.

De ejus timoris utilitate.

§. V. De utilitate timoris Domini. Nota, quod nihil utilius incipienti, nil utilius ad perfectionem pervenienti, nil utilius omni ſtatui vel ſexui timore Dei. Unde Eccleſiaſtici 23. *Nil melius, quam timor Dei*. Quod patet diſcurrendo per ſingula. Eſt enim utilis peccantibus, pœnitentibus, tribulatis, tentatis, & contemplativis.

Primo eſt utilis peccantibus, in quantum ad ſtatum pœnitentiæ adducit & transfert. Sicut enim latro videns judicem inſequentem ſe, præ timore judicis timet, & reprehendit dicens: Heu quid feci? ſe judicandum affligit dicens: Heu tu ſuſpenderis, & rem furatam, ſi poteſt, projicit: ſic peccator conſiderans futurum judicium, præ timore cor ſuum primo redarguit conſiderando debitam pœnam, peccata dimittit conſiderando miſericordiam.

Eſt ſecundo timor utilis pœnitentibus: inducit enim ad contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem. Unde dicitur Eccleſiaſtes 1. *Sine timore Domini non poterit quis juſtificari*. Juſtificatur enim homo per pœnitentiam, per quam de impio fit juſtus; unde & publicanus, qui cum timore ivit ad orandum ad templum, reverſus eſt domum juſtificatus, Luc. 18.

Tertio eſt utilis tribulatis. Sicut enim infirmus timens mortem corporis, libenter ſumit potiones amaras & medicinas; ſic timens mortem animæ, & ſeparari a Deo, libenter gaudet in tribulationibus, & longanimiter ſuſtinet. Unde talis timor facit tribulatum, patientem, gaudentem, & conſtantem in tribulationibus. Unde Eccleſiaſtes 2. *Sta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*. Unde ſancti gaudebant in adverſitatibus, & eas affectabant, quia ſperabant inde evadere pœnas futuras, & ſeparationem a Deo, quem timebant. Et ideo Auguſtinus dicebat: Domine, hic ure, hic feca, ut in futuro parcas.

Quarto eſt utilis timor tentatis: ſicut enim pugnanti pro ſua hæreditate timor incutit ſollicitudinem in aggrediendo, perſeverantiam in impugnando, & confidentiam in vincendo; ſic timor Dei facit diligentem in pugna ſpirituali: Eccleſiaſtes 7. *Qui Deum timet, nil negligit*, ſcilicet eorum, quæ oportet facere, pro vincendis vitiis. Facit perſeverantem in diligentia: Eccleſiaſtici 27. *Niſi tenueris te inſtanter in timore Domini, cito ſubvertetur domus tua*. Facit & timor tentatum confidentem de victoria: Proverb. 14. *In timore Domini, fiducia fortitudinis*, quia ſcilicet tanto quis fortius mundum deſpicit, quanto plus timet Deum.

Quinto eſt utilis timor contemplativis. Sicut ſcilicet ſervus domino, cui ſervit, aſſiſtit ſæpius, obſequitur humilius, alloquitur dulcius; ſic facit timor de contemplativis. Nam primo ſublevat ad aſpectum ſummæ veritatis: Eccleſiaſtes 10. *Qui Deum timent*, ſcilicet ut filii, *erunt in oculis ejus*, ideſt bene placebunt ipſi Deo, ſicut oculi matris ſuper filium ſunt, ubicumque vadit, quia ubi amor, ibi oculus: vel ſic exponitur: *Erunt in oculis ejus*, ſcilicet prælati, qui dicitur oculus Dei, ideſt cognoſcitur a prælato. Secundo timor humiliat contemplativos ad obſequium divinæ majeſtatis: Eccleſiaſtes 8. *Ego cognovi, quod erit bonum timenti Deum, qui veretur faciem ejus*. Tertio præparat ad guſtum ſummæ bonitatis: pſal. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* unde Eccleſiaſtici 25. *Timor Domini ſuper omnia*, ſcilicet bona, tamquam cuſtos eorum, ne amittantur, vel *ſuper omnia* mala, tamquam repreſſor, ne ingrediantur, vel *ſuper omnia* tranſitoria tamquam prudens contemtor, & ut parvipendantur; & ideo dicitur Eccleſiaſtici 25. *Beatus vir, cui datum eſt habere timorem Domini*: ubi tria notari poſſunt. Primo habitus virtuoſus, ibi: *Habere timorem Domini*. Secundo donum gratioſum, ibi: *Cui datum eſt*. Tertium eſt præmium glorioſum, ibi: *Beatus* &c. De ſeptem ſpeciebus timoris, & de timore, prout eſt donum Spiritus ſancti, infra in 4. part. tit. 14.

CAPUT XI.

De ultima paſſione, quæ dicitur ira, & cauſſa ejus & multiplicitate.

Ira eſt paſſio generalis.

ULtima paſſio eſt ira, quæ dici poteſt paſſio generalis, non quia cauſſet omnes paſſiones (nam iſto modo amor eſt paſſio generalis) ſed in quantum ex concurſu multarum paſſionum generatur, dicitur generalis. Non enim inſurgit motus iræ, niſi propter aliquam triſtitiam illatam, & niſi adſit deſiderium & ſpes ulciſcendi: appetit enim iratus vindictam, ut ſibi poſſibilem. Unde ſi fuerit multum excellens perſona, quæ nocumen-

mentum intulit, non cauſſatur ira, ſed triſtitia. Denominatur autem vis iraſcibilis ab ira, non quod omnes motus ejus ſint ira, ſed quia ad iram terminantur omnes motus illius potentiæ, & inter omnes alios motus eſt manifeſtior. Motus autem iræ tendit in duo, ſcilicet in ipſam vindictam, quam appetit & ſperat, ſicut quoddam bonum, unde & de ipſa delectatur. Tendit etiam in illum, de quo quærit vindictam. Et quia circa utrumque ira requirit quamdam arduitatem: non enim ſurgit motus iræ, niſi cum quadam magnitudine, quia nihil, & modica valde nullo digna non æſtimamus; hinc patet, quod eſt in potentia iraſcibili, cujus objectum eſt arduum.

Eſt autem duplex differentia attendenda circa hoc iræ ad odium & amorem, quarum prima eſt, B quod ira ſemper reſpicit ad duo objecta, amor vero & odium quandoque reſpiciunt unum objectum tantum, ſicut quum dicitur aliquis amare vinum, vel aliquid hujuſmodi, vel etiam odire. Secunda eſt, quia utrumque objectorum, quod reſpicit amor, eſt bonum, quando ſcilicet duo reſpicit: vult enim amans bonum amico; & hoc tamquam ſibi convenienti; utrumque vero horum, quæ reſpicit odium, habet rationem mali: vult enim odiens malum alicui tamquam ſibi inconvenienti. Sed ira ſemper reſpicit duo objecta, & unum quidem ſecundum rationem boni, ſcilicet vindictam, quam appetit. Aliud ſecundum rationem mali, ſcilicet hominem nocivum, de quo vult vindicari; & ideo ira eſt paſſio quaſi compoſita ex contrariis paſſionibus. Dicitur autem ira creſcere in animum ſecundum Auguſtinum in regula per quamdam cauſſalitatem, quia ſcilicet ipſa odium cauſſat, quum eſt inveterata.

§. I. Item nota, quod ira eſt cum ratione, non quidem ut præcipiente, ſicut dicitur eſſe voluntas cum ratione; ſed ut denuntiante, ideſt manifeſtante injuriam. Appetitus enim ſenſitivus rationi non obedit immediate, ſed mediante voluntate. Quod autem bruta habeant iram, quum non habeant rationem, hoc eſt ex inſtinctu naturali indito eis per rationem divinam. Item ira eſt quidem naturalior concupiſcentia ex parte ſubjecti, conſiderando hominem ſecundum naturam ſpeciei, in quantum rationale, & etiam ſecundum complexionem propriam individui. In quantum enim homo eſt rationalis, naturalior eſt ira, quia ipſa eſt cum ratione; unde philoſophus dicit, quod humanius eſt punire, quod pertinet ad iram, quam manſuetum eſſe, quia unumquodque inſurgit contra nocivum. Similiter conſiderando hominem ſecundum propriam complexionem individui, ira eſt naturalior concupiſcentia. Eſt enim homo diſpoſitus ad iraſcendum, ſecundum quod habet colericam complexionem; colera autem inter ceteros humores citius movetur: aſſimilatur enim igni; & ideo magis eſt in promtu, ut ille, qui diſpoſitus eſt ſecundum naturalem complexionem ad iram, iraſcatur, quam de eo, qui eſt diſpoſitus ad concupiſcendum, concupiſcat. Unde & philoſophus dicit 7. Ethic. quod ira magis traducitur a parentibus in filios, quam concupiſcentia. Sed conſiderando cauſſam iræ ex parte objecti, vel ex parte ſubjecti ſecundum naturam generis, ideſt in quantum eſt animal; ſic naturalior eſt concupiſcentia ira. Concupiſcentia enim ciborum & venereorum eſt naturalior, & ex ipſa natura communi habet homo inclinationem ad appetendum ea, quæ ſunt conſervativa vitæ ſecundum ſpeciem, vel ſecundum individuum.

Ira eſt in brutis.

Odium gravius eſt quam ira.

Item odium eſt gravius ira, quod patet ex dicto Auguſtini in regula, qui comparat odium trabi, feſtucæ iram. Hujus ratio eſt, quia quamvis uterque appetat malum; non tamen eadem ratio- A ne. Nam odiens appetit malum inimici, in quantum eſt malum, & quia appetit malum alterius ſecundum ſe, nulla menſura mali ſatiatur: ea enim, quæ ſecundum ſe appetuntur, ſine menſura appetuntur, ſicut avarus divitias. Sed iratus appetit malum ejus, contra quem iraſcitur, non in quantum malum, ſed in quantum habet quamdam rationem boni, prout æſtimat illud eſſe juſtum, in quantum vindicativum. Iratus enim appetit, ut ille, cui nocumentum infert, percipiat, & doleat, & quod cognoſcat propter injuriam illatam ſibi hoc provenire. Et quia hoc appetit ſub ratione juſti vindicativi; ideo quando malum illatum excedit menſuram juſtitiæ ſecundum æſtimationem iraſcentis, tunc miſeretur. Ira proprie non eſt contra ſeipſum; ſed in quantum quædam metaphorica juſtitia & injuſtitia eſt hominis ad ſeipſum, in quantum ſcilicet ratio regit concupiſcibilem & iraſcibilem; ſecundum hoc dicitur homo de ſe facere vindictam & ſibi iraſci. Item quia ira cauſſatur ex hoc, quod aliquis nos læſit per actum ſuum: actus autem ſunt ſingularium; ideo ira eſt ſemper circa aliquod ſingulare. Item in 4. Ethic. philoſophus dicit, ſeu appellat quoſdam iraſcentium acutos, quia ſcilicet cito iraſcuntur; quoſdam amaros, quia ſcilicet diu retinent iram; quoſdam difficiles, quia ſcilicet numquam quieſcunt, niſi puniant.

Cauſſa iræ.

Eſt autem cauſſa iræ aliquid factum contra ipſum iraſcentem. Cujus ratio eſt, quia ira eſt C appetitus nocendi ſub ratione juſti vindicativi. Vindicta autem locum non habet, niſi ubi præceſſit injuria, quæ ad eum pertineat, qui vindictam appetit. Injuria autem ab aliquo facta non pertinet ad aliquem, niſi aliquid fecerit, quod ſit aliquo modo contra ipſum. Quod autem iraſcamur contra illos, etiam qui aliis nocent; hoc ideo eſt, in quantum illi, quibus nocetur, aliquo modo pertinent ad nos, vel per affinitatem, vel per amicitiam, vel per communionem naturæ. Quod etiam homines iraſcuntur contra eos, qui deſpiciunt ea, circa quæ ipſi maxime ſtudent, ut dicit philoſophus; hoc ideo eſt, quia per illud maxime reputamus nos deſpici.

Ira Dei.

Ira autem dicitur de Deo, non ſecundum paſſionem animi, ſed ſecundum judicium juſtitiæ, D prout ſcilicet vult punire peccatores de culpa ſua. Peccator autem, etſi Deo nil poſſit nocere effective, tamen ex parte ſua agit contra Deum, & quia eum in mandatis ſuis contemnit, & quia infert nocumentum aliquod ei, quod ſub divina tutela continetur.

Parvipenſio eſt cauſſa iræ.

Parvipenſio eſt cauſſa iræ, ad quam omnes aliæ cauſſæ reducuntur: parvipenſio enim excellentiæ hominis opponitur. Quæ enim homines putant nullo digna eſſe, parvipenduot. Ex omnibus autem bonis noſtris aliquam excellentiam quærimus; & ideo quodcumque nocumentum inferatur, in quantum excellentiæ derogat, videtur ad parvipenſionem pertinere. Quum enim ira appetat vindictam ſub ratione juſti; & ideo provocativum ad iram E eſt aliquid ſub ratione injuſti. Maxime autem facit injuſtum, qui ex certa electione & malitia, non paſſione vel ignorantia, alteri infert nocumentum; & ideo maxime contra tales iraſcimur, quia propter parvipenſionem videntur feciſſe. Qui ex ignorantia vel paſſione peccant, non videntur parvipendere; & ideo magis merentur veniam & miſericordiam, & non iram. Item quum cauſſa iræ ſit injuſta parvipenſio & nocumentum contriſtativum illatum; ſecundum primam cauſſam excellentia hominis eſt cauſſa, ut de facili quis iraſcatur. Quanto enim quis eſt excellentior, tanto injuſtius parvipenditur in eo, in quo excellit. Unde iraſcitur dives, ſi parvipenditur in pecunia, & rethor in loquen-

loquendo, & ſic de aliis. Sed in quantum nocumentum contriſtativum eſt cauſſa iræ; ſic ea, quæ ſunt contriſtantia, ut quæ pertinent ad defectus, ſunt cauſſa iræ, & ſecundum hoc infirmi de facili iraſcuntur. Item defectus ejus vel pravitas, contra quem iraſcimur, aliquando auget iram, aliquando minuit. Si enim defectus augeat indignam deſpectionem, ſic auget iram, ut deſpiciantur nobiles a ruſticis, & hujuſmodi. Si vero minuat deſpectionem indignam, ſic diminuit iram. Et hoc modo qui pœnitent de injuriis factis, & confitentur, & humiliantur, mitigant iram.

Iram ſequitur delectatio.

Cauſſat autem ira delectationem. Nam motus iræ inſurgit ex aliqua illata injuria contriſtante, cui quidem triſtitiæ remedium adhibetur per vindictam: quanto autem contra juſtitiam majorem per delectationes remedium adhibetur, tanto major delectatio cauſſatur. Non enim tollitur triſtitia niſi per delectationem, ut per ſuum contrarium. Ad præſentiam autem vindictæ delectatio ſequitur, & tanto major, quanto major fuit triſtitia. Si igitur vindicta fuerit præſens realiter, cauſſatur perfecta delectatio, quæ totaliter excludit triſtitiam, & per hoc quietat motum iræ. Sed antequam ſit præſens realiter vindicta, fit iraſcenti præſens dupliciter. Uno modo per ſpem: nullus enim iraſcitur, niſi ſperans vindictam. Alio modo per continuam cogitationem: unicuique enim concupiſcenti eſt delectabile immorari in cogitatione eorum, quæ concupiſcit. Et propter hoc imaginationes ſomniorum ſunt delectabiles; & ideo quum iratus multum cogitet de vindicta in animo ſuo, ex hoc delectatur.

Ira cauſſat fervorem.

Item cauſſat ira fervorem. Quædam enim impetuoſitas eſt in motu iræ, & quia motus iræ non eſt per modum retractionis, cui proportionatur frigus, ſed magis per modum inſecutionis, cui proportionatur calor; conſequenter ſit motus iræ cauſſativus cujuſdam fervoris ſanguinis & ſpirituum circa cor, quod eſt inſtrumentum paſſionis animæ. Et exinde eſt, quod per magnam perturbationem cordis, quæ eſt in ira, maxime apparent in iratis indicia quædam in exterioribus membris. Fervor tamen, qui calorem conſequitur, alia ratione pertinet ad iram, & alia ad amorem. Nam fervor amoris eſt cum quadam dulcedine & lenitate: eſt enim in bonum amatum; & ideo aſſimilatur calori aeris & ſanguinis, propter quod ſanguinei ſunt magis amativi. Fervor autem iræ eſt cum amaritudine ad conſumendum, quia tendit ad punitionem contrarii, unde aſſimilatur calori ignis & choleræ. Item ira inter ceteras paſſiones manifeſtius impedit uſum rationis. Item quum ira ſit cum ratione, & impediat rationem, ex utraque parte poteſt taciturnitatem cauſſare; aliquando tamen ſequitur magis locutio, ſi non fuerit nimia. Thomas 1. 2. quæſt. 46. & ſequentibus.

De ira divina.

§. II. Notandum, quod triplex eſt ira, ſcilicet divinalis, virtualis, & criminalis. Ira ſcilicet divinalis eſt illa, quam dicit Scriptura eſſe in Deo, ut Eccleſiaſtici 16. *Miſericordia enim & ira cum illo eſt*, & pſal. 105. *Iratus eſt furore Dominus in populum ſuum.*

Fuerunt aliqui philoſophi, ut Epicurei, qui dixerunt iram non eſſe in Deo, hanc rationem aſſignantes, quia non punit ſubito malos, quum ſceleſa perpetrant. Sed, ut dicit Lactantius reprobans talem opinionem falſam, hoc facit propter ſuam immenſam clementiam & miſericordiam erga homines, ſciens eorum fragilitatem, & compatiens eis, exſpectans eorum converſionem, & ex eo differens ultionem: nam ſi quum homines peccant, ſubito vellet punire, pauciſſimi in mundo remanerent.

Probari autem poſſe iram eſſe in Deo, dicit non ſolum ex Scripturis ſanctis, ſed etiam gentilium, allegans plura dicta Sibyllarum. Sibylla, fuge ſceleratas religiones, & vivo Deo ſervire, & ab adulterio te abſtine, & maſculi permiſtione prava: pro patria generationem crea, & ne occidas: his Deus immortalis iraſcitur, qui hæc agunt. Refert Lactantius in lib. de ira Dei. Sed ſciendum, quod quum Scriptura dicit Deum iratum, & iram eſſe in Deo, loquitur per ſimilitudinem eorum, quæ dicuntur de homine irato, non quod proprie ira ſit in Deo. Et ratio eſt, quia ira proprie eſt cum alteratione partis ſenſitivæ. Eſt enim ira ſecundum Damaſcenum accenſio ſanguinis circa cor. Deus autem eſt immutabilis, & alterari non poteſt. Et quum ſit purus ſpiritus, & nihil corporeum ſit in ſua deitate, nec ſanguinem, nec cor habet, unde ſecundum paſſionem poſſit iraſci. Sed quum homo iraſcitur contra aliquem, alteratur in parte ſenſitiva, & ſi poteſt, minatur vel caſtigat, vel graviter lædit eum, contra quem iratus eſt. Et quia hoc eſt communiter effectus iræ, quum quis iſta facit erga aliquem, dicimus illum iratum contra talem. Et quantum ad iſtum effectum, qui procedit ab ira, dicit Scriptura Deum aliquando iratum, non quod ſit in eo alteratio cum appetitu vindictæ, quæ proprie eſt ira; ſed quia punit mala, & juſtiſſime. Unde dicitur *De pœnit.* Diſt. 3. *Productior*: *Ira Dei non eſt ut hominis, ideſt concitati animi furor, ſed tranquilla juſti ſupplicii conſtitutio.*

Deus iraſcitur tripliciter.

Eſt autem ira Dei triplex, ſeu dicere poſſumus, quod Deus tripliciter iraſcitur, ſcilicet malis comminando, flagellis expurgando, reprobos exterminando.

Locutus eſt Dominus aliquando per prophetas, promittens & aſſerens alicui populo ſe iratum contra ipſum, & mala illaturum; & quum talis populus ſe correxit & pœnituit de peccatis, Dominus revocavit ſententiam, & non immiſit illa mala promiſſa. Nec tamen locutio fuit falſa, quia comminatoria fuerat & ſub conditione, ſcilicet ſi ſe non emendarent, ſicut patet de Ninive, de qua dixerat Dominus per Jonam prophetam: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, Jonæ 3. Et quum audiſſent hoc Ninivitæ, pœnitentiam egerunt dicentes: *Quis ſcit, ſi forte ignoſcat Deus, & avertatur a furore iræ ſuæ?* Et propter pœnitentiam eorum revocata eſt ſententia. Unde & Hieronymus ſuper Oſææ cap. 11. inquit: *Sed continuo, qui dixerat:* Sicut Adama faciam te, & ſicut Seboim ponam te, *quæ duæ civitates ex vicinia Sodomorum parilis excidii traxere conſortium.* Converſum eſt, *inquit*, ſcilicet Dominus, cor meum intra me, conturbata eſt anima mea, non faciam ſecundum iracundiam furoris mei. *Nonne ergo apparet, quod ideo indignatur nobis Dominus peccantibus, ut indignationis ſuæ nos terrore convertat, De pœnit.* Diſt. 1. *Sed continuo.* Et loquitur de populo Iſrael, cui Dominus minabatur ſe exterminaturum propter peccatum, ſicut illas duas civitates vicinas Sodomis, ſed quum aliquando converſi ſunt ad pœnitentiam, Dominus ſuſpendit ſententiam.

Secundo.

Secundo dicitur Deus iratus, quum ſcilicet flagellat, & flagellando peccata expurgat revertentibus ad pœnitentiam. Unde dicebat Tobias ad Dominum loquens: *Quum iraſceris* flagellando, *miſericordiam facis, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te*, Tobiæ 3. & Abachuc 3. *Quum iratus fueris*, ſcilicet flagellando, *miſericordiæ recordaberis*, ſcilicet peccata remittendo. Sicut patet per exemplum in David, quum perſecutionem ſuſtinuit a filio Abſalon propter peccata ſua, & quum peſtis maxima ſupervenit in populum ſuum propter peccatum elatio-

nis,

nis, 2. Reg. 18. & cap. fin. hinc & Hieronymus: *Si quando fames & penuria & omnium rerum egeſtas opprimunt mundum, ſciamus hæc ex ira Dei deſcendere, qui in pauperibus, ſi non recipiant eleemoſynam, ſe fraudari loquitur*, 16. quæſt. 1. can. *Revertimini*.

Tertio. Tertio iraſcitur erga reprobos exterminando, ſicut quum iraſcitur homo contra hoſtem capitalem, exterminat eum, ſi poteſt, de mundo. Sicut dicitur Nahum 1. *Ulciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis*: Joann. 3. *Qui incredulus eſt, non videbit vitam æternam, ſed ira Dei manet ſuper eum*. Iraſcitur ergo Deus iſto modo, ſcilicet exterminando; & morti æternæ deputando impœnitentes uſque in finem, propter quod ait Apoſtolus ad Romanos 2. *Tu autem ſecundum impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die iræ*. *Non enim*, ut ait Hieronymus, *hominibus, ſed vitiis iraſcitur Deus*, *De pœnit.* Diſt. 1. *Quamobrem*. Et quia in reprobis ſemper inveniuntur peccata; ideo ſemper contra eos Dominus manet iratus, & ita terribiliter, ut in fine mundi dicant montibus: *Cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni*, Apocalyp. 6. Nec ira poteſt ceſſare, ideſt punitio, quia nec culpa removeri. Hinc Gregorius in libro Dialog. ait: *Quum ſuperna indignatio ſeſe, ut ita dixerim, medullitus movet*, ideſt determinative, *hanc humana opinio non removet*. *Nec ſe cujuslibet utiliter deprecatio objicit, quum ſemel aliquid Deus ab intimis iraſcendo diſponit*, 23. quæſt. 4. *Vaſis iræ*, §. *His omnibus*. Et Lactantius in lib. de ira Dei: Ira divina in æternum manet adverſus eos, qui peccant in æternum. *Ne* ergo *tardes*, &c. Eccleſiaſtes 5.

Deus iraſcitur vitiis.

De ira virtuali. Secundario eſt alia ira, quæ dicitur virtualis ſeu ira per zelum, & hæc eſt, quum videlicet quis habet diſplicentiam & turbationem contra vitium commiſſum a ſe, vel ab alio, in quantum eſt offenſa Dei; propter quod ſi habet auctoritatem ipſum punit, & ad hanc invitat Pſalmiſta, quum dicit pſal. 4. *Iraſcimini, & nolite peccare*. Loquitur enim ſecundum Gregorium in 5. Moral. de ira per zelum, unde quaſi declarans ipſam iram ſubdit: *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*, ideſt iſto modo *iraſcimini*, ut habeatis compunctionem & dolorem de his, quæ dicunt homines *in cubilibus & cordibus*, ideſt de peccatis, quæ fiunt opere corporis, quod eſt quaſi cubile animæ, & cogitatione, quæ eſt in corde. Signanter autem dicit, *iraſcimini, & nolite peccare:* nam etiam ex zelo iraſcendo peccatur, niſi modus ſervetur. Ita ergo iraſcendum eſt contra ſua vel aliorum vitia, quod ratione ira regatur, non impatientia, vel odio vel nimia ſeveritate utatur. Unde Auguſtinus: *Iraſcitur juſtus peccatis palearum, ſed non odit, in quo extingueretur oculus*, 7. quæſt. 1. *Adverſitas*, §. *Hinc idem in pſalmum*. Hæc autem ira tria bona facit.

Ira virtualis tria bona facit.

Placat Deum.

Auget meritum.

Excitat proximum.

De primo pſal. 105. *Stetit Phinees, & placavit*, ſcilicet Deum in eo, quod ex ira per zelum occidit principem ex Judæis fornicantem cum Mohabitidis, *& ceſſavit quaſſatio*, ideſt flagellum populi, quo multa millia occiſa ſunt. Unde dicitur Numer. 25. *Phinees... avertit iram meam a filiis Iſrael*. Ibi habes hiſtoriam; ſic Sanctus Moyſes quum vidit deſcendens de monte Syna vitulum aureum & choros adorantium eum, iratus eſt valde, & confregit tabulas lapideas divinæ legis, ut habetur Exodi 32. reputans indignum margaritas verborum Dei ante illos porcinos exponere. Et caſtra ingreſſus ipſe cum Levitis zelo ducti interfecerunt viginti tria millia, qui adoraverant vitulum, qui prius in monte Domini placaverat ſua oratione Deum iratum contra populum illum, ita ut vellet delere.

Quod talis ira augeat meritum, patet ex hoc, quia per quemlibet actum virtutis meretur homo, & tanto magis, quanto major virtus, ceteris paribus. Sed iraſci per zelum eſt actus virtutis, & maximæ, ſcilicet pietatis; ſive pietas dicatur Dei cultus, quod pertinet ad religionem, quæ eſt maxima virtutum moralium; ſive ſumatur pro miſericordia, quæ eſt maxima in his, quæ ſunt ad proximum ſecundum B. Thomam 2. 2. quæſt. 33. Quod autem ſit hæc ira actus pietatis, oſtendit Hieronymus ſic dicens ad Riparium: *Legi Syromaſten*, ideſt vindictas, *Phinees, auſteritatem Eliæ, zelum Simonis Chananæi, Petri ſeveritatem. Ananiam & Saphiram trucidantis Paulli conſtantiam, qui Elymam magum viis Domini reſiſtentem æterna cæcitate damnavit. Non eſt crudelitas crimina pro Deo punire, ſed pietas*. Hæc ille, 23. quæſt. 8. *Legi*. Oportet tamen, quod ad puniendum habeat quis auctoritatem a Deo vel ab homine; alias non juſte fieret.

Pietas eſt punire crimina pro Deo, non crudelitas.

Eſt inſuper talis ira per zelum excitativa proximi ad cavendum malum, dum videt puniri in bonum faciendum; unde quum Rex Antiochus miſiſſet nuntium in civitate Modin, præcipiens Judæis omnibus, ut derelicta lege Dei, transferrent ſe ad mores gentilium ſacrificando idolis; ſubito quidam ex Judæis in conſpectu omnium ſacrificium obtulit idolo: quod videns Mattathias iratus zelo legis occidit illum Judæum & nuntium regis, & filios ac populum animavit & confortavit ad ſervandum legem Dei, deſerens civitatem cum multis millibus, & in deſertum receſſerunt, ne contaminarentur, ut habetur 1. Mach. 2.

De ira criminali. §. IV. Tertia dicitur criminalis, quum videlicet quis habet inordinatum appetitum vindictæ, ideſt punitionis alicujus propter aliquem defectum commiſſum. Et quia inordinatus eſt talis appetitus, ideſt non ſecundum ordinem rationis, dum ſcilicet deſiderat punitionem fieri, non propter juſtitiam & ſecundum juſtitiam, ſed propter indignationem ſui, & non debito modo; ideo peccat male utens paſſione iræ: ſed præcipue cavendum eſt, ne multum teneatur, ne ſecundum Auguſtinum in regula, ira tranſeat in odium & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Et ideo dicit Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*, ideſt non teneatis uſque ſero: vel melius: *ſol*, ideſt lumen rationis vel lumen gratiæ, *non occidat*, ideſt non ſuccumbat, *ſuper iracundiam veſtram*, ideſt non tinguatur & amittatur in ira veſtra, quia tunc incurretis tenebras peccati mortalis, per quod diabolus, non Chriſtus habitaret in vobis; unde ſubdit: *Nolite locum dare diabolo*: & de hac ira mortali intelligitur illud Matth. 5. *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*, ideſt damnatione æterna. Unde Ambroſius: *Ira ſæpe in crimen inducit innocentes*, 11. quæſt. 3. *Ira*. Et ponit exemplum de Phutifar patrono Joſeph, qui iratus contra Joſeph propter falſam accuſationem uxoris injuſte miſit eum in carcerem.

Remedia contra iram. §. V. Ponit autem Gregorius in 5. Moral. tria remedia contra iram. Primum eſt, ut homo in operibus ſuis conſideret, quæ ſibi poſſunt accidere, vel fieri adverſa, & ex alia parte recogitet quanta ſuſtinuit Chriſtus pro eo, & quam patienter, & ſine turbatione, immo orando pro crucifixoribus, & ſic imitari debet Dominum ſuum: 1. Petri 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus, qui*

pec-

peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, qui quum malediceretur, non maledicebat, quum pateretur, non comminabatur, ſicut facit iratus.

Secundum remedium eſt, ut cogitet quis defectus & injurias, quas ſæpe facit Deo & proximo: in omnibus his vult ſibi compati & non iraſci contra eum. Sic ergo & alteri ipſe faciat hoc jure naturali dictante, & non iraſcatur: Eccleſ. 28. *Homo homini ſervat iram, & a Deo quærit medelam*, quaſi diceret: Fruſtra quis medelam gratiæ, qua vulnera peccatorum curantur, petit a Deo, ſi ipſe permanet in ira cum proximo. Neque enim Deus peccatori reconciliatur, ſi ipſe cum proximo perſeverat iratus.

Tertium remedium eſt reſpondere irato humiliter & dulciter. Nam ut dicitur Prov. 15. *Sermo mollis frangit iram; ſermo durus ſuſcitat furorem.* Exemplum 1. Judicum de Gedeone. Exemplum 2. Regum de Tribu Juda, dura loquente contra Iſrael. Vel ſaltem tacere, juxta illud pſal. 76. *Turbatus ſum, & non ſum locutus*. De vitio iræ, & quam ſit grave, & quantum noceat, & quando eſt mortale vel veniale, & de diverſis gradibus ejus, habes in 2. parte tit. de ira.

CAPUT XII.

De cauſſa exteriori peccati.

NUnc de cauſſa exteriori peccati breviter videndum eſt. Ubi ſciendum, quod ſicut cauſſa interior peccati eſt & voluntas, ut perficiens actum peccati, & ratio quantum ad carentiam debitæ regulæ & appetitus ſenſitivus inclinans; ſic aliquid extrinſecum tripliciter poteſt eſſe cauſſa peccati. Vel quia movet immediate voluntatem, vel quia movet rationem, vel quia movet appetitum ſenſitivum. Sed quantum ad primum quum voluntatem interius non poſſit movere aliquid extrinſecum niſi Deus, & Deus non ſit cauſſa peccati; ſequitur, quod nil exterius poteſt cauſſare peccatum ex parte voluntatis, ſcilicet movendo ipſam immediate.

Deus non poteſt eſſe cauſſa peccati.

Quod autem Deus non ſit cauſſa peccati neque directe neque indirecte, ſic declaratur. Illud enim eſt cauſſa directe alteri ad peccandum, quod inclinat voluntatem ad peccandum; indirecte autem eſt cauſſa, quum non retrahit a peccato, quum poſſit & debeat; ſic prælatus non corrigens ſubditos dicitur cauſſa indirecta vitiorum eorum. Sed quod Deus non ſit cauſſa directa peccati ſui vel alterius, patet ex hoc, quia omne peccatum eſt per receſſum ab ordine, qui eſt in ipſum ſicut in finem; Deus autem ſecundum Dionyſium omnia inclinat, & convertit in ſeipſum ſicut in ultimum finem. Unde impoſſibile eſt, quod ſit cauſſa ſibi vel alteri diſcordandi ab ordine, qui eſt in ipſum. Quod etiam non ſit cauſſa indirecta peccati, patet, quia nulli eſt debitor ad dandam gratiam: gubernator enim navis non dicitur cauſſa indirecta ſubmerſionis navis ex hoc, quod non gubernat navem, niſi quando poteſt & debet gubernare. Quamvis enim Deus aliquibus non det auxilium ad vitandum peccatum (quod ſi daret, non peccarent) tamen quod non det, hoc totum facit ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ, quum ipſe ſit ſapientia & juſtitia, & ſic non imputatur ei, quod aliquis peccet & ſit cauſſa peccati. Et quamvis actus peccati in quantum actus, & in quantum ens ſit a Deo, quia omne ens eſt a primo ente, & omnis actus a primo actu, ideſt Deo; non tamen ſequitur, quod Deus ſit cauſſa peccati. Peccatum enim dicit actum cum quodam defectu, qui defectus eſt ex cauſſa creata, ſcilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, ideſt Dei; ſicut defectus claudicationis reducitur in tybiam curvam ſicut in cauſſam, non autem in virtute motiva, a qua tamen cauſſatur quidquid eſt motionis in claudicatione.

Quomodo Deus dicitur excæcare & obdurare.

Quod etiam Deus dicitur excæcare & obdurare, hæc duo important. Unum eſt motus animi humani inhærentis malo, & averſi a divino lumine; & ſecundum hoc Deus non eſt cauſſa excæcationis vel obdurationis. Aliud eſt ſubtractio gratiæ, ex qua ſequitur, quod mens divinitus non illuminatur ad recte videndum, & cor hominis non emollitur ad recte vivendum; & ſic obdurationis & excæcationis Deus eſt cauſſa. Et quantum ad quoſdam, ſcilicet reprobos excæcatio operatur ad damnationem, quantum ad quoſdam ad ſanationem, ſcilicet quoad electos, quos aliquando Deus permittit cadere, ut humiliores fiant. Thomas 1. 2. quæſt. 79. Unde *De pœnit.* Diſt. 2. dicit Auguſtinus: *Talibus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; uſque adeo prorſus omnia, ut etiam ſi qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipſum faciat eis proficere in bonum*, ut ſcilicet humiliores & ferventiores ſurgant. Exemplum in Petro, de quo dicit Ambroſius Diſt. 30. can. *Fidelior: Fidelior factus eſt Petrus, poſtquam fidem perdidiſſe deflevit.*

Diabolus directe non eſt cauſſa peccati.

Quum igitur Deus non ſit cauſſa peccati, ſequitur, quod nil exterius poteſt eſſe cauſſa peccati, niſi vel in quantum movens rationem, vel in quantum movens appetitum ſenſitivum. Et ſecundum hoc tripliciter aliquid poteſt eſſe cauſſa peccati, ſeu removere voluntatem ad peccandum. Uno modo per ipſum objectum propoſitum, ſicut cibus excitat deſiderium hominis ad comedendum; & ſic res ſenſibiles exterius apparentes movent voluntatem ad peccandum. Alio modo ille, qui proponit vel offert hujuſmodi objectum; & ſic diabolus vel homo movent ad peccandum. Tertio modo ille, qui perſuadet objectum propoſitum habere rationem boni, quia & hic aliqualiter proponit proprium objectum voluntati, quod eſt rationis bonum verum vel apparens; & ſic etiam diabolus vel homo movent ad peccandum perſuadendo ad malum. Et quia nullo iſtorum modorum trium poteſt aliquid directe cauſſa peccati eſſe, quum voluntas non neceſſitate moveatur ab aliquo objecto, niſi ab ultimo fine; ideo non eſt ſufficiens cauſſa peccati, neque res exterius oblata neque ille, qui eam cauſſam proponit, neque ille, qui ſuadet. Unde ſequitur, quod diabolus non ſit directe & ſufficienter cauſſa peccati, ſed ſolum per modum perſuadentis vel proponentis appetibile. Quod autem dicit Hieronymus, *De pœnit.* Diſt. 2. *Si enim inquit, ſ. Ceterum confido*, quod ſicut Deus eſt perfectio boni, ita diabolus mali; intelligenda eſt illa ſimilitudo in generali, in quantum videlicet ſicut Deus eſt cauſſa boni noſtri, ita diabolus aliquo modo eſt cauſſa mali; ſed non eodem modo, quia Deus operatur interius movendo voluntatem, quod non poteſt facere diabolus.

CAPUT XIII.

De tentatione multiplici, ſcilicet mundi, carnis & diaboli.

Qualiter diabolus aliquo modo eſt cauſſa peccati.

PRimo igitur videndum eſt aliquid breviter de tentatione diaboli, ſecundum quam dicitur aliquo modo eſſe cauſſa peccati. Ubi ſciendum ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 80. quod quum interior pars animæ ſit intellectiva & ſenſitiva: in-

tellectiva autem continet intellectum & voluntatem; voluntatem quidem diabolus per se & directe movere non potest; intellectus autem per se movetur ab aliquo illuminante ipsum ad cognitionem veritatis. Diabolus autem hoc non intendit circa hominem, sed magis obtenebrare ipsius rationem ad consentiendum peccato, quæ obtenebratio provenit ex phantasia, & appetitu sensitivo. Unde tota operatio diabolo interior videtur esse circa phantasiam & appetitum sensitivum, quorum utrumque commovendo potest inducere ad peccatum: potest enim operari ad hoc, quod imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præsententur; potest etiam facere, quod appetitus sensitivus ad aliquam passionem concitetur. Natura enim corporalis naturaliter spirituali obedit ad motum localem; unde & diabolus omnia causare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire possunt, nisi ex virtute divina reprimantur. Quod autem aliquæ formæ repræsententur imaginationi, consequitur quandoque ad motum locale. Similiter & quum appetitus sensitivus concitetur ad aliquas passiones secundum quemdam determinatum motum spirituum & cordis; diabolus etiam potest ad hoc cooperari. Ex hoc autem, quod passio est concitata in appetitu sensitivo, contingit, ut id, quod proponitur imaginationi, judicetur prosequendum, quia ei, qui a passione detinetur, videtur esse bonum, ad quod per passionem inclinatur, & per hunc modum diabolus interius inducit ad peccandum. Et quamvis diabolus possit propria virtute, nisi a Deo refrænetur, aliquem inducere ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere est peccatum, in quantum videlicet potest impedire usum rationis, movendo imaginationem & appetitum sensitivum, sicut in arreptitiis patet; tamen non potest indicere necessitatem peccandi. Ratio est, quia homo motivo ad peccandum non resistit, nisi per rationem; si igitur ratio sit totaliter ligata per opus diaboli moventis imaginationem, quidquid agat homo, tunc non imputatur ei ad peccatum. Si autem ratio non sit totaliter ligata ex ea parte, qua est libera, potest resistere peccato, unde Hieronymus, *De pœnit.* Dist. 2. §. *Si enim*, inquit §. *Liberi, liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur*. Et Ambrosius 15. quæst. 1. *Non est: Non est, quod cuiquam nostram adscribamus ærumnam, nisi nostræ voluntati. Nemo nostrum tenetur ad culpam, nisi propria voluntate deflexerit ..... Voluntarium sibi militem elegit Christus, voluntarium sibi servum auctionatur diabolus*, &c.

Diabolus neminem potest inducere ad necessitatem peccandi.

§. I. Et quia tentatio inducit ad peccatum, & sic est quasi causa, licet insufficiens peccati; agendum est de tentatione. Ubi notandum, quod quinque sunt illa, quæ tentant, sed variis modis, scilicet Deus, homo, caro, mundus & diabolus.

Quomodo Deus tentat homines.

Et Deus quidem tentat hominem, non ut decipiat, sicut diabolus, nec ut aliquid circa creaturam addiscat, quod prius nesciebat, qui omnia novit; sed ut bonum occultum ipsi tentato vel aliis patefaciat. Et sic *tentavit Deus Abraham*, ut habetur Genes. 22. ut scilicet ipsi Abrahæ innotesceret, & aliis etiam in exemplum, fides & obedientia, vel etiam ut defectum homini occultum sibi manifestet. Sic Christus tentavit Philippum, quando dixit: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Joann. 6. Et ad idem facit, quod dicitur Deuter. 13. *Tentat vos Dominus deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum*; & habetur 26. quæst. 5. *Nec mirum* circa finem. Nec est contra illud, quod dicitur Jacobi 1. *Deus neminem tentat:* hoc enim exponitur diversimode, videlicet secundum glossam, quia non tentat, ut decipiat vel pervertat, sicut facit diabolus immittendo malas cogitationes vel mala culpæ. Vel secundum Augustinum: *Deus neminem tentat* inducendo in tentationem. Vel secundum Bedam loquitur de tentatione interiori, qua sæpe concipitur malum, non de tentatione exteriori tribulationis. Vel *neminem tentat Deus* secundum B. Thomam ad discendum, quod ignoret. Quum ergo tentari a Deo non sit malum, sed bonum; non debet homo refugere tentari. Nam ut dicitur Ecclesiastici 34. *Qui tentatus non est, qualia scit?* quasi dicat, qui non est tentatus, idest in tribulatione probatus, & examinatus, parum vel nihil scit qualiter se debet habere in tribulatione. Vel quia non habet notitiam tribulationum per experientiam, quæ est optima magistra. Multa enim videntur bona ab inceptis, quæ mala cognoscuntur ab expertis, nec scit compati tribulatis & tentatis. Est etiam periculosissima res nulla tentatione pulsari secundum Augustinum, quia inde procedunt multa mala. Et primum est elatio cordis, secundum est incircumspectio sui, tertium incompensatio tentatorum, quartum despectio aliorum, quintum ignorantia agendorum, sextum privatio præmiorum, septimum incursio æternorum suppliciorum; propter quod e contra dicitur Jacobi 1. *Omne gaudium existimate fratres, quum in tentationes varias incideritis.*

Quomodo homo tentat Deum.

Secundo tentat homo Deum, juxta illud Psalmistæ: *Tentaverunt Deum in cordibus suis*. Dicitur autem quis tentare Deum, quum prætermittit facere, quod ex se potest, ad pericula evadenda, & ad subsidia temporalia quærenda, solum ad auxilium divinum respiciens. Sicut diceretur aliquis tentare equum, quando eum sine magna necessitate vel utilitate currere facit, non autem quando ex necessitate, puta ut hostes fugiat; vel ex utilitate, puta ut bravium apprehendat, quum aliter obtinere non possit. Sic quum quis se sine ratione committit alicui periculo in aliquo faciendo, quum aliter sibi possit providere sine periculo, iste dicitur tentare Deum ad experiendum, scilicet utrum possit liberari ab eo. Quod prohibet Dominus, dicens: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, Deuteron. 6. Et hoc Christus vitavit, quando tentanti eum diabolo mittere se deorsum de pinnaculo, recusavit, allegans dictam auctoritatem, ut habetur Matthæi cap. 4. Hoc etiam egit Abraham, quum uxorem suam Sarai dixit sororem, non dicendo mendacium, sed veritatem occultando, ut habetur Genes. 12. In quo facto, inquit Augustinus, *ostenditur, quod nemo Deum suum tentare debet, dum habet quod rationabili consilio faciat. Fecit, quod potuit*, scilicet Abraham, *& quod non potuit, Deo commisit*, 2. 2. quæst. 2. *Quæritur.*

Quod si quis objiceret, quod tentare Deum non sit peccatum, ex eo quia tentare Deum est experiri bonitatem & voluntatem Dei: sed hoc non est peccatum, quia in psal. 33. dicitur: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*; respondetur, quod cognitio divinæ bonitatis est duplex, idest speculativa & affectiva. Et quantum quidem ad cognitionem speculativam non licet dubitare, utrum suavis & bonus sit Deus, quia hoc esset tentare Deum. Sed quantum ad cognitionem affectivam, dum scilicet aliquis affectat in seipso experiri gustum divinæ dulcedinis, & complacentiam divinæ voluntatis; sic licitum est, & hoc non est tentare Deum. Quomodo autem istud, scilicet tentare Deum sit peccatum speciale, & quot modis homo potest tentare Deum, habes in 2. parte tit. 3. cap. 10.

Caro tentat hominem.

Tertio tentat caro hominem, idest concupiscentia carnis judicium rationis pervertendo, aut impediendo. Unde Apostolus Galat. 5. *Caro concupi-*

cupiſcit adverſus ſpiritum. Et Jac. 1. *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus*, a Deo ſcilicet & regula rationis per paſſionem, & *illectus* a ſenſibilibus. Dicitur autem caro tentare hominem inſtrumentaliter vel materialiter, in quantum ſcilicet poteſt cognoſci, qualis ſit homo, ex hoc, quod ſequitur vel repugnat concupiſcentiis carnis ſecundum Thomam in 1. parte, quæſt. 115. Ubi ſciendum, quod tentatio carnis ſemper eſt peccatum. Cujus ratio eſt, quia omnis appetitus animæ inordinatus eſt peccatum: ſed motus carnis, qui eſt ex apprehenſione delectabilis, eſt actus & appetitus animæ inordinatus, quia ipſa anima eſt, quæ inordinate movetur, & appetit, licet mediante carne; ergo &c. Sed ſi motus carnalis inſurgeret ex calefactione corporis ſine imaginatione aliqua, eſt pure naturalis, nec habet rationem peccati. Et ad hoc poteſt diabolus cooperari ſua virtute.

Ex tribus tentatio redditur difficilis.

Conſiderandum etiam, quod tentatio aliqua eſt difficilis ad vitandum propter tres cauſſas, ſcilicet propter fortitudinem, debilitatem & propinquitatem. Et quantum ad fortitudinem impugnantis ſic tentatio ab hoſte, ideſt diabolo, eſt difficilis ad vitandum. Unde dicitur 16. quæſt. 2. *Viſis, Mille namque nocendi habet modos, nec ignoramus aſtutiam ejus. Conatur namque a principio ruinæ ſuæ unitatem eccleſiæ reſcindere, caritatem vulnerare, ſanctorum operum dulcedinem invidiæ felle inficere, & omnibus modis humanum genus evertere, & perturbare*. Dicitur etiam Jobi penul. *Non eſt poteſtas ſimilis ei ſuper terram*.

Quantum vero ad ſecundam cauſſam difficultatis in tentatione, ſcilicet propter debilitatem tentati, ſic tentatio carnis eſt difficilior ad vitandum vel vincendum, quia tentatio carnis magis debilitat hominem, qui eſt magis pronus ad peccata carnalia, quam ſpiritualia. Unde & de diabolo dicitur Jobi 40. *Fortitudo ejus in lumbis & in umbilico manet*, quia videlicet per luxuriam carnis multum dominatur hominibus. Sedes enim luxuriæ in viris eſt in lumbis, quia inde decidit̃ur ſemen, ſicut mulieribus ab umbilico.

Quantum ad tertiam cauſſam, ſcilicet propter propinquitatem etiam tentatio carnis eſt magis vicina ipſi tentato; ideo eſt difficilior: quantum enim hoſtis eſt magis propinquus, tanto magis poteſt nocere. Unde & Boetius dicit, quod nulla efficacior peſtis ad nocendum, quam familiaris inimicus. Mundus etiam tentare dicitur improprie, ſcilicet inſtrumentaliter vel materialiter, in quantum ſcilicet poteſt cognoſci qualis ſit homo, ex hoc, quod contemnit proſpera mundi, vel adverſa, quibus etiam utitur diabolus ad tentandum, ſecundum B. Thomam 1. par. Et de hoc bello tentationis mundi, inquit Apoſtolus ad Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem*, ſcilicet ſolum, *ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores* &c. Et Auguſtinus in ſermone: Duplicem aciem contra milites Chriſti mundus producit; demulcet proſperis, deterret adverſis. Poteſt igitur dici tentatio mundi, in quantum homo vel ex malitia propria, vel inſtigatus a diabolo, inducit alium ad malum. Nam & mundus dicuntur peccatores mundi amatores.

Mundus tentat hominem.

Fit autem hoc tripliciter, ſcilicet quod unus tentet alium. Uno modo perſuadendo. Unde Auguſtinus: *Si fratri tuo mala perſuades, occidis*, ſcilicet animam ejus, quantum ex te, ad peccatum inducendo, *De pœnit.* Diſt. 1. *Noli*. Unde pſal. 56. *Lingua eorum*, ſcilicet male perſuadentium, *gladius acutus*. Secundo modo tentat mundus, ſcilicet perſequendo; quod figuratum fuit in Iſmahele perſequente Iſaac, de quibus Apoſtolus ad Galat. 4. *Is, qui ſecundum carnem natus eſt, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum*. Cogebat enim Iſmahel major natu Iſaac adorare imagines luteas, quas ipſe faciebat, ut dicit Magiſter hiſtoriar. Hinc Liberius Papa: *Omnes, qui volunt in Chriſto pie vivere, perſecutionem patiuntur; & ideo non vos a pio mentis propoſito afflictionis amaritudo coarctet recedere, conſiderantes quanta pro abſolutione noſtra & liberatione Creator noſter Deus ac redemtor pertulerit*, 7. quæſt. 1. *Suggeſtum*. Tertio modo tentat mundus, ideſt homines mundi ſcelerate in manifeſto vivendo; & ſic ſuis exemplis ad malum inclinant alios, quia ut dicitur 20. quæſt. 3. can. 2. *Proclivis eſt curſus ad voluptatem, & imitatrix natura vitiorum*, ſcilicet eſt. Et 28. quæſt. 1. *Sæpe*, dicitur: *Sæpe malorum conſortia etiam bonos corrumpunt, multo magis eos, qui ad vitia proni ſunt*: propter quod dicitur Eccleſiaſtici 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*.

Unus homo tentat aliũ tripliciter.

Poſſunt etiam dici mundus iſta bona ſenſibilia mundi, quæ alliciunt appetitum ad ſui affectum, & diabolus eis utitur proponendo ad tentandum tamquam magna bona. Unde quum bonum ſit illud, quod trahit appetitum ad ſui amorem, etſi illud ſit verum bonum vel apparens, quum aliquid boni ſit in iſtis ſenſibilibus, licet minimum reſpectu ſpiritualium bonorum, non attendens homo ad vera bona ſpiritualia & cæleſtia, ipſis poſtpoſitis, exterioribus & ſenſibilibus ſe immergit, ea amans vel in quantum delectabilia ut cibos & venerea, vel tamquam utilia ut divitias, vel tamquam honeſta ut honores & reverentias, quæ exhibentur in teſtimonium virtutis, vel ſcientiam, ut inde honoretur. Et de his omnibus, quomodo ſcilicet rapiant appetitum, oſtendit Adamantius dicens: Sed *irrationabilis impetus prævenit, & flamma celerrimi motus depaſcitur animam, & exurit ejus innocentiam. Præponderant enim futuris præſentia, ſeriis jucunda, & læta triſtibus, & præpropera tardioribus. Velox enim iniquitas, quæ ad nocendum occaſionem ſuggerit*, De pœnit. Diſt. 3. *Inter hæc*. Et ſic anima miſera, deſerto ſummo bono, inhæret ut fini bono creato, æſtimans illud ſuper omnia alia appetendum in ipſo actu peccati, ſimilis illi, qui propter delectationem eſus unius ficus, non curat amittere unum regnum. Unde Auguſtinus dicit, quod peccatum non eſt appetitus malarum rerum, ſed deſertio meliorum.

Mundus alio modo accipitur, & tentat.

Proprie diaboli eſt tentare.

Ultimo & proprie tentare eſt diaboli; unde 1. ad Theſſalon. 2. *Ne forte tentaverit vos is, qui tentat*, ſcilicet diabolus. Tentare enim proprie eſt experimentum ſumere, ſecundum Thomam 1. par. quæſt. 115. De aliquo autem experimentum ſumitur aliquando, ut ſciatur aliquid circa ipſum, ut puta utrum intelligat vel ſciat reſpondere ad aliquid, de quo interrogatur, vel utrum velit facere, quod petitur. Aliquando autem ultra ſcientiam talem quæritur aliquis alius finis bonus vel malus. Et bonus quidem, ut quum aliquis vult ſcire, quid ſit, vel qualis ſit, ut eum promoveat & adjuvet, ſicut Magiſter tentat ſcholarem. Malus autem finis intenditur, quando hoc ſcire vult, ut decipiat vel ſubvertat & noceat; & hoc ſecundo modo & fine ſemper diabolus tentat, ut ſcilicet noceat in peccatum præcipitando. Et ſecundum hoc dicitur proprium officium ejus tentare: & ſi aliquando homo ſic tentat, hoc agit, in quantum eſt miniſter diaboli: ſicut tentaverunt Judæi Chriſtum & Phariſæi, quando interrogaverunt de deprehenſa in adulterio, ut habetur Joann. 8. & de cenſu Cæſari dando, quibus reſpondit: *Quid me tentatis, hypocritæ?* Matth. 22.

§. II. Triplici enim de cauſſa movetur diabolus ad tentandum homines, ſcilicet ex malitia, ſuper-

Cauſſa triplex, quare diabolus tentat hominem.

ſuperbia & invidia. Ex malitia quidem; quia quum odio Deum habeat, in quantum punitor eſt ejus, ex malitia ſua quærit avertere a ſervitio ipſius Dei homines, in quantum poteſt. Sicut is, qui inimicatur alicui & odit, quærit avertere ab ejus obedientia & reverentia ſubditos ejus, & nocere quantum poteſt, & præcipue ſanctos viros. Unde dicitur Jobi 40. [1] *Eſca ejus electa, & habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ſuum*, ideſt quod devoret baptiſmo purgatos, qui baptiſmus habuit originem in Jordane, & propterea baptizati deſignantur per Jordanem.

Secunda cauſſa, quare tentat, eſt ſuperbia ejus: ſicut enim boni Angeli miniſtrant Deo in determinatis officiis ad ſalutem hominum; ſic dæmones propter eorum ſuperbiam divinæ poteſtatis ſimilitudinem uſurpantes, determinant ſibi certos & determinatos miniſtros ad impugnationem hominum; unde & de eo dicitur Jobi penul. *Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.*

Exemplum in Vitis patrum de fathana, qui fuit viſus a quodam exigere rationem a ſatellitibus ſuis dæmoniis inferioris gradus, de malis, ad quæ induxerant tentatos per ipſos, & illum, qui quemdam ſanctum virum in eremo commorantem tentatum ab eo per plurimos annos, ad ruinam tandem adduxerat luxuriæ, multum commendavit & honoravit.

Tertia cauſſa, quare tentat, eſt invidia ſui. Nam dæmones ſaluti hominum invidentes, profectum eorum per tentationem impedire nituntur. Unde dicitur Sap. 2. *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Et 16. quæſt. 2. can. *Viſis*, dicitur de eo, quod *dolet ſatis, & erubeſcit, caritatem, quam nequivit in cælis habere*, ideſt conſervare, *homines conſtantes ex lutea materia in terris tenere.*

Prima quæſtio.

Sed hic occurrunt tres quæſtiones. Et prima eſt, quia quum Deus ſit amator juſtitiæ, videtur, quod non debeat permittere homines tentari a dæmoniis. Quum ipſi homines ſint infirmi & ignari, ac e contra dæmones multum potentes & aſtuti, inter eos non videtur eſſe æquale bellum vel pugna. Sed ad hoc reſpondetur, quod licet conditio pugnæ vel belli inter eos non videtur eſſe æqualis; ſit tamen recompenſatio per divinam gratiam & per Angelorum cuſtodiam, nec permittit tentare quantum volunt dæmones, ſed quantum poſſunt reſiſtere homines; unde 1. Cor. 10. dicitur: *Fidelis Deus*, ideſt verax in promiſſis, *non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum*, dando ſcilicet virtutis augmentum. Nam ſecundum gloſſam, qui dat diabolo tentandi licentiam, dat tentatis miſericordiam & gratiam. *Vel facit cum tentatione proventum*, robur & conſtantiam dando, ut poſſitis ſuſtinere, ideſt vincere, vel patienter & perſeveranter ſuſtinere, ne deficiatis in luctu.

Secunda quæſtio.

Secunda quæſtio eſt, quia videtur, quod quum natura humana ſit infirma & debilis, ſufficiat ei impugnatio, quæ eſt a carne & a mundo; unde non videtur, quod ei conveniat etiam impugnatio, quæ eſt a diabolo.

Sed ad hoc reſpondetur, quod infirmitati humanæ quoad exercitium ſufficeret ei impugnatio, quæ eſt a carne & a mundo; ſed malitiæ dæmonum non ſufficeret, quia etiam utraque impugnatione utitur ad malum. Sed Deus illam impugnationem ordinat ad gloriam, & majorem coronam electorum ſuorum, & confuſionem dæmonum quum vincuntur; unde pſal. 103. inquit: *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.* Forma-

[1] Hæc verba, *Eſca ejus electa*, deſunt in Scriptura.

vit ſiquidem Deus draconem, ideſt diabolum ad participandum gloriam; ſed ex ſuperbia ſua eam amittens, & homines per tentationes infeſtans, glorioſus Deus malitiam draconis convertit in bonum electorum ſuorum, ſcilicet quum tentati ab eo vincentes, coronas præmiorum ſibi adaugent; & ſic in pugna ei illuditur, dum electi non acquieſcunt ſuggeſtionibus ejus, ut ipſe intendit & credit, ſed reſiſtunt, ſicut patet in exemplo Jobi cap. 1.

Tertia quæſtio.

Tertia quæſtio eſt, an omnia peccata a dæmonis tentatione procedant. Ad quod dicendum, quod aliud eſt eſſe occaſionem alicujus effectus, aliud eſt eſſe cauſſam ejus, ſicut v. g. deſiccans ligna eſt occaſio conbuſtionis lignorum; importat enim occaſio virtutem productivam alicujus effectus, ſed imperfectam; cauſſa autem perfectam. A ſimili: diabolus in quantum inſtigavit primum hominem ad peccandum, dicitur occaſio omnium peccatorum, in quantum ſcilicet ex illo peccato natura humana fuit ita vitiata, ut omnes homines ſint proclives ad peccandum. Sed directe diabolus non eſt cauſſa omnium peccatorum humanorum, ita quod ipſe omnia ſuadeat, aut quod efficaciter ad peccandum ipſe inducat; ſed directa, & per ſe, & principalis cauſſa peccati eſt libertas arbitrii & corruptio carnis; unde Origenes dicit, quod etiam ſi diabolus non eſſet, haberent homines appetitum cibi & venereorum, qui poſſet eſſe inordinatus, niſi ratione regularetur, quod ſubjacet libero arbitrio. Et Auguſtinus dicit etiam, quod non omnes cogitationes malæ a diabolo immittuntur; ſed aliquæ emergunt arbitrii motu. Thom. 1. parte quæſt. 79.

Circa tentationem autem diaboli tria poſſunt notari, ſcilicet

Generalitas vitiorum, de quibus tentat.

Varietas modorum.

Et qualitas tentatorum.

Diabolus tentat de omni crimine.

§. III. Et quantum ad primum, ſcilicet generalitatem vitiorum, diabolus tentat de omni crimine, ex omni latere, & in omni tempore. Quod autem tentet de omni crimine, patet per hoc, quod dicit Chriſtus Matth. 12. de ſpiritu immundo, ideſt diabolo, quod *vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe*, & ingreſſi in domum vacantem *habitant ibi*. Spiritus iſte immundus dici poteſt diabolus, qui tentat de acidia, quia acidia & otioſitas permaxime eſt cauſſa omnium malarum cogitationum & immundarum affectionum. Septem ſpiritus, quos ſecum aſſumit, ſunt ſeptem vitia capitalia ipſo graviora, ſcilicet ſuperbia, vanagloria, avaritia, ira, invidia, gula, luxuria, de quibus tentant dæmones. Et ſicut Angeli boni ſumunt ſibi nomina ab officiis, quæ circa nos gerunt; ita & dæmones ſumunt ſibi nomina a vitiis, de quibus præcipue impugnant. Nam etſi omnes de ſingulis peccatis tentare poſſint, magis tamen de uno aliquo unuſquiſque impugnat, ſecundum Magiſtrum 2. Sententiarum.

Nomina diabolorum tentantia.

Et nomina ipſorum in ſacra pagina reperiuntur. Unde qui de ſuperbia tentat, *Leviatham* dicitur, quod interpretatur *additamentum eorum*. Tentans enim primos parentes de ſuperbia, promiſit eis additamentum divinitatis, de quo nomine dicit Dominus per Iſaiam 27. *Viſitabo ſuper Leviatham ſerpentem vectem & tortuoſum*. Tentans enim de inani gloria dicitur *Lucifer*, quaſi lucem ferens, ſcilicet gloriæ temporalis. De quo Iſaiæ 14. dicitur: *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Tentans de avaritia dicitur *Mammona*, quod interpretatur *divitiæ*, circa quas eſt avaritia. De hoc dicitur Matth. 6.

Non

Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ. Tentans de ira dicitur *Abedeom*, quod interpretatur *exterminator*. Ira enim ponit hominem extra terminos rationis, & extra terminos humanæ converſationis, quia iracundus non de facili reperit ſocietatem. Tentans de invidia dicitur *Sathan*, quod interpretatur *adverſarius*, quia invidus adverſatur ſeu contrariatur omni bono alterius, cui invidet, de quo Lucæ 22. dicit Chriſtus: *Ecce Sathan expetivit vos*, ſcilicet ad tentandum. Tentans de gula dicitur *Behemoth*, quod interpretatur *animal*, quia gula facit hominem animalem & brutalem, de quo dicitur Jobi 40. *Behemoth principium viarum Domini*, ideſt prima ipſarum operationum, non ordine temporis, ſed dignitate. Tentans de luxuria dicitur *Aſmodæus*, quod interpretatur *factura judicii*, quia propter hujuſmodi vitium factum fuit terribile judicium ſuper Sodomam, & quattuor aliis civitatibus. Et figurantur his vitiis dediti per octo dæmoniacos, de quibus habetur in Scriptura ſacra.

Superbi enim figurantur per filios quoſdam Judæorum, qui in nomine Pauli Apoſtoli quærebant dæmones expellere ab obſeſſis, in hoc committentes magnam ſuperbiam & præſumtionem, facientes quod non congruebat conditioni eorum; unde & a dæmoniis arrepti ſunt, ut habetur in Actibus Apoſtolorum 19. Vanaglorioſi figurantur per filiam Chananææ Matth. 15. & Marc. 7. Nam communiter juvenculæ ſunt deditæ vitio inanis gloriæ in ornatibus, picturis, fucis & hujuſmodi.

Avari figurantur per ventiloquam, quæ habebat ſpiritum pythonicum, unde divinabat, & inde magnum quæſtum ſuis dominis procurabat, ut habetur in Actibus Apoſt. 16. Vel etiam per lunaticum illum, quem diabolus ſæpe projiciebat in ignem vel aquam, ut habetur Matth. 17. Marc. 9. & Luc. 9. Inducit enim diabolus avaros ad multa pericula frigorum & calorum propter temporalia.

Iracundi figurantur per habentem ſpiritum immundum, qui clamabat in templo: *Quia tu es filius Dei* &c. Luc. 4. Iracundus enim clamat præ ira nominando aliquando Deum & ſanctos, ſed male, ſcilicet blaſphemando.

Invidi deſignantur per Saulem, quem invaſit ſpiritus malus, ut habetur 1. Regum 16. Hic autem per invidiam perſecutus eſt ſanctum David.

Guloſi figurantur per dæmoniacum habitantem in monumentis & nudum incedentem, ut habetur Luc. 8. Nam vitium gulæ & denudat hominem temporali ſubſtantia, & diſcooperit ad turpia, ſicut patet in Noe poſt ebrietatem, & abbreviat vitam, & ducit ad ſepulturam.

Luxorioſi figurantur per viros Sarai, qui obſeſſi a diabolo occiſi ſunt vitio libidinis, cui intendebant, etſi cum propria conjuge.

Acidioſi vero ſignificantur per dæmoniacum mutum, Luc. 11. Surdum etiam ſecundum Marcum, quia acidia facit hominem taciturnum a laude Dei, & confeſſione peccati, & ſurdum ab auditione divinorum & correctionum.

Diabolus tentat homines ex omni latere.

Secunda tentat diabolus homines ex omni latere, videlicet ab ante, & retro, ſurſum, & deorſum, a dextris & ſiniſtris. Ab ante tentat, ut ſcilicet a bonis inceptis quis deſiſtat. A retro, ut ſcilicet ad mala præterita redeat. Quod contra dicitur de ſanctis animalibus, quæ ſignificant electos, quod *quum incederent*, ſcilicet in ante, *non revertebantur*, ſcilicet retro, Ezech. 1. quia videlicet proficiunt in actione virtutum, & non redeunt ad commiſſa vitiorum. Sicut Apoſtolus de ſe dicit ad Philipp. 3. *Quæ retro ſunt oblitus*, ſcilicet peccata non iterando, *in anteriora me extendens ad bravium ſequor ſupernæ vocationis*, Luc. 17. *Memores eſtote uxoris Loth*, quæ reſpiciens retro, converſa eſt in ſtatuam ſalis, Geneſ. 19. A ſurſum tentat diabolus, quum inſtigat, ut de bonis operibus ſuperbiant homines. A deorſum tentat, quum ad deſperationem provocat: & de his duobus modis dicit pſal. 106. *Aſcendunt uſque ad cælos*, ſcilicet homines per ſuperbiam, dum ſibi attribuunt, quod Dei & ſanctorum eſt, qui habitant in cælis, *& deſcendunt uſque ad abyſſos*, ſcilicet inferni per deſperationem, cui ſunt dediti damnati. Sed e contra dicitur Eccleſiaſtici 11. *In die bonorum*, ſcilicet operum, vel proſperitatis, *ne immemor ſis malorum*, ideſt peccatorum, vel adverſorum, quæ contigerunt vel poſſunt contingere, ut humilieris, non inde ſuperbias. *Et in die malorum, ne immemor ſis bonorum* factorum, vel quæ poteſt tibi Deus facere, ut fiduciam ſumas, non deſperationem, ſicut columbæ, quæ inſecutæ ab accipitre per aerem volitant in imis, & per terram inſecutæ ab eo volant fugiendo per altum aeris.

A dextris tentat diabolus, ut proſperis abutatur. A ſiniſtris, ut adverſis per impatientiam frangatur. Et de his, qui in tentatione vincuntur, dicitur pſal. 90. *Cadent a latere tuo*, ſcilicet Dei, ideſt a ſiniſtris adverſitatis, *mille & decem millia a dextris tuis*, ideſt per proſperitatem, quia multo plures abutuntur proſperitate, quam adverſitate, ſicut patet in David & Salomone. Sed e contra dicit Apoſtol. 2. Cor. 6. *Exibeamus nos ſicut Dei miniſtros . . . . . per arma juſtitiæ a dextris & a ſiniſtris*, &c. proſpera rectitudine temperantiæ moderando, & adverſa virtute conſtantiæ ſufferendo.

Ex omni quoque latere tentat diabolus, quia ex omni elemento. Ex igne, qui eſt ſupra nos in ſphæra ſua, ſicut tentavit Nabuchodonoſor ad mittendum tres pueros Ananiam, Azariam, Miſahelem in fornacem ignis, Dan. 3. Ex aere, qui eſt circa nos, ſicut tentavit Simonem magum ad volandum per aera ductum a dæmoniis, ſed oratione Apoſtolorum dimiſſus & confractus eſt. Ex aqua, quæ eſt juxta nos, ſicut tentavit Pharaonem ad faciendum projicere in aquam parvulos Hebræorum, Exodi 1. Ex terra, quæ eſt infra nos, ſicut tentavit illos, qui *ſtatuerunt oculos ſuos*, ideſt intentionem, *declinare in terram*, ideſt in terrenis, inter quos fuit Saphat, qui repertus eſt colligere ligna de terra in die ſabbati.

Tentatio quique ſui.

Tentat etiam ex omni latere, ideſt, ex omni ſenſu exteriori, ut de viſu, quando inſtigat ad videndum illicita vel vana ſicut tentavit Dynam filiam Jacob ad egrediendum domum, ut videret mulieres regionis, quæ violata fuit, Gen. 34. De auditu vero, quando *noluerunt intelligere, ut bene agerent*, ſicut Matthatias cum reliquis Judæorum, qui remanſerant in Hieruſalem de captivitate, qui noluerunt audire Hieremiam loquentem eis ex parte Dei, ne deſcenderent in Ægyptum. Vel etiam quando *a veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur*. 2. Tim. 4.

De odoratu, quando facit odorari ſuavia, & infirma vitari & faſtidire, quibus dicitur per Iſaiam 3. *Erit pro ſuavi odore fœtor*, ſicut dives Epulo, qui faſtidivit Lazarum ulceroſum, nunc in fœtore ignis & ſulphuris torquetur, & in inferno, Luc. 16.

De guſtu, ſicut tentavit Evam, Geneſ. 3. & Chriſtum in deſerto, quando dixit: *Dic, ut lapides iſti* &c. Matth. 4. De tactu, contrectando aliena invito Domino, quod pertinet ad furtum, ſicut Acham, qui abſtulit virgam auream & chlamydem coccineam & pecuniam de rebus Hiericho prohibitis.

bitis, Josue 7. Vel etiam tangendo impudica, sicut Onan & Hers, Gen. 38.

Tentavit quoque in cælo, quando scilicet draco traxit ad terram tertiam partem stellarum, ut dicitur in Apoc. 12. quia scilicet exemplo primi Angeli superbientis, alii inferiores inclinati sunt ad idem; voluntarii tamen, non coacti.

In paradiso terrestri tentavit & vicit primos parentes serpens, qui *erat calidior cunctis animantibus*, idest diabolus per serpentem, Genes. 3. In mundo tentavit Cain de fratricidio, & filios Dei descendentes ex generatione Seth, ut *videntes filias hominum*, idest descendentes ex progenie Cain, qui mali erant, *quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores*, unde & pravi facti sunt, Genes. 6.

Diabolus tentat omni tempore.

Tertio tentat diabolus in omni tempore a principio, scilicet mundi usque ad finem, & ab eo tempore, quo quis incipit habere usum rationis usque ad decrepitam ætatem. Unde Salvator Luc. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia illa*, scilicet tentamenta: & Gregorius 24. Moral. tractans illud Jobi: *Hæc operatur de tribus vicibus per singulos*, scilicet homines, ubi loquitur Job de homine tentato, & post tentationem consolato secundum expositionem ejus, dicit hominem tentari a diabolo tribus vicibus, idest in principio conversionis, & in medio probationis, & in termino migrationis. Et in principio quidem conversionis, idest quando efficaciter vult vitia deserere per pœnitentiam, vel ad religionem transire, cogitanti ista occurrit sibi illa familiaris sua carnalis delectatio, quæ inveterata quanto diutius sustinuit, tanto acrius stringit. Et quis ibi mœror, quæ anxietas, quando huc spiritus vocat, hinc caro revocat? Unde & de hoc amarescente homine dici potest, quod Job ait 33. *Appropinquavit corruptioni anima ejus* &c. Sed quia divina gratia diu nos istis difficultatibus affici non permittit, ruptis peccatorum nostrorum vinculis, citius nos ad libertatem conversionis novæ consolando perducit, & præcedentem tristitiam subsequens lætitia refovet, ut de ipso dici possit quod ait Jobi 33. *Liberavit animam ejus, ne pergeret in interitum*, &c. Figura de labore & anxietate, quam habuerunt Israelitæ in exeundo de Ægypto & de mari rubro, quum Pharao sequeretur eos. Sed quia conversio securitatem parit, mater autem negligentiæ solet esse securitas, ne securitas negligentiam generet; scriptum est: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam ad tentationem*, Ecclesiastici 2. Quod in Christo figuratum fuit, quia post baptismum in deserto tentatus fuit, Matth. 4. Tres autem sunt modi conversorum, scilicet inchoatio, ubi sentiuntur blandimenta dulcedinis, mediatio, ubi experiuntur certamina tentationis, & terminatio talis, scilicet status probationis, ubi habetur perfectio plenitudinis.

Tres modi conversorum.

Prius ergo dulcia suscipiunt conversi, quibus consolentur, postea amara, quibus exercitentur, & demum suavia, quibus confirmentur. Nam & sponsam vir quisque prius dulcibus blandimentis fovet, quam conjunctam asperis increpationibus probat, probatam secure possidet. Unde in figuram plebs Israelitica cum ad nuptias mentis ex Ægypto revocaretur a Deo, quasi arrharum vice prius accepit blandimenta signorum: conjuncta autem, scilicet per legem acceptam, probationibus exercetur in eremo, probata in terra promissionis virtutis plenitudine confirmatur. Sæpe enim conversi in ipso adhuc principio suæ conversionis, vel tranquillitatem suæ pacatissimæ carnis, vel dona alia suscipiunt, & post hoc duris tentationibus fatigantur, quibus si in ipso principio tangerentur, forte deficerent. Sæpe enim tam diutina sunt tentationum certamina, quam longa fuerunt in inchoatione blandimenta. Sæpe autem magis dat in inchoatione dulcedinis, minus autem in labore probationis, & aliquando econverso. Plerumque etiam ex eo, quod conversus quisque in inchoatione magnam gratiæ dulcedinem & dona recepit, confirmationem accepisse perfectionis se arbitratur; unde fit, ut dum subita tentationis procella tangitur, despectum se a Deo & perditum arbitretur, & hoc quia suam conditionem & statum ignorat. Plerumque etiam conversus quisque talibus tentationibus agitatur, qualibus ante conversionem numquam pulsatum se reminiscitur; & hoc, non quia hæc eadem tentationis radix deerat, sed quia non apparebat multis occupato. Juxta summam vero certaminis remuneratur quisque plenitudine perfectionis & consolationis secundum illud psal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde* &c. unde Christo post tentationem *accesserunt Angeli, & ministrabant ei*.

Restat demum dura in morte tentatio. Considerat enim conversus & probatus, quia oportet de omnibus judicari, & severe, etiam de cogitationibus minimis. Quis enim considerare valeat, quanta mala per momenta temporum ipsis inconstantibus cogitationum motibus perpetramus. Propter hoc David timens ait psal. 142. *Non intres in judicium cum servo tuo:* & quid facient tabulæ, si tremunt columnæ? Unde & Christus solutioni carnis appropinquans & membrorum suorum speciem servans, *factus in agonia* certaminis *prolixius orabat*, Luc. 22. sed Dei adjutorio conversus & probatus tentatorem vincens ad jubilum supernæ patriæ pervenit: & de tentationibus in morte habes supra in præcedenti titulo.

Mortis dura tentatio.

Tentat etiam diabolus in omni tempore unius & ejusdem operæ, quia in principio bonæ operationis, in medio, & in fine, ut declarat Gregorius in 1. Moral. Et in principio bonæ actionis impugnat instigando mentem, ut siniſtram intentionem in ipsa habeat, ut scilicet illam faciat non propter Deum, sed propter sui laudem vel alium mundanum respectum. Intentio autem principium potest dici operis; quia finis, ad quem respicit intentio, movet agentem ad operandum: & ad hoc facit, quod dicitur Thren. 1. *Facti sunt hostes in capite ejus*, scilicet dæmones insidias posuerunt tentatis, *in capite*, idest in principio operationis. Quod si ei resistitur, intentionem firmando in Deum, tunc ponit insidias in prosecutione operis, inducendo vel ad vanam lætitiam vel nimiam tristitiam & acidiam, vel iracundiam vel omissionem alicujus debitæ circumstantiæ in ipso exercitio boni operis, eleæmosynæ scilicet, orationis, jejunii, correctionis, & hujusmodi. Unde psal. 141. *In via hac, qua ambulabam*, scilicet bonorum operum, *absconderunt laqueum*, scilicet tentationis, *mihi* dæmones. Et ad hoc firmandum ponit ipse Gregorius figuram, quæ habetur Hierem. 41. videlicet quod *octoginta viri de Sylo & de Samaria rasi barba, & scissis vestibus* habentes in manibus *thus & munera* ad offerendum in templo ibant, quibus obviavit *Ismahel filius Nathaniæ incedens cum eis, & lugens* dixit: *Venite ad Godoliam* dominum terræ, quem scilicet Nabuchodonosor præfecerat reliquis Judæorum, qui remanserant in Hierusalem, & quum veniſſet cum eis ad medium civitatis, occidit omnes, decem exceptis, qui dixerunt: *Ne occidas nos, & ostendemus tibi thesauros frumenti & hordei, & olei, & mellis absconditos in agro;* quo dicto non occidit. Significant hi exercentes se in actione decem præcepto-

ceptorum & octo beatitudinum: componitur enim octogenarius numerus ex decem octies multiplicato. *Barbam radere* est sibi virilitatem bonorum operum non adscribere, sed Deo: *vestes scindere* est corpora abstinentiis macerare: *thus & munera deferre* est orationem & alia pietatis opera facere, sed ista agenda. In prosecutione operum ipsorum, Ismahel, ideſt diabolus occurrit instigans eos ad prosequendum talia opera, & compassione, quasi volens eos dirigere ad Dominum terræ, scilicet Deum per prosecutionem ipsorum bonorum operum, ad quem sollicitat, ut decipiat; sed in medio civitatis occidit, dum ad aliquam indiscretionem vel vitium mistum, aut defectum necessariæ alicujus circumstantiæ inducit, per quod vita gratiæ privantur. Decem vero evadunt habentes *thesauros absconditos in agro*; quia habentes thesaurum pœnitentiæ in agro cordis cum proposito observationis decem præceptorum, mortem æternam evadunt; quod si vincere & decipere non potest in prosecutione, in fine operis ponit insidias, ut scilicet inde homo superbiat, vel aliud malum faciat. Et ad hoc facit illud Genes. 3. *Tu insidiaberis calcaneo ejus*, scilicet mulieris, ideſt animæ. Calcaneus, qui est finis corporis, signat finem operis.

Septem sunt genera tentationum diaboli.

§. IV. Secundum principale, quod est videndum circa tentationes diaboli, est varietas modorum. Ponit autem Bernardus septem genera tentationum, figurata per septem capita draconis insidiantis partui mulieris sole amictæ, ideſt Ecclesiæ, seu animæ virtuosæ, ut habetur Apocal. 12.

Et prima tentatio dicitur importuna, qua scilicet diabolus continue & frequenter ad malum instigat, infra vires tamen tentati. Unde Gregorius dicit: E diabolus frequenter tentat, ut hominem saltem tædio vincat, quod tamen Deus permittit, ne homines ignavia torpeant. In cujus figuram dicitur Judith 3. *Has gentes non delevit Deus, ut erudiret Israelem in eis.* Et loquitur de finitimis nationibus Chananæorum, Jebusæis & aliis. Unde & de quodam sancto legitur in Vitis patrum, quod tentatus fuit per sexaginta annos a spiritu fornicationis.

Secunda tentatio dicitur dubia, qua animus vel mens tentati dubitatione involvitur circa aliquid fiendum. A tentatione hac videtur pulsatus & dejectus Moyses ad aquas contradictionis, quando dixit populo: *Audite rebelles & increduli: Numquid de petra hac poterimus aquam ejicere?* quasi dubitans de miraculo, scilicet exitus aquarum de petra, quod Dominus promiserat, attendens ad malitiam illius populi, & minus ad Dei clementiam, ut habetur Numeri 20.

Tertia dicitur subita, qua mens vel ratio deliberare non potest propter improvisionem temporis. Hac tentatione videtur pulsatus Aaron, quando petente populo Judæorum, ut faceret eis Deos, quos adorarent, quum jam Hur sputis interfecissent, quia eis contradicebat, ut dicunt Hebræi, timens ne contradicendo non solum eum occiderent, sed etiam in Ægypto reverterentur, in subito torques aureos & annulos, quos mulieres portabant in auribus, postulavit, forte credens, quod ex avaritia ei dare non vellent. Acceptis tamen projecit in ignem, ex quibus conflatus est vitulus aureus, forte opere diaboli, quem populus adoravit, ut habetur Exodi 32. Exemplum etiam de Loth, qui in subito voluit filias suas exponere libidini Sodomitarum, ne hospites super hoc molestarent, Gen. 19. & de hoc 14. Dist. *Quod ait*.

2 Confer Lambertinium, nunc Benedictum XIV. in opere de Beatific. & Sanctific. lib. 4. part. 1. cap. 3. a num. 2. ubi de miris gestis dæmonum Antichristi exacte disputat.

Quarta dicitur occulta, qua ratio deliberare non potest, propter absconsionem rei, qualis fuit tentatio discipulorum, quando contendebant *quis eorum esset major*, Lucæ 22. vel quando Jacobus & Joannes petebant a Christo, ut facere possent ignem descendere de cælo ad comburendum Samaritanos, qui Christum cum discipulis hospitio nolebant recipere, Lucæ 9. zelo putantes moveri, qui tamen verus zelus non erat.

Quinta dicitur violenta, qua mens propter quamdam violentiam conducitur ad consensum; & hac devictus Petrus, ut mortem vitaret, Christum negavit, Matth. 26. Hac etiam instigata Susanna, ut assentiret senibus in actum turpem, viriliter restitit, Daniel. penult.

Sexta dicitur perplexa, quæ variis vitiis animum impedit, & quum alterum illorum malorum necesse videatur fiendum propter diversas rationes, nescitur quod minus sit malum. Hac tentatione permotus Jephte, ut votum servaret, quod Domino fecerat, pro hostium habenda victoria, ut primum scilicet occurrens sibi de domo sua animal revertenti de prælio Domino immolaret, occurrentem filiam unicam in sacrificium obtulit, Judic. 11.

Septima dicitur fraudulenta, qua mens per quamdam dolosam æstimationem seducitur, & consentit sub specie alicujus boni. Et sic *Sathanas transfigurat se in Angelum lucis*, ut dicit Apostolus 2. Cor. 11. Hac fuit seductus vir Dei, qui missus a Judæa ad increpandum Hieroboam de idololatria, & prohibitus a Deo, ne ibi comederet, scilicet in Samaria, invitatus a quodam alio propheta ex parte Domini ad comedendum, mendaciose tamen loquens, assensit ibi comedendo; propter quam transgressionem in via strangulatus est, ut habetur 3. Regum 13. Et quamvis Gratianus dicat 29. quæst. 1. §. *Quod autem error personæ*, quod *non est periculosus error*, quum diabolus transfigurat se in Angelum lucis, *si creditur bonus, quum bonum se simulat*: unde siquis simpliciter interrogatus tunc ab eo, si vellet in ejus consortium transire, responderet, quod sic; non ex hoc intelligeretur consensisse in consortium damnationis: tamen quod talis adoraret eum, & assentiret locutioni suæ falsæ, non excusaretur a peccato mortali, secundum Alexandrum in summa, quia non debet quis esse facilis ad adorandum vel ad credendum hujusmodi, nisi bene certificatus. Et credendum est, quod in hujusmodi debite se habendo & humiliter, Deus non permitteret decipi, si apponeret omnem diligentiam, quam deberet, quia Deus revelaret, vel per se cognosceret; sicut legimus de B. Martino. Et per hunc etiam modum, scilicet per fraudulentiam, hoc est 1 ostensionem miraculorum, sed falsorum, terribiliter tentabit tempore Antichristi, *ita ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi*, ut dicit Christus Matthæi 24. Et Apostolus inquit, quod *adventus ejus*, scilicet Antichristi, *est in omnibus signis & prodigiis mendacibus*. Et pro hujus declaratione sciendum secundum Thomam in 1. parte, quæst. 114. art. 4. quod si miraculum proprie accipiatur, dæmones miracula facere non possunt, nec aliqua creatura, sed solus Deus, quia miraculum proprie dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ. Sed quandoque miraculum dicitur large, quod excedit humanam facultatem & considerationem. Et sic dæmones possunt facere miracula, quæ scilicet homines mirantur, in quantum eorum facultatem & conditionem excedunt. Ubi notandum est, quod omnes transmutationes corporalium rerum,

De falsis miraculis, & apparitionibus.

1

rum, quæ fieri poſſunt per aliquas virtutes naturales ſeminum rerum, ad quas pertinent prædicta ſemina, poſſunt fieri per operationem dæmonum hujuſmodi ſeminibus adhibitis. Sicut quum aliquæ res tranſmutantur in ſerpentes & ranas, quæ per putrefactionem generari poſſunt. Illæ vero tranſmutationes, quæ fieri non poſſunt virtute naturæ, nullo modo operatione dæmonum ſecundum rei veritatem perfici poſſunt; ſicut quod corpus humanum vertatur in brutale animal, vel quod mortuus ſuſcitetur. Et ſi aliquando aliquid tale operatione dæmonum fieri videatur, hoc non eſt ſecundum rei veritatem, ſed ſecundum apparentiam tantum; quod quidem dupliciter poteſt contingere. Uno modo ab interiori, ſecundum quod dæmon poteſt immutare phantaſiam hominis & ſenſus corporeos, ut aliquid videatur aliter, quam ſit; & hoc etiam interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum naturalium. Alio modo ab exteriori: quum enim diabolus poſſit formare corpus ex aere ſpiſſato cujuſcumque formæ & figuræ, ut illud aſſumens in eo viſibiliter appareat; poteſt eadem ratione circumponere cuicumque rei corporeæ quamcumque formam corpoream, ut in ejus ſpecie videatur. Et hoc eſt, quod Auguſtinus ait in 18. de civitate Dei cap. 18. ſcilicet quod phantaſticum hominis, quod etiam cogitando ſive ſomniando per rerum innumerabilium genera variatur, velut incorporatum in alicujus animalis effigie ſenſibus apparet alienis. Quod ſecundum B. Thomam non ſic eſt intelligendum, quod vis ipſa phantaſtica hominis, aut ſpecies ejus eadem numero incorporata alterius ſenſibus oſtendatur, ſed quia dæmon, qui in phantaſia unius format aliquam ſpeciem, ipſe etiam poteſt ſimilem ſpeciem alterius ſenſibus offerre. Exempla habes de his de Samuele ficte ſuſcitato, ſeu dæmone apparente Sauli in forma Samuelis ad invocationem Pythoniſſæ, & ſociis Ulixis in beſtiis mutatis, ut habetur 26. quæſt. 5. *Nec mirum*. Per hæc autem falſa miracula tentat diabolus intendendo homines ducere in errorem & credulitatem alicujus falſitatis.

De varietate eorum, qui tentantur.

§. V. Tertium principale notandum eſt, ſcilicet qualitas & varietas eorum, qui tentantur; nam aliqui ſunt infideles, aliqui fideles; & inter fideles aliqui ſunt mali, alii boni; & inter bonos aliqui perfecti, alii imperfecti. Et infideles quidem multiplicius impugnantur, ideſt pluribus tentationibus; ſed acrius fideles. Ratio hujus eſt, quia ſecundum Gregorium quanto crebrius quis diabolo ſe ſubjicit, tanto intolerabiliorem ſibi facit, ut ei reluctari non poſſit. Sed quum infideles crebrius ſe ſubjiciant diabolo, ejus tentatio fit magis intolerabilis & frequentior, quum non habeant ſcutum fidei, quo ſe tueantur. De quo ſcuto Apoſtolus Epheſ. 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea exſtinguere*. Sed ex alia parte acrius impugnat fideles, quam infideles. Magis enim appetit dejicere fideles quaſi magis ſibi reſiſtentes.

Diabolus magis tentat bonos quam malos.

Secundo ſciendum, quod intentio & appetitus diaboli major eſt ad tentandum bonos, quam malos: ſed ex parte tentatorum magis tentat malos, quam bonos. Hujus ratio eſt, quia quum malos jam poſſideat, non autem bonos; ideo magis conatur per tentationem ad trahendum ad ſui dominium juſtos, quos non habet, quam poſſeſſos malos. Sicut etiam aliquis princeps terrenus magis inſurgit contra illum, qui plus aufert de jure ſuo, vel qui plus nocet regno ſuo, quam contra alios, qui non ſibi contrariantur. Ita diabolus plus inſurgit contra bonos, qui plus nocent regno ſuo per documenta & exempla virtutum, quam contra malos, qui in hujuſmodi ſe non exercent. Sed ex parte tentatorum amplior habilitas eſt in malis ad recipiendum tentationem dæmonis, quam ſit in bonis. Mali enim inclinantur ad tentationem dæmonis, boni vero reſiſtunt in quantum tales. Propterea ipſi mali veniunt ad diabolum, ut tententur ab eo, prævenientes tentationes.

Tertio fortioribus & occultioribus tentationibus impugnat perfectos diabolus, quam imperfectos. Unde Leo Papa in ſermone: Nemo de ſui cordis puritate confidat, quia pugil ille hoſtis acrioribus pulſat inſidiis, quos maxime novit abſtinere a peccatis. Minus tamen laborant, & facilius vincunt tentationes ipſi perfecti, quam imperfecti ſuas leviores. Unde imperfecti ut infirmi nullo modo debent appetere ſe velle tentari; & hoc triplici ratione, ſcilicet orationis, conformationis, & perditionis.

Imperfecti non debent appetere tentationē

Et ratione quidem orationis probatur ſic: Illud debemus deſiderare, quod debemus orare, ſed Dominus nos docet orare, ne inducamur in tentationem; ergo & illud debemus deſiderare. Eſt autem duci in tentationem, conſentire delectationi & delectari, de quo quis tentatur. Non autem inducit Deus in tentationem cauſſaliter ſeu efficiendo, ſed permiſſive & deferendo. Ratione autem conformationis probatur ſic: Sicut voluntas noſtra voluntati divinæ debet eſſe conformis; ita a voluntate hoſtis debet eſſe diſcordans: ſed hoſtis noſter diabolus vult & petit nos tentari; unde dicitur Luc. 22. *Ecce Sathanas expetivit vos*, ſcilicet a Deo permittente, *ut cribraret ſicut triticum*, ideſt ut per tentationem concuteret & conturbaret, *ſicut triticum*, quod cribratum & ventilatum concutitur.

Ratione demum perditionis infirmi & imperfecti non debent appetere tentari; quod ſic probatur. Illud, quod eſt ad malum finem ordinatum, non debemus appetere, ſed odire: ſed tentatio eſt ordinata ad malum finem, ideſt ad perditionem; ergo debemus eam odire, non appetere. Ad ſalutem autem hominum non eſt ordinata niſi per aliud, ſcilicet per auxilium divinæ gratiæ; ergo tentari non eſt ſimpliciter appetendum. Hæc B. Thomas ſuper ſecundo Sententiarum.

Perfecti & experti debent appetere tentationem.

Perfecti autem & experti debent appetere tentari, tum propter patientiam, tum propter coronam, tum propter victoriam. In tribulatione & tentatione relucet virtus patientiæ ſecundum illud ad Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur. Hanc autem tentationem permiſit Deus*, ſcilicet Tobiæ, *evenire, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus, ſicut & ſancti Jobi*, Tob. 2.

Secundo debent appetere juſti & perfecti tentationem propter coronam, Jacobi 1. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*. Dicitur *ſufferre tentationem*, qui in ſenſualitate tentationem fert ſub ratione, ne ratio ſuccumbat. Vel dicitur *ſufferre*, qui deorſum fert tentationem, ſcilicet conculcando & vilipendendo. Vel etiam *ſuffert*, qui ſub Deo fert non murmurando, ſed voluntati divinæ ſe conformando in tentationibus & tribulationibus. Vel *ſuffert tentationem*, qui pro his, quæ ſurſum ſunt, ideſt cæleſtibus, fert tentationes & tribulationes.

Tertio propter victoriam. Qui enim certus eſt de victoria, debet bellum appetere, ſed ſancti ex perfecto Dei amore ſunt quaſi certi de victoria; dicitur enim in Canticis cap. 8. *Multæ aquæ* tentationum & tribulationum *non potuerunt exſtinguere caritatem*; unde Apoſtolus ad Rom. 8. *Quis nos ſeparabit a caritate Chriſti, tribulatio, an anguſtia?* ſcilicet mentis anxietas, quæ contingit in tentationibus: quaſi diceret: nihil. Et propter hoc David certus de patientia, inflammatus de corona, ſecurus de victoria dicebat ad Dominum

num pſal. 25. *Tenta me, ure renes meos, & cor meum*. Ubi tria petit.

Primo appetit prælium, dicens: *Tenta me*, id-eſt permitte me tentari, ut innoteſcat qualis ſim in proſperis & adverſis, in bonis & malis, Sap. 3. *Deus tentavit illos, & invenit eos dignos ſe*. Secundo petit gratiæ auxilium dicens: *Ure igne*, ſcilicet gratiæ Spiritus ſancti, qui corroborat mentes, ſicut ignis materialis vaſa teſtea, & perficit ſicut ignis aurum, ſecundum illud Sap. 3. *Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus*. Tantæ enim virtutis eſt ignis gratiæ, ut minimus ſufficiat ad omnia tentamenta & adverſa vincenda, ſecundum B. Thomam. Tertio mali incitamentum oſtendit dicens: *Renes meos & cor meum*, ideſt delectationes concupiſcibiles per *renes* deſignatas, & perturbationes iraſcibiles per *cor* figuratas. Ira enim eſt accenſio ſanguinis circa cor. Sed ignis Spiritus ſancti delectationes carnis & turbationes cordis aufert vel ſedat. Nullus tamen debet ſe ingerere tentationibus, quia præſumtuoſum eſſet, ſed vitare occaſiones, juxta illud pſal. 36. *Declina a malo*, &c.

Dubitato. Sed quæritur utrum diabolus ſuperatus tentatione ab homine, poſſit amplius tentare? Circa quod eſt duplex opinio, ut ponit B. Thomas in 1. parte quæſt. 114. Prima eſt, quod dæmon ſuperatus nullum de cetero tentare poteſt, nec de illo, nec de alio peccato. Hujus opinionis videtur fuiſſe Origenes. Unde dicit: Puto ſanctos viros ſathanæ reluctantes, minuere exercitium dæmonum, ut qui victus eſt, nec illum, nec alium amplius poſſit tentare. Alii tamen dicunt ſolum de illo vitio, de quo victus eſt dæmon; tamen de aliis vitiis poteſt, ut inducit Magiſter in 2. Sent. Secunda opinio eſt, quod poteſt alios tentare, ſed non eumdem; & hoc probabilius & melius dicitur, ſi tamen intelligatur uſque ad tempus. Unde & Luc. 4. dicitur de Chriſto, quod *conſummata omni tentatione*, ſcilicet in deſerto, *diabolus receſſit uſque ad tempus*. Et quod diabolus non tentet victorem ſuum ſaltem uſque ad tempus, probat B. Thomas duplici ratione. Prima ex parte divinæ clementiæ, quia, ſicut Chryſoſtomus dicit ſuper Matthæum, non tamdiu homines Dei diabolus tentat, quamdiu diabolus vult, ſed quamdiu Deus permittit, qui non permittit ultra vires. Secunda eſt ex parte diabolicæ aſtutiæ. Unde Ambroſius ſuper Lucam dicit, quod diabolus inſtare formidat, quia refugit frequentius triumphari, ideſt vinci. Sicut qui victus eſt ab aliquo, timet amplius præliari cum eo. Tertio poteſt probari hoc ex parte humanæ potentiæ. Nam Dominus cognoſcens infirmitatem humanæ naturæ, non permittit hominem ſemper tentari; ſed, ut dicitur Tob. 3. *Poſt tempeſtatem*, ſcilicet tentationum, *tranquillum facit*.

Quod autem diabolus revertatur ad eum, quem dimiſit; patet per id, quod dicitur Matthæi 12. *Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam*, Ubi tria notantur, quæ præparant, ideſt diſponunt conſcientiam peccatoris ad hoc, ut diabolus revertatur ad eum. Primum eſt otium, unde dicit *vacantem*, ideſt bonis operibus ceſſantem; unde Beda: Timendum eſt, ne culpa, quam per pœnitentiam dimiſſam fuiſſe credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat. Et Hieronymus: Non facile capitur a tentatione, qui alicui bono vacat exercitio. Secundum vitium eſt inanis gloria vel laſcivia; unde dicit, *ſcopis mundatam*, quando ſcilicet ſtudet purgare ſordes corporum, & ornare variis coloribus. Pſal. 52. *Dominus diſſipavit oſſa eorum*, ideſt virtutes eas auferendo, *qui hominibus placent*; quærunt autem placere mundo laſcivi & vanaglorioſi. Tertium eſt ſuperbia vel hypocriſis; unde ſubdit, *ornatam*. Matth. 23. *Væ vobis, hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ deforis apparent hominibus ſpecioſa; intus autem ſunt plena oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia, omnique immunditia*.

§. VI. Remedia ad vincendum tentationes ſunt plurima, de quibus pauca dicemus. Et primum eſt ſui humiliatio, pſal. 114. *Cuſtodiens parvulos Dominus, humiliatus ſum, & liberavit me*. Figura 1. Regum 17. in David, qui vicit Philiſthæum fortiſſimum, diabolum ſignantem, *in funda*, ideſt humilitate, & *lapide* reſiſtentiæ. Exemplum de B. Antonio, qui videns totum mundum plenum laqueis ſe innectentibus, ideſt tentationibus, quum exclamaſſet: O quis iſtos evadet? audivit: Sola humilitas. *Primum remedium tentationis.*

Secundum eſt devota oratio: Matth. 26. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*, dixit Chriſtus diſcipulis. Figura Exodi 17. Moyſe tenente manus elevatas ad cælum & orante, populus ſuus vicit Amalecitas, qui deſignant dæmones. Exemplum, orante B. Petro martyre, quum tentaretur de fide, fuit ſibi dictum a Virgine Maria: Ego pro te oravi, ut non deficiat fides tua: & orante B. Bernardo pro quodam tentato, ceſſavit tentatio. *Secundum remedium*

Tertium eſt ſacra lectio lecta vel audita; ad Hebræos 4. *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti*, ſcilicet ad vulnerandum & debilitandum inimicos. Figura 2. Machab. ult. in gladio, quem dedit in viſione 3 Onias Judæ Machabæo, dicens: *In hoc dejicies inimicos*: & ibidem de ipſo Juda dicitur, quod munivit exercitum ſuum, *non lancea & clypeo, ſed ſermonibus optimis*, referendo geſta ſanctorum, de quibus in Scriptura habetur, quibus confortati victoriam contra inimicos habuerunt. Hieronymus: Ama ſtudia Scripturarum, & vitia carnis non amabis. Et Chriſtus in deſerto tentatus verbis Scripturæ tentatori reſtitit, Matth. 4. *Tertium remedium.*

Quartum eſt paſſionis Chriſti pia meditatio: Thren. 3. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum*, ſcilicet paſſionis ad defendendum ſe contra tela inimici & tentationum: ad Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut non fatigemini animis veſtris deficientes*. Figura, quando ad aſpectum ſerpentis ænei in palo erecti homines aſpicientes ſanabantur a morſibus ſerpentum, ideſt dæmonum: præſervantur, ne occidantur homines aſpiciendo ad crucifixum mente figuratum in ſerpente æneo. Num. 21. *Quartum remedium.*

Quintum eſt conſideratio eorum, quæ ſunt fidei, ut præmii cæleſtis, ſupplicii æterni, & hujuſmodi: ad Epheſ. 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela*, ideſt tentamenta *inimici exſtinguere*: 1. Joh. 5. *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra*. Conſiderando enim gloriam, animatur quis ad laborem certaminis; unde Luc. 22. *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis; & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*. Et quidam, ut habetur in Vitis Patrum, quum tentaretur de luxuria propter mulierem receptam ex compaſſione in cella, ne devoraretur nocte a feris, conſiderans pœnas inferni, & ut efficacius intelligeret, ponens digitos ad ignem lucernæ accenſæ uſque ad combuſtionem, ſic vicit tentationem. *Quintum remedium.*

Sextum eſt concordia & fraterna caritas; unde *Seſtum remedium.*

3 Apparuit quidem Onias Judæ; at Hieremias, qui deinceps apparuit, eidem gladium tradidit.

de dicitur de ſancta Eccleſia in Cant. cap. 6. quod eſt *terribilis*, ſcilicet dæmonibus, *ut caſtrorum acies ordinata*, quia ſcilicet fideles ſunt uniti invicem ſicut exercitus ordinatus. Et in figuram hujus dicitur Judith 15. quod filii Iſrael inſimul uniti etſi pauci, perſequentes exercitum Holofernis pene innumerabilem fugarunt, & vicerunt eum. Et Gregorius ſuper Ezechiel. dicit, quod non timet diabolus in nobis abſtinentiam vel vigiliam vel paupertatem & alia hujuſmodi, ſed concordiam & caritatem, quam in cælo ſervare neſcivit.

Unum peccatum eſt cauſſa alterius, & quomodo.

§. VII. Dicto de cauſſa peccati interiori & exteriori, ſequitur de alia cauſſa, quæ eſt ipſum peccatum. Contingit autem unum peccatum eſſe cauſſam alterius ſecundum quattuor genera cauſſarum, ut dicit Thomas 1. 2. quæſt. 75. Primo quidem ſecundum modum cauſſæ efficientis vel moventis, & per ſe & per accidens. Per accidens quidem, ſicut removens prohibens dicitur movens per accidens. Quum enim per unum actum peccati homo amittat gratiam, vel caritatem, vel verecundiam, vel quodcumque aliud retrahens a peccato; incidit ex hoc in aliud peccatum, & ſic primum peccatum eſt cauſſa ſecundi per accidens. Per ſe autem, ſicut quum ex uno actu peccati homo diſponitur ad hoc, quod alium actum conſimilem facilius committat. Ex actibus enim cauſſantur diſpoſitiones & habitus inclinantes ad conſimiles actus. Secundum vero genus cauſſæ materialis, unum peccatum eſt cauſſa alterius, in quantum præparat ei materiam: ſicut avaritia præparat materiam litigio, quod plerumque de divitiis congregatis. Secundum vero genus cauſſæ finalis unum peccatum eſt cauſſa alterius, in quantum propter finem unius peccati aliquis committit aliud peccatum; ſicut quum quis committit ſimoniam propter finem ambitionis, vel fornicationem propter furtum. Et quia finis dat formam in moralibus, ut ſupra habitum eſt; ex hoc etiam ſequitur, quod unum peccatum ſit formaliter cauſſa alterius. In actu enim fornicationis, quæ propter furtum committitur, eſt quidem fornicatio ſicut materiale, furtum vero ſicut formale.

TITULUS SEPTIMUS

DE PECCATO.

CAPUT I.

De diffinitione peccati multipliciter.

DE peccato, primo videndum eſt de diffinitione ejus, quid ſit.

Ubi notandum, quod multiplex diffinitio datur ſecundum doctores ſecundum diverſas cauſſas, ſcilicet materialem, vel formalem, efficientem, vel finalem. Ex parte cauſſæ materialis, ſeu materiæ exſequentis ſeu exercentis peccatum, Auguſtinus ſic diffinit: *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, ſeu contra legem æternam.*

Diffinitio peccati per Aug.

In hac deſcriptione tanguntur duo. Primum eſt actus in ordine ad inſtrumenta, quibus actus ipſe peccati exercetur, quum dicitur *dictum, vel factum, vel concupitum.* Nam inſtrumenta, quibus exercetur actus peccati, ſunt vel cor, vel lingua, vel manus. Nam aut cogitatione, aut locutione, aut operatione perpetratur. Ubi notandum, quod nulla privatio vel negatio eſt in genere per ſe, quia non habet aliquam quidditatem vel eſſe; ſed reducitur ad genus affirmationis, ſecundum quod non eſſe intelligitur eſſe, & in negatione affirmatio, ut dicit philoſophus, quia omnis privatio per habitum cognoſcitur, & remotio per poſitionem ſecundum B. Thomam in 1. parte. Et ideo in dicta deſcriptione, & in dicto includitur non dictum vel omiſſio dicti, in facto omiſſio facti, in concupito omiſſio concupiti. Non enim habet hoc dictum, in quantum eſt affirmative dictum, quod ſit peccatum; ſed hoc habet a duobus. Primo quidem ex parte voluntatis, ſcilicet in quantum dictum, vel factum, vel concupitum eſt in poteſtate voluntatis. Secundo habet hoc ex parte finis, in quantum eſt a rectitudine finis exiens. In his duobus convenit cum dicto affirmativo facto vel concupito, etiam non dicere vel non facere vel non concupiſcere, quia ſimiliter eſt in poteſtate voluntatis & a recto ordine finis exiens. Unde ſicut actus eſt in poteſtate voluntatis, & per hoc habet, quod ſit peccatum vel meritum; ita etiam negatio actus. Secundo tangitur defectus regulæ dirigentis, quum ſubditur, *contra legem Dei*, id-eſt legem æternam: nam lex æterna, ſeu Dei primo & principaliter ordinat hominem ad finem, conſequenter hominem bene ſe habere in his, quæ ſunt ad finem. Et ideo in hoc, quod dicit *contra legem æternam*, tangit averſionem a fine, & omnes alias inordinationes.

Et ſi quæratur, quum peccatum ſit aliquid ex eo, quod eſt contra rationem, quare Auguſtinus in diffinitione prædicta non poſuit, *peccatum eſſe dictum, vel factum, vel concupitum contra rationem*, ſicut dicit eſſe contra *legem æternam*; ad hoc reſpondetur, quod peccatum aliter conſideratur [1] a philoſopho, aliter a theologo. Nam philoſophus

1 Hac occaſione, qua Auctor inter peccatum Philoſophicum ac Theologicum diſtinguit, juverit conſiderare propoſitionem damnatam ab Alexandro VIII. in decreto diei 24. Auguſti an. 1690. *Peccatum Philoſophicum, ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.* Qui hanc propoſitionem tradiderunt, profecto credidere eum non peccare in Deum peccato Theologico, qui moralem inhoneſtatem alicujus operis cognoſcens, Deum ignorat, vel de eo actu non cogitat, propterea quod ad peccatum in Deum ea notitia Philoſophici peccati propria nequaquam ſufficiat, ſed requiratur cognitio expreſſa & actualis Dei atque offenſæ divinæ, quæ peccatum Theologicum conſtituit. Negari quidem nequit peccati Theologici naturam in hac divina offenſa ita ſitam eſſe, & non in mera inhoneſtate morali, quæ a rationis ordine decli-

phus conſiderat peccatum, ſecundum quod contrariatur rationi; ſed theologus conſiderat ſecundum quod eſt offenſa Dei & contra Deum. Et ideo Auguſtinus ut theologus diffinit peccatum convenientius ex hoc, quod eſt *contra legem æternam*, quam ex hoc, quod eſt *contra rationem*, præcipue quum in multis regulemur per legem æternam, quæ excedunt rationem humanam; ut in his, quæ ſunt fidei. Hæc B. Thomas ſuper 2. Sentent. Diſt. 35. Raynerius. Et quia peccatum ex dictis committitur quattuor modis, ſcilicet cogitatione, locutione, opere, & omiſſione; ideo prius Deus exhortatur animam peccatricem ad pœnitentiam, quater invitans ad reverſionem dicens in Cant. 6. *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te*, ſcilicet oculo pietatis & gratiæ. *Sunamitis* interpretatur captiva, & per peccatum homo captivus tenetur a diabolo, quaſi diceret peccata omnia dimitte, & deteſtare, quæ cogitatione, locutione, opere, & omiſſione commiſiſti. Et quum tunc revertitur ad pœnitentiam, reſuſcitatur ſpiritualiter Lazarus quatriduanus, Joann. 11. Dicti quattuor dies ſunt prædicti quattuor gradus, quibus moritur anima.

Peccatum diffinitur per Ambroſium.

Ex parte formæ vel potentiæ deficientis diffinitur ſic: *Peccatum eſt prævaricatio legis æternæ, & cæleſtium inobedientia mandatorum*, & eſt Ambroſii in lib. de paradiſo. In qua deſcriptione tanguntur duo, ſcilicet privatio dirigentis in finem, & deordinatio ab ipſo fine. Et privatio dirigentis in finem ibi notatur, quum dicitur, quod *peccatum eſt prævaricatio legis æternæ*, & hoc vel faciendo, quod lex prohibet, vel omittendo, quod lex præcipit, ex quo peccatum habet rationem mali. Nam ſive in natura ſive in moribus, de ratione peccati eſt præterire regulam rationis. Regula autem rationis, qua conſtituitur medium inter ſuperfluum & diminutum, neceſſe eſt, ut quædam reſecet, & quædam ſtatuat. Unde etiam in ratione naturali & in lege divina, unde debent actus noſtri regulari, continentur quædam præcepta negativa, & quædam affirmativa. Sicut autem negationi opponitur affirmatio; ita affirmationi negatio. Et ideo ſicut malum agere imputatur homini ad peccatum, quia opponitur præcepto legis negativo; ita bonum ipſum nec agere imputatur homini ad peccatum, quia opponitur præcepto affirmativo.

Inobedientia dupliciter accipitur.

Secundo in diffinitione peccati tangitur deordinatio ab ipſo fine in hoc, quod dicitur: *cæleſtium inobedientia mandatorum*. Ubi nota, quod inobedientia accipitur duobus modis. Uno modo ſpecialiter, ſcilicet quando quis non facit, quod præcipitur, vel facit, quod prohibetur, reſpiciendo ad contemtum præcipientis vel prohibentis. Et talis inobedientia opponitur obedientiæ, quæ eſt ſpecialis virtus, quæ reſpicit auctoritatem præcipientis, vel prohibentis. Secundo modo accipitur inobedientia generaliter, ſcilicet quando quis non facit, quod præcipitur, vel facit, quod prohibetur; & hoc modo inobedientia concomitatur omne peccatum. Et opponitur hujuſmodi inobedientia obedientiæ, quæ concomitatur omnem virtutem; quod patet, quia quicumque facit aliquem actum virtutis, obedit; & de hac generali inobedientia intelligitur dictum Ambroſii in ſupradicta diffinitione, ſecundum B. Thomam in 2. Sent. Diſt. 35. Et ſciendum, quod illa duo, quæ ponuntur in diffinitione Ambroſii, non ſunt eadem, ut videtur, ſed diſtinguuntur dupliciter, lex, & mandatum. Primo, quia quum faciendum vel cavendum ſtatuitur, tunc lex eſt. Quum autem præcipitur vel prohibetur, præceptum eſt. Aliud eſt autem *ſtatui*, quod fit per legem, aliud *juberi*, quod fit per præceptum. Secundo modo diſtinguuntur ſic, ut lex dicatur in declinando a malo, præceptum vel mandatum in faciendo bonum. Hæc Alexander de Hales in 2. parte ſum. hinc pſal. 32. *Confitemini Domino in cythara*, ideſt in confeſſione vocali, *& in pſalterio decem chordarum pſallite illi*, ideſt in obſervatione decem præceptorum. Figuratur autem tranſgreſſio decem mandatorum per illos decem leprоſos, qui a longe ſtantes clamaverunt dicentes Chriſto Luc. 17. *Jeſu fili David, miſerere noſtri*. Qui ab eo miſſi ad ſacerdotes, *dum irent, mundati ſunt*. Sic per recognitionem peccati & propoſitum debitum confitendi purgantur homines a lepra inobedientiæ.

Lex & mandatum diſtinguuntur.

Alio modo diffinitur peccatum ex parte formæ ſeu cauſſæ exemplaris, a qua deficit. Dictum enim fuit Moyſi, Exodi 25. *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*, qui ſcilicet pertinet ad conſtructionem tabernaculi, ideſt Eccleſiam; mons autem Chriſtum ſignat; & ſecundum hoc diffinitur ab Auguſtino, quod *peccatum eſt appetere, quæ Chriſtus contemſit, vel fugere ea, quæ Chriſtus ſuſtinuit*; quod probat per ejus oppoſitum dicens: Non enim ullum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur, quæ Chriſtus contemſit, aut fugiuntur, quæ ipſe ſuſtinuit;[2] & ſubdit exemplum ipſius Chriſti dicens: Omnia, quæ habere cupientes, non recte vivebamus, carendo & ſpernendo vilia fecit: omnia, quæ vitare cupientes, a ſtudio veritatis deviabamus, perpetiendo dejecit. Ubi advertendum, quod hoc eſt timoris, ſcilicet fugere, quæ Chriſtus ſuſtinuit; quod eſt reſpectu triſtium & adverſorum: aliud eſt amoris ſeu cupiditatis, ſcilicet appetere, quæ Chriſtus contemſit; quod eſt reſpectu delectabilium. Omne autem peccatum, ut dicit Auguſtinus, procedit vel ex amore male inflammante, vel ex timore male humiliante; ſed & timor procedit ex amore: timet enim quis amittere aliquid, quia illud amat. Hæc Alexander in 2. parte Sum. Raynerius.

Alia diffinitio Auguſtini.

Auguſt. de ver. relig. n. 31.

Tertio poteſt peccatum conſiderari ex parte potentiæ, vel cauſſæ ſufficienter imperantis & peccatum complentis. Et ſic diffinitur ab Auguſtino in lib. de duabus animabus, quod *peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat*. Et habetur 15. quæſt. 1. §. 1. in qua diffinitione tanguntur duo. Primum eſt actus voluntatis in hoc, quod dicitur, quod *eſt voluntas retinendi, vel conſequendi aliquid*. Secundo tangi-

Alia ejuſdem diffinitio.

declinat, ut ſi altera ab altera ſeparari poſſet, in hoc mero a ratione defectu peccatum mortale Theologicum haud quaquam ineſſet, ut colligi poteſt ex illo S. Thomæ 2. 2. quæſt. 20. art. 3. *Si poſſet eſſe converſio ad bonum commutabile ſine averſione a Deo, quamvis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale*. At divinam offenſam ab ea inhoneſtate morali ſeparari, ſi expreſſa Dei notitia, vel actualis conſideratio abſit, falſiſſimum eſt: confuſa enim & antecedens notitia atque cognitio ſufficit, ut probant illa, quæ fuſius expoſuimus not. 4. in cap. 14. tit. 4. pag. 320. In notitia autem inhoneſtatis moralis Dei ſaltem uti ſupremi legislatoris implicita cognitio includitur præter illam, qua Deus ita naturali lumine ex pluribus indicatur, ut invincibilis de eo ignorantia, vel inadvertentia admitti nequeat.

2 Quæ ſequuntur poſt verbum *ſuſtinuit* uſque ad ſimilem vocem inferius poſitam, adjecimus ex Jenſoniana editione Veneta ann. 1479. eaque per ſaltum ejuſdem vocis in aliis editis videntur omiſſa, in quibus poſt vocem *delectabilium* perperam repetitum videtur, *& aliud fugere, aut timere, qua Chriſtus perpeſſus eſt, & hoc reſpectu panalium*.

tangitur defectus rectitudinis in hoc, quod ſubditur, *quod juſtitia vetat*. Et ſumitur hic juſtitia, non prout eſt virtus ſpecialis, ſed pro juſtitia generali, quæ idem eſt, quod omnis virtus, ideſt ſecundum quod importat rectitudinem voluntatis, quæ attenditur ſecundum omnem virtutem, ſecundum B. Thomam ſuper 2. Sentent. De hac juſtitia generali intelligitur illud pſal. 96. *Lux orta eſt juſto*, ſcilicet gratiæ & veritatis quoad intellectum, *& rectis corde lætitia* quoad effectum. Idem autem eſt eſſe juſtum & rectum corde. Conſiſtit enim talis juſtitia in quadam rectitudine, qua redditur unicuique quod ſuum eſt, ſcilicet ſuperioribus, ut Deo & prælatis, obedientiam & venerationem: ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Et ad hoc facit, quod habetur Diſt. 8. *Quæ contra mores*: æqualibus, propinquis & extraneis benevolentiam & ſubventionem, Joann. 15. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*, affectu ſcilicet & effectu; ad hoc facit, quod habetur *De pœnit.* Diſt. 2. *Caritas eſt*, §. *Proinde:* inferioribus, ſcilicet ſubditis & corpori ſuo providentiam & coercitionem, 1. Pet. 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem*. Ad hoc facit, quod habetur 23. quæſt. 4. *Duo iſta, De pœnit.* Diſt. 2. can. *Caritas eſt*, §. *Corpus*. Et ſicut juſtitia generalis iſta inſtigat; ita vetat contraria, quia ibi eſt peccatum, ſcilicet ſuperioribus contradictionem & irreverentiam, æqualibus obdurationem & malevolentiam, inferioribus relaxationem & negligentiam. De hac etiam juſtitia habetur Ezech. 18. *Si avertit ſe juſtus a juſtitia ſua* &c.

Alia diffinitio ejuſdem.

Item ex parte cauſſæ principalis agentis, ideſt voluntatis diffinitur ſic ab Auguſtino in lib. de liber. arbit. *Peccatum eſt affectio mala voluntaria*; in qua diffinitione tanguntur tria, quæ ſunt de ratione peccati. Primum eſt actus voluntatis. Secundum eſt defectus rectitudinis. Tertium eſt defectus culpabilis.

Primo ergo notatur actus voluntatis, quum dicitur *peccatum eſt affectio*. Nam affectio ſumitur pro actu voluntatis elicito vel imperato interiori vel exteriori. Et ſi arguatur in contrarium, quia affectio eſt res, peccatum autem non eſt res, vel ſubſtantia, ut dicit Auguſtinus; ergo nihil eſt, & ſic per conſequens non eſt affectio; reſpondetur, quod affectio utique eſt res. Sed quum dicitur, quod peccatum non eſt res, intelligitur quod peccatum non eſt res ratione defectus, qui adjungitur affectioni. Et ratione illius defectus comparatur peccatum claudicationi, & aliis defectibus. Sed ille defectus eſt in affectione ſicut claudicatio, quæ nihil ponit in tibia.

Secundo tangitur defectus rectitudinis, quum dicitur *mala*, ſcilicet affectio, ex quo ſeparatur a bona affectione, quæ eſt in actu virtutis. Si enim eſſet defectus ejus, quod non debet ineſſe, non haberet rationem mali; ſicut non eſt malum in lapide non habere viſum, quia non eſt natus ipſum habere. Ubi nota, quod defectus realis vel privatio rei non eſt res; ſed id, cui accidit defectus vel privatio, eſt res. Sicut eſſe cæcum non eſt res vel aliquid reale, ſed id, cui accidit eſſe cæcum. Defectus ergo virtutis ſeu virtualis eſt malum. Hæc B. Thomas in quæſtionibus de malo, quæſt. 1. ubi dicit, quod non omnis defectus boni habet rationem mali, ſed defectus vel privatio boni, quod natum eſt haberi; ſicut non eſt defectus homini, quod non poſſit volare, nec per conſequens habet rationem culpæ vel pœnæ, nec eſt ei malum culpæ vel pœnæ, ſed eſſet malum avi, quæ eſt nata ad hoc. Unde quum homo ſit natus habere affectionem bonam, virtutem, & gratiam; non habere, eſt peccatum, quia horum privatio eſt voluntaria.

Tertio tangitur in dicta diffinitione defectus culpabilis, & per conſequens vituperabilis, ideſt *voluntaria*, ex qua ſeparatur ab affectione pœnali, quæ non eſt peccatum, vel culpa, ſed effectus culpæ ſecundum Alexandrum 2. par. Summæ.

Aliter diffinitur peccatum per Auguſtinū.

Diffinitur peccatum ex parte cauſſæ finalis, a qua deficit: ſic ab Auguſtino in lib. de liber. arb. *Peccatum eſt averſio ab incommutabili bono, & converſio ad commutabile bonum indebita*. Ubi quattuor ſunt notanda, ſcilicet gravamen, ordo, ligamen & unitas.

Et quantum ad primum, ſcilicet gravamen, nota, quod ex indebita converſione ad commutabile bonum ſequitur averſio ab incommutabili bono, in qua perficitur ratio mali; & ideo oportet, quod ſecundum diverſitatem eorum, quæ pertinent ad converſionem, ſequatur diverſa gravitas in peccatis.

Quantum ad ſecundum, ſcilicet ordinem, quid ſit, videlicet prius in peccato mortali, averſio an converſio? ſciendum, quod quum peccatum principaliter in voluntate conſiſtat; ideo quantum ad voluntatem illud eſt prius, quod a voluntate principaliter intenditur. Et ideo in peccatis ſpiritualibus principalius intenditur averſio: prius eſt enim averſio ab incommutabili bono, quam converſio ad commutabile bonum: ſicut in infidelibus, & in illis, *qui deſperantes ſeipſos tradiderunt impudicitiæ*, ut dicitur ad Epheſ. 4. In peccatis autem corporalibus, in quibus principaliter intenditur fruitio boni commutabilis, prius eſt naturaliter converſio, quam averſio, quæ non eſt principaliter intenta, ſed præter intentionem, quæ ſequitur ex inordinata converſione ad bonum commutabile. Hæc B. Thomas in quodlibeto, 13. quæſt. 16. vide ibi, quia clarius.

Duo ſunt in peccato.

Quantum ad tertium, ſcilicet connexionem, notandum, quod in peccato ſunt duo, ſcilicet averſio & converſio; & ex parte quidem averſionis mortalia habent connexionem, in quantum quodlibet avertit a bono incommutabili; ſed ex parte converſionis nullo modo habent connexionem ſicut virtutes. Ex hoc enim, quod quis convertitur ad utilitatem pecuniæ per avaritiam, non ſequitur, quod convertatur ad bonum delectabile carnis, quod fit per luxuriam.

Quantum ad quartum, ſcilicet utrum hæc averſio vel converſio ſint duo peccata vel unum. Ad quod breviter reſpondetur, quod hæc duo ſunt unum peccatum ſecundum rem, differens in comparatione ad diverſos terminos, ſcilicet Deum & creaturam, ita quod ibi eſt unicus motus vel unicus actus, & duo termini, ſcilicet receſſus a Deo & acceſſus ad creaturam. Sicut v. g. idem eſt motus, quo receditur a Bononia, & venitur Florentiam. Quum ergo contemtus & averſio ſit receſſus a Deo, converſio vero ſit acceſſus ipſius voluntatis ad creaturam; eſt ibi unus motus & unum peccatum. Hæc B. Thomas in 2. Senten. Diſt. 42. & Alexander 2. par. Summæ. Secundum autem ipſos duos terminos, ſcilicet receſſus a Deo & acceſſus ad creaturam per converſionem inordinatam, dicit Dominus per Hierem. cap. 2. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ non valent continere aquas*: ubi duo notantur. Primum diſceſſio vel averſio a creatore, ibi: *Me dereliquerunt*, non inutilem vel parum utilem, ſed multum utilem; quia *fontem aquæ vivæ*.

Deus comparatur fonti propter tria.

Comparatur autem Deus fonti triplici ratione. Prima eſt ratione eminentiæ: quia ſicut fons non aliunde aquas habet ſicut rivus, ſed ex ſeipſo; ſic Deus

Deus a nullo aliquid boni habet vel recipit, ſed ex ſeipſo & per ſuam eſſentiam eſt infinitum bonum. Secundo rarione influentiæ, quia ſicut fons rivis aquam influit, ſic Deus omnibus creaturis: pſal. 35. *Domine, apud te eſt fons vitæ. Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris*, Iſai. 12. Tertio ratione efficientiæ, quia ſicut fons aquam vivam tribuit; ſic Deus non eſt fons cujuſcumque aquæ, ſed vivæ, Joan. 4. *Dediſſet tibi aquam vivam*. Et in Cant. 4. *Fons hortorum*, Eccleſia ſcilicet, eſt *puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano*, ſcilicet a Deo. Et tam viva eſt iſta aqua, quod in potantibus fontem faciat. Et ideo eſt multum deſiderabilis, quia non eſt aqua, quæ in potantes convertatur, ſed ipſa convertit in ſe potantes, quia fontes facit, juxta illud: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, ait Chriſtus Samaritanæ, Joann. 4. Secundo tangitur illud malum peccati, adhæſio ſcilicet, vel inordinata converſio ad creaturam, ibi: *Et foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ non valent continere aquas*. Ubi oſtenditur defectus triplex. Primus, quia non ſunt principales; & ideo a ſeipſis non ſunt, ut fons. Secundus, quia ſunt deteſtabiles, quia *diſſipatæ*, ſcilicet idola, quibus adhærent, quia implere non valent mentem creatam, ſicut nec ciſterna diſſipata poteſt impleri. Tertius, quia ſunt inutiles, quoniam *continere non valent aquas*; & ideo nec recipere, nec aliis influere, & ſervari non poſſunt, quia tranſitoria ſunt.

Cauſſa, effectiva peccati eſt voluntas.

Ex prædictis patet, quod cauſſa efficiens peccati eſt voluntas. Unde Auguſtinus: *Peccatum uſque adeo voluntarium malum eſt, ut nullo modo ſit malum*, ſcilicet malo culpæ, *niſi ſit voluntarium*, 15. quæſt. 1. §. 1. Et ſi arguatur contra, quia Dionyſius dicit in 4. cap. de divinis nominibus, quod malum eſt præter intentionem & voluntatem, eo quod nullus intendens ad malum operatur; reſpondetur, quod malum dicitur eſſe præter voluntatem per ſe, quia intendens ad malum per ſe operatur aliquid. Sed per accidens malum poteſt eſſe voluntarium, dum ſcilicet aliquis æſtimat bonum, quod eſt malum, vel quum apparet bonum aliquid alicui ſecundum quid, cui eſt adjuncta ratio mali ſimpliciter. Vel poteſt dici, quod malum eſt præter voluntatem, quia voluntas non tendit in malum ſub ratione mali, ſed quia aliquod malum eſt apparens bonum, & ideo voluntas aliquando appetit aliquod malum. Hæc B. Thomas ſuper 2. Senten. Ad hoc etiam facit, quod ait Auguſtinus 15. quæſt. 1. can. *Merito*, ubi ſic ait: *Si diligenter inſpiciatur, forte ipſum peccare nemo velit, ſed propter aliud fit quod vult, qui peccat. Omnes quippe homines, qui ſcientes faciunt, quod non licet, vellent licere. Uſque adeo ipſum peccare nemo appetit propter hoc ipſum, ſed propter illud, quod ex eo conſequitur*,

CAPUT II.

De varia diviſione peccatorum.

§. 1. DE diviſione peccatorum, ſciendum quod ſex modis poſſunt diſtingui peccata ad invicem. Primus eſt ex parte reatus. Secundus eſt ex parte gradus. Tertius eſt ex parte reſpectus. Quartus ex parte nominis. Quintus ex parte radicis. Sextus ex parte originis.

Peccatum ex parte reatus dividitur.

Et quantum ad primum, ſcilicet ex parte reatus, ſic diſtinguitur peccatum, quia aliud mortale, aliud originale, aliud veniale. Quæ quidem diviſio non eſt generis in ſpecies; cujus ratio eſt, quia ſpecies æqualiter participant rationem generis; iſta autem non æqualiter participant rationem peccati, ad quod pertinet, quod ſit voluntarium perfecte, ſed eſt diviſio analogi in analogata, quod ſecundum prius & poſterius perfecte & imperfecte prædicatur de pluribus. Sicut v. gr. ens dividitur in ſubſtantiam & accidens, ens actu, & ens in potentia, de quibus prædicatur analogice: perfecte quidem de ente in actu, & de ſubſtantia: imperfecte de accidente & de ente in potentia, quia minimum, quod eſt de natura entis, eſt in ente in potentia & in ente per accidens. Sic a ſimili diviſio peccati in mortale & veniale & originale eſt ſicut diviſio alicujus in perfectum & in imperfectum; quia ratio peccati per prius & perfectius invenitur in peccato mortali, in veniali vero per poſterius & imperfecte; unde minimum, quod eſt de ratione peccati in aliquo actu, eſt in veniale. Et hoc ipſa nomina oſtendunt, quia venia non debetur peccato, niſi ſecundum quod aliquam imperfectionem peccati habet. Per prius ergo dicitur peccatum de mortali, tum quia mortale eſt voluntarium voluntate propria, tum quia ab ultimo fine deordinat, tum quia ei debetur pœna æterna. Peccatum autem veniale deficit a mortali in duobus, primo quia non deordinat ab ultimo fine, ſed aliquo modo a fine retardat, ordine ad finem ſervato. Secundo, quia ei non debetur pœna æterna, ſicut mortali. Peccatum autem originale deficit a mortali ex parte illa, qua peccatum habet rationem culpæ, ſcilicet ex parte voluntarii, quia mortale eſt voluntarium voluntate propria illius, in quo eſt, vel qui peccavit; ſed peccatum originale eſt voluntarium voluntate alterius quam ejus, in quo eſt, ſcilicet voluntate primi parentis Adæ. Hæc B. Thomas ſuper 2. Sent. Diſt. 42.

Mortale. *Veniale.* *Originale.*

Et quia dictum eſt, quod iſta diviſio eſt ſecundum reatum, ſciendum, quod reatus proprie non eſt aliud, quam obligatio ad pœnam. Et mortale obligat ad pœnam æternam damni & ſenſus: veniale ad pœnam temporalem ſeu purgatorii: originale tantum ad pœnam damni, non ſenſus, ideſt privationis Dei viſionis, non ignis infernalis, & hæc infra declarabuntur. Aliquando tamen reatus ſumitur pro culpa & obligatione ad pœnam, ut in collecta: *Reatus noſtri confeſſio, ſalutaris ad veniam*. Confitetur enim homo culpam, non pœnam debitam. Et ſciendum, quod peccatum actuale ſive mortale ſive veniale, aliquando tranſit actu, ſed remanet reatu. Et hoc vel quum ceſſat ab ipſo actu peccati, puta, perpetrato homicidio vel fornicatione, tunc ceſſat peccatum quantum ad ſuam eſſentiam, ideſt quantum ad actum illum inordinatum; ſed remanet reatu in ſuo effectu, ideſt in obligatione ad pœnam. Vel etiam quum quis per pœnitentiam habet remiſſionem peccatorum quoad debitum pœnæ æternæ, ſed tamen propter imperfectionem ſatisfactionis adhuc remanet obligatus pœnæ temporali; ſed tunc tranſit peccatum actu & reatu, quando quis habet plenam remiſſionem culpæ & totius pœnæ debitæ. Hæc Durandus, ſuper 2. Sent. Peccatum autem originale tranſit reatu per baptiſmum fluminis, vel ſanguinis, vel flamminis, ſed remanet actu, in quantum ſcilicet in viatore remanet ſemper habitualis concupiſcentia, quæ ſemper inclinat ad malum, quæ videtur eſſe materialiter ipſum originale peccatum.

Quid ſit reatus. 1 *Remanet poſt peccatum.* *Quomodo reatus totus tranſit.*

§. II. Secunda diviſio peccatorum eſt ex parte gradus, ſeu proceſſus. Et ſic dividitur peccatum in peccatum cogitationis, & locutionis, & operatio-

Peccatum dividitur ex parte gradus.

1 Hæc ex collecta addidi, pro quibus erat *indulgentia*, &c. nullo plane ſenſu.

rationis. Additur etiam aliquando peccatum consuetudinis. Et ista divisio probatur auctoritate, ratione, & similitudine. Et quantum ad primum, auctoritas Hieronymi super Ezech. sic continet: Tria sunt genera peccatorum, quibus humanum genus subjacet. Aut enim cogitatione, aut sermone, aut operatione peccamus. Additur a quibusdam quartus gradus, scilicet per consuetudinem, quod figuratur in Lazaro quatriduano. Sed gregorius in 4. Moral. ponit aliter istos gradus, dicens, quod in corde committitur quattuor modis, & in opere aliis quattuor modis. Est ergo primus gradus suggestio, vel sensualis delectatio, quæ est veniale. Secundus gradus est morosa delectatio in ipsa cogitatione absque deliberatione in opus. Tertius est deliberatio cogitationis in opus. Quartus est defensio seu excusatio ipsius peccati in seipso, sicut primi parentes post peccatum se excusaverunt. Quintus gradus est ipsum opus exterius, sed occultum. Sextus ipsum opus peccati, quum fit manifeste. Septimus dum ducitur in consuetudinem. Octavus quum quis obstinatus in malo obduratur, proponens non pœnitere.

Secundo probatur ratione. Nam ista divisio assignatur secundum gradus, quibus fit processus ad peccati complementum: gradus autem isti attenduntur secundum quod unus actus includit primum, & tertius secundum, & quartus tertium, & addit super eum, v. g. Primus gradus, super quem addunt alii, est voluntas interior, scilicet peccatum cogitationis. Secundus huic additus, & hunc exprimens est actus locutionis. Cujus ratio est, quia inter omnia membra est magis propinquum interiori actui, scilicet peccato cogitationis, quia locutio est signum interioris actus, scilicet cordis. Tertius gradus est peccatum operis, tamquam complementum omnium prædictorum.

Probatur hoc tertio per triplicem similitudinem seu exemplum, scilicet artificiali, naturali, & morali. In artificiali exemplo patet de domo materiali, in qua sunt tria, scilicet fundamentum ut principium, parietum erectio ut medium, tectum ut complementum domus. Ostenditur hoc in exemplo naturali: nam in generatione animalis primum, quod generatur, est cor; exinde membrorum productio; demum tamquam complementum totius corporis vel hominis formatio. Patet similitudo etiam in materia morali. Nam iracundus ex eo, quod appetit vindictam, primo perturbatur in corde, secundo in verba contumeliosa prorumpit, tertio in facta injuriosa. Idem patet de peccato luxuriæ & aliis. Consuetudo autem & desperatio vel defensio peccati, quas Gregorius addit, ut dictum est supra, sunt gradus consequentes post perfectam speciem peccati, sicut adolescentia & juventus post perfectam generationem hominis consequuntur. Vel dicendum, quod consuetudo & desperatio seu defensio sunt quædam circumstantiæ aggravantes omne peccatum ex multiplicatione ipsorum actuum. Hæc omnia B. Thomas 1. 2. quæst. 77. & super 2. Sent. Dist. 42.

Peccata ex parte objectorum dividuntur. 2

§. III. Tertia divisio, seu distinctio peccatorum est ex parte respectus seu objecti. Et sic homo dicitur peccare in Deum, in proximum, vel in seipsum. 2 Quæ distinctio probatur auctoritate, ratione, & contrarietate. Primo hoc ostenditur auctoritate, scilicet Magistri Sententiarum in 2. Dist. 42. dicentis, quod dicitur homo, peccare in Deum, proximum, & se ipsum. In Deum peccat, quum de Deo male sentit ut hæreticus, vel quæ Dei sunt, usurpare præsumit, indigne participando sacramentis, vel quando nomen Dei pejerando vel blasphemando contemnit. In proximum peccat, quum eum injuste lædit, vel offendendo personam, vel famam denigrando, vel substantiam diripiendo, & hujusmodi. In seipsum peccat, quum sibi soli nocet, & non alteri, ut in peccato gulæ, vel mollitiei, vel acidiæ, vel inanis gloriæ, & hujusmodi. Et hanc distinctionem ponit etiam Isidorus in lib. de summo bono.

Secundo hoc idem probatur ratione sic: Sicut omnis virtus est justitia quodammodo, ut dicitur 5. Ethic. ita omne peccatum est injustitia; injustitia autem est ex hoc, quod detrahitur alicui, quod sibi debetur. Unde injustitia habet quasi duo objecta, scilicet id, quod detrahitur, & ille, cui detrahitur, sicut homo, cui aufertur res sua. Sicut autem homo debet aliquid proximo & aliquid sibi ipsi; sic & multo magis debet Deo. Debet autem Deo amorem super omnia & reverentiam. Unde quando ab his deficit, dicitur peccare in Deum. Et si objiciatur hominem peccare in aliquem, in quantum eum lædit: sed nullus potest lædere Deum, secundum illud Jobi 35. *Si peccaveris, quid ei nocebis*, scilicet Deo? quasi dicat, nihil. Rationem hujus Augustinus signat dicens lib. de libero arbitr. Malum, quum nocumentum sit, nocere tamen non potest nisi bono, quod corruptibile est. Summum autem bonum incorruptibile est, & ideo malum ei nocere non potest, quia naturæ est impassibilis. Respondetur ad hoc, quod non dicitur homo peccare in Deum ex eo, quod eum in aliquo lædat, sed quia Deo subtrahit, quod ei debetur, & quantum in ipso est, ejus gloriam minuit, quamvis hoc facere non possit. Tunc ergo dicitur in peccato quis Deum offendere, quando in eo, quod sibi debetur, ei injuriatur. Proximo etiam quis debet ædificationem & beneficentiam & hujusmodi. Quando igitur hoc non facit, quum possit, & debeat, vel quum facit contraria his, dicitur peccare in proximum. Sibi etiam debitor est, scilicet quoad necessitatis collationem & munditiam. Unde quando contraria facit, sibi necessaria subtrahendo, vel peccando, ubi, quum non aliis noceat, in se peccat.

Tertio hoc idem probatur contrarietate sic: Sicut propositum in proposito, & oppositum in opposito. Sed per virtutes, quibus opponuntur peccata, homo ordinatur in Deum, & in proximum, & in seipsum; quod patet. Nam per virtutes theologicas homo ordinatur in Deum, temperantia & fortitudine ordinatur in semetipsum, justitia ad proximum; ergo per oppositum, qui peccat in his, quæ excedunt humanam rationem, sicut sunt ea, quæ sunt fidei, peccat in Deum, sicut hæreticus, sacrilegus, & blasphemus, & hujusmodi. Qui autem peccat in his, in quibus ordinatur & dirigitur in seipsum, dicitur peccare in seipsum, sicut patet in guloso, luxurioso, prodigo, & hujusmodi. Qui vero peccat in his, per quæ ordinatur ad alterum seu ad proximum, dicitur peccare in proximum, sicut patet in homicida, fure, adultero & hujusmodi.

Et notandum, quod ista divisio seu distinctio sumitur secundum id, in quod directe peccatur, & principaliter, non consequenter: v. g. quum quis facit homicidium vel furtum, & hujusmodi, iste directe & principaliter peccat in proximum eum lædendo. Ex consequenti autem peccat in Deum, quia in hoc mandata ejus transgreditur, & in seipsum, quia per peccatum occidit animam suam. Similiter qui peccat in seipsum, ut in gula, luxuria, & hujusmodi, directe & principaliter peccat in se, & ex consequenti in Deum contra mandamus ex Jensoniana editione an. 1479.

2 Hic quoque saltus erat in plerisque editis a voce *seipsum* ad similem paullo post repetitam. Supplevi-

data ejus faciendo. Et sic qui peccat in Deum, ex consequenti peccat in seipsum, privando se lumine gratiæ & virtutibus, & in proximum aliquando per malum exemplum, vel alio modo. Hæc B. Thomas 1. 2. quæst. 72. & super 2. Sent.

Peccatum dividitur ex parte nominis.

§. IV. Quarta divisio peccatorum est respectu nominis. Et sic dividitur peccatum in delictum, & commissum, sive in peccatum omissionis & transgressionis, quod idem est. Quam distinctionem ponit Augustinus quæstione 3. leviter, dicens, quod peccatum, quod dicitur delictum, est omissio boni; quod etiam ipsum nomen ostendit: dicitur enim delictum quasi derelictum. Peccatum vero, quod dicitur commissum, est perpetratio mali. Vel secundum Magistrum Sentent. in libro 2. Distinct. 42. Delictum est, quod ignoranter fit; commissum, quod scienter committitur. Ubi notandum, quod hæc distinctio secundum nomina, scilicet delictum, & commissum, attenditur secundum præcepta legis, ex quibus regulantur actus nostri. Inter ipsa autem præcepta quædam sunt affirmativa & quædam negativa. Quod fit contra affirmativa præcepta, dicitur omissio; quod fit autem contra præcepta negativa, dicitur commissio vel transgressio. Item quia contra præcepta fit quandoque scienter, quandoque ignoranter: si scienter, dicitur commissio; si ignoranter, dicitur omissio. Thomas super 2. Sent.

Omissio prior est commissione.

Est autem sciendum, quod prius est omissio, quam commissio. Ratio hujus est, quia secundum philosophum tria sunt in actibus virtutum, quæ requiruntur, scilicet scire, velle, & immobiliter seu firmiter operari. Ignorantia est contra primum actum, scilicet scire: omissio contra secundum, quando scilicet tenetur quis aliquid velle, & non vult; sic commissio est contra operari, quando scilicet aliquis facit aliquid, ad quod obligatur non facere. Et sic patet ex ipso processu, quod prius est omissio, quam commissio. Hæc Alexander 2. parte summæ. Sed peccatum commissionis est gravius peccato omissionis, scilicet commissio mali, quam omissio boni, tum quia in peccato commissionis est major deordinatio & effrænatio voluntatis, tum quia majus nocumentum, vel injuriam facit, ceteris paribus, in peccato commissionis, tum quia magis contra justitiam. Sicut patet per exempla, quia gravius est occidere hominem, quam sibi in extrema necessitate non subvenire; & Deum blasphemare, quam eum non honorare tempore debito & hujusmodi.

Peccatum omissionis quando imputatur alicui.

Notandum etiam quod peccatum omissionis alicujus boni pro eo tempore alicui imputatur ad culpam, quando non facit quod debet, scilicet eo tempore, quo debet. Cujus ratio est, quia omissio boni opponitur præcepto affirmativo, quod licet obliget semper, non tamen ad semper: v. g. non obligatur homo, quod semper actu insistat parentibus honorandis; sed tamen semper obligatur, quod tempore debito honoret parentes. Tamdiu ergo durat peccatum omissionis, quamdiu durat tempus, quo obligatur, ad quod obligatur per præceptum affirmativum. Quo transeunte tempore transit actu peccatum, & remanet reatu: & iterum redeunte tempore tali, iteratur omissio. Sicut enim transeunte actu virtutis remanet meritum præmii; ita transeunte actu peccati remanet reatus pœnæ. Hæc B. Thomas supra 2. Sent. Dist. 42.

Si autem quæratur, utrum in quolibet peccato sit aliquis actus; respondetur, quod quidam opinati sunt, quod in omni peccato est aliquis actus, vel interior, scilicet actus voluntatis, sicut quum aliquis non dans eleemosynam peccat, quia vult non dare, & sic ibi est actus interior voluntatis, scilicet velle non dare: vel etiam aliquis actus exterior, sive ille actus exterior sit

A simul cum omissione, puta quum facit aliquid, quo retrahitur ab actu debito; sicut quum aliquis ludit, & propter hoc dimittit ire ad Ecclesiam: sive ille actus sit præcedens omissionem, ut quum aliquis impeditur, ne surgat ad matutinas, quia nimis vigilavit in sero, circa aliqua se occupando; tamen B. Thomas tenet contrarium, scilicet quod non requiritur aliquis actus in peccato omissionis per se loquendo, sed in ipsa cessatione debiti actus peccatum omissionis consistit. Et hoc probat quattuor modis, scilicet auctoritate, ratione, distinctione, & comparatione. Auctoritate quidem probatur per illud Jacobi 4. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi*: sed non facere, quod homo debet, non importat a-

B liquem actum; ergo peccatum omissionis est absque omni actu, immo cessare ab actu.

Ad omne peccatū nō requiritur actus.

Secundo probatur idem ratione sic: Judicium dandum est de rebus secundum id, quod est per se, & non secundum id, quod est per accidens. Sed actus per accidens se habet ad peccatum omissionis; quod patet, quia quod omittens aliquid, ad quod tenetur, aliquid faciat, est per accidens; ergo non debet dici, quod peccatum omissionis consistit in actu propter aliquem actum adjunctum, quia actus ille adjunctus per accidens se habet ad peccatum omissionis, ut dictum est.

Tertio probatur hoc comparatione, quia etiam in peccato trangressionis contingit aliquem actum adjungi, qui tamen ad peccatum transgressionis

C per accidens se habet; sicut quum contingit aliquem furantem loqui vel videre, & similiter nullus actus pertinet ad peccatum omissionis, sed ipsa sola cessatio ab actu debito. Confirmatur idem & alia ratione, videlicet, quia non punitur homo juste, nisi pro peccato; sed pro sola omissione boni, quod tenetur facere, punitur, secundum illud: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*, Matth. 7. Et *servus, qui cognovit voluntatem Domini sui .... & non fecit ... plagis vapulabit*. Luc. 12.

Distinctio peccatorū.

Quarto probatur distinctione. Nam differentia ista est quantum ad hoc inter peccatum trangressionis, & omissionis, quia peccatum transgressionis non est sola privatio, sed etiam actus priva-

D tus debito ordine rationis; sicut furtum vel adulterium est quidam actus inordinatus, & ratione actus peccatum est quædam res vel natura; ratione privationis ordinis, peccatum dicitur nihil, secundum Augustinum super Joannem: & B. Thomas in quodlibeto dicit, quod peccatum maxime transgressionis est actus inordinatus, & ratione actus peccatum est aliqua res seu natura. Sed illa inordinatio est privatio, & secundum hanc peccatum dicitur nihil ab Augustino. Sed peccatum omissionis secundum veritatem loquendo est sola privatio actus debiti, cujus subjectum non est aliquis actus, sed potestas voluntatis; sicut subjectum cæcitatis non est visio, sed id, quod aptum natum est videre. Unde quia voluntas est

E causa effectiva & subjectiva omissionis; ideo omissio habet rationem culpæ, quia omissio est voluntaria, quoniam in potestate nostra est non velle, sicut & velle & non facere, sicut & facere; & ideo ipsa boni omissio debiti est peccatum. Et si arguatur sic in contrarium: Sicut meritum comparatur ad virtutem, ita demeritum seu peccatum ad vitium: sed meritum non potest esse absque actu; ergo nec demeritum; respondetur, quod differentia est inter meritum & demeritum. Nam meritum non potest esse absque actu aliquo, saltem voluntatis; sed demeritum potest esse absque actu. Et ratio hujus diversitatis est, quia plura requiruntur ad bonum, quam ad malum, eo quod bonum contingit ex tota & integra causa; malum autem

Differunt meritū, & demeritū.

tem ex ſingulis defectibus, ut dicit Dionyſius cap. 4. de divin. nom. Hæc B. Thomas 1. 2. quæſt. 72. & in quæſtionibus de malo. Quia ergo & omiſſio boni debiti peccatum eſt, ſicut & tranſgreſſio; ideo Pſalmiſta utrumque Domino confitetur dicens pſal. 31. *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi*, ubi Pſalmiſta tria facit. Primo exprimit peccatum omiſſionis, ibi: *Delictum meum:* dicitur enim delictum quaſi derelictum, ideſt omiſſum, ut quia peccata dicenda tacui; & hoc eſt contra illos, qui ſolum de commiſſis & non omiſſis faciunt ſibi conſcientia, vel confitentur. Sed David utrumque fatetur, quia peccatum. Eſt etiam contra illos, qui de magnis confitentur, de parvis non curant. Sed David etiam parva, quæ dicuntur delicta * .... reſpectu aliorum eſt, & contra ſe excuſantes, vel in alios ſua peccata retorquentes, ſicut Adam & Eva; unde dicit *meum*, quod ſcilicet ego feci ex meo arbitrio. Ad hoc facit 15. quæſt. 1. *Non eſt*. Secundo propheta innuit vitium commiſſionis ſeu tranſgreſſionis, ibi: *Et injuſtitiam meam*, &c. ideſt quæ feci contra juſtitiam, tranſgrediendo præcepta negativa, ubi magis apparet injuſtitia, & plus nocumenti proximo fit. Tertio addit actum confeſſionis, ibi: *Non abſcondi*. Quum enim Deus cognoſcat certius & clarius omnia, quam ille, qui facit; tamen hoc eſt, ut dicit Caſſiodorus, peccatum Deo cognitum facere in confeſſione, ſcilicet delicta & peccata producere. Confeſſor enim repræſentat perſonam Dei, hoc eſt *non abſcondere*, non minuere gravitatem, magnitudinem & turpitudinem peccatorum circumſtantias celando.

** Heic aliqua deſunt.*

Peccatum dividitur ex parte radicis.

§. V. Quinta diviſio peccatorum eſt ex parte radicis eorum. Sunt autem quinque radices peccatorum. Prima eſt amor inordinatus ſui. Secunda eſt timor indiſcretus. Tertia cupiditas, Quarta concupiſcentia. Quinta ſuperbia. Primæ duæ inſinuantur per Pſalmiſtam dicentem, pſal. 79. *Incenſa igni, & ſuffoſſa ab increpatione vultus tui peribunt*, ideſt propter opera mala, quæ procedunt ab inordinato amore ſui, & hæc dicuntur *ſuccenſa igni*; & ea opera, quæ ſunt ex inordinato timore mali; & hæc dicuntur *ſuffoſſa*, quia timor dejicit hominem infra ſe. *Peribunt* homines *ab increpatione Dei*, ideſt judicante Deo. Unde Auguſtinus ſuper pſalm. dicit ibi: Omne peccatum procedit vel ab amore male inflammante, vel a timore male humiliante. Aliæ tres radices peccati notantur 1. Joann. 2. *Omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*, ideſt quod eſt in amatoribus mundi ſeu peccatoribus, ideſt omne peccatum, quod eſt in eis, procedit *aut ex concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*. Dicuntur autem hæ radices peccatorum, quia ſimilitudinarie ſe habent ad peccata, ſicut radices ad arbores materiales. Sicut enim radix arboris eſt, per quam arbor nutrimentum ſumit, & per quam arbor convaleſcit, & creſcit, & per quam arbor proficit, & fructum producit; ſic ſecundum hæc tria a ſimili ex qualibet harum radicum, peccatum incipit, convaleſcit, & fructum producit. Ex eo enim peccatum incipit, ex quo homo ad peccatum inclinatur. Hoc autem eſt bonum intentum, ad quod peccator inordinate convertitur. Nam bonum, quod habet rationem finis movet efficientem & appetentem; & ideo radix peccati in nobis dicitur paſſio vel pronitas ad peccandum, quæ ex corruptione originalis conſequitur. Unde paſſio, quæ eſt radix peccati, ſic diſtinguitur; quia vel eſt paſſio ſecundum inclinationem appetitus in id, quod eſt ultimus finis bonorum commutabilium, ſicut eſt homo; & ſecundum hoc ponitur prima radix peccati ab Auguſtino, quæ eſt amor ſui inordinatus, quæ cauſſa eſt omnis peccati: ſecunda radix omnis peccati eſt timor. Hujus ratio eſt, quia ex eo, quod aliquid inordinate diligitur & male omnia impedientia illud male timentur; ſic omne peccatum procedit vel ex inordinato appetitu alicujus boni, vel ex inordinata fuga alicujus mali; ſed utrumque horum reducitur ad inordinatum amorem ſui. Cujus ratio eſt, quia propter hoc homo vel appetit inordinate bona, vel fugit inordinate mala, quia inordinate amat ſeipſum. Quod enim aliquis appetat inordinate bonum temporale, vel fugiat inordinate malum temporale, non eſt niſi ex hoc, quod ſeipſum inordinate amat. Quod patet ex hoc, quia amare aliquem, non eſt aliud niſi velle ei bonum. Qui ergo amat ſeipſum inordinate, inordinate vult ſibi bonum aliquod. Vel eſt paſſio inordinate inclinans appetitum hominis in ea bona, quæ propter finem ultimum communicabilium, ideſt propter hominem quæruntur, & hoc tripliciter. Primo quia vel talis paſſio eſt inclinans appetitum inordinate in bonum utile, ut divitias & hujuſmodi, de qua Apoſtolus 1. ad Timot. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*; & ſic tertia radix, ſcilicet cupiditas: vel eſt talis paſſio, quæ inclinat inordinate appetitum in bonum delectabile; & ſic erit quarta radix peccati, ſcilicet concupiſcentia circa bona exteriora in uſum ordinata; & hæc concupiſcentia eſt duplex: una, quæ ordinat ad conſervationem ſpeciei per generationem; & hæc diſtricte dicitur *concupiſcentia carnis*, ut in venereis: dicitur etiam luxuria. Alia concupiſcentia eſt, quæ ordinatur ad conſervationem individui; & talis dicitur *concupiſcentia oculorum*, ſcilicet eorum, quæ ſunt delectabilia, non tantum ſecundum ſenſum ſolum, sed ſecundum apprehenſionem cujuſcumque apprehenſivæ virtutis, ut in cibis & aliis delectabilibus ſenſibus. Tertio, paſſio inclinat appetitum inordinate in bonum opinabile vel honeſtum; & ſic erit quinta radix, ſcilicet ſuperbia, circa bona ſecundum opinionem, ut honor, dignitas & hujuſmodi. Hæc B. Thomas ſuper 2. Senten. Diſt. 42. Et 1. 2. quæſt. 77. Poſſet etiam dici ſic, ut in auctoritate ipſa Joannis ſuperius poſita exprimantur tres ultimæ radices peccati: In concupiſcentia carnis notatur inordinatus appetitus in bonum delectabile, ut in cibis & venereis & hujuſmodi. In concupiſcentia oculorum appetitus inordinatus in bonum utile, ut divitias & hujuſmodi, quæ alias dicitur cupiditas. Tertium, ſcilicet ſuperbia, aliter exponi non oportet.

Paſſio inclinat tripliciter.

Peccatum etiam dividitur ex parte originis.

§. VI. Sexta diviſio peccatorum eſt ex parte originis. Unde B. Gregorius lib. 31. Moralium dicit, quod ſeptem ſunt capitalia vel principalia vitia, ex quibus omnia alia oriuntur, ſcilicet inanis gloria, invidia, ira, acidia, avaritia, gula, luxuria. Et ſuper hæc omnia quaſi regina & mater eſt ſuperbia. Et circa iſta capitalia videnda ſunt tria, ſcilicet convenientia numeri, ſufficientia, differentia.

Vitia unde dicuntur capitalia.

Quantum ad primum ſciendum, quod omnia prædicta capitalia dicuntur quaſi a capite derivata, quia capita ſunt multorum vitiorum; & in hoc conveniunt. Dicitur autem vitium capitale a capite per ſimilitudinem. Caput enim tripliciter ſumitur. Primo ſumitur caput pro membro corporis; & ſic ſumitur 1. Cor. 11. *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum.* Et caput eſt quoddam membrum animalis, quod eſt corporis principium; ideo ſecundo caput dicitur omne principium ſecundum illud Threnor. 4. *Diſperſi ſunt omnes lapides ſanctuarii in capite omnium platearum*, ideſt in principio. Tertio

tio caput ſignificat principatum vel ducatum rectoris. Et hujus ratio eſt, quia ſicut omnia alia membra corporis a capite quodammodo reguntur, & ad ipſum ordinantur, ita exercitus a duce regitur, & ad ipſum ordinatur, hoc modo ſumitur Amos 6. *Capita populorum pompatice ingredientes domum Iſrael. Capita* vocat principes & rectores. Et ſecundum has tres proprietates capitis vitium capitale poteſt dici, quod capite plectitur, ſecundum Auguſtinum, ut ſacrilegium, furtum, homicidium & hujuſmodi. Et hoc modo vitium capitale idem eſt quod mortale, ideſt dignum morte ſeu decapitationis. Non enim infligitur iſta pœna mortis in judicio niſi pro mortali, ſed ſic non accipit Gregorius in dicta numeratione. Secundo modo dicitur capitale, quod eſt principium aliquorum peccatorum, ex quo plura alia oriuntur, quod ſecundum hoc Gregorius vitia capitalia principalia nominat. Tertio dicitur capitale vitium, ad quod vitia alia ordinantur. Nam princeps eſt caput exercitus, ad cujus bonum totus exercitus ordinatur, ut dicitur 11. Metaph. Et per hunc modum illud vitium, ad quod alia ordinantur, dicitur capitale. Unde Gregorius in Moralibus ubi ſupra: Vitia capitalia ſunt quaſi duces, & vitia, que ex eis oriuntur, ſunt quaſi exercitus. Hæc B. Thomas 2. Senten. Diſt. 42. & in quæſtionibus de malo.

Septē ſunt capitalia, & non plura.

Quantum ad ſecundum, ſcilicet numeri ſufficientiam, quare ſcilicet ſeptem & non plura neque pauciora ſunt. Pro hujus declaratione ſciendum, quod omne peccatum procedit, vel quia appetitus inordinate appetit bonum vel quia inordinate fugit malum, quæ duo ſunt ejuſdem rationis, ſcilicet appetere bonum inordinate & fugere oppoſitum inordinate, ſcilicet malum: v. g. ſicut guloſus inordinate appetit cibum, & inordinate fugit triſtitiam, quæ ex abſentia ciborum cauſſatur. Et ſimile in aliis capitalibus. Et ſic vitia capitalia poſſunt convenienter diſtingui ſecundum differentiam boni & mali, ita quod ubicumque aliqua ſpecialis ratio appetibilis vel fugibilis eſt, ibi eſt unum vitium capitale. Eſt etiam ſciendum, quod bonum ad ſe attrahit appetitum, ſed quod appetitus refugiat aliquod bonum, hoc eſt ſecundum ſpecialem rationem conſideratam circa hujuſmodi bonum, ut quia laborioſum vel impeditivum delectationum corporearum.

Primo igitur dico, quod omne peccatum procedit ex hoc, quod appetitus inordinate appetit bonum. Et hoc quidem bonum poteſt eſſe triplex, ſcilicet vel bonum mentis, vel bonum corporis, vel bonum rei exterioris. Primo igitur appetitus inordinate appetit vel quærit bonum mentis honeſtum, quod eſt bonum imaginativum, ſcilicet excellentia gloriæ & honoris, & ad hoc ordinatur ut ejus principium ſuperbia vel inanis gloria. Secundo appetitus appetit bonum corporis, quod eſt bonum delectabile; & hoc bonum vel pertinet ad conſervationem individui, quod eſt cibus, & ad hoc ordinatur gula; vel pertinet ad conſervationem ſpeciei, ſicut eſt in venereis, & ad hoc ordinatur luxuria. Tertio appetitus inordinate appetit bonum utile, ſcilicet corpori, ut divitias; & ad hoc ordinatur avaritia. Et ſic quattuor ſunt vitia capitalia ex parte appetitus inordinate appetentis bonum, ſcilicet ſuperbia vel inanis gloria reſpectu boni honorabilis, avaritia reſpectu boni utilis, gula reſpectu boni delectabilis ſecundum guſtum, vel luxuria reſpectu boni delectabilis ſecundum tactum.

Secundo appetitus humanus inordinate fugit bonum aliquod ſecundum aliquam ſpecialem rationem. Et hoc tribus modis. Primo appetitus alicujus inordinate refugit bonum aliquod, in quantum illud bonum eſt impeditivum boni inordinate concupiti in ſeipſo, ut v. g. ſicut bonum ſpirituale impedit quietem vel delectationem corporalem; & ſic eſt acidia, quæ nihil aliud eſt quam triſtitia de aliquo bono ſpirituali, prout eſt impeditivum boni corporalis, quod appetens in ſeipſo inordinate cupit. Secundo appetitus inordinatus alicujus bonum refugit in alio, ſecundum quod bonum illius impedit propriam excellentiam in ſeipſo; & ſic eſt invidia, quæ eſt dolor de alieno bono, in quantum apprehenditur ut diminutivum propriæ excellentiæ. Tertio non ſolum aliquis refugit vel odit bonum in alio, ſed etiam contra bonum ejus inſurgit, ipſum repellendo; & ſic eſt ira, quæ eſt appetitus vindictæ, qua aliquis impugnat aliquem contrarium agendo. Hæc B. Thomas ſuper 2. Senten. Diſt. 42. & in quæſtionibus de malo.

Differunt radix & capitale.

Quantum ad tertium principale, ſcilicet differentiam capitalium a radicibus, ſciendum, quod ipſa vitia ita dicuntur capitalia, quod non dicuntur radices. Et ratio hujus eſt, quia hæc eſt differentia inter capitale & radicem, quia capitale eſt quoddam peccatum, radix autem peccati in quantum radix, non eſt peccatum.

Septem capitalia per quæ figurantur.

§. VII. Hæc ſeptem vitia capitalia figurata ſunt per ſeptem gentes ſeu nationes, quæ habitabant in terra promiſſionis ſecundum Magiſtrum in 2. Senten. & Hugonem Cardinalem ſuper pſalmos. Ipſa enim terra promiſſionis, affluens lacte & melle, ſignat humanam naturam in genere, vel animam quamlibet in particulari in ſtatu innocentiæ & juſtitiæ, quæ utique affluebat lacte puritatis, & melle conſolationis cæleſtis. Sed per primorum parentum tranſgreſſionem poſtea inhabitata eſt, & poſſeſſa a ſeptem nationibus, ideſt vitiis capitalibus. Obtenta autem per Chriſtum devictis vitiis, eſt poſtea inhabitata per tribus duodecim Iſrael, & levitica, ideſt per ſeptem virtutes, & ſex opera miſericordiæ corporalia & ſpiritualia, quæ reperiuntur in veris fidelibus, quod bellum Chriſtus notavit, quum ait Luc. 11. *Si fortior illo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet*, &c. Fortis in malitia diabolus, qui caſtrum, ſeu atrium mundi tenebat in pace, quaſi nullo ei reſiſtente: & hoc cum ſeptem his nationibus, ideſt vitiis, *ſuperveniens fortior* Chriſtus vicit eum, & abſtulit ei arma ſuæ malitiæ, ea detegendo. Et hoc bellum & victoriam notat Pſalmiſta pſal. 43. dicens ad Dominum: *Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos; afflixiſti populos, & expuliſti eos.* Ubi oſtendit in ipſo bello tria.

Gratiam Chriſti operatam, ibi: *Manus tua gentes diſperdidit.*

Juſtitiam animi reformatam, ibi: *Plantaſti eos,*

Malitiam pœnitentia evacuatam, ibi: *Afflixiſti.*

Peccatū ſine gratia non poteſt ejici.

Quantum ad primum ſciendum utique, quod per nos non poſſumus ſuperare unam minimam tentationem, nec ejicere a nobis unum peccatum. *Sine me*, ait Salvator, *nihil poteſtis facere*, Joan. 15. Et ratio eſt, quia quum peccatum mortale ſit defectus quaſi infinitus, ſeu injuria, quia contra Deum bonum infinitum, & homo ſit virtutis finitæ; non poteſt finitum attingere ad infinitum, niſi adjunctum infinito; & hæc gratia eſt Chriſti, quæ eſt quaſi infiniti valoris. Unde Apoſtolus Rom. 3. *Juſtificati gratis gratia ipſius*, &c. ideſt juſti facti expulſis peccatis. Sicut ergo Joſue, ſeu Jeſu Nave, dux populi Dei ipſe fuit, qui tranſito Jordane devicit & proſtravit illas ſeptem nationes, & tradidit tribus Iſrael terram poſſidendam; ſic Jeſus noſter, mediante baptiſmo, ubi dimiſit virtutem ſuæ paſſionis, expulſis

pulsis omnibus capitalibus vitiis, tribus virtutum infundit in genus humanum, seu animam quamlibet eum sequentem per fidem, ut possideat statum quietum & suavem; & hoc est, quod dicit Psalmista: *Manus tua*, &c. Brachium Dei dicitur Pater, secundum illud: *Fecit potentiam in brachio suo*, Luc. 1. quia ab ipso procedit Filius sicut manus a brachio: digitus dicitur Spiritus sanctus secundum illud: *Si in digito Dei ejicio dæmonia* &c. Luc. 11. quia procedit a Patre & Filio, sicut digitus a brachio & a manu. Sed manus frequenter in Scriptura dicitur Filius, quia procedit a Patre sicut manus a brachio. Et quia sicut per manum quis operatur; ita *omnia per ipsum facta sunt*, Joann. 1. *Manus* ergo Dei filius incarnatus superveniens in mundum, *gentes* vitiorum vicit, ideſt diabolum cum septem capitaneis vitiorum, quæ vitia dicuntur *gentes*, quasi gehennæ, ideſt inferno deditæ, quia per ipsa homo traditur inferno. *Disperdidit* autem & destruxit, ideſt ad nihilum deduxit merito suæ passionis, doctrina suæ eruditionis, & exemplo suæ perfectissimæ conversationis. Ipsa autem interpretatio nominum illarum gentium ostendit proprietates ipsorum vitiorum. De ipsis autem nominibus gentium dicitur Deut. 7. *Quum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingredieris*, ideſt in illum statum justitiæ reparatæ, *& deleverit gentes multas coram te*, quasi diceret: Dominus hoc faciet, non tu: *Hethæum, Gergezæum, Amorrhæum, Chananæum, Pherezæum, Hevæum, & Jebusæum ... percuties eas usque ad internecionem. Non inibis fœdus cum eis*, ut scilicet etiam motibus ipsorum capitalium venialiter acquiescas; sed usque ad primas radices prosterne.

Per *Hethæum*, qui interpretatur *stupens*, vel *formidans*, signatur invidia, quæ formidat felicitatem alienam, & dolet. Unde Seneca: Utinam invidi oculos ubique haberent, ut omnium felicitate torquerentur. Dicitur Hethæus stupens, ideſt admirans, quia invidus quodlibet bonum etiam parum admiratur in proximo, cui invidet, tamquam sit multum excellens. Unde Poeta:

Fertilior seges est alieno semper in agro,
Vicinumque pecus, grandius uber habet.

Vel stupens etiam dicitur, qui ob frigiditatem dentium, ut quum comeduntur acerba uvæ & hujusmodi, non potest bene comedere. Sic invidia facit sibi insipida bona aliorum: Amos 4. *Ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris. Dedi*, ideſt promisi dare, vel paratis habere: ac ratione pœnæ afflictionis invidi, hoc dat Deus in punitionem.

Per *Gergezæum*, qui interpretatur *colonum ejiciens*, vel *advena appropinquans*, signatur superbia, vel inanis gloria. Hæc enim superbia ejecit diabolum de cælo & hominem de paradiso, qui erant coloni illorum locorum: dicitur etiam advena, quia quanto sua mente cogitat Deo appropinquare, ideſt exaltari, tanto magis elongatur a Deo: Jobi 20. *Si ascenderit usque in cælum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.*

Per *Amorrhæum*, qui interpretatur *amaricans*, signatur acidia, quæ facit hominem amaricari propter laborem boni operis: sicut gaudium spirituale consolatur animam; ita tædium de bono divino agendo fastidit & in horrorem ducit: ad Hebr. 12. *Videte, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.*

Per *Chananæum*, qui interpretatur *lapides colligens*, vel *commotus*, intelligitur ira, quæ commovet totum hominem ad appetitum vindictæ, & colligit lapides contumeliarum, & detractionum, & contentionum, in mente sua concipiendo ad offendendum alios verbis suis: Proveb. 26. *Qui volvit lapidem*, scilicet projiciendo contra aliquem contumelias, *revertetur ad eum*, quia sibi etiam fit injuria in verbis & factis.

Per *Pherezæum*, qui interpretatur *disseminatio*, signatur luxuriosus, qui non curat ubi semen spargat; sed passim & indifferenter: Hier. 5. *Equi amatores, & emissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* In veteri lege, qui patiebatur fluxum sanguinis, immundus judicabatur, nec ad templum Dei, quod signat Ecclesiam militantem, potest accedere, vel triumfantem.

Per *Hevæum*, qui interpretatur *ferus*, vel *pessimus*, signatur avaritia, quæ facit hominem feram pessimam devoratricem sui proximi, adeo quod non miseretur amicorum & propinquorum: Ecclesiastici 10. *Nihil iniquius, quam amare pecuniam: hic enim animam suam venalem habet.*

Per *Jebusæum*, qui interpretatur *præsepe*, signatur gula, quæ semper vellet esse ad mensam sicut animalia bruta ad præsepe: Isaiæ 5. *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam* &c. vel interpretatur *conculcatio*, quia *anima saturata calcabit favum*, Proverb. 27.

Secundum, quod notatur in prædicto psalmo, est justitia reformata, dum dicitur *plantasti eos*, scilicet filios Israel. Ad litteram dicitur plantasse, quando de novo induxit in terram promissionis: & sicut planta, quum de novo est, sæpe irrigatur, ut convalescat; ita Deus illum populum suum de novo introductum in terram promissionis, miraculis plurimis irrigavit, & bonis variis fœcundavit. Moraliter autem filii Israel sunt virtutes & boni mores, quos Deus animabus conversorum infundit. Nam, ut dicit Ambrosius: *Quum renuntiatur improbitati, statim adscisc itur virtus. Egressus enim malitiæ, virtutis operatur ingressum: eodemque aditu, quo vitium excluditur, innocentia copulatur*, 32. quæst. 1. Has autem virtutes, ut firmentur & crescant, Deus spiritualibus consolationibus irrigat, ut fructum faciant. *Ego*, ait ipse Deus per Hierem. 2. *plantavi te vineam meam electam, omne semen verum*, scilicet virtutum, *posui ibi.*

Tertium notatum est malitia evacuata, & hoc per pœnitentiam, dum dicitur: *Afflixisti populos, & expulisti eos. Populos* dicit illas nationes gentium, quæ signant vitia, ut dictum est; affligit autem per pœnitentiam. Nam gulosus, dum dolet & pœnitet vere de gula, affligit se mente & corpore jejunando & abstinendo. Luxuriosus pœnitens tristatur de vitiis perpetratis, & affligit se continendo. Sic modo suo avarus, superbus, & alii. Dicuntur autem hæc vitia *gentes*, quasi gehennæ dedita, quia deducunt ad gehennam, sed afflictione pœnitentiæ expelluntur de terra promissionis, ideſt de anima. Unde Magdalenæ se affligenti in pœnitentia, quod figurabat etiam unguentum secum ablatum, dictum fuit: *Remittuntur tibi peccata tua* &c. Luc. 7. Et per afflictionem pœnitentiæ factum fuit, ut Christus ejiceret septem dæmonia ab ea, ut dicitur Marci 16. ideſt septem vitia capitalia.

CAPUT III.

De nocumentis peccati mortalis, quæ sunt vigintitria.

EFfectus, seu nocumenta peccati mortalis, colligendo summatim notabimus vigintitria, quæ quum *Nocumēta peccati.*

quum magna ſint, cogitur peccator clamare cum Pſalmiſta peccatore, ſed pœnitente, pſal. 50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*. Magna eſt miſericordia Dei erga hominem in creando, quia de non ente, quod eſt magna miſeria, fecit eſſe, & tam nobile eſſe dedit, quia ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Magna etiam miſericordia Dei in gubernando hominem & providendo omnibus ſuis neceſſitatibus; ſed major per excellentiam, & maxima eſt educendo peccatorem de lacu peccati, & de luto fæcis, & de tenebris inferni ad lucem cæli. Et propter hoc efficiendum de cælo venit ad terras, & ſuſtinuit paſſionem. Ideo autem miſericordiam poſtulare debet peccator potius, quam aliud, quia miſericordia habet pro objecto miſeriam, & ipſam lavat. Non poteſt eſſe major miſeria, quam peccatum; unde dicitur: *Miſeros facit populos*, Proverb. 14. Conducit enim tandem ad ſummam miſeriam contrariam perfectiſſimæ felicitati. Unde in figuram decem leproſi, deſignantes tranſgreſſores decem præceptorum, clamabant ad Jeſum: *Jeſus præceptor, miſerere noſtri*, Lucæ 17. Et Chananæa pro filia ſua dæmoniaca ſignante animam poſſeſſam a diabolo: *Miſerere mei* &c. inquit: *filia mea male a dæmonio vexatur*. Vexatur autem anima a peccato multiplici malo & in vitæ hujus converſatione, & in ipſius animæ ſeparatione, & in ipſius collatione. Et in vitæ quidem converſatione miſeriam patitur & vexatur in triplici differentia bonorum, ſcilicet

In bonis temporalibus.
In bonis naturalibus.
In bonis ſpiritualibus.

In bona tẽporalia.

§. I. Et bona quidem temporalia, etſi minima ſint reſpectu aliorum, tamen bona ſunt a Deo; & ut dicit philoſophus, organice deſerviunt felicitati, ideſt inſtrumentaliter, quia ſunt tamquam media ad perficiendum aliqua opera virtuoſa. Sunt autem hujuſmodi tripartita: videlicet divitiæ ſeu ſubſtantia temporalis, honorificentiæ ſeu gloria mundialis, præſidentiæ & libertas humanalis.

Triplex bonum tẽporale per peccatum amittitur.

Divitias quidem ſive naturales, ut poſſeſſiones, animalia victualia & hujuſmodi, ac etiam divitias artificiales, ut pecuniæ argenteæ, aureæ veſtes, & hujuſmodi, Dominus tribuit, ut mediante earum fideli diſpenſatione quis ſibi mereatur vitam æternam. Sed ſiquis eis abutatur, vel alias earum largitorem offendat per peccatum, frequenter eas amittit, unde ad magnam miſeriam & vexationem deveniat. Sic Ægyptiis propter peccatum ſuum, injurias videlicet & offenſiones, quas Hebræis inferebant, ablata ſunt vaſa aurea & argentea, & plures eorum divitiæ, Domino Hebræis illa concedente, ut habetur Exod. 12. Iſraelitis autem idololatrantibus in terra promiſſionis propter peccatum eorum clauſum eſt cælum annis tribus & menſibus ſex. Unde magnam penuriam credendum eſt indubitanter ibi exortam. Et iterum alias ſub Eliſæo propheta tanta fame Samaria oppreſſa eſt, ut matres comederent filios, ut habetur 4. Reg. 6. & 8. quod etiam quotidie talia flagella populi patiuntur propter peccata ipſorum.

Bonum honoris & gloriæ multum appetitur. Unde & Auguſtinus de civit. Dei dicit allegans Ciceronem: Honor alit artes, quique gloria ad ſtudia accenduntur. Et propter hanc conſequendam antiqui Romani ad munera & immenſa pericula & labores ſe expoſuerunt. Et hoc eſſe majus bonum, ſcilicet habere bonam famam, Salomon oſtendit, magis quam divitias habere, dicens: *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*, Prov. 22. Unde & functi viri hanc conſervare & augere nituntur, non propter ſe, ſed ad proximorum ædificationem; propter quod dicebat Apoſtolus 1. Cor. 9. *Expedit mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet*. Sed & iſtud bonum per peccatum tollitur vel diminuitur. Unde & Salomon ſapientiſſimus, quem propter famam virtutis & ſapientiæ omnis terra deſiderabat eum videre; cui etiam dixit regina Saba ad eum veniens de finibus terræ: *Vicifti famam virtutibus tuis*, propter peccata laſciviæ ſuæ adeo ſibi gloriam & honorem minuit, ut etiam de ſua ſalute dubitaretur, de quo etiam dicit Sapiens Eccleſiaſtici 47. *Dediſti maculam in gloria tua* &c. Sic & Magdalena quantacumque eſſet genere nobilis, dives, & pulchra, propter laſcivias ſuas ita famam attriverat, ut diceretur *peccatrix*, Luc. 7.

Poteſtas quoque, qua quis aliis præeſt, donum eſt non parvum a Domino conceſſum, ſecundum illud Sap. 6. *O judices, data eſt vobis poteſtas a Domino, & virtus ab altiſſimo*. Et in hoc habent quamdam ſimilitudinem cum Deo ſpecialem participantes divinam poteſtatem, ut ſicut Deus omnibus præeſt, & omnia regit, ita præſidentes in mundo quibuſdam præeminent, & eos regunt. Unde & dii aliquando vocantur, propter quod dixit Dominus Moyſi, Exodi 7. *Conſtitui te Deum Pharaonis*. Hæc autem poteſtas & dominium frequenter per peccata tollitur. Unde & Nabuchodonoſor propter ſuperbiam ſuam ablatum fuit ſibi regnum ad tempus, qui erat monarca mundi, voce emiſſa de cælo dicente: *Tranſibit a te regnum tuum, & ab hominibus ejiceris, & cum beſtiis erit habitatio tua*, Dan. 4. Sed & Balthaſſar filius ejus propter peccata ſua ex toto amiſit ipſum regnum, ipſo interfecto a rege Perſarum Dario, capta Babylonia, Dan. 5. Sic & ſeptem nationes, quæ habitabant in terra promiſſionis amiſerunt terras ſuas, ipſis interfectis cum regibus ſuis a Joſue cum exercitu ſuo, ſcilicet Iſraelitarum, & pro eis ipſi Iſraelitæ poſſederunt; unde & quum Dominus promitteret illam terram ſe daturum ſemini Abrahæ, quaſi rationem aſſignans, quare tunc non dabat ipſi Abrahæ, ſubdit: *Nondum ſunt completæ iniquitates Amorrhæorum*, Gen. 15. ideſt nondum aſcenderunt ad tantam malitiam, quod adhuc mereantur perdere illa dominia. Inſuper & ipſi Judæi poſſeſſam illam patriam fertilem & gratioſam propter peccata ſua, per ſeptuaginta annos amiſerunt, tranſlati in captivitatem cum rege ſuo Sedechia, 4. Reg. ult. Et demum reverſi graviora perpetrantes, & Dei filium interimentes, poſt maximam ſtragem amiſſa omni dignitate regali & ſacerdotali, captivati, & venditi in ſervos diſperſi ſunt per univerſum orbem. Libertas utique magnum bonum æſtimatur.

Septẽ nationes exſtirpatæ.

Non enim *bene pro toto libertas venditur auro.*

Sicut e contra ſervitus eſt maxima miſeria, quia per peccatum inducta eſt ſervitus. Unde Ambroſius: *Non eſſet hodie ſervitus, ſi ebrietas non fuiſſet*, Diſt. 35. *ſexto die*. Et loquitur de Cham, qui ex eo, quod deriſit Noe patrem ſuum, quem propter ebrietatem vidit nudatum, maledictionem ſervitutis ab eo accepit in genere ſuo, Gen. 9. Peccator ſervus etiam efficitur diaboli & peccati Joann. 8. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*; male ergo vexatur homo a dæmonio peccati, cum de magnis dignitatibus devolvitur ad magnas miſerias: propter quod clamare cogitur: *Miſerere mei* vel *noſtri*.

§. II. Bona autem naturalia tripartita ſunt videlicet

Familia parentalis.
Conſiſtentia corporalis.
Potentia animalis.

Peccatum nocet triplici bono naturali.

Familia parentalis ſunt propinqui, præcipue filii,

filii, qui quum ſint de ſubſtantia patris & matris, rationabiliter dicuntur bona naturalia. Et hoc bonum quum non habetur, multum deſideratur, etiam a probis viris, ſicut patet in Iſaac orante pro conceptu Rebecchæ uxoris ſuæ, Gen. 25. & Abraham de hoc Domino pie conquerenti quum dixit Gen. 15. *Vernaculus meus Heliezer iſte Damaſcus erit hæres meus? mihi autem non dediſti ſemen*: & quum habetur, multum amatur conſervatio vitæ eorum & ſanitas. Et ratio hujus eſſe poteſt, quia naturaliter unumquodque appetit perpetuari, quantum poſſibile eſt; cognoſcit autem quilibet, experientia docente, quia in ſe diu permanere non poteſt, quum mortalis ſit, & corruptibilis, & quum filius ſit de ſubſtantia parentum; dum ſunt, & vivunt filii, ſic in eis & per eos videntur permanere & perpetuari per ſucceſſivam ex eis generationem. Sed certe filii propter peccata parentum quandoque ex hac vita ſubtrahuntur, aliquando diu & graviter infirmantur. Exemplum in David, cui dictum fuit a Nathan: *Quia blaſphemare feciſti nomen Domini, idcirco morietur filius tuus*, qui ſcilicet fuerat natus ex Berſabee, quod factum eſt, ut habetur 2. Regum 12. Sic & Heli ſacerdos, qui peccaverat in non habendo curam de filiis Ophni & Phinees, audito quod filii ejus in bello mortui eſſent & occiſi, & arca Domini capta a Philiſthæis, ex dolore cecidit retro, *& fractis cervicibus exſpiravit*, 1. Reg. 4. Quamvis ſecundum leges humanas filius non debeat aliquo modo occidi pro peccato patris, etſi commiſiſſet crimen læſæ majeſtatis, ſed aliis pœnis puniri poteſt, ut amiſſione bonorum, rerum temporalium & patriæ; tamen in judicio Dei & ſecundum legem ſuam etiam morte corporali punitur filius pro patre. Nec ex hoc fit injuria vel injuſtitia filio, quia omnes ſumus & juſti & injuſti debitores mortis quoad Deum pro originali peccato, ſed quoad animam ſeu pœnam inferni, vel purgatorii utique firma manet ſententia Domini illa Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris*, & e converſo.

Unus punitur pro alio.

Conſiſtentia corporalis, ſeu conſervatio vitæ corporalis quantum ametur, præcipue cum ſanitate ejus, quilibet experitur in ſeipſo, ut induci non oporteat illud, quod ſathan dixit Domino, Jobi 2. *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua*, ideſt vita conſervanda. Propter hoc tempore peſtis vitantur etiam conſanguinei, ne inficiant, quæruntur diligentiſſime medici, ſumuntur potiones amariſſimæ, uſtiones & inciſiones ſuſtinentur, varia tormentorum genera ac malefactores patiuntur, & multa illicita perpetrantur, ne vita perdatur; ſed ut dicitur extra, *De pœnit. & remiſ.* cap. *Quum infirmitas: Infirmitas corporis nonnumquam ex infirmitate animi procedit, dicente Domino languido*, qui ſcilicet jacebat in porticu piſcinæ: *Ecce ſanus factus es: vade, & noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, Joann. 5. Et exempla patent de Ezechia rege Juda, qui *ægrotavit uſque ad mortem*, Iſai. 38. Et hoc propter peccatum ingratitudinis vel ſuperbiæ de victoria habita ſeu liberatione ab exercitu Sennacherib. Exemplum etiam in Maria ſorore Aaron, quæ effecta eſt leproſa propter murmurationem factam contra Moyſem, ut patet Num. 12. Sed & infectio aeris & peſtis evenire propter peccata hominum oſtenditur 2. Reg. ult. quando & propter elationem David, qua uſus eſt in numerare faciendo populum, tum etiam propter conſpirationem populi contra ipſum David factam in conjuratione Abſalonis, infra triduum mortui ſunt ex peſte ſeptuaginta millia de Iſrael. Notandum tamen, quod Decretalis dicit *nonnumquam*, ideſt non ſemper, ſed aliquando. Nam & infirmitates etiam immittuntur a Deo propter alias cauſſas, quandoque præter peccata, ut patet in Job ulcere peſſimo percuſſo, & Chelidonio cæco poſtea illuminato, Joann. 9. Et quia difficile eſt ex certitudine ſcire hujuſmodi cauſſam, niſi a Deo reveletur; ideo quilibet in hac parte viam tenere debet humiliorem, ut ſcilicet propter peccata ſua, quum infirmatur, exiſtimet ſe a Deo flagellatum: de aliis non judicet, quum cauſſam neſciat. Inſuper & guerræ & bella, ubi vulnerantur, & occiduntur innumera millia hominum, propter peccata contingit: Jacobi 4. *Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc ex concupiſcentiis, quæ militant in membris veſtris?* Poſtquam Salomon peccatis ſe implicavit, ſuſcitavit ei Dominus plures inimicos ad bellandum contra eum, qui prius in maxima regnaverat pace, ut patet 3. Regum cap. 11. & in libris Judicum hoc plene oſtenditur, quod quum ille populus Iſrael a mandatis Dei declinabat, ſuſcitabantur contra eos bella a finitimis nationibus cum multis oppreſſionibus. Male ergo vexatur creatura a peccato; & ideo in miſeriis hujuſmodi conſtituta, clamat: *Miſerere* &c.

Cura circa Æpidiniam.

Potentiæ animales, quum naturales ſunt, ſunt ſecundum Auguſtinum bona media, quibus & bene & male uti poſſumus; ſed in ſe valde bonæ ſunt & neceſſariæ ad operandum. Et hæ ſunt tres principales. Prima potentia intellectiva. Secunda potentia volitiva. Tertia potentia ſenſitiva. Quælibet vexatur ſuo modo per peccatum. Unde Pſalmiſta pœnitens ait pſal. 30. *Conturbata ſunt omnia oſſa mea*, ideſt potentiæ, quibus anima vigoratur ad operandum. Et hoc figuratum exſtitit in vulnerato a latronibus, qui deſcendit a Jeruſalem in Hiericho, ut habetur Lucæ 10. Vulnera enim ſunt ipſa mala infixa potentiis, ut declarat Magiſter in 4. Sent. in princ.

Intellectus per peccatū obfuſcatur.

Et quantum ad potentiam intellectivam dicitur Sophon. 1. de peccatoribus: *Ambulabunt*, ideſt operabuntur, *ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Et in hujus figura legitur Judic. cap. 16. quod Samſon captus a Philiſthæis excæcatus eſt ab eis, ad inſinuandum, quod viro quantumcumque ſancto capto per tentationem a dæmoniis eruuntur ſibi oculi intellectus, non quidem ut privetur potentia intellectiva, vel actu intellectus ſimpliciter, ſed in particulari opere eligibili; ita paſſione obtenebratur, ut tunc non advertat illud eſſe malum, ſed bonum ſibi videtur illud faciendum, quamvis in habitu & in generali cognoſcat illud eſſe malum. Et hoc eſt, quod dicit philoſophus in lib. Ethic. quod omnis malus eſt ignorans: ignorat enim peccans tunc illud eſſe malum, ut fornicationem, etſi habitualiter ſciat illud eſſe malum & prohibitum, ſicut ebrius poſitus in ebrietate, dicit veras ſententias, quas habitu tenet; ſed quum profert in ebrietate, non eas actu intelligit, impeditus ab ebrietate. Ignorat etiam peccator quot & quanta bona per peccatum perdat, quanta mala incurrat per peccatum, non conſiderans ea. Et quamvis non auferat ex toto peccatum judicium rationis, propter quod peccator non privatur actu judicandi & ſententiandi, & reprehendendi alios peccatores, & puniendi, dummodo cum humilitate fiat; tamen multum hebetatur intellectus, & obſcurus remanet, non adjutus lumine gratiæ, qua talis privatur in judicando, corrigendo & puniendo, & indignus redditur. Qua enim fronte poteſt alios corrigere, *quum tacitus ſibiipſi reſpondet, eadem ſe admiſiſſe, quæ corrigit*, inquit Hieronymus, Diſt. 25. *Primum*. Et ſi parum gaudii eſſe valeat ei, qui lumen cæli corporale videre non poteſt, ut ait Tobias, immo multi doloris, non minus vexatur anima, amiſſo lumine intellectus per pec-

peccatum, & ideo clamet: *Miserere*, &c.

Voluntas per peccatū inficitur.

Voluntas quoque multum est remissa ad bonum per peccatum, adeo quod bonum, quod intelligit, & in generali proponit, agere non valeat; propter quod ait Apostolus ad Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio*. Et loquitur secundum unam expositionem in persona constituti in mortali. Unde & figuratur per claudum, qui videt quidem quo pergere debeat, sed recto gressu incedere non valet, quibus claudis dicitur per Eliam 3. Reg. 18. *Usquequo claudicatis in duas partes?* Claudicat ex parte dextra, qui præcepta ad Deum nos ordinantia non servat. Claudicat ad sinistram, qui mandata erga proximum nos dirigentia non custodit: & secundum B. Thomam in 1. 2. nec talis diu in peccatis permanere potest, quin labatur in alia. In repentinis enim casibus, qui quotidie occurrunt, in quibus non potest haberi multum temporis ad deliberandum, operatur homo secundum finem sibi præstitutum & habitum perceptum. Et quum peccator non sibi præstituat ut ultimum finem, ad quem omnia dirigat, gloriosum Deum, sed creaturam, cujus amorem Deo & mandatis ejus præponit; ideo non secundum Deum & mandata ejus agit, sed secundum passionem suam, & malum habitum alicujus vitii, cui est deditus. Et hoc est, quod dicit Gregorius, quod peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Sic patet in David, qui lapsus in adulterium, quia cito non pœnituit, addidit & C homicidium ordinando de morte Uriæ, 2. Reg. 11. Voluntas etiam peccatoris spiritualia non gustat, quia superfluo humore terrenorum, scilicet amore infectus est ut infirmus; sed ei vilescunt & fastidiunt spiritualia.

Sensualitas per peccatum vexatur.

Potentia sensitiva, seu sensualitas multipliciter vexatur passionibus propter peccatum: gloriosus enim Deus sic instituit hominem, ut ratio subjiceretur sibi; & inde sensualitas omnino erat subdita rationi. Sed per peccatum inobedientiæ rebellans se ratio Deo immediate, & caro recalcitravit spiritui. In cujus signum secundum Augustinum de civit. Dei, primi parentes senserunt stimulos carnis in membris genitalibus, propter quod erubescentes adinvicem *fecerunt sibi perizomata*, idest succintoria, seu cooperimenta, Gen. 3. Et potentia quidem concupiscibilis non appetit nisi delectabilia sensibus, etsi contraria spiritui. *Caro* enim *concupiscit adversus spiritum*, ut dicitur ad Galat. 5. In cujus figuram ancilla Agar concepisse se videns ex Abraham, etiam proterva despiciebat dominam suam Sarai, & quum verberibus angeretur ab ea, fugam arripuit, Gen. 16. ad designandum, quod sensualitas, quæ est ancilla rationis, postquam per concupiscentiam conceperit peccatum ex viro, idest appetitu rationali, despicit postea rationem, nec vult ei obedire. Sed etsi aliquando cogatur quibusdam pœnis, ut jejuniis & disciplinis, ipsa sensualitas fugit a ratione, nec propter hoc ei obedit, sed ut libera vagatur. Et in tantum excrescit ipsa concupiscentia, ut non deferat naturali fœderi seu propinquis, ut patet in Ammon primogenito David, qui amore concupiscentiæ insaniens in Thamar sororem suam, violenter constupravit eam, 2. Reg. 13. Et de Ruben, qui ascendit cubile patris sui Jacob, cognoscendo scilicet uxorem patris, Genes. 35. Et de Semiramide bellicosissima Regina Ninive, quæ duxit in maritum filium suum, sed ab ipso interfecta est.

Figura exponitur.

Irascibilis potentia plena est perturbationibus & vindictis illicitis. Unde Saul, qui prius erat pacatissimus, adeo quod despicientes dominium ejus sibi a Domino traditum patienter tolleravit, A nec in aliquo molestari eos voluit, post victoriam magnam habitam contra Ammonitas, quum tamen populus hoc quæreret, postquam a Domino recessit per peccatum, ita turbulentus & furiosus effectus est, ut frequenter per se & per alios mortem quæsierit generi sui David ei fidelissimi, & octoginta quinque sacerdotes occidi fecit, quia Achimelech princeps eorum favorem dederat ipsi David, concedendo ei panes & gladium Goliæ & consulendo pro eo Dominum, 1. Regum 21. Alexander magnus vitiis immersus ita iracundus aliquando erat, ut fidelissimum & amicissimum sibi propria manu interficeret. Sensitiva quoque apprehensiva, ut visus, auditus & hujusmodi, ita efficiuntur inordinata per curiositatem, quod *nec* B *satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur*, ut dicitur Ecclesiastes cap. 1.

§. III. Vexatur autem peccator, & detrimentum patitur in tertio genere bonorum, quæ sunt præcipua, scilicet in bonis spiritualibus, quæ sunt sub triplici differentia.

Triplex est genus suffragiorum Ecclesiæ.

Munimenta suffragiorum.

Fulcimenta meritorum.

Ornamenta virtutum & donorum.

Ille, qui est in gratia, recipit suffragium & munimen a sacramentis, ab indulgentiis, a fidelium actionibus bonis. Et a sacramentis quidem, quia sumendo aliquod eorum cum devotione, inde augetur sibi gratia, & fructus multiplex spiritualium, ut illuminatio mentis, consolatio spiritualis fortificationis, & hujusmodi. Sed ille, qui C est in mortali, non potest accedere ad ipsa, nisi cum suo detrimento. Dicit Augustinus 1. quæst. 1. quod sacramenta talia fiunt unicuique, cum quali conscientia quis accedit. Idem habetur eodem: *Dominus declaravit*, §. *Item nos dicimus*. Qui cum conscientia mortalis accedit, mortem novam animæ incurrit per speciale mortale, quod addit, sicut dicit Apostolus 1. Cor. 11. de Eucharistia: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit*. Et si in confessione accedens cum mortali & non contritus, totum tamen dicens, forte novum non committat mortale; tamen fructum magnum confessionis non recipit. Si vero sacramenta non percipit; & utilitate ipsorum se D privat, & mandatum Ecclesiæ transgreditur, & sic omni modo vexatur.

Confer part. 3. tit. 14. c. 19. §. 5. p. 774.

Valor indulgentiarum.

Secundario verus fidelis, scilicet qui est in gratia, habet suffragium ab Ecclesia in indulgentiis. Valent enim indulgentiæ datæ a prælatis Ecclesiæ ad tollendum seu diminuendum pœnam temporalem debitam pro peccatis commissis. Nam culpa & debitum pœnæ infernalis contractum pro mortali, solus Deus remittit. Quum autem culpa commissa sit causa debiti pœnæ, remanente culpa in anima, numquam potest fieri remissio pœnæ. Ratio est, quia remanente causa remanet effectus: e. g. Sol existens super emispherium nostrum, est causa illuminationis aeris; dum ergo sol est super nostrum orizontem, semper aer invenitur illuminatus; sic remanente culpa in anima, E remanet & obligatio pœnæ. Et quum peccata mortalia sint connexa quoad aversionem, quia omnia avertunt ab ultimo fine; ideo qui remanet in mortali, nullo modo potest habere remissionem de aliquo alio mortali quoad culpam, nec veniali, & per consequens nec quoad pœnam, remanente inordinatione culpæ. Et sic indulgentiæ datæ a quocumque sive a Papa, sive ab Episcopis vel aliis, nihil valent his, qui sunt in mortali. Indulgentiæ enim tantum valent, quantum sonant. Sonant autem secundum formam communem, quod habent eas, qui fuerint contriti & confessi; unde existens in mortali nullius indulgentiæ est capax. Et si centies iret ad sepulchrum Domini & limina

mina Apoſtolorum, & haberet indulgentiam in articulo mortis; nil ei valent permanenti in mortali, quum recepturus non eſt effectum ejus, quamvis alias faceret, quod continet indulgentiam, puta, quia dat eleemoſynam Eccleſiæ ſtatutam: vadit ad illam Eccleſiam, & hujuſmodi. Glamare igitur habet: *Miſerere mei*, &c.

Participatio bonorũ Eccleſiæ.

Tertium genus ſuffragii Eccleſiæ eſt participatio omnium bonorum, quæ fiunt in Eccleſia, orationum jejuniorum, eleemoſynarum, & hujuſmodi: aſſimilant enim theologi, ut B. Thomas & Petrus de Tarantaſia & alii, Eccleſiam corpori humano; quam ſimilitudinem notavit Apoſtolus ad Rom. 12. dicens: *Omnes*, ſcilicet fideles, *ſumus unum corpus in Chriſto*. Videmus enim in corpore humano, quod ex cibo aſſumto omnia membra recipiunt nutrimentum & robur, niſi ſint præciſa vel ſtupida, ut manus arida, vel pes. A ſimili ex omnibus operibus bonis, quæ fiunt a bonis, quilibet verus fidelis recipit participationem, & fortificationem, niſi ſit membrum præciſum, ſcilicet per ſententiam excommunicationis, vel aridum, quod evenit per privationem vivacitatis gratiæ, ideſt per mortale. Hoc intelligens Pſalmiſta orabat dicens pſal. 118. *Participem me fac Deus omnium timentium te*, &c. quaſi diceret: Da mihi gratiam tuam, qua ſim liber a mortali; ex tunc habebo partem omnium bonorum, quæ fiunt in Eccleſia. His ergo ſuffragiis privatus peccator, non mirum, ſi diabolus habet majorem poteſtatem ſuper eum ad nocendum ſpiritualiter & temporaliter, quam ſuper alios. Unde & ſuper ſeptem viros Saræ habuit poteſtatem dæmon ſuffocandi eos, quia mali erant; non autem ſuper Saram vel Tobiam, qui timebant Deum. Thomas 3. & 6. Poteſtatem habuit ad ligandum, & immobilem reddendum Philetum diſcipulum Jacobi Apoſtoli ante converſionem ejus, non autem poſt baptiſmum ejus.

Triplex eſt fructus meritorum.

Secundum genus bonorum ſpiritualium eſt fructus meritorum; & hæc ſunt tripartita, videlicet merita agendorum, merita geſtorum, merita ſeu ſubſidia aliorum.

Peccator non meretur per gloriam.

Et quantum ad primum: *Unuſquiſque*, ait Apoſtolus 1. Cor. 3. *propriam mercedem accipit ſecundum ſuum laborem*. Quod verum eſt de his, quæ fiunt in gratia quantum ad mercedem gloriæ. Et quia caritas eſt radix merendi ſecundum Thomam in 4. quodlibet autem mortale contrariatur caritati ſecundum ipſum; ideo exiſtens in mortali nullo modo poteſt mereri, nec pro ſe nec pro aliis aliquod bonum gloriæ ſeu gradum præmii æterni. Quæ ergo facit de genere bonorum, qui eſt in mortali, etſi ad multa bona ſibi valeant & temporalia & ſpiritualia, quia diſponitur per illa ad gratiam, & hujuſmodi; non tamen de his mercedem accipit, ut congreget fructum in vitam æternam. Nec etiam reverſo tali ad veram pœnitentiam illa bona reviviſcunt ad præmium gloriæ. Unde Apoſtolus 1. ad Cor. 13. *Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & tradidero corpus meum ita, ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*, ſcilicet ad vitam æternam, ut exponit Auguſtinus *De pœnit.* Diſt. 3. *Si quis.* Et ſicut quod vivum non fuit, umquam reſuſcitari non poteſt; ſic vivere non poſſunt, ſcilicet opera mortua, quæ numquam viva fuerunt ſecundum Hoſtienſem.

Perdit merita acquiſita.

Quantum ad ſecundum, ſcilicet merita acquiſita, verum eſt, quod dicitur Aggæi 1. *Congregaverunt mercedes*, ideſt merita ex bonis factis in gratia, *& miſerunt eas in ſacculum pertuſum*, ideſt perforatum; unde egreditur, quidquid immittitur. Vult dicere, quod qui acquirit aliqua merita per opera virtuoſa, ea amittit per peccatum, quod poſtea committit, ſi eſt tale, quod perforet, ideſt tollat unitatem animæ ejus, ut eſt mortale. Nam perſeverans in eo, ſi moriatur, præmium non percipit illorum meritorum propter defectum ſuum, & obſtaculum peccati, quo ſe indignum fecit præmio ſuperno. Ad quod innuendum dixit nobiliſ homo de illo ſervo, qui propter ſuam pigritiam non multiplicaverat mnam ſibi traditam, familiaribus ſuis: *Auferte ab illo mnam, & date ei, qui habet decem mnas*, ut parabolice habetur Lucæ 19. Erogatur ergo illud meritum inter electos. Verum eſt tamen, quod ſi ille revertitur ad pœnitentiam, merita illa, quæ acquiſivit in ſtatu gratiæ, ſibi reſtituuntur, non autem quæ fecit bona extra gratiam, ut dictum eſt. Unde Auguſtinus: *Pium eſt credere, & fides noſtra hoc expoſtulat, ut quum gratia Chriſti deſtruxerit mala priora, etiam remuneret bona*, ſcilicet mortificata per peccatum, *De pœnit.* Diſt. 3. *Pium eſt.*

Non ſatisfacit per opera etiam pœnalia pro ſe.

Quantum ad tertium, ſcilicet ſubſidia particularia, ſciendum, quod ſicut corpus mortuum non poteſt aliquem juvare, nec ab aliquo juvari; ita mortuus per peccatum in anima non eſt capax operis boni; quod fit pro eo, in quantum eſt opus ipſum ſatisfactivum: nec per ſe ſatisfacere poteſt per opera quantumcumque pœnalia; ut jejunia peregrinationes, & eleemoſynas, & hujuſmodi. Peccator enim inimicus Dei conſtituitur propter offenſam commiſſam. Durante ergo inimicitia, non acceptat Deus aliquam emendam, vel ſatisfactionem, quum deficiat amicitia, qua acceptatur. Unde pſal. 50. *Ædificentur muri Hieruſalem*, ideſt virtutes congregatæ in anima, deſtructæ per peccatum, quæ reædificantur per pœnitentiam; & tunc tu, Deus, *acceptabis ſacrificium juſtitiæ*, ideſt religionis & orationis, *oblationes* eleemoſynarum, *holocauſta* jejuniorum. Inſuper in mortali exiſtens pro alio ſatisfacere non poteſt vivo vel defuncto ex operibus mere propriis, & directe. Nam indirecte hoc poteſt facere, puta dando eleemoſynas pro miſſis dicendis vel aliis orationibus fiendis a clericis pro vivis & defunctis. Quamvis enim eleemoſynæ tales non valeant illis ad expiationem, pro quibus fiunt; tamen miſſæ & orationes dictæ a clericis, etiamſi ſint mali, valent, non in quantum privatæ perſonæ, ſed in quantum miniſtri Eccleſiæ, cujus preces Deo non poſſunt non eſſe gratæ. Valent tamen talia ad alia bona, quum fiunt præciſe a malis; & ideo non eſt ceſſandum ab eis, ut Deus mentem illuſtret.

Nec pro aliis.

Amiſſio virtutum quomodo fit.

Tertium genus principale ſpiritualium bonorum ſunt virtutes & dona: pſal. 37. *Dereliquit me virtus mea*, ſcilicet quam habebam. Et ſecundum Magiſtrum in 3. Sent. virtutes omnes ſunt connexæ, ita quod una ſine altera haberi non poteſt: quum quis committit aliquod mortale, illud directe oportet, quod contrarietur alicui virtuti, & per conſequens ut ſuum contrarium eam expellit, & cum illa omnes aliæ ab anima recedunt. Et hoc figuratum exſtitit in illo, qui *incidit in latrones*, Lucæ 10. *qui eum exſpoliaverunt.* Latrones ſunt dæmones, qui quum capiunt animam per peccatum in deſerto mundi, exſpoliant virtutibus. Fides igitur amittitur quantum ad meritum, etſi non quantum ad informem habitum. Sic Jeroboam filius Nabath rex primus Iſrael victus a peccato ambitionis, ne populus Iſrael accederet ad templum in Hieruſalem ad offerendum ſacrificia, ut mandabatur in lege, timens inde amittere regnum, fieri fecit duos vitulos aureos, quos ipſe cum populo adoraret, & ſacrificia offerret, ut habetur 3. Reg. 12. Spem omnem amiſit Judas, patrato facinore proditionis; unde & *laqueo ſe ſuſpendit*, Matth. 27. Caritatem omnem a ſe eliminaverat dives Epulo, non ſubveniendo neceſſi-

ceſſitatibus Lazari ulcerati, Lucæ 16. Dona ſpiritus in peccatore reperiri non poſſunt. Nam ſapientia per inſipientiam dejicitur, ut divina non guſtet. Intellectus per hebetudinem obſcuratur, ut Scripturæ ſint in eis in parabolas, non intra medullam penetrantes. Conſilium per præcipitationem perit, ut ſine examinatione cuncta faciat. Fortitudo per puſillanimitatem, & impatientiam proſternitur. Scientia per ignorantiam conculcatur, circa converſationem cum perſonis non prudenter ſe habens, nec ſufficienter diſcernens verum a falſo circa mores & fidem. Pietas, quæ eſt Dei cultus vel proximo ſubveniens, ab impietate dejicitur. Et timor per ſuperbiam abſorbetur. Hoc autem totum figuratum fuit per oppreſſionem trium filiarum & ſeptem filiorum Jobi, ut exponit Gregorius in lib. Moral. Significant tres filiæ tres virtutes theologicas. Septem filii ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ convivium faciunt, quilibet in die ſuo, quia quodlibet reficit mentem ſpirituali refectione: hæc per ventum tentationum concutientem domum conſcientiæ omnia mortificantur. Quum ergo per peccatum factum ſit miſer & miſerrimus, exſpoliatus, privatus omnibus bonis ſpiritualibus & multipliciter vexatus clamare cogitur: *Miſerere mei* &c. vel *miſerere noſtri, quia filia mea male a dæmonio vexatur.*

§. IV. Vexatur quoque ipſius animæ ſeparatione. Mors enim ſecundum philoſophum eſt ultimum terribilium, ſed ut dicitur Eccleſ. 1. *Timenti Deum bene erit in extremis.* Spe enim præmii, & ex fiducia bonorum laborum præteritorum confortatur; ſed miſer peccator & refrigerium hinc habere non poteſt, ſed magis angustias. Et hoc ex triplici cauſſa ſeu ratione.

In morte triplex erit vexatio peccatoris.

Ex amore concupiſcentiæ.

Ex remorſione conſcientiæ.

Ex terrore diabolicæ nequitiæ.

Quantum ad primum certum eſt, quod dolor ex amore procedit. Dolet enim quis, quum privatur eo, quod amat, & quanto plus amat rem, tanto ex carentia & privatione magis dolet. Hinc videmus matres graviſſime dolere & lugere ſuper mortem filiorum propter magnum amorem ad eos. Sic & Jacob delata ſibi veſte filii Joſeph ſanguine cruentata, exiſtimans ipſum mortuum, valde doluit; adeo quod *congregatis cunctis liberis, ut delinirent dolorem patris, noluit eos audire*, Gen. 37. Miſer peccator diligit varias creaturas plus quam Deum & animam ſuam, ibi conſtituens finem, ut divitias, honores, poſſeſſiones, venereas delectationes, filios & alios vel alia, & quando aliquid de hujuſmodi perdit, multum dolet. Sed veniens ad mortem, quum videt ſe omnibus privari, ubi ſuum amorem poſuerat, nimis dolet, ſciens ſe illis omnibus in perpetuum privari. Unde dicitur Eccleſiaſtici 41. *O mors, quam amara eſt memoria tua homini injuſto habenti pacem in ſubſtantiis ſuis!* Juſtus autem, quia inordinate non A diligit iſta terrena, ſed reputat ſe hic advenam & peregrinum, juxta illud pſal. 38. *Advena ego ſum apud te & peregrinus*, & futuram inquirit civitatem, ut propriam & permanentem; ideo non dolet ſecundum rationem, ſed cupit *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.*

Secundum, quod cruciat peccatorem in extremis, eſt remorſus conſcientiæ. Conſiderat enim infidelis, quod oportet eum comparere coram ſuperno judice, quum nil occultum, & nil inultum remanebit. Conſiderat vitam ſuam totam fuiſſe deditam mundo & pompis ejus, quaſi nil boni feciſſet. Conſiderat quomodo tempus tranſivit plenum iniquitatibus, quot & quanta bona facere potuiſſet, quæ non fecit; unde conſcientia acerrime B torquet eum, & ex hoc aliquando in deſperationem inducitur. Et quamvis quantumcumque malus fuiſſet, reverti adhuc potuiſſet ad pœnitentiam & ad gratiam; juſto tamen judicio Dei ſæpe contingit, ut nec de pœnitentia, nec de Deo aliquid curet, ſed deſperatus vel cæcus ad infernа deſcendat. Unde Auguſtinus: Hac animadverſione percutitur peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui dum viveret, oblitus eſt Dei; & ideo clamandum eſt ei: *Miſerere mei*, &c.

Tertium crucians eſt turba dæmonum. Sciens enim diabolus ſibi non ſupereſſe plus temporis ad decipiendum hominem ultra terminum vitæ, totum virus malitiæ ſuæ in cauda reſervat, ideſt in fine. Unde in figuram dictum fuit ſerpenti, Gen. C 3. *Tu inſidiaberis calcaneo ejus*, ideſt animæ vel creaturæ rationali, cujus calcaneus eſt terminus vitæ. Et frequenter peccatores obduratos, quos cognoſcit ſecum mancipandos in inferno, antequam anima exeat de corpore, torquere incipit. Sicut legitur in Vitis Patrum de quodam divite, cujus animam ſanctus quidam vidit uncinis ferreis violenter trahi ex corpore, & cum multa caterva dæmonum eum percutentium ad infernum deduci. De hac materia plenius vide ſupra titulo 6. cap. 8. de deſperatione animæ. Poſt ſeparationem a corpore vexatur anima permaxime ex tribus, licet & aliis modis crucietur. Ex privatione divinæ viſionis: * Iſaiæ 26. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Et pſal. 6. *Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* Ex duratione igneæ cruciationis. Unde in Apocalyp. 21. *Pars illorum erit in ſtagno, igne ardenti & ſulphure*, Matth. 13. *Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis.* Nunc mittuntur in anima, ſed in fine etiam cum corpore. Ex malignatione diabolicæ aſſociationis, Matthæi 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus*, Hierem. 16. *Servietis diis alienis*, ideſt dæmoniis alienis ab omni miſericordia, *qui non dabunt vobis requiem die ac nocte* &c. De hac materia, ſcilicet inferni, vide infra tit. 9. de peccato actuali mortali, cap. 3.

*Ex Interp. LXX.

TITULUS OCTAVUS
DE PECCATO ORIGINALI.

CAPUT I.

De cauſſa peccati originalis, & ejus pœnis.

POſt tractatum de cauſſis peccatorum, & de diffinitionibus & diviſionibus, & nocumentis eorum, nunc videndum eſt de ipſis pecatis ſecundum illam diviſionem, qua primo dividuntur, quia ſcilicet peccatorum aliud originale, aliud actuale: & hoc dividitur in mortale & veniale, & de ſingulis horum dicendum eſt, & primo de originali.

Peccatũ originale quid ſit.

Eſt autem originale peccatum, cum quo naſcuntur homines, de quo Auguſtinus, *De conſecrat.* Diſt. 4. cap. 3. ſic ait: *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui concipitur per concubitum viri & mulieris, naſci cum peccato originali.* Et propter hoc pueri mox nati deferuntur ad baptiſmum tamquam ab aliqua infectione culpæ abluendi. Sic fatetur fides catholica, & contrarium tenere eſſet hæreſis Pelagiana, ut dicit Thomas 1. 2. quæſt. 82. Eſt autem peccatum originale ſecundum Thomam quæſtione ubi ſupra, quidam habitus innatus per vitiatam originem, ſeu quædam inordinata diſpoſitio naturæ, quæ habet rationem culpæ, in quantum procedit a primo parente. Et habet talis habitus aliquid privationis, & aliquid poſitionis ſicut ægritudo. Formaliter enim eſt defectus ſeu privatio originalis juſtitiæ.

Dicitur autem originalis juſtitia illa rectitudo, in qua fuit creatus primus homo, ex qua mens & ratio Deo ſubdita erat, & vires inferiores rationi, & corpus ſpiritui.

Donũ originalis juſtitiæ quale fuit.

Quod donum originalis juſtitiæ erat, ut accidens ſpeciei humanæ non ex principiis naturæ cauſſatum, ſed divino munere collatum primo parenti, ut tranſfundendum in poſteros cum natura humana, quæ poſtea in multis communicata tota erat in ipſo. Unde per ſuum peccatum actuale vitiata, & ablata ipſa originalis juſtitia, ejus oppoſitum ut accidens ſpeciei humanæ, ſcilicet peccatum originale per propagationem tranſmiſit in poſteros cum natura. Generat enim homo ſibi ſimilem in ſpecie, etiam quantum ad accidentia propria ſpeciei, ut riſibile, non quantum ad accidentia individualia, quæ pertinent ad actiones perſonales; non enim muſicus generat muſicum. Et hinc eſt, quod ſolum illud peccatum primorum parentum traducitur, & non alia, nec etiam aliorum hominum, quia ſolum per primum peccatum ſublatum eſt bonum naturæ, quod erat per originem naturæ traducendum. Per alia vero peccata ſubtrahitur bonum gratiæ perſonalis, quod non tranſit ad poſteros. Similiter nec pœnitentia primi parentis, nec ejus ſcientia, nec aliorum hominum traducuntur, quia pertinent ad actiones perſonales, ſeu ſunt accidentia individualia. Materialiter autem, eſt peccatum originale concupiſcentia, quia ut dicit Auguſtinus, parvulos facit habiles ad concupiſcendum, & adultos actu concupiſcentes. Et dicitur hæc concupiſcentia inordinatio potentiarum animæ, quæ in hoc attenditur, quod inordinate feruntur in bonum commutabile.

Peccatum autem iſtud originale traducitur a primo parente per generationis activam virtutem in homines, de quo Apoſtolus ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*, 1. quæſt. 4. *Jam itaque.* Pro cujus declaratione eſt ſciendum ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 81. & ſuper epiſtolam ad Romanos: Quum omnes homines conveniant in natura humana, quam traxerunt ex Adam, & ſic dici poſſint unus homo, ſicut una civitas dicitur unum corpus, unde ſecundum Porphyrium participatione ſpeciei plures homines ſunt unus homo; hinc eſt, quod ſicut diverſa corporis membra ſunt partes unius perſonæ particularis; ita omnes homines ſunt partes & quaſi membra naturæ humanæ. Sicut actus peccati exercitus per aliquod membrum, puta per manum vel pedem, non eſt voluntarius voluntate manus, ſed voluntate totius hominis, unde homicidium vel aliud commiſſum per manum, non imputaretur ei ad culpam, ſi conſideraretur manus ut ſeparata a corpore, ſed prout eſt aliquid hominis motum a voluntate ipſius; ita inordinatio iſta naturæ, quæ dicitur peccatum originale, non eſt voluntaria voluntate hujus, vel illius derivati ex Adam, ſed voluntate ipſius Adæ, qui movet omnes homines deſcendentes ab eo per propagationem motione generationis; ſicut voluntas unius perſonæ movet omnia membra ad peccatum; & ſic talis inordinatio naturæ habet rationem culpæ in omnibus, ad quos pervenit, in quantum ſunt ſuſceptivi naturæ infectæ culpa per Adam. Et ſicut peccatum actuale, quod eſt peccatum perſonæ, trahitur ad ſingula membra per aliquem actum perſonalem; ita peccatum originale trahitur ad ſingulos homines per actum naturæ, qui eſt generatio; & ſic in proceſſu peccati originalis perſona, ideſt Adam, infecit naturam, ſcilicet humanam; ſed poſtmodum in aliis natura vitiata infecit perſonam, dum ſcilicet generando imputatur in culpam naturæ vitium propter voluntatem primi parentis. Quamvis enim anima hujus vel illius hominis non fuerit ſecundum ſeminalem rationem in Adam peccante, ſicut in principio effectivo, eo quod ſemen corporale, quod ex Adam traducitur, ſua virtute non poteſt cauſſare animam rationalem; fuit tamen in ipſo ſicut in principio diſpoſitivo, quia ſemen ex ipſo traductum diſponit ad animæ ſuſceptionem, & ſic ipſa anima, quum infunditur corpori, tunc maculatur culpa originali.

Peccatum originale qualiter traducitur.

Peccatum originale quomodo eſt unum.

§. I. Eſt autem ipſum peccatum originale unum in eſſentia, ſed multiplex in effectu; propter quod pſal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum*, in plurali, ex eo videlicet quod inficit plures potentias animæ, & voluntatem, concupiſcibilem, iraſcibilem. Tum etiam quia in ipſo virtualiter præexiſtunt omnia peccata actualia, ſicut in quodam principio. Participatur autem æqualiter ab omnibus. Et quamvis unus ſit pronior quam alter ad concupiſcendum vel iraſcendum & hujuſmodi; hoc non procedit ex ratione peccati originalis, quum æqualiter in omnibus ſolvatur & tollatur originalis juſtitia, & æqualiter in omnibus

mnibus partes inferiores animæ ſibi relinquantur; ſed accidit hoc ex diverſa diſpoſitione potentiarum. Nam aliquæ vires animæ ſunt fortiores in uno, quam in alio propter diverſas corporis complexiones; ſoluto autem vinculo originalis juſtitiæ, unaquæque vis tendit in ſuum proprium motum, & tanto vehementius, quanto fuerit fortior. Et quia omnes homines, excepto Chriſto ſolo, deſcendunt ab Adam per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam, quod eſt ſecundum rationem ſeminalem ab eo deſcendere; ideo firmiter eſt tenendum, ut dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 81. quod ſecundum fidem catholicam omnes homines præter ſolum Chriſtum ex Adam derivati peccatum originale ex eo contrahunt, alioquin non omnes indigerent redemtione, quæ eſt per Chriſtum; quod eſt erroneum.

Pœna peccati originalis quæ eſt.

§. II. Pœna autem hujus peccati quantum quidem ad animam, eſt pœna damni, ideſt privatio divinæ viſionis, quia niſi purgatus fuerit quis ab eo, non poteſt introire in regnum Dei. Non autem ſuſtinent pœnam ſenſus pro ſolo originali, ideſt pœnam ignis infernalis, ut tenet & probat B. Thomas in 2. Sententiarum & in quadam quæſtione de quodlibetis. Et habetur *De conſecr.* Diſt. 4. can. *Nulla præter Baptiſmum*. Quod autem Auguſtinus dicit eadem Diſt. can. *Firmiſſime tene*, tales parvulos ſine baptiſmo tranſeuntes, *ſempiterno igne puniendos*, exponit gloſſa & bene: *igne*, ideſt pœna, quia ſemper erunt in tenebris, ideſt privati Dei viſione, quæ tamen privatio divinæ viſionis, etſi adultis ſit in maximam pœnam, eis tamen non eſt ad afflictionem, quia ſciunt ſe non fuiſſe capaces, & ſine propria culpa eſſe privatos; ſicut nec etiam ruſticus pœnam habet, quod non eligatur in papam vel imperatorem, quia non proportionatur ei talis dignitas.

Quantum vero ad corpus pœna ipſius peccati eſt mors, *De conſecr.* Diſt. 4. *Placuit* 2. ac etiam aliæ pœnalitates, quibus ſunt ſubditi homines, ut fames, ſitis & hujuſmodi, etiam inclinationes ad malum.

Quomodo originale tollitur.

§. III. Tollitur autem ipſum peccatum, nunc ſcilicet in novo teſtamento per baptiſmum actu vel propoſito ſumtum, & non per alium modum, niſi per martyrium quoad parvulos. In veteri autem teſtamento per fidem parentum, quantum ad non habentes uſum rationis, ideſt per actum fidei relatum ad ſalutem pueri per modum orationis, quam fidem proteſtabantur oriundi ex Abraham in circumciſione marium, quæ omnino erat neceſſaria. Alii vero aliarum nationum & omnes univerſaliter ante circumciſionem datam Abrahæ eam proteſtabantur in virtute ſacrificiorum. Adulti vero purgabantur ab originali per fidem propriam. Feminæ Judæorum ante uſum rationis non per circumciſionem, ſed per fidem parentum purgabantur. Et ſic debet intelligi, quod virtute ſacrificiorum dicebantur purgari ab originali ante circumciſionem datam, ſicut & mares Judæorum in virtute circumciſionis, ut dicit Gregorius in Moral. & habetur *De conſecr.* Diſt. 4. *Quod autem apud nos*. Non quod in illis ſacrificiis vel circumciſione eſſet aliqua virtus gratiæ ad purgandum, ut eſt in baptiſmo, ſed per fidem tollebatur peccatum, quam proteſtabatur illud ſacrificium vel circumciſio. Unde & B. Thomas, qui hoc dixit in 4. de circumciſione, poſtea retractavit in 3. parte Summæ.

In baptizato quomodo remanet ex originale.

Quamvis autem tranſeat ipſum peccatum originale, & tollatur per baptiſmum reatus, quia evadit obligationem pœnæ æternæ; remanet tamen actus, ideſt remanet in ipſo baptizato ipſa habitualis concupiſcentia, ideſt inclinatio ad malum & inordinatio virium inferiorum. Et quia

A homo non generat ſecundum mentem, ſed ſecundum vires inferiores, & cum ipſa habituali concupiſcentia; ideo tranſmittit peccatum in prolem. Et etiamſi in ipſo actu generationis daretur alicui per gratiam, quod non ſentiret actualem concupiſcentiam, ſeu ardorem libidinis; nihilominus, ut dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 81. ſic genitus contraheret peccatum originale. Auguſtinus dat exemplum de frumento, quod quamvis purgatum ſeminetur, tamen naſcitur cum lolio.

De parvulis decedentibus cum originali.

§. IV. Pro aliqua majori declaratione de ſtatu parvulorum decedentium ſine baptiſmo, eſt ſciendum, quod anima quælibet rationalis migrans a corpore proprio vadit ad locum gloriæ, quæ ſcilicet eſt perfecte purgata ab omni culpa & reatu.

β Et locus iſte gloriæ dicitur eſſe cælum empyreum ſupremum, remotum a motu; virtute tamen ſua influens in inferiora ſecundum Thomam in 1. par. aut anima vadit ad locum miſeriæ, qui locus largo vocabulo dicitur infernus, & creditur eſſe in centro terræ, ſeu ſub terra. Quod probat Gregorius in 4. dialogor. pro eo, quod dicit Joannes in Apocal. 5. quod non reperiebatur, qui poſſet aperire librum clauſum ſignatum ſeptem ſigillis, *neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram*, niſi agnus &c. De iſtis autem diverſis locis, ſeu receptaculis animarum, ſic dicit Auguſtinus: *Tempus, quod eſt inter hominis mortem & ultimam reſurrectionem interpoſitum, animas variis receptaculis continet, prout unaquæque digna eſt requie,*

C *vel ærumna, ſecundum ea, quæ geſſit in carne, dum viveret*, 13. quæſt. 2. *Tempus*. Infernus autem diſtinguitur inter locum, ubi eſt pœna damni, ideſt privatio viſionis Dei, qui dicitur lymbus, & locum, ubi eſt pœna ſenſus, ideſt ignis cruciatio ultra pœnam damni, & dicitur ſtrictius infernus. Qui etiam locus dividitur in locum damnatorum æternaliter, qui dicitur infernus ſtrictiſſima acceptione, & locum purgandorum, qui dicitur purgatorium, quæ loca, ſcilicet infernus & purgatorium, diverſificantur, ſicut inferius & ſuperius, ac ſi imaginaremur unam domum plenam ignis uſque ad ſummum, & in pavimento ſtarent animæ damnatæ, & in ſuperiori parte juxta tectum animæ, quæ purgantur. Unde Gregorius dicit, quod ſicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat; ſic idem ignis & reprobos cruciat, & electos purgat.

D

Duplex eſt lymbus.

Sic etiam lymbus eſt duplex, ſcilicet lymbus parvulorum, & lymbus patrum, qui etiam quantum ad ſitum differunt ſecundum ſuperius & inferius, ut dictum eſt de purgatorio & inferno: & in parte quidem ſuperiori eſt lymbus patrum, qui etiam dicitur *ſinus Abrahæ*. Sinus quidem, quia quies ibi erat Abrahæ, aut quia non niſi per fidem caritate informatam ibant ad illum locum animæ, cujus fidei, ſcilicet de uno Deo, primus publicus prædicator & proteſtator fuit Abraham, declinantibus aliis ad idololatriam. Lymbus iſte fuit locus ſanctorum patrum a creatione mundi

E uſque ad mortem Chriſti, vel reſurrectionem, ad quem locum de purgatorio aſcendebant tunc temporis illæ animæ, quæ poſt hanc vitam indiguiſſent purgatione. Et ad iſtum locum deſcendit anima Chriſti divinitate ſociata, quando in cruce exſpiravit; & ſic in Symbolo dicitur deſcendiſſe ad infernum, & tunc eos beatificavit, educens inde in ſua reſurrectione. Non autem alia loca inferni viſitavit, nec ab eis viſus fuit, nec eos eduxit. Erat autem ibi in lymbo illo, etſi non pœna ignis, tamen pœna damni, ſcilicet de retardatione gloriæ, quam exſpectabant, quæ aliqualiter affligebat eos. Quamvis enim purgati eſſent a peccato originali, in quantum ipſum peccatum inficiebat perſonas eorum; tamen quia non-

dum erat natura humana purgata ab ipſo originali, quæ purgata fuit in genere, & ut in cauſſa per paſſionem Chriſti ſolventis Adæ debitum; & ideo detinebantur illi parentes in tali loco & pœna. Unde Eccleſia in hymno: *Solvit a pœna miſeros &c. Chriſtus.*

De pœna parvulorũ.

In lymbo autem parvulorum, quamvis non videatur Deus, tamen de privatione talis viſionis pœnam non habent, & quum tales parvuli migrant a corpore, imprimuntur ſeu concreantur in intellectibus eorum ſpecies rerum naturalium, ſicut & omnibus aliis animabus de corpore egredientibus; quæ dicitur ſcientia indita, ad quas ſpecies ſeu ſimilitudines rerum intellectus ſe convertens melius intelligit, quæ naturali cognitione cognoſci poſſunt, quam aliquis philoſophus mundi; & ſic in ſpeculatione rerum poſſunt animæ talium parvulorum valde delectari; quod facere non poſſunt damnati, quamvis habeant talem ſcientiam, quia abſorbentur a pœnis. Reſurgent autem & ipſi parvuli in ultima reſurrectione, ſicut & alii cum corporibus ſuis propriis illius ſtaturæ, quam habuiſſent in trigeſimo tertio anno, ſi vixiſſent, non habituri nec pœnam nec gloriam. Sed in quo loco habitaturi, novit Deus. Animæ autem ipſorum parvulorum juvari non poſſunt vel liberari a tali ſtatu ſuffragiis noſtris; quod trahi poteſt ex verbis Auguſtini, qui loquens de ſuffragiis, quæ fiunt pro defunctis, ſic dicit: *Eis ſolis hæc proſunt, qui quum viverent, ut hæc ſibi poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt*, 13. quæſt. 2. can. *Tempus*. Sed clarum eſt, quod tales in vita nihil meruerunt.

CAPUT II.

De quæſtione, utrum Virgo Maria fuit concepta peccato originali.

ET quia de peccato originali facta eſt mentio, hic incidenter ponatur materia ſeu quæſtio, de qua quotidie a curioſis diſputatur, & infructuoſe, [1] ſcilicet de conceptu Virginis glorioſæ, ponendo ea, quæ ſenſerunt doctores tam antiqui quam moderni ad hoc, dimittendo determinationem ſanctæ Eccleſiæ. Quamvis enim non ſit determinatum per Eccleſiam, Virginem eſſe conceptam in peccato originali, vel non, propter quod abſque præjudicio ſalutis licet unicuique tenere alteram opinionem, quæ ſibi placeat; tamen ſi bene conſiderentur Scripturæ & dicta doctorum antiquorum & modernorum, qui fuerunt devotiſſimi Virginis glorioſæ, manifeſte patet ex verbis eorum, ipſam in peccato originali conceptam fuiſſe. Sed tenentes contrariam opinionem extorquent dicta eorum contra intentionem dicentium. Et primo oſtendit hoc Apoſtolus ad Rom. 3. ubi dicitur, quod *omnes in Adam peccaverunt, & egent gloria Dei*, & nullum excipit, niſi Chriſtum, ut patet ex eo, quod ſequitur, & in gloſſa ibidem.

Dicitur etiam Jobi 3. *Exſpectet lucem, & non videat nec ortum ſurgentis auroræ*. Ubi loquitur propheta de nocte, quæ deſignat originalem culpam, quæ nullo modo vidit *lucem*, ideſt Chriſtum, quia ſolus ipſe ſine originali peccato conceptus. *Aurora* vero Virgo Maria, cujus *ortum* ipſa nox culpæ originalis non vidit, quia ante fuit ſanctificata, & a peccato originali mundata, quam nata in mundo. Sic expoſuit B. Thomas in 3. par. quæſt. 23. Eccleſiaſtes etiam 7. dicit: *Virum unum de mille reperi, mulierem autem nullam inveni.* Vir ille fuit Chriſtus, numerus autem millenarius ponitur juxta morem Scripturæ determinatus pro indeterminato, ideſt pro omni cœtu ſanctorum, inter quos ſolus Chriſtus repertus eſt ſine peccato aliquo, non aliqua mulier. Ita exponit dominus Joannes Dominici ſuper Eccleſiaſtem, ubi etiam per multa originalia ſanctorum antiquorum & rationes probat propoſitum. Pſalmiſta etiam ait pſal. 45. *Sanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus*. Doctores etiam ſancti, & quorum doctrina approbata eſt ab Eccleſia, hoc clare dicunt. Dicit etiam Auguſtinus in lib. de perfectione juſtitiæ: Quiſquis fuiſſe vel eſſe in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore Dei & hominum, quibus non fuerit neceſſaria remiſſio peccatorum, contrarius eſt divinæ Scripturæ, ubi Apoſtolus Rom. 5. ait: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*: & neceſſe eſt, ut in pia contentione aſſerat poſſe eſſe homines, qui ſine mediatore Chriſto liberante & ſalvante ſint liberi, ſalvique a peccato. Idem in lib. de nuptiis & concupiſcentia ſic ait: Sine carnis concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato: ut hinc etiam doceret, omnem, quæ de concubitu naſcitur, carnem eſſe peccati, quandoquidem ſola, quæ non inde nata eſt, non fuit caro peccati. Item Gregor. 2. Moral. cap. ultim. ſic dicit: Solus redemtor in carne ſua vere mundus exſtitit, quia nec per carnalem delectationem venit. Idem in gloſſa ſuper Exod. ait: Omnes in peccatis nati ſumus, & ex carnis delectatione concepti culpam originalem nobiſcum traximus. Item Leo Papa in

1 Hæc Auctor ſcripſit eo tempore, quum hac in materia utramque in partem diſputare liberum erat. At poſt Antonini mortem aliquot Romanorum Pontificum Conſtitutiones & decreta edita ſunt, *in favorem ſententiæ aſſerentis animam B. M. Virginis in ſui creatione & corpus infuſione Sancti Sancti gratia donatam, & a peccato originali præſervatam fuiſſe, nec non & in favorem feſti & cultus Conceptioni ejuſdem Virginis Deiparæ ſecundum piam iſtam ſententiam exhibiti*, quas Conſtitutiones Alexander VII. an. 1661. innovans, omnes & ſingulos, qui illa *ita pergent interpretari, ut favores per illa dictæ ſententiæ, & feſto, ſeu cultui ſecundum illam exhibito fruſtrentur, vel qui hanc eamdem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte, quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quidquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea afferendo, & infoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo diſſerendo auſi fuerint*, pœnis ac cenſuris partim contentis in prædeceſſorum Conſtitutionibus, partim noviter additis ſubjecit: quas apud P. Natalem Alexandrum legere poteris in Theologia dogmatica morali, *De peccatis* cap. 1. art. 1. num. 11. Quum porro hiſce conſtitutionibus Apoſtolica ſedes controverſiam non definierit, libertatem opinandi contrarium (dummodo exterius nihil prodatur) haud quaquam ſuſtulit: immo, ne *hæreſis aut peccati mortalis, aut impietatis* nota inureretur contrarium tenentibus, expreſſe vetitum eſt graviſſimis pœnis, inter quas præcipue memoranda excommunicatio latæ ſententiæ ac Romano Pontifici reſervata, quæ in Sixti IV. conſtitutione lata fuerat. Qui plura in hanc materiam cognoſcere cupit, adeat Benedicti XIV. opus inſcriptum, *Annotationi ſopra le feſte di N. Signore, e della Beatiſſima Vergine* editum Bononiæ an. 1740. ubi cum ex totius antiquitatis penu ac ex infinitis propemodum libris notitias præclariſſimas eruens, omnium feſtorum originem, progreſſum, ritus, controverſias, ſi quæ inciderunt, & alia perutilia ob oculos ſubjicit; tum vero de feſto Conceptionis B.M. agens part. 2. a num. 184. pag. 605. quidquid in hanc rem confert, acurate deſcribit.

in ſerm. de nativit. Sicut a reatu nullum Dominus liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Item Ambroſius ſuper Lucam: Solus ex natis de femina ſanctus Dominus Jeſus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non ſenſit, & cæleſti majeſtate depulit. Item Hilarius, cujus teſtimonium inducit Auguſtinus contra Julianum: Ex peccato eſt omnis caro præter illam, quæ venit in ſimilitudinem carnis peccati ſine peccato, Item Auguſtinus in 2. lib. contra Julianum: Propter catholicam veritatem & divinorum eloquiorum pertractationem, clariſſimi ſacerdotes, Ireneus, Cyprianus, Olymp. Hilarius, Ambroſius, Gregorius, ſcilicet Nazianzenus, immo & Baſilius, quibus addi veli nolis Hieronymum, ut eos omittam, qui nondum dormierunt, adverſum nos perferunt omnium hominum peccato originali obnoxiam ſententiam. Item Anſelmus hæc in lib. *Cur Deus homo*, dicit ita expreſſe, quod gloſſari non poteſt. Dicit enim: Licet ipſa hominis Chriſti conceptio ſit munda, & abſque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipſa in iniquitatibus concepta eſt, & in peccatis concepit eam mater ejus. Bernardus quoque qui devotius & copioſius ceteris de, Virgine ſcripſit, expreſſe hoc dicit in quadam Epiſtola, & in ſerm. de aſſumtione, ſic ait: Beatam Virginem omnimodis conſtat ab originali contagio ſola Dei gratia, antequam naſceretur, fuiſſe mundatam &c. Sanctus Thomas, cujus etiam doctrina eſt approbata ab Eccleſia in 3. parte quæſt. 27. & in 3. Sent. idem ſentit, & probat, dicens, quod ſi numquam anima B. Mariæ fuiſſet contagio peccati maculata; hoc derogaret dignitati Chriſti, ſecundum quam eſt univerſalis Salvator omnium & redemtor. Tunc enim eſſet aliqua perſona, quam non redemiſſet, ſcilicet ipſa Virgo: nec debet tantum honorari mater, quod dehonoretur filius derogando ſuæ dignitati; quia nec Virgini placet talis honor.

Albertus Magnus ſuper 4. Sentent. ait, quod dicere, quod B. Virgo non fuerat concepta in peccato originali, fuit condemnatum tamquam erroneum a Magiſtris Pariſienſibus. Magiſter quoque Sentent. in 2. lib. Diſt. 30. per totum nullum excludit a peccato originali præter Chriſtum. Et idem in 3. Diſt. 3.

In decretis quoque *De conſecr.* Diſt. 4. cap. 3. dicitur: *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum maris & feminæ concipitur, naſci cum peccato originali.* Et loquitur de nativitate in utero, ideſt conceptione: & Hugo, & Raymundus, & Guilelmus canoniſtæ dicunt eam conceptam in peccato originali.

Quadruplex eſt gradus ſanctitatis.

Potiſſimi etiam doctores idem dicunt declarantes particularius materiam. Unde & Petrus de Tharantaſia ord. prædic. qui fuit Papa, ſcilicet Innocentius V. ſuper 3. Sentent. Diſt. 3. ſic dicit: Quanto quis magis accedit ad Sanctum ſanctorum, tanto debet habere majorem ſanctificationis gradum. Non eſt enim acceſſus ad Deum, niſi per ſanctificationem: Mater vero plus omnibus accedit ad filium, qui eſt Sanctus ſanctorum; ergo debuit gradum ſanctificationis habere majorem poſt filium. Gradus autem ſanctificationis quadrupliciter poteſt intelligi: aut quod ſanctitatem quis habeat ante conceptum & ortum, aut poſt conceptum & ortum, aut in ipſo conceptu & ortu, aut in ortu, non conceptu: nam quod in conceptu & non in ortu, eſt impoſſibile. Primus gradus non eſt poſſibilis, quia perſonalis perfectio, ut ſcientia & virtus, non transfunditur a parentibus, & tum quia in filios non poteſt fieri eſſe gratiæ ante actuale eſſe naturæ, ſu-

A per quo fundatur. Secundus gradus communis eſt omnibus ſecundum communem legem ſanctificationis per ſacramenta. Tertius gradus eſt ſingularis Sancti ſanctorum, de quo ſolo fuit ſimul ortus, ſanctificatio, conceptio, annuntiatio, & aſſumtio. Reſtat igitur quartus gradus, & hic habet quattuor gradus, quia poteſt intelligi factus in utero ſanctificatus aut ante animationem, aut in ipſa animatione, aut cito poſt animationem, aut diu poſt animationem. Primus gradus impoſſibilis eſt, quia ſecundum Dionyſium de divin. nom. ſanctitas eſt ab omni immunditia libera & perfecta & immaculata. Immunditia vero culpæ non expellitur niſi per gratiam gratum facientem, ſicut tenebra per lucem, cujus ſubB jectum non eſt niſi creatura rationalis. Secundus gradus non fuit conveniens B. Virgini; quia aut non contraxiſſet originale; & ſic non indiguiſſet univerſali ſanctificatione Chriſti & redemtione: aut ſi contraxiſſet, ſimul culpa & gratia in ea non poſſet eſſe. Tertius etiam gradus non fuit conveniens B. Virgini, quia fuit talis ut Joannis & Hieremiæ, & quia non convenit tantæ ſanctitati, ut diu morata ſit in peccato. Quartus vero videtur conveniens & pie credibilis, licet de Scriptura non habeatur, ut cito poſt animationem, vel in ipſo die vel hora, quamvis non ipſo momento, ſanctificata fuerit. Hæc ille. Quam opinionem ſequitur Herveus, Henricus de Gadano, Durandus, Durandellus, Joan-
C nes Neapolitanus & alii ſolemnes doctores ordin. prædicat. Multi etiam excellentiſſimi ordinis minorum idem dicunt, & præcipue devotiſſimus ſuper omnes Bonaventura, qui poſtea fuit cardinalis, ſic dicit ſuper 3. Senten. Diſt. 3. quæſt. 2. Sanctificatio Virginis ſubſecuta eſt peccati originalis contractionem, quia nullus immunis fuit a culpa originalis peccati, niſi ſolus filius Virginis, ſicut dicit Apoſtolus ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei.*

D Hic autem dicendi modus eſt communior, rationabilior, & ſecurior. Communior, quia omnes fere id tenent, quod B. Virgo habuerit originale, quum id appareat ex multiplici ejus pœnalitate, quam non eſt dicere ipſam eſſe paſſam propter aliorum redemtionem, quam etiam non eſt dicere per aſſumtionem habuiſſe, ſed per contractionem. Rationabilior eſt etiam, quia eſſe naturæ præcedit eſſe gratiæ vel tempore, vel natura. Et propter hoc dicit Auguſtinus, quod prius eſt naſci, quam renaſci, ſicut eſt eſſe, quam bene eſſe. Igitur prius eſt animam uniri carni, quam gratiam Dei ſibi infundi. Sic igitur caro illa infecta fuit, & ex ſua infectione nata erat, animam culpa originali inficere. Neceſſarium igitur eſt, quod ante fuit culpæ originalis infectio, quam ſanctificatio. Securior eſt, quia magis conſonum fidei, & pietati, & ſanctorum auctoritatibus magis concordat, pro eo quod ſancti communiter, quum de iſta materia loquuntur, ſolum Chriſtum excipiunt ab illa generalitate, qua
E dicitur *omnes peccaverunt in Adam*. Nullus autem invenitur dixiſſe de his, quos audivimus auribus noſtris, Virginem Mariam ab originali fuiſſe immunem. Pietati etiam fidei magis concordat, pro eo quod ſi mater habenda ſit in reverentia & devotione, multo major eſt habenda erga filium, ex quo eſt *omnis honor & gloria*. Et ideo, quia hoc ſpectat ad excellentem Chriſti dignitatem, quia ipſe eſt omnium redemtor & ſalvator, & quia ipſe unus pro omnibus eſt mortuus, nullatenus ab hac generalitate Virgo Maria excludenda eſt, ne dum matris excellentia ampliatur, filii gloria minuatur, & ſic mater provocetur, quæ filium vult magis honorari,

quam ſeipſam. Huic igitur opinioni adhærentes propter honorem Jeſu Chriſti, quia in nullo præjudicat matris honori; teneamus ſecundum, quod communis opinio tenet, ſcilicet Virginis ſanctificationem fuiſſe poſt peccati originalis contractionem. Hæc ille. Quam opinionem ſequuntur Richardus de media villa ſuper 3. Sent. Alexander de Ales Rigal. & Bernardus in ſermonibus de prophetis in ſermon. *Egredietur virga* &c. Omnes hi ordinis minorum ſolemnes doctores idem dicunt. Ægidius ordinis eremitarum doctor excellentiſſimus in ſuo quodlibeto 6. Idem Guido ordinis carmelitarum in ſuo 3. quodlibeto. Idem Magiſter Joannes de Policratis, qui omnes inducunt auctoritatem Apoſtoli ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt* &c. Et aſſignant rationes ſuas.

Quidam alii dicunt, non fuiſſe conceptam in peccato originali Virginem ipſam, & præcipue Joannes Scotus ordinis minorum doctor ſubtiliſſimus; & pro ſua opinione allegant auctoritates, & aſſignant rationes. Et primo illud Cant. 4. *Tota pulchra es, & macula non eſt in te.* Et exponunt de Virgine dicentes, ex quo non fuit macula peccati in ea; ergo nec originalis. Secundo inducunt illud Auguſtini: Quum de peccatis agitur, propter honorem Domini nullam prorſus de ea, ſcilicet Virgine, volo habere mentionem. Tertio illud Anſelmi: Decuit, ut ea puritate niteret, ſcilicet Virgo Maria, qua major ſub Deo nequeat inveniri. Quarto id oſtendunt per hanc rationem, quia ordinans vas ad ſervitium altaris conſervat ipſum a maculis. Hoc enim eſt valde decens: ſed Virgo fuit vas Deitatis; ergo decuit, ut præſervaretur etiam a macula originalis. Quinto ſic: Decuit, quod Chriſtus eam ſingulari & nobiliori modo redimeret & liberaret, quam alios; ſed hoc fuit, ſi ſine peccato concepta fuit. Decuit enim magis honorare eam, quia mater ejus, quam ceteros: ſed nobilius, & melius liberatur & redimitur, cui providetur, ne cadat, & in ſervitutem incurrat, quam ut lapſus erigatur, & factus ſervus redimatur; ergo &c. Sexto ſic Eccleſia errare non poteſt: ſed ipſa celebrat feſtum conceptionis octavo die Decembris; ergo &c.

Ad rationes in contrarium inductas ſic reſpondent. Primo ad illud, quod *omnes in Adam peccaverunt*, quod omnes geniti ex Adam originale contraxerunt, dicunt, quod ſancti, quando loquebantur omnes contraxiſſe originale, loquebantur in communi de filiis Adæ ſecundum communem curſum; ſed quum locuti ſunt de Virgine in ſingulari, dixerunt oppoſitum, ut in auctoritatibus inductis Auguſtini & Anſelmi patet. Dicunt etiam, quod ubicumque ponitur ſolum vel tantum anima Chriſti, intelligitur etiam anima Virginis, quia partus eſt pars viſcerum. Alii eorum dicunt, quod omnes ex Adam contrahunt originale de jure & ex debito; & ſic etiam Virgo: ſed de facto ipſa non contraxit in hoc privilegiata, & exempta a jure communi. Secundo ad illud, quod dicit alia opinio, ſcilicet quod ſequeretur, quod Chriſtus non eſſet univerſalis omnium redemtor; reſpondent, quod non ſequitur ex iſta poſitione hoc, quia redemta eſt, & ſalvata per præſervationem ab originali, ne incurreret. Ad illud Bernardi, quia gloſſari non poteſt, dicunt quidam ſimplices, quod in viſione ei apparuit cum macula in pectore, eo quod hoc dixerat, vel quia retractavit. Inducunt etiam revelationes ſuper hoc quarumdam mulierc ularum.

Solutiones argumentorum partis negativæ.

Sed ad omnia iſta faciliter reſpondetur clare, non extorte. Ad primum, quod illa auctoritas canticorum intelligitur de Eccleſia proprie; tranſſumtive autem dicitur de Virgine, poſtquam fuerat ſanctificata; unde in aſſumtione ejus canitur. Hæc Durandellus. Ad ſecundum, ſecundum Thomam & Durandum dicitur, quod ibi loquitur Auguſtinus de peccatis actualibus, ut clare patet ex præcedentibus & ſequentibus illius libri, & ex auctoritate Joannis in canonica 1. cap. 1. quam immediate Auguſtinus inducit: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, &c. In hoc autem omnes doctores concordant, ipſam Virginem ſolam inter adultos fuiſſe etiam a veniali immunem. Ad tertium dicit Joannes Neapolitanus, quod illud Anſelmi eſt magis pro, quam contra. Decuit enim, ut puritas matris eſſet ſub puritate Chriſti Dei, qui non contraxit originale, nec commiſit actuale; & hoc fit per hoc, quod mater actuale nullum commiſit, ſed originale contraxit. Si autem non contraxiſſet originale, jam puritas ejus æquaretur puritati Chriſti, nec eſſet ſub ea. Nec valet inſtantia de Angelis bonis, quia in eis non poteſt eſſe peccatum per originem contractum, eo quod unus ab alio non originatur, ſed omnes immediate creantur a Deo. Vel aliter & melius: Sicut non refert ad hoc, quod aer poſſit dici magis lucidus, an quandoque fuerit tenebroſus, vel non: aer enim, qui plus habet de luce, magis eſt lucidus, licet aliquando tenebroſus fuerit; ſic in propoſito, quum ſpiritualis puritas ſit per carentiam impuritatis culpæ, quam puritatem cauſſat lux gratiæ Dei; Virgo quæ plus habuit de luce gratiæ, quam quæcumque alia creatura pura, debet dici, quod enituit majori puritate, quam creatura quæcumque, dato quod fuerit quandoque ſubjecta culpæ originali. Sicut etiam poteſt dici magis album, quod aliquando fuit nigrum. Ad quartum ſic reſpondetur, ſcilicet quod decuit Virginem non concipi cum originali; quia, ut dicit Joannes Neapolitanus, non decuit, ut conceptio naturalis cujuſcumque hominis etiam matris Virginis æquaretur quantum in immunitate a culpa originali, ſupernaturali conceptioni Chriſti. Hervæus autem in quodlibetis dicit, quod idem eſt decentius omnibus fieri, quod magis in honorem Dei cedit; magis autem cedit in honorem Dei totam humanam naturam deſcendentem ab Adam per generationem indigere redemtione facta per Chriſtum, includendo Virginem, quam aliquam perſonam non indigere, ut Virginem. Quamvis enim & iſtud cedat in honorem Filii, ſcilicet puritas talis matris, primum tamen magis. Ratio eſt, quia illud pertinet ad honorem Chriſti, ut Deus, ſcilicet generalis influentia ejus redemtionis: hæc enim fuit, quia divina perſona fuit incarnata. Puritas autem prædicta matris pertinet ad honorem ejus in quantum homo, quia licet ſit mater Dei, non tamen ſecundum quod eſt Deus, ſed in quantum homo: ergo &c. Sed dicetur, quod per talem immunitatem ab originali non tollitur, quin fuerit redemta per præſervationem ſeu meritum præacceptum, quod quinto dicebatur. Reſponſio per Joannem Neapolitanum, & alios, quod redemtio ſeu ſalus non eſt niſi exiſtentis. Sicut enim nihil proprie habet eſſe, quum eſt in cauſſa ſua ſolum, niſi habeat eſſe in ſeipſo; ſic nec proprie poteſt dici redemtus vel ſalvatus exiſtens ſub ſpirituali ſervitute, quæ eſt per culpam ſolum in ſuis parentibus, & non in propria perſona. Quantumcumque ergo Virgo fuiſſet ab originali peccato præſervata, non poſſet dici redemta & ſalvata, niſi quandoque fuiſſet ſubjecta peccato, non ſolum in perſona parentum, ſed propria. Ratio eſt ſecundum ipſum, & Joannem de Policratis. Redemtio & ſalvatio importat quamdam mutationem, & tranſitum de peccato ad gratiam. Res enim, quæ aliquando fuit mea, & poſtea non eſt, dicitur redimi: ſed res, quæ numquam

fuit

fuit mea, dicitur emi. Res autem, quæ ſemper A fuit & eſt mea, non poteſt dici emi, neque redimi. Si ergo Virgo beata nulli umquam peccato ſubdita fuit; ergo ſemper fuit Dei, & ſic non fuit redemta. Et idem de ſalvatione, quia præſupponit caſum ſeu infirmitatem peccati. Et quamvis Deus de potentia abſoluta potuerit facere, ipſam originale non contraxiſſe: eſt enim originale peccatum carentia originalis juſtitiæ determinate voluntaria voluntate primi parentis; poſſet autem Deus excipere a tali debito quemcumque concipiendum; tamen non decuit; quod pertinet ad potentiam ordinariam, qua voluit honorare matrem, ratione jam dicta. Et ut etiam dicit Egidius, qui ſupra, aliquid eſt laudabile in inferiori, quod non eſt laudabile in ſuperiori. B Chriſto non eſt laudabile, quod eſſet conceptus in originali, eſt tamen laudabile in Virgine matre, non quia originale contraxit, ſed quia facta eſt membrum Chriſti ab ipſo redemta. Dicit etiam Auguſtinus de baptiſmo parvulorum, quod nullum membrum Chriſti fuit ſine peccato. Si ergo dicatur Virgo non contraxiſſe originale; ſic non erit membrum Chriſti, quod eſt in dedecus ejus. Immo ſecundum Richardum ordinis minorum hoc derogat matri & filio. Matri Virgini, quia ejus privilegium eſt, quod ſola ſine peccato concepit. Derogat, & Filio, qui ſolus eſt immunis ab omni labe, etiam originali. Et per hoc patet eos non ſufficienter reſpondere: Ad id, quod primi dicunt de redemtione & ſalvatione, dictum C eſt ſupra ibi: ſecundo ad id, quod dicit: Ad ſextum, ſcilicet de feſto conceptionis, reſpondet B. Thomas in 3. parte ubi ſupra, quod Eccleſia Romana non facit illud, quum numquam reperiatur inſtitutum. Immo Bernardus in epiſtola ad Lugdunenſ. dicit non debere fieri. Tolerat autem hoc fieri ab aliquibus Eccleſiis, referendo hoc ad tempus ſanctificationis; quod quia ignotum eſt, quando fuerit, fit feſtum de ipſa ſanctificatione die, qua dicitur eſſe concepta. Vel ſecundum Joannem Neapolitanum poteſt dici, quod tale feſtum non eſt feſtum conceptionis ejus, ut illi dicunt, quum fiat per novem menſes ante ejus nativitatem, qua die nondum anima erat infuſa, quæ eſt ſubjectum ſanctitatis. Sed magis eſt feſtum gratiarum actionum, ſicut in veteri lege erat feſtum D Pentecoſtes, & in novo feſtum Epiphaniæ, in quo nulla ſanctitas fuit nova collata, ſed Eccleſia regratiatur de beneficiis; & ſic in propoſito. Ad rationes autem, & auctoritates non ſufficienter reſpondent. Nam prima reſponſio non valet, ſcilicet quod doctores loquantur in communi, & ſecundum communem curſum, non intendendo de Virgine illud dicere; quia qui totum dicit, nihil excludit, & qui omnem dicit, nullum excipit, & qui nullum dicit, omnem excipit: ſed in prædictis auctoritatibus non dicitur indefinite, ſed univerſaliter omnem ab Adam propagatum univerſaliter culpam incurrere originalem; ergo ſancti nullum intendunt excipere, etiam Virginem Mariam, quum & ipſa exprimatur E in aliquibus auctoritatibus hic, & alibi. Philoſophi autem, & ſancti loquentes de aliqua materia in communi tractant illam materiam communiter loquendo indefinite, & non univerſaliter, ſi ea, quæ dicunt in illa materia in communi, in aliquo ſingulari exceptionem habeant. Ad illud aliud, quod dicitur, quod ſolum de Chriſto & de matre intelligatur, nulla ratio cogit hoc dicere; immo plures expreſſæ auctoritates Auguſtini excludunt Chriſtum ab originali, & includunt matrem. Nec enim eſt tanta unio Chriſti & matris, quanta perſonarum divinarum, ut ſicut dicimus, quod quum dicitur aliquid de una perſona etiam cum dictione excluſiva pertinens ad ſubſtantiam, illud intelligendum eſt & de alia. Sicut quum dicit Chriſtus, Matth. 11. *Nemo novit Patrem niſi Filius*, &c. non excluditur Spiritus ſanctus, ita etiam oporteat dicere de Virgine, quod dicitur de Chriſto, quum ſine comparatione Filius fuerit majoris ſanctitatis, etiam in quantum homo. Ad illud aliud, quod etſi jure & debito contraxit, non tamen de facto, quia privilegiata; reſpondet Joannes de Policratis, quod privilegium ſurreptitium reputatur; & * igitur vitandum, quod * fort. *ideo*, eſt contra tenorem; concilii, nec de hoc facit aliquam mentionem; ſed nullum privilegium legitur in Scripturis pertinens ad Virginem, quod de lege communi de ea faciat mentionem. Item privilegium ſecundum jura debet eſſe expreſſivum. Unde quum in ſanctificatione etiam in utero ſit privilegium, non creditur de aliquo eſſe fatiſfactum, niſi iſtud habeatur clare in Scriptura, ut de Hieremia & Joanne. Et multo magis videtur hoc dicendum de immunitate a culpa originali, quum illud ſit majus; & tamen nil expreſſe reperitur in Scriptura de iſto privilegio, ſed contrarium; ergo, &c. Ad illud de revelatione & de viſione Bernardi &c. dicit Joannes Neapolitanus, quod ſunt viſiones fantaſticæ, quibus non eſt credendum. Et ſi dicitur aliquas ſanctas habuiſſe revelationem de hujuſmodi, ut ſancta Brigida; ſciendum, quod aliæ ſanctæ, quæ claruerunt miraculis, ut B. Catherina de Senis, habuerunt revelationem de contrario: & quum etiam veri prophetæ aliquando putent ſe ex revelatione Spiritus ſancti aliqua habere, quæ ex ſe dicunt; non eſt inconveniens dicere, quod tales revelationes non fuerunt a Deo, ſed ſomnia humana. Exemplum in Natham propheta loquente ad David 2. Regum 7. qui credebat ex ſpiritu prophetiæ reſpondiſſe David; & tamen non ſic erat, ut poſtea patuit. Concluſive circa iſtam materiam ſic uni iſtarum opinionum debet homo inhærere, & potius primæ rationibus dictis, quod paratus ſit tenere contrarium, ſi Eccleſia contrarium determinaret, & ante determinationem non judicet hæreticum vel impium, & malum alteram tenentem, quæcumque ſit, & caveat a prædicatione hujus materiæ coram populis cum impugnatione alterius partis, quia materia ſcandaloſa in populo, quum velut noctuæ non poſſint ſufferre tantum radium veritatis, & nil fructus reportaverit. Et modus pulcher traditur ex quadam prædicatione Magiſtri & ſancti Vincentii eximii prædicatoris, quæ hic immediate ponitur.

Nota de revelatione.

CAPUT III.

De conceptione Virginis Mariæ per modum prædicationis ex S. Vincentio Fererio.

NOndum erant abyſſi, & ego jam concepta eram, Prover. 8. Abyſſus importat quandam voraginem, ſeu profunditatem cujus terminus non invenitur: & ſic pſal. 35. dicit: *Judicia tua abyſſus multa*, quia ſcilicet comprehendi non poſſunt. Juxta illud Apoſtoli ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!* Aliquando etiam importat abyſſus confuſionem & indecorem; & hoc ex ejus derivatione. Dicitur enim ab *a*, quod eſt ſine, & *byſſus*, qui ſecundum Bedam eſt genus lini candidiſſimi & pulchri; & ſic ſumitur ibi Gen. 1. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Dicitur enim abyſſus materia iſta prima informis & confuſa, unde & indecora. Abyſſi etiam dici poſſunt Scripturæ ſacræ propter profunditatem indeter-

determinalem ſenſus earum: ac etiam Apoſtoli propter maximam notitiam ſeu ſapientiam & dilectionem eorum. Secundum autem utramque primam acceptionem creaturæ omnes dici poſſunt abyſſi. Nam in ſe conſideratæ habent quamdam profunditatem virtutis a Deo, ut nec maximi philoſophi potuerunt complete intelligere naturam & proprietatem cujuſcumque minimæ ex eis; ſed reſpectu perfectionis divinæ omnes, etiam maximæ, habent quamdam confuſionem & turpitudinem. Eſt ergo ſenſus thematis, quod antequam eſſent creaturæ factæ, quæ dicuntur abyſſi, Virgo Maria erat concepta. Sed ſubito quicumque etiam rudis movebit quæſtionem, dicens: Quum Virgo ſanctiſſima ſit concepta de Anna, quomodo Anna, quæ creatura eſt, potuit concipere, ſi nondum erat, ſicut nec alia creatura? Sed ad hoc reſpondetur per diſtinctionem quadruplicem conceptionis.

Eſt enim ejus conceptio in intellectu divinali.
Eſt ejus conceptio in mente Angelicali.
Eſt ejus conceptio in Scriptura ſpeciali.
Eſt ejus conceptio in utero materiali.

De conceptione divinali.

De prima loquitur thema, Non ſolum enim ab æterno concepta fuit divina ſapientia, ſcilicet Filius a Patre; ſed & Virgo Maria, non quidem eo modo, quo Filius a Patre, ſcilicet de ſubſtantia ſua, ſed per præordinationem æternam. Exemplum ſume in operibus humanis. Quando enim aliquis vult aliquid boni vel mali facere, tunc dicit: iſtud fiet a me, quia ſic concepi in corde meo; ſicut quando peccator imaginatur dimittere malam vitam, & recte facere deinceps, tunc concipit peccator. Unde Iſai. 26. dicitur: *A facie tua, Domine, concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. A facie*, dicit, *Domini*, ideſt ab aſpectu, quo reſpicit Dominus peccatorem oculo miſericordiæ, faciens eum recognoſcere mala ſua. Quum enim homo perſeverat in malis, Deus dicitur avertere faciem ſuam ab eo, & merito, quia & ipſe peccator vertit ei tergum, & non faciem, ſcilicet rationis; propter quod & peccatum dicitur eſſe averſio ab incommutabili bono. Sed quum Deus illuſtrat cor, convertit ſe peccator ad Deum, & tunc concipit deſiderium boni, & proponit ſe emendare; & quum hoc tractat agere, tunc *parturit*, quia laborat in his faciendis. Poſtquam autem exſecutus eſt, *peperit* & maſculum, quum opus eſt recte factum, ut reſtitutionis, confeſſionis, orationis, & hujuſmodi; & tunc jam *non meminit preſſuræ propter gaudium*, quia inde conſequitur *ſpiritum ſalutis*, ideſt gratiam ſpiritus eum ſalvantem. Sic igitur patet, quod priuſquam homo aliquid faciat, illud mente concipit, mente decernendo. Ita Deus in mente ſua ab æterno concepit, ideſt diſpoſuit mundum facere & hominem in maxima dignitate. Et prævidens hominem debere ruere a tanta dignitate, concepit etiam in mente ſua ante creationem mundi, & præordinavit unam Virginem facere, per quam homo recuperaret dignitatem ſuam, immo & majorem priori conſequeretur per unionem, ſcilicet verbi cum humana natura. Et ſic intelligitur hoc thema: *Nondum erant abyſſi*, ideſt creaturæ, *& ego jam concepta eram*, ſcilicet in mente divina, ut ſuo tempore in mundo fierem, & in actuali exiſtentia. Et ſciebat Deus, quod una mulier erat futura in mundo, ſcilicet Eva, ex qua eveniret omne malum in mundo. Ita concepit & præordinavit, quod alia deberet venire, ſcilicet B. Maria, ex qua totum malum auferretur. Sicut etiam præſciebat, quod Eva prima mater & ſponſa eſſet & virgo, ſcilicet dum fuit in paradiſo; ita concepit & præordinavit, quod B. Maria deſponſata eſſet & virgo ſemper intacta mater vivificatrix cunctorum. Et ſicut fuit Eva viſitata per Angelum malum, qui eam decepit, & mortem intulit; ita Maria fuit viſitata per Angelum bonum, qui ei vitam nuntiavit. Et ſicut Eva evacuata fuit gratia, quum de fructu accepit, & comedit; ita Maria gratia repleta, quando fructum in ventre recepit Verbi divini. Et ſicut fructus, quem poſuit in ventrem Eva, occidit multos; ita fructus, quem in ventrem recepit Maria, vivificavit electos, & vivificat quotidie comedentes devote, quum in ſacramento miniſtratur populo; ideo dicitur: *Benedictus fructus ventris tui*, quia per ipſum benedicti ſumus, ſicut per fructum, quem porrexit Eva viro ad eſum, fuimus omnes maledicti. Paradiſi porta demum per Evam cunctis clauſa eſt; ſed per B. Virginem iterum patefacta eſt, ut canit Eccleſia. Et ſicut rex, dum mittit ad prælium milites ſuos, quia ut ſapiens cognoſcit, quod multi ibi vulnerantur, mittit etiam medicum ad curandum; ita Deus ſapientiſſimus præſciens nos habituros continuum certamen cum dæmonibus, & ſæpe ab eis vulneribus peccatorum damnificari, concepit in mente ſua, & diſpoſuit mundo mittere medicam, ſcilicet Virginem beatiſſimam. Unde & devotus Bernardus dicit de ea, quod de plenitudine ejus omnes recipiunt, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam. Et de ipſa Virgine Maria poteſt intelligi illud Eccleſiaſtici 36. *Ubi non eſt mulier, ingemiſcit æger*. Nam contra vulnus ſuperbiæ ponit ipſa exemplo vitæ ſuæ ligaturam ſeu emplaſtrum humilitatis ad curandum. Contra vulnus avaritiæ emplaſtrum liberalitatis, quum aurum ſibi oblatum a Magis non reſervavit pro futuris neceſſitatibus, ſed pauperibus erogavit, ſecundum Bernardum. Contra vulnus luxuriæ remedium caſtitatis, quum votum fecerit ſecundum Auguſtinum perpetuæ Virginitatis, 27. quæſt. 2. can. *Beata Maria*; & ſic diſcurrendo per alia. Permaxime autem placuit, & a Deo electa fuit, ut mater Dei eſſet propter humilitatem, ſicut depulſa de paradiſo Eva cum viro & omni progenie propter ſuperbiam; & hoc eſt, quod ipſa dicit in Epiſtola: *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum*. Viæ Dei ſunt virtutes, quibus nos imus ad Deum: initium virtutum eſt humilitas, unde & fundamentum dicitur earum.

Eva & Maria cõparantur.

Secunda conceptio, ſcilicet Angelicalis, fuit non ab æterno, ſed in principio mundi ante creationem aliarum rerum. Nam quum Dominus creavit Angelos, qui ſignatur nomine cæli, quum dicitur: *In principio creavit Deus cælum & terram*, ſecundum Auguſtinum tunc etiam concreavit, ſeu indidit in mentibus eorum ſpecies ſeu ſimilitudines omnium creaturarum, quæ in ſex diebus referuntur factæ, quaſi quædam ſemina ad concipiendum intellectum. Ipſa ergo factio rerum, ſignificat ſecundum Auguſtinum infuſionem illarum ſpecierum intelligibilium. Et numerus ſucceſſivus dierum non importat ordinem temporis, ſed dignitatis: nam in principio creationis eorum ſimul creatæ ſunt omnes ſpecies rerum, non prius una, & poſtea alia prioritate temporis; ſed quia diferentia magna dignitatis eſt inter ipſas creaturas; illa ideo dicitur primo die facta, quæ nobilior invenitur in eis; & ſic de aliis diebus. Dies ſignat cognitionem Angelicam rerum, quæ duplex eſt. Prima eſt cognitio naturalis, ſcilicet per converſionem intellectus ſui ad alias ſpecies concreatas; & illis mediantibus intelliguntur res, ſicut nos modo mediante phantaſmate. Et dicitur hæc cognitio veſpertina. Secunda eſt cognitio ſupernaturalis, quam ſcilicet habent cognitionem convertendo ſe ad verbum æternum, in quo relucent ideæ omnium rerum, & inde concipiunt clariorem cognitionem rerum. Et hæc dicitur cognitio matutina, quæ perfectior eſt prima

De conceptione Angelicali.

Duplex cognitio,

ma. Et ſic dicitur *factum veſpere & mane dies unus*, quia ſcilicet cognitio una quoad cognita, ideſt creata; ſed duplex quoad modum cognoſcendi, quia vel in ſpeciebus ſibi concreatis, vel in verbo. Inter cetera autem Angeli ſancti aſpicientes in verbo, relatum ſeu declaratum fuit eis myſterium incarnationis cum ſuis circumſtantiis, & quod ad reparandum lapſum hominis ordinaretur, & ad reſtaurandum ruinas eorum, Dei filius humanæ naturæ uniretur, & Virgo hæc ſanctiſſima mater ejus eſſet. Et ſic antequam eſſent abyſſi, ideſt creaturæ in ſua diſtinctione & ultima perfectione, ego, ſcilicet Virgo Dei mater, *concepta eram* in intellectu angelico per cognitionem. Et quum hoc cognoverunt, magum feſtum fecerunt in paradiſo regratiantes Deo, & collaudantes ejus miſericordiam maximam pro reparatione fratrum ſuorum, ideſt noſtra, & reſtauratione ſua quoad lapſos Angelos. Unde Jobi 38. dicitur: *Ubi eras ..., quum me laudarent aſtra matutina*, ideſt Angeli, *& jubilarent omnes filii Dei?* ipſi ſcilicet Angeli ſumme exſultantes de reparatione futura per filium hujus Virginis benedictæ, & omnes offerebant ei famulari tempore ſuo. Si enim (ut dicitur Luc. 15.) *gaudium eſt in cœlis coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*; quantum debuit eſſe ſuper mediatrice peccatorum? &c.

De conceptione ſpeciali.

Tertia conceptio dicitur ſpecialis, Sapientia frequenter nomine mulieris nuncupatur, præcipue in libris Sapientialibus. Unde & dicitur Sap. 8. *Hanc*, ſcilicet ſapientiam, *amavi, & exquiſivi a juventute mea, & quæſivi mihi eam ſponſam aſſumere*. Sapientia autem ſuper omnes alias doctrinas maxima eſt in Scriptura ſacra, ſecundum Thomam in princ. ſummæ ſuæ. Hæc autem eſt prægnans multis myſteriis, ideſt ſpiritualibus ſignificationibus, quæ ſunt multis occultæ. Quum autem doctor vel prædicator exponit, quod latebat, tunc quaſi parturit. Et inter cetera in hac muliere, ſcilicet ſapientia Scripturæ, eſt ibi concepta, ideſt occulte contenta iſta beatiſſima Virgo, & frequentiſſime de ea ibi fit mentio per metaphoras varias. Et ſic antequam eſſent abyſſi, ſive creaturæ, ut dictum eſt, completæ, ſive ſcripturæ, quæ dicuntur etiam abyſſus propter profunditatem ſenſuum; antequam innoteſceret earum profunditas, *concepta eram*, ideſt ibi comprehenſa; ut quum dicitur: *In principio creavit Deus cælum & terram. In principio*, ſcilicet novi teſtamenti, *creavit* quoad animam *cælum* Joachim, cælum dictum propter affectum cæleſtem, *& terram* Annam, ſic dictam propter humilitatem, *Terra autem erat inanis & vacua*, ideſt ſterilis, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* lacrymarum ipſorum de confuſione ſua. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, ideſt *tenebræ* vitiorum ſuper mundum totum. *Dixit Deus* dando virtutem fœcundativam Annæ: *Fiat lux*, ideſt Virgo hæc beatiſſima, *& facta eſt lux*, ex Joachim & Anna quoad corpus, a Deo quoad animam. *Et diviſit lucem a tenebris*, purificans illam animam ſubito ab originali. Hæc eſt etiam concepta & figurata ibi in paradiſo deliciarum, ubi erat lignum vitæ, &c. Hæc eſt ibi concepta, quum Dominus dixit ſerpenti: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius* &c. Geneſ 3. Hæc eſt mulier Maria a Deo facta mater ſpiritualis cunctorum, maxime inimica ſerpenti antiquo, ſcilicet diabolo. Semen ſerpentis procedens ex interioribus voluntatis ejus, eſt malitia ejus, unde generat in mentibus hominum vitia & peccata. Semen mulieris hujus Viginis eſt bonitas & benignitas ejus contraria ſemini diaboli. Contrivit ipſa caput ſerpentis ſola, quia omnes ſuggeſtiones vitiorum ſubito exſtinxit, nec concupiſcentiam ſenſit, religato in ea fomite, poſtea exſtincto &c. Hæc etiam concepta eſt in Scriptura, quando Gen. 15. dictum fuit Abrahæ: *Generatione quarta revertentur huc*, ſcilicet ad terram promiſſionis, quæ ſignificat vitam æternam. Semen Abrahæ ſpirituale ſunt omnes viri fideles, ut oſtendit Apoſtolus ad Gal. 4. Hi exules erant & peregrini in terra non ſua in Ægypto, quæ interpretatur *tenebræ*, ſcilicet mundi ſervituti addicti, Pharaonis iniqui, ideſt diaboli: ſed *quarta generatione*, quæ per Mariam, ſeu in Maria facta eſt, *revertuntur* ad patriam propriam, ſcilicet ſupernæ gloriæ. Nam prima generatio ſecundum Anſelmum, hominis eſt, qua Adam factus eſt a Deo de limo ſine viro & muliere. Secunda eſt, qua formata eſt mulier ex viro. Tertia, qua communiter omnes generantur ex femina & maſculo. Quarta alia ab his, ſcilicet qua homo generatur de muliere ſine viro, qua Chriſtus formatus eſt ex Virgine. Nec alius modus productionis hominis reperitur. Hæc conceptio eſt figurata in arca Dei, in throno Salomonis, in virga Aaron, in porta Domini clauſa, in vellere Gedeonis, & aliis innumeris.

Figuræ de beata Virgine.

Exod. 25. 3. Reg. x. Nu. 17. Ezech. 44. Judicum 6.

Quarta conceptio eſt in utero maternali, quando ſcilicet Anna concepit eam. [1] Sed ſanctificata eſt, ut creditur, illa, juxta illud pſalmi: *Sanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus*. Et de hac aliqui faciunt feſtum. Et hoc tribus rationibus.

1

Quare agitur feſtum conceptionis.

Prima, quia fuit congruenter impetrata.
Secunda, quia fuit ſublimiter ſanctificata.
Tertia, quia fuit firmiter bene operata.

Quantum ad primum ſciendum, quod quum Anna & Joachim non haberent filios, quia ſteriles, & per multos annos tranſiſſent ſine prole; orationibus, jejuniis, & eleemoſynis inſiſtebant, ut impetrarent a Deo prolem, non diffidentes de liberalitate Dei; quia quod natura non valet, gratia ſupplet. Votum etiam fecerunt offerendi prolem Deo in templo. Dividebant quoque ſuos reditus, ut legitur, in tres partes. Unam, ſcilicet templo, aliam pauperibus, tertiam ſibi & familiæ concedentes, & per hujuſmodi continuata impetraverunt fœcunditatem. Ubi oſtenditur exemplo hoc non diſplicere Deo, dummodo fiant ſine ſuperſtitionibus, & cum conditione, ſi ſaluti ſuæ expediat. Apparuit ergo Angelus eis, & prænuntiavit, quod haberent filiam nomine Mariam, &c. ut habetur in legenda. Et ſic antequam eſſent abyſſi, ideſt Apoſtoli, qui dicuntur abyſſi propter profunditatem cognitionis divinorum & dilectionis ſuper omnes ſanctos (unde Dionyſius Paullum appellat abyſſum ſapientiæ) Virgo concepta fuit in utero maternali.

Quantum ad ſecundum notandum tres fore ſanctificationes. Prima, quum puer egreditur ex utero matris; & hæc fuit Hieremiæ, juxta illud ejuſdem, 1. *Antequam exires de vulva*, plene ſcilicet, *ſanctificavi te*. Secunda eſt, quando proles eſt adhuc in utero tota, ut Joannes Baptiſta, qui in ſexto menſe fuit ſanctificatus, quando ſcilicet Virgo Maria concepto Dei filio, *ſalutavit Eliſabeth*, Luc. 1. Tertia eſt in puncto quaſi poſt creationem & infuſionem animæ: formato enim corpore Virginis concepto ex Anna & Joachim, non ex Spiritu ſancto (hoc enim dicere eſſet hæreticum, ſolus enim Chriſtus hoc habuit) creata anima Virginis a Deo & infuſa, ſubito ſanctificata fuit eadem die, pſal. 45. *Fluminis impe-*

1 Hec, quæ ſequuntur uſque ad vocem. *Altiſſimus*, addita ex Jenſoniana editione anno 1479.

petus lætificavit civitatem Dei, ſanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus.

Quantum ad tertiam rationem dico, quod firmiter operata eſt bonum, & continuiter, quia A nullum umquam peccatum commiſſit, nec etiam veniale. Non ſic fuit in aliis ab utero ſanctificatis; nam omnes venialiter peccaverunt.

TITULUS NONUS
DE PECCATO ACTUALI MORTALI.

CAPUT I.

Penes quid attendatur gravitas varia in peccato mortali. Et de ſexdecim regulis, per quas poteſt cognoſci, quando aliquid eſt mortale.

Quare dicitur mortale.

SEcundum genus peccati eſt mortale, & dicitur mortale ex eo quod privet animam Dei inhabitatione per gratiam, ex qua anima vivit ſpiritualiter, *De pœnit.* Diſt. 1. can. *Reſuſcitatus*, §. *Quum enim*. Et conducit tandem ad mortem damnationis æternæ in ipſo morientem, Diſt. 25. *Unum orarium*, §. *Alias ea*. Et de hoc quinque videnda ſunt. Primum eſt de gravitate ipſius, ſecundum quid attendatur, ex quo unum dicatur gravius altero. Secundum eſt quomodo diſcernatur vel cognoſcatur mortale a veniali. Tertium de nocibilitate ſeu damno, quod infert perpetranti. Quartum quomodo puniatur in alia vita pœna inferni. Quintum eſt, quomodo remittatur mortale. C

Peccata omnia non ſunt paria.

§. I. Quantum ad primum ſciendum ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 73. quod opinio fuit Stoicorum, quod omnia peccata eſſent paria; & ex hoc derivatus eſt quorumdam hæreticorum error, qui ponentes omnia peccata eſſe paria, dicunt etiam omnes pœnas inferni eſſe pares. Et ſi quidem peccatum eſſet pura & ſimplex privatio, quæ ſcilicet conſiſtit quaſi in eſſe corruptum, ſicut D mors & cæcitas; ſic verum eſſet: non enim poteſt dici unus eſſe magis mortuus, quam alius. Sed peccatum eſt privatio non ſimpliciter, ſed aliquid retinens de habitu oppoſito, quæ conſiſtit magis in corrumpi, quam in eſſe corruptum, ſicut ægritudo corporalis. Unde ſicut vere dicitur unus magis vel gravius infirmus, quam alter, vel etiam in eodem una infirmitas gravior eſt altera; ſic & unum peccatum gravius altero.

Peccatum comparatur infirmitati.

Et quod peccatum comparetur infirmitati, patet non ſolum ex Scriptura ſacra, quæ frequenter hoc dicit, juxta illud pſal. 6. *Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum*, ſed etiam ex doctrinis gentilium: nam Seneca & Tullius vitia appellant ægritudines. Et quod unum ſit gravius al- E tero, oſtendit Chriſtus, dicens Pilato: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, Joann. 19. Hieronymus etiam dicit: *Quis dubitat ſceleratius eſſe commiſſum, quod eſt gravius punitum?* 24. quæſt. 1. *Non afferamus*. Patet etiam hoc ex diverſis pœnis taxatis ab Eccleſia pro pœnitentia, ſecundum diverſam gravitatem peccatorum.

Gravitas peccatorum attenditur ex parte objectorum.

Prima autem & principalis differentia gravitatis in peccatis ſecundum Thomam ubi ſupra, eſt illa, quæ attenditur penes objecta eorum. Objecta autem actuum ſunt fines eorum. Pro cujus declaratione eſt ſciendum, quod gravitas peccatorum differt eo modo, quo una ægritudo eſt alia gravior. Sicut enim bonum ſanitatis conſiſtit in quadam commenſuratione humorum per convenientiam ad naturam animalis; ita bonum virtutis conſiſtit in quadam commenſuratione humani actus per convenientiam ad regulam rationis. Manifeſtum eſt autem, quod tanto eſt gravior ægritudo, quanto tollitur debita humorum commenſuratio per commenſurationem prioris principii, ſicut ægritudo, quæ provenit in corpore humano ex corde, quod eſt principium vitæ, vel ex aliquo, quod appropinquat cordi, periculoſior eſt. Unde oportet etiam, quod peccatum ſit tanto gravius, quanto deordinatio contingit circa aliquod principium, quod eſt prius in ordine rationis. Ratio autem ordinat omnia agibilia ex fine. Et ideo quanto peccatum contingit in actibus humanis ex altiori fine, tanto peccatum eſt gravius. Sicut patet, quod res exteriores ordinantur ad hominem, ſicut ad finem. Homo autem ordinatur in Deum, ſicut in finem. Unde peccatum, quod eſt circa ipſam ſubſtantiam hominis, ſicut homicidium, eſt gravius peccato, quod eſt circa res exteriores, ſicut furtum. Et adhuc eſt gravius peccatum, quod immediate contra Deum committitur, ſicut infidelitas, blaſphemia & hujuſmodi. Et in ordine quorumlibet horum peccatorum unum peccatum eſt gravius altero, ſecundum quod eſt circa aliquid principalius vel minus principale. Et idem haberi poteſt 33. quæſt. 2. *Si quod verius*: ubi dicitur, quod homicidium eſt gravius, quam adulterium, 17. quæſt. 4. *Sicut qui*, dicitur, quod ſacrilegium eſt majus quam fornicatio. In peccatis etiam ejuſdem generis reperitur unum peccatum gravius altero, ſecundum gradum tranſgreſſionis, ſicut adulterium eſt gravius quam fornicatio, & inceſtus gravius adulterio & hujuſmodi, ut 32. quæſt. 7. *Adulterii malum*.

Gravitas attenditur ex cauſſis peccatorum.

Attenditur ſecundo gravitas peccatorum ex cauſſis ſeu motivis. Poteſt autem eſſe multiplex cauſſa inducens ad peccandum ſecundum Thomam ubi ſupra. Prima eſt, quæ eſt propria & per ſe cauſſa peccati, quæ eſt ipſa voluntas peccandi. Comparatur autem ad actum peccati ſicut arbor ad fructum, ut dicitur in gloſſa ſuper illud Matth. 7. *Non poteſt arbor bona fructus malos facere* &c. Et hujuſmodi cauſſa quanto fuerit major, tanto peccatum erit gravius. Quanto enim fuerit voluntas major ad peccandum, tanto homo gravius peccat. Aliæ vero cauſſæ peccati accipiuntur quaſi extrinſecæ & remotæ, ex quibus ſcilicet voluntas inclinatur ad peccandum. Et in his cauſſis eſt diſtinguendum. Quædam enim harum inducunt voluntatem ad peccandum ſecundum ipſam natu-

naturam voluntatis, ſicut finis, quod eſt proprium objectum voluntatis; & ex tali cauſſa augetur peccatum. Gravius enim peccat, cujus voluntas ex intentione peoris finis inclinatur ad peccandum. Aliæ vero cauſſæ ſunt, quæ inclinant voluntatem ad peccandum præter naturam & ordinem ipſius voluntatis, quæ nata eſt moveri libere ex ſeipſa ſecundum judicium rationis. Unde cauſſæ, quæ diminuunt judicium rationis, ſicut ignorantia, vel quæ diminuunt liberum motum voluntatis, ſicut infirmitas, vel violentia, aut metus vel aliquid hujuſmodi, diminuunt peccatum, ſicut & diminuunt voluntarium, in tantum, quod ſi actus ſit omnino involuntarius, non habet rationem peccati. Et de his habes 15. quæſt. 1. §. 1. ubi inter cetera ponitur dictum Auguſtini, ſcilicet quod *peccatum voluntarium uſque adeo malum eſt, ut niſi ſit voluntarium, nullo modo ſit peccatum*. Et in canone *Aliquos*, dicit Auguſtinus, quod reus non conſtituitur, qui neſcit quid fecerit; & loquitur de ſtulto.

Gravitas attenditur ex actu peccati.

Poteſt attendi tertia diverſitas gravitatis in peccato ex actu ipſius. Quum enim cauſſa propria peccati ſit voluntas, ut dictum eſt, & peccatum conſiſtat in actu ejus inordinato; quanto magis actus eſt inordinatus, tanto gravius eſt peccatum. Magis autem eſt actus voluntarius & inordinatus, qui cum opere perpetratur, quam ſolum mentis conſenſu, ceteris paribus, & gravius ex conſuetudine peccatur, quam unica operatione.

De peccato interno & externo.

Et nota ſecundum Petrum, quod quum voluntas & opus peccati ſunt ſeparata, ut puta ſecundum aliud & aliud tempus, ſunt diverſa peccata, quia diverſæ adverſiones & converſiones; ut ſi quis habens voluntatem deliberatam ad fornicandum, furandum, occidendum &c. divertit pro tunc ad alia, dimittens exſequi illam voluntatem, inde ad horam opportunitate ſe ingerente committit illa peccata, & ſic fuit diverſa. Sed ſi voluntas & opus ſint conjuncta ut cauſſa & effectus; ſic ſunt unum peccatum formaliter, ſed plura materialiter, quia eſt una ratio deordinandi, licet plura ſint deordinata. Gravius tamen eſt peccatum actu exteriori commiſſum, quam ſola voluntate. Nam ipſe actus exterior communiter adauget voluntatem in malis operibus, ſicut & in bonis. Unde Auguſtinus *De pœnit.* Diſt. 2. can. *Sicut tribus*, ſic dicit: *Sicut tribus gradibus ad peccatum pervenitur, ſuggeſtione, delectatione, conſenſu; ita ipſius peccati tres ſunt differentiæ, in corde, in facto, & in conſuetudine, tamquam tres mortes. Una quaſi in domo, quum in corde conſentitur libidini. Altera quaſi prolata jam extra portam, quum aſſenſus procedit in factum. Tertia quum vi conſuetudinis malæ tamquam mole terrena premitur animus, quaſi in ſepulchro jam fœtens. Quæ tria genera mortuorum Dominum reſuſcitaſſe, quiſquis Evangelium legit, agnoſcit.* Hæc ille. Et extra *De conſuet.* capit. ultimo dicitur, quod *tanto ſunt graviora peccata, quantum diutius animam infelicem detinent alligatam.*

Attenditur quarto diverſitas gravitatis in peccatis ſecundum qualitatem circumſtantiarum. Ubi eſt ſciendum ſecundum Thomam in 1. 2. quæſt. 73. quod quum unumquodque ex eodem natum ſit augeri, ex quo cauſſatur; ſicut dicit philoſophus de habitu virtutis, & peccatum cauſſetur ex defectu alicujus circumſtantiæ, quia ex hoc recedit ab ordine rationis, quod aliquis in operando non obſervat debitas circumſtantias; ſequitur, quod peccatum per circumſtantias natum eſt aggravari. Sed hoc contingit tripliciter. Uno modo in quantum circumſtantia transfert peccatum in aliud genus vel ſpeciem peccati, ſicut peccatum fornicationis conſiſtit in hoc, quod homo accedit ad non ſuam: Sed ſi addatur hæc circumſtantia, ut illa, ad quam accedit, ſit uxor alterius, transfertur jam in aliud genus peccati, ſcilicet injuſtitiam; in quantum homo uſurpat rem alterius. Et ſecundum hoc adulterium eſt gravius quam fornicatio. Sed talis circumſtantia, quæ mutat ſpeciem, quamvis per reſpectum ad actum in ſe, ideſt actum naturæ, poſſit dici circumſtantia; non tamen proprie per reſpectum ad ipſum peccatum quantum ad ſuam ſpeciem ſeu actum mortalem. Nam circumſtantiæ peccati proprie ſunt accidentia, quæ reperiuntur circa ipſam eſſentiam actus peccati ſeu ſpeciem, ad quam perducitur per prædictam circumſtantiam. Secundo modo circumſtantia non aggravat peccatum, ita quod trahat ipſum in aliud genus; ſed ſolum quia multiplicat rationem peccati. Sicut prodigus, ſi det, quando non debet, & cui non debet, multiplicius peccat eodem genere peccati, quam ſi ſolum det, cui non debet; & ex hoc ipſo peccatum fit gravius; ſicut etiam ægritudo eſt gravior, quæ plures partes corporis inficit. Tertio modo circumſtantia aggravat peccatum ex eo, quod auget deformitatem provenientem ex alia circumſtantia, ſicut accipere alienum conſtituit peccatum furti: ſi autem addatur hæc circumſtantia, ut multum accipiat de alieno, eſt gravius peccatum, quamvis accipere multum vel parum de ſe non dicat rationem boni vel mali. Hæc ibi, excepto illo modico, quod dictum eſt in primo membro, ubi incipit: *Sed talis*, uſque ad ſecundum membrum. Et ex his habes declarationem & determinationem gloſſæ, quæ habetur Diſt. 40. ſuper can. *Homo*. Ubi ponitur duplex opinio de circumſtantiis peccati, quorumdam ſcilicet dicentium, quod circumſtantiæ non aggravant peccatum, ſed ſolum contemtus, qui deprehenditur major vel minor ſecundum omiſſionem plurium vel paucarum circumſtantiarum debitarum. Alia opinio eſt, quod circumſtantiæ ipſæ habeant aggravare ipſam. Et iſtam ſecundam tenet Thomas & alii Theologi, prima relicta.

Tripliciter circumſtantia dicitur aggravare peccatum.

Inter ceteras autem circumſtantias, quæ peccatum habent aggravare, eſt conditio perſonæ, in quam peccatur, ſi habeat aliquam excellentiam. Pro cujus declaratione eſt ſciendum ſecundum Thomam 1. 2. ubi ſupra, quod quum prima gravitas peccati attendatur ex parte objecti, ex hoc ſequitur, quod tanto attenditur major gravitas in peccato, quanto objectum eſt principalior finis. Fines autem principales humanorum actuum ſunt Deus, ipſe homo, & proximus. Quidquid enim facimus, propter aliquod horum facimus, quamvis etiam horum trium unum ſub altero ordinetur. Poteſt igitur ex parte horum trium conſiderari major vel minor gravitas in peccato, ſecundum conditionem perſonæ, in quam peccatur. Primo quidem ex parte Dei, cui tanto aliquis homo magis conjungitur, quanto eſt virtuoſior, vel Deo ſacratior; & ideo injuria illata tali perſonæ magis redundat in Deum, ſecundum illud Zach. 2. *Qui vos tangit, quaſi pupillam oculi mei tangit*. Unde peccatum fit gravius ex hoc, quod peccatur in perſonam magis Deo conjunctam, vel ratione virtutis vel ratione officii. Ex parte vero ſui ipſius manifeſtum eſt, quod tanto aliquis gravius peccat, quanto in magis conjunctam perſonam ſeu naturali neceſſitudine, ſeu beneficiis, ſeu quacumque conjunctione peccaverit. Ex parte vero proximi tanto gravius peccatur, quanto peccatum plures tangit. Et ideo peccatum, quod fit in perſonam publicam, puta regem, vel principem, vel rectorem, eſt gravius peccato, quod committitur contra unam perſonam privatam. Et ſimiliter injuria, quæ fit alicui perſonæ famoſæ, videtur eſſe gravior ex hoc, quod in ſcandalum & pertur-

Inter ceteras circumſtantias conditio perſonæ aggravat.

bationem plurimorum redundat. Magnitudo etiam ipſius perſonæ peccantis, quæ pertinet ad circumſtantiam, habet ſæpe gravare peccatum. Unde Joannes Chryſoſtomus diſtinctione 40. dicit: *Homo chriſtianus fortiter cadit in peccatum propter duas cauſſas, aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis*, ſed hoc non eſt ſemper. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 2. 2. ubi ſupra, quod duplex eſt peccatum. Quoddam ſcilicet ex ſurreptione, proveniens propter infirmitatem humanæ naturæ; & tale peccatum minus imputatur ei, qui eſt major in virtute, eo quod minus negligit hujuſmodi peccata reprimere, quæ tamen omnino ſubterfugere infirmitas humana non ſinit.

Propter quattuor conditiones perſonæ peccatum aggravatur.

Quædam ſunt ex deliberatione procedentia, & B iſta peccata tanto magis imputantur alicui, quanto major eſt; & hoc poteſt eſſe propter quattuor. Primo quidem, quia facilius poſſunt reſiſtere peccato majores, puta qui excedunt in ſcientia & virtute. Unde Dominus dicit Luc. 12. quod ſciens ſervus voluntatem domini ſui, & non faciens, *plagis vapulabit multis*. Secundo propter ingratitudinem; quia omne bonum, quo quis magnificatur, eſt Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando, in quantum ad hoc quælibet majoritas etiam in temporalibus bonis peccatum aggravat ſecundum illud Sap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur*. Tertio propter ſpecialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem perſonæ; ſicut ſi princeps juſtitiam violet, qui ponitur juſtitiæ cuſtos; & ſi ſacerdos fornicetur, qui caſtitatem vovit. Quarto propter exemplum, ſive ſcandalum; quia, ut Gregorius dicit in paſtorali, in exemplum vehementer culpa extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur; ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata magnorum, & magis homines ea indigne ferunt.

Gravitas peccati etiam attenditur ex nocumento ejus.

Attenditur etiam gravitas peccati ſecundum nocumentum, quod ſequitur ex ipſo. Pro cujus declaratione dicit Thomas ubi ſupra, quod nocumentum tripliciter poteſt ſe habere ad peccatum. Quandoque enim nocumentum, quod provenit ex peccato, eſt præviſum & intentum; ſicut quum aliquis aliquid operatur animo nocendi alii, ut homicida vel fur, & tunc directe quantitas nocumenti adauget quantitatem peccati, quia tunc nocumentum eſt per ſe objectum peccati. Quandoque vero nocumentum eſt præviſum, ſed non intentum; ſicut quum aliquis tranſiens per agrum, ut compendioſus vadat ad fornicandum, infert nocumentum his, quæ ſunt ſeminata in agro ſcienter, licet non animo nocendi. Et ſic etiam quantitas nocumenti aggravat peccatum, ſed indirecte, in quantum ſcilicet ex voluntate multum inclinata ad peccandum procedit, quod aliquis non prætermittat facere damnum ſibi vel alii, quod ſimpliciter non vellet. Quandoque autem nocumentum non eſt intentum, nec eſt præviſum; & tunc ſi per accidens ſe habeat ad peccatum, non aggravat peccatum directe; ſed propter negligentiam conſiderandi nocumenta, quæ conſequi poſſent, imputantur homini ad pœnam mala, quæ eveniunt præter ejus intentionem, ſi dabat operam rei illicitæ. Si vero nocumentum per ſe ſequitur ex actu peccati, licet non ſit intentum, nec præviſum, directe peccatum aggravat, quia quæcumque per ſe ſequuntur ad peccatum, pertinent quodammodo ad ipſam ſpeciem peccati: puta ſi aliquis publice fornicetur, ſequitur ſcandalum plurimorum, quod quamvis ipſe non intendat, nec forte prævideat, directe per hoc aggravatur peccatum.

Nota qualiter nocumentum aggravat peccatum.

Quamvis nocumentum aggravat peccatum, non tamen ſequitur, quod ex ſolo nocumento peccatum aggravetur; quinimmo peccatum in ſe eſt gravius propter inordinationem, ut ſupra dictum eſt. Unde & ipſum nocumentum aggravat peccatum, in quantum facit actum eſſe magis inordinatum. Unde non ſequitur, quod ſi nocumentum maxime habeat locum in peccatis, quæ ſunt circa proximum, quod ipſa peccata ſint graviſſima; quia multo major inordinatio invenitur in peccatis, quæ ſunt contra Deum, & in quibuſdam eorum, quæ ſunt contra ipſum; & tamen poteſt dici, quod etſi Deo nullus poſſit nocere quantum ad ejus ſubſtantiam, poteſt tamen nocumentum attentare in his, quæ Dei ſunt, ſicut exſtirpando fidem, violando ſacra, quæ ſunt peccata graviſſima. Sibi etiam aliquis quandoque ſcienter & violenter infert nocumentum, ſicut patet de his, qui ſe interimunt, licet finaliter hoc referant ad aliquod bonum apparens, puta ad hoc, quod liberentur ab aliqua anguſtia.

Quattuor ſunt, quibus culpa redditur gravior.

S. II. Notandum etiam ultra ſupradicta, quod una culpa vel injuria eſt gravior alia, quattuor rationibus.

Primo ratione modi circumſtantis.

Secundo ratione damni conſequentis.

Tertio ratione viri offendentis.

Quarto ratione animi inducentis.

Ex modo, & octo modi recenſentur.

Quod una culpa vel injuria ſit major vel gravior alia ratione modi circumſtantis, octo modis philoſophus docet cognoſcere. Et primo ſic: Illa culpa vel injuria eſt major, quæ eſt beſtialior. C Cujus ratio eſt, quia talis eſt magis inordinata, ideſt contra ordinem vel rectitudinem rationis. Secundo probatur ſic: Illa culpa vel injuria eſt major, quæ eſt evidentior & magis ſecundum electionem. Cujus ratio eſt, quia de ratione peccantis vel injuriantis eſt, quod agat voluntarie; & ideo quanto magis ſecundum electionem peccat, tanto magis voluntarie peccat; quanto autem magis voluntarie, tanto gravius peccat. Tertio ſic: Illa culpa vel injuria eſt major, quæ auditoribus eſt horribilior & abominabilior. Nam homines magis horrent & abominantur unum ſcelus, quam aliud, tum propter ſui novitatem, tum propter ſui gravitatem. Quarto ſic: Illa culpa & injuria eſt gravior, in qua tranſgreſſio eſt multiplicior, D puta in qua ſunt multæ tranſgreſſiones: v. g. qui frangit juramenta, dextras, fides, connubia &c. graviſſime peccat. Cujus ratio eſt, quia in talibus exceſſus culparum multarum vel injuſtitiarum vel injuriarum eſt magnitudo ſceleris vel gravedo criminis. Quinto ſic: Illa culpa vel injuria eſt major, ubi locus eſt ineptior, quando ſcilicet fit in illo loco, ubi facientes culpam puniuntur, quemadmodum faciunt falſi teſtes. Cujus ratio eſt, quia ſi qui in prætorio non faciunt juſtitiam, vel peccant, ſignum eſt, quod in omni loco non facerent juſtitiam. Si enim falſi teſtes in curia peccant, ſignum eſt quod in omni loco peccarent. Sexto ſic: Illa culpa vel injuria eſt major, in qua eſt major confuſio. Cujus ratio eſt, quia confuſio ſolum debetur turpi & praviori; unde de E magis turpi videtur ſequi major confuſio tamquam magis pravum. Septimo ſic: Illa culpa vel injuria eſt major, quæ eſt indignior vel irrationabilior, ideſt quam quis facit contra eum, a quo bona ſuſcepit. Cujus ratio eſt, quia talis plures injurias & peccata facit: & primo, quia facit male: ſecundo, quia non facit bene; tenemur enim bonum facere benefactori. Octavo: Ille plus peccat & gravius, qui peccat contra jura non ſcripta, quam contra ſcripta. Cujus ratio eſt, quia melius eſt eſſe juſtum per voluntatem, quam per neceſſitatem; obſervare autem ſcripta videtur eſſe ex neceſſitate; ſervare autem non ſcripta videtur eſſe non ex neceſſitate, ſed propria voluntate:

pec-

peccare contra jura non ſcripta, ſed tamen juſta, videtur gravius. Hæc Philoſophus, 2. Reth. capitulo 23.

Ex nocumento conſequente.

Secundo cognoſci poteſt gravitas culpæ ratione nocumenti conſequentis: ubi eſt magis damnum, ibi magis peccatum ceteris paribus, ſecundum B. Thomam 1. 2. quæſt. 73. poteſt autem magnitudo damni conſequentis cognoſci quattuor modis ſecundum Philoſophum in 1. libro Rethor. Primo, quia difficile eſt vel impoſſibile fieri recompenſationem, ut ſi quis occideret filium alterius, vel deſtrueret rem irreparabilem vel non inventibilem. Secundo, quando non poteſt inveniri æqua punitio tali culpæ vel damno; ſed omnis alia eſt mitior, ut ſiquis occideret vel offenderet regem vel publicam perſonam. Tertio, quando contingit eum, qui damnificatus eſt, non recipere ſatisfactionem, utputa quia mortuus eſt. Quarto; quando quis paſſus eſt damnum a ſeipſo, ut qui ſe affligit vel nocumentum ſibi infert, vel occidit ſe ex aliquo infortunio vel malo commiſſo, & multo magis quando ſine cauſſa hoc egit. Hæc philoſophus ubi ſupra.

Ex ratione viri offendentis.

Tertio poteſt cognoſci gravitas culpæ vel injuriæ ratione viri offendentis; quod quinque modis videri poteſt ſecundum Philoſophum in lib. Rhethor. Et primo, quando eam culpam vel injuriam primus vel ſolus vel cum paucis fecit. Et gatia hujus eſt, quia videtur aliis eſſe exemplum & cauſſa malefaciendi & multitudini magis parcitur in delictis, quam paucis. Secundo, quando in illa culpa ſæpe peccat; aggravatur enim culpa ex frequentatione actus propter inordinationem voluntatis. Tertio, quando propter illam culpam inveniuntur tormenta damnificantia graviora. Nam propter magnitudinem ſcelerum inventa ſunt graviora tormenta. Quarto, quando propter illum, qui commiſit, lex eſt, poſita; quod eſſe non poteſt, niſi quia ille fuit primus, vel novo modo peccavit. Quinto, quando propter illum carcer fuit ædificatus. Hæc Philoſophus ubi ſupra, ſed magnitudo perſonæ peccantis aggravat.

Ex diſpoſitione animi.

Quarto oſtenditur una culpa gravior alia ratione animi inducentis, ideſt ex diſpoſitione & qualitate animi peccantis; quod oſtenditur ſex rationibus, & prima eſt ex cauſſa peccati. Nam duplex eſt cauſſa peccati, una per ſe, altera per accidens. Cauſſa per ſe eſt ipſa voluntas; & hæc quanto fuerit major, tanto peccatum eſt gravius; quia quum peccatum ſit malum voluntarium, quanto voluntas fuerit major ad peccandum, tanto peccatum eſt gravius. Aliæ vero cauſſæ peccati ſunt cauſſæ per accidens inclinantes voluntatem ad peccandum præter naturam & ordinem ipſius voluntatis, quæ nata eſt moveri libere ex ſeipſa, ut ſunt paſſio, ignorantia, motus, & hujuſmodi.

Secunda ratio, quare unum peccatum eſt gravius alio, eſt ex notitia; qui enim peccat ex certa ſcientia & induſtria, peccat gravius eo, qui peccat in idem ex ignorantia. Ratio hujus eſt, quia voluntas peccantis ex certa ſcientia eſt magis inordinata; & hoc quia talis ſcienter eligit, quod malum eſt, ſcilicet pati detrimentum in majori bono, ſcilicet bono animæ, ut privari gratia ad hoc, quod potiatur minori, ſeu fruatur, ſcilicet corporali bono, cujus contrarium facit voluntas ordinata. Quamvis enim nullus intendens ad malum operatur, ſecundum Dionyſium; tamen poteſt eſſe intentum malum aliquod, vel ad vitandum aliquod malum, vel ad conſequendum majus bonum.

Tertia ratio, quare unum peccatum eſt majus alio, eſt ex electione; nam peccans ex electione, peccat gravius in eodem peccato, eo, qui ſolum ex paſſione. Hujus ratio eſt, quia talis peccat ex certa malitia, in quantum ſcienter eligit malum, non quod velit illud, quod eſt de ſe malum; ſed quia eligit minus bonum, ſpreto majori. Aliud enim eſt peccare ex electione, aliud ex paſſione. Qui enim peccat ex paſſione, peccat eligens, non tamen ex electione, quia electio non eſt in eo primum principium peccati; ſed inducitur ex paſſione ad eligendum id, quod extra paſſionem non eligeret. Sed ille, qui peccat ex malitia, ſecundum ſe eligit malum, quia ſcilicet ſpreto majori bono vel poſtpoſito, ſcilicet animæ, eligit minus, ut laſcivus, qui magis vult habere delectationem veneream, quam gratiam vel virtutem; & ideo electio eſt in eo primum principium. Hæc B. Thom. 1. 2. quæſt. 78.

Paſſio quando ſe habet ad peccatum.

Quarta ratio gravitatis majoris ex parte animi eſt majoritas contemtus. Nam ubi major contemtus, ibi major gravitas. Et ratio eſt, quia quanto contemtus major, tanto voluntas inordinatior.

Quinta ratio eſt ex diſpoſitione voluntatis & rationis: v. g. idem peccatum, ut homicidium, gravius eſt factum ab homine ſobrio, quam ab homine ebrio. Cujus ratio eſt, quia ebrietas plus minuit de ratione peccati, quam ſit ſua gravitas. Hæc B. Thom. 1. 2. quæſt. 76.

Sexta ratio eſt, quia majori virtuti opponitur majus vitium. Tanto ergo peccatum eſt gravius, quanto opponitur majori virtuti, ceteris paribus. Unde philoſophus dicit 8. Ethic. quod peſſimum optimo contrarium eſt; quod etiam patet ex hoc, quod caritas, quæ eſt amor Dei, ſicut ipſa eſt maxima virtutum; ita odium Dei maximum peccatorum, quod odium contrariatur dilectioni Dei, ita quod majus eſt infidelitate & deſperatione. Hæc B. Thom. 1. 2. quæſtione 73. Raynerius.

Regulæ xvi. ad cognoſcendū peccata mortalia.

§. III. Nota ſexdecim regulas univerſales ad cognoſcendum, ubi ſint peccata mortalia vel non. Valent autem tales regulæ ad hoc, quod dum ad particularia venitur, oſtenditur per eas, quid de ſingularibus judicandum ſit. Singulares quippe regulas in illas univerſales reſolvere convenit; quo facto veritas illuceſcet.

Eſt igitur prima ſecundum Cancellarium Pariſienſem, quod nullum eſt peccatum mortale actuale abſque conſenſu libero rationis vere vel interpretative. [1] Interpretativum autem conſenſum eſſe dicimus, dum habuit ratio tempus deliberandi atque deliberati conſenſus afferant; repellendi omnino ſunt ſub gravi culpa, ita ut ſolus ſufficientis deliberationis defectus a mortali aliquando excuſet, uti ex S. Thoma Auctor fuſius exponit part. 2. tit. 4. cap. 1. pag. 642. c. & d. Quare & Tridentinum Concilium ſeſſ. 5. in decreto *De peccato originali* declaravit, concupiſcentiam non poſſe nocere *non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus*, quæ palam ponunt, ad vitandum peccatum, quo concupiſcentia noceat, haud ſatis eſſe motibus ejus *non conſentire*, ſed neceſſarium pariter eſſe eiſdem *viriliter repugnare*; quod poſitivam diſplicentiam niſumque voluntatis contrarium requirit, ita ut motus ejuſmodi, ſi fieri poſſit, reprimantur, mens

1 Quum quis ſcilicet poteſt, & debet aliquid agere, omittere, vel reprimere, nec agit, omittit, vel reprimit, is interpretative ſeu indirecte velle, ſeu conſentire dicitur in illud, quod agere, omittere, vel reprimere poterat, & debebat, ita ut hinc reus ſit culpæ, cui indirectus, ſeu interpretativus conſenſus ſufficit: uti explicavimus not. 4. in cap. 34. tit. 4. pag. 322. 323. Ex hoc porro Auctoris loco obſerva peccati præcipue accuſari interpretativum conſenſum in eo, qui malum deliberate non reprimit: uti accideret in venereis ex. gr. motibus, qui quamvis in ſenſualitate nobis invitis inſurrexerint; quum tamen & per ſe graviter inordinati ſint, unde iis poſitive conſentire mortale eſt; & periculum rei malæ

randi, & refugiendi ea, circa quæ vitanda esse pervigil tenebatur. Qualiter dicit lex: *Qui tacet, consentire videtur*, *De regulis jur.* lib. 6. cap. *Qui tacet*, dum videlicet repugnare deberet. Consensus tamen solus rationis in actum venialiter malum est tantummodo venialis, loquendo de venili ex genere suo, ut est verbum otiosum.

Debitum sciendi.

Secunda regula est: Non quilibet tenetur scire de quolibet peccato mortali, an sit tale, licet expediat istud inquirere & scire juxta uniuscujusque vires & statum, & plus ecclesiasticos, quam laicos. Et inter Ecclesiasticos prælati ex officio tenerentur, quod sint parati omni poscenti reddere rationem de ea, quæ est in eis, fide & spe, argum. ad hoc Dist. 36. per totum. Nota quod

Cur difficile discernere in multis mortale a veniali.

Augustin. 21. de civit. Dei cap. ult. dicit: Quis B iste sit modus, & quæ sint illa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum est invenire, periculosissimum diffinire. Ego certe usque ad hoc tempus quum inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Et fortassis propterea latent, ne studium proficiendi, ad omnia cavenda peccata pigescat. Quoniam si sciretur, quæ vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus nec profectu vitæ melioris assumtis intercessio sit inquirenda, & sanctorum speranda, eis secura se obvolveret humana segnities, nec involvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret.

Tertia regula est, quod comparatio peccatorum ad invicem secundum gravitatem majorem alio distrahatur, & deseratur etiam actio, licet alias honesta, unde illi excitantur, nisi citra periculum consensus justa causa ac necessitas ejus actionis ponendæ, v. g. audiendo confessiones, studendo casibus conscientiæ &c. ex recto caritatis ordine aliter efflagitet. Hinc damnata prop. 17. Michaelis de Molinos, qui tentationibus, *non aliam resistentiam fieri debere* docuerat, *nisi negativam*, *nulla adhibita industria*. Hæc fusius dicenda fuerunt, ne quis forte fallatur ex iis, quæ superius leguntur tit. 4. cap. *16.* §. 3. pag. 341. d. ubi ratio, inquit, vel voluntas *non prohibens motus illicitos sensualitatis*, *quum prohibere possit*, *venialiter peccat:* ibi autem (ut patebit ex proposita quæstione) de peccato agitur, uti est in sensualitate, non autem uti est in ratione & voluntate: & illud tantum uti in sensualitate situm, veniale esse intelligendum est, non ante uti situm in ratione non prohibente, quum potest, quale gravis culpæ & heic & in secundæ partis loco allegato explorate damnatur, & confirmari seu explicari posset etiam ex eo S. Thomæ testimonio, quod Auctor ibidem appellat tit. 6. nec non ex 1. 2. quæst. 74. art. 4. ubi affirmat, actum sensualitatis per se non posse esse peccatum mortale, licet mortalis causa esse possit, propterea quod *actus peccati mortalis non habet*, *quod sit peccatum mortale ex eo*, *quod est sensualitatis*, *sed ex eo*, *quod rationis*: rationis autem grave peccatum esse, quum ratio cogitationem malam sufficienter advertens, *deliberans immoratur*, *nec tamen eam repellit*, ex Augustino tradit aperte art. 6. in quo *peccatum delectationis morosæ esse in ratione* pronuntiat. Confer etiam dicenda inferius tit. 10. cap. 1. §. 2. ubi ex eodem S. Thoma Auctor expresse statuit, solos appetitus sensitivi, idest sensualitatis, primos motus (quos a mere naturalibus distinguit, quatenus rationis imperio subsunt; at *primos* vocat, quod perfectam rationis deliberationem non consequantur, eamque *præveniant*) venialis peccati accusat, *quia in potestate hominis fuit ipsos cohibere:* motus autem ejusmodi, quos rationis deliberationem perfectam sequutos, *appetitus superioris*, *idest voluntatis* motus appellat, gravis peccati condemnat: ex quibus manifestum fit, *sensualitatem* seu appetitum sensitivum ex S. Thomæ locutione eos motus appellari, qui rationis deliberationem perfectam ad peccatum grave necessariam præveniunt; ut ne mirum sit, si levem tantum culpam *sensualitati* attribuat.

2 Hoc quoque loco *habitualem* intentionem ab anti- A & minorem generaliter sumi nequit, nisi comparentur in genere suo, & cæteris paribus; quoniam secundum alias circumstantias particulares se habent plurimum, ut excedentia vel excessa.

Quarta regula est, quod quantificatio peccatorum a posteriori sumitur a pœna, licet non sufficienter usquequaque, & a priori penes genus objecti, & intentionem finis, & libidinem seu conatum voluntatis majorem vel minorem, & secundum motum, tempus, locum, & penes damna inde sequentia, quæ peccans prævidebat, aut prævidere tenebatur.

Quinta regula est, quod bonitas moralis sumitur ex objecto: sed talis bonitas moralis specialiter pendet ex circumstantiis finis, & aliarum B simul adunatis; malitiam vero ex unius illarum circumstantiarum carentia cognovimus resultare. Ceterum bonitatem gratuitam & meritoriam, gratia gratum faciens operatur.

Sexta regula: Omnis actus, cujus finis intentus est mortale, mortalis est, sive intendatur actu, sive 2 habitu. Quod scitur, si operans interrogatus, cur hoc facis? & advertens, tandem respondebit: Ad hunc finem feci. 2

Septima regula: Actus, qui aliunde non esset mortalis, etsi propter finem venialis, videtur esse solum venialis, nisi forte præstituatur finis ille ut ultimus & quietans, & non solum ut incidens, & minus principalis actu vel habitu.

Octava regula: Nullum etiam desiderium rei illicitæ factum tantummodo 3 sub conditione actualiter vel habitualiter adhibita, est de per se mortale 3

quis appellatam patet, quam recentiores *virtualem* vocant, ut ex Benedicto XIV. animadvertimus n. 1. in c. 11. tit. 4. pag. 291. & observa regulam discernendæ intentionis virtualis, quum scilicet quis *interrogatus*, *cur hoc facis?* responderet: *Ad hunc*, vel illum *finem*: quod si non responderet, virtus intentionis extincta judicatur; ita ut ex intentione virtuali agere dici nequeat. Ad peccandum tamen non semper requiritur nec actualis, nec virtualis ejusmodi intentio: quum ex habitu satis peccent, qui habitum pravum exstirpare negligunt, nec ad eum exstirpandum opportuna remedia & diligentiam volunt adhibere, quam possunt, & debent, ut innuitur regula 15. Licet enim ii actus ex eodem habitu consequentes nolint, nec eos actu, vel virtute intendant, immo sine deliberatione quandoque excidant ex consuetudine, ut in perjuriis, blasphemiis &c. tamen in causa habitus, quem efficaciter retractare & sustollere negligunt, eosdem satis volunt, si non directe, certe indirecte, vel interpretative, quod ad peccandum sufficit ex not. 1.

3 Ne quis hac in re fallatur, duo in primis desideriorum conditionatorum genera distinguenda sunt. Desideria conditionata ea dicuntur, quæ explicantur sub conditione *si* per formulam: *Vellem*, *si* &c. Porro hæc formula nunc significat meram voluntatem, seu desiderium, quod esset, vel futurum esset actu, si conditio apposita exsisteret; sed vere nunc nullum est, quum non subsistat conditio: & hoc casu mera habetur actualis prævisio desiderii, seu voluntatis conditionatæ futuræ, non autem actuale desiderium conditionatum, uti accidit, quum quis dicit: *Vellem fornicationem*, *si in tali occasione*, *quam fugio*, *versarer*, *vel si Deus me hac in tentatione non teneret* &c. quæ verba omnem actualem etiam conditionatum fornicationis affectum excludunt, & solam prævisionem indicant voluntatis fornicandi, quæ adesset, si eæ conditiones implerentur: qua in acceptione atque sententia ea propositio huic æquivalet: *Prævideo fore*, *ut fornicari vellem*, *si in tali occasione* &c. Porro mera intellectus prævisio peccatum non est, quum peccatum non meri intellectus sit, sed voluntatis; ac præterea peccati prævisio uti talis malum non sit, sed bonum ad præscientiam pertinens, quæ ipsi Deo maxime convenit. Desiderium autem quantumvis pravum, quod ita prævidetur actu futurum sub conditione, sed interim actu non est, nullumque actualem affectum malum præsumit, nihil impu-

tale delictum, de per accidens tamen propter appetitus ſenſualis commotionem nimiam, qua ſcienter dimittitur invaleſcere, ex talis deſiderii continuatione libera, poteſt ipſum inter mortalia deputari.

A Nona regula: Si quis movetur occaſionaliter ſolum ex peccato mortali ad aliquem actum faciendum, non oportet illum actum eſſe peccatum mortale. Secus, ſi 4 cauſſa principalis hujus actus eſſet mortale peccatum. 4

De-

imputatur ad culpam, quum hæc non contrahatur actu niſi ex criminibus, quæ actu ſunt, non autem ex criminibus conditionate præviſis: ſecus etiam Sancti rei eſſent multorum criminum, quæ ſub conditione aliqua vel ipſi patraſſent, niſi ſpeciali Dei ope, & voluntate ipſorum cooperante, occaſiones vitaſſent, tentationibus reſtitiſſent, corpus caſtigaſſent &c. iique pariter, quos Deus ſuſtulit de hoc mundo, *ne malitia mutaret intellectum eorum*, ut traditur Sapien. 4. ver. 11. qui ſcilicet peccaturi prævidebantur, ſi in hoc mundo ſtetiſſent, rei habendi eſſent earum culparum, quas ſub conditione longioris vitæ, mutatis a malitia eorum intellectu & voluntate, patraturi cognoſcebantur: quod ſane dicendum non eſt. Ad hanc præcognitionem referri aliquo modo poſſunt importunæ quædam cogitationes, quibus non nulli Deum vere timentes quandoque turbantur, quum animadvertentes aliquas graves tentationes, quibus, ſi adeſſent, vincendis impares eſſe in præſentiarum ſibi videntur, atque ſe conſenſuros exiſtimant, metuunt, ne forte in hoc ipſo peccent. Sed ii, ſi ſola prævisione inviti afficiantur, a qua, ne in tentationem incidant, avocare & divertere animum debent; nihil eſt, quod de peccato timeant, dum hic & nunc peccatum illud nolint, eaque præparatione animi ſint, ut, licet ex ſe ac ex præſentibus fortaſſe viribus ſe caſuros facile prævideant; diffidentes quidem de ſemetipſis, at confidentes tamen in eo, qui *jubendo monet, & facere, quod poſſumus, & petere, quod non poſſumus, & adjuvat, ut poſſimus*, ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. eumdemque ſedulo obſecrantes, ſperent fore, ut (quod tradit pſal. 144.) ille daturus ſit *eſcam*, ideſt auxilium, *in tempore opportuno*, uti & Paullus orantibus pollicetur Hebr. 4. 16. hacque ſpe erecti, ſe naviter pugnaturos victurosque confidant, & dicant cum eodem Apoſtolo: *Omnia poſſum*, & potero *in eo, qui me confortat.*

Illa itaque ſola deſideria conditionata, quæ aliquam actualem conditionatam voluntatem rei hic & nunc abſolute illicitæ continent, peccata eſſe queunt; & de his ſtatuendum, num, & quando per conditionem additam peccata non ſint. Si conditio, ſub qua deſideratur aliquid hic & nunc abſolute illicitum, totam ſaltem gravem objecti malitiam undequaque auferat, & alias abſoluti conſenſus periculum, & proximi ſcandalum abſit; conditionatum actuale deſiderium mortale non eſt: tum enim ſeparata per conditionem ab objecto omni ſaltem gravi malitia, objectum non eſt amplius malum ſaltem graviter, ita ut, ſecluſis conſenſus mali periculo & ſcandalo, illud perinde conditionate deſiderare gravis culpa eſſe non poſſit. Ita in hoc conditionato deſiderio, *Vellem graſſatorem iſtum occidere, non ullo affectu malo, ſed puro amore juſtitiæ, ſi eſſem judex*, nihil mali eſt, quum judicis conditio omnem homicidii malitiam adimat. In hoc autem deſiderio conditionato, *Comedere vellem hodie carnes, ſi dies permiſſa eſſet, & non Sabbatum*, licet conditio non auferat omnem malitiam ex. gr. gulæ levis; quum tamen gravem ex ademta circumſtantia diei vetiti abſcindat, ad vitandum grave peccatum ſatis eſt, ſi ſcandalum, vel abſoluti conſenſus periculum non ſubſit.

Si vero conditio non auferat malitiam objecti, ſed totam, vel partem ejus gravem relinquat: vel ſi totam auferat, abſoluti tamen conſenſus periculum, aut ſcandalum injiciat; deſiderium quantumvis conditionatum erit peccatum grave. In primo enim caſu conditionatum deſiderium hic & nunc abſolute fertur in objectum graviter malum ſive ex toto, ſive in parte, quod per conditionem nequaquam purgatur: in ſecundo autem ſolum periculum abſoluti conſenſus, vel proximi ſcandalum grave, quod hæc deſideria afferunt, mortalem culpam inducit. Ita qui diceret, *Si non eſſet infernus, vellem peccare;* abſolutum affectum in peccatum uti malum, offenſa Dei nihili habita, palam admittit & includit in animo: quemadmodum & ille, qui diceret: *Si non eſſem religioſus, ſed laicus, hanc injuriam non ferrem, hoſtemque occiderem, vel ulciſcerer*, abſolutum affectum præſtat in homicidium, vel ultionem, eo caſu, quo eſſet laicus, quum tamen ea laicis quoque illicita ſint.

Defæcatum non nullis videri poteſt hoc conditionatum deſiderium, *Vellem fornicari, ſi non eſſet prohibitum a Deo, nec divina offenſa*. At obſervandum eſt, agi hoc loco de re intrinſece mala, a qua ſicut intrinſeca inhoneſtas ſeparari non poteſt, ita ſejungi nequit prohibitio Dei, nec ejus offenſio: unde conditio impoſſibilis eſt. Hinc vel deſiderium quantumvis conditionatum nullum actu eſſe debet, ita ut fornicationem intrinſece malam vere nulla conditione velit, qui prohibitioni divinæ ſe ſubjicit, divinamque offenſam omnino nolit: vel ſi ea ſub conditione velit fornicationem quantumvis intrinſece malam & rationi naturæque rationali contrariam; ſimul velit neceſſe eſt malum grave, quod Deus vetat; & ita divinam prohibitionem infringere, & Deum offendere velle convincitur. Qui nimirum fornicationem per ſe vellet licet intrinſece malam, ſi modo contra Deum non eſſet; actualem habet affectum in id, quod intrinſece malum eſt: quodque Deus idcirco prohibet, & exſecratur, quia eſt intrinſece malum. Is autem actus quamtumvis conditionatus, ſed ea conditione, quæ naturale intrinſecum malum non præſcindit, quum per ſe a rationali natura graviter inordinatus agnoſcatur, tum ab eo Deum graviter offendi patet, qui omnem intrinſecam rationalis naturæ deordinationem adverſatur. Hic caſus continet implicitam voluntatem peccandi peccato Philoſophico, ſi Theologicum ſimul non eſſet: quum tamen Deus peccatum Philoſophicum uti inordinatum graviter prohibeat ac indignetur. Quid ſi hæc voluntas conditionata affectum præterea contineat, quo quis nollet fornicationem intrinſece malam eſſe a Deo vetitam, ut eam patrare libere poſſet? Id ſane quum ſit actum rationi contrarium non curare, vel cupere, ut alius eſſet rationis ordo atque naturæ, aliaque divina lex atque voluntas; quam inordinatum ſit, quam grave, & offenſivum Dei, nemo non videt. Si vero omnis ejuſmodi affectus a conditione expungatur, ita ut nihil intrinſece malum deſiderio conditionato quis proſequatur; jam nullum vere erit deſiderium neque conditionatum rei intrinſece malæ niſi contradictoriis & fallacibus verbis expoſitum, quæ quum hanc in ſententiam exprimunt: *Vellem fornicationem, ſi non eſſet prohibita, nec intrinſece mala*, nihil aliud revera innuunt niſi hoc: *Vellem fornicationem, ſi non eſſet fornicatio, ſed aliud licitum*: quod illuſorium eſt.

Cererum hæc conditionata deſideria, quantumcumque purgata ſtatuantur, vana fere, inutilia, & non nihil inordinati affectus continentia, veniali culpa plerumque non carebunt: ſi modo ob ſcandalum, vel periculum dilabendi ſenſim in deſideria abſoluta (quod in rebus venereis facillimum eſt) gravem culpam non inducant. Qua ſane culpa gravi nequaquam vacant ea conditionata deſideria, quæ adjunctam habent delectationem appetitus ſenſitivi de objecto graviter malo etiam ſub conditione, qua licitum eſſet, uti eſt delectatio ex. gr. carnalis de copula cum femina, ſi eſſet uxor: hæc enim delectatio ſenſibilis fertur in objectum uti præſens eſt, nec conditionem, cujus apponendæ ſenſus & imaginatio eſt incapax, ullatenus reſpicit, nec proinde malitiam præſcindit ab objecto: ut omittam ejuſmodi delectationes venereas, præſertim inter abſentes, ad pollutionem probabilius pertinere, ut videbimus not. 3. in cap. 20. tit. 1. partis tertiæ pag. 85. Immo quævis delectatio, ſeu complacentia de objecto malo ut præſenti ita non nullis videtur mala, ut nulla conditione purgetur, quum delectatio & complacentia non ex conditione, quæ ad delectationem nihil operatur, ſed ex objecto delectabili pendeat, uti præſens apprehenditur; unde ſi hoc uti præſens eſt malum, ea quoque complacentia & delectatio etiam mere rationalis peccatum erit.

4 Si quis ex. gr. eleemoſynam cuipiam erogaret, ut eum alliceret ad peccandum; ipſa eleemoſyna ex fine malo, qui eidem cauſſam dedit, peccatum

eſſet

Decima regula: Exponere se periculo mortalis peccati, est peccatum mortale. Vel sic: Agere incertum, & dimittere certum, quod sit mortale non solum per conjecturas leves, aut ex suspicione trepida & scrupulosa proveniente ex nimio timore cadendi in via Dei, est mortale; sed intelligitur, dum tale est vehementer & probabiliter incertum æque sicut oppositum, vel magis: tunc enim illud, quod agit, non carebit mortali culpa; aliter non oportet, ut tactum est supra.

Undecima regula: Omnis agens contra conscientiam, ædificat ad gehennam, vel mortaliter, si conscientia sit fixa, quod id, quod agitur, sit mortale; vel venialiter solum, quantum est ex parte unius circumstantiæ, quæ est facere contra conscientiam, si conscientia judicet esse illud solum veniale.

5 Duodecima regula: Nullus est actus adeo mortalis, quin ipse vel sibi similis sit non mortalis, dum displicet, vel si non placet consensu perfecto & deliberato. Similiter nullum peccatum est adeo veniale, quin ipsum vel sibi simile fiat mortale, dum placet, hoc est dum consensus additur. Si tamen illud veniale erat actus mortalis ex genere suo, & ex hoc, quod non fiebat ex consensu libero & perfecto, venialis reddebatur.

Tertiadecima regula: Multa ex genere mortalia sunt, quorum similia possunt effici bona, dum trahuntur extra rationem suam; quemadmodum dolere deliberate de bono alterius est mortale delictum. Si vero hoc fiat [6] pro zelo justitiæ boni communis, cui contrarium est tale bonum, iste dolor virtus erit: pleraque & multa ex genere suo bona essent, quæ ex aliqua circumstantia perversa fiunt mala, & speciem mortalem imitantia.

Concilia quatenus obligent.

Quartadecima regula: Nihil est adeo consilium in lege Evangelica, quin in casu possit esse obligatorium. Et ita quilibet utens ratione tenetur secundum præparationem animi ad quodlibet consilium, si, & ubi necessitas immineret hoc agendi. Obligat igitur quodlibet consilium, ut non contemnatur, tamquam non sit salubrior servatio ejus, quam oppositi. Et tamen nullus ita consiliis servandis astringitur, quin ab eis aut possit aut debeat in casu eorum observatio quandoque prætermitti, ut de non habendo duas tunicas, & de præbendo pallio tunicam auferenti, & similibus.

Quintadecima regula est, quia ars non deliberat. Sicut aliquis ex virtute bene agit, & subito; sic ex perversa assuefactione vitiosus quasi repente præcipitatur. Et ita male habituatus in vitiis, ut injuriando, concupiscendo, odiendo, judicando, & similibus vere demeretur continue, sicut virtuosis continue merces accrescit, ut verum sit, quod dicitur Apocal. 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc, & justus justitiam faciat adhuc.*

De habitibus malis, vel bonis.

Pœnæ inutiles publico vel privato delendæ.

Sextadecima regula est de permissionibus peccatorum, & relaxatione pœnarum, videlicet, quod pœnæ sint restringendæ, sic quod absque utilitate reipublicæ, vel ejus, cui infliguntur, neque institui neque institutæ exsequi deberent, & peccant oppositum facientes, vel eas quum instituerint non delentes. In omni autem republica tolerari possunt & debent vitia, quæ absque deteriori periculo nec corrigi, neque exstirpari valerent. Quando autem illud est, & quando non, difficile est, & fere impossibile generaliter diffinire, nisi prout circumstantiis particularibus inspectis prælati superiores & sapientes determinabunt. Exemplum habes in meretricibus, & usuris, & similibus, quæ quandoque permittuntur ita, & de concubinariis pro loco, & tempore.

CAPUT II.

De nocumento peccati mortalis in præsenti vita.

Videndum est deinde de effectu & nocumento peccati mortalis, quod est multiplex: nam bonum naturæ corrumpit, maculam animæ inducit, reatum pœnæ includit; quæ omnia designantur in parabola descendentis a Hierusalem in Hierico spoliato & vulnerato, ut habetur Luc. 10. De multiplici etiam nocumento peccati habes supra tit. 7. cap. 3. Pro declaratione autem primi, idest quod peccatum bonum naturæ corrumpat seu diminuat, nota secundum Thomam 1. 2. quæst. 85. quod bonum naturæ humanæ potest dici tripliciter. Primo ipsa principia naturæ, ex quibus ipsa natura constituitur, & proprietates ex his causatæ; sicut potentiæ animæ & hujusmodi, & illud tale bonum naturæ neque tollitur neque diminuitur per peccatum. Secundo dicitur bonum naturæ humanæ, bonum originalis justitiæ, quod fuit in primo homine collatum toti humanæ naturæ; & istud totaliter est ablatum per peccatum primi parentis. Tertio modo dicitur bonum naturæ ipsa inclinatio ad virtutem ex eo, quod a natura homo habet inclinationem ad virtutem, & istud est illud bonum naturæ, quod dicitur diminui per peccatum: per actus enim humanos fit quædam inclinatio ad similes actus. Oportet autem, quod ex hoc, quod aliquid inclinatur ad unum contrariorum, inde diminuatur inclinatio ejus ad alia. Unde quum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso, quod homo peccat, diminuitur bonum naturæ, quod est inclinatio ad virtutem. Et quia talis inclinatio convenit homini ex hoc ipso, quod est rationalis (ex hoc enim habet quod secundum rationem operetur, quod est agere secundum virtutem: per peccatum autem non potest totaliter ab homine tolli, quin sit rationalis, quia non jam esset capax peccati) ideo non est possibile, quod prædictum bonum naturæ tollatur totaliter. Unde etiam in damnatis manet talis naturalis inclinatio ad virtutem, alioquin non esset in eis remorsus conscientiæ, sed quod non reducatur in actum contingit, quia deest gratia. Prædicta autem diminutio inclinationis ad virtutem dicitur vulneratio, quæ universaliter inducta est per peccatum primi parentis. Nam quum per ipsum sit ablata originalis justitia, omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, & ipsa destitutio * vulneratio animæ dicitur.

Peccatum mortale corrumpit bonum naturæ.

* S. Thom. habet, *vulneratio naturæ.*

Sunt

esset: & hoc est verum, non solum quum peccatum est causa principalis, sed etiam quum est causa aliquo modo, ita ut ob eam criminosam causam fiat, quod alia item de causa etiam principali fit: uti patet in eo, qui eleemosynam tradit feminæ principaliter quidem ob liberalitatem vel misericordiam, at simul etiam, ut eam aliquatenus ad peccatum sensim adducat. Hinc meram occasionem malam peccato non semper inficere opus de se bonum hæc regula optime statuit, uti si quis, nullo pravo fine, det eleemosynam pauperi ex occasione invento, qua ad peccandum perpetrandum pergebat &c.

5 Intellige de actu involuntario, v. g. exterioris pollutionis, cui voluntas nec causam, nec consensum ullo modo dederit.

6 Cavendum hoc loco est, ne de bono proximi quantumvis mali, & quo ad malum etiam abutitur, uti bonum est ejus, doleamus præ zelo justitiæ, quod nequaquam liceret ex observandis Prælect. VI. in parr. 2. §. 7. num. 2. pag. cxxxiii. ubi tristiæ hujusce modus quatenus licitus esse queat, ex S. Gregorio Magno satis indicatum invenies.

Quæ potentiæ animæ per peccatū vulnerantur.

Sunt autem quattuor potentiæ animæ ſecundum Thomam ubi ſupra art. 3. quæ poſſunt eſſe ſubjecta virtutum, ſcilicet ratio, in qua eſt prudentia; voluntas, in qua eſt juſtitia; iraſcibilis, in qua eſt fortitudo; concupiſcibilis, in qua eſt temperantia. In quantum ergo ratio deſtituitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus ignorantiæ: in quantum vero voluntas deſtituitur ſuo ordine ad bonum, eſt vulnus malitiæ: in quantum vero iraſcibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus infirmitatis: in quantum vero concupiſcibilis deſtituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, eſt vulnus concupiſcentiæ. Sic igitur iſta quattuor ſunt vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis. Sed quia inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum actuale; ideo etiam iſta quattuor, ſcilicet ignorantia, malitia, concupiſcentia, & infirmitas, ſunt vulnera ex aliis peccatis conſequentia, in quantum ſcilicet per peccatum actuale, & ratio hebetatur præcipue in agendis, & voluntas quamdam pronitatem habet ad malum, & difficultas bene agendi creſcit, & concupiſcentia magis exardeſcit.

Peccatum mortale inducit maculam animæ.

Secundo peccatum inducit maculam animæ, ut ad Epheſ. 5. dicitur: *Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam*, ideſt peccatum mortale. Quæ expoſitio haberi poteſt ex verbis Hieronymi, *De pœnit.* Diſt. 1. *Eccleſia*, ubi dicit: *Eccleſia Chriſti eſt non habens maculam, neque rugam, aut aliquid iſtiuſmodi. Qui ergo peccator eſt & aliqua ſorde maculatus, non poteſt de Eccleſia Chriſti appellari, nec Chriſto ſubjectus dici.* Hæc ille. Et loquitur de macula peccati mortalis, ut exponitur in gloſſa. Ruga autem refertur ad ſchiſma vel hæreſim.

Pro cujus declaratione eſt ſciendum ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 86. quod macula proprie dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdit ſuum nitorem ex contactu alterius corporis, ſicut veſtis, aurum, & argentum, vel aliquid aliud hujuſmodi. In rebus autem ſpiritualibus ad ſimilitudinem hujus oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem. Unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in ſuis actibus; alium vero ex refulguratione divini luminis, ſcilicet ſapientiæ & gratiæ, per quam homo perficitur ad bene & decenter agendum. Eſt autem quaſi quidam animæ tactus, quando inhæret rebus aliquibus per amorem contra lumen rationis & divinæ legis, ut ex ſupradictis patet. Unde ipſum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens animæ, macula metaphorice vocatur.

Item nota, quod anima non inquinatur ex rebus inferioribus virtute earum quaſi agentibus eis in animam; ſed magis e converſo, anima ſua actione ſe inquinat inordinate eis inhærendo contra lumen rationis & divinæ legis. Item nota, quod actio intellectus perficitur ſecundum quod res intelligibiles ſunt in intellectu, per modum ipſius intellectus; & ideo intellectus ex eis non inficitur, ſed magis perficitur. Sed actus voluntatis conſiſtit in motu ad ipſas res, ita quod amor conglutinat animam rei amatæ, & ex hoc anima maculatur, quando inordinate inhæret, ſecundum illud Oſææ 9. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.* Macula autem iſta peccati remanet in anima, etiam tranſeunte actu peccati. Cujus ratio eſt, quia macula (ſicut dictum eſt) importat quemdam defectum nitoris propter receſſum a lumine rationis, vel divinæ legis; & ideo quamdiu homo manet extra hujuſmodi lumen, manet in eo macula peccati: ſed poſtquam redit ad lumen divinum, & ad lumen rationis, quod fit per gratiam; tunc macula ceſſat. Licet autem ceſſet actus peccati, quo homo receſſit a lumine rationis vel legis divinæ; non tamen homo ſtatim ad illud redit, in quo fuerat, ſed requiritur aliquis motus voluntatis contrarius & diſtans, primo motui oppoſitus. Sicut ſi aliquis ſit diſtans alicui per aliquem motum, non ſtatim ceſſante motu fit propinquus, ſed oportet, quod appropinquet rediens per motum contrarium. Et iſta macula non eſt aliquid poſitive in anima, nec ſignat privationem ſolam, ſed ſignat privationem quamdam nitoris animæ in ordine ad cauſſam ſuam, quæ eſt peccatum; & ideo diverſa peccata diverſas maculas inducunt. Et eſt ſimile de umbra, quæ eſt privatio luminis ex objecto alicujus corporis, & ſecundum diverſitatem corporum objectorum diverſificantur umbræ.

Peccatum mortale inducit reatum pœnæ.

Tertius effectus peccati, qui tamen multiplex eſt, eſt reatus pœnæ. Reatus autem importat meritum pœnæ, ideſt quod homo ſit dignus pœna: hoc autem eſt malum, quamvis ipſum puniri non ſit malum. Facit autem peccatum hominem reum ſeu dignum multiplici pœna. Hujus ratio eſt, quia quidquid contra ordinem aliquem inſurgit, conſequens eſt, ut ab ipſo ordine, ſeu a principe ipſius ordinis deprimatur. Videmus enim in naturalibus, quod unum contrarium vehementius agit altero contrario ſuperveniente; propter quod aquæ calefactæ magis congelantur, ut dicitur in 2. Metheororum. Quum autem peccatum ſit actus inordinatus, manifeſtum eſt, quod quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit; & ideo ab ipſo ordine conſequens eſt, quod deprimatur, quæ quidem depreſſio pœna eſt. Unde ſecundum tres ordines, quibus ſubditur humana voluntas, triplici pœna poteſt homo puniri. Primo quidem ſubditur humana natura ordini propriæ rationis. Secundo ordini exterioris hominis gubernantis vel ſpiritualiter vel temporaliter, politice ſeu œconomice. Tertio ſubditur univerſali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dum ille, qui peccat, agit & contra rationem, & contra legem humanam, & contra legem divinam; unde triplicem pœnam incurrit. Unam quidem a ſeipſo, quæ eſt conſcientiæ remorſus, aliam vero ab homine, tertiam a Deo. De pœna propria dicit Apoſt. ad Rom. 2. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum*: & Hieronymus loquens de anima dicit: *Caveat, ne fiat meretrix civitas fidelis Syon, ne poſt trinitatis hoſpitium ſaltent in ea dæmones*, ſcilicet tentationes, *& ſyrenæ nidificent*, ideſt paſſiones inordinatæ concupiſcibiles, *& hericii*, ideſt motus iraſcibiles inordinati vel punctiones conſcientiæ, & habetur 32. quæſt. 5. *Si Paullus*. De pœna ab homine dicit Auguſtinus in lib. de civit. Dei: *Pertinet ad innocentis officium non ſolum alteri malum* ſeu injuriam, *non inferre, ſed etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum*, 23. quæſt. 5. *Non eſt innocentiæ*. De pœna, quam infligit Deus, dicit Hieronymus: *Non hominibus, ſed vitiis iraſcitur Deus, quæ quum in homine non fuerint, nequaquam punit, quod mutatum eſt, De pœnit.* Diſt. 1. *Quamobrem*. Sed in vita iſta aliquando Deus punit peccatores, ut oſtendat ſe habere providentiam hominum, & mala eis diſplicere. Aliquando non punit, ſed exſpectat, ut oſtendat clementiam ſuam. Gratianus 22. quæſt. 4. *Guiliſarius*, §. *Sed & hic*, ante finem.

Triplex eſt pœna peccantis.

Macula peccati remanet tranſeunte actu, anima tranſeunte peccato.

CA-

CAPUT III.

Quomodo puniuntur damnati in alia vita, & de pœnis damnatorum, & de cogitatione eorum.

A Deo punitur peccator propter mortale, non ſolum in vita præſenti, ſed etiam in alia vita. Et pœna quidem temporali, ſi ipſum pœnituit ante mortem, ita quod in gratia deceſſit, ſi hic non plene ſatisfecit: tunc enim quod reſiduum eſt debitæ ſatisfactionis, ſolvit in purgatorio. Unde Auguſtinus dicit: *Purgandus eſt igne purgationis, qui in aliud ſæculum diſtulit fructum converſionis*, *De pœnit.* Diſt. 7. can. ult. Et de pœna purgatorii habes infra tit. 10. cap. 2. Sed ſi moritur impœnitens, punitur a Deo pœna æterna; unde Matth. 25. dicitur: *Ibunt hi in ſupplicium æternum*; & Auguſtinus, *De pœniten.* Diſt. 7. can. ult. circa finem: *Qui impœnitens moritur, omnino moritur, & æternaliter cruciatur.* Ratio autem, quare pœna hæc ſit æterna, quum culpa fuerit temporalis, eſt ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 87. quia pœna peccato proportionatur ſecundum acerbitatem tam in judicio divino, quam humano: ſed ſicut Auguſtinus dicit 21. de civit. Dei, cap. 2. in nullo judicio requiritur, ut pœna adæquetur culpæ ſecundum durationem. Non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur; ſed quandoque quidem perpetuo carcere vel exilio: quandoque etiam morte, in qua non conſideratur occiſionis mora, ſed potius, quod in perpetuum auferatur a ſocietate viventium; & ſic repræſentat ſuo modo æternitatem pœnæ inflictæ divinitus. Eſt autem hæc pœna aliquo modo finita, & aliquo modo infinita: pœna enim proportionatur peccato. In peccato autem duo ſunt, quorum unum eſt averſio ab incommutabili bono, quod eſt infinitum; unde ex hac parte peccatum eſt infinitum. Aliud, quod eſt in peccato, eſt inordinata converſio ad commutabile bonum, & ex hac parte peccatum eſt finitum, tum quia ipſum bonum commutabile eſt finitum, tum quia converſio eſt finita: non enim poſſunt eſſe actus creaturæ infiniti. Ex parte igitur averſionis reſpondet peccato pœna damni, quæ eſt infinita; eſt enim amiſſio infiniti boni ſecundum Damaſcenum. Ex parte autem inordinatæ converſionis, reſpondet ei pœna ſenſus, quæ etiam eſt finita. De hac materia habes ſupra, tit. 5. cap. 3. §. 2. ubi ponuntur ſex rationes, quare pœna inferni eſt æterna.

Pœna damnatorum quare eſt æterna.

§. I. Eſt ergo prima & principalis pœna damnatorum privatio divinæ viſionis in perpetuum, juxta illud Iſaiæ 26. * *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Hæc autem viſio, ut refert Auguſtinus de civit. Dei, tantæ pulchritudinis eſt, tantoque amore digniſſima, ut quibuslibet & quantislibet bonis prædictum ſine hac Plotinus exiſtimet infeliciſſimum. Hanc privationem viſionis eſſe majorem, quam pœna ignis, oſtendit Chryſoſtomus ſuper Matth. ſic dicens: Intolerabilis eſt gehenna, ideſt ignis inferni; verum mille gehennas proponat quis, nil tale dicit, quale eſt excidi ab ipſa gloria, & odio haberi a Chriſto. Et hoc intelligendum eſt ſecundum Petrum in 4. de carentia tali hujus viſionis, quæ eſt cum ſenſu doloris, prout eſt in adultis, & non prout eſt in parvulis de lymbo. Rationem gravitatis hujus pœnæ declarat Thomas in 4. Diſtinction. 21. Quantum enim aliquid magis deſideratur, tanto ejus abſentia eſt moleſtior. Et quia affectus deſiderans

* Ex LXX.

Prima pœna damnatorum.

A ſummum bonum poſt hanc vitam eſt valde intenſus; nam intellectus intelligit in generali magnitudinem maximam boni, nec affectus retardatur mole corporis, quum jam terminus advenerit fruendi ipſo ſummo bono, quo tamen videt ſe privari & in perpetuum; hinc ſumme dolet.

Secunda pœna damnatorum.

Secunda pœna damnatorum, quæ etiam excedit incomparabiliter omnem pœnam vitæ præſentis, eſt pœna ignis, de quo Chriſtus Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum:* & Auguſtinus, enumeratis multis peccatis mortalibus, ſic concludit: *Quiſquis aliquod horum*, ſcilicet peccatorum in ſe *dominari cognoverit, niſi ſe emendaverit.... ...æterna illum flamma cruciabit*, Diſt. 25. §. *Alias ea*. Ignis autem iſte ſecundum Thomam in 4. Diſt. B 44. non debet intelligi metaphorice dictus, nec ignis imaginarius, ſed verus corporeus, a quo anima patitur, non eoipſo, quod videt, ut quidam dixerunt, nec ſolum ex eo, quod anima apprehendit ipſum ut nocivum ſibi, ſed ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ. Quod quomodo contingat, ſic declarat idem Thomas: Corpus in ſpiritum naturaliter agere non poteſt, nec aliquo modo obeſſe, vel ipſum gravare, niſi ſecundum quod aliquo modo corpori unitur. Sic enim invenimus ſcriptum: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, Sap. 9. Spiritus autem unitur corpori dupliciter. Uno modo, ut forma materiæ, ut ex eis fiat unum ſimpliciter; & ſic ſpiritus unitur corpori, & vivificat corpus, & a corpore aliqualiter aggravatur. Spiritus autem hominis vel dæmonis ſic igni corporeo non C unitur. Alio modo, ſicut movens mobili, vel ſicut locatum loco, eo modo, quo incorporalia ſunt in loco. Et ſecundum hoc ſpiritus incorporei creati loco diffiniuntur, ita in uno loco exiſtentes, quod non in alio. Quamvis autem res corporea ex ſua natura habeat, quod ſpiritum incorporeum loco diffiniat, non tamen habet ex ſua natura, quod ſpiritum incorporeum loco diffinitum detineat, ut ita alligetur illi loco, quod ad alia divertere non poſſit, quum ſpiritus non ita ſit in illo loco naturaliter, quod loco ſubdatur; ſed hoc ſuperadditur igni corporeo, in quantum eſt inſtrumentum divinæ juſtitiæ judicantis, quod detinet ſpiritum, & ita efficitur ei pœna vel retardans eum ab exD ſecutione propriæ voluntatis, ne ſcilicet poſſit operari, ubi vult, & ſecundum quod vult. Et hunc modum ponit Gregorius in 4. Dial. Exponens enim quomodo eſt, quod anima incendium experiendo patiatur, ſic dicit: Dum veritas peccatorem divitem damnatum in igne perhibet, quiſnam ſapiens reproborum animas teneri ignibus neget? Et hoc etiam Julianus dixit, ut in littera Magiſter dicit: Si viventis hominis incorporeus ſpiritus tenetur corpore, cur non etiam poſt mortem corporeo igne teneatur? Auguſtinus etiam 21. de civit. Dei dicit, quod ſicut anima in hominis conditione jungitur corpori ut dans ei vitam, quamvis illud ſit ſpirituale, hoc corporale, & ex illa conjunctione vehementem concipit amoE rem ad corpus; ſic ligatur igni ut accipiens ab eo pœnam, & ex illa conjunctione concipit horrorem. Oportet ergo omnes prædictos modos in unum colligere, ut ſic perfecte videatur, quomodo anima ab igne corporeo patiatur, ut ſcilicet dicamus, quod ignis ſecundum naturam ſuam habet, quod ſpiritus incorporeus ei conjungi poſſit, ut loco locatum. Sed in quantum eſt inſtrumentum divinæ juſtitiæ habet, ut ipſum ſpiritum quodammodo retineat alligatum. Et in hoc veraciter eſt ignis ille ſpiritui noxius; & ſic anima ignem ut noxium ſibi videns ab igne cruciatur; unde Gregorius in 4. Dialog. iſta omnia per ordinem tangit, ut ex præmiſſis auctoritatibus ejus patet. Idem Thomas in quodlibeto dicit: Videmus ſpiritum corpori alliga-

Quomodo ignis agat in ſpiritu.

alligari quandoque naturaliter, ut anima corpori, quandoque quadam ſuperiori virtute, ſicut per virtutem ſuperiorum dæmonum, inferiores dæmones alligantur arte nicromantiæ imaginibus, vel anulis, vel hujuſmodi rebus; multo magis virtute divina dæmones vel anima alligari poſſunt igni corporeo, ut ab eo aſſumant pœnam. Petrus autem in 4. Diſt. 21. ſic dicit: Ignis iſte corporeus agit in animam, ſui ſimilitudinem imprimendo, qua apprehenſa anima affligitur veriſſime multo magis, quam affligebatur in corpore ex ignis agentis in corpus apprehenſione. Ille autem ignis corporeus dupliciter poteſt conſiderari. Aut prout eſt inſtrumentum naturæ; & ſic agere poteſt in corpus non in animam: aut prout eſt in inſtrumentum divinæ juſtitiæ; & ſic agit in animam imprimendo illi ſpeciem ſuam, velit, nolit. Et inde eſt, quod anima affligitur, quia violenter illa ſpecie informatur, & per illam a ſuis operationibus impeditur, & retardatur, Hæc ibi. Et Richardus in 4. ponens iſtam paſſionem animæ ab igne, utrumque tangit, ſcilicet quod patiatur ex hoc, quod illi igni alligatur, & ſpecies ipſius ignis violenter in ipſa imprimatur, per quam paſſionem ab aliis operationibus impediatur. Et idem modus eſt in punitione dæmonum in ipſo igne, qui etiam quocumque vadant, vel quum apud nos morantur, dicuntur ſecum ignem portare, quia iſta ſpecie ſeu ſimilitudine ignis ſemper intellectus eorum informatur, qua cognoſcunt ſe illo igne alligatos. Unde maxime affliguntur, ſicut & captivus, qui ad horam exiret carcerem ſciens ſe omnino illuc reverſurum, & in perpetuum deputatum, nihilominus triſtis remaneret. In ultima vero reſurrectione reaſſument & ipſi damnati corpora ſua propria, virtute divina reſuſcitata, ut ſicut corpore & anima Deum offenderunt; ita in utroque patiantur. Et quia *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, ut dicitur in lib. Sap. 11. quum ipſi damnati per ſenſibilia peccaverint, inordinate amando; ideo congruenter ab igne ſenſibili in utroque patiuntur, quum etiam ipſe amor inordinatus ignis metaphorice dicatur. Unde Adamantius dicit: *Ignis alienus libido eſt, ignis avaritia eſt*, &c. *De pœnit.* Diſt. 3. *Inter hæc* 1. Erunt autem ipſa corpora incorruptibilia ſimpliciter, ſcilicet ſecundum ſubſtantiam; ſed corruptibilia ſecundum quid, ſcilicet corruptione accidentali, vel paſſione alterationis materialis vel immaterialis, per quam corrumpetur omnis quies & delectatio corporalis in eis; cauſſa autem incorruptibilitatis eorum ſecundum ſubſtantiam prima & principalis eſt ordo divinæ juſtitiæ, quæ utitur igne infernali ad corruptionem accidentalem, ideſt transmutationem ſecundum qualitates immateriales: & paſſio erit in recipiendo, non in abjiciendo, ſicut oculus patitur a ſimilitudine recepta in eo. Secunda cauſſa, & quaſi inſtrumentalis eſt ordo naturæ, quia deficit actio prima cauſſæ naturalis, ideſt motus rei, qui tunc non erit. Exempla ponunt doctores de Salamandra, quæ vivit in igne, & quibuſdam vermibus, qui non niſi in aqua bullienti. Auguſtinus etiam plura ponit de civit. Dei lib. 21.

Corpora damnatorũ qualia futura.

De aliis pœnis damnatorum.

§. II. Erunt damnatis & aliæ pœnæ ultra prædictas, ut illæ, quæ inferentur eis a dæmonibus. Dicit enim Gregorius de ipſis: Quos habuerunt incentores in culpa, habebunt tortores in pœna. Sunt etiam ibi in maximis tenebris, juxta illud Matth. 22. *Ligatis manibus & pedibus projicite eum in tenebras exteriores*. Et ad hoc ſatisfacit, ut dicit Thomas in 4. naturalis ſitus loci, quia in terræ medio, ubi inferna ponuntur, non poteſt etiam ille ignis eſſe niſi fætulentus & turbidus & quaſi fumoſus. Quidam tamen tenebrarum harum cauſſam aſſignant conprehenſionem & maſſam corporum damnatorum, quæ propter multitudinem ita replebunt locum inferni, quod nihil ibi de aere remanebit; & ſic non erit ibi aliquid de diaphano, quod poſſit eſſe objectum lucis & tenebræ, niſi oculi damnatorum, qui erunt obtenebrati. Tamen quamvis ille locus ſit tenebroſus, ex divina diſpoſitione eſt ibi aliquid luminis, quantum ſufficit ad videndum illa, quæ animam torquere poſſunt.

Eſt etiam in eis fletus juxta illud Matth. 8. *Ibi erit fletus*. Non quidem reſolutio lacrymarum; ſed dolor interior & commotio & conturbatio capitis & oculorum, ſecundum Thomam in 4. quia ceſſante motu cæli, ceſſabit & omnis reſolutio corporalis. Dicit etiam idem in 4. Diſt. ult. quod ſecundum Baſilium in ultima mundi purgatione fiet quædam ſeparatio in elementis, ut quidquid eſt purum & nobile, remaneat ſuperius ad gloriam beatorum: quidquid autem eſt ignobile & fætulentum, in infernum projiciatur ad pœnam damnatorum; ut ſicut omnis creatura Dei eſt beatis materia gaudii, ita damnatis ex omnibus creaturis tormentum accreſcat, ſecundum illud Sap. 5. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos*. Hoc etiam divinæ juſtitiæ competit, ut ſicut ab uno recedentes per peccatum in rebus materialibus, quæ ſunt multa & varia, finem ſuum conſtituerunt, ita etiam multipliciter affligantur, & ex multis.

Item ſcientia acquiſita in damnatis in vita iſta non erit eis ad refrigerium, ſed ad augmentum pœnæ, & etiam ſcientia indita. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas in 4. quod ſicut propter perfectam ſanctorum beatitudinem nihil erit eis, quod non ſit gaudii materia; ita nihil erit in damnatis, quod non ſit eis materia & cauſſa triſtitiæ: nec aliquid, quod ad triſtitiam pertinere poſſit, deerit, ut ſit eorum miſeria conſummata. Conſideratio vero aliquorum notorum quantum ad aliquid inducit gaudium, vel ex parte cognoſcibilium, in quantum diliguntur, vel ex parte ipſius cognitionis, in quantum eſt conveniens & perfecta. Poteſt etiam triſtitiæ eſſe ratio & ex parte cognoſcibilium, quæ nata ſunt contriſtari, & ex parte ipſius cognitionis, prout ejus imperfectio conſideratur, utpote quum alius conſiderat ſe deficere in cognitione alicujus rei, cujus perfectionem appeteret. Sic ergo in damnatis erit actualis conſideratio eorum, quæ prius ſciverunt ut materia triſtitiæ, non autem ut delectationis cauſſa. Conſiderabunt enim & mala, quæ geſſerunt, ex quibus damnati ſunt, & bona dilecta, quæ amiſerunt, & ex utroque torquebuntur. Similiter etiam torquebuntur de hoc, quod conſiderabunt notitiam, quam de rebus ſpeculabilibus habuerunt, imperfectam eſſe, & amiſiſſe ſummam ejus perfectionem, quam potuerunt adipiſci. Item ſecundum quoſdam augeri poteſt pœna eorum accidentalis aliquo modo. Pro cujus declaratione dicit Petrus in 4. quod loqui poſſumus de ſtatu reproborum poſt judicium & ante. Nam poſt judicium erit completus terminus & conſummatio omnium bonorum & malorum, unde non erit augmentum, quoad meritum vel præmium, ſive eſſentiale, ſive accidentale; ante judicium vero non eſt perfecta conſummatio bonorum & malorum. Unde dubium eſſe poteſt utrum reprobi adhuc demereantur: videtur enim quibuſdam, quod demereantur ſupplicium accidentale non eſſentiale. Aliis videtur, quod neutrum: jam enim acceperunt diffinitivam ſententiam, & ſunt in termino viæ. Non ſimiliter autem eſt in dæmonibus, qui habent officium exercendi homines, propter quod non ſunt deducti ad terminum viæ; & ſic in eis augetur pœna acci-

Scientia damnatorũ erit eis pœnoſa.

Pœna damnatorum accidentalis augetur.

dentalis usque ad judicium, erit & in eis vermis juxta illud Judith ult. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum*. Et quamvis Augustinus 21. de civ. Dei, dimittat sub dubio, si in inferno erunt vermes materiales, vel non; dicit tamen Richardus in 4. Dist. ult. quod communiter tenetur, quod non, quia vegetabilia & bruta non remanebunt. Ergo vermis intelligitur in Scriptura sacra remorsus conscientiæ, quo etsi principaliter & immediate affligitur anima, eo tamen ex consequenti & per quamdam redundantiam affligitur caro. Unde caro damnatorum affligetur ab exteriori & interiori. Et probat idem Richardus, quod ista pœna vermis, idest remorsus conscientiæ, erit major pœna, quam ignis. Nam anima non est apta pati ab igne ex propria virtute immediate; sed in quantum instrumentum divinæ justitiæ. Patitur autem ex prædicto verme remorsus immediate & per se. Est etiam præsentior animæ vermis, quam ignis, & conjunctio fortior.

Quomodo damnati sciant quæ apud nos aguntur.

§. III. Si autem quæratur utrum damnati sciant, quæ circa nos aguntur in mundo; circa hoc dicit Petrus in 4. quod duplex est modus cognoscendi, per se, vel per alterum. Modus cognoscendi per se duplex est. Unus est, quo cognoscuntur præsentia & manifesta, scilicet per scientiam: alter, quo cognoscuntur absentia & occulta, scilicet per conjecturas. Per alterum dupliciter, aut per infusionem superioris, aut per revelationem paris sive inferioris. Primo modo reprobi non cognoscunt mundana, quia cognitio talis fit per acceptionem a rebus: hujusmodi vero acceptio non potest fieri in quantacumque distantia. Secundo cognoscunt conjecturando statum viventium præsentem ex statu præterito, in quo eos viderunt. Tertio cognoscere possunt, si Deus vellet eis revelare. Quarto etiam modo cognoscunt per revelationem dæmonum vel animarum quotidie ad eos descendentium. Unde Augustinus 13. quæst. 2. *Fatendum*, dicit: *Fatendum est quidem nescire mortuos, quid hic agatur, sed dum hic agitur: postea vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, quæ sinuntur etiam isti meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicantur, oportet audire. Possunt etiam ab Angelis, qui rebus, quæ hic aguntur, præsto sunt, audire aliquid mortui.*

Quomodo damnati vident gloriam beatorum.

Vident etiam ipsi damnati gloriam beatorum secundum Richardum in 4. usque ad diem judicii, non tamen proprie nec speciali modo, quia visio proprie est cognitio sincera & clara. Sic enim non posset videri gloria beatorum, quin videantur beati, & ipse Deus eos beatificans. In generali tamen, & partim in speciali cognoscunt gloriam beatorum quasi argumentando. Nullum enim vident damnatum, qui tenuerit fidem & bonos mores, unde cogitur intellectus eorum assentire, quod vera est sacra Scriptura, & ex consequenti quod beati habent bona, quæ eis in sacra Scriptura promittuntur. Et hoc cognoscunt non tantum in generali, sed partim etiam in speciali, quamvis non in ratione pure specialissima, quod sint tanta, quod lingua hominis ea non possit enarrare. Et de hujusmodi cognitione tristantur damnati propter invidiam felicitatis alienæ & carentiam beatitudinis propriæ. Sed post judicium damnati hanc cognitionem non habebunt, eo quod ad proprias pœnas, quasi totaliter eorum consideratio flectetur, nisi forte hoc sciant in esse generalissimo. Et ad hoc inducit auctoritatem Gregorii in homil.

§. IV. Item si quæratur, utrum animæ defunctorum possint ad nos venire, dicit Augustinus 13. quæst. 2. *Fatendum*, quod *multi ad vivos aliquos ex mortuis venire credunt, sicut econverso Paullum ex vivis in paradisum raptum esse, Scriptura divina testatur*. Hæc ille: Quum autem venerint ad nos, ad hoc ut sentiantur, oportet quod assumant aliquod corpus, puta phantasticum seu de aere formatum: unde dicit Richardus in 4. quod anima separata potest per virtutem suam naturalem movere aliquod corpus de loco ad locum, nisi prohibeatur a superiori virtute. In anima enim separata est virtus motiva secundum locum, & virtuosior est separata quam corpori unita: & quum corpori corruptibili unitur, hoc potest, quod tamen aggravat animam; multo fortius hoc potest, quum separata est ab eo. Unde Gregorius in 4. Dialog. narrat, Germanum episcopum Capuanum inveniisse Paschasium defunctum & obsequentem in balneis. Quum ergo anima illa non esset illius corporis forma, & tamen ipsum movebat; patet quod aliquando anima separata movet aliquod corpus secundum locum. Nec est dicendum, ut aliqui dicunt, quod esset Angelus bonus vel malus in specie Paschasii, quia hoc faciendo ille Paschasius faciebat pœnitentiam suam, nec tamen fuit idem corpus, cujus anima Paschasii erat forma. Anima enim separata prohibetur divina virtute movere illud corpus, cujus fuit forma, & quodcumque aliud corpus, quod potest animari anima rationali, & etiam corpora brutorum, ne esset hominibus occasio ruendi in vilem & horrendum errorem opinantium * intellectum posse transire de corpore in corpus, ita quod successive sit proprius motor corporum diversorum, & quamlibet animam quodlibet corpus ingredi posse, ut Pythagoricæ fabulæ dicunt.

Utrum animæ defunctorum ad nos possint venire.

* al. *intellectivum.*

Item nota secundum Thomam in 4. quod animæ separatæ, si sunt beatæ, in libertate sua est venire in mundo & apparere, ubique tamen videntes gloriam Dei, sicut Angeli sancti. Sed si sunt damnatæ, non est in potestate earum exire de inferno; sed ex speciali Dei dispensatione & permissu, circumferentes secum infernum, quocumque pergunt, & hoc usque ad diem judicii; nam postea nec damnatæ animæ nec dæmones inde poterunt exire. Sed nec credendum est, ita sæpe apparere beatos vel damnatos, sicut dicitur. Nam aliquando Angeli sancti apparent in persona beatorum, & diabolus in specie damnatorum ad decipiendum. Sciendum ulterius, quod animæ damnatorum ad infernum finaliter deputatæ, quod est in omnibus secundum legem communem, de pœnis inferni liberari non possunt, quia *in inferno nulla est redemtio*, ut dicit Job. Et Hieronymus dicit: *Scimus ..., quum ante tribunal Christi venerimus, nec Job, nec Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam; sed unumquemque portare onus suum*, 13. quæst. 2. *In præsenti*, quod dicit Gratianus in §. seq. esse intelligendum *de impœnitentibus, de quibus Propheta dicit*, Psal. 48. *Non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemtionis animæ suæ; & ideo frater non redimet eum, sed laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem*. Contrarium credere est hæresis Origenis, qui dicit eos damnatos liberandos, ut refert Augustinus 21. de civit. Dei.

In inferno nulla est redemtio.

Nec obstat [1] de Trajano, qui ut dicit Damasce-

1 Apocryphum, & suppositititium S. Joann. Damasceni opus S. Thomam, & Antoninum movit, ut defendentes catholicum dogma, diluendam aliquo modo crederent objectionem ex hac narratione, quæ ob Damasceni auctoritatem haud neganda penitus videbatur. Sed nunc, quum & constet Damasceno perperam attributum opusculum, in quo ea narratio continetur, & hæc omnino fabulosa jam demonstrata sit ab eruditis; ejusmodi objectio negando factum facilius expeditur. Vide Baronium ad ann. 604. Bellarminum lib. 2. de purgat. cap. 8. Natalem Alexandrum differt. 2. in Sæc. 2.

scenus eductus fuit de inferno orationibus Gregorii. Nam secundum Thomam æstimari potest, quod anima ista non esset ad infernum finaliter deputata. Quamvis enim secundum præsentem justitiam per propria demerita esset in inferno; tamen secundum causas superiores, quibus prævidebatur ad vitam revocandus, Deus aliter erat facturus ultra legem communem per speciale privilegium concessum illi, & sic revocatus ad vitam creditur per gratiam conversus.... * obtinuit.

* Forte *salutem obtinuisse. Nulla eis prosunt suffragia.*

Sed nec aliquo modo possunt juvari per nos ipsæ animæ damnatæ quocumque suffragio ad diminutionem eorum pœnæ vel intermissionem vel ipsorum confortationem, ut declarat Thomas in 4. Et quod dicit Augustinus 13. quæst. 2. *Tempus*, scilicet quod quibus prosunt suffragia, *aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio*. Dicunt Thomas, Petrus, Richardus, quod damnatio non sumitur ibi pro pœna infernali, sed pro pœna purgatorii; ad quam etiam potest dici damnari, qui illuc accedit. Et quod dicitur in glossa ibi, quod eleemosyna facta pro eo, qui decessit in mortali, qui est mediocriter malus, valet ad mitiorem pœnam, & per quodlibet suffragium diminuitur de pœna non in tanta, quanta dimissa est per præcedens simile suffragium, sed in tanta proportione, ita quod semper aliquid remaneat de pœna. Falsa est illa glossa quoad duo. Primo quidem, quia mediocriter malus non dicitur ille, qui moritur in peccato mortali, sed bonus, qui moritur in statu gratiæ, qui tamen deficit a perfectione justitiæ; & propterea etiam dicitur mediocriter bonus. Sed mediocriter malus dicitur idem ipse ab Augustino, quia deficit a completa ratione malitiæ, quum non habeat mortale secundum Petrum in 4. Secundum est, quod diminuatur aliquid de pœna damnatis per suffragium. Nam si hoc verum esset, sequeretur, quod tot possent fieri, quod omnino liberaretur, quod est falsum secundum Thomam in 4. In vita autem præsenti remittitur quodcumque mortale, dummodo vere pœniteat. Hæc est enim differentia secundum Thomam in 4. inter spiritum carni unitum & separatum, quia spiritus carni unitus est susceptibilis pœnitentiæ, non autem spiritus separatus. Unde Damascenus: Hoc est homini mors, quod Angelo casus. Hinc per prophetam Ezech. cap. 18. Dominus ait: *In quacumque hora conversus fuerit peccator, & ingemuerit, omnium peccatorum ejus non recordabor.* Et Chrysostomus in libro de reparatione lapsi dicit: *Talis, mihi crede, talis est erga homines Dei pietas, ut numquam respuat hominis pœnitentiam, si ei pure, & sincere, & simpliciter offeratur. Etiamsi ad summum quis perveniat malorum, & inde reverti velit ad virtutis viam, suscipit, & libenter amplectitur, & omnia facit, quatenus ad priorem revocet statum.* Hæc ipse, *De pœnit.* Dist. 3. *Talis*. Ut ergo evadat pœnas æternas, oportet hic peccatorem pœnitere. Unde Hieronymus: *O peccator, satisfacito Deo in confessione pœnitentiæ; non exspectes, ut humiliet te Chusarsatore, idest diabolus, & ab invito necessitas extorqueat pœnitentiam; sed ipse præveni tortoris istius duritiam, quia si te ipse correxeris, si te emendaveris, pius est Deus, ut remittat, De pœnit.* Dist. 1. *Vide*. Sine pœnitentia autem mortale remitti non potest, idest contritione. Dicit enim regula juris: *Peccati venia non datur nisi correcto*, extra *De reg. jur.* lib. 6. Et Augustinus: *Neminem putes ab errore ad veritatem, & a quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse pervenire, De pœnit.* Dist. 1. can. *Neminem*. *Ita impartitur* * *Deo largitas misericordiæ, ut non dimittatur severitas disciplinæ, De pœnit.* Dist. 1. *Nullus*. De modo autem pœnitendi habes in 2. & 3. parte. Quanto autem peccator magis exspectatur ad pœnitentiam, & non revertitur, tanto durius punitur. Unde Valerius: Lento quidem gradu divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Et Hieronymus: *Moderatio Dei & pietas solum nostrum reditum quærit, ac nos cupit longa sua benignitate salvare. Sed si non convertimur, si duri corde sumus, si usque in finem in peccatis perseveramus, assidue peccantium non miseretur Deus*, Dist. 93. *Diaconi sunt*. Et quia omnia mortalia habent connexionem ad invicem ex parte aversionis, unde principaliter est gravitas peccati, quia omnia avertunt a Deo secundum Thomam in 4. ideo non potest quis pœnitere de uno sive altero. Anima enim quum sit simplex, non potest ex parte averti, & ex parte converti; per quodlibet autem mortale anima avertitur a Deo. Unde Innocentius Papa 2. *Falsam pœnitentiam esse constat, quum, spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur, aut quum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio, De pœnit.* Dist. 5. *Fratres nostros*. Quum autem pœnitet quis vere de omnibus mortalibus remittuntur ei peccata quantum ad maculam, quia scilicet sibi restituitur gratia, & quantum ad debitum pœnæ æternæ; remanet tamen obligatus ad pœnam temporalem communiter. Peccatum enim mortale secundum Petrum in 4. tollit, quod est contra æqualitatem justitiæ, dum ultra debitum usus est propria voluntate subtrahendo debitum obsequium. Restituta ergo amicitia, quia se humiliavit, & petiit veniam, communiter remanet obligatus ad solvendum debitum pœnæ temporalis, ad recompensandum injuriam, & satisfaciendum justitiæ læsæ; quod solvit postea per opera satisfactoria. Posset tamen secundum doctores esse contritio tanta, quod sufficeret ad delendum omnem pœnam & culpam. Exemplum in latrone, *De pœnitent.* Dist. 1. *Importuna*. Et exemplum de illo, qui abstulit proximo decem: huic quum fecerit contra amicitiam, & contra justitiam, si veniam petit humiliatus, dicit læsus: Injuriam tibi remitto, sed volo, quod restituas meum: & si non potes modo, in futurum paullatim facies. Posset tamen ita, & taliter humiliari, & ille læsus esse ita dives & liberalis, quod etiam debitum dimitteret, & non solum injuriam. Sic accidit de offendente Deum. Et quod post remissionem culpæ remaneat quis obligatus pœnæ temporali, habes exemplum in David, cui postquam dictum fuit vere pœnitenti: *Dominus transtulit peccatum tuum*; tamen propter ipsum sustinuit magnam tribulationem & persecutionem filii; quod notat Gregorius *De pœnit.* Dist. 1. *Si peccatum*, ubi dicit, quod *delictum Deus sine ultione non patitur. Aut enim hamo punit per seipsum, aut Deus cum homine*, scilicet vel per tribulationes, vel postea in purgatorio. Quod enim non facit ad plenam satisfactionem debitam pro peccatis mortalibus, in purgatorio solvet, vel etiam pro venialibus. Et de his modo dicendum, scilicet de venialibus.

De pœna temporali luenda post remissionem culpæ.

TITULUS DECIMUS
DE PECCATO VENIALI.

CAPUT I.

Quid dicatur peccatum veniale, & de nocumentis ejus.

Veniale dicitur aliquod peccatum tripliciter.

VEniale dicitur *a venia*. Poteſt ergo dici aliquod peccatum veniale tripliciter ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 88. Uno modo, quia eſt veniam conſecutum; & ſic mortale poſt pœnitentiam dicitur veniale. Unde Auguſtinus dicit: *Fit veniale per confeſſionem, quod erat criminale in operatione, De pœnit.* Diſt. 1. *Quem pœnitet*; & hoc dicitur veniale ex eventu. Alio modo dicitur veniale, quod habet in ſe, unde veniam conſequatur, vel totaliter, vel in parte. In parte quidem, ſicut quum habet aliquid diminuens culpam, ut quum ſit ex infirmitate vel ignorantia; & hoc dicitur veniale ex cauſſa, quamvis ſit mortale. Unde Cyprianus, Diſt. 8. *Conſuetudo*: *Qui poſt veritatem manifeſtam perſeverat prudens, & ſciens*, ſcilicet in errore de aliqua materia, *ſine venia ignorantiæ peccat: præſumtione enim atque obſtinatione quadam nititur, quum a ratione ſuperetur.* [1] Tertio modo dicitur veniale, quia non habet in ſe, unde non conſequatur veniam ex toto, ſed faciliter dimittitur, quia ſcilicet non tollit ordinem ad ultimum finem; unde non meretur pœnam æternam; ſed temporalem. Et de his intelligitur illud Bedæ: *Peccata, quæ ex ignorantia vel infirmitate humana committuntur, dicit, & præcipit alterutrum confiteri*, ſcilicet Jacobi 5. *Quia facile remittuntur*, Diſt. 25. *Unum orarium*, §. *Criminis*, ubi dicit gloſſa & bene, quod loquitur de venialibus, quæ poſſunt laico confiteri, etiam oblata copia ſacerdotis. Numquam tamen eſt neceſſarium ipſa vel alio laico confiteri. Unde ly *præcipit* ponitur, pro *conſulit* ſeu *exhortatur*; & ſic ſumitur 23. quæſt. 4. *Guiliſarius*. Hoc autem dicitur veniale ex genere, & de hoc nunc loquitur, quod diſtinguitur contra mortale. Peccatorum autem actualium aliquod dicitur mortale ex genere, & aliquod veniale ex genere, ſecundum quod genus vel ſpecies actus determinantur ex objecto. Quum enim voluntas fertur in aliquod, quod ſecundum ſe repugnat caritati Dei vel proximi, per quam homo ordinatur in ultimum finem; tunc peccatum ex objecto ſuo habet, quod ſit mortale, unde ex genere ſuo eſt illud mortale, ſicut blaſphemia Dei, perjurium, homicidium, & hujuſmodi. Quandoque autem voluntas fertur in illud, quod in ſe continet inordinationem aliquam; non tamen contrariatur dilectioni Dei, & proximi, ut verbum otioſum, riſus immoderatus, & hujuſmodi, & tale eſt veniale ex genere ſuo. Et ab Auguſtino ponuntur multa de his, quæ ſunt venialia ex genere ſuo, Diſt. 25. cap. 3. §. *Alias ea*. Verum quia actus morales accipiunt rationem boni vel mali, non ſolum ex objecto, ſed etiam ex diſpoſitione agentis contingit quandoque, ut, quod eſt veniale ex genere ſuo ratione objecti, ſit mortale ex diſpoſitione agentis: ut puta verbum otioſum dictum ad inducendum ad fornicationem. Et e converſo, ſcilicet quod eſt mortale ex genere, ſit veniale ex diſpoſitione agentis, propter hoc ſcilicet, quia eſt actus imperfectus, ideſt non deliberatus a ratione, ut cogitatio de adulterio, cui non aſſentitur in ratione. De his clarius infra dicetur.

Quomodo mortale, & veniale ex genere diſtinguuntur.

Adam non potuit primo peccato venialiter peccare.

§. 1. Veniale peccatum ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 89. comitti non potuit in ſtatu innocentiæ, ut communiter ponitur. Quod non eſt ſic intelligendum, quod illud, quod eſt nobis veniale, ſi ipſe Adam committeret, eſſet ei mortale propter altitudinem ſui ſtatus; ſed quia non potuit eſſe, quod committeret aliquod, quod de ſe eſt veniale, antequam amitteret integritatem illius ſtatus peccando mortaliter. Ratio enim hujus eſt, quia peccatum veniale in nobis contingit vel propter imperfectionem actus, ſicut ſubditi motus in genere mortalium, vel propter inordinationem exiſtentem circa ea, quæ ſunt ad finem, ſervato tamen debito ordine ad finem. Utrumque autem horum contingit propter quemdam defectum ordinis, eo quod inferius non continetur firmiter ſub ſuperiori. In ſtatu autem innocentiæ erat ordinis infallibilis firmitas, ut ſemper inferius contineretur ſub ſuperiori, ideſt ſenſualitas ſub ratione, quamdiu ſummum hominis animo contineretur ſub Deo, ut Auguſtinus dicit in 14. *De civit. Dei*. Et quia major eſt perfectio Angeli, quam hominis in primo ſtatu; ſequitur, quod ſi homo in ſtatu innocentiæ non potuit peccare venialiter, ut dictum eſt, nec Angelus poteſt peccare venialiter. Angelus enim, ſi eſt bonus, non movetur ad ea, quæ ſunt ad finem niſi in ordine ad finem debitum, qui eſt Deus; & propter hoc omnis ejus actus eſt actus caritatis, & ſic in eo non poteſt eſſe veniale. Angelus malus non movetur in aliquod niſi in ordine ad finem peccati ſuperbiæ ejus, & ſic in omnibus peccat mortaliter, quæcumque propria voluntate agit; ſecus de appetitu naturalis boni, qui eſt in eo. Et quamvis venialia videantur quandoque ea, quæ procurant dæmones committi ab hominibus; tamen hoc faciunt, ut ſic homines ad ſui familiaritatem adducant, & inducant ad mortale. Unde in omnibus talibus mortaliter peccant propter intentionem finis.

Angelus malus in omnibus peccat mortaliter.

Item primi motus in infidelibus non ſunt mortalia, ut quidam dixerunt, ſed venialia, ſi eis non conſentiant. Hujus ratio eſt duplex ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 89. art. 5. Prima, quia ſenſualitas non potuit eſſe ſubjectum mortalis. Eſt autem eadem natura ſenſualitatis in infidelibus ſicut in fidelibus; & ſic non poteſt eſſe, quod primus motus ſenſualitatis in infidelibus ſit mortale.

Secun-

1 Supple: *In toto autem* (uti promiſerat antecedens diviſio, *vel totaliter vel in parte*) *& id tertio modo dicitur veniale* &c. Simile quiddam ſane legitur apud S. Thomam, unde hic locus decerptus fuit: niſi quod is triplicem peccati venialis appellationem non diſtinxit, ſed duplicem, ita ut alteram in aliam duplicem ſubdividat *totaliter, vel in parte*, quæ tertiam Antonini diſtinctionis partem continet.

Secunda eſt; quia dignitas perſonæ numquam diminuit peccatum, ſed magis adauget. Unde peccatum non eſt minus in fideli quam in infideli, ſed multo majus, ut patet ad Hebræos 10. & hoc etiam expreſſe colligitur 12. quæſt. 1. can. *Scimus*.

Peccatum veniale non poteſt eſſe in aliquo cum ſolo originali.

Peccatum veniale eſt impoſſibile, quod ſit in aliquo cum originali ſolo abſque mortale. Cujus ratio eſt ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 89. art. 6. quia antequam ad annos diſcretionis quis perveniat, defectus ætatis prohibens uſum rationis, excuſat eum a mortali; unde multo magis a veniali, ſi committeret aliquod, quod ex genere ſuo ſit tale. Hoc etiam expreſſe habetur 15. quæſt. 1. §. *Ex eo autem*. Quum vero 2 uſum rationis habere incipit, non omnino excuſatur a culpa venialis & mortalis peccati; ſed primum, quod tunc homini cogitandum occurrit, eſt deliberare de ſeipſo, & ſi quidem ſeipſum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam conſequetur remiſſionem originalis peccati; ſi vero non ordinet ſeipſum ad debitum finem, ſecundum quod in illa ætate eſt capax diſcretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in ſe eſt; & ex tunc peccatum non erit in ſe peccatum veniale ſine mortali, niſi poſtquam totum fuerit ſibi per gratiam remiſſum.

3

Notabile.

Primi motus ſenſualitatis qui ſint venialia.

§. II. Et nota, quod primi motus peccatorum, qui ſunt in ſenſualitate, ſunt venialia. Dicit enim Magiſter 2. Sent. diſtinct. 21. quod tentatio a carne non poteſt eſſe abſque peccato: ſed quandocumque eſt primus motus, eſt tentatio a carne; ergo primus motus non poteſt eſſe ſine peccato. Pro cujus declaratione dicit Thomas in quodlibetis, quod motus importat inclinationem quamdam ad terminum, quæ quidem inclinatio pertinet ad appetitum in humanis actibus. In homine triplex appetitus eſt. Unus quidem naturalis, ſecundum quod vis appetitiva pertinet ad animam vegetabilem, quæ habet vim digeſtivam, & expulſivam, & retentivam. Secundus appetitus eſt ſenſualitatis, qui movetur ſecundum apprehenſionem ſenſus. Tertius appetitus eſt voluntatis, qui movetur ſecundum judicium rationis. Peccatum autem, quod habet rationem culpæ, de quo non loquitur, non poteſt eſſe niſi actu voluntatis, qui ſcilicet eſt aliqualiter in poteſtate peccantis. Actus autem appetitus naturalis non ſubjacet imperio rationis, ſicut nec actus aliarum potentiarum vegetabilium animæ. Et ideo in actu talis appetitus non poteſt conſiſtere culpa, ſicut quod homo eſuriat vel ſitiat, abſque culpa eſt; & idem dicendum eſt in aliis hujuſmodi. Sed actus appetitus ſenſitivi ſubjacet imperio rationis, quia ratio præveniens ipſum, poteſt eum imperare, vel etiam impedire; & ideo talis motus poteſt jam habere rationem culpæ: & ſi ſequatur judicium rationis, poterit etiam eſſe peccatum mortale, ſicut motus exteriorum membrorum a ratione imperati. Si autem præveniat judicium rationis, eſt quidem peccatum, ſi tendat in aliquod illicitum, quia in poteſtate hominis fuit ipſum cohibere: eſt tamen veniale peccatum, & leviſſimum, ut patet per Auguſtinum 12. de Trinit. Et hoc dicitur primus motus peccati. Motus autem ſuperioris appetitus, ideſt voluntatis conſequens judicium rationis, jam poteſt eſſe peccatum mortale. Et ſi dicatur, quod nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt, ut 15. quæſt. 1. §. 2. ſed concupiſcentia vitari non poteſt; reſpondeo, quod concupiſcentia non poteſt vitari ſic, quod nullus motus inſurgat, quia dum reſiſtitur uni, inſurgit alius; poſſunt tamen vitari ſinguli, & ex hoc quilibet habet aliquid de ratione peccati, licet non habeat rationem perfecti peccati, quod eſt peccatum mortale.

A B C D

Num veniale poſſit fieri mortale.

§. III. Inſuper quæritur, ſi veniale poſſit effici mortale. Reſpondet Thom. 1. 2. quæſt. 88. art. 4. quod veniale fieri mortale poteſt intelligi tripliciter. Uno modo ſic, quod idem actus numero primo poſſit eſſe peccatum veniale, & poſtea mortale; & hoc non poteſt eſſe, quia peccatum principaliter conſiſtit in actu voluntatis, ſicut & quilibet actus moralis. Unde non dicitur unus actus moraliter, ſi voluntas mutatur, quamvis etiam actio ſecundum numerum ſit continua. Si autem voluntas non mutetur, non poteſt eſſe, quod de veniali fiat mortale.

Alio modo poteſt intelligi, ut id, quod eſt veniale ex genere, fiat mortale. Et hoc quidem poſſibile eſt, in quantum conſtituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad mortale peccatum ſicut ad finem; ſicut quum quis dicit verbum otioſum, intendens per hoc inducere ad fornicationem, & per iſtum ſecundum modum intelligitur illud dictum Auguſtini: *Nullum peccatum eſt adeo veniale, quod non fiat criminale*, ideſt mortale, *dum placet*, Diſt. 25. can. 3. §. *Criminis*. Et intelligitur de complacentia fruitionis, quum ſcilicet ibi conſtituitur finis.

Tertio modo poteſt intelligi ita, quod multa venialia peccata conſtituant unum peccatum mortale, quod omnino 3 falſum eſt. Non enim omnia peccata venialia de mundo poſſunt habere tantum de

3

2 Ne nimis rigida videatur hæc ſententia, accipienda eſt de perfecto rationis uſu, qui ad graviter peccandum neceſſarius eſt, non autem de imperfecto, qui ad mortale peccatum haudquaquam ſufficit. Etſi porro imperfectus rationis uſus, qui negandus non videtur incipere in pueris ante aliquanto, quam ad perfectum uſum perveniant, ſatis ſit ad veniale in iis, qui perfectæ rationis facultate & uſu per ſe præditi ſunt; in pueris tamen, quia ea perfectæ rationis facultate & uſu per ſe carent, ad veniale non ſufficere traditur ab illis, qui S. Thomæ & Antonini ſententiam hoc loco propoſitam defendunt, uti videre eſt apud Sylvium 1.2. quæſt. 89. art. 6. Itaque in hac opinione pueri ante perfectum rationis uſum & facultatem tamquam libertate idcirco carentes, quæ ſi non uſum, ſaltem facultatem perfectam per ipſos requirit, peccati cum mortalis, tum venialis incapaces creduntur: ita ut ex eo ſolum tempore, quo incipiunt perfecto rationis uſu & facultate fungi, peccare poſſe incipiant ſive mortaliter, ſive venialiter. Et ſiquidem eo primo tempore de fine debito, ad quem eligendum perfecta ratione utentes obligati ſunt, non recte deliberent; non veniale, ſed mortale peccatum admittent: ſi autem recte, ſecundum quod ea ætas, perfecta ratione uti incipiens, poteſt; ſatis inde peccatum originale, ſi per baptiſma deletum non ſit, purgari dicitur, adeo ut veniale conſequens in primo caſu ſit cum mortali, in altero autem cum originali non ſit; & ita cum ſolo originali veniale eſſe non poſſit. Qui tamen cum S. Bonaventura in 4. Diſt. 21. quæſt 1. in fine tenent, poſſe cum ſolo originali ſtare veniale peccatum; hi putant in in medio illo rationis imperfectæ uſu poſſe pueros peccare venialiter ſive in re levi, ſive in gravi ex imperfectione actus: quod negans prior ſententia, pueris indulgentior eſt. Inter has autem ſententias dijudicare, una ſit vera, ex eo pendet, num in medio illo imperfectæ rationis uſu nulla ſit libertas in pueris, ex quo perfectus rationis uſus in iisdem nondum incepit, de quo aliorum judicium ſit.

3 Falſum eſt *per ſe*. At *per accidens*, ſi plurium venialium materia vel effectus ita moraliter uniantur, ut unum objectum moraliter grave & alicui præcepto graviter oppoſitum conſtituant; plura venialia ob moralem conjunctionem & gravem præcepti offenſam efficient unum mortale: uti quum quis die vetito pluries modicum manducat ex carnibus, vel die feſto pluries breviter laborat, itaut materia gravis comeſtionis ac laboris ex pluribus modicis coexſiſtat moraliter, qua graviter præceptum violetur. Sic etiam ex pluribus furtis levibus materia gravis coaleſcit, quæ efficit furtum & peccatum grave, ut ex damnata propoſitione explicabimus Prælect. III. in partem ſecun-

de reatu, quantum unum peccatum mortale; quod patet etiam ex parte durationis, quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ; peccatum autem veniale reatum pœnæ temporalis, ut dictum est. Patet etiam ex parte pœnæ damni, quia peccatum mortale meretur carentiam visionis divinæ, cui nulla alia pœna comparari potest, ut Chrysostomus dicit. Patet etiam ex parte pœnæ sensus quantum ad vermen conscientiæ, licet forte quantum ad pœnam ignis non sint improportionales pœnæ. Si vero intelligatur, quod multa peccata venialia faciunt unum mortale dispositive; sic verum est. Actus enim peccati dupliciter ad aliquod disponit. Uno quidem modo directe, & sic disponit ad actum similem secundum speciem. Et hoc modo primo & per se peccatum veniale ex genere non disponit ad mortale ex genere, quum differant specie. Sed per hunc modum peccatum veniale potest disponere, per quamdam consequentiam ad peccatum, quod est mortale ex parte agentis. Augmentata enim dispositione vel habitu, per actus peccatorum venialium tantum potest libido peccandi crescere, quod ille, qui peccat, finem suum constituet in peccato veniali. Nam unicuique habenti habitum in quantum hujusmodi finis est operatio secundum habitum; & sic multoties peccando venialiter disponetur ad peccatum mortale. Alio modo actus humanus disponit ad aliquid removendo prohibens; & hoc modo peccatum veniale ex genere potest disponere ad peccatum mortale ex genere. Qui enim peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquem ordinem, & ex hoc, quod consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subjicere, disponitur ad hoc, quod etiam voluntatem suam non subjiciat ordini ultimi finis, eligendo id, quod est peccatum mortale ex genere. Et secundum hunc modum, idest secundum dispositionem intelligendum est, quod dicit Augustinus, *De pœnit.* Dist. 1. *Tres sunt*, scilicet quod illa peccata, *quæ humanæ fragilitati quamvis parva, tamen crebra* subrepunt, *quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum*, scilicet mortale. Hæc ille.

Quando multa venialia faciunt mortale.

Item nota secundum Thomam ubi supra art. 5. quod veniale ex sui diuturnitate vel frequentia vel assiduitate non potest esse mortale, nisi forte per accidens ex aliquo superveniente, quum scilicet in actu multiplicato vel protelato supervenerit aliud, quod variat speciem, puta inobedientia vel contemtus, vel [4] aliud hujusmodi. Et sic intelligendum est, quod dicitur Dist. 35. §. *Alias ea*, ubi videtur dici, quod aliqua venialia in consuetudinem ducta efficiuntur mortalia.

Idem actus specie potest esse venialis & mortalis.

Et nota secundum Petrum de Palude in 4. quod idem actus specie potest esse venialis & mortalis tripliciter. Primo propter conscientiam erroneam, quæ judicat mortale, quod est veniale. Secundo propter contemtum. Tertio propter finem ibi constitutum: cujus signum est, quando faceret, etiamsi esset prohibitum; quia ergo dispositive veniale sit mortale, periculosum est venialia multiplicare, quia quidam dicunt ea sic posse multiplicari, ut homo non possit postea peccare nisi mortaliter primo peccato. Periculosum est etiam uno peccato nimis assuescere etiam veniali, quia facillimum est agere secundum habitum radicatum firmiter: & difficillimum est agere contra, quia assuetudo facit necessitatem. Unde homo assuetus verbis otiosis, si occurrat sibi tentatio, quod faciet, si a Deo esset prohibitum, consentiet facere illud. Et ideo ne habitualiter in homine firmentur, frequenter confitenda sunt, & sic numquam radicabitur habitus. Hæc ille Dist. 16. quæst. 1. in 4. Sentent.

§. IV. Effectus autem peccati venialis seu nocumentum est multiplex, secundum quod dicitur in compendio theologiæ. Primus est macula animæ, idest impeditio exterioris fulgoris, & nitoris actualis operum bonorum. Nam proprie sumendo maculam, sic tantum mortale, non veniale causat eam, ut dicit Thomas 1. 2. quæst. 89. quod etiam videtur innuere Gregorius dicens, quod *mentem nequaquam cogitatio immunda coinquinat*, idest maculat, *quum pulsat, sed quum hanc sibi per delectationem subjugat*, *De pœniten.* Dist. 2. *Inter hæc*.

Primus effectus peccati venialis.

Secundus est, quod minuit fervorem caritatis, sicut aqua in ignem projecta, licet ignem non extinguat; fervorem tamen illius temperat.

Tertius, quod potestas animæ in bonis operibus lassatur, sicut equus, cui superponitur homo, non est ita potens ad ambulandum.

Quartus est, quod retardat a gloria; quia homo, qui non committeret, deberet & posset statim post mortem evolare, cogetur propter venialia ad tempus in purgatorio exspectare. Numquam enim ab aliquo facies Dei videbitur donec solvat per pœnas minimum quadrantem venialium peccatorum. Oportet enim quemlibet ita mundum esse ante introitum paradisi, sicut fuerat in innocentia baptismali.

Quintus est, quod bona gloriæ cælestis diminuuntur, non quidem illa, quæ jam debentur, & quæ habemus ibi per meritum repositum; sed quæ deberentur, si venialia non fierent, quia in eodem tempore possent aliqua bona fieri, quando ista fiunt, propterea post perpetrationem venialium oportet nos quædam opera convertere ad solutionem hujusmodi debitorum, per quæ deberet nobis crescere cumulus æterni præmii.

Sextus effectus est, quia venialia sunt sæpe occasio peccatorum mortalium.

Septimus, quia peccatum veniale obligat ad pœnam, vel temporalem præsentem, si hic satisfacit, vel purgatoriam, si moritur in gratia, vel infernalem, si moritur cum mortali.

Nota, quod peccatum veniale remitti non potest sine mortali. Et ratio est secundum Thomam in 4. Distin. 16. quoniam remoto priori removetur posterius, nec posterius restituetur, nisi priori restituto. Fervor autem caritatis, cui veniale opponitur, est posterior ipsa caritate; unde quamdiu cari-

Veniale absque mortali remitti non potest.

secundam §. 8. pag. LXXXVIII. ubi & observatum est, peccatum grave committi non in solo postremo actu, qui gravem materiam complet, sed etiam in singulis quantumvis levibus, si intentio in gravem materiam per leves actus complendam feratur.

[4] Adde scandalum, vel damnum, si quod grave ex aliquo, vel multis venialibus sequatur, vel sequuturum probabile sit: ut si ex furto rei levis alius aliquis sit blasphematurus, aut in grave damnum incursurus: si levis aliqua culpa ex. gr. visus cujusdam feminæ periculum afferat incidendi in grave peccatum consensus &c. Hinc etiam qui proponeret a solis mortalibus abstinere, omniaque occurrentia venialia committere, *secundum Sanchez & Bonacinam*, inquit P. Antoine Soc. Jesu, *de Peccatis* quæst. 9. *mortaliter peccaret; quia illius propositi objectum continet apertissimum peccandi mortaliter periculum, quod talis vult subire; quum ex SS. Patribus & Doctoribus multa venialia deliberate & ex proposito commissa, certo disponant ad mortale, ut in praxi patet.* Hinc etiam ipsa voluntas violandi regulas religionum, quæ ad culpam non obligant, gravis esse potest, quum inde aperiatur via scandalis, relaxationibusque gravioribus &c.

caritas non reſtituitur, ſcilicet per dimiſſionem peccati mortalis, nec fervor caritatis reparari poteſt, in qua reparatione eſt venialis dimiſſio; & ſic non dimittitur ei, cui mortale non dimittitur. Idem Petrus.

Unum veniale ſine alio poteſt dimitti.

Poteſt autem dimitti unum veniale ſine alio, ſecundum Thomam ubi ſupra, quia venialia non habent connexionem ad invicem ex parte averſionis ſicut mortalia, quoniam in eis nulla eſt averſio a Deo, nec etiam ex parte converſionis, ut per ſe patet.

Non poteſt dimitti veniale voluntate manente ad illud ſecundum Thomam ubi ſupra, quia non poteſt tolli culpa, niſi reordinetur voluntas, quæ reordinari non poteſt, quamdiu in ipſa deordinatione manet; alias eſſent duo oppoſita ſimul; B & ideo veniale nullo modo poteſt dimitti, quamdiu voluntas ad illud manet. Idem Petrus. Quomodo autem ad remiſſionem venialis requiratur contritio, declarat ſic Thomas ubi ſupra: Peccatum veniale non remittitur (ut dictum eſt ſupra) quamdiu voluntas manet in illo. Ipſum autem recedere a voluntate ab eo, quod prius volebat, eſt diſplicere ei, quod voluit, & talis diſplicentia, quando eſt gratia informata, dicitur dolor contritionis; & ideo veniale ſine contritione non dimittitur.

Venialis remiſſio requirit contritionem.

Sed ſciendum, quod contritio poteſt accipi tripliciter, ſcilicet vel habitu, vel actu, vel medio modo. Habitu quidem contritio non ſufficit ad peccati venialis dimiſſionem, quia tunc quicumque C haberet habitum virtutis pœnitentiæ, cujus actus eſt quælibet contritio, conſecutus eſſet venialis peccati dimiſſionem; & ſic peccatum veniale cum gratia eſſe non poteſt, nec iterum requiritur, quod ſemper ſit actualis contritio, quia ſequeretur, quod peccatum, quod quis in memoria & contritione non habet, remitti non poſſet. Et ideo dicendum, quod requiritur contritio medio modo, quando ſcilicet etſi actu peccatum non diſpliceat explicite, diſpliceat implicite, quia ex virtute pœnitentiæ, quam agit, ſequeretur diſplicentia explicite peccati venialis, ſi cogitatio in illud ferretur. Idem Petrus.

Fervor caritatis dupliciter ſumitur.

Et nota ſecundum Petrum de Palude in 4. quod fervor caritatis ſumitur dupliciter. Uno modo pro actu caritatis cum conatu, & hoc actu intenditur & augetur caritas; ſed hic non eſt neceſſarius ad remiſſionem venialis. Alio modo pro actu ſimplici, in quem prorumpit caritas etiam tepide deteſtando peccatum, & hoc requiritur ad remiſſionem venialium. Hæc ille. Dicunt quidam, quod quamvis anima informata caritate mereatur per contritionem remiſſionem venialium; tamen illius remiſſio non debet dici cauſſa efficiens, ſaltem loquendo de cauſſa per ſe, quia motus contritionis non eſt cauſſa remiſſionis peccati venialis, efficiens per hoc ſolum, quod contritio immediate elicitur a voluntate caritate informata, ut quidam dixerunt; ſed eſt principalius per hoc, quod illa contritio eſt ipſius Dei immediatus effectus. Hæc ille. E

Peccatum veniale octo modis dimittitur.

§. V. Dimittuntur autem venialia octo modis ſecundum Raymundum. Primo per dignam communionem, *De conſecr.* Diſt. 2. *Quum omne crimen*, & can. *Si quotieſcumque*. Et ut quidam addunt per extremam unctionem, extra *De ſacra Unct.* cap. unico. Secundo per aquæ benedictæ aſperſionem, *De conſecr.* Diſt. 3. *Aquam ſale*. Tertio per eleemoſynarum largitionem, *De pœniten.* Diſt. 1. *Quamobrem*, & can. *Medicina*, & Diſt. 3. *Sane*. Addunt quidam injuriarum dimiſſionem, quæ eſt eleemoſyna ſpiritualis, de qua Luc. 6. *Dimittite & dimittetur vobis*. Quarto per orationem, & præcipue dominicam, *De pœnit.* Diſt. A 3. can. *De quotidianis*. Quinto per confeſſionem generalem, multo magis per confeſſionem ſacramentalem, *De pœnitent.* Diſtin. 3. can. *De quotidianis*. Sexto per epiſcopalem benedictionem, & ſecundum quoſdam etiam ſacerdotalem, 1. quæſt. 1. *Multi*, in fine. Septimo per devotam pectoris tunſionem, ut *De pœnit.* Diſt. 1. *Tres ſunt actiones*. Octavo per cordis contritionem, ut in præcedenti capitulo dictum eſt. De his ſunt verſus:

Confiteor, tundo, conſpergor, conteror, oro.
Signor, edo, dono, per hæc venialia pono.

Et non ſolum per iſta ſpecialiter nominata, ſed etiam per quodlibet bonum opus delentur, ut in prædicto can. *Medicina*, verſ. *Redime te operibus tuis*. Et ſicut dicit Thomas, plura & pauciora venialia per prædicta remittuntur, ſecundum quod hoc major vel minor fervor concitatur, quod de pluribus vel paucioribus ſaltem implicite contritionem contineat; unde non oportet, quod ſemper omnia venialia dimittantur. Nota, quod dicit Petrus de Palude in 4. Diſt. 16. quod per hos modos dictos peccata venialia dimittuntur plus, quam per alia bona opera, licet communiter per hos etiam non dimittantur, niſi cum diſplicentia voluntatis. Minor tamen dolor cum his ſufficit ad remiſſionem venialium, quam ſine his; unde non fruſtra adhibentur, ſed multum utiliter & rationabiliter. Et primo, quia iſti modi plus incitant hominem ad modum liberi arbitrii deteſtantis peccata. Secundo, quia plus valent ad remiſſionem pœnæ, quia ex merito & precibus Eccleſiæ multa ex his operantur. Tertio, quia plus ſufficit generalis contritio hic, quam alibi; ita tamen, quod homo utatur his hac intentione. Addit etiam ad prædicta idem, quod quæcumque ſacra unctio delet veniale, ut epiſcoporum, regum & ſacerdotum. Item & benedictio monialium & panis benedictus in Eccleſia. Item & patientia flagellorum, & totum intellige quoad eos, qui ſunt in gratia; indulgentiæ autem ſolum pœnam, non culpam, nec etiam veniale remittunt. Hæc ille.

CAPUT II.

D

De purgatorio, & ſuffragiis mortuorum.

Oportet ponere purgatorium.

PUrgatorium eſſe, ex Scriptura oſtenditur, quum dicitur 2. Machab. 12. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*. Non enim iſtud poteſt intelligi de beatis, quia non indigent, nec de damnatis, quia eis non proſunt. Intelligitur ergo de his, qui ſunt in purgatorio. Quum enim per contritionem delera culpa, non ex toto tollatur ſemper reatus pœnæ, nec etiam ſemper venialia dimiſſis mortalibus tolluntur, & juſtitia Dei hoc exigit, ut peccatum per pœnam debitam ordinetur; oportet, quod iſte, qui poſt contritionem de peccato decedit ante ſatisfactionem debitam, vel etiam cum venialibus, poſt hanc vitam puniatur. Et ideo qui negat purgatorium, quum Eccleſia univerſalis hoc teneat, ſcilicet purgatorium eſſe, orans pro defunctis illis, quæ ibi ſunt, hæreticus eſt; etiam qui hoc non credat: cum auctoritate Eccleſiæ reſiſtat. Hæc Thomas in 4. Diſt. 2. hinc & Gregorius dicit: *De quibuſdam parvis culpis ante diem judicii purgationis ignis credendus eſt*, Diſt. 25. *Qualis*. Et Auguſtinus: *Si converſus*, ſcilicet peccator, *fuerit, vita vivet, & non morietur. Non tamen promittimus, quod evadat omnem pœnam; prius eſt enim purgandus igne purgationis* &c. *De pœnit.* Diſt. 7. can. ult. Et ſic errant Judæi & Græci purgatorium negantes.

De

De loco purgatorii.

De loco autem purgatorii non reperitur aliquod expreſſe determinatum in ſcriptura, nec rationes efficaces ad hoc poſſent induci. Tamen probabiliter & ſecundum quod magis conſonat dictis ſanctorum & revelationi factæ multis, locus purgatorii animabus dupliciter aſſignatur ſecundum Petrum in 4. aut ſecundum legem communem; & ſic purgatorium eſt circa lymbum. Aut ſecundum diſpoſitionem ſpecialem; & ſic purgantur animæ aliquando in diverſis locis, in quibus peccaverunt, aut propter aliquam ſuam revelationem per ſuffragia eorum, quibus apparent; aut propter aliquam viventium ædificationem. Hoc autem non eſt ſecundum legem communem, quia ſecundum legem communem ſimul puniuntur. Exempla plura habes in libro dialogorum, & legendis ſanctorum. Eſt autem ibi duplex pœna, ſcilicet pœna damni, ut carentia divinæ viſionis; & iſta eſt maxima, ut patuit ſupra de pœna inferni. Alia eſt pœna ignis, & iſta etiam excedit omnem pœnam temporalem. Unde Auguſtinus: *Hic ignis*, ſcilicet purgatorii, *etſi non ſit æternus*, ſcilicet quoad officium, *miro tamen modo gravis eſt. Excellit enim omnem pœnam, quam umquam aliquis paſſus eſt in vita iſta*, *De pœnit.* Diſt. 7. can. ultimo. Hujus rationem aſſignat Thomas in 4. Diſt. 21. dicens, quod quum dolor non ſit læſio, ſed ſenſus læſionis; tantomagis aliquis dolet de aliqua læſione, quanto magis eſt ſenſitivus; quum læſiones, quæ fiunt in locis maxime ſenſibilibus, ſint maximum dolorem cauſſantes. Et quia totus ſenſus corporis eſt ab anima; ideo ſi in ipſam animam aliquod læſivum agat, de neceſſitate oportet, quod maxime affligatur. Quod autem anima ab igne corporali patiatur, dictum eſt ſupra in tractatu de inferno. Etenim eodem igne cruciantur animæ, quæ ſunt in purgatorio, & quæ in inferno. Et dicunt quidam, quod ita ſunt abſorpti pœnis, quod neſciunt ſe per pœnam purgari. Sed dicit Thomas, quod hoc eſt falſum, quia niſi ſcirent ſe liberandos, non peterent ſuffragia, ut frequenter faciunt. Suſtinent ergo illam pœnam non voluntate abſoluta, ſed conditionata, quia ſciunt ſe ſine illa pœna ad gloriam venire non poſſe.

Duplex eſt pœna purgatorii.

Quorſū miniſterio animæ purgantur.

§. I. Purgantur autem ipſæ animæ ſola divina juſtitia ignem incendente non miniſterio dæmonum, quorum victores exſtiterunt, nec miniſterio Angelorum, qui concives ſuos non tam vehementer affligerent. Sed tamen poſſibile eſt, quod Angeli eos ad loca pœnarum deducant, & etiam ipſi dæmones, qui de pœnis hominum lætantur, eos comitantur, & aſſiſtunt purgandis, tum, ut de eorum pœnis ſatientur, tum ut in eorum exitu a corpore ſuum aliquid ibi reperiant. Thomas in 4. Diſt. 21.

Notandum etiam, quod quia quædam venialia ſunt majoris adhærentiæ, quam alia ſecundum, quod effectus magis ad ea inclinatur, & in eis fortius figitur, & ea, quæ ſunt majoris adhærentiæ, tardius purgantur; ideo quidam in purgatorio diutius quam alii torquentur, ſecundum quod affectus eorum ad venialia fuerit magis merſus. Et acerbitas quidem pœnæ reſpondet quantitati culpæ propriæ, ſed diuturnitas reſpondet radicationi culpæ in ſubjecto. Unde poteſt contingere, quod aliquis in purgatorio diutius moretur, qui minus affligitur. Richardus in 4. Diſt. dicit, quod hoc non videtur verum, quia quum privatio ſeu carentia viſionis Dei ſit maxima pœna, qui diutius ibi maneret, acerbius affligeretur; ſed omnibus computatis ſimul, qui plus peccavit, plus punitur.

Duplici de cauſſa anima ingreditur purgatorium.

Ex duabus autem cauſſis anima recedens a corpore ſuſtinet pœnam purgatorii, ſcilicet vel quia moritur cum venialibus, & de hoc Apoſtolus 1. Cor. 3. *Si quis ſuperædificaverit ſuper hoc fundamentum*, ideſt fidem vivam ..... *lignum, fœnum, & ſtipulam .... ipſe ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.* Nomine autem ligni, fœni, & ſtipulæ diverſa venialia deſignantur, ut exponit Auguſtinus Diſt. 25. §. *Alias ea.* Alia cauſſa eſt ex eo, quod quis non ſatisfecit plene pœnis debitis pro peccatis ſuis, moriens tamen in ſtatu gratiæ; pro his ergo poſſumus, & debemus facere ſuffragia. Sed quia diſcernere non poſſumus quis moriatur in ſtatu gratiæ, vel non, ut dicit Auguſtinus, pro omnibus baptizatis ea facere debemus, niſi quis in notorio moriatur, 23. quæſt. 5. can. *Placuit.*

Quattuor modis animæ defunctorum juvantur.

Quattuor autem modis animæ defunctorum per ſuffragium noſtrum juvantur. Unde Gregorius: *Animæ defunctorum quattuor modis ſolvuntur, aut oblationibus ſacerdotum, aut precibus ſanctorum, aut carorum eleemoſynis, aut jejuniis cognatorum*, 13. quæſt. 2. can. *Animæ*. Quos modos diſtinguit Raynerius, dicens ſic: Suffragia quidem proſunt defunctis ad abſolutionem pœnæ, a qua poſſunt abſolvi quattuor modis. Uno modo per interceſſionem ipſius capitis, ſcilicet Chriſti; & ſic juvantur per oblationem altaris. Secundo per interceſſionem quaſi privatorum membrorum, ideſt per orationes ſanctorum. Tertio per modum redemtionis pœnæ, ſcilicet per eleemoſynarum largitionem. Quarto per modum ſolutionis pœnæ, ſcilicet per jejuniorum afflictionem; & ad dictos quattuor modos omnes alii reducuntur.

Suffragia malorum quomodo valent.

Quæ autem horum ſunt meliora ſuffragia, dicit Raynerius, quia melius eſt opus caritatis, quod dirigitur in Deum, quam quod in hominem; ideo duo primi modi, qui diriguntur in Deum, meliores ſunt, quam ſecundi ultimi, niſi per accidens, in quantum eleemoſyna impetrat orationes. Quia vero melius eſt opus caritatis communis, quam privatæ & ſpecialis; ideo melius ſuffragium ſacramenti altaris, quam orationes. Iterum quia bonum quanto communius, tanto melius; ideo eleemoſyna melior eſt jejunio. Suffragia facta per malos miniſtros aliquo modo valent, & aliquo modo non valent. Pro cujus declaratione dicit Thomas in 4. Diſt. 45. quod ſuffragia per malum fiunt tripliciter. Primo ſcilicet velut per actorem, ſicut fiunt ex primo motu; & ſic non proſunt niſi forte ex conſequenti & per accidens, in quantum per eleemoſynam mali hominis pauperes excitati orant pro defunctis. Secundo poſſunt fieri per malum, ut miniſtrum publicum Dei, vel totius Eccleſiæ; ſicut ſacerdos, qui celebrat miſſam vel exſequias mortuorum in Eccleſia; & quia ille intelligitur facere, cujus nomine vel vice fit, ut patet per Dionyſium 13. Cæleſt. Hierarch. inde eſt, quod valent ſuffragia talis ſacerdotis, quamvis ſit peccator, & proſunt defunctis. Tertio poſſunt fieri per malum miniſtrum privatum, ſcilicet privatæ perſonæ, de mandato ſcilicet alicujus exiſtentis in caritate, ſive ſit defunctus, ſive vivus, & talia proſunt; ſicut ſervus in peccato exiſtens, quodcumque opus miſericordiæ facit ex præcepto Domini caritatem habentis; magis tamen prodeſſent, ſi etiam miniſtri in caritate eſſent, quia tunc illa opera eſſent meritoria ex duabus partibus. Si quæratur, utrum proſint facienti, dicit Thomas ubi ſupra: Opus ſuffragii, quod pro altero fit, poteſt conſiderari dupliciter. Uno modo ut expiativum pœnæ per modum cujuſdam recompenſationis; & hoc modo opus ſuffragii reputatur quaſi ejus, pro quo fit, & ita abſolvit eum a debito pœnæ ſuæ, quod non abſolvit facientem a debito propriæ pœnæ. Alio modo poteſt conſiderari, in quantum eſt meritorium

vi-

vitæ æternæ, quod habet, in quantum procedit ex radice caritatis; & secundum hoc non solum prodest ei, pro quo fit, sed facienti magis. Unde psal. 34. *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Et ideo Damascenus in serm. de his, qui in fide dormierunt, dicit: Quicumque salutem proximi agonizat, primum ipse sibi prodest, deinde proximo.

Utrum una missa defunctorum animabus plus prosit, quam alia.

§. III. Utrum missa pro defunctis æqualiter valeat defuncto una sicut alia? Respondetur secundum Petrum in 4. Dist. 45. In officio missæ non solum est sacramentum, sed etiam orationes sunt; & ideo suffragium missæ continet duo de prædictis, scilicet orationem, & sacrificium. Quantum igitur est ex parte sacrificii oblati missa de quocumque dicatur, æqualiter prodest defuncto; & hoc est præcipuum, quod fit in missa. Sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem vel ejus, qui dicit missam, vel ejus, qui facit dici, vel etiam per intercessionem sancti, cujus suffragium imploratur.

Utrum suffragia specialiter pro aliquo facta prosint tali? Respondeo secundum Thomam & Petrum in 4. Dist. 45. quum suffragium sit virtutis finitæ, & derivetur per intentionem facientis, quo voluerit; valet ei, pro quo fit quantum ad liberationem a pœna; tamen quantum ad congratulationem, & interiorem consolationem, secundum quod unus in caritate exsistens de bonis alterius gaudet, sic valet omnibus in caritate exsistentibus, & plus ei, qui in majori caritate est.

Num suffragia pro multis æqualiter prosint singulis.

Utrum suffragia facta pro multis æqualiter prosint singulis? Respondeo secundum Thomam & Petrum ubi supra: Si valor suffragiorum consideretur, secundum quod valent ex virtute caritatis, sic tantum prosunt singulis, ac si pro uno tantum fierent, quia caritas non minuitur, si distribuatur affectus in multos; immo magis augetur. Et similiter etiam gaudium ex caritate procedens, quanto in pluribus est, tanto sit majus, ut dicit Augustinus in lib. confess. & sic quantum ad congratulationem potest intelligi *De consecr.* Dist. 5. *Non mediocriter*. Si autem consideretur valor suffragiorum, in quantum sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos; sic magis valent ei, pro quo specialiter fiunt; & sic effectus suffragii dividitur ex divina justitia inter eos, pro quibus fiunt.

Suffragia vivorum prosunt animabus purgatorii.

Si autem quæritur, utrum exsistentes in purgatorio possint juvari ab exsistentibus in hoc sæculo; respondet Petrus, quod sic; & sic declarat Apostolus 1. ad Cor. 12. loquitur de corpore mystico ad similitudinem corporis humani. In corpore vero humano natura per unum membrum supplet indigentiam alterius; ergo quum gratia sit potentior quam natura, in corpore mystico unum membrum potest supplere indigentiam alterius. Et hinc est, quod suffragia membrorum Ecclesiæ possunt prodesse membris indigentibus. Quia vero per mortem non desinunt esse membra ejusdem corporis, suffragia vivorum possunt prodesse. Nam ad hoc, quod aliquis defunctus juvetur, duo requiruntur ex parte ejus: unum est indigentia; & ideo non prosunt beatis: alterum est conditionale meritum, scilicet ut hic meruerit sibi prodesse; & ideo non prosunt damnatis. Utrumque vero est in his, qui sunt in purgatorio, & idcirco prosunt illis. Unde Augustinus *Non est negandum defunctorum animas pietate suorum viventium posse juvari*, 13. quæst. 2. *Tempus*.

Item alia dubitatio pulcherrima.

§. IV. Solet etiam quæri, utrum promittens sigillatim diversis unam missam, liberetur, & satisfaciat celebrando [1] unam pro omnibus? Respondeo secundum Petrum de Palude in 4. quod non liberatur a toto, sed a tanto; quia solvit minus, quam debet. Sicut promittens Titio unam marcam, & Sejo unam, non totaliter liberatur offerendo duobus unam; quia missa celebrata pro multis non tantum valet singulis. Potest tamen talis celebrans excusari quinque modis. Primo propter impossibilitatem celebrandi pro quolibet specialiter; puta, si collegium salvo officio, ad quod est institutum, non potest solvere plusquam tres, aut duas, vel unam missam. Aut religioso, si postquam promisit, a superiore imponantur aliæ missæ, quia difficultas præstationis, etsi non liberat, tamen excusat. Unde sicut quando bona defuncti non sufficiunt ad integre solvendum creditoribus, solvitur simul pluribus, quod cuilibet erat per se solvendum: sic hic.

Secundo propter consuetudinem maxime apud eum, qui scit, vel scire tenetur; quia scienti dolus non infertur: sicut qui petunt missas a curatis, aut canonicis relinquentes anniversarium canonicis.

Tertio propter conventionem, si expresse hoc dicat promittens, quia contractus ex conventione legem accipiunt; quod etiam sufficit dicere exsecutori, quia cui commisit testator distributionem pecuniæ pro missa, videtur etiam commisisse ordinationem de missa procuranda.

Quarto propter recompensationem, quia non refert quid ex æquipollentibus fiat, ut si in aliis missis, vel suffragiis recompensetur, sicut apud nos missa dicenda a conventu imponitur uni fratri.

Quinto propter suppletionem Dei. Ubi est sciendum, quod secundum quosdan missam non valere tantum pluribus, quantum uni soli, si pro uno solo dicatur, provenit ex actuali attentione sacerdotis, non propter hoc quod ejus attentio vel ejus valor distribuatur diversis secundum diversas proportiones; sed quia non potest aliquis ad plures simul affici tantum, quantum ad unum; sicut non potest haberi tanta amicicia acquisita ad multos, sicut ad unum. Et ideo missa dicta pro pluribus simul non tantum valet cuilibet illorum, quantum si pro illo diceretur, nisi summus sacerdos suppleat. Tunc autem supplet, quando rationabile est, quod sacerdos tantum affectum habeat ad quemlibet, quantum deberet habere ad unum solum, si pro illo solo celebraret. Sicut si aliqui parochiani vel canonici ex devotione, quam habent ad Ecclesiam suam, faciunt fieri anniversarium in Ecclesia sua; quod fieri non potest, nisi plures concurrant ad unam missam; missa illa tantum valet cuilibet illorum, quantum si pro quolibet solo diceretur missa ab extraneo sacerdote, qui non est ita affectus defuncto, nec e converso. Dicunt etiam isti, quod bona spiritualia, quæ communicant religiosi suis familiaribus, non ideo dicuntur minus valere multis quam paucis, quia dividuntur diversis; [2] quia tota possunt applicari diversis: sed quia secundum cursum communem quando aliquis extendit devotionem suam ad multos, devotio sua minuitur; & ex hoc talia minus valent multis. Sed quia etiam talia bona plus, vel minus valent petentibus secundum majorem

Missa pro pluribus simul quomodo valeat.

1 Consule, quæ considerabimus Prælect. III. in secundam partem §. 5. num. 3. pag. LXXXV. ubi propositionem damnatam huc pertinentem explicabimus.

2 Ex Jensoniana editione ann. 1479. addidimus, *quia tota possunt applicari diversis*, ut & apud Petrum Paludanum, unde hic locus sumtus est, legitur.

jorem vel minorem devotionem ipſorum; ideo ſi cum inſtantia multi petant, & alii recta intentione ea recipiant; videtur, quod tantum valent talibus multis, ſicut paucis, quia Deus ſupplet vicem devotionis actualis, quum maneat ſufficiens ſecundum habitum & radicem. Sed prima iſtorum diſtinctio inter ſæcularem & regularem, proprium ſacerdotem & extraneum non valet; quia videtur eadem ratio in extraneo, qui a diverſis æquale beneficium recipit; unde non minus tenetur ſecundo quam tertio ratione beneficii; ſicut curatus utrique parochiano ratione officii. Nec valet pro iſtis ſuppletio de receptis ad beneficia; quia per hujuſmodi receptionem non eſt immunis a pœna ſibi injuncta nec in toto nec in parte propter jejunia, quæ fiunt in ordine; ſicut eſſet per indulgentias. Nec minus diu punientur in purgatorio; propter quod poſt mortem ſolent recitari obitus, ut ſpecialiter pro eis oretur. Qui autem ſpecialiter petit miſſam pro ſe, vel pro amico vivo vel mortuo, intendit habere pro ſe totam miſſam ad ſatisfaciendum, quum non poſſit habere eam totam ad merendum; quia nullum meritum poteſt eſſe ſic ſingulare, quin omnes boni participent; ſed ſatisfactio ſic. Unde non eſt ſimile propter differentiam, quæ hic modo ponitur. Et nota, quod duplex eſt differentia inter * participium, quod eſt ad merendum, & illud, quod eſt ad ſatisfaciendum. Prima quia participium meriti eſt ex ſola unione caritatis ſine aliqua intentione facientis ſpecialiter directe ad participantem, licet ſit major cum intentione: ſed participium ad ſatisfaciendum non. Alioquin quicumque eſſet in caritate, ſive in hoc mundo, ſive in alio, ſtatim eſſet immunis ab omni pœna, theſauro Eccleſiæ, qui eſt infinitus, diſtributo pro ejus ſatisfactione. Sicut etiam quilibet ex participatione meriti Chriſti per ſacramenta meretur præmium infinitum, quod eſt Deus intenſive; & extenſive vita æterna, vel ſaltem ille, qui eſt in majori caritate, eſſet minoris pœnæ debitor in hoc ſæculo & in alio; quod non eſt verum; ſed ex ſola intentione facientis. Secunda differentia eſt, quia participium meriti non minuitur ex multiplicatione participantium: ſicut patet, quod non fit deterior conditio multiplicatis electis, ſed melior, non ſolum, quia illi incipiunt participare, qui incipiunt communicare, ut etiam parvuli baptizati ſunt participes bonorum operum, qui nihil operantur; & propter hoc ſine præjudicio prius receptorum ad beneficium ordinis poſſunt recipi, nec minus capiunt noviſſimi quam primi: ſed in ſatisfactione ſecus ſecundum communem doctrinam. Sed quid importat illud participium meriti, dubium eſt: non enim propter hoc majorem habebit gloriam, qui cum pluribus participiat; quia poſſibile eſt illum, qui non habet plus de caritate, eſſe participem plurium, ſicut nunc, quando ſunt plures fideles, quam temporibus Adæ, Noe, & Abrahæ; vel aliquis eſt receptus ad beneficia plurium ordinum religioſorum, quam alius, qui tantam habet caritatem, ſecundum quam datur gloria. Unde non videtur aliud, niſi quod propter merita aliquorum præſervat eum Deus quandoque a peccato, quandoque a morte, & ſic de aliis: ſicut recordatus eſt Deus Abraham, & liberavit Loth; quum etiam quandoque propter juſtos parcat impiis, ubi non concurrat meritum niſi ex una parte: ſed quando ambo juſti, tunc ex utraque parte. Sed per receptionem ad beneficia * conſequitur aliam utilitatem, quia ſpecialibus participat, & ex intentione prima generali in recipiendo, & ex intentione ſpeciali pro receptis orando. Hæc Petrus de Palude in 4.

Utrum ſolvens pro multis tot ſuffragia, quot debet omnibus ſigillatim liberetur, ut ſi ſolvo miſſas pro recommendatis mihi in capitulo, & non hanc pro illo, &c. dico, quod non poteſt perfecte, quia minus ſolvit cuilibet, & per conſequens non liberatur. Nam particularis ſolutio multa habet incommoda, ut ſi debeo tibi decem, Titio decem, & Sejo decem, & ſolvo hodie decem tribus, non tantum prodeſt omnibus eis, ſicut ſi uni ſolviſſet decem, quia unus ſtatim de illis facere potuiſſet utilitatem ſuam. Et ſic eſt hic in propoſito, ut ſi ſint quattuor in carcere, quilibet pro decem ſi primo die ſolvo decem pro omnibus, nullus evadet carcerem, licet debitum omnium minuatur, ſi ſecundo die decem, adhuc nullus: ſi tertio & quarto die, tunc omnes. Sed ſolvendo pro ſingulis, primus prima die, ſecundus ſecunda, tertius tertia, quartus quarta fuiſſet liberatus; & ſic feci trium conditionem deteriorem. Si ergo aliqui in purgatorio exiſtentes ſic ſunt diſpoſiti, quod unus una miſſa, & non minori ſuffragio liberandus eſt, & ſunt multi tales, una miſſa pro omnibus iſtis dicta neminem eripit; & ſic diutius ſinguli tenerentur.

Nec hoc eſt contra Antiſſidiorenſem, qui credit, quod nulla miſſa celebratur, pro qua non plures de purgatorio liberentur, quia quandoque ſunt multi in purgatorio ſic diſpoſiti, vel qui ibi diu ſteterunt, vel qui pauca purganda habuerunt. Petrus de Palude, in 4. Item nota, quod ſolvens per alium, ita liberatur, ſicut ſi ſolveret per ſeipſum; etiam ſi induſtria perſonæ ſit electa; quia non refert quid ex æquipollentibus fiat, dum tamen æque bene: eſſet autem præſumtuoſus, qui putaret orationem ſuam meliorem orationibus aliorum. Item liberatur quiſquis ſolvendo ſuffragia cum alio, ſicut & ſolus ſimplum, immo ſi a duobus, quorum quilibet debet pro mortuo pſalterium, ſolvatur ſimplum dicendo, ſcilicet ſimul unum pſalterium ſufficit. Quod apparet per ſimile de horis canonicis, quorum quilibet clericorum tenetur in ſolidum, & tamen dicendo ſimul omnes liberantur unica vice; ſed tamen requiritur, quod unus attendat ad verſum ſeu illam partem, quam dicit ſocius, ſicut ad id, quod dicit ipſe, debet attendere; aliter debitum confunderetur. Poteſt etiam dici in hujuſmodi caſu; quia magis acceptat Deus orationes communes, quam ſingulares, & etiam Eccleſia; ideo ex Dei acceptione, & Eccleſiæ ordinatione liberantur, & non alias. Petrus de Palude in 4.

Item quum quæritur, utrum ſolvens ſuffragia in mortali liberetur, vel ſi tenetur ea iterare? Reſpondet Petrus de Palude ſic: Talis aut eſt obligatus ad ſuffragium ex ſtatuto ſuperioris, aut ex promiſſione propria, aut ratione beneficii accepti. Et primo caſu non tenetur; quia ſuperior non potuit eum obligare ad hoc, quod faceret in caritate, ſed ſolum ad ſubſtantiam facti. In ſecundo etiam caſu non videtur, quod teneatur iterare: quia non eſt veriſimile, quod ſe obligaverit ad dicendum in caritate, ſed ſolum ad dicendum vel faciendum abſolute. In tertio caſu, tunc aut eſt obligatus ex congruitate tantum; & tunc non tenetur iterare: aut ex neceſſitate, & tunc etiam non tenetur, quia non tenebatur determinate ad iſtud vel illud. Unde non tenetur iterare, ſicut nec tenebatur facere, immo nec tenetur aliud facere, ſi fuerit miſſa, cujus principalis efficacia eſt ex opere operato, immo etiam nec

* Ideſt *participationem*.

* Scilicet *ordinis religioſorum*.

; Hæc quoque verba, *etiamſi induſtria perſonæ ſit electa*, quæ item in Paludano leguntur, ex memorata Jenſoniana editione addita ſunt. Alia minutiora ex eodem Paludano correximus.

nec tenetur, ſi ſit aliud, quam miſſa, quia valet ex caritate poſtulantis ſuffragium interpretative per beneficii collationem; quod dici poteſt, quando ex mandato vel rogatu alterius in caritate exiſtentis vivi vel mortui, alter, qui eſt peccator, ſuffragium faciat quaſi ex perſona illius, alias non facturus, tunc prodeſt ei. Si autem nomine ſuo faciens, & illi tantum applicare vellet, non poſſet. Petrus de Palude.

Item quum quæritur utrum tantum valeant ſuffragia continuata, quantum ſuffragia ſimul multiplicata, ideſt tantum triginta miſſæ dictæ per triginta dies, quantum triginta dictæ in uno die a diverſis; reſponſio Petri de Palude ubi ſupra, quod ad celeriorem liberationem a purgatorio, & citius videndo Deum plus valet accelerata multiplicatio, quia ſacramentum habitum tantum in propoſito, numquam tantum valet ad pœnæ remiſſionem ex opere operato, quantum ad actum exercitatum; ſicut patet de baptiſmo flaminis: & forte non eſt tamdiu manſurus in purgatorio ille, pro quo perpetuum fit anniverſarium, quod eis egeat. Sed continuata ſucceſſio tantum, vel plus valet ad meritum multitudinis, quia magis eſt ad honorem Dei continuatio talium anniverſariorum. Neutrum ergo condemnandum, quia utrumque fieri poteſt bona intentione, & anniverſarium, ut Deus clarius videatur per opus magis ſibi honorificum, & multitudo miſſarum ſimul dicendarum, ut Deus citius miſereatur, & ne diutius * torqueatur.

* ſupple *anima*.

CAPUT III.

De indulgentiis.

Indulgentiæ ad quid valent.

DE indulgentiis nil expreſſe habemus in ſacra Scriptura, quamvis ad hoc inducatur illud Apoſtoli 2. Corinth. 2. *Si quid donavi propter vos in perſona Chriſti:* nec etiam ex dictis antiquorum doctorum, ſed modernorum. Dicitur tamen Gregorius impoſuiſſe indulgentias ſeptennes in ſtationibus Romæ. Et quia Eccleſia facit hoc, & ſervat, non eſt credendum, quod erret. Sciendum autem, quod non valent ad remiſſionem culpæ, quam ſolus Deus remittit auctoritative, *De conſecr.* Diſt. 4. *Nemo*; ſed valent ad remiſſionem pœnæ debitæ pro peccatis, ſeu ſolutionem, quæ fit de theſauro Eccleſiæ. Et dicitur indulgentia plena ſecundum Petrum de Palude in 4. Diſt. 20. quoad remiſſionem pœnæ mortalium. Plenior reſpectu pœnæ injunctæ mortalium, & venialium. Pleniſſima reſpectu pœnitentiarum non ſolum injunctarum, ſed & injungendarum. Vel ſic: Plena reſpectu pœnæ mortalium & venialium. Pleniſſima reſpectu non ſolum pœnæ, ſed etiam culpæ venialium. Poteſt enim, ut videtur, per indulgentiam, in quantum habet rationem cujuſdam abſolutionis, remitti culpa venialis, ſicut & per confeſſionem generalem, & non ſacramentalem. Sed ad hoc requiritur contritio non perfecta, ſed aliqua contritio ſemiplena, adjuncta papali abſolutione, quæ per ſe non eſſet ſufficiens, ſicut in adjuncta epiſcopali benedictione, quæ per ſe non ſufficeret. Hæc Petrus de Palude.

Claves autem illius theſauri ad ipſum erogandum plenarie habet Papa; ideo dictum eſt Petro: *Tibi dabo claves regni cælorum*, &c. Particulariter, & ſecundum quamdam determinationem eis conceſſam habent epiſcopi, & eorum ſuperiores poteſtatem ad dandum indulgentias præciſe ſubditis ſuis, & non aliis ſecundum Hoſtienſem, extra *De pœnit. & remiſſ. Quod autem*. Inferiores epiſcopi dare non poſſunt indulgentias, ſed bene poſſunt concedere participationem bonorum, quæ fiunt per ſubditos ſuos quibuſcumque, dummodo rationabiliter fiant, & in gratia conſtitutis; alias non eſſent capaces.

Poſſunt autem valere indulgentiæ, ſecundum Thomam & Richardum in 4. non ſolum vivis, ſex etiam exiſtentibus in purgatorio, quando ſcilicet in forma indulgentiæ continetur, quod qui facit hoc vel illud, ipſe faciens vel alius, pro quo facit, conſequatur tantum indulgentiæ. Sed quum in forma indulgentiæ hoc non dicitur, ſed ſimpliciter, qui facit hoc, vel illud, habet tantum indulgentiæ; tunc non poteſt extendi ad defunctos quantumcumque iſte, qui faceret id, pro quo datur indulgentia, intentionem ſuam dirigeret ad defunctos.

§. I. Dare ergo indulgentiam eſt accipere de illo theſauro Eccleſiæ dicto, & ſolvere pro debitis pœnarum recipientibus indulgentias. Nec eſt neceſſarium, quod ſit quis ſacerdos ad dandum indulgentiam, quia pertinet ad juriſdictionem. Et quum Papa ponit generalem indulgentiam in aliqua Eccleſia, vel dat facientibus certum quid, quæ indulgentia conſuevit appellari licet corrupte a pœna & culpa, ſi diſcrete & rationabiliter detur, & fiat debitum, pro quo datur, dicit Hoſtienſis, quod ille ſtatim evolat, ſi in tali ſtatu decedat, ad cælum.

Cauſſa indulgentiarum.

In valore indulgentiarum eſt triplex cauſſa. Una eſt ex parte Chriſti, & hoc eſt meritum & ſatisfactio Chriſti, cujus una gutta ſanguinis ſuffeciſſet. Unde iſte theſaurus, quo ditavit ſponſam ſuam Eccleſiam, reſtat ad mutuandum peccatoribus gratis, unde ſatisfaciant. Secunda cauſſa eſt merita ſanctorum, pœnæ, & pœnalitates, qui multo plura erogaverunt, quam meruerunt peccata eorum. Tertia cauſſa eſt ex parte Eccleſiæ, ſcilicet aliquod opus pium ſpirituale vel temporale. Et licet, niſi ſit juſta cauſſa dandæ indulgentiæ, peccet concedens, quaſi dilapidator tanti theſauri; videtur tamen valere illi, qui conditionem impleret, niſi ipſe illam ſine cauſſa impetraret; quia tunc & ipſe peccaret, & ſine cauſſa ſufficienti impetrans. Si ergo Papa proprio motu morientem abſolveret ab omni pœna per modum indulgentiæ, & ille pie crederet, ſtatim ad cælum evolaret, ac ſi nullam culpam haberet, etiamſi Papa juſtam cauſſam non haberet. Sed alii dicunt, quod non valet indulgentia collata ſine cauſſa juſta & rationabili, a quocumque detur, quia eſt contra voluntatem Dei. Et nota, quod opus bonum pœnale ſanctorum poteſt dupliciter conſiderari. Uno modo in quantum meritorium, & ſic non tranſgreditur perſonam merentis, niſi ſolum meritum Chriſti, qui ſibi & aliis meruit; & ſic nullus plus meruit, quam acceperit, vel acceperus ſit in ſeipſo. Alio modo in quantum eſt ſatisfactorium; & ſic multi ſancti plus ſatiſfecerunt, quam debuerunt. Quia ergo ſancti plus ſuſtinuerunt, quam meruerint, & non ſolum animo merendi, ſed etiam ſatisfaciendi, etiam pro ſe quidem primo, deinde pro omnibus indigentibus ſecundum intentionem Eccleſiæ; ideo illis primo cedit in ſatisfactionem, ſecundum quod indigent, reſiduum reſervatur pro indigentibus diſpenſandum per prælatos Eccleſiæ. Sic igitur tota ſatisfactio Chriſti ceſſit in theſaurum pro ceteris, & nihil pro ſe, quia nullius pœnæ debitor. De Virgine Maria, quia nullius pœnæ pro actuali erat debitrix, omnes ejus pœnalitates cedunt nobis in ſatisfactionem. Pœnæ autem originalis, quæ eſt mors naturæ, ſatisfecit pro ſe, quia illi erat debitrix. De aliis ſanctis, quod ſupererogaverunt, ſoluto debito ſuorum peccatorum, hoc remanet in theſauro Eccleſiæ. Petrus de Palude.

Et nota ſecundum Petrum de Palude ubi ſupra, quod

Chriſtus nõ ſolum meruit, ſed etiam pro omnibus ſatisfecit.

quod Chriſtus non ſolum omnibus meruit, ſed pro omnibus ſatisfecit, quia ſuppoſitum agebat, & patiebatur; unde non ſolum actio merens, ſed etiam paſſio ſatisfaciens fuit infinita. Non eſt ergo ex inſufficientia, quod paſſio Chriſti in ſacramentis non ſolvit, ſed ex Dei ordinatione, qui gratis remittit. Dicere enim, quod in ſacramentis Deus nil remittit, niſi quantum ſibi ſolvitur, aut de theſauro communi Eccleſiæ, aut de theſauro cordis vel corporis vel oris, eſt dicere Deum minus liberalem. Et licet in hoc eſſet liberalitas hominis Chriſti nobis communicantis divitias ſuæ pœnalitatis; in hoc tamen nulla eſt liberalitas Dei, qui nihil de nobis de ſuo donat. Propter quod melius dicitur, quod in ſacramentis eſt liberatio vel a tota pœna, vel a partiali, non ex ſolutione, ſicut in indulgentiis, ſed ex liberali Dei remiſſione, & merito quidem Chriſti, ideſt amore Chriſti; ſed non ex ſolutione Chriſti, qui etſi pro peccato naturæ ſolvit & ſatisfecit, non ſic pro peccato perſonæ. Et ſi dicatur quum ultra infinitum nil ſit, & unum infinitum conſummat aliud; ergo ſatisfactio Chriſti, etſi fuit infinita, videtur exhauſta, tollendo pœnam infinitam, ſcilicet originalis culpæ in baptizatis, nil ergo remanet ad ſolvendum in indulgentiis pro actualibus peccatis; reſponſio, quod eſt verum in infinitis ejuſdem rationis, ſed infinitas virtutis Dei eſt alterius rationis, ab aliis infinitatibus: omnes enim excedit, & omnia alia ad ipſam comparata ſunt finita, & quaſi nihil. Paſſio igitur Chriſti, & in quantum meritoria, & in quantum ſatisfactoria eſt infinita ratione ſuppoſiti, quod omnes infinitates exiſtentes & poſſibiles excedit, quia omnem pœnam damni & ſenſus infinitam, finitam & nullam facere poteſt. Alioquin ſimiliter argui poſſet, quod paſſio Chriſti pro uno ſolo ſatisfacere poſſet, cujus pœna eſt infinita, & non pro duobus, ſicut prius arguebatur, quod pro originali, non pro actuali, niſi diceretur, quod dictum eſt.

Ad conſequendum indulgentiam quæ ſunt neceſſaria.

§. II. Et nota, quod ad conſequendum aliquam indulgentiam datam, quattuor ſunt neceſſaria ſecundum Petrum in 4. duo ex parte dantis eam. Primum eſt auctoritas plenaria, quam habet Papa erga omnes; legati autem non, niſi in termino ſuæ legationis. Archiepiſcopi vero etiam in epiſcopatibus ſuorum ſuffraganeorum,

Ex parte concedentis.

A extra *De pœnit. & remiſſ.* cap. *Noſtro*. Epiſcopi autem etiam electi, etſi nondum conſecrati, dare poſſunt tantum in ſuo epiſcopatu, & in dedicatione Eccleſiæ ſive ab uno ſive pluribus conſecretur, dare non poſſunt niſi unum annum. In anniverſario dedicationis tantum quadraginta dies, extra *De pœnit. & remiſſ.* cap. *Quum ex eo*, in fine. Idem Richardus. Quod autem prælati ſint boni, vel mali, nil habet facere ad valorem indulgentiæ. Thomas.

Secundum eſt cauſſa rationabilis, puta aliquod opus pium ad honorem Dei & utilitatem proximorum ordinatum, ut viſitatio Eccleſiarum, ædificatio hoſpitalium, redemtio captivorum, & hujuſmodi. Verum quia indulgentiæ ſunt bona
B ſpiritualia, & ſpiritualia pro temporalibus non ſunt danda; ideo ſecundum Thomam & Petrum indulgentiæ non ſunt dandæ principaliter pro temporalibus, ſed pro ſpiritualibus, ut ſcilicet per eas excitentur homines ad bona opera. Et ex hoc oſtenditur, quod non poteſt Papa extrahere omnes animas de purgatorio, dando eis indulgentias, quia hoc eſſet indiſcretum & irrationabile.

Ex parte recipientium.

Alia duo requiruntur ex parte recipientis. Et primum eſt, quod ſit in ſtatu merendi, ideſt quod habeat gratiam. Unde ſecundum Petrum de Palude non valent indulgentiæ exiſtentibus in mortali, quia manente offenſa, reatus pœnæ tolli non poteſt. Dicit Petrus de Palude, quod quum dicitur in indulgentiis *vere pœnitentibus, & confeſſis*,
C intelligit ipſe confeſſionen propoſito, quia non oportet de facto. [1] Contra quod tamen eſt, quia in quibuſdam exprimitur, *vel qui infra menſem fuerint confeſſi:* unde videtur ex mente & pactione concedentis, quod quando quis non implet confeſſionem, non eſt in ſtatu merendi; poſtea recedente fictione, [2] recipiat effectum. Secundum, ut faciat illud, pro quo datur indulgentia: unde quantumcumque aliquis haberet voluntatem faciendi id, pro quo datur indulgentia; puta eundi ad Eccleſiam, vel dando eleemoſynam, & non faceret, quia non poteſt, non obtinet indulgentiam ſecundum Thomam & Albertum. Religioſi autem poſſunt habere ſicut laici, ſi faciunt id, quod continet indulgentia. Quamvis enim ex ſe nil dare poſſint, quum nil habeant proprium, 12. quæſt.
D 1. *Non dicatis*; poſſunt tamen ex licentia prælati dare. Thomas. Prælati etiam dantes indulgentiam

1 Quod traditur de ſufficientia confeſſionis *in propoſito* pro lucrandis iis indulgentiis, quæ confeſſionem præmiſſam efflagitant, eſt etiam contra hodiernam praxim & communem ſenſum, quibus confeſſio præmittenda *de facto* creditur. Immo etſi Benedictus XIV. olim Cardinalis & Archiepiſcopus Bononienſis tom. 2. Notific. 12. ad eam quæſtionem, *Se la confeſſione per il Giubileo ſia neceſſaria come opera ingiunta, o pure ſi richieda come diſpoſizione neceſſaria alla grazia*, reſpondeat univerſim ex *communi* Theologorum doctrina, *doverſi eſſa riſolvere eſaminando le parole di chi ha conceduta l' Indulgenza*; cum iiſdem tamen concludit, *eſſere neceſſaria la confeſſione, ancorchè non ſia preſcritta per opera ingiunta, in chi per ſua diſgrazia è caduto in peccato mortale, richiedendo ſempre il concedente in chi deve guadagnar l' Indulgenza, che ſia ſoggetto capace della medeſima; e non potendo queſti eſſerlo, ſe dopo aver commeſſo un peccato, non ſi confeſſa: in quella guiſa appunto che per ricever degnamente l' Eucariſtia, non baſta in chi è caduto in peccato mortale la ſola contrizione benchè perfetta, ma ſi richiede di più la Confeſſione*: & dein, ſi in paſchale tempus indulgentia incidat, communionem & confeſſionem, quam quis ex præcepto feciſſet, non ſatisfacere, ſed novam eſſe faciendam, ut certa ſit indulgentiæ acquiſitio, palam inſinuat: quod ſcilicet aliquid diſtinctum a præcepto, ſi præſtari queat, ita Eccleſiam velle & imponere intelligatur in indulgentiis, uti diſtinctum imponere ſolet onus Confeſſarius, dum pro peccatorum ſatisfactione miſſam die feſto audiendam præſcribit: de quo plura diximus not. 6. in cap. 14. tit. 4. pag. 326. Ne vero de confeſſionis neceſſitate quiſpiam addubitet in pleriſque ſaltem indulgentiis, memorandum eſt decretum Sacræ Congregationis de Propaganda fide die 20. Septembris anni 1734. a qua quum quæſitum fuiſſet, *An Sacerdotibus Miſſionariis in regionibus infidelium degentibus deficiente Confeſſario, ac ſacrum peragentibus præmiſſa dumtaxat contritione, ſufficiat quoque pro aſſequenda Indulgentia actus contritionis*, reſpondit *negative*, id quod & Summus Pontifex approbavit; & ſolum ex ſpeciali diſpenſatione Miſſionariis petentibus indulſit, ut in locis & actu Miſſionum indulgentias lucrarentur, *quoties deficiente copia Confeſſarii, præmiſſo tantum actu contritionis, ſacrum celebraverint*: adeo confeſſio inter conditiones neceſſarias præſumitur. Vide decretum integrum apud Euſebium Amort in Hiſtor. Indulgentiarum pag. 461. Venetæ edit. anni 1738.

2 Communior jam ſententia tenet, indulgentiam ſine æqua diſpoſitione receptam intra præſcriptum tempus, recedente poſtea fictione non reviviſcere: quippe quod indulgentiarum effectus operibus injunctis connexum, a Pontificibus nequaquam ſuſpenditur: ſed vel exeritur ſtatim poſt ultimum opus, ſi ſubjectum ſit idonee diſpoſitum; vel, ſi diſpoſitum non eſt, impeditus tum, non reviviſcitur amplius.

gentiam poſſunt ea uti. Et clerici etiam ipſius Eccleſiæ, ubi eſt indulgentia, conſequi poſſunt; unus autem pro altero indulgentiam capere non poteſt, niſi hoc contineat forma indulgentiæ. Thomas.

De valore indulgentiarum.

§. III. Valent etiam indulgentiæ ſecundum Thomam & Albertum quantum ſonant, ut videlicet quadraginta dies indulgentiæ valent quantum quadraginta dies pœnitentiæ ſecundum taxationem factam, ſive a ſacerdote, ſive a jure, ſive a juſtitia divina. Dies enim iſti, ſive anni non ſunt anni cæli, nec purgatorii, ſed mundi. Et ſicut in mundo quadraginta dies pœnitentiæ plus valent uni perficienti cum majori devotione, quam valeant alteri, [3] ita quadraginta dies indulgentiæ plus valent illi, qui cum majori caritate, ſeu rei datæ quantitate accedit. Richardus autem dicit in 4. Sentent. quod quantum ad remiſſionem pœnæ pares ſunt ille, qui plus dat, & qui minus, ſi hoc continetur in forma indulgentiæ. Sed quantum ad remiſſionem intenſionis pœnæ, & quantum ad ſui diſpoſitionem & recipiendum augmentum gratiæ, plus recipit, qui plus dat, niſi in caſu, quo minus datum, eſſet majus per comparationem ad dantem.

Quando autem indulgentia poſita Eccleſiæ eſt determinata ad tempus, puta, qui vadit ad talem Eccleſiam uſque ad tale tempus, habeat tantum de indulgentia; intelligitur ſemel tantum haberi ſecundum Thomam. Unde ſi quis multis vicibus iret ad unam Eccleſiam in die, qua eſt ibi indulgentia, & ſemper de novo offerret, non haberet propterea indulgentiam, niſi ſemel. Sed in Eccleſia ſancti Petri de Roma eſt perpetua indulgentia quadraginta dierum, ut quoties ingrediatur, toties obtineat. Thomas. Nota, quod indulgentia ſecundum Petrum de Palude in 4. tantum valet quantum ſonat, & in foro Dei & hic & in purgatorio, ſic intelligendo, quod qui lucratur indulgentiam viginti annorum, tantum ſibi valet ad remiſſionem pœnæ pro peccatis ſuis, quantum illi valuiſſent viginti anni in pœnitentia injuncti, ſi illis viginti annis pœnituiſſet; aliter Eccleſia deciperet. Sed ſicut pœnitentia, quanto fit in majori caritate, tanto eſt magis ſatisfactoria; ſic iſti viginti anni lucrati tanto ſunt plus vel minus ſatisfactorii iſti, quam illi, quanto pœnitentia iſtius fuiſſet ſatisfactoria magis, quam illius. Et propter hoc indulgentiæ ſunt maxime utiles peccatoribus, & ſecuræ, qui ſæpe recidivant, & non facile abſtinent per totum annum a mortali, ſicut abſtinent uno die, quo datur indulgentia,

Senſus indulgentiarum.

A Quibuſdam [4] probabiliter videtur, quod intelligatur de pœnitentiis injungendis, quaſi diceret: Dies de tali pœnitentia, qualis tibi clave non errante deberet injungi. Alii dicunt, quod tantum valent, quantum ſonant, & plus, ſi plus intendit ille, qui dat; dum tamen poſſit concurrentibus debitis circumſtantiis. Sed ſi non intendit dare, niſi quantum ſonant; tunc non relaxantur niſi pœnitentiæ injunctæ in foro pœnitentiali; unde ſi nihil eſt injunctum, nihil remittitur. Sed quum datur indulgentia plena, plenior, vel pleniſſima, tunc omnis pœnitentia injuncta, & injungenda remittitur hic & in futuro. Alii dicunt, quod videtur iſte ſenſus verborum: *Remitto tibi unum annum de pœnitentia injuncta*, ideſt tantum minus punieris in purgatorio, quantum eſſet, ſi uno B anno continue egiſſes pœnitentiam in hac vita. Nec credunt, quod propter has indulgentias generales minus teneantur agere pœnitentiam in hac vita: & horum dictum ſatis [5] videtur concordare æquitati, ut notat Innocentius. Item nota, quod quum eſt determinata quantitas indulgentiæ, & taxata quantitas eleemoſynæ, qui dat tantum, habet; qui non dat tantum, non habet, etiamſi ſit pauper. Sed ſi ſimpliciter datur ſic, *qui ſubvenit tali loco, habeat tantum de indulgentia*, intelligitur ſecundum ſuam conditionem. Item nota, quod indulgentia data vel per Papam vel per Epiſcopos ſimplicer ſemper durat, [6] dum durat locus, C nec exſpirat per mortem concedentis. Sed ſi Eccleſia deſtruatur, ut oporteat eam iterum dedicare, tunc indulgentiæ deſtruuntur. Datæ ad tempus, ut quinquennium, uſque ad illud tempus durant. Hæc omnia Petrus de Palude.

Notabile.

Duratio indulgentiarum.

Item nota, quod præciſi non poſſunt dare indulgentias, quia non extenduntur niſi ad ſubditos, quos præciſus non habet. Item nota, quod non proſunt non ſubdito, niſi de licentia proprii Epiſcopi, vel proprii judicis. Unde ſufficere videtur licentia curati. Petrus de Palude.

De indulgentia plenaria.

§. IV. Demum videndum eſt de indulgentia plenaria, quæ datur ſolum a ſummis Pontificibus, quod fit diverſimode. Aliquando enim datur univerſaliter omnibus certum locum viſitantibus ſimpliciter, ideſt pro omni tempore; ſicut communiter dicitur de viſitantibus ſepulchrum Domini. Verum eſt D tamen, quod ſine licentia Papæ non poſſunt illuc accedere; quod videtur inſtitutum, ne ob ſuaſionem Sarracenorum ibi habitantium fideles fidem veram abnegarent, vel timore devicti pœnarum inferendarum ab eis. Aliquando datur indulgentia plenaria omnibus [7] viſitantibus certum locum cer-

3 Subintelligitur, *qui cum minori*, ut additur ab Innocentio V. in 4. Sentent. Diſt. 20. quæſt. 3. art. 1. apud quem eadem ſententia totidem fere verbis legitur.

4 Petrus de Palude, unde hæc Auctor iiſdem quandoque verbis ſumſit, multo explicatius ait probabiliter videri non nullis, intelligendum de pœnitentiis injungendis, *quod dicitur: Quadraginta dies de tali pœnitentia, qualis clave non errante debet injungi, ut ſcilicet quadraginta dies lucrati tantum ſibi valeant, quantum illi quadraginta dies, qui deberent injungi, valuiſſent &c.*

5 Vide Prælect. III. huic parti præmiſſam, ubi hunc locum fuſe explicavimus, & adverſus vulgarem opinionem vindicavimus.

6 Supple, *niſi revocentur*; nam, ut Auctor docet paullo poſt, revocatæ non valent, niſi renoventur; nec de renovatione affirmare licet, niſi conſtet: unde damnata ab Alexandro VII. propoſ. 37. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus & revocatæ a Paullo V. hodie ſunt revalidatæ*, quod infirmis fundamentis nitebatur, quæ expendere nec vacat, nec opus eſt. Nota porro alias plures indulgentias revocatas eſſe præter multas item apocryphas, de quibus legendum eſt decretum Sacræ Congregationis Indulgentiis ſacriſque Reliquiis præpoſitæ, a Summo Pontifice approbatum & editum die 7. Martii an. 1678. ubi plura, quæ vulgo creduntur, ſublata vel ſuppoſititia declarantur. Recuſam leges in Hiſtoria Indulgentiarum D. Euſebii Amort part. 2. pag. 231. edit. Venet. an. 1738.

7 Notandum hoc loco maxime eſt, in hodiernis indulgentiis pro particularibus Eccleſiis, vel altaribus &c. apponi ſolere hanc clauſulam: *Volumus autem, ut, ſi alias Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus alia indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullæ ſint*. Hanc vero clauſulam Pontifice approbante ſic explicavit Congregatio die 23. Jun. 1676. *ea minime contineri altaria privilegiata pro defunctis, neque indulgentias certo perſonarum generi conceſſas, ut Confraternitatibus Regularibus & Capitulo, aut certum pium opus in Eccleſia peragentibus, ut litanias aliaſque hujuſmodi orationes recitantibus, nec iis, qui Chriſtiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui SS. Euchariſtiæ ſacramenti expoſitioni cum oratione quadraginta horarum interſunt, neque ſtationum Urbis & ſeptem altarium indulgentias inſtar ſeptem altarium*

certa die infra annum, ut conceſſum eſt Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Angelis ordinis prædicatorum Ferrariæ per Eugenium IV. & in provincia provinciæ in Eccleſia ſanctæ Mariæ Magdalenæ in balnea per eumdem. Et hujuſmodi in perpetuum permanent, niſi per Papam revocentur, ſicut revocatæ fuerunt omnes tales indulgentiæ datæ inſtar indulgentiarum aliorum in concilio Conſtantienſi. Oportet enim viſitantem talia loca implere ea, quæ in forma ipſa continentur ad conſequendum talem indulgentiam, nec ad alios vivos vel defunctos poſſunt applicari, quia communiter ibi dicitur de ipſis accedentibus. Tertio modo datur indulgentia plenaria omnibus facientibus certum opus, puta aſſumentibus crucem ad bellandum contra infideles, vel euntibus vel mittentibus bellatores contra illos, vel dantibus certam ſummam pecuniæ eleemoſynaliter pro tali opere vel alio pio negotio. Quarto modo datur certis & determinatis ſive nominatis perſonis facientibus infra annum vel aliud tempus in bulla taxatum certas eleemoſynas, & jejunia, vel alia pia opera orationum & hujuſmodi, quod talis habeat facultatem eligendi idoneum confeſſorem in articulo mortis, qui vigore talis indulgentiæ valeat abſolvere ab omnibus peccatis, de quibus eſt corde contritus, & ore confeſſus, exceptis illis, quæ perpetraſſet ſub fiducia talis gratiæ. Quinto datur plenaria indulgentia viſitantibus certas Eccleſias Urbis certis diebus, ut dicetur infra: & hoc de quinquagenario in quinquagenarium, & dicitur indulgentia Jubilæi.

Indulgētia a pœna & culpa quomodo debet intelligi.

Circa materiam iſtam primo ſciendum, quod quamvis tales plenariæ indulgentiæ vulgariter nuncupentur indulgentiæ de culpa & pœna: locutio tamen talis proprie non eſt vera, quia culpæ ſolus remiſſor eſt Deus auctoritative, juxta illud, quod Dominus ait per Iſaiam cap. 43. *Ego ſolus deleo iniquitates tuas propter memetipſum*. Et *De conſecr.* Diſt. 4. *Nemo*. Poteſt tamen ſic ſalvari dicta locutio, ut remiſſio culpæ referatur ad contritionem & confeſſionem, quæ præexigitur ad conſequendam indulgentiam, ut patet ex forma & remiſſione pœnæ ad effectum indulgentiæ. Ad hoc enim ordinatur omnis indulgentia, ſive particularis ſive univerſalis, ad remiſſionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis commiſſis partialem vel totalem, pro qua ſi quis non ſatisfacit in præſenti per opera bona in ſtatu gratiæ facta, vel per pœnitentias junctas in confeſſione, vel per ſacramentorum piam ſuſceptionem, vel indulgentiarum ſuffragationem; in purgatorio poſtmodum eas luet, ſi tamen in ſtatu gratiæ decedat; alias ad inferna deſcendit numquam eas ſoluturus ſecundum doctores in 4. Et quia indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant; ideo diligenter attendendus eſt tenor earum & obſervandus. Non enim in hujuſmodi *votum pro opere reputatur*, ut ait Caſſiodorus *De pœnit.* Diſt. 1. *Magna*; ſed oportet opere implere, quod ibi mandatur. Nec ſufficit partem implere, ut partem habeat indulgentiæ, ſed aut totum, autem nihil, ut v. gr. ſi quis teneatur ex forma indulgentiæ certa jejunia facere infra annum proximum, & ex incuria non faciat omnia, non conſequetur. Si quis debeat viſitare quattuor Eccleſias per quindenam, & tantum tres ex eis viſitat, vel ſolum per quaterdenam; non conſequetur eam.

De indulgentia in articulo mortis.

§. V. Et quia indulgentiæ in articulo mortis quam plurimis datæ ſunt ab Eugenio IV. quæ nullo dubio permanent in ſuo valore poſt mortem ejus per regulam: *Decet beneficium principis eſſe manſurum*, *De reg. jur.* lib. 6. plura dubia inſurrexerunt circa hujuſmodi.

Primum eſt: quis dicatur in hac materia articulus mortis, in quo habens hujuſmodi indulgentiam abſolvitur: utrum verus, quum ſcilicet quis moritur; vel præſumtus, quum ſcilicet quis æſtimatur ſecundum commune indicium moriturus, quamvis poſtea evadat; quod pluries accidit. Ad quod reſpondetur, quod ſi non plus habeatur ex forma indulti, nec concedens aliter ſuam intentionem exprimat, videtur intelligendum de articulo præſumto, non vero. Sicut etiam extrema unctio dicitur, quæ eſt ſacramentum exeuntium, quia debet dari his, qui ſecundum communem æſtimationem reputantur morituri; & tamen ſi evadant, iterum poſtea inunguntur, & nihilominus extrema dicitur, quia ſic æſtimabatur, quod foret extrema. Tunc ergo quum in tali articulo præſumto mortis abſolvitur, conſequi videtur effectum indulgentiæ uſque ad illud tempus, quamvis poſtea evadat, & gratia illa exſpirat in poſterum. Ita conſuluit dominus Joannes Dominici. Secus autem eſſet, ſi in forma diceretur, quod conſequetur effectum indulgentiæ in caſu, quo moriatur, tunc alias ſibi reſervetur in finem. Tunc enim non conſequitur effectum, ſi non moritur, nec gratia exſpirat per illam abſolutionem. Idem ſi non habeatur hoc in forma, & tamen concedens declarat ſic intendere, ſcilicet de articulo vero non præſumto, ut dicitur Eugenius declaraſſe.

De confeſſione injuncta.

Secundo quæritur, utrum quis teneatur generaliter [8] confiteri de peccatis etiam, quæ alias rite confeſſus eſt, ut conſequatur effectum indulgentiæ plenariæ? Et aliquibus viſum eſt, quod ſic, quia dicitur in forma indulti, quod confeſſor, quem elegerit, in articulo mortis abſolvat, & det ſibi auctoritate apoſtolica plenariam remiſſionem omnium peccatorum, quæ eſt ore confeſſus, & contritus. Si ergo non confiteatur, tunc ad illa, quæ alias confeſſus eſt, non videtur extendi remiſſio, niſi ad ſibi tunc confeſſa, & non ad alia. Sed in oppoſitum eſt rei veritas. Pro cujus declaratione eſt ſciendum, quod clavis juriſdictionis circa hominem in mortis articulo conſtitutum dupliciter in ſacerdote dilatatur, ſcilicet de jure communi, & de indulto particulari. Et quantum ad primum modum, [9] poteſt quilibet ſacerdos quemlibet in articulo mortis conſtitutum ſibi confitentem abſolvere ab omnibus peccatis & ſententiis excommunicationis indifferenter, ſacramentaliter, & in forma pœnitentiali. Hæc autem poteſtas per hujuſmodi indultum non committitur, quia quilibet ſacerdos non præciſus habet hanc de jure communi in eo caſu. Præterea talis abſolutio ſacramentalis etiam extenditur ad peccata, quæ prætextu talis univerſalis auctoritatis commiſſa eſſent; nullum enim excipitur, dummodo contritus confiteatur. Sed poteſtas conceſſa ſacerdoti reſpectu hujus indulti non extenditur ad peccata, quæ commiſiſſet prætextu talis

rium baſilicæ Vaticanæ conceſſas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Ceterum ſi alia indulgentia ſeu plenaria, ſeu non plenaria, in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Chriſti fidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus altare, vel capellam viſitantibus eodem anni die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in litteris Apoſtolicis mentio; has litteras ob adjectam clauſulam eſſe prorſus irritas ac nullas. Integrum decretum legi poterit in *Collectione Propoſitionum damnatarum cum aliis conſtitutionibus* &c. Romæ edita an. 1699. pag. 166.

8 Confer decretum diei 30. Aprilis an. 1734. cujus meminimus not. 1. in fine.

9 Supple, *ſi approbatus deſit Confeſſarius*, ut in Rituali Romano explicatur.

lis indulgentiæ, ut patet ex forma indulti. Sed nihilominus quoad ipsa commissa prætextu indulti valet absolutio sacramentalis, quæ fit de jure communi in hujusmodi articulo, si conteratur, & confiteatur, si memoriæ occurrat quoad culpam, & quoad pœnam temporalem, potestate communi clavium, plus & minus secundum dispositionem ejus. Secundo modo dilatatur clavis jurisdictionis in sacerdote in hoc articulo propter indultum speciale talis indulgentiæ quoad remissionem pœnarum temporalium, quas quis soluturus est hic, vel in purgatorio, quas de jure communi sacerdos remittere non poterat; sed potest vigore indulti hujus. Ubi etiam notandum, quod ista remissio, quæ in hac gratia indulgentiæ committitur, non * sacramentalis; ideo non requirit de necessitate notitiam peccatorum, nec formam absolutionis sacramentalis, sed præsupponit, quod sit tunc vel antea corde contritus, & ore confessus. Cujus ratio esse potest, quia quum sint tres partes integrales pœnitentiæ; hujusmodi gratiosa indulgentia non potest supplere, nisi tertiam, scilicet satisfactionem, contritionem & confessionem supplere non potest. Non enim potest quis pro alio conteri vel confiteri sacramentaliter, nisi per interpretem, quum nescit loqui; sed bene potest unus pro alio satisfacere vivo vel defuncto. Et ideo pontifex Romanus, qui est principalis dispensator thesauri Ecclesiæ, intendit per hujusmodi indulgentias, idest quod de ipso thesauro, scilicet pœnarum Christi & sanctorum, adjuventur fideles ad satisfaciendum seu solvendum debita hujusmodi pœnarum. Non ergo oportet, quod confiteatur generaliter, seu alias confessa, nec hoc exprimit forma indulti; sed quod det sibi plenariam remissionem peccatorum, quæ est ore confessus, & contritus. Non dicit sibi, sed simpliciter: *Qui est confessus*. Si igitur aliquis est confessus, jam est confessus, & implevit formam indulti, ut non oporteat confessa iterum confiteri. Sed si qua perpetrasset mortalia post ultimam confessionem rite factam; de illis oportet confiteri, ut ad illa extendatur remissio pœnæ debitæ pro illis. Etsi amisisset loquelam, sed non usum rationis; posset provideri saluti suæ per signa & nutus, quæ æquivalent confessioni, & ad consecutionem remissionis pœnæ illorum. Sed si per nullum modum potest intimare talia peccata, valebit quidem sibi contritio sola, si eam habeat ad remissionem culparum talium; sed non extendetur remissio pœnæ illarum vigore indulti, ut videtur, quia numquam est ea confessus. Si autem incurrat amentiam vel frenesim post mortale commissum, de quo numquam habuit contritionem, quum nec in tali statu posset eam habere; nec salvatur, nec in aliquo sibi suffragatur, nec valet indulgentia. Verum quia sciri non potest hoc, nisi permansisset usque ad illud ultimum in aliquo notorio crimine, ut in concubinatu, usura publica, & hujusmodi, potest sacerdos facere, quod in se est, ut det sibi talem absolutionem, & plenam remissionem.

Remissio indulgentiarū qualis sit.

Suppl. est.

De venialium confessione.

Et idem dicendum est de venialibus, hoc est, quod quia non sunt de necessitate confitenda; ideo eis non confessis, non propter hoc tollitur valor indulgentiæ, si mortalia est confessus tunc, vel alias, & de venialibus sit contritus; alias etsi per hoc non impediretur a salute, quia venialia non tollunt gratiam, nec effectum hujus indulgentiæ; impedirent tamen ad remissionem pœnarum debitarum pro illis venialibus, nisi conteretur, ex eo quod pœna non remittitur remanente culpa etiam veniali. Idem intelligendum est de omnibus indulgentiis, quæ dantur particulariter, vel universaliter pœnitentibus & confessis, scilicet quod oportet confiteri, si qua commisissent mortalia post ultimam confessionem; alias sibi non valerent: [10] venialia autem non oportet confiteri, nec mortalia jam rite confessa. Verum quia confessio semper est utilis, etiam iterata, frequenter etiam de venialibus, & venialia confiteri, & alias confessa, non potest nisi juvare, præsertim quum per confessionem efficiatur quis aliquando de attrito contritus; ideo si quis vult generaliter tunc confiteri, non potest nec debet reprehendi, sed commendari; sed non est hoc necessarium ad consequendum effectum indulgentiæ.

10

De forma absolutionis plenariæ.

Tertio quæritur, quæ sit forma hujus absolutionis vel remissionis plenariæ, quod est diligenter inspiciendum; quia sicut forma est principium essendi, ita & cognoscendi. Et ideo est tenda una distinctio communis, & satis vulgata secundum theologos & canonistas, videlicet, quod duplex est clavis, una ordinis, alia jurisdictionis. Dare autem indulgentiam plenariam vel non plenariam non pertinet ad clavem ordinis, sed jurisdictionis; quod patet ex eo, quia clave ordinis non potest uti, nisi qui est sacerdos, quod est absolvere in sacramento pœnitentiæ sacramentaliter. Sed absolvere in foro judiciali seu dare indulgentiam partialem vel plenariam, pertinet ad clavem jurisdictionis, quod fieri potest etiam per eum, qui non est sacerdos. Nam legatus non sacerdos dat indulgentiam, & Papa electus canonice, etsi non sit adhuc sacerdos, potest dare indulgentias. Et sic patet, quod non pertinet ad clavem ordinis, sed jurisdictionis dare indulgentias. Ad clavem autem ordinis pertinet habere potestatem super corpus Christi verum ad conficiendum, & super corpus Christi mysticum ad absolvendum a peccatis sacramentaliter. Et absolutio quidem a peccatis sacramentaliter habet certam formam, quæ mutari non potest quoad formam substantialem, nec ea uti potest quis, quod efficaciam habeat, nisi sacerdos. Sed absolutio plenaria seu concessio remissionis plenariæ non habet certam formam determinatam; & ideo variari potest, quinimmo absque aliqua forma verborum potest concedi, utputa quum concedens dicit, visitans talem Ecclesiam vel faciens talem eleemosynam, pœnitens & confessus habeat plenariam indulgentiam. Et intelligitur, ut dictum est supra, quod tunc vel antea sit confessus de necessario confitendis. Manifestum est enim talem, qui illa implet, statim absque alia forma verborum alicujus absolutionis consequi effectum illius indulgentiæ, nisi ponat obstaculum incontritionis.

Tenor verborum notandus.

Secundo notandum, quod illa debet esse forma verborum in remissione plenaria concedenda, quam concedens indulgentiam decrevit. Nam in illa forma

[10] Benedictus XIV. loco allegato adnot. 2. ait: *Non potendosi chiaramente discernere dalle parole del concedente, se richieda la confessione qual mera disposizione alla grazia, ovvero come una delle opere prescritte, è insinuazione di gravissimi Dottori, che chi vuol conseguir l'indulgenza, ancorchè non avesse nuovi peccati mortali, si confessi anche de' veniali, o de mortali altre volte confessati.* Id confirmatur ex decreto Congregationis, cujus meminimus not. 1. si quidem præsumamus (ut præsumendum videtur) decretum universim accipiendum etiam de iis Missionariis, qui Missam cum solis venialibus celebrant sine confessione, quam deficiente confessario facere impotentes, ut lucrentur Indulgentias, supplent per contritionem cum confessionis voto, uti fit, quum urgente necessitate sacrum peragendum est ei, qui mortale aliquod crimen contraxit. Si itaque vel de his Congregatio *negative* respondit, argumentum est evidens, confessionem tamquam præscriptum opus haberi oportere, sine quo indulgentiæ nequaquam acquiruntur.

ma debet minister exsequi mandatum, in qua ejus imperator injunxerit. Quum ergo in hujusmodi gratiis communiter talis sit forma indulti, ut confessor tali personæ inobedientia Romanæ Ecclesiæ persistenti etiam plenariam remissionem largiatur; sequitur ex tali forma commissionis imperativa, quod talis debet esse forma exsecutionis indicativa: *Ego auctoritate sedis Apostolicæ mihi pro nunc commissa concedo tibi plenariam remissionem omnium peccatorum tuorum, de quibus es contritus, & ore confessus, præter ea, quæ ex confidentia hujus indulti commisisti.* Si addatur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, congruum erit, sed non necessarium: & quod alii addunt, *& restituo te illi innocentiæ, in qua eras*, quando *baptizatus fuisti*, superfluum videtur; non tamen vitiat actum.

Tertio est notandum, quod ex commissione actualiter plenariam remissionem concedens, non oportet, quod necessario sit sacerdos, nisi expresse in commissione mandetur hoc: *Non enim est servus major domino suo*: sed concedens plenariam indulgentiam potest non esse sacerdos; ergo & exsequens non oportet, quod sit sacerdos, nisi hoc contineret forma indulgentiæ hujusmodi. Sicut enim talis pœnæ remissio potest dari cum forma, & sine forma; ita etiam per ministrum, & sine ministro, & per ministrum sacerdotem, & non sacerdotem; nisi in bulla dicatur expresse, quod minister hujus confessionis sit sacerdos. Si autem non dicatur in bulla, nisi quod sit idoneus confessor, & quis in articulo mortis constitutus habens talem indulgentiam sacerdotem habere non possit, vel etiam clericum, satis videtur, quod [11] laicus in eo casu possit judicari idoneus confessor, quia, ut dictum est, talis confessio, vel absolutio non est sacramentalis, quæ non potest fieri nisi per sacerdotem. Unde & confitens peccata sua laico in tali casu, quum non habet copiam sacerdotis, laudabiliter quidem facit; sed evadens tenetur iterum illa sacerdoti confiteri, quum laicus non habeat clavem ordinis. Tamen si confitetur laico necessario confitenda, vel mortalia commissa post ultimam confessionem, valet quidem sibi ad consequendam indulgentiam talem.

Materia remissionis plenariæ.

Quarto est notandum, quod materia, circa quam principaliter est remissio plenaria, & materia, circa quam est remissio sacramentalis, differunt quasi sicut culpa & pœna. Nam potestas, quæ est clavis ordinis, præcipue est circa culpam actualem, quamvis etiam virtute clavium diminuatur, & de pœna debita temporali plus & minus secundum quantitatem contritionis & laboris, & prius opere injuncto satisfactionis. Sed clavis jurisdictionis est in hujusmodi indulgentiis contra pœnam temporalem debitam pro culpa. Nam etsi culpa dimittatur, hoc est ratione contritionis & confessionis prius factæ. Unde & remissio sacramentalis vel culparum mortalium semper est plenaria vel nulla, quum omnia mortalia sint connexa adinvicem ex parte aversionis, ut unum non possit dimitti sine altero. Remissio autem, quæ fit per indulgentias, potest esse & plenaria & partialis de aliquibus annis vel diebus secundum formam indulti.

Quinto idem videtur dicendum, si sacerdos vel laicus, quum non habetur sacerdos, quum nesciat formam, quæ consuevit communiter dici ex ignorantia vel inadvertentia, non illam dicit, sed æquipollentiam, puta: *Do tibi illam indulgentiam, quæ continetur in hoc tuo indulto*: vel. *Dominus te absolvat a tua culpa & pœna secundum gratiam, quam dicis tibi concessam a summo Pontifice.* Nec sequitur, quod frustra in forma indulti ponitur, quod valet sibi eligere confessorem idoneum, &c. quia hoc fit, ut faciendo, si potest, confessionem sacramentalem sacerdoti de mortalibus nondum confessis, vel de illis, etsi jam confessis, vel venialibus, non necessariis confiteri, efficacius tollatur obstaculum ad consequendum indulgentiam, quum per confessionem efficiatur quis aliquando de attrito contritus secundum Thomam. Quod si in forma indulti hoc diceretur, quod valeat sibi eligere confessorem sacerdotem secularem, vel regularem; ex ipsa forma patet, quod debet esse sacerdos, qui det sibi illam plenariam remissionem.

Dubitatio de peccatis oblitis.

Quarto quæritur, utrum valeat dicta confessio quoad peccata oblita? Et videtur quod non, quia datur ex forma indulgentiæ remissio plenaria peccatorum, de quibus est contritus & confessus: Sed quorum est oblitus, non est confessus; ergo de illis non datur. In contrarium, ut credo, est rei veritas. Cujus ratio est, quia quum Deus non requirat ab homine impossibile; ita videtur sentiendum de Papa, qui ejus vices tenet in terris, quum regula dicat: *Nemo ad impossibile obligari poterit*, *De regul. jur.* lib. 6. Impossibile est autem, quod quis confiteatur in particulari illud, quod non habet in memoria, nisi diceret mendacium; quod nullo modo est faciendum, 22. quæst. 2. *Quum humilitatis*. Sed nec istud requirit ad hoc, ut remittat oblita; sed sufficit, quod conteratur, & confiteatur de iis in genere cum proposito conterendi, & confitendi in specie, quum menti occurrerint, & per hoc remittuntur, si alias est bene dispositus. Et ita videtur æstimandum Papam hoc intendere in tali indulto, scilicet de confessione eorum, quæ menti occurrunt cum competenti discussione, & eorum, quæ sunt necessario confitenda, ut mortalia; de oblitis autem sufficiat confessio, sicut & contritio generalis. Ad quod etiam facit a simili Decretalis: *Omnis utriusque sexus*, *De pœnit. & remis.* Nam ibi præcipitur, quod quis omnia peccata sua debeat saltem semel in anno confiteri proprio sacerdoti, & certum est, quod peccata oblita sunt peccata. Non enim oblivio facit peccatum perpetratum non esse peccatum, & quum quis ea non confiteatur, quia non recordatur; ergo non omnia peccata sua confitetur; ergo quum non servet mandatum ea non confitendo, quia non omnia, peccabit mortaliter: quod esset absurdum dicere. Intelligenda est ergo Decretalis illa de peccatis confitendis, scilicet qualis memoriæ occurrunt in particulari, alia in generali. Et similiter in proposito quoad consecutionem plenariæ remissionis sufficit confessio de oblitis in genere, nec requiritur in specie; quod est impossibile.

Idem videtur dicendum, quum in forma hujus indulti continetur, quod si habet alteri satisfacere seu restituere, restituat; intelligendum videtur, si potest: sic enim glossat Augustinus illam regulam: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum*, *De reg. jur.* lib. 6. videlicet, *si potest restitui*, ut ipse Augustinus expresse dicit 14. quæst. 6. *Si res.* Qui ergo abstulit ab aliis per furtum, rapinam, usuram, fraudes, & hujusmodi certam summam pecuniæ, & penitus nihil habet ad restituendum; utique talis habens talem indulgentiam, non privabitur

11 Vide not. 13. in cap. 19. tit. 14. part. 3. pag. 785. Hodie sane nulla indulgentia confessionem nisi apud sacerdotem, & hunc approbatum, vel eo deficiente in articulo mortis alium simplicem exigit. Confessarii autem electio Antonini tempore maximi habebatur, quum indulgentiæ remissio per certum electum Confessarium facienda esset.

bitur fructu ejus, si alias contritus & confessus est,
12 cum proposito efficaci satisfaciendi, si posset. [12] Sed si potest in totum vel in partem, etsi non sine magno incommodo suo, utique eam non consequitur.

Dubitatio de letargicis, phreneticis, & amentibus.

Quinto quæritur, utrum letargicus vel phreneticus vel amens effectus, qui nondum elegit confessorem, qui eum absolvat, seu concedat dictam remissionem plenariam vigore talis indulti, veleat consequi effectum talis indulgentiæ. Et videtur quod non, quia talis prius non elegit confessorem: nunc autem eligere non valet, quum non sit compos rationis; ergo &c. Circa hoc licet aliqua sint supra dicta, adhuc addentur & alia. Utique dubium non habet, quod si in sana mente constitutus declaravit velle hoc sibi fieri, quando casus contingeret mortis per quemcumque; ex tunc videtur elegisse, & sic per sacerdotem, si haberi posset, fiat absolutio vel concessio remissionis; & valebit ei ad omnia, nisi ad ea peccata, quæ perpetrasset prætextu illius indulgentiæ, quia hæc [13] ex-
13 cluduntur in forma illa. Et idem quoad peccata mortalia, quæ numquam fuit confessus, de quibus recordabatur, & contritus proponebat tempore suo confiteri; sed præventus vel casu repentinæ & improvisæ mortis vel amissione loquelæ, vel phrenesi superveniente non valuit. Nam talis, etsi concedatur a sacerdote ad hoc vocato absolutio seu plenaria remissio vigore talis indulti, valebit quidem sibi indulgentia; alias contrito, sed non quoad ea, quæ nondum fuerat confessus. Videtur etiam quibusdam, quod etsi modo prædicto expresse non elegerit vel declaraverit, hoc tamen intendebat, quod ista electio habitualis ei sufficit ad consequendam indulgentiam, modo tamen prædicto, quinimmo in absentia sacerdotis dicunt, quod
* Vid. not. 13. tamen * laicus est idoneus ad concedendum talem remissionem ex indulto hujusmodi. Utrum hoc sit verum, dubitari potest, & rationes ad utramque partem sunt; nil tamen nocet, quod fiat per laicum, si haberi non potest sacerdos, & valeat, quantum valere potest.

Dubitatio de existente in mortali.

Sexto quæritur, utrum qui adimplevit ea, quæ continentur in forma indulgentiæ ad hoc, quod consequatur eam in peccato mortali, etiam per eum cognito, consequatur effectum indulgentiæ? v. gr. in hujus indulgentiæ forma exprimitur, D quod eroget pauperibus certam quantitatem pecuniæ, & quod jejunet per annum, si potest, una die in hebdomada; alias non habeat eam, vel si posita sit indulgentia ad certum locum; puta in visitando aliquas Ecclesias, ut in indulgentia jubilæi habetur. Si in mortali existens sumit iter ad urbem, utrum consequatur indulgentiam? Et videtur, quod non; quia ab omnibus doctoribus tenetur, quod est necessarium hominem esse extra mortale peccatum ad hoc, quod valeat consequi fructum ejus: sed talis est in mortali; ergo &c. Ad hoc (salvo meliori judicio) respondendum videtur per distinctionem, quia aliud est dicendum E de eo tempore, & loco, quo conceditur indulgentia, aliud de tempore, quo itur vel disponitur ad indulgentiam. Nam de tempore, quo consequuturus est indulgentiam, utique oportet, quod A sit contritus, & per consequens sine mortali: alias non prodesset, videlicet quum in articulo mortis, quando sit ei talis absolutio vel concessio, seu quod eo tempore, quo visitat Ecclesiam, vel Ecclesias, ubi posita est indulgentia, ut in indulgentia jubilæi. Sed tempore, quo pergit ad urbem, ubi sunt dictæ Ecclesiæ, vel tempore, quo dat eleemosynas, vel facit jejunium per annum secundum formam indulgentiarum in articulo mortis, non videtur necessarium, quod illa faciat extra mortale, quamvis utique tutius & melius foret, & utilius etiam, tunc esse sine mortali: sicut etiam dicunt plures doctores, ut Thomas in 4. quod eas satisfactiones injunctas a confessore, quæ post expletionem earum relinquunt effectum in satisfa-
B ciente in mortali peractas, non oportet iterare, ut jejunia, & eleemosynæ, & peregrinationes, quia effectus ille remanens valet reverso ad gratiam.

De indulgentia jubilæi.

§. VI. De indulgentia jubilæi, quæ est plenaria, & videtur valde rationabiliter instituta seu concessa, tum quia homines valde tepidi ad satisfaciendum maxmis debitis pœnarum, quibus tenentur obnoxii propter innumerabilia & gravia peccata commissa, saltem semel in vita gratiose recipiant tale suffragium ad solvenda tanta debita ex thesauro inexhaustibili meritorum Christi, & sanctorum: tum, ut conservetur reverentia ac devotio apostolicæ sedis, quæ originata est in urbe, ubi talis indulgentia concessa est, quum Pontifex Romanus sit in terris Christi vicarius, & Petri
C successor: tum ad confirmandam fidem catholicam, & excitandum fervores ejus in mentibus fidelium, quam verbis & factis innumerabilium passionum, & miraculorum sancti martyres defensarunt, & corroborarunt permaxime in urbe tunc domina mundi, ubi & illorum corpora sine numero requiescunt. Accedentes enim illuc devote & visitantes Ecclesias inquirunt & audiunt de locis martyriorum, & inde confortantur in fide, & animantur ad constantiam.

Quando habuerit initium talis indulgentia jubilæi, nondum inveni. Sed Joannes Andreas & quidam alii doctores referunt Bonifacium VIII. instituisse de consilio & consensu cardinalium indulgentiam plenariam, seu concessisse de centenario in centenarium accedentibus ad urbem & visitantibus certis diebus quasdam urbis Ecclesias, scilicet sancti Joannis Lateranensis, sancti Petri, sancti Paulli, sanctæ Mariæ majoris: quod videtur fuisse circa annos Domini 1300. Postea Clemens, *Transpositio.* & exinde Gregorius considerantes pauciſſimos homines attingere ad centesimum, reduxerunt numerum centum annorum ad numerum quinquagenarium, ad quem perveniunt, qui in mundo veterascunt. Demum Nicolaus Papa V. [14] qui nunc 14
vivit & regnat anno Domini 1450. inchoante festo nativitatis Domini fecit in missarum solemniis indulgentiam jubilæi publice insinuari, scilicet plenariam remissionem consequi pœnitentes & confessos, qui dictas Ecclesias semel in die visitaverint, per quindenam ultra montanos, & citra montanos. Romanos autem & vicinas civitates per mensem; per totum annum quinquagesimum

12 Adde: *& quum poterit*; ita enim vere pœnitens affectus esse debet, ut restituat, quum poterit, curetque etiam, ut possit, nisi forte a creditore debitum remittatur.

13 Nunc hæc peccata excludi non solent.

14 Hæc verba: *Qui nunc vivit & regnat*, quæ deleta fuisse videntur in non nullis editionibus ex ratione mox subjicienda, restituimus ex duabus Venetis editionibus Jensoniana anni 1479. nec non Leonardi Wild anni 1461. Deleta autem ferunt, quod inserta fuerit periodus de Paullo II. qui post duos Pontifices Nicolao successerat, Antonino jam mortuo. Periodus autem inserta post verba *modo declarato idem statuerunt*, est hæc: *Paullus vero Papa II. certis ex caussis rationabilibus animum suum moventibus dictum jubilæum assignavit de vicesimo quinto in vicesimum quintum annum*, quod an. 1475. impletum fuit a successore ejus Sixto IV. unde in memoratis editionibus additur: *confirmata per Sixtum Papam IV. ut patet in extravagante Sixti IV. de Bulla confirmationis jubilæi, quæ incipit: Quemadmodum*: quæ additio in non nullis aliis editionibus deest.

mum permanet dicta indulgentia, & in sua bulla patenti hoc exprimente recolit, quatenus præfati summi Pontifices modo declarato idem statuerunt. Et ne quis sumat dubia pro certis, sciendum, quod in copia cujusdam [15] bullæ, quæ dicitur esse Clementis, multa narrantur, quæ non videntur esse de stylo curiæ, quum sint levia & exorbitantia satis. Unde licet adscribantur Clementi, non videtur verisimile illius vel alterius summi Pontificis fuisse, sed ficticie inventa: & si etiam essent, Papa Nicolaus illa non approbavit. Posset autem Papa abbreviare dies visitationis, sicut aliquando fecit propter maximam multitudinem concurrentem.

Unde sumtum est nomen jubilæi.

§. VII. Notandum de jubilæo, quod hoc nomen secundum interpretationem derivatur a *Jobel*. Jobel enim hebraice latine interpretatur *initium* vel *remissio*. Inde jubilæus *remissivus* vel *initians* dicitur, quia, ut dicetur, fiebant in eo remissiones. Secundum vero ethymologiam dicitur *a jubilo*, quia significat magnum gaudium: nam in tali anno erat magnum gaudium & festum.

Est itaque jubilæus in Abraham inchoatus.

In veteri lege præfiguratus.

In tempore gratiæ perfectionatus.

A summo pontifice ad plenariam pœnæ indulgentiam applicatus.

Jubilæi apud Hebræos initium.

Quantum ad primum refert Magister in Histor. Schol. quod Hebræi tradunt jubilæum habuisse initium, quando Abraham Loth nepotem suum, qui ductus erat captivus a quattuor regibus, qui debellaverant quinque reges, regem Sodomorum, ubi habitabat Loth, & alios a captivitate liberavit: quia enim fuit remissa captivitas ejus Gen. 14. Et tunc dicitur Loth fuisse quinquaginta annorum. Vel ipse Abraham in quinquagesimo anno erat, quum Dominus ei locutus fuerat, quando egressus est de Aram. Vel quia Abraham peritus astrorum noverat, quod aeris intemperies, quæ fit ex elevatis vel depressis planetis, semper usque ad quinquaginta annos ad temperiem reducitur, quod fieri vidit in astris; voluit imitari in terris, ut quinquagesimus annus diceretur jubilæus.

Jubilæum quãdo præfiguratum.

Quantum ad secundum mandavit Deus in lege Levit. 25. ut post septem hebdomadas annorum annus sequens, qui erat quinquagesimus, diceretur jubilæus, in quo anno fiebat remissio multiplex. Nam remittebatur terra a cultura, quia non poterant colere, serere & hujusmodi. Remittebatur servitus hominum, quia tunc servi efficiebantur liberi. Remittebantur & debita, & possessiones venditæ revertebantur ad priores possessores. Similiter & pignoratæ & plura fiebant alia ad gaudium. Sed ut dicit Apostolus 1. Cor. 10. *Hæc omnia in figuram contingebant illis*: facta sunt autem propter nos.

Quantum ad tertium hoc perfectionem habuit, & fuit impletum, quando quinquagesima die post Christi resurrectionem fuit lex gratiæ & amoris data discipulis Christi in monte Syon, descendente Spiritu sancto super illos in speciem ignis. Unde & tunc canit Ecclesia: *Patrata sunt hæc mystice, paschæ peracto tempore, sacro dierum numero, quo lege fit remissio.* Resurgens Christus & apparens eis dixerat Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. Sed ipsa quinquagesima die copiosius receperunt gratiam, qua remissa est eis omnis iniquitas quoad culpam & pœnam. Per hanc revertitur homo ad possessionem antiquam deperditam vitæ æternæ. Prius autem mortali carne indutus dixerat Petro primo summo pontifici: *Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies*, Matth. 18. Quod multipliciter exponitur, & alias expositiones omittendo. Septuaginta septem generationes numerantur a Luca a Christo usque ad Adam primum omnium patrem, quasi diceret: Si omnia peccata quis haberet, quæ comissa sunt ab omnibus hominibus, qui fuerunt, omnia dimittentur; ita tamen, ut ibi dicitur, si fuerit conversus, & pœnituerit: *Venia* enim *non datur nisi correcto*, *De reg. jur.* lib. 6. & in unitate Ecclesiæ exsistat. Unde & flamma ignis vitiorum & dæmon infernalis egredieus de fornace Babylonica cubitis quadraginta novem incendit quos reperit de Chaldæis ministros regis diaboli, quia non venerant ad quinquagesimum remissionis annum: unitas enim deficiebat. Eos autem, qui in ea erant, quia in unitate erant, non tetigit ignis, Dan. 3. sed benedicebant Deum secum habentes similem filio Dei.

Jubilæus quando est perfectionatus.

Potestas Papalis ostenditur.

Quantum ad quartum, quia solus Papa habet plenitudinem potestatis quoad jurisdictionem, a qua derivatur ut a fonte omnis jurisdictio spiritualis in prælatos & sacerdotes alios, 24. quæst. 1. *Loquitur*: & conferre indulgentias pertinet ad forum jurisdictionale Ecclesiasticum, ut dictum est supra; ideo dare indulgentiam plenariam spectat solum ad Papam, qui habet universaliter claves thesauri Ecclesiæ, scilicet meritorum satisfactionalium Christi & sanctorum. Et nota, quod quum in symbolo fidei unus ex articulis sit *Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum*, in quo comprehenduntur effectus gratiæ, qui est remissio peccatorum per sacramenta, & effectus gratiæ, qui est communicatio meritorum & bonorum operum, quæ est per caritatem; quum relaxatio pœnæ, quæ fit per indulgentias, innitatur meritis Ecclesiæ, & præcipue passionis Christi; pertinaciter tenere, quod indulgentiæ non valeant ad remissionem pœnæ, habitis debitis circumstantiis, vel quod Papa non possit concedere plenariam indulgentiam, est hæreticum, quum sit contra articulum fidei, & contra determinationem universalis Ecclesiæ.

T I-

[15] Hæc non est Bulla *Unigenitus* a Clemente VI. edita pro reductione Jubilæi ad an. 1350. de qua legitime constat, & quam Auctor superius indicavit; sed alia, quæ ex mss. Pollinganæ bibliothecæ edita a D. Eusebio Amort in Historia Indulgentiarum pag. 69. multa sane incredibilia continet, & præter stylum Curiæ scripta cognoscitur.

TITULUS UNDECIMUS
DE LEGE IN COMMUNI.

CAPUT I.

De ſeptemplici lege ordinata ad caritatem.

QUia per legem Domini docemur vitia A evitare, & virtutes ampleƈti, quibus ad ſupernam beatitudinem anima pervenit, ideo in hac prima parte poſt tratƈatum; de anima agetur de multiplici lege, qua anima & potentiæ ejus regulantur. De lege autem dicitur in Pſal. 118. *Beati immaculati in via*, qui ambulant in lege Domini. In quibus verbis Pſalmiſta tria oſtendit.

Complementum humanæ appetitionis, ibi: *Beati*.

Fundamentum hujus adeptionis, ibi: *Immaculati*.

Additamentum ipſius exercitationis, ibi: *Qui ambulant in lege Domini*.

Beatitudo ab omnibus appetitur.

§. I. Quantum ad primum dicit Boetius lib. B 3. proſa 2. de conſol. quod naturaliter inſita eſt mentibus hominum veri ſummique boni cupiditas. Hoc autem ſummum bonum non habetur, niſi per beatitudinem. Nam hanc diffiniens ipſe Boetius ait: Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfeƈtus. Talem autem ſtatum, ſcilicet habere omne bonum, omnes appetunt. Unde Auguſtinus in prin. 10. de civit. Dei inquit: Omnium autem hominum, qui quomodolibet ratione uti poſſunt, certa ſententia eſt, omnes homines beatos eſſe velle. Qui autem ſint, vel unde fiant, dum humana infirmitas quærit, multæ magnæque controverſiæ concitatæ ſunt, in quibus philoſophi ſua otia contriverunt. Et ponit multas opiniones circa hujuſmodi. Sed magiſter veritatis Dominus C Jeſus Chriſtus, qui ad hoc venit in mundum, ut teſtimonium perhiberet veritati, ut ipſe dicit Joann. 18. in fine ſuæ prædicationis in ultima cœna declaravit, in quo conſiſtat iſta beatitudo, dicens in oratione ad Patrem: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, Joann. 17. ideſt in hoc conſiſtit vita æterna, quæ eſt perfeƈta beatitudo, cognoſcere clara & perfeƈta viſione te Patrem & Filium, *quem miſiſti*, ideſt incarnari feciſti. Et quia ipſa incarnatio faƈta eſt opere Spiritus ſanƈti, in hoc includitur in perſona Spiritus ſanƈti, & ipſa incarnatio. Eſt ergo ſenſus: In hoc conſiſtit beatitudo & vita æterna cognoſcere Patrem & Filium & Spiritum ſanƈtum eſſe unum ſolum Deum, & D ſecundario Chriſti humanitatem. Et viſio, ut dicit Auguſtinus eſt tota merces, ſcilicet fundamentaliter ad ipſam immediate ſequitur comprehenſio, dileƈtio & fruitio ipſius Dei. Hæc enim viſio tantæ pulchritudinis eſt, tantoque amore digniſſima, ut quibuſlibet & quantislibet bonis animam repletam, ſine hac Plotinus philoſophus æſtimet infeliciſſimam. Auguſtinus de civit. Dei: Modum autem perveniendi ad hanc beatitudinem, declaraverat, quum dixit in monte diſcipulis in principio ſuæ inſtruƈtionis, & de eo deſcendens ad turbas: *Beati pauperes* &c. Matt. 5. Luc. 6. Quæ omnes beatitudines, ſcilicet ſeptem, ſunt aƈtus virtuoſi, quibus pervenitur ad beatitudinem. Et illos omnes modos comprehendit Pſalmiſta, dum ſubdit: *Immaculati, qui ambulant in lege Domini.*

Caritas eſt modus adipiſcendi beatitudinem.

§. II. Secundum ergo, quod notatur, eſt fundamentum & modus adipiſcendi beatitudinem. Hoc autem eſt caritas ſincera, quæ notatur, quum dicitur: *Immaculati in via*. Viam ad beatitudinem eſſe caritatem, oſtendit Apoſtolus 1. ad Cor. 12. poſtquam locutus eſt de quibuſdam donis ſpiritualibus dicens: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*, videlicet caritatem, de qua immediate loquitur per totum ſequens capitulum. Congrue autem caritas dicta eſt via; quia ſicut ſine via non poſſunt homines pervenire ad terminum optatum alicujus loci; *ita ſine caritate, quæ dicta eſt via, non poſſunt homines ambulare, ſed errare*, inquit Proſper *De pœnit.* Diſt. 2. *Caritas eſt*. Et Auguſtinus in Serm. Caritas eſt fons & origo omnium bonorum, via, quæ ducit ad cælum. Ipſam quoque eſſe fundamentum totius ſpiritualis ædificii, oſtendit idem Apoſtolus dicens: *In caritate radicati, & fundati*, ſcilicet ſitis, *ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanƈtis*, ſcilicet Deum, ad Epheſ. 3. Sed in hac via, ſcilicet operum caritatis, quibus itur ad beatitudinem, oportet eſſe immaculatum. Nam maculati non ſunt beati, ſed immaculati. Apoc. 14. *Sine macula ſunt ante thronum Dei*, ſcilicet beati.

Quomodo via caritatis immaculata.

§. III. Oportet ergo, ut via caritatis ſit immaculata, quod ſit *de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta*, ut docet Apoſtolus 1. ad Tim. 1. Et hoc eſt *diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex omni mente ſua, & proximum ſuum ſicut ſeipſum*, Matth. 22.[1] Cordis puritas excludit maculam affeƈtionis, & facit diligere ex toto corde. Conſcientiæ bonitas educit maculam erroris, & facit diligere ex tota anima, ideſt intellƈtu. Non ficta fides, ideſt fidelitas reſpuit maculam defeƈtionis, & facit diligere ex omni mente, ideſt ſemper.

Quantum ad primum ſunt aliqui, qui videntur eſſe in via caritatis, quia videlicet faciunt opera de genere bonorum, ut eleemoſynas, orationes, jejunia, & hujuſmodi propter Deum. Sed quia habent cor maculatum inordinatis affeƈtionibus; ideo non ſunt *immaculati in via*. *Beatus vir*, inquit Sapiens Eccleſiaſtici 31. *qui inventus eſt ſine macula, qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecuniæ theſauris*. Ille vadit poſt aurum, qui inordinate ad temporalia afficitur, magis diligens pecuniam, quam Deum vel proximum, & iſte utique non habet cor purum. Caritas autem vera eſt *de corde puro*. Purum ſecundum Thomam in ſumma dicitur, quod non eſt miſtum cum alio ſe viliori. Dicimus vinum purum, quod non eſt miſtum aqua, quia aqua non eſt pretioſus liquor ſicut vinum; ſed quum aqua miſcetur, non eſt pu-

1 *Sed in dileƈtione Dei includitur dileƈtio proximi, & e converſo. Tria ergo notantur in dictis verbis, ſcilicet cordis puritas excludit* &c. Hæc addun-tur in editione Jenſoniana Veneta an. 1479.

purum. Aurum eſt purum, quum non eſt miſtum auricalco vel argento, quæ minus pretioſa ſunt. Argentum impurum eſt, quod miſtum eſt ſtamno. Sed ſi argento miſceatur aurum, ut quum deauratur calix vel aliud, ſi annulo aureo includatur lapis pretioſus, adamas, carbunculus, topazius, & hujuſmodi, nullus dicet illa eſſe impura, immo magis perfecta & pretioſa, ex eo quod jun-

Animarum nobilitat. guntur rebus nobilioribus ſe. Ad propoſitum: Anima noſtra, ubi eſt cor noſtrum, ideſt voluntas, eſt nobilior omni re corporea, non ſolum auro, & argento, & lapidibus pretioſis, quæ ita appretiantur; ſed omnibus cælis, & planetis, & ſole, & luna, & ſtellis pulchrior & perfectior naturali ſua conditione. Conjungitur autem rebus, & quodammodò miſcetur per amorem, quia amor habet virtutem unitivam. Si ergo quis inordinate diligit terrena, divitias, gloriam, delectationes corporis, præponens amorem horum Dei & proximi dilectioni; cor hujuſmodi, ideſt voluntas efficitur impurum & maculatum, quia rebus vilioribus miſcetur. Sed ſi cor tuum, & affectus tuus & mens dirigatur ad Deum, ad ſupernam patriam, ad contemplandum gloriam Angelorum ſanctorum, ad proficiendum in virtutibus & gratia, quia omnia iſta ſunt nobiliora ipſa anima; ideo ex conjunctione tali efficitur anima & cor purum diligendo iſta ſuper omnia tranſitoria. Sic ergo *diliges Deum ex toto corde tuo*, non ex parte, ut Deum ex una parte, & mundum ex alia parte inordinate diligas. Dicit enim Iſai. 28. *Anguſtiatum eſt ſtratum, ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non poteſt. Stratum*, in quo quieſcit amor noſter, eſt cor, & iſtud eſt ita anguſtum, ut non poſſit capere, niſi unum Deum vel mundum. Si Dei amor quieſcit in eo, amor mundi immediate decidit, & cum eo manere non poteſt. Si intrat amor mundi inordinatus & ma-

Caritatis deſcriptio. culoſus, decidit ex eo amor Dei. Et quamvis Deus ſit infinitus, & cor noſtrum parvum; tamen ita ſe coaptat, ut totus in eo quieſcat, *& pallium breve* affectionis humanæ *utrumque*, ſcilicet vitium & virtutem, *cooperire non poteſt* ſimul. Sit ergo caritas *de corde puro*, ut Deum diligas ſuper omnia, & propter ſe, non propter te, ideſt tuam utilitatem, & omnia facias propter Deum. Diligas & proximum *de corde puro*, non quia tibi utilis vel delectabilis, ut amor carnis, ſed quia capax ſupernæ beatitudinis; & ſic eris *immaculatus in via* hac.

Quantum ad ſecundum ſunt multi, qui videntur eſſe in via caritatis, ſuſtinentes etiam tormenta, & multa adverſa propter Deum; ſed quia habent animam, ideſt intellectum maculatum errore, hi non ſunt *in via*, qui non ſunt *immaculati*. Dicit Apoſtolus Epheſ. 5. quod Chriſtus elegit ſibi ſponſam Eccleſiam *non habentem maculam neque rugam*; *maculam*, ſcilicet erroris, *nec rugam* duplicitatis. Nullus error circa ea, quæ ſunt fidei, & bonorum morum eſt, vel eſſe poteſt in ſancta Eccleſia. Unde qui habet aliquem errorem circa hujuſmodi firmatus in eo, hic non eſt de Eccleſia, nec in caritatis via ambulat; quia caritas eſt *de conſcientia bona*, quam ille non habet, ſed erroneam & perverſam. Conſcientia dicitur *cum ſcientia*, quæ ſcientia ſi eſt vera, tunc cum ea eſt bona conſcientia.

Conſcientia bona quæ, & quæ mala. Si eſt falſa, eſt mala conſcientia. Qui ergo in aliquo articulo fidei errat vel dubitat de aliquo determinato per Eccleſiam circa fidem & bonos mores; ille non habet bonam conſcientiam nec caritatem: etiam ſi ſuſtineret mortem propter Chriſtum, ſalvari non poſſet, nec pervenire ad beatitudinem, quia non eſt *immaculatus in via*. Qui ſequuntur incantationes, divinationes, & vanas A ſuperſtitiones, quibus plenus eſt mundus, etſi videatur ea facere propter caritatem proximi, ut ſublevet eum ab infirmitate vel alia moleſtia, ad æternam damnationem tendit ſecundum Auguſtinum 26. quæſt. 7. *Non obſervetis*, non habent hi bonam conſcientiam. Similiter qui mutuat proximo ſuo, ut ſubveniat ei in magna neceſſitate conſtituto certam ſummam pecuniæ, recipiens in pignus aliquam domum, vel agrum, cujus fructum percipit, dum ille retinet ſuam pecuniam, videtur iſte eſſe in via caritatis, quum faciat illi magnum ſervitium: ſed certe extra viam eſt, quia conſcientiam habet maculatam non bonam. Et quamvis ipſe ſibi non facit conſcientiam, æſtimans illud licitum, non propterea excuſatur, quia illa B conſcientia ſua non eſt cum ſcientia juris divini vel naturalis, ſed contra jus divinum: dicit enim Chriſtus Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*, ſcilicet temporale ultra mutuatum, extra *De uſuris*, cap. *Conſuluit*. Ignorantia autem juris divini nullum excuſat. Unde quidquid fit contra ipſum, fit cum mala conſcientia. Idem poteſt dici de dantibus pecuniam mercatoribus vel aliis ad diſcretionem, ſi non ſubſtant periculo, prout communiter fit.

Item alii ſunt, qui ut faciant proximos evitare pericula vel damna magna, non faciunt ſibi conſcientiam mendacia dicere, & quod pejus eſt, etiam perjurare. Sed mala conſcientia eſt iſta non bona, quum ſit contra ordinem caritatis, ſecundum quem quis debet plus diligere ſalutem propriam, quam aliorum. Unde numquam poteſt licite fieri aliquod de ſe malum propter ſalutem aliorum. *Non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona*, inquit Apoſtolus ad Rom. 3. *Indecens eſt enim crimen ſuum alienis commodis impendere*, ait Leo Papa Diſt. 46. *Sicut non ſuo*. Sit ergo caritas *de conſcientia bona*, ut non ſit error in conſcientia de his, quæ ſunt fidei, & bonorum morum, ſed diligas *ex tota anima*, ideſt intelligentia, habendo ſanum intellectum de agendis; & ſic eris *immaculatus in via*.

Quantum ad tertium ſunt plurimi, qui, etſi in via caritatis aliquando reperiantur; tamen quia contrahunt maculam defectionis, non perſeverantes in ea, ideo via illa non perducit eos ad beatitudinem. *Incaſſum* enim *bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur*. Gregorius in 1. Moral. & *De pœnit.* Diſt. 3. *In caſſum*. Et de Salomone dicitur Eccleſiaſtici 47. *Poſuiſti maculam in gloria tua*. Et quæ fuit iſta macula, niſi quia non perſeveravit in gratia ſibi collata a via recedens divini amoris propter inordinatum amorem mulierum. Sed vera & perfecta caritas eſt cum fide non ficta, ideſt fidelitate obſervationis mandatorum, non fragili & caduca. Ut enim dicit Ambroſius *De pœnit.* Diſt. 2. *Ficta: Ficta eſt caritas, quæ deſerit in adverſitate*, ideſt fragilis. Nam *omni tempore diligit, qui amicus eſt*, ut dicitur Proverb. 17. & tempore adverſitatis, & tempore proſperitatis, & tempore tentationis. Et ſi amicus hominis, multo magis amicus Dei. Nam ut dicitur Cantic. 8. *Multæ aquæ*, ſcilicet tentationum & tribulationum, *non potuerunt exſtinguere caritatem*, dum ſcilicet quis vult ſequi inſtinctum ejus. Sic enim *caritas numquam excidit*, 1. ad Cor. 13. ideſt caritate operans numquam peccat. Sicut ex igne non poteſt procedere niſi calor, non autem frigus, & ex habitu virtuoſo non poteſt procedere actus vitioſus; ita ex caritate non poteſt procedere niſi bonum. Verum quia voluntas, ubi eſt habitus caritatis, eſt libera & vertibilis ad bonum & malum; ideo poteſt habens caritatem peccare graviter, & eam amittere. Sicut patet exemplum in Petro negante, David adul-

Caritas viatorum amiſſibilis, non cõprehenſorum.

adulterante, Ezechia infirmante. Et hæc eſt ratio, quare caritas viatorum poteſt amitti, & non caritas comprehenſorum, quia ſancti ſemper actualiter vident divinam eſſentiam facie ad faciem, & cognoſcunt clare ipſum Deum eſſe ſummum & infinitum bonum, in quo omnia bona continentur. Voluntas autem amat bonum ſibi per intellectum repræſentatum: & quantum bonum eſſe intelligit ſibi præſentatum, tantum amat. Et quia continue actualiter cognoſcit intellectus Deum eſſe bonum ſummum & univerſale, continue voluntas ſumme amat in patria, & non poteſt non amare, eo quod videat omnia alia bona quaſi nihil eſſe in comparatione ejus. Sed in via imperfecte cognoſcitur Deus, per fidem ſcilicet. Et ſi perfecti viri in contemplatione poſiti cognoſcant quodam guſtu mentis ipſum Deum eſſe ſummum bonum, & omnia, quæ in mundo ſunt quaſi lutum in conſpectu ejus; unde dum habent illum guſtum, numquam peccant; ſed quia non poteſt mens viatoris ſemper actualiter in ſpeculatione & guſtu conſiſtere, quia circa aliud oportet occupari; hinc eſt, quod dum circa alia verſatur, aliquando voluntati repræſentatur aliquod opus, ut maximum bonum a ratione obfuſcata paſſione, & ſic aſſentit poſtponens Dei mandata, & inde amittit caritatem. Sic ergo caritas *ex fide non ficta*, non fragili & devicta tentationibus & tribulationibus. Sed diligas *in omni mente*, ideſt omni tempore vitæ, & eris *immaculatus in via*.

De exſecutione dilectionis.

§. IV. Quantum ad tertium principale diviſionis primæ additur exſecutio ipſius dilectionis, dum dicitur, *qui ambulant in lege Domini*. Probatio dilectionis, inquit Gregorius, exhibitio eſt operis. Hi enim vero ſunt in via dilectionis, *qui ambulant in lege Domini*, ideſt qui operantur ſecundum legem Dei. *Omnis enim lex in uno ſermone impletur: Diliges* ad Gal. 5. Et *finis præcepti eſt caritas*, idem Apoſtolus 1. Tim. 1. Unde interrogatus a Chriſto legis peritus, qui dixerat ei: *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* ait Chriſtus: *In lege quid ſcriptum eſt?* Et reſpondit optime: *Diliges Dominum Deum tuum... & proximum tuum*, Luc. 10. Quod utique in omni lege ſcriptum eſt. Sunt enim multæ legum differentiæ. Unde Jobi 11. dicitur: *Ut oſtenderet tibi Deus ſecreta ſapientiæ ſuæ*. Et quod multiplex ſit lex ejus, & quælibet lex habet multa præcepta quaſi multas leges. Sunt igitur Domini leges

Lex deifica & æternalis.
Lex intrinſeca & naturalis.
Lex Moſayca & divinalis.
Lex evangelica & ſpiritualis.
Lex conſuetudinaria & generalis.
Lex canonica & eccleſiaſticalis.
Lex pollitica & ſæcularis.

De lege æterna.

De prima lege, ſcilicet æterna, poteſt intelligi illud pſalmi 36. *Lex Dei ejus in corde ipſius*, ſcilicet juſti: nam juſtus ſemper in omnibus operibus reſpicit ad legem æternam, quæ eſt ratio ſapientiſſima voluntatis Dei, prout ordinat omnia in debitos fines ſuos. Cuilibet creaturæ dedit legem ſuam ſeu præcepta, quod ſervant ſecundum illud Proverb. 8. *Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem dabat aquis, ne tranſirent fines ſuos*. Et pſal. 148. *Præceptum poſuit*, ſcilicet cælis & planetis, de quibus loquitur, *& non præteribit*; & ſic de aliis creaturis. Non eſt aliud illa lex ſeu præceptum, quam inclinatio creaturæ ad operationes ſuas proprias. Sicut lex cælorum & planetarum eſt inclinatio ad motum, quem faciunt quotidie de oriente in occidens, & ad influendum in iſta inferiora: & hanc legem numquam prætereunt. Omnes autem creaturæ per ſuas operationes manifeſtant Dei magnificentiam & bonitatem, & ad conſervationem ſuam tendunt, & ſic ſuo modo Deum diligunt; homini autem Deus dedit inclinationem ad appetendum ſummum bonum. Et quia nullius boni ſolitarii eſt jucunda poſſeſſio; ideo etiam dedit inclinationem ad appetendum participationem hujus boni in proximo. In lege ergo hac ſcriptum eſt: *Diliges Deum & proximum*, pro his omnibus, ſcilicet tibi collatis. Hugo: Nil aliud vult, niſi ut diligas.

De lege naturali.

De lege naturali, quæ eſt intrinſeca boni, & quædam participatio legis æternæ, dicit Apoſtolus ad Rom. 2. *Quum gentes, quæ legem non habent*, ſcilicet ſcriptam, *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.... ipſi ſibi ſunt lex*, ideſt legem naturalem habent ſecum. Hæc enim lex naturalis multiplex eſt, quia continet in ſe multa præcepta, ſed omnia reducuntur ad duo, ſcilicet ad dilectionem Dei & proximi: Matth. 22. *In his duobus mandatis univerſa lex pendet*. Philoſophi naturales nullam habentes a Deo legem ſcriptam, ratione naturali cognoverunt & probaverunt unum eſſe Deum gubernatorem omnium, & hunc eſſe colendum & amandum. Ad legem etiam naturalem pertinet illud: *Quod tibi oderis fieri, alteri ne feceris, & quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, Matth. 7. Luc. 6. Tob. 4. Et ad hæc duo reducuntur plura alia præcepta legis naturalis, quæ habentur, Diſt. 1. *Jus naturale*. *In lege* ergo hac *quid ſcriptum eſt?* Certe *diliges Dominum Deum tuum.... & proximum tuum ſicut teipſum*.

De lege Moſaica.

De tertia lege dicitur Joann. 1. *Lex per Moyſen data eſt* ſemper a Deo miniſterio Angelorum. Angelus enim Domini apparens Moyſi in monte Synai, dedit legem decalogi ſculptam in duabus tabulis lapideis, quam populo Judæorum referret: quia enim homo ita erat jam ratione obſcuratus, quod neſciebat in corde ſuo legem naturalem a Deo inſitam, nec conſervabatur ſecundum eam, ſed jam declinaverat ad idololatriam, quod eſt contra dilectionem Dei, & ad vitia contra naturam, & alia quæ ſunt contra proximum; ideo piiſſimus Deus dedit legem ſcriptam in tabulis, ut ex ea quodammodo recordaretur, vel excitaretur ad legendum Scripturam cordis. Sed *in lege quid ſcriptum eſt?* Certe ad litteram: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, Deut. 6. Et *diliges amicum tuum*, ideſt proximum, *ſicut teipſum*, Levit. 19. Ac etiam explicatum eſt in ea, quomodo ſit diligendus Deus per tria præcepta primæ tabulæ, ut ſcilicet ipſe ſolus adoretur, & omnis irreverentia in loquendo caveatur, & quies in eo per puritatem mentis & orationum quæratur. Et quomodo etiam proximus diligatur, per præcepta ſeptem ſecundæ tabulæ declaratur, ut videlicet adjuvetur in ſuis neceſſitatibus, & permaxime parentes, ibi: *Honora patrem tuum*, &c. Et ut non offendatur ipſe proximus, nec in perſona propria per læſionem corporis, nec in perſona conjuncta per adulterium, nec in rebus per furtum & alias uſurpationes, nec in fama per falſam teſtificationem, & mendacia, nec etiam deſiderio. Ad iſta decem præcepta omnes nationes erant obligatæ, & omni tempore mundi ad ea ſervanda, qui voluerunt ſalvari, quia ſunt de jure naturali. Addita ſunt illis præcepta multa cæremonialia & judicialia, quæ obligabant ſolum illum populum uſque ad Chriſti paſſionem. Et cæremonialia pertinebant ad cultum Dei & dilectionem. Judicialia ad pacificum convictum populi illius; unde ad dilectionem proximi. Et quia multa præcepta erant, dicun-

cuntur multæ legis, Levit. 19. *Ego Dominus, leges meas cuſtodite*, inquit.

De lege Evangelica. De quarta lege dicit Jacob cap. 4. in ſua canonica: *Unus eſt legislator & judex*, ſcilicet Chriſtus, qui legem dedit evangelicam, quæ dicitur lex ſpiritus; quia ultra moralia præcepta, quæ continet lex Moſayca, comprehendit & ſacramenta, quæ ſunt contentiva & cauſſativa gratiæ Sancti ſpiritus, ut baptiſmum, pœnitentiam, euchariſtiam, & alia, quæ non erant in lege Moſayca, niſi in figuram tantum. Et ideo bene dicit Apoſtolus: *Nihil ad perfectum adduxit lex*, ſcilicet illa, ad Hebr. 7. Non enim conferebat gratiam, quæ adjuvat ad obſervandum præcepta, ut lex evangelica, ratione & virtute ſacramentorum, quæ etiam ducit ad gloriam, aperta janua per Chriſti paſſionem. Unde Jacobi 1. dicitur: *Si quis perſpexerit in lege perfectæ libertatis*, ideſt evangelica, *& permanſerit in ea, non auditor obliviosus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit*. Sed *in lege* hac: *Quid ſcriptum eſt?* Certe ad litteram: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. *& proximum tuum ſicut teipſum*, Matth. 22. inquit Dominus Jeſus. Addidit etiam ipſe legis hujus lator Chriſtus ad præcepta decalogi conſilia caſtitatis, obedientiæ, paupertatis & patientiæ, ut per illa magis poſſit diligi Deus & proximus. Removit etiam falſas expoſitiones, quas doctores Judæorum invenerant circa legem Moſaycam, ut illud: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, oſtendens inimicum non odiendum, ſed diligendum ſecundum caritatem Matth. 5. Et illud: *Non mœchaberis*, quod intelligebant prohibitum tantum de opere exteriori; ſed Chriſtus oſtendit idem eſſe de affectu interiori, dicens: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, Matth. 5. Et multa hujuſmodi. Cæremonia quoque implevit, quod figurabant exhibendo. Et propterea ipſe dixit: *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere*, Matth. 5. Et quia multa ſunt mandata evangelica, quæ omnia clamant perfectam dilectionem, eſt multiplex etiam lex iſta. Unde Hieremias dicit: *Dabo leges meas in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam*; & loquitur de evangelica.

De quinta lege, quæ eſt conſuetudo, dicitur in Decret. Diſt. 11. *In his: Mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege habenda ſunt.* Et quamvis lex iſta fuerat ante legem Moſaycam vel evangelicam (quia quando cœperunt homines multiplicari ſuper terram ante diluvium, vel poſt, ſumſerunt aliquos mores exteriores ſuæ converſationis ad invicem, prout dictabat ratio, quos abſque Scriptura pro lege tenebant) tamen ideo ponitur lex conſuetudinis poſt legem divinam, Moſaycam, & evangelicam; quia quidquid eſt contra mandata moralia vel evangelica, per quantumcumque temporis ſit ductum in conſuetudinem, non eſt lex, nec ligat, immo nec excuſatur a peccato illud faciens. Unde Cyprianus: *Conſuetudo ſine ratione quantumvis vetuſta, quantumvis vulgata, veritati omnino eſt poſtponenda, & uſus, qui veritati eſt contrarius, eſt abolendus*, Diſt. 8. *Si conſuetudinem*. Idem ead. Diſt. *Conſuetudo: Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt*. Sed *quid in hac lege ſcriptum eſt?* Certe *diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum*. Nam ſic ubi eſt de more ſuperſtitiones facere, pejerare, furari, fornicari, vindictas facere, & hujuſmodi, quæ ſunt contra dilectionem Dei & proximi; non eſt illa lex, quæ dicitur conſuetudo, ſed abuſio & corruptela. Nam *conſuetudo eſt jus moribus*, ideſt actibus morigeratis, *inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, quum deficit lex*, ut dicitur Diſt. 1. *Conſuetudo*. Sed de conſuetudine fuit antiqua offerre Deo ſacrificia abſque alia lege, ut patet in Abraham, Iſaac, & Jacob & aliis; reverti & obedire parentibus, non inferre nocumenta proximis, & hujuſmodi, quæ pertinent ad dilectionem Dei & proximi. Et hæc lex multiplex, quia multæ & variæ ſunt conſuetudines.

De lege canonica. De ſexta lege, ſcilicet canonica, poteſt intelligi illud, quod dicitur Proverb. 8. *Per me* ſapientiam *legum conditores juſta decernunt*. *Conditores legum* civilium non ſemper *decernunt juſta*, ut patet in legibus permittentibus uſuras, vel præſcriptiones malæ fidei. Unde nec vim legis habent tales leges. Sed *conditores legum* Eccleſiaſticarum ſemper *juſta decernunt*: nam Eccleſia regitur a Spiritu ſancto in condendis legibus ſuis; unde errare non poteſt ſecundum Thomam in quodlibetis, & præjudicat legi civili in eo, quod eſt contra eam. Unde Nicolaus Papa: *Lex imperatorum non eſt ſupra legem Dei*, ideſt canonicam; *ſed ſubtus*, Diſt. 10. *Lege imperatorum*. Sed *quid in* hac *lege ſcriptum eſt?* Certe *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum*. Docens modum diligendi ex toto corde & proximum, quum dixit ipſa lex canonica, *De pœnit.* Diſt. 2. can. *Caritas eſt: Deum diligere ex toto corde eſt illi copulari, animo concipere fruendæ viſionis ejus affectum, peccati odium, mundi faſtidium*: & 23. quæſt. 4. can. penult. *Debet homo diligere proximum ſuum ſicut ſeipſum, ut omnem hominem, quem poteſt, informatione doctrinæ, benificentiæ conſolatione, coercitione diſciplinæ, inducat ad colendum Deum*. Et in principio decretalium dicitur: *Rex pacificus pia miſeratione diſpoſuit ſibi ſubditos fore pacificos, pios pariter & modeſtos. Pios* quoad dilectionem & devotionem erga Deum. *Pacificos* quoad dilectionem & juſtitiam erga proximos. *Modeſtos* quoad dilectionem & temperantiam ſui. Et propter hoc Eccleſia ſtatuit multas leges pertinentes ad cultum divinum, & dilectionem Dei augendam, ut de confitendo, communione ſumenda, feſtis celebrandis, divinis exſequendis, & hujuſmodi. Removit multas altercationes, & litigia, quæ poſſent fieri in judiciis contra caritatem proximorum per ſuas determinationes; ideo & iſta multiplex lex Dei.

De lege conſuetudinis.

De lege politica ſæculari. De ſeptima lege, ſcilicet ſæculari, intelligitur illud Heſter 1. Septem ſapientes erant conſiliarii regis Aſſueri, quorum conſiliis cuncta agebat, *ſcientes leges & jura majorum*. Non habebant illi neque legem Moſaycam, quia non erant de populo Judæorum, nec evangelicam, nec canonicam, quæ adhuc non erant; ſed leges civiles. Et hæ utique quum non ſint injuſtæ, ſive ſint imperiales, ſive municipales, ut ſtatuta civitatum, a quibuſcumque factæ ſint, fidelibus vel infidelibus, leges Domini ſunt, & ſervari debent ab omnibus. Sed *quid in* hac *lege ſcriptum eſt?* Certe *diliges Dominum Deum tuum* &c. Unde & privilegiant Eccleſias, & miniſtros Eccleſiæ, & puniunt hæreticos, & blaſphematores, & alia, quæ ſunt contra Dei cultum & honorem. Et ſimiliter puniunt inferentes nocumenta proximis, ut ſic inter proximos conſervetur dilectio. Unde dicit Iſidorus, quod *factæ ſunt leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia*, Diſt. 4. can. 1. Et loquitur de legibus ſæcularibus, quæ ponunt pœnas varias etiam mortis contra tranſgreſſores. Et quod ait Apoſtolus 1. ad Tim. 1. quod *juſto non eſt poſita lex, ſed injuſtis, maleficis, veneficis, homicidis, & adulteris* &c. non intelligitur, ut quidam hæretici falſo exponebant, quod juſti non

Nec injuſtæ ſunt ſervandæ.

Cur juſtis non ſit poſita lex.

non ſint obligati ad leges humanas ſervandas ; A ſed quia quum lex habeat duplicem actum, ſcilicet dirigere hominem in operibus ſuis, & cogere metu pœnæ ad obſervantiam ejus, juſtis etſi ſit poſita lex, ut eſt directiva, non tamen ut eſt coactiva, quia videlicet non metu pœnæ eam obſervant, ut peccatores, ſed libere amore juſtitiæ & obedientiæ.

Hæc etiam lex multiplex, quia multæ ſunt leges hominum. *Qui* ergo *ambulant*, ideſt operantur ſecundum has leges, quæ *Domini* ſunt, & per quarum obſervantiam exercetur immaculata caritas; hi erunt ſine dubio *beati* in præſenti in ſpe, & in futuro in re.

De lege fomitis.

Eſt tamen una alia lex, quæ non eſt proprie Domini, ſed qui ſequitur eam, tranſgreditur o- B mnem Domini legem. Et de hac ait Apoſtolus Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, ſcilicet rationis, *& captivum me ducere in lege peccati.* Iſta lex dicitur fomes, & lex membrorum, ideſt concupiſcentia nobis innata, inclinatio videlicet ad malum, & ad delectabilia ſenſuum, etiam quæ ſunt contra rationem. Pro cujus declaratione dicit Thom. 1. 2. quæſt. 92. art. ult. quod lex eſſentialiter invenitur in regulante & menſurante; participative autem in eo, quod regulatur, & menſuratur, ita quod omnis inclinatio, quæ invenitur in his, quæ ſubjecta ſunt legi, participative dicitur lex. Sub Deo igitur legiſlatore diverſæ creaturæ diverſas habent inclinationes C naturales, ita ut quod uni eſt quodammodo lex, alteri ſit contra legem. Ut ſi dicamus, quod eſſe furibundum eſt lex canis; eſt autem contra legem ovis, vel alterius animalis manſueti. Eſt igitur hominis lex, quam ſortitur ex ordinatione divina ſecundum propriam conditionem, ut ſecundum rationem operetur: quæ quidem lex fuit tam valida in primo ſtatu, ut nihil vel præter rationem, vel contra rationem poſſit ſubripere homini. Sed dum homo a Deo receſſit, incurrit in hoc, quod feratur ſecundum impetum ſenſualitatis: & unicuique etiam particulariter hoc contingit, quanto magis a ratione receſſerit, ut ſic quodammodo beſtiis aſſimiletur, quæ ſenſualitatis impetu feruntur, ſecundum illud pſal. 48. D *Homo quum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis* &c. Sic igitur ipſa ſenſualitatis inclinatio, quæ fomes dicitur, in aliis animalibus ſimpliciter habet rationem legis; illo tamen modo, quo in talibus poteſt lex dici ſecundum directam inclinationem: in hominibus tamen ſecundum hoc non habet rationem legis, ſed magis eſt deviatio a lege rationis. Sed in quantum per divinam juſtitiam homo deſtituitur originali juſtitia, & vigore rationis, impetus ſenſualitatis, qui eum ducit, habet rationem legis, in quantum eſt pœnalis, & ex lege divina conſequens hominem deſtitutum propria dignitate; ſicut ſi aliquis dominus ponens ſubditos ſuos in diverſis ſtatibus ſeu officiis civilibus ſtatuens legem, E quam debeant ſervare, & ordinans, quod ſi aliquis ab illa deficiat, tranſeat ad alium ſtatum viliorem, puta de ſtatu militum vel mercatorum ad ruſticorum ſtatum vel ſervorum. Miles ergo recedens a lege propria, quod tranſeat ad ſtatum ſervorum, ex lege eſt ordinationis illius Domini.

Fomitis ratio expenitur.

1 Hæc verba *Tullius de Republica*, & deſunt in Jenſoniana editione.

CAPUT II.

De actibus, & proprietatibus, & utilitatibus legis.

Attendite, popule meus, legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris meis pſal. 77. Congruenter Dominus invitans ad obſervationem legis populum vocat. Non enim proprie datur lex niſi populo, quem [1] Tulius in lib. de repub. & Auguſtinus in lib. de civit. Dei cap. 21. & lib. 19. cap. 21. diffinit eſſe cœtum multitudinis juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatus. Unde Abrahæ non fuit data lex a Domino, nec Iſaac, vel Jacob, ſed aliqua præcepta domeſtica, ut de circumciſione; quia non adhuc creaverat in populum. Sed multiplicatis eorum filiis, & deſcendentibus in gentem copioſam, & liberatis a ſervitute Pharaonis, quia ſervis non congruit, lex data fuit a Deo per Moyſen populo Judæorum, quia erat populus Dei; ſed nunc populus Dei eſt populus Chriſtianus, cui congruit omnis lex juſta, quæ Dei eſt bene intellecta. Et ideo *attendite*. Ubi tria poſſunt notari in ipſis verbis de lege Dei quacumque.

Quod eſt diligenter intuenda, ibi: *Attendite, popule meus.*

Quod eſt reverenter ſuſcipienda, ibi: *Legem meam.*

Quod eſt congruenter adimplenda, ibi: *Inclinate aurem*, &c.

§. I. Quantum ad primum dicit: *Attendite*, ideſt diligenter conſiderate. Clerus debet attendere, ut poſſit ſine errore alios docere. Dicitur enim Malachiæ 2. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*, ſcilicet populi. Unde Hieronymus ad Paullinum: Sacerdotis officium eſt, interrogatum de lege reſpondere. Non inquit, de poeſi vel philoſophia, vel rethorica, ſed de lege; & ideo *attendite*. Populi autem ſeu laici debent attendere, quum docentur, ut intelligant, & mente retineant, ſicut de populo antiquo legitur, 2. Eſdræ 8. quod Eſdras ſacerdos legit in libro legis Domini *aperte, de mane uſque ad veſperam in conſpectu virorum, & mulierum, & ſapientum, & aures omnis populi erant erectæ ad librum, & levitæ ſilentium faciebant in populo ad audiendam legem .... & legerunt in libro legis Dei diſtincte & aperte*; ergo & vos ipſi

Attendite ad legis quidditatem.

Attendite ad ejus actualitatem.

Attendite ad ejus effectualitatem.

Quantum ad primum, ſcilicet quid ſit lex in communi, B. Thom. 1. 2. quæſt. 90. ſic diffinit: *Lex eſt quædam ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata.* Ubi ponuntur quattuor conditiones legis.

Diffinitio legis.

Quod lex eſt rationis practicæ ordinatio.

Quod eſt boni communis procuratio.

Quod eſt populi vel principis conſtitutio.

Quod de ejus ratione eſt promulgatio.

Quod lex eſt rationis practicæ ad actiones ordinatio, probatur nominis interpretatione, diffinitione, & auctoritate. Dicit enim Iſidorus, quod lex dicitur a legendo, quia ſcripta eſt, vel dicitur a ligando, quia ligat, ideſt obligat præceptis affirmativis ad agendum, negativis ad cavendum. Vel dicitur lex ab eligendo ſecundum Auguſtinum, quia debet quilibet eligere, & vivere ſecundum legem. Iſti autem actus, ſcilicet eligere,

Prima conditio legis eſt dirigere practice rationem.

re, legere, & ligare, ſunt actus rationis. Probatur hoc idem ratione vel diffinitione ſic: Lex eſt quædam menſura directiva humanorum actuum, ſecundum quam inducitur homo ad aliquid agendum, vel retrahitur ab agendo, ſcilicet mala. Regula autem prima humanorum actuum eſt ratio, quæ eſt primum principium humanorum actuum. Rationis eſt ordinare ad finem, qui eſt primum principium in agendis. In unoquoque autem genere id, quod eſt principium ſeu primum, eſt regula & menſura aliorum illius generis; ſic patet, quod lex pertinet ad rationem. Tertio probatur auctoritate legis canonicæ & civilis. Nam Iſidorus dicit in lib. Etymol. Diſt. 3. *Omnis*, & paragrapho præcedenti, quod lex habet præcipere & prohibere. Hi autem actus ſunt actus rationis. Juris etiam peritus dicit: In lege quod placuit principi, habet legis vigorem; quod intelligendum eſt, quum voluntas ejus eſt ratione regulata. Nam voluntas principis non regulata ratione, magis eſt iniquitas, quam lex.

Secunda conditio eſt ſpectare bonum commune.

Secundo de ratione legis eſt boni communis intentio vel ordinatio. Nam lex ad bonum commune omnium tamquam ad finem ordinatur ſemper. Unde Iſidorus dicit, quod lex *nullo privato commodo, ſed pro communi utilitate civium* debet eſſe *conſcripta*, Diſt. 4. *Erit autem*. Ratio hujus eſt ſecundum Thomam ubi ſupra, quod primum principium in operativis eſt ultimus finis. Finis autem ultimus humanæ vitæ eſt felicitas ſeu beatitudo. Unde oportet, quod maxime reſpiciat ordinem, qui eſt in beatitudine; quum ſit lex regula directiva humanarum actionum. Rurſus quum omnis pars ordinetur ad totum ſicut imperfectum ad perfectum, unus autem homo ſit pars communitatis perfectæ; neceſſe eſt, quod lex reſpiciat proprie ordinem ad communem felicitatem. Quodcumque autem præceptum fiat ad aliquem de aliquo particulari opere, in tantum habet rationem legis, in quantum ordinatur ad bonum commune. Nam particularia opera poſſunt referri ad bonum commune communitate cauſſæ finalis, ſecundum quod bonum commune dicitur communis finis. Et omnis quidem lex juſta Dei eſt, & ad felicitatem ordinat; ſed ſi fiat aliqua lex humana ob utilitatem privatam aliquorum ſine ratione, non erit proprie lex.

Tertia conditio auctoritas condentis.

Tertio lex eſt populi vel principis conſtitutio. Unde dicit Iſidorus 6. Etym. quod *lex eſt conſtitutio populi, qua majores natu ſimul cum plebibus aliquid ſanxerunt*, Diſt. 2. can. 1. Ratio hujus eſt ſecundum Thomam, quia lex principaliter & proprie ordinatur ad bonum commune. Ordinare autem ad bonum commune aliquid eſt principis vel totius multitudinis; & ideo condere legem pertinet ad totam multitudinem vel ad principem, qui curam habet multitudinis. Nam intentio legislatoris eſt, ut homines ad virtutes inducat, & a vitiis retrahat. Sed perſona privata poteſt quidem inducere monitione, aut ſuaſione bene diſpoſitos; ſed efficaciter inducere, ſcilicet per vim coactivam metu pœnarum protervos & male diſpoſitos non poteſt, niſi perſona publica, ad quam pertineat pœnas infligere. Et quia laici nullam juriſdictionem habent ſuper perſonas eccleſiaſticas; ideo nullam legem condere poſſunt propria auctoritate de perſonis vel rebus earum. Unde dicit Nicolaus Papa: *Lege imperiali non poſſunt eccleſiaſtica jura diſſolvi*, Diſt. 10. *Lege*.

Quarta conditio legis promulgatio, & quæ ſufficiat.

Quarto de ratione legis eſt promulgatio. Unde dicit Gratianus in Decret. Diſt. 4. can. 3. *In iſtis*, §. *Leges*, quod *leges inſtituuntur, quum promulgantur*. Ratio hujus eſt, quia ad hoc, quod lex obliget, oportet, quod in notitiam deducatur aliorum. Hoc autem fit per promulgationem. Et lex quidem naturalis promulgata eſt a Deo, ſecundum quod Deus eam mentibus hominum inſeruit naturaliter cognoſcendam. Lex autem exterior humana promulgatur, quoad præſens, verbo; ſed in futurum, ſcripto. Unde legis promulgatio, quæ fit verbo, in futurum extenditur per ſcripturæ firmitatem, quæ quodammodo ſemper legem promulgat. Illi autem, coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem ſervandam, in quantum ad eorum notitiam devenit, vel devenire potuit per alios promulgatione facta. Unde dicitur Diſt. 16. *Quod dicitis*, quod non oportet, quod ſingulorum auribus inculcetur, ſcilicet lex. *Attendite* ergo, *populo meus*, *legem meam*, quæ habet omnes has conditiones; & ſic omnis lex illas debet habere, ut vere ſit lex. *Notabile.*

§. II. Quantum ad ſecundum, ſcilicet actualitatem legis, ſciendum ſecundum Iſidorum 5. Etym. quod quadruplex eſt actus legis. Dicit enim: *Omnis lex aut permittit aliquid, ut quod vir fortis petat præmium, aut vetat ut ſacrarum virginum nuptias nulli liceat appetere, aut punit, ut qui cædem fecerit, capite plectatur: ejus enim præmio vel pœna vita moderatur humana; divina autem præcipit*, ut: Diliges Dominum Deum tuum, Diſt. 3. can. fin. in Decretis. Pro quorum declaratione dicit Thomas 1. 2. quæſt. 92. art. 2. quod quum lex ſit directiva humanorum actuum, tres ſunt differentiæ humanorum actuum. Quidam enim ſunt actus boni ex genere, ut ſunt actus virtutum; & reſpectu horum ponitur actus legis *præcipere*. Præcipit enim lex omnes actus virtutum, ut dicit philoſophus in 5. Ethic. Quidam alii actus ſunt mali ex genere, ſicut ſunt actus vitiorum; & reſpectu horum ponitur actus legis *prohibere*. Quidam alii ſunt indifferentes ex genere; & reſpectu horum dicitur lex *permittere*. Poſſunt etiam dici indifferentes, qui parum habent boni vel mali, ut venialia. Oportet autem, quod aliquid ſit, per quod inducat lex ſubditos, ut ei obediatur: hoc autem ex timore pœnæ; & reſpectu hujus dicitur actus legis *punitio*. Non autem ponitur conſilium actus legis, quia conſulere etiam ſpectat ad privatam perſonam, cujus non eſt condere legem. Quilibet enim poteſt alteri conſulere. Similiter præmiare non ponitur actus legis, ſicut punire, quia præmiare poteſt quilibet; ſed punire non pertinet niſi ad perſonam publicam, quæ eſt miniſter legis, cujus auctoritate pœna infertur. Unde & Iſidorus dicit in 5. Etym. *Factæ ſunt leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter reprobos innocentia, ut in ipſis improbis formidato ſupplicio refrenetur audacia, & nocendi facultas*, Diſt. 4. can. 1. *Lex eſt directiva humanorum actuum.*

Nota etiam quod permiſſio eſt triplex, ut dicit gloſſa ſuper can. *Omnis*, Diſt. 3. Prima eſt, qua permittitur, quod nullo jure prohibetur; habet tamen aliquam apparentiam mali, ut contrahere ſecundum matrimonium, quod videtur ſignum libidinis, ut 31. quæſt. 1. *Hac ratione*. Secunda eſt, qua permittitur, quod contra conſtitutiones humanas indulgetur, ut contrahere in gradu matrimonii prohibito, ſed cum diſpenſatione, ut 35. quæſt. 3. *Quædam*: & hæc eſt vera & abſoluta permiſſio. Tertia eſt, qua permittitur minus malum, ut vitetur majus: permittitur, ideſt non punitur. Et ſic permiſit Deus dari libellum repudii, ut vitaretur uxoricidium, Diſt. 3. §. *Officium*, Et dicitur hæc comparativa permiſſo. *Triplex eſt permiſſio.*

Attendite ergo ad actus legis: ad præcepta, ut obſervetis, Levit. 20. *Cuſtodite præcepta mea, & facite ea*: Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. *Attendite* ad prohibita, ut evitetis, Prover. 1. *Prohibe pedem tuum*, ideſt affectum, *a ſemitis ejus*, ſcilicet peccati. Quod ſe oſten-

oſtendit Pſalmiſta feciſſe, dicens pſal. 118. *Ab omni via mala*, ideſt opere, *prohibui pedes meos*, ſcilicet affectus. *Attendite* ad permiſſa mala, ne erretis, putantes eſſe licita, quia permiſſa. Unde Salvator Matth. 19. & Marc. 10. ait Judæis: *Moyſes ob duritiam cordis veſtri permiſit vobis dari libellum repudii*, quod tamen erat [2] illicitum, ſcilicet contrahere cum alia poſtea. Et Decretalis dicit: *Multa per patientiam toleramus, quæ ſi in judicium deducerentur, exigente juſtitia damnarentur*, extra *De præbend.* cap. *Quum jam dudum*. *Attendite* ad pœnalia, ut evitentur, non tranſgrediendo legem, ut tolerentur faciendo contra legem. Pœnæ enim ſunt medicinæ (ait philoſophus) Medicina autem etſi diſpliceat, patienter ſumitur propter ſanitatem, quæ ſequitur. Non tamen tenetur quis ad pœnas legum luendas, niſi poſtquam ad eas fuerit adjudicatus, ſecundum Thomam & Raymundum.

De effectu finali legis.

§. III. Quantum ad tertium, ſcilicet de effectu legis, ſciendum ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 92. art. 1. quod effectus finalis legis eſt homines facere bonos. Dicit enim philoſophus 2. Ethic. quod intentio cujuslibet legiſlatoris eſt homines facere bonos & virtuoſos. Et hoc vel ſimpliciter, vel ſecundum quid. Quod ſic declarat: Lex nihil eſt aliud quam dictamen rationis in præſidente, quo ſubditi gubernantur. Sicut videmus, quod virtus concupiſcibilis & iraſcibilis in hoc conſiſtunt, quod ſint bene obedientes rationi. Et per hunc modum virtus cujuslibet ſubditi eſt, ut bene ſubjiciatur principanti, ut dicit philoſophus in 1. Polit. Et Apoſtolus ad Rom. 13. ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo*, &c. Ad hoc autem ordinatur unaquæque lex, ut obediatur ei a ſubditis. Unde manifeſtum eſt, quod hoc ſit proprium legis, inducere ſubjectos ad propriam virtutem eorum. Quum autem virtus ſit, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit; ſequitur, quod ejus effectus eſt facere bonos eos, quibus datur vel ſimpliciter, vel ſecundum quid. Nam ſi intentio ferentium legem tendat in verum bonum, quod eſt bonum commune regulatum ſecundum divinam juſtitiam, ſequitur, quod per talem legem fiunt homines boni ſimpliciter, ſicut per legem divinam, vel canonicam. Si intentio autem legislatoris feratur ad id, quod non eſt bonum ſimpliciter, ſed utile ſibi vel delectabile, faciet homines bonos ſecundum quid, ideſt in ordine ad tale regimen; ſicut leges ſæculares antiquorum infidelium morales faciebant obſervantes bonos bonitate & felicitate terrena, ſcilicet cujuſdam pacifici victus.

Et ſiquis arguat, quod homines ſunt boni per virtutem, quia virtus eſt, quæ bonum facit habentem, ut dictum eſt, virtutem autem fecit Deus in homine infundendo; ergo non per legem, ſed per Deum fit homo bonus; reſpondetur ſecundum Thomam, quod quum ſit duplex virtus, acquiſita & infuſa, ad utramque aliquid operatur operum aſſuetudo, ſed diverſimode. Nam virtutem acquiſitam cauſſat operum bonorum aſſuetudo, quia ex actibus generantur habitus virtutis, ſcilicet acquiſitæ. Ad virtutem autem infuſam diſponit operum bonorum frequentatio, & eam jam habitam conſervat & promovet; non autem cauſſat, ſed Deus gratia ſua. Diffinitur enim virtus infuſa, quod eſt bona qualitas mentis, qua recte vivitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur, ſcilicet principaliter, ſed non ſine nobis cooperantibus ſeu conſentientibus. Et quia lex datur ad hoc, ut dirigat actus humanos, in quantum actus humani operantur ad virtutem, in tantum facit homines bonos. Unde philoſophus, 2. Politicorum dicit, quod legiſlatores aſſuefacientes faciunt bonos. Nec ſemper aliquis obedit legi ex perfecta bonitate virtutis, ſed quandoque ex timore pœnæ, quandoque ex quodam dictamine rationis, quod eſt quoddam principium virtutis. Eſt etiam impoſſibile ſecundum Thomam, quod bonum commune civitatis bene ſe habeat, niſi cives ſint virtuoſi, ad minus illi, quibus convenit principari. Unde & Iſidorus, Diſt. 9. can. 2. dicit: *Juſtum eſt principem obtemperare legibus ſuis. Tunc enim jura ſua ab aliis cuſtodienda exiſtimet, quando primus eis reverentiam præbet*. Unde populus Dei antiquus, dum habuit bonos judices, & reges & principes ſacerdotum, populus ſe bene habuit in moribus & in felicitate terrena. Quando habuit malos reges, quod pro majori parte fuit, populus ad idololatriam & in multa mala lapſus eſt; & propter hoc in diverſas captivitates ductus, & demum per orbem diſperſus. Sufficit autem ad bonum communitatis, quod alii, ſcilicet ſubditi, in tantum ſint virtuoſi, quod principum mandatis obediant, quantum ad civitatem terrenam. Sed ad civitatem ſupernam conſequendam, ad quam ordinat lex Dei, oportet, quod ex amore legem obſervent, *qui enim ex timore facit* præceptum, ſcilicet legis, *etſi bonum eſt, quod facit, non tamen bene facit*, ideſt virtuoſe, extra *De reg. jur. Qui ex timore*.

§. IV. Secundum principale notandum eſt, quod lex eſt reverenter ſuſcipienda, quum dicit, *legem meam*, Iſai. 33. *Dominus rex noſter, legifer noſter*. Et quia ut dicitur Jobi 36. *Nullus ſimilis ei in legislatoribus*, tanto ejus lex cum majori reverentia eſt ſuſcipienda, quanto major eſt in potentia, & ſapientia, & bonitate ferens eam. Quum nullus ſit Deo appropinquans, nedum ſimilis; ideo reverenter lex ejus ſuſcipienda eſt. Unde dicitur Iſai. 1. *Auribus percipite legem Dei noſtri, populus Gomorrhæ*. Et Jobi 22. *Suſcipe legem ex ore ejus*, ſcilicet Dei. Ideo autem reverenter

Lex Dei ſuſcipienda eſt.

Propter ejus eximiam auctoritatem.
Propter ejus miram veritatem.
Propter ejus nimiam utilitatem.

Propter auctoritatem præcipientis.

Quantum ad primum: *Attendite, popule meus legem meam*, propter meam auctoritatem, quæ tanta eſt, ut omnia mea potentia creata ſint, mea ſapientia gubernentur, mea juſtitia omnia defectuoſa corrigantur. Unde Levit. 18. dicit: *Ego Dominus, leges meas cuſtodite*; quaſi dicat: Ideo debetis & ſuſcipere, & ſervare leges meas, quia Dominus ſum abſolute & univerſalis Dominus omnium, & poteſtatem habeo ſuper omnia. Dominus enim nomen eſt poteſtatis, ait Ambroſius. Et dicitur Dominus, quaſi *do minas*, ſcilicet pœnarum tranſgreſſoribus legum mearum. Unde dicitur 2. Machab. 4. *In leges divinas impie agere non impune cedit*. Propterea quum primo dedit legem ſcriptam in monte Syna, apparuit mons fumigans & tonitrua emittens, & corruſcationes, ita quod populus exterritus, diceret: *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Exodi 20. ut viſa auctoritate & poteſtate datoris legis, ſcilicet Dei, attenderet & obſervaret eam.

Propter ejus veritatem legis.

Quantum ad ſecundum, eſt ſuſcipienda ipſa lex reverenter propter ejus miram veritatem. Dicitur propterea lex veritatis ſecundum illud Malachiæ

[2] Ex duplici Veneta editione, Jenſoniana an. 1479. & Leonardi Wild an. 1481. *illicitum* reſtituimus (ut *illicitum* quidem traditur tit. 14. cap. 6. ſub finem) pro eo quod in aliquibus editis contrario ſenſu habetur *licitum*; quod tamen ipſius contextus ſententia refugit.

chiæ, 2. *Lex veritatis fuit in ore ejus*. Sicut in doctrinis hominum reperiuntur plures falsitates, ut patet in doctrinis philosophorum, quia, ut ait psal. 115. *Omnis homo mendax*: nulla autem falsitas reperiri potest in doctrina Dei, scilicet sacræ Scripturæ, sed omnis veritas, Joann. 17. *Sermo tuus veritas est*; ita in legibus hominum reperiuntur aliquando falsitates & injustitiæ; propter quod dicitur Hierem. 10. *Leges populorum vanæ sunt*, idest falsæ & inutiles. Nam si veræ & justæ sunt, leges Dei sunt. Unde ipsa Dei sapientia ait Proverb. 8. *Per me legum conditores justa decernunt*. Sed lex Dei omnis verissima & justissima est; & ideo debet cum omni reverentia susçipi & audiri. Nam, ut dicit Lactantius in lib. Instit. Nullus suavior animæ cibus, quam veritas.

Et si quis objiceret, quod lex Dei videtur continere falsitatem, quia promittebat multa bona temporalia servantibus eam, & tamen multi observatores ejus, ut Tobias, Isaias, Hieremias, & alii habuerunt multa adversa, & indigentias; respondet Thomas 1. 2. quæst. 99. art. ultimo, quod illa temporalia promissa sunt observatoribus legis, non ut principalis remuneratio, in quibus affectu inhærerent, sed tamquam imperfectis, ut per ea manuducerentur ad observationem legis; sicut pueri ad observationem eorum, quæ imponuntur eis, inducuntur quibusdam munusculis. Et secundum historiam veteris testamenti, communis status populi, quum sub lege fuit, quamdiu legem servavit, in prosperitate fuit. Declinans autem ab observatione legis, multa adversa incurrit. Aliquæ tamen personæ particulares legem observantes in aliquas adversitates incidebant, vel quia jam erant spirituales effecti, ut per hoc magis ab affectu temporalium abstraherentur, & earum virtus probata redderetur, vel quia opera legis exterius explentes aliqui cor in temporalibus defixum habebant.

Propter ejus utilitatem.

Quantum ad tertium, lex est suscipienda & implenda propter ejus utilitatem. Ex nulla enim lege homo consequitur tantum fructum sicut ex lege Dei, si observet. Quod intelligens Psalmista ait psal. 118. *Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam*, quasi diceret: Ista est pars, quam elegi ex omnibus bonis, quæ ponuntur ante me de bonis mundi, tamquam meliorem servare legem Domini. Nam vitia primo habet manifestare, ut sic possint caveri, Apostolus ad Rom. 7. *Nam concupiscentiam nesciebam*, scilicet esse peccatum, *nisi lex diceret: Non concupisces*. Ubi Augustinus *Bona est ergo lex, quæ dum concupiscentiam prohibet, omne malum prohibet*, extra *De constitut.* cap. *Nam concupiscentiam*. Quamvis enim lex humana non prohibeat omnia peccata, etiam exteriora, sed ea, quæ magis habent tollere pacificum convictum hominum adinvicem, ut furta, adulteria, homicidia, & hujusmodi; lex tamen naturalis & divina omnia vitia prohibet.

Lex juvat exercere virtuosa.

Secundo lex juvat virtuose exercitare. Unde Ecclesiastici 45. *Dedit illi cor ad præcepta, & legem vitæ & disciplinæ*. Lex dicitur *vitæ*, scilicet spiritualis, quæ consistit in virtutibus. Dicitur etiam lex *disciplinæ*, quæ importat morum compositionem. Ad legem siquidem naturæ pertinet omne illud, ad quod inclinatur secundum naturam. Inclinatur autem unumquodque ad operationem sibi convenientem secundum suam formam, sicut ignis ad calefaciendum. Unde quum anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio cujuslibet hominis est operari secundum rationem; & hoc est agere secundum virtutem. Unde omnes actus virtutum sunt de lege naturali. Et propterea Damascenus dicit in lib. 3. quod virtutes sunt naturales, idest secundum inclinationem seu legem naturalem. Lex divina certum est, quod actibus virtuosis ipsius imperat, & omnis lex humana in tantum habet rationem legis, in quantum est derivata a lege naturali.

Lex facit servare pacem inter homines.

Tertio lex facit pacem inter homines servare, quod multum desideratur. Unde dicitur 2. Machab. 1. *Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem*, quasi diceret: Habendo voluntatem efficacem ad implendum legem Dei, inde sequitur pax. Finis omnis legis est dilectio; & pax est effectus dilectionis. Qui enim se diligunt, pacem inter se habent. Unde Apostolus ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio*. Et quando etiam servantur leges humanæ, quæ prohibent injurias proximorum, habetur pax inter eos.

Lex justificat.

Quarto lex habet justificare; & hoc præcipue facit lex Evangelica. Unde ad Rom. 8. dicitur: *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati & mortis*, scilicet æternæ. Et dicit Augustinus in lib. de spiritu & littera, quod sicut lex factorum, idest Mosayca, fuit scripta in tabulis lapideis; ita lex fidei, idest evangelica est scripta in cordibus fidelium. Et ipse idem dicit, quod non est aliud lex Dei scripta in cordibus fidelium nisi præsentia Spiritus sancti, idest gratia, quæ utique habet justificare, idest a peccato emundare, & Deo gratum reddere, & consequenter opera meritoria reddere. Sunt tamen in Lege evangelica verba scripta, quæ sunt dispositiva ad gratiam Spiritus sancti, & ad usum gratiæ ejus pertinentia, ut quæ pertinent ad divinitatem vel humanitatem Christi, quæ disponunt intellectum ad fidem: & quæ pertinent ad contemtum mundi, ut usus sacramentorum, quæ habent disponere ad gratiam Et ista sunt ut secundaria hujus legis. Sed principale in ea est gratia Spiritus sancti in mente fidelium infusa.

Lex roborat in tentatione.

Quinto lex habet in tentationibus vigorare, psal. 36. *Lex Dei ejus in corde ipsius*, scilicet justi, *& non supplantabuntur gressus ejus*. Gressus hominis sunt opera ejus, qui dicuntur supplantati, quando decipitur in eis faciendo id, quod habet speciem boni, sed est vere malum; sicut avaro apparet bonum esse decipere proximum, ut consequatur bonum utile, scilicet lucri. Sed dum quis attendit ad legem, quæ ostendit hujusmodi esse mala, & lex doctrina est Dei, quæ errare non potest; abstinet se ab his, & tentationes vincit. Unde & Christus quum fuit tentatus a diabolo in deserto, cum auctoritatibus legis pugnavit, respondens tentatori: *Scriptum est*, scilicet in lege Deut. cap. 8. *Non in solo pane vivit homo; sed in omni verbo* &c. contra vitium gulæ. Et *non tentabis Diminum Deum tuum* contra superbiam seu inanem gloriam. Et iterum: *Dominum Deum tuum adorabis* &c. contra avaritiam. Hæc omnia scripta sunt in lege Dei. Et sic non fuit supplantatus, sed diabolum ipse supplantavit & vicit.

Lex facit multiplicare terrena.

Sexto lex terrena multiplicare facit. Unde dicit Moyses Deuter. 28. *Si audieris vocem Domini Dei tui*, scilicet in lege sua loquentis, *ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi, faciet te Dominus celsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra. Venientque super te omnes benedictiones istæ, & apprehendent te*; quæ pertinent ad temporalia. *Benedictus eris in civitate, benedictus in agro* &c. ibi vide. Et per contrarium immediate superius dicitur: *Maledictus omnis, qui non permanserit in sermonibus legis*

gis hujus. Et ponuntur ibi determinatæ multæ maledictiones contra tranſgreſſores legis. Infirmi enim & imperfecti per temporalia manuducuntur ad ſpiritualia opera.

Lex ad cælestia producit.

Septimo legis obſervatio facit cæleſtia penetrare ad poſſidendum. Jacobi 1. *Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis*, ſcilicet evangelica, *& permanſerit in ea non auditor obliviosus factus, ſed factor operis; hic beatus in facto ſuo erit. Attendite* ergo, *populе meus, legem meam.*

Inclinare aurē quid eſt.

§. V. Quantum ad tertium principale lex eſt congruenter adimplenda. Unde ſubdit: *Inclinate aurem veſtram in verba oris mei.* Inclinare aurem in verba legis, non eſt aliud, quam implere & ſervare legem. De aure enim cordis loquitur, id-eſt voluntatis. Voluntas enim, quum eſt efficax, movet ad operandum & ſervandum legem. Et ad iſtum intellectum dicitur Proverb. 28. *Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio ejus erit exſecrabilis.* Declinare aurem, ideſt non audire, eſt non obedire, & talis non meretur audiri in orationibus ſuis. *Inclinate* ergo *aurem veſtram in verba oris mei*, non exſpectate tempus ad faciendum, ut ait Pſal. 118. *Tempus faciendi, Domine, diſſipaverunt legem tuam*, ideſt propter tempus, quod exſpectant homines ad faciendum ſe habere, diſſipant legem contrafaciendo; ſed nunc *inclinate aurem veſtram*. Et ut congrue ſervetis, *inclinate aurem veſtram* tripliciter.

Ut impleatis integraliter.

Ut obediatis intentionaliter,

Ut agatis conſtantionaliter.

Lex implēda eſt integraliter.

Quantum ad primum dicit Jacobus in canon. ſua cap. 2. *Qui totam legem ſervaverit, offendat autem in uno*, ſcilicet præcepto legis, *factus eſt omnium reus*, ideſt ita damnabitur, ſicut ſi omnia præcepta legis fuiſſet tranſgreſſus. Non quod tantam pœnam patiatur, quum quælibet tranſgreſſio habeat debitum ſuæ gravitatis pœnæ; ſed ita unius tranſgreſſio præcepti legis eſt ſufficiens ad incurrendum pœnam infernalem, ſicut tranſgreſſio totius legis. Et hoc niſi quis pœnitentiam agat. Quod diligenter Pſalmiſta oſtendebat ſe facere, dicens pſal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, ideſt abundantiam lacrymarum ex contritione procedentem, *quia non cuſtodierunt legem tuam*, ſenſus mei vel etiam proximi. Unde & Chriſtus ait Matth. 5. *Jota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Sicut enim de cæremonialibus, quæ erant in figuram Chriſti & Eccleſiæ, nihil præterit, quod non ſit impletum; ita & de moralibus, nec quoad majora præcepta, quorum quodlibet *Jota* dici poteſt, nec quoad minora, quæ *apices* dicuntur, unum prætermittere debet, quod non ſalvetur, qui voluerit ſalvus eſſe. Unde ſequitur: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis*, ideſt contra fecerit, *& docuerit ſic homines*, ideſt prædicaverit alia bona, & ipſe in uno præcepto deficiat non ſervando, *minimus vocabitur in regno cælorum*, ideſt nullus, quia non intrabit illuc. *Inclinate aurem veſtram* &c. *in verba*, ſcilicet ſingula legis, non aliquot, ut omnia ſervetis ad plenum.

Legi obediendum eſt quoad intentionē legis.

Secundo debetur legi obedire intentionaliter, id-eſt ſecundum intentionem legiſlatoris, non ſecundum verba tantum. Unde dicit regula juris: *Certum eſt, quod is committit in legem, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem. De reg. jur.* lib. 6. Ad quod etiam facit quod Gregorius in Moral. ait, ſcilicet quod *non intentio verbis, ſed verba debent deſervire intentioni*, 22. quæſt. 5. *Humanæ*. Quod etiam notat philoſophus in lib. Eth. quod magis attendendum eſt ad intentionem inſtituentis aliquam legem, quam ad verba legis. Modo ad propoſitum: Præcepit Dominus in antiqua *lege* aliqua *ad tempus* ſervanda ſecundum litteram, quæ erant *in* figuram futurorum, ut omnia cæremonialia, quouſque ipſa figurata exhiberentur in veritate. Unde Apoſtolus ad Hebr. 10. ait: *Umbram habens lex futurorum bonorum.* Quum ergo impletæ ſunt illæ figuræ, non debent illa ſervari ſecundum litteram, quum ſit contra intentionem legiſlatoris; ſed ſecundum ſpiritum. Et propterea dicit Apoſtol. 2. ad Cor. 3. *Littera occidit; ſpiritus autem vivificat*, ideſt legem intelligendo & ſervando, ſecundum litteram *occidit* animam, ſed ſervata ſecundum ſpiritualem intellectum dat vitam animæ: v. g. mandavit Dominus in lege circumciſionem, prius tamen patribus datam, quæ figurabat baptiſmum habentem virtutem ex Chriſti paſſione. Jam Chriſtus advenit, paſſionem ſuſtinuit, & baptiſmum inſtituit. Unde non debet illud præceptum ſervari nunc ad litteram, ex quo impleta eſt figura illa. Hoc enim mortale eſſet, quia ſcilicet contra intentionem legiſlatoris, unde & contra legem; ſed debet ſervari ſpiritualiter, a ſuperfluis & vitiis ſe abſtinendo.

Præcepit Dominus in lege populo, ne comederet porcinas carnes, ad figurandum, quod populus ſuus, futurus ſcilicet populus Chriſtianus, debebat ſe permaxime abſtinere a majoribus porcinis, ideſt luxurioſis. Jam eſt in actu populus Chriſtianus, qui quoad bonos ſe abſtinet a luxuriis. Unde non debet iſtud præceptum modo ſecundum litteram ſervari, quia eſſet morrale, ſed ſecundum ſpiritum ſemper; quoniam hoc intendit legiſlator, ſcilicet abſtinere ſe a vitio luxuriæ. Sic etiam præceptum eſt legis naturæ: *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim lex, & prophetæ*, ideſt in hoc conſiſtit. Si quis ergo velit ſibi dari centum florenos ſine aliquo debito juſtitiæ, vel cauſſa rationabili, quum non egeret; numquid & ipſe debet hoc facere proximo, quia vult ipſe ſibi hoc fieri? Certe non intelligit hoc legiſlator, ſcilicet Deus, ſed de voluntate rationabili, quod quis rationabiliter vult ſibi fieri, debet alteri facere, ſi poteſt.

Item in lege evangelica Chriſtus dicit: *Si quis te percuſſerit in dextram maxillam, præbe ei & alteram*, Matthæi 5. Qui hoc indifferenter faceret cuicumque, non benefaceret, quia daret illi occaſionem augendi peccatum iterum percutiendo. Non ergo hoc intelligit Chriſtus lator legis hujus, quia nec ipſe hoc fecit, quum miniſter Annæ pontificis ei alapam dedit; ſed eum redarguit Joann. 18. Sed vult dicere, quod percuſſus quilibet, ita patienter ferat injuriam ſibi factam, quod etiamſi majorem ſibi vellet facere injuriam, paratus ſit æquanimiter tolerare. Ita exponit Aug. 23. quæſt. 1. cap. *Paratus*.

Item lex divina, & canonica prohibet recipi pro pecunia mutuata aliquid ultra ſortem. Si igitur quis non det pecuniam, ſed operam ſuæ perſonæ pro mutuo, contra intentionem legis facit, & committit uſuram, quia opera illa pretio æſtimari poſſunt, 14. quæſt. 3. *Plerique*.

Item lex civilis mandat furem & alios malefactores capi & puniri. Numquid ergo capiet judex laicus clericum furem, vel alias malefactorem? Certe non, quia eſſet excommunicatus, extra *De ſenten. excom.* cap. *Ut famæ*. Intendit enim legiſlator de ſubditis foro civili, non de clericis Sic ergo in lege quacumque, *inclinate aurem veſtram in verba*, ideſt non ad verba, prout ſonant exterius, ſed *in verba*, ideſt in intellectum verborum legis, quid ſcilicet intendit legiſlator.

Lex implēda eſt conſtanter.

Tertio lex eſt implenda conſtanter, ut ſcilicet propter timorem pœnarum non declinet quis ab ea. Unde de ſanctis canit Eccleſia: *Iſte ſanctus pro*

pro lege Dei ſui certavit uſque ad mortem, & a verbis impiorum non timuit. Sic legimus de caſtiſſima Suſanna, quod quum invitaretur ad opus nefarium ſub comminatione accuſationis de adulterio, & per conſequens mortis, ſubito reſpondit: *Melius eſt mihi incidere in manus hominum abſque opere, quam derelinquere legem Dei mei. Si enim hoc egero, mors mihi eſt* &c. Dan. 13. Similiter Eleazarus antiquus voluit potius duram mortem ſuſtinere, quam tranſgredi unum mandatum legis Dei, ſcilicet comedere carnes porcinas, dicens: *Adoleſcentibus exemplum forte relinquam, ſi promto animo ac fortiter pro graviſſimis ac ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar*, 2. Machabæorum 6. Sed & ſeptem fratres Machabæi cum matre ſua ſuſtinuerunt conſtantiſſime multa gravia ſuppliciorum genera, & demum mortem potius, quam vellent legem Dei tranſgredi. Unde & primus eorum ad tormenta ductus dixit: *Parati ſumus magis mori quam patrias Dei leges prævaricari.* Et mater eorum eos exhortando ad conſtantiam martyrii dicebat: *Mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique invenit omnium originem, & ſpiritum vobis iterum reddet, & vitam cum miſericordia, ſicut nunc voſmetipſos deſpicitis propter Dei leges*, 2. Machabæorum 7. Sic in novo teſtamento innumeri martyres pro obſervatione legis evangelicæ mortem ſuſtinuerunt.

TITULUS DUODECIMUS

DE LEGE ÆTERNA.

CAPUT I.

Quod legi æternæ omnia ſubjiciuntur, & quomodo debemus conformari voluntati divinæ.

Lex æterna eſt ratio divinæ ſapientiæ.

§. I. LEx æterna ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 93. art. 1. non eſt aliud, quam ratio divinæ ſapientiæ, ſecundum quod eſt directiva omnium actuum & motionum. Et quia divina ratio nihil concipit ex tempore, ſed habet æternum conceptum; ideo dicitur lex æterna. Deus enim ſicut per ſapientiam ſuam eſt conditor univerſarum naturarum, ad quas comparatur, ſicut artifex ad artificiata; ita eſt gubernator omnium actuum & motionum, quæ inveniuntur in ſingulis creaturis. Unde ſicut ratio divinæ ſapientiæ, in quantum per eam cuncta ſunt creata, habet rationem artis, vel exemplaris, vel ideæ; ita ratio divinæ ſapientiæ moventis omnia ad debitum finem, ſeu ipſa ratio gubernationis rerum in Deo, ſicut in principe univerſitatis exiſtens, quum mundus divina providentia regatur, obtinet vim legis, quum nihil aliud ſit lex, quam quoddam dictamen practicæ rationis in principe, qui gubernat aliquam communitatem perfecte. Eſt autem ipſa lex æterna in Trinitate Deo, qui mundum regit. Unde de ipſa Trinitate canit Eccleſia: *Qui*, ſcilicet Deus Trinitas, *totum ſubdit ſuis orbem legibus*. In ipſo Deo una eſt lex (ut dictum eſt) in creaturis tot ſunt, quot ſunt ſpecies creaturarum, quibus ſingulis indidit diverſas inclinationes in ſuos debitos fines, quæ inclinationes leges in ipſis creaturis dicuntur. Et quamvis ipſa lex æterna attribuatur per appropriationem filio ſecundum Thomam ubi ſupra; tamen ſecundum Alexandrum in 3. par. quæſt. 12. poteſt attribui ſecundum conditiones legis varias, & aliis perſonis.

Tria concurrunt ad legem.

Tria enim concurrunt ad legem, ſcilicet auctoritas, veritas, & bonitas; & ſecundum hæc oportet, quod lex habeat principium, formam, & finem. Ratione principii debetur legi auctoritas; quia non poteſt eſſe principium legis, niſi habens auctoritatem. Ratione formæ debetur legi veritas, quia numquam fertur ſine ratione recta, ſcilicet ſi ſit propria lex: nam injuſta non eſt lex. Ratione finis debetur legi bonitas, quia lex non ordinatur niſi ad bonum. Si ergo reſpiciamus in lege æterna auctoritatem; ſic appropriatur perſonæ patris ratione poteſtatis. Si reſpiciamus in ipſa lege æterna veritatem; ſic appropriatur filio ſecundum rationem formalem ſapientiæ. Si attendamus bonitatem legis; ſic appropriatur Spiritui ſancto. Hæc Alexander de Hales.

De lege æterna poteſt intelligi illud pſalmi, ideſt quod dicitur de juſto, pſal. 1. *In lege Domini fuit voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Dicit Auguſtinus: Quod peccatum non eſt aliud niſi dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem æternam. Et ſub his comprehenditur ſecundum Thomam omnis exceſſus ſive locutionis, actionis & deſiderii contra rationem. Quia ergo juſtus ſummam diligentiam habet, ut caveat a peccatis; ideo affectus ejus eſt ad legem æternam, ideſt voluntatem Dei, ut impleat; intellectus, ut intelligat. Unde *in lege Domini fuit voluntas* &c. ubi tria poſſunt notari.

Quod eſt univerſalis; & ideo mundus totus ea regulatur, ibi: *In lege Domini.*

Quod eſt perfectionalis; & ideo affectus bonus ei conformatur, ibi: *Fuit voluntas ejus.*

Quod eſt rationalis; & ideo intellectus rectus eam ſpeculatur, ibi: *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.*

Lex æterna eſt univerſalis.

§. II. Quantum ad primum, ſciendum, quod nullius homo quantumcumque habuerit dominium latum, & longum, potuit vel poteſt dici abſolute dominus, ſed ſecundum quid. Nam etſi Octavianus primus imperator poſt Cæſarem fecit deſcribi univerſum orbem terrarum tamquam dominus terræ, numquid dominium habuit aquarum, & aliorum elementorum, aut cælorum, aut Angelorum, aut etiam omnium brutorum? Certe non. Fuit ergo dominus non ſimpliciter omnium, ſed hominum, qui verſabantur tunc in mundo; unde & illis legem dare valebat, nec tamen quoad omnia; non autem aliis rebus ſibi non ſubditis. Abſolute & ſimpliciter dominus eſt Deus, omnibus dominans creaturis; unde S. Mardochæus in oratione ſua dicebat: *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui reſiſtit voluntati tuæ* &c. *Dominus univerſorum tu es*, Heſter 13. Sicut ergo dominium eſt univerſale,

Legi æternæ omnia ſubjiciuntur.

le; ita & lex ejus debet eſſe univerſalis, & ipſa totus orbis regulatur, quia lex Domini.

Et quod legi æternæ, quæ non differt a Dei voluntate, realiter ſubjiciantur & regulentur omnia, declaratur & oſtenditur ſecundum Thomam 1. 2. q. 93. Nam creaturæ irrationales æternæ legi ſubjiciuntur, in quantum ſequuntur ſine judicio rationis vel ſenſus, id, quod eis impreſſum eſt a Deo, quaſi motæ ab alio, ſcilicet Deo ad ſuos fines & actus. Secundo creaturæ rationales legi æternæ ſubjiciuntur per notitiam divini præcepti, eo quod eis datum eſt intelligere, quod debeant agere vel cavere. Ipſa enim lex naturalis, quæ eſt in homine, eſt quædam participatio legis æternæ. Mali etiam ſubjiciuntur legi æternæ, etſi imperfecte, ſcilicet neceſſitate coactionis, in quantum ſubjiciuntur non ejus præceptioni, ſed punitioni, ſcilicet in quantum mali puniuntur a Deo, quod lex æterna dictat & imperat. Quarto boni ſubjiciuntur perfecte, in quantum ſcilicet non coactione punitionis, ſed voluntate obſecutionis, ſcilicet voluntate obediendi Deo, amore non timore ſe ſubjiciunt. Beati etiam & damnati ſubjiciuntur legi æternæ. Cujus ratio eſt, quia ſicut corpus grave movetur graviter de loco ad locum; ita eadem gravitate quieſcit in loco. A ſimili ſicut boni per legem æternam merentur beatitudinem, & mali miſeriam; ita per eamdem legem beati in beatitudinem, & mali in miſeriam conſervantur. Subjiciuntur etiam legi æternæ omnia creata ſive neceſſaria ſive contingentia, non autem æterna. Et ratio hujus eſt ſecundum Thomam ubi ſupra. Lex æterna eſt ratio gubernationis. Quæcumque ergo ſubjiciuntur divinæ gubernationi, ſubduntur & legi æternæ. Quum ergo omnia, quæ ſunt in rebus a Deo creatis, ſubdantur divinæ gubernationi, ſive neceſſaria, ſive contingentia, non autem ea, quæ pertinent ad divinam eſſentiam vel naturam, ut perſonæ divinæ, vel voluntas Dei vel bonitas Dei & hujuſmodi; ideo creata ſubduntur legi æternæ; non autem increata, ſicut patet per exemplum in hominibus. Nam gubernationi hominum ſubduntur, quæ fiunt per homines; non autem quæ pertinent ad naturam hominum, ut quod habeat manus vel pedes. Unde & Auguſtinus dicit 19. de civit. Dei, quod nullo modo aliquid legibus ſummi creatoris ordinatoriſque, ſcilicet creatum ſubtrahitur, a quo pax univerſitatis adminiſtratur.

Nec obſtat, quod ait Apoſtolus dicens ad Rom. 8. *Prudentia carnis inimica eſt Deo; neque enim legi ejus ſubjecta eſt.* Nam ſecundum Thomam ubi ſupra, etſi ſubjici non poſſit prudentia carnis legi æternæ ex parte actionis, quia inclinat ad actiones contrarias legi Dei; tamen ſubjicitur legi Dei ex parte paſſionis, quia meretur pœnam ſecundum legem divinæ juſtitiæ.

Lex Dei differt a lege hominum.

Sciendum etiam, quod aliter eſt dicendum de lege hominum, aliter de lege Dei. Nam homo rebus irrationabilibus quantumcumque ei ſubjiciantur, non poteſt imponere legem, ſed ſolum hominibus ſibi ſubjectis, quibus hominibus in tantum ponit legem, in quantum ſuo præcepto vel denuntiatione imprimit mentibus eorum quamdam regulam, quæ eſt principium agendi. Sicut autem homo denuntiando imprimit homini ſubjecto ſibi quoddam principium interius actuum; ita Deus imprimit toti naturæ principia actuum propriorum. Et ideo per hunc modum dicitur Deus præcipere toti naturæ, ſecundum illud pſal. 148. *Præceptum poſuit, & non præteribit*, ſcilicet in rationalibus creaturis. Et per hanc etiam rationem omnes motus & actiones totius naturæ legi æternæ ſubduntur. Alio modo ergo ſubduntur legi æternæ creaturæ irrationales quam rationales, in quantum ſcilicet irrationales moventur a divina providentia; non autem per intellectum divini præcepti, ut rationales. Et ipſa impreſſio principii activi intrinſeci quantum ad res naturales eſt promulgatio legis æternæ in eis. Defectus etiam, qui accidunt in rebus naturalibus, quamvis ſint præter rationem cauſſarum particularium; non tamen ſunt præter ordinem cauſſarum univerſalium, & præcipue cauſſæ primæ, ideſt Dei, cujus providentia nihil poteſt ſubterfugere, unde & ipſa ſubduntur legi æternæ. Omnes etiam leges in quantum participant de ratione recta, in tantum derivantur a lege æterna. Unde Auguſtinus in temporali lege nihil eſt juſtum atque legitimum, quod non ex æterna homines ſibi derivaverint. Et idem Auguſtinus: *Lex æterna ita medio quodam loco poſuit aliqua hominibus, ut in eis uſurpandis merito reprehendatur audacia, in exſequendis jure laudetur obedientia.* Et ponit exemplum Abrahæ, qui ex ſe volendo occidere filium, peſſime feciſſet, ſed ex voluntate Dei jubentis hoc volendo optime feciſſet, 25. quæſt. 5. *Lex.*

Voluntas cujuslibet debet ſe conformare divinæ voluntati.

§. III. Secundum, quod notatur, eſt affectus ſeu voluntas juſti, quæ conformat ſe ad legem æternam, ideſt voluntatem divinam; quod quilibet facere debet. Dicit enim Auguſtinus, quod lex æterna eſt ratio ſumma in Deo, ideſt voluntas rationabilis, cui ſemper obtemperandum eſt, ſcilicet conformando voluntatem noſtram ſuæ. Dicit enim Ariſtoteles in ſua Methaphyſ. quod primum in unoquoque genere eſt regula, & cauſſa ſecundorum, ſeu omnium illius generis; ſicut primum in genere caliditatis eſt ignis, & ipſe eſt cauſſa ſecunda omnium calidorum in quantum calida. In tantum enim unumquodque eſt calidum, in quantum participat naturam ignis. Prima igitur cauſſa omnis rectitudinis eſt divina voluntas, in qua eſt ſumma rectitudo, & in tantum voluntas humana eſt recta, in quantum participat rectitudinem divinæ voluntatis; quod fit conformando ſe ei: tunc enim recta eſt. Tenemur autem eſſe recti, quia ut dicitur Cantic. 1. *Recti diligunt te*, ſcilicet Deum. Ad dilectionem autem obligamur, quæ ſine rectitudine eſſe non poteſt. Unde & gloſſa dicit: Rectus eſt, qui vult, quod Deus vult.

Sciendum tamen, quod quum dicitur voluntas noſtra, debet eſſe conformis voluntati divinæ, ut dicit Durandus in 1. Sent. Diſt. ult. non intelligitur hoc de conformitate voluntatis, in quantum ad eſſentiam ejus, vel eſſe, ideſt velle; ſed quantum ad tendentiam ejus in objectum, ideſt in volitum. Nam quum conformitas importet quamdam aſſimilationem unius rei ad alteram, unde dicitur conformis quaſi convenientiam in unam formam; non poteſt hoc intelligi de omnimoda aſſimilatione voluntatis noſtræ vel noſtri velle, quod actus ipſius voluntatis eſt cum voluntate Dei: hoc enim impoſſibile eſt, quum in infinitum diſtet, quia voluntas Dei & velle ejus eſt eſſentia ejus: ſed in nobis voluntas eſt quædam potentia, non eſſentia animæ, ſed accidens conſequens ipſam; & velle eſt actus ipſius potentiæ, non potentia nec eſſentia ejus. Eſt autem conformitas proportionis inter voluntatem noſtram & Dei, in hoc ſcilicet, quod ſicut Deus vult libere quod vult; ita & voluntas noſtra: & ſicut vult bonum, ita & voluntas noſtra naturaliter; ſed hoc pertinet ad imaginem Dei, quæ naturaliter eſt in nobis. Conformitas ergo iſta attenditur ſecundum tendentiam in objectum, ideſt in volitum, prout ſcilicet velle pertinet ad genus moris, ſcilicet bene vel male. Et tunc iſta conformitas voluntatis poteſt attendi ſecundum quadruplex genus cauſſarum, ſcilicet efficientis, finalis, formalis, & materialis. Et ſecundum genus cauſſæ efficientis tenemur conformare

mare voluntatem noſtram voluntati Dei, quod ſcilicet tunc facimus, quando volumus id, quod Deus vult nos velle. Hoc enim ipſe efficit in nobis. Unde Apoſtolus ad Philipp. 2. *Ipſe eſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Et ſic uno modo exponitur illud 1. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ideſt iſtam voluntatem, qua velimus omnes homines ſalvos fieri conſiderata ſolum natura ipſorum, ipſe facit in nobis, & hoc vult nos velle.

Secundum cauſſam finalem debemus etiam conformare voluntatem noſtram voluntati divinæ. Et ſic *in lege Domini voluntas* juſti, ut ſcilicet velit omnia propter bonum finem, quod eſt conformare ſe in ratione volendi. Quidquid enim vult Deus, vult propter hunc finem, ſcilicet propter bonum univerſi, per quod manifeſtatur bonitas ſua infinita, quæ eſt finis omnium. Et quilibet etiam quodcumque vult, debet velle ſub ratione boni non tantum apparentis, ideſt propter aliquem bonum finem. Illud autem, quod de ſe eſt malum, non poteſt ordinari ad finem, qui proprie dicatur bonus. Sicut furari propter hunc finem, ut quis inde faciat eleemoſynam, non poteſt proprie dici, quod fiat propter bonum finem. Debet ergo quis conformare voluntatem ſuam divinæ ſecundum cauſſam finalem, ut omnia faciat propter aliquem bonum finem, ſecundum illud: *Omnia in gloriam Dei facite*. Unde Judæi volentes paſſionem Chriſti, quam Deus volebat, non conformabant ſe voluntati Dei; ſed contrariabantur, quia Deus illam volebat & ſancti hoc cupiebant propter hunc finem, ſcilicet propter redemtionem noſtram, in quantum erat ſatisfactiva noſtri debiti; non autem volebant in quantum erat afflictiva innocentis Chriſti. Sed Judæi volebant eam propter hunc finem, in quantum erat afflictiva innocentis Chriſti & ſatisfactiva paſſionis eorum, iræ, & invidiæ, non in quantum erat noſtri ſalvativa; unde graviſſime peccaverunt.

Secundum cauſſam formalem conformare voluntatem ſuam divinæ eſt operari ex caritate, ſeu habere caritatem; [1] quod eſt conformare ſe in modo volendi: Deus enim omnia vult ex caritate. Sed rectus homo *in lege Domini voluntas ejus*, ut ſcilicet velit omnia ex caritate Dei. Sed ad habendum caritatem directe non tenemur, quia hoc non eſt in poteſtate noſtra eam habere; Dei enim eſt eam infundere ſine meritis noſtris, ſecundum illud ad Rom. 5. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*, ſed indirecte tenemur ad eam. Tenemur enim facere, quod ex nobis eſt, ut caritatem habeamus, puta orando, jejunando, a peccatis ceſſando & hujuſmodi, per quæ quis diſponitur ad recipiendum. Exemplum de ſole, qui illuminat, quantum eſt de ſe, non ponentem obſtaculum; ſed ſe ponentem ante eum. Hæc Thomas in 1. Sent. Diſt. ult. Et ut dicit *Romanus Diſt. eadem: Quia illud eſt præceptum affirmativum, ſcilicet de præparando ad habendum caritatem, obligat non ad ſemper, ſed pro loco & tempore, utpote quando cogitat præcepta Dei, beneficia & hujuſmodi. Determinare autem tempus hujuſmodi obligationis, ſcilicet quando teneamur, vel quando non teneamur, non poteſt bene determinari. Ad faciendum autem ex caritate, quæ facimus, tenemur conditionaliter, ſcilicet ſi volumus mereri vitam æternam, quia ſine caritate opus noſtrum non eſt meritorium. Abſolute non tenemur ad hoc; quia ſi teneremur ſemper ex caritate agere, ſemper peccaremus, faciendo aliquid non ex caritate. Et ſic filius honorans patrem naturali pietate peccaret, ſi non haberet caritatem. Verum eſt, quod pro loco & tempore tenetur quilibet facere aliquid ex caritate, quod tempus non poteſt facile determinari a nobis. Hæc Romanus in 1. Sent. Diſt. ult. [2] Sed rectus homo *in lege Domini voluntas ejus*, ut ſcilicet velit omnia ex caritate.

*ideſt Ægidius.

Secundum cauſſam materialem conformare voluntatem ſuam voluntati divinæ eſt velle, quod Deus vult. Sed utrum teneamur conformare voluntatem noſtram divinæ in volito; reſpondet frater Romanus ſuper 1. Sent. Diſt. ult. quæſt. ult. dicens: Hic non quæritur de voluntate ſenſualitatis, quia illa non fertur in bonum ſimpliciter, ſicut voluntas divina; ſed in conveniens ſibi, ſcilicet delectabile ſecundum ſenſum. Unde ſecundum iſtam voluntatem non tenemur conformare voluntatem noſtram divinæ. Et ſecundum hanc voluntatem Chriſtus nolebat pati, propter quod gravit dicens: *Pater, tranſeat a me calix iſte*, &c. Matth. 26. Nec etiam voluntate naturali tenemur ad hoc. Quia illa ſemper fertur in bonum naturæ, ut conſervationem ſui vel ſuorum. Et ſic B. Maria voluntate naturali & ſenſuali nolebat filium pati, quod Deus nolebat; unde triſtata eſt maxime de morte ejus, propter quod Simeon dixit de ea: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, Lucæ 2. Et ad crucem canit Eccleſia: *Flecte ramos arbor alta, tenſa laxa viſcera*, &c. Nec etiam voluntate conditionata, quia per illam bene poſſimus velle aliud, quam Deus velit ſub conditione, ſcilicet ſi Deo placet. Sicut Paullus volebat ſibi ſtimulum auferri, propter quod hoc poſtulabat, & Deus nolebat, ut patet 2. ad Cor. 12. Non enim volebat illud Apoſtolus, niſi in quantum Deo placeret. Unde hoc ſibi revelato, non amplius noluit ſibi auferri.

De voluntate deliberata.

§. IV. Sed quæritur de voluntate deliberata. Circa hoc ſunt duæ opiniones: una eſt, quæ diſtinguit volitum divinum, quia ſcilicet aut congruit mihi illud velle, aut non congruit. Si congruit mihi illud velle, ſimpliciter debeo illud velle, quod Deus vult, dummodo ſciam, quod Deus velit. Si autem non congruit mihi illud velle, tunc non teneor velle quod Deus vult, ut mortem meam vel damnationem. Ratio eſt ſecundum ipſos, quia quum gratia perficiat naturam, non deſtruat, non teneor propter ſtatum gratiæ velle aliquid, quod ſit contrarium naturæ meæ, ut mortem meam, vel meorum. Item natura non dictat, quod velim damnationem meam, nec etiam gratia hoc exigit, ut hoc velim; ergo non teneor. Alia opinio, quod voluntate abſoluta & deliberata omnino teneor velle, quod Deus vult, vel quod ſcio Deum velle. Et ad hoc dicendum movet eos auctoritas, ratio, & exemplum. Et auctoritas quidem habetur in gloſſa ſuper pſal. 100. *Non adhæſit mihi cor pravum*, ubi dicitur, quod cor pravum & diſtortum habet, qui non vult, quod Deus vult. Et gloſſa ſuper illud pſal. 32. *Rectos decet collaudatio*, dicit: Recti ſunt, qui volunt, quod Deus vult. Ratio, quæ ad idem movet, eſt, quia ſi non teneor velle, quod Deus vult; ergo poſſum velle contrarium; ergo poteſt mihi diſplicere, quod Deus vult. Sed hoc eſt falſum, quia, ut dicit Auguſtinus, impius eſt, cui diſplicet divina providentia. Item nil juſtum diſplicet juſto, ſecundum Auguſtinum de vera religione, ſed volitum

Quid circa damnationem.

[1] Jenſoniana editio Veneta an. 1479. ſuggeſſit verba ſequentia: *Quod eſt confirmare ſe in modo volendi; Deus enim omnia vult ex caritate:* pro quibus aliæ editiones non nullæ habent: *Sed rectus homo in lege Domini voluntas ejus, ut ſcilicet velit omnia ex caritate;* quæ in Jenſoniana editione remittuntur ad finem hujus ſectionis, ubi ea inſeruimus.

[2] Sequentia addita hoc loco ex editione Jenſoniana. Confer not. ſuperiorem.

litum a Deo eſt juſtum ; ergo ille , cui tale volitum diſplicet , eſt injuſtus. Si ergo non poſſum velle contrarium ejus , quod Deus vult ; ergo teneor velle eſſe , quod vult. Item quia ſecundum Tullium , amicorum eſt idem velle , & nolle : ſed tenentur eſſe amici Dei ; ergo & velle , quod vult ipſe. Patet hoc etiam per exemplum ; quia mala, quæ inferuntur corpori meo , debeo acceptare, ex quo Deo placent : ſed nihil magis debeo diligere poſt animam quam corpus meum ; ergo multo magis debeo acceptare , quæ fiunt parentibus meis, ut mortem eorum , & hujuſmodi. Nec iſti dicunt, quod debeam velle damnationem meam , ſed quod debeam eam velle ſecundum quod Deus eam vult. Deus autem non vult per ſe , & ſimpliciter me damnari : ſed ſi facio opera peccati , vult me damnari ; unde vult ordinem juſtitiæ , qui eſt punitionis culpæ per pœnam . Iſtum autem ordinem juſtitiæ teneor acceptare , ſcilicet ſi peccavero , puniar , quia aliter repugnarem ordini divinæ juſtitiæ ; & ſine dubio ſic teneor velle, quidquid ſcio Deum velle, ſi mihi congruit . Secundum omnes hujuſmodi tentioni non teneor alia ratione , niſi quia voluntas mea tenetur velle eſſe , quod juſtum eſt , & bonum . Et ſi iſta eſt ratio tentionis , ubicumque eſt juſtitia & bonitas , illud teneor velle . Nec obſtat , quod naturæ non congruit , quia voluntas deliberata ſe præfert in eam , quæ repugnat naturæ , ideſt voluntas ſecundum rationem ſubjicit ſibi voluntatem ſeu inſtinctum naturalem; ut quum homo propter virtutem ſe morti exponit . Tenetur tamen velle voluntate deliberata iſtum ordinem juſtitiæ , quo ſi in peccatis moritur , damnatur , quia hoc Deus vult , & non damnationem per ſe , neque culpam . Thomas a prima opinione videtur magis declinare tamquam dura . Secundam firmat Thomas Diſt. ead. Et de damnatione ſua propria dicit , quod iſta poſitio eſt quaſi impoſſibilis , ſcilicet quod alicui reveletur damnatio ſua , ſicut nec Angelis . Unde ſi cui fieret , debet ille , cui fieret , æſtimare , quod ſit illuſio diaboli . Quod ſi certificaretur , quod revelatio eſſet a Deo ; debet credere , quod eſſet ſecundum comminationem , non ſecundum præſcientiam, ut illud Jonæ cap. 3. *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur* . Sed ſciendum ſecundum Thomam Diſt. ead. circa finem , quod motus voluntatis deliberatæ circa nolitum divinum , aliter ſe habet in peccatoribus , & aliter in juſtis viatoribus , aliter in comprehenſoribus . Nam in peccatoribus motus voluntatis eſt corruptus ; quia ex toto relinquunt deliberationem rationis , & conſequuntur impetum voluntatis naturalis & ſenſitivæ , murmurantes de Dei ordinatione. Nullus tamen eſt adeo obſtinatus in peccatis , qui obſtinationem non poſſit deponere , & ſe divinæ voluntati conformare , dum eſt viator. Solum damnatis in pœnam inflictum eſt , ut a ſua obſtinatione numquam curentur . In juſtis autem viatoribus manet motus voluntatis integer ; ſed imperfectus dicitur , tum ex parte cognitionis , quia non plene voluntatem divinam cognoſcunt , tum ex parte affectionis , quæ retardatur ex motibus inferioribus , unde in talibus ſufficit non recalcitrare divinæ juſtitiæ , ideſt ordinationi . Philoſophus enim dicit in 3. Ethicor. quod ſufficit forti , quod non contriſtetur in periculis mortis , quamvis non gaudeat , ſicut eſt gaudium in actibus aliarum virtutum . Sed in beatis eſt motus voluntatis deliberatæ integer & perfectus , tum ex parte cognitionis, quia divinam voluntatem plene cognoſcunt, tum ex parte affectionis , quæ dominatur omni appetitui inferiori , nec in aliquo retardatur vel impeditur. Unde in videndo , quod Deus vult , & quod ipſi volunt , gaudium experiuntur ; de quo in pſal. 57. *Lætabitur juſtus , quum viderit vindictam* . Unde talis non debet dimittere, quin faciat omne bonum , quod poteſt , quia *in cuſtodiendis illis* , ſcilicet præceptis Dei , *retributio multa* , ait pſal. 18. Non ſolum pro *cuſtodiendis*, ideſt obſervandis *retributio multa* habetur mercedis æternæ , ſed etiam in ipſa obſervatione *retributio multa* delectationis ſpiritualis , quia virtuoſe operari delectat mentem magis, quam delectabilia corporis . Et ex hoc etiam vitatur majus ſupplicium , ſi pure deberet damnari in inferno ; quia ex peccato aggravatur ſupplicium. Legitur *Exemplū.* in Vitis patrum , quod quum quidam pater ſanctus haberet quemdam diſcipulum valde obedientem , modeſtum , & gratioſum , rogavit Dominum , ut ſibi revelaret , ſi debebat eſſe demum ſalvandus . Revelatum eſt , quod erat damnandus ; propter quod quum pater videbat illum , lacrymas continere non poterat ; quod perpendes diſcipulus ille interrogavit patrem de cauſſa fletus. Et quum frequentius hoc petiiſſet , victus precibus ejus ſibi dixit , quod ex compaſſione ad eum flebat , quia revelatum ſibi erat eum eſſe damnandum. Quod ille audiens ait : Pater , non oportet , ut propter hoc lugeatis , quia ſcio juſtum eſſe Dominum , & quod me non damnabit niſi propter peccata mea . Et ſicut fur patienter debet pati pœnam ſuſpendendi , ex quo meruit ; ita & ego ſum paratus ferre pœnam damnationis , ſi offendero , quia hoc exigit divinæ juſtitiæ ordo , cujus voluntati volo me conformare . Itaque conabor ex me facere , quod boni facere potero , & Dominus de creatura ſua faciat , quod ſibi placet . Adeo autem placida Deo fuit talis reſponſio , & conformatio voluntatis , quod nocte ſequenti revelatum eſt patri illi , quod mutata erat ſententia Dei , & ſalvandus erat . Quod non ſic intelligendum eſt , quod voluntas Dei vel diſpoſitio ſit mutabilis , ut velit , quod prius non volebat ; ſed ſententia Dei comminatoria , quæ reſpicit merita vel demerita hominum , mutatur . Erat in illo diſcipulo forte aliqua indiſpoſitio mentis , vel vitium occultum , quod merebatur damnationem , quo remoto, meruit ex operibus bonis ſalvationem.

In lege ergo *Domini voluntas* juſti eſt conformando ſe divinæ voluntati in volito , ut dictum eſt.

ſ. V. Quantum ad tertium principale nota , quod intellectus rectus reſpicit *die ac nocte* , ideſt frequenter in adverſitate & proſperitate ad legem æternam Dei , ideſt ad cognoſcendum voluntatem ſuam, ut perficiat. Unde ipſe Pſalmiſta pſal. 26. *Unam petii a Domino, hanc requiram* , &c. *ut videam voluntatem Domini* . Et quia in lege ſua ſcripta ipſam voluntatem manifeſtat ; ideo frequenter eam legit , & meditabitur : pſal. 118. *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea eſt* , non ſolum ut ſciam ; quia , ut ait Apoſtolus ad Romanos 2. *Non auditores legis* , ſcilicet tantum , *ſed factores juſtificabuntur. Qui* enim *fecit voluntatem patris mei*, ait Chriſtus , quæ manifeſtatur in lege , *ipſe meus frater eſt* , &c. Matth. 12. Fratribus Chriſti debetur hæreditas æterna .

Sed ſciendum ſecundum Magiſtrum in 1. Sentent. Diſt. penult. quod duplex eſt voluntas Dei, una quæ dicitur voluntas beneplaciti , alia quæ dicitur voluntas ſignit. *Duplex voluntas Dei, beneplaciti, & ſigni .*

Quod non ſic eſt intelligendum , tamquam in Deo ſint plures voluntates , quum non ſit niſi una tantum ; ſed ſecundum Thomam in 1. parte quæſt. 19. voluntas de Deo aliquando proprie dicitur , & hæc voluntas beneplaciti nuncupatur, & ſemper impletur . Aliquando voluntas metaphorice de Deo dicitur ſicut & multa alia de Deo , & hæc dicitur voluntas ſigni , non quia

ſit

ſit ſignum, quod Deus illud velit; ſed quia eſt ſignum in nobis voluntatis noſtræ. Sicut dicimus Deum iratum, quum punit, non quod punitio ſit ſignum iræ in Deo, quum nulla ira in eo ſit; ſed quia eſt ſignum iræ in nobis, quum punimur. Sic quum Deus præcipit aliquid, dicitur velle illud a nobis, quia quum nos præcipimus, ſignum eſt in nobis, quod velimus illud. Per hanc ſimilitudinem dicitur voluntas ſigni in Deo, & hæc eſt quintuplex ſecundum quinque ſigna, ſcilicet præceptum, prohibitio, conſilium, promiſſio, & operatio. Per hæc enim ut per ſigna declaramus nos aliquid velle. Declarat enim quis ſe aliquid velle dupliciter. Uno modo per ſe, alio modo per alium. Et per ſe quidem declarat aliquid velle aut directe, aut indirecte. Directe, quum aliquid operatur, ſignum eſt, quod illud vult; & ſic operatio dicitur voluntas. Indirecte, & per accidens, quum non prohibet vel impedit operantem. Nam removens prohibens dicitur movens per accidens ſecundum philoſophum; & ſic eſt permiſſio. Per alium vero declarat ſe quis aliquid velle, in quantum ordinat alium ad aliquid faciendum, vel neceſſaria inductione, quod fit præcipiendo, quod aliquis vult, in prohibendo contrarium, vel aliqua perſuaſoria inductione; quod pertinet ad conſilium. Quod enim præceptum, conſilium, & prohibitio dicatur Dei voluntas, patet per id, quod dicitur Matth. 6. *Fiat voluntas tua*, &c. Quod autem permiſſio vel operatio dicatur Dei voluntas, patet per Auguſtinum, qui dicit in Enchyridion: Nihil fit, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat, vel faciendo. Vel poteſt dici, quod permiſſio, & operatio referuntur ad præſens; permiſſio quidem ad malum, operatio vero ad bonum; ad futurum vero prohibitio reſpectu mali; præceptum vero reſpectu boni neceſſarii; conſilium autem reſpectu ſuperabundantis boni. Voluntas ergo beneplaciti, quæ proprie eſt voluntas Dei, ſemper impletur, ſive a nobis ſive de nobis, ut dicit Magiſter in 1. Sent. Diſt. 45. Unde ipſe ait per Iſaiam cap. 46. *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnis voluntas mea fiet, & omne conſilium meum ſtabit*, ideſt diſpoſitio. Et ad Rom. 9. *Voluntati ejus quis reſiſtet?* quaſi diceret nullus: Quum ergo ſervamus mandata ejus vel conſilia, impletur voluntas ejus a nobis, ideſt conſentientibus nobis bonis operibus, quæ facit in nobis. Quum tranſgredimur mandata ejus, voluntas ejus impletur de nobis incurrentibus pœnas, quas vult de nobis ſecundum exigentiam ſuæ juſtitiæ. Et ſic voluntas Dei, quum ſit cauſſa efficaciſſima omnium entium, non autem peccatorum, quia nullo ſapiente, ſcilicet operante, ait Auguſtinus, fit homo deterior, & multo minus Domino operante ſemper impletur, quum proprie illud vult. Qui enim recedit ab ordine voluntatis ſuæ ſecundum *meſericordiam, qua præparavit *coronam diligentibus ſe*, ut peccator agit, relabitur in ordinem voluntatis ſuæ juſtitiæ, qua reprobos punit.

Volu ſign atatis um eſt quintuplex.

Voluntas Dei ſemper impletur.

*al materiam.

Quod autem operatur in creaturis, ibi concurrit voluntas ſigni cum voluntate beneplaciti; illud enim proprie vult. Dicitur tamen voluntas ſigni, in quantum in nobis opus noſtrum eſt ſignum voluntatis noſtræ per ſimilitudinem. Et ſimiliter permiſſio concurrit cum voluntate beneplaciti. Sed quod permittit, ſcilicet mala fieri, dicitur quidem ſignum voluntatis non ſuæ, ſcilicet Dei, quia non vult ipſe mala fieri, ſed in nobis, qui quum permittimus mala fieri, & non prohibemus, quum poſſumus, dicimur illud velle. [In Deo autem permiſſio, qua male permittit fieri, eſt ſignum non volendi illa, ſed volendi permittere; & hoc propter majora bona inde ſequentia, quæ proprie vult. Unde Auguſtinus in Enchyrid. ait, quod Deus omnipotens nil permitteret mali eſſe in operibus ſuis, niſi eſſet adeo potens & bonus, quod ex omni malo eliceret majus bonum, etſi non ſemper bonum ei, cui accidit malum, ſaltem ad bonum melius univerſi. Et ſic ex crudelitate tyrannorum ſecuta eſt corona martyrum, & converſio multorum exemplo martyrum. Et occiſio ovis a lupo, etſi non ſit ad melius ovis, eſt tamen ad melius univerſi; quia ſic ſuſtentatur ſpecies luporum in univerſo. Et damnatio reproborum eis bona non eſt; tamen ad melius univerſi, ut reluceat non ſolum miſeria in beatis, ſed & juſtitia Dei in damnatis. Exemplum in Joſeph, quem vendiderunt fratres in Ægypto, & ex tanto malo eduxit Deus tantum bonum, ſcilicet conſervationem non ſolum patris & fratrum, ſed plurimorum, qui fame defeciſſent, propter proviſionem ſuam de frumento. Unde ipſe dixit Geneſ. ult. *Non poſſumus reſiſtere voluntati Dei: vos feciſti in me malum, & Deus vertit illud in bonum.*

Regula operum divinorum.

Voluntas autem ſigni, quoad præcepta prohibitionis, & conſilia, non eſt proprie voluntas, quia non ſemper impletur, ut in peccatoribus patet. Sed eſt ſignum voluntatis in Deo quidem, quia vult illud præcipere, prohibere, & conſulere; in nobis autem, unde tranſumitur, ut dicatur de Deo, eſt ſignum, quod illud volumus, & præcipimus. Igitur juſtus intellectu meditatur *die ac nocte in lege Domini*, ideſt aſſidue; ſive in lege æterna, quid velit, ſive in lege ſcripta, ubi per ſigna ipſam exprimit. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*, ut ait Apoſtolus 1. ad Theſſalonicenſes 4. Vult enim caveri prohibita, *ut ſic ſitis ſancti*, ideſt mundi a peccatis; vult ſervari præcepta, *ut ſitis ſancti*, ideſt firmi in virtutibus (dantur enim præcepta de actibus virtutum, ex quorum frequentia generantur habitus) vult impleri conſilia ad majorem profectum, quibus efficimur *ſancti*, ideſt Deo dedicati, ſicut templa dicuntur ſancta, quia Deo dedicata. Vult recognoſci a nobis ſua beneficia, quæ operantur in nobis, ut ſimus *ſancti*, ideſt gratificantes officium ſanctorum in patria, qui ſemper regratiantur. Vult conſiderari præmiſſa, ut ſimus *ſancti*, ideſt perfecti eum imitantes, qui ſcilicet ſemper ex malis elicit bona; ſic nos ex injuriis eliciamus bona, obliviſcendo injurias. Ad Rom. 12. *Vince in bono malum*: & ex malis tribulationum eliciamus bonum converſionis noſtræ & patientiæ. Et ex malo peccatorum commiſſorum eliciamus bonum humiliationis noſtræ, ut humiliores & cautiores ſimus. Et ſic *ſancti eſtote*, ait ipſe, *quia ſanctus ego ſum Dominus Deus veſter.*

§. VI. Videtur autem prædictis obſtare, quod ait Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. *Vult Deus omnes homines ſalvos fieri*; & tamen pauci ſunt, qui ſalvantur. Non ergo videtur impleri ſemper voluntas Dei. Ad quod reſpondet Thomas in 1. Sent. Diſt. penult. & in epiſtola ſuper dicto paſſu, quod hoc intelligi poteſt multipliciter. Uno modo ſecundum Damaſcenum, qui dicit hoc intelligendum de voluntate Dei antecedente, non voluntate Dei conſequente, & appellat voluntatem antecedentem illud, quod vult Deus de creatura rationali ipſam conſiderando ſolum ſecundum naturam abſque operibus; & ſic *vult omnes ſalvos fieri*. Nam quemlibet creat ad hunc finem, & dat ei naturam capacem, & præcepta, & conſilia, & documenta proponit ante eum, ut ex illis poſſit procurare ſalutem ſuam. Dicitur ergo voluntas antecedens, quia antecedit conſiderationem operum creaturæ, quam quidem conſiderationem poſſumus nos facere de Deo, prout ſcilicet ipſam creatu-

Quomodo Deus vult omnes homines ſalvos fieri.

creaturam disponit secundum naturam suam ad salvationem modo dicto. Et hoc universaliter erga omnes. Sed voluntate consequenti non *vult omnes homines salvos fieri*, sed aliquos salvari, scilicet bonos, aliquos damnari, scilicet malos. Et dicitur voluntas consequens; quia vult illud de creatura considerata non solum secundum naturam, sed secundum etiam opera sua, quæ sequuntur in creatura post naturam. Dat exemplum de judice bono, qui veniens ad civitatem, voluntate antecedente vult omnes homines illius civitatis vivere, & nullum perire, considerando scilicet homines secundum suam naturam. Sed voluntate consequente vult aliquos vivere, scilicet bonos, aliquos occidi ut malefactores, & hoc consideratis hominibus secundum opera eorum.

Vel expone sic, *vult omnes homines salvos fieri*, [3] ideſt facit nos velle hoc, quod omnes velimus salvos in generali, & ut vivant virtuose, sicut dicitur Spiritus sanctus postulare *gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. 8. quia nos postulantes facit Augustinus: *Nescientes, quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus caritatis affectu ad omnes, ut omnes velimus salvos fieri*, 24. quæst. 3. can. *Corripiantur*.

Tertio exponitur illud secundum distributionem accommodam pro his, scilicet tantum qui salvantur, quia scilicet omnes qui salvantur, non nisi eo volente salvantur; sicut illud Joann. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quia ex his, qui illuminantur gratia, nullus illuminatur nisi ab eo.

Quarto potest exponi, quod sit ibi distributio, non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum. Sicut dicitur: omne animal fuit in arca Noe, ideſt de quolibet genere animalium aliquod. Et sic de quolibet genere hominum vult aliquos salvari, quia & de viris & mulieribus & de Judæis & gentilibus, fidelibus tamen. Et de Italicis & de Theutonicis & Anglicis & de Francis, & de Hispanis, & Orientalibus & Occidentalibus, fidelibus tamen, vult aliquos salvari.

Quinto potest exponi de omni statu non vitioso, puta de statu regulari, clericali, laicali, virginali, viduali, conjugali, rectorum, dominorum, vasallorum, militum, stipendiariorum, non latrocinantium tamen, mercatorum non fœnerantium, artificum non fraudantium, advocatorum, medicorum, notariorum, servorum alias recte tamen viventium; vult aliquos salvari, ut patet discurrendo per vitas sanctorum. Exemplum de B. Machario, qui quum petiisset in oratione, cui esset socius in patria, dictum est ei primo de quodam mercatore, secundario de quodam simphoniaco, tertio de duabus sororibus nuptis duobus germanis artificibus &c. vide in Vitis Patrum.

In lege ergo *Domini* æterna fuit *voluntas* justi, *& in lege ejus* æterna vel scripta *meditabitur die ac nocte*, ad confirmandum voluntatem suam cum voluntate Dei ad faciendum eam; quia *qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum*, Matth. 7. ideſt qui fecerit ea, quæ declarat in lege suæ Scripturæ se velle: & psal. 110. *Magna opera Domini*, ideſt operatio, exponit glossa, *exquisita*, ideſt diligentissime & efficacissime habens effectum *in omnes voluntates ejus*, ideſt in his, quæ declarat se velle a nobis. Ita enim vult a nobis impleri sua mandata, & ordinata, & consulta, quod ipse principalis est ad operandum in nobis, tamen voluntarie non coacte cooperantibus. Unde Apostolus ad Rom. 7. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio*. Et per Isaiam 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine*. Et quæcumque vultis operari in vobis, exquisite, ideſt diligentissime, & perfectissime operatur, & nos ad illa movet. *Subest enim tibi posse, quum volueris*, dicitur Sap. 12. & Exodi 33. ait Dominus: *Miserebor, cui voluero, & clemens ero, in quem placuerit mihi*. Sic quum voluit Saulum persecutorem suum converti, subito conversus est, dicente ipso: *Quid me vis facere?* Act. 9. Unde & ipse dicit ad Gal. 1. *Quum placuit ei, qui me segregavit, ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni, & sanguini*, &c. Ad hoc propositum Gregorius in lib. 7. Moral. pulchra ponit ad ostendendum quomodo voluntas hominum, quum quærit voluntatem Dei seu ordinationem impedire; inde in effectu ei servit dicens: Sæpe enim non nulli humana sapientia inflati, dum desideriis suis divina judicia contraire conspiciunt, & astutis ejus deluctari machinationibus conantur; & quod ad votum suum vim supernæ dispensationis intorqueant; callidis cogitationibus insistunt, subtiliora consilia exquirunt. Sed inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt, atque omnipotentis consilio, dum resistere nituntur, obsequuntur, quia hoc sæpe dispositione divina apte militat, quod ei per humanum studium frivole resultat. Sapientes ergo Dominus in ipsa eorum astutia comprehendit, quando ejus consiliis humana facta etiam tunc congrue serviunt, quum resistunt. Quod melius ostendimus, si pauca ad medium gestarum rerum exempla proferamus. Joseph somnium viderat, quod manipulo suo fratrum ejus se manipuli prosternebant. Somnium viderat, quod luna & sol se cum reliquis stellis adorabant. Quæ quia pure fratribus retulit, eorum corda protinus futuræ damnationis invidia pavorque percussit. Quumque ad se hunc venire conspicerent, malitia sæviente dixerunt: *Ecce somniator ille venit, venite, occidamus eum, & videamus, quid illi proderunt somnia*. Quumque * ei Domino subjici metuunt, somniatorem in puteum deponunt, eumque Ismaelitis transeuntibus vendunt; qui in Ægypto ductus, servituti subditus, luxuriæ accusatione damnatur. Castitatis merito adjutus prophetiæ judicio erectus, omni Ægypto prælatus est. Per supernam vero sapientiam providus frumenta congessit, & futuro periculo necessitatis obviavit. Quumque in orbem fames irruit, de alimentorum præparatione sollicitus Jacob filios in Ægyptum misit, qui frumentorum dispensationi præpositum Joseph nescientes invenerunt, atque ut mererentur alimenta percipere, eorum dispensatorem compulsi sunt pronis in terram cervicibus adorare. Pensemus igitur gestæ rei ordinem, pensemus quomodo sapientes in ipsa sua astutia visio divina comprehendat. Ideo ab eis Joseph venditus fuerat, ne adoraretur. Sed ideo est adoratus, quia venditus. Astute namque aliquid agere compulsi sunt, ut Dei consilium mutaretur; sed divino judicio, quod declinare conati sunt, renitendo, servierunt. Hinc quippe coacti sunt Dei voluntatem peragere, unde hanc moliti sunt astute commutare; sic divinum consilium, dum devitatur, impletur. Sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehen-

Voluntas humana quomodo contraria divinæ.

* al. *ejus Domino*.

[3] Hæc verba, *ideſt facit nos velle hoc, quod omnes velimus salvos in generali, & ut vivant*, addita sunt ex Jensoniana editione Veneta an. 1479. ut sane postulat paritas subjecta ex alio textu de Spiritu sancto, quem *postulare* interpretatur, propterea quod *nos postulantes facit*. Alias legebatur: *salvos fieri in generali, ut vivant* &c.

prehenditur. Timuerunt fratres, ne Joſeph ſuper eos excreſceret, ſed hoc, quod divinitus diſpoſitum fuerat, cavendo actum eſt, ut eveniret. Humana ergo ſapientia in ſeipſa comprehenſa eſt, atque voluntati Dei, unde per intentionem reſiſtit, inde ejus impletioni militavit. Sic Saul, dum David ſubjectum quotidiano ſuccreſcere virtutum ſucceſſu conſpiceret, ſuam ei in conjugio filiam ſpopondit, atque in ejus dotem centum dari Philiſthinorum præputia petiit, ut quum provocatus miles ultra ſe excreſcere quæreret, inimicorum gladiis traditus vitam finiret, 1. Reg. 18. Sicut ſcriptum eſt: *Non habet rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philiſthinorum.* Sed David diſpoſitionis intimæ favore roboratus centum ſe dare perhibuit, & ducenta præputia reportavit. Cujus nimirum operis Saul argumento ſuperatus, ſuperna providentia in ſapientiæ ſuæ eſt conſilio deprehenſus, quia unde ſuccreſcentis militis vitam ſe exſtinguere credidit, virtutis gloriam ejus inde cumulavit. Sed quia nonnumquam aſtute aliquid ſapere etiam electi molliuntur, libet ad medium alium ſapientem deducere, & quæ interni conſilii aſtutia mortalium comprehendatur, demonſtrare. Prudenter quippe Jonas ſapere voluit, quum ad prædicandum Ninivitarum pœnitentiam miſſus, quia electis gentibus Judæam deſeri timuit, prædicationis officium implere recuſavit, navem petiit, fugere Tharſis elegit. Sed protinus tempeſtas exoritur, ſors mittitur, ut videlicet cognoſcatur, cujus mare culpa turbatur. Jonas in culpa deprehenditur, in profundo mergitur, cete ſorbente devoratur, atque illuc ducente bellua pervenit, quo ille ire ſponte contemſit, Jonæ 1. Ecce fugitivum Dei tempeſtas invenit, ſors ligat, mare ſuſcipit, bellua includit. Et quia auctori ſuo obedire renititur, a loco, quo miſſus fuerat, ſuo reus carcere portatur, &c. ibi vide. Comprehendit ergo ſapientes Dominus in aſtutia eorum, quando, & hoc in uſum ſuæ voluntatis redigit; per quod ſibi voluntas humana contradicit. Et ponit exemplum de Judæis, qui Chriſtum occiderunt, ne amitterent regnum temporale, & illud amiſerunt. Et allegat illud pſal. 110. *Magna opera Domini*, &c. Hæc omnia Gregorius.

Deus vult a nobis novem.

§. VII. Vult autem novem a nobis Deus ſecundum Petrum de Tharantaſia ſuper epiſtolas Paulli. Octo vult in vita præſenti, per quæ vult nonum in alia vita. Vult primo viatorum per pœnitentiam converſionem. Secundo converſorum a peccatis emundationem. Tertio emundatorum per operationem ſanctificationem. Quarto per ſanctificatorum cognitionem illuſtrationem. Quinto illuminatorum per fervorem inflammationem. Sexto inflammatorum per tribulationem probationem. Septimo probatorum unitatis concordationem. Octavo finalem in propoſito perſeverationem. Nono per hujuſmodi ſervata vult perſeverantium glorificationem.

De primo habes Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non potius, ut convertatur & vivat?* quaſi dicat: volo, quod convertatur. Sed ut ait Auguſtinus: *Neminem putes ab errore ad veritatem, & a quocumque magno vel parvo peccato ad correptionem ſine pœnitentia poſſe tranſire, De pœnit.* Diſt. 1. *Neminem*, & ſupra Diſt. ead. can. *Convertimini*, §. *Converſio. Eſt autem converſio cordis undique verſio.* Tunc enim homo convertitur vere, quando ex toto dimittit peccatum, voluntatem avertens a malo omni, & vertens ſe totum ad Deum. Quum enim anima ſit eſſentia ſimpliciſſima, nec habet partes, nec poteſt ex una averti & altera converti; ſed totum ad bonum vel malum convertit. Convertit ſe impiiſſimus Manaſſes ad Deum, & ſuſceptus eſt, 1. quæſt. 7. *Si quis omnem*, & *De pœnit.* Diſt. 2. *Si enim, inquit*, ultra medium: vide ejus hiſtoriam, 4. Reg. 21. & 2. Paralip. 33.

De ſecundo nota, quod vult Deus poſt converſionem, ut ſatisfaciat peccatis, & ſic emundetur, ideſt liberetur a peccatis, Matth. 8. *Volo; mundare*, dicit Chriſtus leproſo. Et quia nimis compatitur Deus, ſemper ſupplet defectum noſtrum compatiens nobis, ne habeamus nimis ſtare in purgatorio pro venialibus vel pro aliis debitis peccatorum. Nam ſecundum Gregorium 4. Moral. (& habetur *De pœnit.* Diſt. 1. *Si peccatum David*) *Deus delictum ſine ultione non patitur*, quia vel homo *per ſe punit*, *vel Deus cum homine*. In hujus figuram habemus, quod quum fuit ædificatum templum Salomonis, non fuit ibi auditus ſonitus mallei, quia prius aptabantur lapides, & polliebantur, ut non haberent niſi ſuperponi. Templum iſtud eſt collectio beatorum, ubi Deus inhabitat per manifeſtationem gloriæ. Quilibet beatus eſt tamquam unus lapis; ut ergo, quando per mortem eſt ſuperædificandus, non habeat pœnas pati, Deus ſic ſuos electos quotidie per tribulationes pollit, ut ſic plenius ſatisfaciant.

Vult poſt emundatorum ſanctificationem, ideſt confirmationem in bonis virtutibus, 1. ad Theſſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*. Quando quis addiſcit aliquam artem, ſi ſe non exerceat in ea, cito obliviſcitur eam. Si autem continuet opus ejus, habituatur, & firmatur in eo, ut non facile obliviſcatur; ſic in propoſito, quamvis converſus receperit virtutes, niſi ſe continue exerceat in actibus earum, modo in humilitate, modo in ſobrietate, modo in caſtitate, reſiſtens tentationibus, debiliter eas habet, ſed per actus frequentes generatur habitus, qui eſt de difficili mobilis a ſubjecto.

Unde vult Deus in ſanctificatione illuminationem, 1. ad Timoth. 2. *Vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis pervenire*. Unde & moralis Seneca: Si unum pedem haberem in fovea & alium extra, diſcere vellem. Non tamen debemus quærere ſcire omnem veritatem, quia multæ ſunt veritates, quarum non omnes ſunt capaces. Quædam etiam ſunt, quæ ſciendo homo male uteretur, nec a dæmoniis quis debet quærere veritatem. Propterea Chriſtus increpabat dæmones, præcepto ejus exeuntes ab hominibus, ne dicerent veritatem illam, ſcilicet, Luc. 4. quod *tu es Chriſtus filius Dei*, quia non vult, quod ab eis quæramus veritatem ſcire, quum etiam veritatem, quam dicunt, dicunt, ut decipiant. Sed homines ita parum ſunt avidi ad cognoſcendum utilia, quia ſubito prædicationibus obdormiunt. Unde in collationibus patrum narratur de quodam patre, quod quum ſalutaria doceret, dormitare omnes cœperunt. Studioſe autem mutando materiam, ideſt narrante fabuloſa, omnes excitati ſunt, & ridere cœperunt; ex hoc pater oſtendit illud eſſe opus diaboli.

Vult Deus in illuminatis fervoris inflammationem, Luc. 12: *Ignem veni mittere in terram*, dixit Chriſtus, *& quid volo, niſi ut ardeat*, ſcilicet per fervorem? Accenditur autem fervor mentis per meditationem ſanctam de paſſione Chriſti, de gloria cæleſti, & de beneficiis Dei, & hujuſmodi. Juxta illud pſal. 38. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Videmus per experientiam, quod quando olla ſtat ſuper ignem & fervet, muſcæ non audent appropinquare; ſed ſi deſinat a ſuo fervore, & tepeſcat, ſubi-

ſubito currunt omnes muſcæ, & cooperiunt eam, & deturpant. Sic quando mens deſideriis fervet, dæmones non audent appropinquare; ſed quum vident mentem tepefactam, deturpant ſuis moleſtiis intentionem.

Vult Deus inflammatis per tribulationem probationem. Ad Hebræos 10. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, promiſſionem recipiatis*. Non bene cognoſcitur amicus in proſperitate; nam dum quis abundat, omnes volunt & dicunt ſe eſſe amicos ejus, ſed ſunt amici illi, quales muſcæ mellis, lupi cadaverum, formicæ granorum. Sed quis quum tribulatur, & homo non deſerit eum, ſed compatitur ei, & adjuvat eum, participans labores illius, ille eſt verus amicus. Sic ergo Deus, ut cognoſcantur amici non ab eo, quia omnia ſemper videt, ſed ab aliis, probatur tribulationibus ſuis: Apocal. 3. *Ego quos amo, arguo & caſtigo*, ut ſcilicet manifeſtetur bonitas eorum.

Vult etiam Deus in tribulatis & probatis concordationem & unitatem: Matthæi 23. *Quoties volui congregare pullos tuos ſub alis*, &c. Multi tribulantur, & tamen non habent unitatem & concordiam cum hominibus, ſed diſſenſiones. Sed omnis virtus unita eſt fortior. Unde Humbertus in expoſitione regulæ Auguſtini dicit, quod nil tantum timet diabolus, quam concordiam. Romani autem quando fuerunt uniti, habuerunt magnas victorias; ſed factis diviſionibus paullatim defecerunt, & ad nihilum devenerunt.

Vult Deus finalem perſeverantiam: Joann. ultim. *Sic eum volo manere, donec veniam*, ſcilicet pro eo per mortem. *Sic*, ideſt in bona vita. Non enim datur bravium, niſi continuanti curſum uſque ad terminum.

His ſervatis, in quibus conſiſtit voluntas Dei, ideſt id, quod vult a nobis? Vult tandem noſtri glorificationem, Joann. 12. *Volo, pater, ut ubi ego ſum*, ſcilicet in regno cælorum, *ſit & miniſter meus*, quia ſcilicet mihi fervit in faciendo voluntatem Dei. Etiam ego ſemel promiſi: *Qui fecerit voluntatem patris, ipſe intrabit in regnum cælorum*, Matth. 7.

TITULUS DECIMUS TERTIUS
DE LEGE NATURALI.

CAPUT I.

De quidditate legis naturalis, & quomodo inſtigat ad bonum multiplex.

LEx naturalis eſt ſecunda lex, de qua dicit Apoſt. ad Roman. 2. de gentibus, quæ vivebant ſecundum rationem: *Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*, ubi dicit gloſſa, quod etſi non habent legem ſcriptam, ſcilicet in cartis; habent tamen legem naturalem, quam intelligit quilibet, & ſibi conſcius eſt, quid ſit bonum, & quid malum. De ipſa autem lege naturali dicit Thom. 1. 2. quæſtione 94. quod aliquo modo eſt habitus, aliquo modo non. Pro cujus declaratione ſciendum, quod habitus ſumitur dupliciter. Uno modo proprie & eſſentaliter, & ſic lex naturalis non eſt habitus. *Utrum lex naturalis ſit habitus.* Et ratio eſt, quia lex naturalis eſt aliquid conſtitutum per rationem. Sicut etiam propoſitio eſt quoddam opus rationis; non eſt autem idem, quod quis agit, & id, quo quis agit. Habitus etiam ſecundum Auguſtinum eſt, quo quis agit, quum opus eſt. Sicut grammaticus per habitum grammaticæ agit orationem congruam. Non ergo poteſt eſſe, quod aliqua lex ſit habitus proprie & eſſentia, liter. Alio modo poteſt dici habitus illud, quod habitu tenetur, ſicut fides id, quod fide tenetur; & hoc modo, quia præcepta legis naturalis quandoque conſiderantur in actu a ratione, quandoque ſunt in ea habitualiter tantum; ſecundum hunc modum poteſt dici, quod lex naturalis ſit habitus. Sicut etiam principia indemonſtrabilia in ſpeculativis non ſunt ipſi habitus principiorum, ſed ſunt principia, quorum eſt habitus. Nec eſt contra, quod ait philoſophus in 2. Eth. ſcilicet, quod tria ſunt in anima, ſcilicet potentia, habitus, & paſſio; ibi enim ponit tantum ea, quæ ſunt principia humanorum actuum. Sed præter hæc tria ſunt & alia quædam in anima, ut actus quidam: ſicut velle eſt in voluntate, & cognitio in cognoſcente, & naturales proprietates animæ inſunt ei, ut immortalitas, & hujuſmodi. Syndereſis autem ſecundum Baſilium dicitur lex intellectus noſtri, inquantum eſt habitus continens præcepta legis naturalis, quæ ſunt principia humanorum actuum. Notandum, quod quam plura ſint præcepta legi naturalis, ut non inferre injuriam alteri, reddere depoſitum, vim vi repellere, educare liberos, & alia Diſt. 1. *Jus naturale*; in quantum omnia referuntur ad unum primum præceptum, habent rationem unius legis naturalis. Reducuntur autem ad iſtud primum præceptum, ſcilicet quod bonum eſt faciendum. Sicut enim ens eſt primum, quod cadit in apprehenſione ſimpliciter; ita bonum eſt primum, quod cadit in apprehenſione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens, agit propter finem, qui habet rationem boni. Et ideo primum principium in ratione practica eſt, quod fundatur ſuper rationem boni, quod eſt: bonum eſt, quod omnia appetunt. Hoc ergo eſt primum præceptum legis naturalis, quod bonum eſt faciendum & proſequendum, & malum vitandum. Et ſuper hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturalis, ut ſcilicet omnia illa facienda, vel vitanda pertineant ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehendit eſſe bona. Hæc Thom. 1. 2. quæſt. 94. art. 2.

§. I. *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*, pſal. 39. Loquitur in perſona Chriſti, vel etiam cujuſlibet juſti ab Deum patrem. Et oſtendit, quomodo habeatur recta vita ſeu ſanctitas ex tribus. Primo, quia eſt ex diſpoſitione divina bonum præordinatum, ibi: *In capite libri* &c. *ut facerem voluntatem tuam.* Secundo, quia eſt ex electione humana bonum præoptatum, ibi: *Deus meus volui*. Tertio, quia eſt ex lege ſeu illuſtratione naturæ bonum demonſtratum, ibi: *Legem tuam in medio cordis mei*. *Recta vita & ſanctitas ex tribus habetur.*

Quantum ad primum, liber Dei eſt notitia Dei, A ſive lex æterna, in quo omnia ſunt ſcripta, & omnes homines ſunt ſcripti, quid facere debeant, & quid facient : pſal. 138. *In libro tuo omnes ſcribentur*. In iſto libro non eſt aliquid ſcriptum in capite vel in fine prius vel poſtea ſecundum ordinem temporis, quia unico actu ſimul omnia novit, ſed ſecundum dignitatem, ut illa dicantur *in capite* ſcripta, quæ ſunt digniora ſecundum naturam vel gratiam, & quia digniſſimus ſuper omnes eſt Chriſtus, in quantum homo, & conſequenter electi ejus, qui dicuntur membra unigeniti; ideo *in capite* hujus *libri* eſt de eo, & quolibet juſto *ſcriptum*. Et quid ſit ſcriptum, oſtendit dicens, *ut facerem voluntatem tuam*. Hoc eſt præordinatum a Deo de electis ſuis, quod faciant in mundo converſantes voluntatem Dei, quia in hoc conſiſtit perfectio & ſanctitas creaturæ, ut ſubjiciatur voluntati Dei, ſeu legi æternæ. Unde Apoſtolus ad Epheſ. 1. *Elegit nos Deus* voluntarie *ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus*. Sed *Deus non trahit in vitium.* ut ait Auguſtinus: Nolite cogitare invitum trahi; non enim invitus trahitur animus, ſed amore, ſcilicet boni; quod pertinet ad voluntatem. Objectum enim voluntatis eſt bonum intellectum, ideo non ſufficit ad ſanctitatem & ſalutem obtinendam præordinatio Dei; ſed oportet etiam, quod homo cooperetur Deo volendo facere voluntatem Dei. Et propterea ſubdit, quod eſt ſecundum: *Deus meus volui*, ſcilicet facere voluntatem tuam. Et hoc eligendo bonum verum. Ut enim dicitur Eccleſiaſtici 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui.... poſuit ante eum malum & bonum, ignem & aquam, mortem & vitam, ad quodcumque voluerit, extendat manum ſuam*. Vult peccator bonum, ſed non ſecundum voluntatem Dei, quod eſt verum bonum, ſcilicet opus virtuoſum, ſed apparens bonum, ſcilicet ſecundum ſenſualitatem, & contra Dei voluntatem, quia contra Dei præcepta. Sed ſancti homines eligunt verum bonum; quia volunt facere voluntatem Dei, & cum magno deſiderio. Unde 2. Machab. 1. dicitur: *Faciatis ejus voluntatem corde magno, & animo volenti*. Et 1. Machab. 2. dicitur: *Congregata eſt ſynagoga fortis viribus, omnis voluntarius in lege*. Et hoc eſt, quod ait per Salamonem Prover. 23. *Fili, præbe mihi cor tuum*, ideſt voluntatem: qui enim habet voluntatem veram faciendi voluntatem Dei, quod eſt facere bonum, utique facit. Nec eſt contra, quod ait Apoſtolus ad Rom. 7. *Non enim, quod bonum volo, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio*. Intelligitur enim illud vel de peccatore permanente in peccato, qui utique abſque Dei gratia non poteſt dimittere peccatum, quod ſecundum rationem appetit, & facere bonum meritorium; poteſt tamen ſe præparare ad gratiam. Vel ſi intelligatur de juſto, loquitur de primis motibus: motibus voluntatis ad malum, quos evadere non poteſt, quamvis hæc optet; ita exponit gloſſa illa. Quod autem ſit bonum, quod debet velle, & facere, oſtendit lex naturalis, de qua ſubditur.

Quantum ad tertium ſciendum, quod lex naturalis docet nos voluntatem Dei. Et iſta eſt ſcripta *in medio cordis*. Sed & lex evangelica dicitur etiam ſcripta in cordibus ſecundum illud: *Scribam leges meas in cordibus eorum*. Hierem. 31. Et ut oſtendit Apoſtolus ad Hebr. cap. 8. loquitur ibi de evangelica lege. Sed ſecundum Thomam lex naturalis dicitur ſcripta in corde per lumen naturale impreſſum homini. Lex autem evangelica dicitur ſcripta per lumen gratiæ additum lumini naturali.

De præſtantia legis naturalis.

§. II. Excellit autem lex naturalis leges humanas in tribus conditionibus. Habet enim
Primo dignitatem communitatis,
Secundo firmitatem immunitatis,
Tertio prioritatem temporalitatis.

Lex naturalis omnibus communis.

Quantum ad primum dicit Iſidorus in lib. Etymolog. Diſt. 1. *Jus naturale*, ideſt lex naturalis, *eſt commune omnium nationum*. Quod ſic declarat B. Thom. 1. 2. quæſt. 94. articul. 4. Lex naturæ quantum ad principia prima communia, eſt eadem apud omnes & ſecundum rectitudinem & ſecundum notitiam, utputa, quod agatur ſecundum rationem, quod bonum ſit proſequendum, & hujuſmodi. Sed quantum ad quædam propria, quæ ſunt quaſi concluſiones principiorum communium, eſt eadem apud omnes, ut in pluribus ſecundum rectitudinem, & ſecundum notitiam: ſed ut in paucioribus poteſt deficere, quantum ad rectitudinem propter particularia impedimenta ſicut naturæ generabiles deficiunt, ut in paucioribus propter impedimenta: v. g. ex iſto communi principio, quod agendum eſt ſecundum rationem, ſequitur quaſi concluſio propria, quod depoſita ſunt reddenda; quod ut in pluribus habet rectitudinem: ſed in aliquo caſu poteſt contingere, quod hoc ſit damnoſum, & per conſequens irrationabile; puta quum repetitur depoſitum ad impugnandum patriam, unde tunc non eſſet reddendum. Similiter etiam quantum ad notitiam non eſt eadem lex naturæ quantum ad hujuſmodi concluſiones, quæ deducuntur ex principiis communibus, ſed deficit ut in paucioribus: & hoc ex hoc, quod aliqui habent rationem depravatam ex paſſione, ſeu mala conſuetudine, ſeu mala habitudine naturæ. Sicut apud Germanos olim latrocinia non reputabantur iniqua eſſe, quum tamen ſint contra legem naturæ, ut refert Julius Cæſar. Nec obſtat his, quod dicit Gratianus in principio Decretorum, quod *jus naturale eſt, quod in lege & Evangelio continetur*. Sed lex Moſayca non fuit communis omnibus; nec evangelium, quia ut dicitur ad Rom. 10. *Non omnes obediunt evangelio*, nec recipiunt; quia ſecundum Thomam ubi ſupra, illud, quod dicit Gratianus, non ſic intelligendum eſt, quaſi omnia, quæ ſunt in lege veteri & evangelio, ſint de lege naturæ, quum multa ibi tradantur, quæ ſunt ſupra naturam, pertinentia ad fidem. Sed quia ea, quæ ſunt de lege naturæ, ibi plene continentur. Unde ibi ſubdit: *Ut quod ſibi non vult fieri, alteri non faciat, & alteri faciat, quod ſibi vult fieri*; quæ habentur in ſacra Scriptura. Habet etiam lex naturalis dignitatem communitatis, quia jure naturali omnia ſunt communia, & omnium eſt una libertas, ut dicitur Diſt. 1. *Jus naturale*. Quod, ut dicit Gratianus, *non ſolum ſervatum creditur a chriſticolis primitivæ Eccleſiæ, de quibus legitur* Act. 4. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſque eorum, qui poſſidebat aliquid, ſuum eſſe dicebat; *ſed etiam ab antiquis philoſophis traditum invenitur. Unde & apud Platonem illa civitas juſtiſſime ordinata traditur, in qua quiſque proprios neſcit affectus*, ideſt non habet aliquid proprium, Diſtinct. 8. §. 1. Sed, ut dicit Thomas quæſt. eadem artic. 5. de lege naturæ poteſt intelligi eſſe aliquid dupliciter. Uno modo, quia natura inclinat ad hoc, ſicut eſt de lege naturæ, quia nemini fienda eſt injuria: iſto autem modo non eſt de lege communi omnium poſſeſſio. Alio modo dicitur de lege naturæ, quia natura non inducit contrarium. Sic poſſemus dicere de lege naturæ hominem eſſe nudum, quia ſcilicet natura non dedit ſibi veſtimentum, ſed ars hominis ſibi adinvenit. Et ſic de lege naturæ dici-

Unde ignorantia in lege naturali.

Dupliciter aliquid dicitur de lege naturæ.

dicitur communis poſſeſſio omnium, quia ſcilicet
1 diſtinctio poſſeſſionum; proprietas, 1 & ſervitus,
non ſunt inductæ a natura, ſed adinventa per ra-
tionem hominum propter utilitatem vitæ. Unde
Auguſtinus ſuper Joann. *Quo jure defendis villas
Eccleſiæ? divino an humano? divinum jus in Scri-
pturis divinis habetur: humanum in legibus re-
gum. Unde quiſque poſſidet, quod poſſidet? non-
ne jure humano? Nam jure divino*, Domini eſt
terra, & plenitudo ejus. *Pauperes & divites
Deus de uno limo fecit; & pauperes, & divites
una terra ſupportat. Jure ergo humano dicitur:
Hæc villa mea eſt; hæc domus mea; hic ſervus
meus. Jura autem humana jura imperatorum
ſunt . . . . . Tolle jura imperatorum, & quis
audebit dicere: Hæc villa eſt mea; hæc domus
mea, & hujuſmodi?* Diſtinct. 8. *Quo jure*. Sub
jure autem divino comprehenditur jus natura-
le, quia in eo continetur plene; & ſic ad pro-
poſitum. Poteſt etiam dici jure naturali omnia
eſſe communia, ideſt communicanda tempore ne-
ceſſitatis; & ſic exponit gloſſa illud Ambroſii: *Pro-
prium nemo dicat, quod commune eſt, quod pluſ-
quam ſufficeret ſumtum etiam violenter obtentum
eſt*, Diſt. 47. *Sicut hi*. *Legem* ergo *tuam in me-
dio cordis mei*, tu Deus ſcripſiſti, ut continue in-
telligam ignorantiam me non excuſare in his,
quæ ſunt contra rationem naturalem, & quod de-
beam nullum lædere, omnes juvare, temporalia
indigentibus communicare.

*Lex natu-
ralis eſt
immutabi-
lis.*

Secundo lex naturalis habet firmitatem immu-
tabilitatis. Nam quum alia jura humana freque-
ter mutentur, quia modo ſtatuitur unum, modo
contrarium; jus naturale *ab exordio creaturæ ra-
tionalis cœpit, nec variatur tempore, ſed immuta-
bile permanet*, inquit Gratianus Diſt. 5. §. 1. Sed
hæc immutabilitas intelligenda eſt quantum ad ſub-
tractionem, non quantum ad additionem, ſecundum
Thomam 1.2. quæſt. 94. art. 5. Dupliciter enim pot-
eſt intelligi lex naturæ mutari. Uno modo per mo-
dum ſubtractionis, ut ſcilicet aliquis deſinat eſſe
ſub lege naturæ, quia prius erat ſecundum le-
gem naturæ. Et ſic quantum ad prima principia
legis naturæ, lex naturæ eſt omnino immutabilis.
Quantum vero ad ſecunda præcepta, quæ diximus
eſſe quaſi quaſdam proprias concluſiones propin-
quas primis principiis; ſic etiam lex naturalis
non immutatur, quia ut in pluribus ſit rectum,
quod ſecundum eam eſt. Poteſt tamen immutari
in aliquo particulari, & ut in paucioribus pro-
pter aliquas cauſſas impedientes obſervantiam ta-
lium præceptorum; ſicut v. g. depoſitum reddi
petenti eſt de jure naturali. Sed ſi effectus eſt fu-
rioſus, non debet reddi, ne male utatur. Alio
modo poteſt dici lex naturæ immutari per hoc,
quod ei aliquid addatur. Et ſic nihil prohibet le-
gem naturalem immutari. Multa enim ad legem
naturalem ſuperaddita ſunt, tam per leges divi-
nas, quam humanas pertinentia ad utilitatem hu-
manæ vitæ, Et ſi arguatur, quod Abraham ex
Domini præcepto voluit filium innocentem occi-
dere, Gen. 22. Oſæas propheta ad mulierem for-
nicariam acceſſit, Oſææ 1. Filii Iſrael exſpolia-
verunt Ægyptum vaſis aureis, & argenteis, Exod.
12. quæ omnia apparent eſſe contra legem natu-
ralem, & tamen non peccaverunt; ergo videtur,
quod lex naturæ immutetur. Reſpondet Thomas
ubi ſupra, quod ſicut in naturalibus effectibus il-
lud, quod fit a Deo miraculoſe, naturale poteſt
dici, licet fit præter ſolitum curſum naturæ; ita
& in actibus moralibus, quod Deus præcipit ali-
cui facere, licet ſit præter communem uſum ra-
tionis, poteſt tamen dici totum eſſe ſecundum ra-
tionem; quia illud eſt rationale, & ſecundum le-
gem naturæ, quod Deus ordinat in lege naturæ.
Quum ergo omnes ſimus debitores mortis, nocen-
tes, & innocentes propter culpam originalem;
quicumque ex mandato Dei occidit aliquem quan-
tumcumque innocentem juſte occidit, quia coram
Deo innocens non eſt; unde non facit contra le-
gem naturalem vel divinam. Et Oſæas, & qui-
cumque alius accedens ad ſolutam vel conjuga-
tam ex mandato Dei, accedit ad ſuam, quia uni-
cuique illa eſt ſua, quam Deus ordinavit eſſe ſuam.
Sicut autem in communi ordinavit eſſe ſuam, quæ
non ſibi, ſed illi eſt legitime copulata; ita præ-
ter communem legem ordinavit in aliquo particu-
lari eſſe ſuam, quæ alteri erat conjuncta. Et fi-
lii Iſrael furtum non fecerunt, quia de voluntа-
te Domini principalis omnium illa abſtulerunt.

*Indelebi-
lis.*

Habet etiam firmitatem, quia a corde aboleri
non poteſt lex naturalis ex toto. Unde Auguſti-
nus in lib. confeſſ. ait: Lex tua ſcripta eſt in
cordibus hominum, quam nec ulla umquam delet
iniquitas. Et ut declarat Thomas quæſt. ead. art.
6. quantum ad illa principia communia lex na-
turalis nullo modo poteſt a cordibus hominum de-
leri in univerſali; deletur autem in particulari
operabili, ſecundum quod ratio impeditur appli-
care communia principia ad particulare operabi-
le propter concupiſcentiam, vel aliquam paſſio-
nem. Quantum vero ad præcepta ſecundaria, quæ
ſunt quaſi concluſiones deductæ ex primis princi-
piis communibus, poteſt deleri de cordibus ho-
minum lex naturalis, vel propter malas perſua-
ſiones, vel propter pravas conſuetudines, vel ha-
bitus corruptos, ſicut apud Germanos non repu-
tabantur vitia latrocinia, vel etiam vitia contra
naturam, ut ait Apoſtolus ad Roman. 1. Et li-
cet gratia ſit efficacior, quam natura; tamen quia
natura eſſentialior eſt; ideo etſi gratia ex toto ab
anima poſſet deleri, non tamen lex naturalis, ſed
permanet. *Legem* ergo *tuam in medio cordis mei*,
ſcilicet dediſti permanentem.

*Quatenus
lex natura-
lis deleri
poſſit.*

Nec admittit diſpenſationem lex naturalis, ſic-
ut leges humanæ; & licet Gratianus videatur ca-
ſum perplexitatis excipere, ut ſcilicet quum quis
eſt perplexus inter duo mala, ſit quaſi ſibi lici-
tum eligere minus malum, ad quod inducit au-
ctoritatem Gregorii exponentis illud Jobi: 2 *Ner-
vi teſticulorum Leviathan perplexi ſunt: quia ſug-
geſtionum illius argumenta implicatis inventis*,
ideſt inventionibus peccati, *alligantur, ut pleroſ-
que ita peccare faciant, quatenus, ſi fortaſſe pec-
catum fugere appetant, hoc ſine aliquo peccati la-
queo non evadant, & culpam etiam faciant, dum
vitant, atque nequaquam ſe ab una ſolvere va-
leant, niſi in alia conſentiant ſe ligari*, Diſt. 13.
Nervi. Et ponit plura exempla humanæ conver-
ſationis. Sed tamen, ut dicit gloſſa ſummaria in
principio diſtinctionis, & bene ſecundum rei ve-
ritatem, nullus poteſt eſſe perplexus inter duo
peccata mortalia vel venialia, ita quod ſit neceſ-
ſarium alterum eorum incurrere ſimpliciter, & ab-
ſo-

*Indiſpenſa-
bilis eſt.*

2

*Perplexus
nullus pot-
eſt eſſe inter
peccata.*

1 Hic perperam inſerta erant, *pauperes, & divi-
tes una terra ſupportat. Dominus de uno limo fecit
& pauperes, & divites, & ſervitus* &c. quæ ſenten-
tiam abrumpunt, & paullo poſt ex S. Thoma, unde
Auctor ſumſit, ſuo loco reſtituta fuerunt.

2 Legendum fortaſſis eſt: *Nervi teſticulorum ejus
perplexi ſunt*; *ubi dicit: Nervi teſticulorum Levia-
than perplexi ſunt*; ita enim & Scripturæ textus, qui
recitandus innuitur per verba *illud Jobi*, apte pro-
ponitur, & Gregorii interpretatio ſubjicitur. Ita et-
iam forte Auctor ſcripſit; & librarii vel typographi
a voce *teſticulorum* ad aliam ſimilem per ſaltum tranſ-
currerunt.

ſolute, quia illud, quod quis eligeret facere, quod vitare non poſſet, non imputaretur ei ad peccatum. *Vaſis iræ*, ideſt reprobis, *numquam Deus redderet interitum, ſi non ſpontaneum inveniretur homo habere peccatum*, ait Auguſtinus 23. quæſt. 4. *Vaſis*. Implicaret hoc contradictionem ſecundum B. Thomam, ut aliquis debeat aliquid facere, & illud ſit illicitum. Verum eſt, quod præſuppoſita erronea conſcientia alicujus, vel obſtinatione in aliquo malo, tunc poteſt eſſe perplexus; & tunc eligendo alterum illorum, non excuſatur propterea a peccato, quia dimittere debuit conſcientiam erroneam vel obſtinationem. Sicut ſi quis faceret ſibi conſcientiam, quod ſi non obedit in omnibus ſuo ſuperiori, peccet, & ſuperior ſuus præcipiat ſibi, ut dicat perjurium vel mendacium, & conſcientia ſibi dictat, quod debeat obedire, quia erronea eſt, non excuſaret eum a peccato. Durante tali perplexitate datur regula, Diſt. 13. quod eligat, quod æſtimat minus malum.

Lex naturalis habet prioritatẽ temporis.

Tertio lex naturalis habet prioritatem temporis: eſt enim prior omni lege creata. Nam, ut dicit Gratianus Diſt. 6. in fin. *Jus naturale cœpit ab exordio creaturæ rationalis ..... Jus vero conſuetudinis poſt naturalem legem exordium habuit, ex quo homines convenientes in unum ſimul cœperunt habitare, quod ex eo tempore factum eſſe creditur, ex quo Cain civitatem ædificaſſe legitur; quod quum diluvio propter hominum raritatem fere videbatur exſtinctum, poſtmodum a tempore Nembroth reparatum, vel potius immutatum æſtimatur, quum ipſe ſimul cum aliis cœpit ceteros opprimere, & alii ſua imbecillitate ejus ditioni cœperunt eſſe ſubjecti. Jus autem conſtitutionis*, dicit idem Gratianus Diſt. 7. in princip. *cœpit a juſtificationibus, quas Dominus tradidit Moyſi dicens:* Si emeris ſervum Hebræum, &c. Exod. 21. De ipſo, & aliis, qui fuerunt inventores legum humanarum apud diverſas nationes, exprimit Iſidorus dicens 5. Etymolog. *Moyſes gentis Hebrææ primus omnium divinas leges ſacris litteris explicavit. Phoroneus Rex Græcis primus leges judiciaque conſtituit. Mercurius Triſmegiſtus primus leges Ægyptiis tradidit. Solon primus leges Athenienſibus dedit. Licurgus primus Lacedemoniis jura ex Apollinis auctoritate confinxit. Numa Pompilius, qui Romulo ſucceſſit in regno, primus leges Romanas edidit. Deinde decem viri electi ſunt ex Romanis, qui leges Solonis ex libris Græcis in Latinum ſermonem translatas duodecim tabulis expoſuerunt ..... Leges autem redigere in libris primus Conſul Pompejus inſtituere voluit, ſed non perſeveravit metu obtrectatorum. Deinde Cæſar id facere cœpit, ſed ante interfectus eſt .... Novæ leges a Conſtantino Cæſare cœperunt, & reliquis ſuccedentibus,* [3] *erantque permiſtæ & inordinatæ. Poſtea Theodoſius minor Auguſtus ad ſimilitudinem Gregoriani, & Hermogeniani codicem factum conſtitutionum a Conſtantini temporibus, ſub proprio cujusque Imperatoris titulo diſpoſuit, quem a ſuo nomine Theodoſianum vocavit,* factis ex prioribus imperatoribus codicem fecit. Hæc omnia Iſidorus Diſt. 7. per totum. Lex evangelica a Chriſto data fuit ſub Tyberio Imperatore, & poſtea per Apoſtolos divulgata ubicumque terrarum. Lex canonica quantum ad canones conciliorum *a temporibus Conſtantini cœperunt*, ſecundum Iſidorum in 6. Etymolog. & Diſt. 15. in princip. Decreta, & decretales, epiſtolæ ſummorum Pontificum quaſi a principio Eccleſiæ cœperunt, ut patet in Actibus Apoſtolorum de deciſione circa obſervantiam legalium.

[3] Sequentia addidimus ex jure canonico Diſt. 7. pro quibus nullo ſenſu erat in editis: *Factis ex prioribus imperatoribus codicem fecit. Hæc &c.*

CAPUT II.

De multiplici bono legis naturalis.

Lex naturalis eſt participatio legis æternæ.

Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino: multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine, pſal. 4. Loquitur Pſalmiſta de lege naturali, oſtendens quomodo procedit a lege æterna, & habet nos regulare. Pro cujus declaratione dicit Thomas 1. 2. quæſt. 91. art. 2. quod lex quum ſit quædam regula & menſura, poteſt eſſe in aliquo dupliciter. Uno modo ſicut in menſurante & regulante; & ſic lex æterna eſt in Deo, ſicut lex humana eſt in principe civitatis. Alio modo lex poteſt eſſe in aliquo ut in menſurato & regulato, quia in quantum participat aliquid de regula & menſura, in tantum & regulatur & menſuratur. Et ſic quum omnia, quæ divinæ providentiæ ſubduntur, a lege æterna regulentur & menſurentur; patet, quod omnia participant aliqualiter legem æternam, in quantum ſcilicet ex impreſſione ejus habet inclinationes in proprios actus & fines. Inter cetera autem rationalis creatura excellenciori quodam modo divinæ providentiæ ſubjacet, in quantum ipſa ſit providentiæ particeps, valens ſibi & aliis providere. Unde & ab ipſa participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem. Et talis participatio legis æternæ in rationali creatura dicitur lex naturalis. Unde quum Pſalmiſta dixiſſet: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino*, quaſi quibuſdam quærentibus, quæ ſint juſtitiæ opera, ſubjungit: *Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?* Cui quæſtioni reſpondens dicit: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*, quaſi dicens: lumen rationis naturalis, quo diſcernimus quid ſit bonum, & quid malum, quod pertinet ad legem naturalem, nihil aliud eſt, quam impreſſio divini luminis in nobis; & ſic patet, quod lex naturalis eſt participatio legis æternæ in creatura rationali. Hæc Thomas. Et in dictis verbis tria notantur.

Deo eſt cura præcipue de creatura rationali.

Operatio boni præcipitur, ibi: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ.*

Exſpectatio auxilii & præmii adjicitur, ibi: *Sperate in Domino.*

Ignorantia agendi excluditur, ibi: *Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?* &c.

§. I. Quantum ad primum dicit Hieronymus: *Quod præcipitur, imperatur: quod imperatur, neceſſe eſt fieri: ſi non fiat, pœnam habet*, 14. quæſt. 1. cap. ult. & pœnam æternam & temporalem incurrit. Imperative autem dicitur: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ.* In veteri lege mandavit Deus populo ſuo ſibi offerri diverſa ſacrificia animalium, non quod delectaretur in occiſione & oblatione illorum animalium in ſe, ſed quia omnes aliæ nationes offerebant diis ſuis ſacrificium animalium, ne populus ille, qui erat promtus & inclinatus ad imitandum mores malos vicinarum nationum, ſimilia faceret immolando falſis diis, voluit potius illa ſibi offerri. Erant grata ex devotione offerentium, & ex eo, quod figurabant. *Omnia* enim *in figura contingebant illis*, ait Apoſtolus 1. ad Cor. 10. Figurabant autem duo, quæ pertinent ad juſtitiam ut partes ejus integrales, ſcilicet declinare a malo, & facere bonum. Nam in occiſione diverſorum animalium ſignatur mortificatio paſſionum beſtialium & vitiorum, ſecundum illud Apo-

Quomodo in veteri lege occidebantur animalia.

poſtoli Petri in Canon. 1. *Chriſtus ſemel mortuus eſt pro peccatis noſtris, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus*. In oblatione autem illorum animalium, quæ fiebant Deo, & aliquando totum & aliquando pro parte comburebatur igni ad Dei honorem, ſignatur exhibitio bonorum operum, igne caritatis incenſorum ad Dei laudem, quod aliqui offerunt ex toto, ut religioſi; & hoc dicitur holocauſtum: aliqui ex parte, ut boni laici; & hoc dicitur ſacrificium. Sacrificia animalium modo non vult Deus, quia quum impletæ ſint figuræ illæ, hoc eſſet judaizare, & contra juſtitiam. Unde ipſe dicit Iſaiæ 1. *Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & hyrcorum & agnorum nolui... ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra*. Sed ſacrificium juſtitiæ ſemper voluit, & vult, quale eſt illud pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Et illud ad Rom. 12. *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem*. Et iſta opera juſtitiæ dictat lex naturalis exercere. *Sacrificate* ergo *ſacrificium juſtitiæ*.

Sperandū eſt in Domino.

§. II. Quantum ad ſecundum, quum ſecundum Apoſtolum 2. Cor. 3. *Non ſimus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis*, multo minus poſſumus bona operari, vel mala vitare propria virtute; ſed debemus exſpectare & procurare auxilium a Domino. Unde dixit illa ſancta Judith 6. *Benedictus es, Domine, qui non derelinquis præſumentes*, ideſt ſperantes *de te, & præſumentes de ſe, & de ſua virtute gloriantes humilias*. Sperant aliqui non in Domino, ſed in iniquitatibus ſuis, ſcilicet aſtutiis & inventionibus. *Nolite ſperare in iniquitate*, pſal. 61. Alii ſperant in hominibus, dominis, vel parentibus, vel exercitibus. Sed *maledictus vir, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino recedit cor ejus*, Hier. 17. Alii autem in Domino ſperant. Et ut dicitur Iſaiæ cap. 40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ut aquilæ*, &c. *Sperate* ergo, non in mundo, vel ſenſu proprio, ſed *in Domino* adjuvari. Et a Deo eſt exſpectanda præmii retributio. Unde ſi bona opera facis ſecundum juſtitiam, & mala pateris & injurias ab his, quibus bona feciſti; non debes propterea bonum dimittere, quia hic non debes exſpectare præmium tui operis a Deo vel ab hominibus, ſed in cælo futurum: hoc enim eſt ſperare in Domino. Sic quum Tobiæ facienti opera juſtitiæ diligenter, quum ipſe multa adverſa pateretur, inſultantes ei aliqui ſibi noti dicebant: *Nunc vana facta eſt ſpes tua*, Tobiæ 2. Quibus ille reſpondit: *Tacete, quoniam filii ſanctorum ſumus, & vitam illam exſpectamus, quam daturus eſt Deus his, qui non recedunt ab eo*, ſcilicet propter adverſa. *Sperate* ergo *in Domino* præmiari. Præmium conſideratum eſt, quod movet agentem ad operandum, & tanto magis quanto majus; & ideo ut ferventius operetur, debet ſæpe de præmio cogitare. Unde Apoſtolus ad Rom. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te*.

§. III. Quantum ad tertium excluditur ignorantia agendorum, dum ſubditur: *Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?* quaſi dicant, volentes ſe excuſare de ignorantia: Quis demonſtrat nobis iſta ſacrificia, ideſt opera juſtitiæ, quæ debemus facere? Quibus reſpondet, quod ratio ſeu lex naturalis hoc docet; & hoc *lumen* eſt *vultus* Dei, ideſt procedens a vultu ſuo, ideſt a ſapientia ſua & lege æterna; quod eſt ſignatum, ideſt impreſſum in nobis. Nam, ut ait Boetius de philoſophica conſol. lib. 3. proſa 2. Inſerta eſt mentibus hominum veri ſummique boni cupiditas; ergo oportet, quod ſit ſummum bonum, quia Deus & natura nihil fruſtra operantur, inquit Philoſophus. Eſſet autem fruſtra tale deſiderium in nobis, ſi in veritate non eſſet ipſum ſummum bonum. Ergo *ſperate in Domino*. Item & lumen rationis naturalis docet, & nobis oſtendit, quæ bona facere debeamus, & quæ mala vitare, & ſi in aliquibus obſcuratum eſt, ut non cognoſcant vel faciant ſibi conſcientiam de gravibus peccatis non excuſantur, quia ſunt in cauſſa ſuæ obcæcationis. *Signatum eſt* ergo *ſuper nos lumen vultus tui, Domine*, ſcilicet lex naturalis, quæ *oſtendit nobis bona* agenda. Nam, ut dicit Thomas 1. 2. quæſt. 94. artic. 2. quia bonum habet rationem finis; malum autem habet rationem contrarii; inde eſt, quod omnia illa, ad quæ habet homo naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit ut bona, & per conſequens ut opere proſequenda, & contraria eorum, ut mala vitanda. Secundum ergo ordinem inclinationum naturalium eſt ordo præceptorum legis naturæ.

Inſerta eſt lex naturalis vel ratio hominibus.

Ineſt enim primo inclinatio homini ad bonum ſecundum naturam, in qua communicat cum omnibus ſubſtantiis; prout ſcilicet quælibet ſubſtantia appetit conſervationem ſui eſſe ſecundum ſui naturam. Et ſecundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, quibus vita hominis conſervatur, & contrarium impeditur. Et ponitur eſſe de jure naturali, *vim vi repellere*, Diſt. 1. *Jus naturale*. Quia tamen inſtinctus naturalis debet in homine regulari ratione; ideo hoc fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Non enim licet quomodocumque vitare mortem & infirmitates, ſed debito modo. Neque liceret malefactori reſiſtere judici condemnanti eum juſte ad mortem. Neque licet ad evadendum mortem corporis incurrere mortem animæ, perpetrando aliquid criminale. Sed ab injuſte invadente licet ſe *defendere, non livore vindictæ repercutere, ſed ad conſervationem vitæ ſe juvare cum moderamine.

* *Vid. Prælect. VI. in part. 2. §. 1.*

Secundo ineſt homini inclinatio ad aliqua magis ſpecialia ſecundum naturam, in qua communicat cum beſtiis animalibus. Et ſic dicuntur eſſe de lege naturali ea, quæ natura omnia naturalia docuit, ut commiſtio maris & feminæ, educatio liberorum & hujuſmodi, Diſt. 1. *Jus naturale*. Et quia homo debet ſenſualitatem regere fræno rationis, alias ſi impetu ejus feratur, ſimilis erit animalibus brutis, quæ paſſiones refrænare non poſſunt, quia ratione carent; ideo talem inſtinctum ſenſualem, ſcilicet ad commiſtionem, debet ratione cirigere, ut videlicet non ad quamcumque feminam, ſed ad legitime ſibi conjunctam accedat, & mulier ad legitime conjunctum; alias contra legem naturalem erit fornicando vel adulterando, etſi non contra naturam generis, in qua cum beſtiis communicat, tamen contra naturam ſpeciei humanæ, [1] ſecundum quam vivere debet non ſecundum beſtias. Vitium autem ſodomiticum non ſolum eſt contra naturam ſpeciei humanæ, ſed etiam contra naturam generis, ideſt per excellentiam ſodomia dicitur contra naturam, quia tam contra naturam generis, quam contra naturam ſpeciei. Nullum enim animal brutum invenitur accedere maſculus ad maſculum, vel femina ad feminam per commiſtionem ſicut homines. De quibus ait Apoſtolus ad Rom. 1. *Maſculi in maſculos, & feminæ in feminas turpitudinem operantes*, de

[1] Ex Jenſoniana Veneta editione an. 1479. ſupplevimus ſequentia uſque ad *ſpeciei humanæ*, quæ per ſaltum ſimilium vocum in non nullis editionibus prætermiſſa fuerunt.

de quibus dicit, quod *digni sunt morte*, & *qui faciunt* & *qui consentiunt facientibus*, morte scilicet temporali & æterna. Et habetur C. *Ad leg. Jul. De adult.* l. *Quum vir nubit*, & in authent. *De lenon.* Consentiunt autem parentes & rectores, qui non puniunt talia, Dist. 83. *Error*. Similiter non nutrire filios, prout potest, corporaliter & spiritualiter moribus informando, est contra legem naturalem, quum animalia bruta nutriant filios suos. Unde Apostolus 1. ad Tim. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit*, idest fidelitatem naturalem, *& est infideli deterior*. Sed quanti contra naturalem legem agunt, abortum procurantes, vel filios occidentes ad occultandum scelera?

Tertio inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quæ est sibi propria; & sic homo habet naturalem inclinationem ad hoc, quod veritatem cognoscat. Unde Philosophus in 1. Metaph. omnes homines naturaliter scire desiderant, & præcipue de Deo, & ad hoc, quod in societate vivat; unde dicitur homo animal politicum seu sociale, secundum Philosophum. Et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea, quæ ad hujusmodi inclinationem spectant, ut quod homo ignorantiam vitet, & quod alios non offendat, cum quibus habet conversari, quod deposita & commendata reddantur, quum repetuntur, Dist. 1. *Jus naturale*. Et ad hanc etiam legem naturalem pertinet, quod inferiores subjiciantur suis superioribus, & obediant, secundum illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; quia non est potestas nisi a Deo & quæ a Deo sunt, ordinata sunt*, & quasi naturalia, ad Rom. 13. Et secundum hanc inclinationem naturalem, scilicet secundum rationem, omne peccatum est contra naturam. Et ista sunt vera mala, quia lædunt animam & corpus; ideo naturalis rationis lumen docet evitare, quæ vera mala dicuntur, quia nociva corpori docet tolerare. Unde Ambrosius in Hexameron: *Mala illa non sunt, quæ nec crimine mentem implicant, nec conscientiam ligant. Ceterum paupertatem, ignobilitatem, ægritudinem, & mortem nemo sapiens mala dixerit, nec in malorum sorte numeraverit*, 15. quæst. 1. can. *Illa cavenda*. Sed & quanta, & quot mala & damna sequantur ex peccato, habes supra tit. 9. de peccato mortali cap. 2. & 3. Et ideo lex naturalis ostendit, quod debeat evitari.

Prælatio est a natura.

De usu rationis.

Item nota diligenter secundum B. Thomam 1. 2. quæst. 94. quod istud lumen legis naturalis non ostendit homini, quæ sint bona, quousque perveniatur ad usum rationis. Quando autem quis pervenit ad usum rationis, idest in qua ætate, non potest dari regula certa, quia in aliquibus acceleratur, & in aliquibus retardatur usus rationis secundum varietatem complexionis. Communiter tamen creditur, quod incipiat usum rationis habere circa 11. annum ex dictis Thomæ in 4. & Petrus de Ancharano. Et ex tunc, quum incipit habere usum rationis, potest peccare mortaliter & venialiter, & non ante. Et sic intelligitur Decretalis extra *De delic. puer.* cap. 1. Tunc ergo *lumen vultus* Dei, idest lex naturalis, *ostendit* ei, quæ sint *bona* agenda. Et primum, quod tunc homini cogitandum occurrit, secundum Thomam 1. 2. quæst. 89. est deliberare de seipso. Et siquidem seipsum ordinaverit ad debitum finem per gratiam, consequetur remissionem originalis peccati, si videlicet nondum est baptizatus & proponat baptizari. Si vero non se ordinat ad debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in se est; & est

Quid homini primo cogitandum.

A sic[2] impossibile in aliquo reperire veniale cum originali peccato sine mortali. Et subdit paullo post: Quamvis ab aliis peccatis mortalibus possit puer, incipiens habere usum rationis, per aliquod tempus abstinere; sed a peccato omissionis prædictæ non liberatur, nisi quam cito potest, se convertat ad Dominum. Primum enim, quod occurrit discretionem habenti, est quod de seipso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem. Finis enim est prior in intentione. Et ideo hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo dicit Zac. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. *Lumen* ergo *vultus* Dei, idest lex naturalis, quæ nobis impressa est, *ostendit*, quod bonum est appetendum & prosequendum. 2

B §. IV. Et nota, quod considerando bonum in communi & absolute ut bonum, describitur & cognoscitur tribus modis. Describitur enim bonum a philosopho, quod est appetitus motivum: a Dionysio, quod est sui ipsius diffusivum: a Thoma, quod est virtutis vel potentiæ perfectivum. Primum, scilicet quod bonum sit appetitus motivum, habetur ex primo Ethicorum in principio, ubi dicit philosophus: Bene enuntiaverunt dicentes: Bonum est, quod omnia appetunt. Sed contra hoc triplici ratione arguitur. *Omnes bonum appetunt.*

Et primo sic: Multi desiderant & operantur malum, ut homicidæ, fornicarii, & hujusmodi; ergo non omnia appetunt bonum. Respondetur, quod omnes tales appetunt malum, non sub ratione boni, in quantum æstimant illud esse eis bonum utile, vel delectabile: & sic optant bonum, etsi non exsistens, tamen eis apparens, & in suis operationibus moventur ab aliquo, quod habet apparentiam vel similitudinem boni. Ad quod etiam facit, quod ait Augustinus, scilicet: *Peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud, quod consequitur ex eo*, 15. quæst. 1. *Merito*.

Secundo arguitur sic: Multi sunt scientes, & tamen contraria agentes his, quæ sciunt. Aut ergo eorum scientia est recta, aut operatio: sed constat, quod scientia eorum est recta; ergo operantur contra illud bonum, quod per scientiam sciunt. Et sic nec appetunt bonum, nec operantur gratia boni. Respondetur, quod quamvis tales sciant scientia recta in universali & in habitu D illud esse malum, quod agunt; non tamen sciunt in particulari, & in actu quum malum agunt: cujus ratio est, quia per passionem aliquam obfuscatur ratio eorum, ut apprehendant illud malum ut bonum ad operandum.

Tertio arguitur sic: Desiderium non est nisi animatorum, & horum non omnium, sed sensibilium: sed non omnia, quæ sunt animata, sunt sensibilia; ergo non omnia appetunt bonum. Respondetur, quod quamvis non omnia habeant animam, vel sensum, vel cognitionem per principium conjunctum eis, habent tamen cognitionem per principium separatum, quod est primus motor, qui dirigit omnia in primum bonum, & desiderium eorum est in omnibus his, quæ moventur ab ipso. E Sic desiderium & intentio sagittantis est in sagitta directa. Nam ex ordinatione divina, res quælibet, etiam cognitione carens, tendit in bonum, sicut sagitta tendit in signum ex directione sagittantis. Ipsum autem tendere & inclinari in bonum est appetere bonum; & sic omnia entia appetunt bonum.

Hæc Thomas in Script. 1. Ethicorum, & Albertus super Dionysium. Est autem illud bonum, quod communiter omnia appetunt, perpetuatio in esse. Nam appetitus non solum est boni non habiti, sed etiam boni habiti, ut melius habeatur.

Et

2 Confer not. 2. in cap. 1. tit. 10. pag. 585.

Et talis est appetitus omnium ipsius esse cum modo, scilicet cum perpetuatione ipsius esse. Quod quidem probatur per ejus contrarium, quia sicut nulla res appetit corruptionem sui ipsius, eo quod corruptio sit non ens, & per consequens malum, quod non cadit in appetitu; ita quum conservatio in esse sit bonum, ab omni appetitu appetitur. Ergo *signatum est super nos lumen vultus* Dei, lex naturalis ostendens nobis bonum istud appetendum, scilicet conservationem sui. Et quum pars principalis sit anima, quæ conservatur in esse spirituali per gratiam, alias per peccatum corrumpitur ab esse spirituali, & meretur corrumpi in esse naturali, unde & peccatum nihil dicitur; ideo lumen istud docet peccata vitare, & gratiam quærere, & conservare.

Bonum sui diffusivum quare, & quomodo.

Secundo bonum sic describitur esse sui diffusivum secundum Dionysium, vel communicativum. Ratio hujus est, quod in omni bono est essentia, & e converso; quia, ut dicitur Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Ab essentia autem fluit potentia, & a potentia actus vel actio. Actus autem boni est communicare se ipsum: ad hoc enim ordinatum est tamquam ad finem, scilicet ad communicandum seipsum. Ubi nota differentiam inter bonum creatum & bonum increatum: nam bonum creatum aliter diffundit & communicat seipsum, & aliter bonum increatum, quale est Deus. Bonum enim creatum communicat & diffundit seipsum tribus modis. Primo per sui divisionem; sicut unum totum dividitur in multas partes, ut quum lignum vel lapis scinditur in partes; sed talis multitudo tollit plenitudinem, & adunationem, quæ erat in toto. Sed bonum increatum, quale est Deus, ad omnia entia se diffundit sine sui divisione. Producendo enim diversa non dividitur, quia ipse Deus in sua essentia superstantialiter est ab omnibus entibus segregatus. Secundo bonum creatum se diffundit per sui communicationem numeralem; sicut ex uno genere proveniunt multæ species, ex una specie multa individua. Sed illud unum sic multiplicatum non est unum singulare; sed commune: sed divina bonitas se diffundit sine sui multiplicatione, quia producendo diversa & successive infinita non minoratur. Cujus ratio est, quia quum sua bonitas sit infinita, ex communicatione bonorum infinitorum minorari non potest. Unde non est dicendum, quod si aliqua sua bona communicet, quod non amplius possit communicare. Tertio bonum se influit & diffundit ad alia per effusionem, sicut ex uno fonte procedunt multi rivuli, sed hoc est cum quadam egressione, in quantum, scilicet aqua a fonte egrediens in rivulos multos diffunditur. Sed divina bonitas sine sui effusione communicatur, eo quod divina bonitas, secundum suam essentiam manens una indistincta in se collecta, multiplicatur in sui similitudinem scilicet in effectibus participantibus divinam bonitatem. Cujus ratio est, quia quum sua bonitas sit idem quod essentia, sicut essentia Dei est una, ita quod multiplicari non potest; sic bonitas Dei successive infinita producens, in se manens una, multiplicari non potest. Et manifestatur hoc per exemplum de sole: sicut sol noster sensibilis illuminat omnia, quæ ejus lumen participare possunt, quantum est ex seipso lucem non amittendo, lucem in se ipso non dividendo, neque multiplicando, non minorando, non præeligendo unum alteri; ita divina bonitas facit per suum intellectum ac voluntatem. Hæc Thomas super Dionysium; unde Ecclesiastici 42. dicitur: *Sol illuminans per omnia respexit; & gloria Domini plenum est opus ejus.* Quum igitur lumen vultus Dei, ideſt lex naturalis, ostendat homini bonum esse

Bonū creatū quomodo seipsū diffundit, & quomodo se diffundat increatum.

sui diffusivum; & ideo communicat bona, quæ habet temporalia, vel naturalia, vel gratuita, quantum potest aliis, dictante luminis naturalis ratione, quia bonum quantum communius, tanto divinius. Et 1. Petri 4. dicitur: *Unusquisque prout accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, ut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Et quia Deus est bonum infinitum maxime diffusivum, etsi sine sui diminutione; ideo super omnia diligendus & imitandus. *Qui* (ut dicitur Matth. 5.) *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*, temporaliter & spiritualiter, lumen scilicet intelligentiæ, & pluviam gratiæ influendo.

Triplex boni acceptio.

Tertio describitur bonum, quod est virtutis vel potentiæ perfectivum. Nam tunc dicitur aliquid esse bonum, quando habet suam perfectionem. Et secundum hoc bonum dicitur tribus modis. Primo enim dicitur bonum ipsa perfectio rei. Sicut v. g. acumen visus dicitur oculi bonum; & virtus dicitur bonum hominis. Secundo dicitur bonum res, quæ habet suam perfectionem; sicut homo virtuosus dicitur bonus, & oculus acute videns dicitur bonus. Tertio dicitur bonum ipsum subjectum, secundum quod est in potentia ad perfectionem; sicut anima dicitur bona, quia est in potentia ad virtutem, & substantia oculi ad acumen visus. Hæc Thomas in quæstionibus de malo. Quum igitur anima perficiatur per virtutes, quas quanto perfectius habet, tanto magis bona est, & naturaliter quilibet appetat, non solum bonum, sed & majus bonum; ideo naturaliter quilibet debet appetere virtutes, & quærere perfecte: nam virtus secundum philosophum est, quæ bonum facit habentem. Et Augustinus: Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur. *Signatum est super nos lumen vultus tui*, &c. ideſt impressa naturaliter quædam cognitio vultus Dei, ideſt divinæ essentiæ. Quum enim objectum appetitus seu voluntatis sit bonum ab intellectu apprehensum; sic naturaliter est appetitus summi boni, ideſt cognitio aliqua summi boni. Unde & de philosophis dicit Apostolus ad Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis*, ideſt quod naturaliter potest sciri de Deo, illi cognoverunt.

De bono increato quod tribus modis cognoscitur.

§. V. Ipsum autem bonum increatum, quale est Deus, describitur & cognoscitur tribus modis secundum Dionysium in lib. de divinis nominibus cap. 4. Primo sic: Bonum increatum est, in quo omnia præexsistunt, ex quo habet rationem omnia continentis. Secundo sic: Bonum increatum est, ex quo omnia subsistunt, ex quo habet rationem omnia efficientis & conservantis. Tertio sic: Bonum increatum est, quod omnia appetunt & concupiscunt, ex quo habet rationem causæ finalis vel ultimi finis.

Quantum ad primum dico, quod bonum increatum est illud, in quo omnia præexsistunt, ex quo habet rationem omnia continentis: ubi sciendum, quod omnis creatura producta a Deo nobilius habet esse in Deo, quam in seipsa. Unde bene dicitur Joan. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Hoc autem ostenditur per rationem, per similitudinem, & per sufficientem divisionem. Et ratione quidem, quia nobilius est aliquid in aliquo, sicut in radice causante & sustentante, quam in ramo sustentato: sed omnis res creata habet esse in Deo ut in radice sustentante & causante: in se autem habet esse, ut in ramo sustentato & causato; ergo nobilius res quælibet habet esse in Deo, quam in seipsa. Probatur etiam sic: Licet res nobilius habeat esse in seipsa, quam in causa instrumentali; vel quam in causa producente partem rei, sicut homo nobilius habet esse

in ſeipſo, quam in patre generante vel in ſole; tamen res nobilius habet eſſe in cauſſa principali, a qua totum eſſe rei dependet, ſicut a Deo. Hæc Hervæus.

Probatur & hoc per ſimilitudinem. Nam effectus nobiliori modo invenitur in cauſſa æquivoca, quam in cauſſa univoca: ſicut calor excellentiori modo invenitur in ſole, quam in igne; ſic omnia bona, quæ reperiuntur in creaturis, excellentiori modo inveniuntur in Deo, quam in ſeipſis. Thomas in 1. parte, quæſt. 6. art. 2. Probatur idem ſufficienti diviſione. Nobilius enim eſt eſſe ſpirituale æternale & divinum, quam eſſe materiale temporale & humanum. Sed eſſe cujuslibet rei creatæ in Deo eſt eſſe ſpirituale, æternum, & divinum, quia creatura in Deo eſt Deus; ergo nobilius & perfectius eſſe habet creatura in Deo quam in ſeipſa. Ex quo igitur bona appetuntur ab hominibus vel ut dulcia guſtui ut mel, vel ut fragrantia odoratui, ut roſæ & aromata, vel ut conſonantia auditui, ut cantus & ſonitus, vel ut pulcra aſpectui, ut figura bene proportionata, vel ut ſuavia & levia tactui, vel ut utilia operi, ut argentum, aurum, & aliæ divitiæ, vel ut magna æſtimationi, ut honores, & potentiæ, vel ut ſcientia, & ſapientia intellectui, vel ut virtutes morales vitæ politicæ. Et hæc omnia bona excellentiori modo ſunt in Deo, & ſine defectu; ſicut groſſus argenteus eſt in floreno aureo, non quidem in materia, ſed in valore & pretioſitate, multo etiam majori, unde quilibet præelegit florenum groſſo, ut longe melius. Sic quum *lumen* naturalis rationis impreſſum nobis oſtendat *nobis bona*; ergo inſtinctu ejus debemus ipſum amare, & procurare habere. Unde pſal. 72. *Quid mihi eſt in cælo, aut quid a te*, ſcilicet Deo, *volui ſuper terram?* quaſi diceret: nihil ex bonis creatis. Sed *defecit caro mea*, ideſt appetitus ſenſitivus, *& cor meum*, ideſt appetitus rationalis, ab omni affecta temporalium, *& pars mea Deus in æternum .... Mihi adhærere Deo bonum eſt* abſolute: eſt enim Deus ſecundum Anſelmum, quo melius nil excogitari poteſt.

Secundo bonum increatum, quale eſt Deus, ſic deſcribitur: Deus eſt bonum increatum, ex quo omnia ſubſiſtunt, & ex hoc habet rationem cauſſæ, non ſolum omnia efficientis, ſed etiam omnia conſervantis. Quod oſtenditur tripliciter, ſcilicet auctoritate, ſimilitudine, & ratione. Auctoritate quidem: nam ut dicit Gregorius: Omnia nec ad momentum ſubſiſterent, ſed in nihilum tenderent, niſi operatione divinæ virtutis in eſſe ſuſtentarentur: & Auguſtinus 4. ſuper Gen. ad litteram: Virtus Dei ab his, quæ creata ſunt, regendis ſi aliquando ceſſaret, ſimul & eorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret. Et ſic omnia dicuntur vanitas, Eccleſiaſtes 1. Quia omnia, & Angeli, & homines, & elementa, ſicut habent eſſe ex nihilo, ita ex ſe habent tendere in nihilum, niſi Dei influentia ſuſtentarentur.

Probatur ſecundo hoc ſimilitudine. Sicut enim aer præſente lumine ſtatim fit lucidus; ſic homo Deo præſente illuminatur: & ſicut aer nec ad momentum remanet illuminatus, ſed continue obtenebratur, ceſſante actione ſolis; ita creatura nec ad momentum in eſſe remaneret, ceſſante actione Dei, ut dicit Auguſtinus. Ratio autem quare aqua calefacta retinet calorem ignis, ceſſante actione ignis; non autem aer etiam ad momentum remanet illuminatus ceſſante actione ſolis, eſt iſta, quia aqua eſt ſuſceptiva caloris ignis ſecundum eamdem rationem, vel formam, qua eſt in igne; & ideo ceſſante actione ignis remanet calor in aqua, & plus & minus ſecundum participationem caloris, Sed aer nullo modo recipit lucem ſecundum eamdem rationem, qua eſt in ſole, ut recipiat formam ſolis, quæ eſt principium luminis. Unde quia habet lux ſolis radicem, in aere ſtatim ceſſat, ceſſante actione ſolis. Sicut a ſimili, quia eſſe non recipitur in creatura ſecundum eamdem rationem, qua eſt in Deo; ideo ſtatim ceſſaret, ceſſante influentia virtutis divinæ. Thomas 1. part. quæſt. 104. art. 2.

Tertio probatur ratione ſic: Effectus, qui dependet a cauſſa tantum, quoad ſuum fieri, & non quoad ſuum eſſe, bene poteſt manere ſubtracta cauſſa; ſed non, ſi dependeat quoad ſuum eſſe. Sicut v. g. eſſe domus dependet quoad ſuum fieri ab ædificatore, non autem quoad ſuum eſſe; & ideo ceſſante actione ædificatoris, non propterea deficit eſſe domus, eo quod durities ligni, & lapidum, & hujuſmodi eſt nata per ſe retinere formam impreſſam ab ædificatore in domo facta, & ejus forma artifex eſt cauſſa in fieri; ceſſante influentia artificis, non ceſſat forma domus. Sed Deus non eſt ſolum cauſſa in fieri creaturæ, ſed & in facto eſſe; & ideo ceſſante influentia Dei, nec ad momentum creatura poteſt conſervari in eſſe. Nec Deus poteſt communicare creaturæ, ut conſervetur in eſſe, ſua operatione ceſſante. Thom. 1. parte quæſt. 104. art. 2. & Hervæus. Quum igitur homo appetat bonum ſuæ conſervationis in eſſe, propter quod dicit Boetius, quod omne animal vitam tueri laborat; profecto, ut ait Auguſtinus, magna miſeria hominis eſt non eſſe cum illo, ſcilicet per gratiam, ſine quo eſſe non poteſt. Sicut autem in eſſe naturali homo conſervari non poteſt ſine influxu naturali divinæ virtutis; ita & in eſſe gratiæ conſervari non poteſt ſine influxu ipſius Dei. Unde Apoſtolus 1. Cor. 15. *Gratia Dei ſum id, quod ſum*. Quo eſſe ſpirituali amiſſo per negationem, ait Petrus: *Homo non ſum*; unde Auguſtinus *De pœnit.* Diſt. 1. *Reſuſcitatus & §.* ſequenti: *Reſuſcitatus in corpore vivit abſente reſuſcitatore; non autem ſic reſuſcitatus in anima: quum enim Deus ſit vita animæ, anima vero vita corporis, ſicut corpus non vivit abſente anima; ita non niſi Deo præſente*, ſcilicet per influxum gratiæ *anima vivere valet*.

Tertio bonum increatum, quale eſt Deus, deſcribitur, quod eſt bonum, quod omnia appetunt ſeu concupiſcunt. Omnia enim ſuo modo deſiderant Deum. Et hoc probatur quattuor rationibus ſecundum Dionyſium de divin. nom. 4. Et primo omnia deſiderant Deum ſicut principium, a quo cauſſantur. Nam ipſe eſt omnia in omnibus per cauſſalitatem, in quantum omnes perfectiones eſt ipſe Deus cauſſaliter. Licet enim quælibet res creata ſit bona ex ſeipſa formaliter, non tamen eſt bona ex ſeipſa cauſſaliter, exemplariter, & finaliter. Nam licet quælibet res creata ſit bona per bonitatem propriam, & formaliter inhærentem, & perficientem, tamen multo magis eſt bona bonitate Dei efficienti; & ideo ceſſante bonitate Dei efficienti, exemplari & finali, ceſſaret tota bonitas creaturæ. Unde Auguſtinus in 8. de Trin. cap. 3. ſic ait: Bonum hoc, & bonum illud, ſcilicet creatum, & increatum. Tolle hoc, & tolle illud, & vide ipſum bonum, ſi potes. Ita Deum videbis non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni, ſcilicet cauſſaliter, ita quod una eſt bonitas omnium per cauſſalitatem, ſcilicet bonitas divina, & multæ ſunt bonitates formaliter, quælibet ſcilicet res formaliter eſt bona ſua bonitate.

Omnia deſiderăt ſuo modo Deũ.

Secundo omnia deſiderant Deum, ut auxilium, quo in eſſe conſervantur. Nam ipſe Deus portat, ideſt conſervat *omnia verbo virtutis ſuæ*, dicit Apoſtolus ad Heb. 1. ut patet paragrapho præcedenti.

Tertio omnia deſiderant Deum ut bonum, in

Excellētia quadruplex bonitatis divinæ.

in quo omnia quietantur & nobilitantur. Nam Deus eſt bonum primum, totum, integrum, & perfectum. Et primo omnia deſiderant Deum, eo quod ipſe eſt primum bonum. Nam ſicut omnes numeri participant unitatem, unitas autem eſt per ſe non participans numerum aliquem; ita Deus eſt per ſe bonus, ideſt eſſentialiter bonus, non habens bonitatem ſuam ab alio: pſal. 15. *Bonorum meorum non indiges, Domine*; unde ſicut ipſe eſſentialiter eſt ſua deitas, ita eſt per ſe eſſentialiter ſua bonitas. Omnis autem bonitas creaturæ participative eſt bonitas divina. Hæc Dionyſius. Et hoc eſt ad excludendum errorem Arii, & Origenis, qui poſuerunt deitatem, entitatem, & bonitatem filii eſſe participatam a Patre. Ut ergo oſtendat, quod entitas, deitas, & bonitas æqualiter convenit Filio ſicut Patri; dicit Filium eſſe bonum primum.

Secundo omnia deſiderant Deum, eo quod eſt bonum totum. Sed quum totum dicatur dupliciter, ſcilicet totum, quod conſtat ex partibus, ut domus, prout eſt in materia in actu: conſtat enim ex fundamento, tecto, & parietibus, ut ex partibus ſuis, & totum, quod eſt ante partes, ut domus, prout eſt in mente ædificatoris, iſtud dicitur ante partes, quia præexiſtit domui ut fiendæ ex partibus ejus. Deus igitur quum dicitur bonum totum, non dicitur totum, quaſi ſit compoſitum ex partibus; quia hoc repugnat ſimplicitati divinæ. Bernardus: Si dici poteſt, uniſſimus eſt; ſed eſt Deus totum ante partes, quia ipſa deitas Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, eſt quaſi præhabens omnia bona.

Perfectum dicitur dupliciter.

Tertio omnia deſiderant Deum, eo quod eſt bonum perfectum. Sed quum dupliciter dicatur aliquid perfectum: uno modo, quia complete factum; ſicut quum dicimus perfectam eſſe noſtram ambulationem, quum ſcilicet complete terminavimus eam: alio modo, quod habet naturam, & virtutem propriæ ſpeciei; ſicut dicitur homo perfectum animal, eo quod habet naturam ſenſitivam. Deus autem non dicitur bonum perfectum primo modo; quia quod non eſt factum, non poteſt dici perfectum; Deus autem factus non eſt, nec creatus. Sed dicitur perfectum bonum, in quantum eſt maxime in ſua natura & virtute perfectus.

Quarto omnia deſiderant Deum, in quantum eſt bonum integrum. Nam integrum dicitur per excluſionem vel remotionem diminutionis, ſicut dicitur hominem non eſſe integrum, ſi aliquo membro privetur vel truncetur, & quia Deus non habet alicujus mali admiſtionem: ſicut creaturæ terreſtres, nec alicujus boni privationem, ſicut cæleſtes, quibus deficit ſaltim immutabilitas; nec alicujus boni ſubtractionem, quia nihil ei ſubtrahi poteſt. Ideo dicitur bonum integrum, & per conſequens eſt ab omnibus concupitum. Hæc Dionyſius cap. 2. de divin. nomin. & Thomas in ſcriptis ibidem.

Deus quam ſit bonus rectis corde.

§. VI. *Quam bonus Iſrael Deus, qui recto ſunt corde!* Ubi circa Deum, quem nobis oſtendit ratio naturalis, præmittenda eſt vera illuſtratio; quia *Deus Iſrael*. Iſrael interpretatur *videns Deum*; & ſignat fideles videntes per fidem, ideſt credentes ea, quæ ſunt fidei, quæ continentur in ſymbolo figurato in gradibus ſcalæ viſæ ab Iſrael, in cujus ſummitate Deus innixus erat, Geneſ. 28.

Secundo addenda eſt congrua converſatio; quia his, *qui recto ſunt corde*. Rectum dicitur, cujus medium non diſcrepat ab extremis. Extrema noſtra ſunt principium & finis: *Ego ſum Alpha, & Omega, principium, & finis*, dicit Dominus Apocal. 1. ſcilicet omnis creaturæ. Quum igitur converſatio noſtra in operibus ſuis incipit a Deo per rectam intentionem, & terminatur in Deum per completam exſecutionem, & medium non diſcrepet, ſcilicet in proſecutione per alicujus debitæ circumſtantiæ omiſſionem; *recti* ſumus *corde*. Extrema noſtra ſunt nativitas & mors, in quibus pauperes & humiles invenimur ac dolentes. Si igitur medium, ideſt dum vivimus, non diſcrepat ab humilitate, & paupertate, & luctu, *recti* ſumus. Extrema amoris, qui eſt in corde noſtro, & ſine eo eſſe non poteſt, unde & igneum eſt: ſicut Deus qui eſt primum peramandum, ultimum eſt proximus dilectione amplexandus: medium nos ſumus. Si ergo non diſcordemus ab extremis, ideſt ut non amemus nos tantum, ſed Deum, & proximum nobiſcum; *recti* ſumus *corde*, 1. Corinth. 13. *Caritas.... non quærit, quæ ſua ſunt*, ſcilicet tantum, ſed quæ Dei, & proximi: Cant. 1. *Recti diligunt te*.

Tertio exſpectanda eſt dulcoroſa deguſtatio, ibi: *Quam bonus!* Invenitur bonus Dominus animæ quærenti eum. Invenitur autem, & deguſtatur Deus bonus in rerum creatione; unde Eccleſiaſtes 3. *Omnia fecit bona in tempore ſuo*. In rerum conſervatione, unde Jacobi 1. *Omne datum optimum*, quo ſcilicet ad naturalia, *& omne donum perfectum*, ſcilicet quoad gratuita, *deſurſum eſt*, ſcilicet a Deo cauſſante, & conſervante. Et de populo Dei conſervato per ſuam bonitatem dicitur Sap. 12. *O quam bonus, & ſuavis eſt ſpiritus*, qui ut tuus, Domine, *dulcedinem tuam in filios demonſtrabat*, &c. Loquitur de manna dato ad conſervationem vitæ illius populi. Invenitur per guſtum Deus *quam bonus*, ideſt valde bonus in rerum quietatione & nobilitatione: pſal. 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum*, ſcilicet *in bonis*, quæ reperiuntur in Deo; unde Auguſtinus: Omnia ſunt aſpera, & tu ſolus es requies, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Invenitur enim *quam bonus* eſſentialiter; & ſic *nemo bonus, niſi ſolus Deus*, ait Chriſtus Matthæi 19. Marc. 10. Lucæ 18. Invenitur *quam bonus* totaliter; unde in figuram dicere poteſt quælibet anima, quæ per peccatum Deum amiſit, illud Tobiæ 10. *Omnia ſimul in te uno habentes te non debuimus dimittere*. Invenitur *quam bonus* perfectionaliter, Matth. 5. *Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Invenitur *quam bonus* integraliter, 1. ad Tim. 6. *qui ſolus habet immortalitatem*, ideſt immutabilitatem, quod nulla creatura habet; & ideo non habet integrum bonum.

..... *ſtabiliſque manens dans cuncta moveri*,

&c. Boetius de conſolat. phil. lib. 3. Metro 9. & ſic veriſſime ait: *Ego ſum paſtor bonus*, Joann. 10. Qui paſcit oves ſuas, eos ſcilicet, *qui recti ſunt corde*, dando guſtum ſuæ bonitatis, & per lumen naturale & magis per lumen gratiæ additum, quod oſtendit nobis omnia bona in ſeipſo.

Vide declarationem horum in paragrapho præcedenti, ſcilicet quomodo Deus eſt bonus illis modis.

Ratio boni in tribus.

§. VII. *Bonus es tu*, ait Pſalmiſta ad Dominum, *& in bonitate tua doce me juſtificationes tuas*, pſalmus 118. Bonus eſt Dominus in ſe, & in bonitate ſua, quam communicat creaturis, docet nos, & juvat facere ea, quæ nos faciunt juſtos & bonos; quod lex naturalis oſtendit lumen a Deo impreſſum. Ubi ſciendum, quod ratio boni (ut bonum dicitur eſſe perfectum, cui nihil deeſt) conſiſtit in tribus, ſcilicet in modo, ſpecie, & ordine. Unde Auguſtinus in lib. de natura boni ſic ait: Omnia quanto magis moderata & ſpecioſa, & ordinata ſunt, ubi hæc tria ſunt, magna bona ſunt; ubi parva, parva bona ſunt; ubi nulla, nulla bona ſunt. Et iterum Auguſtinus exponens illud Sap. 11. *Omnia diſpoſuiſti in pondere, numero, & menſura*, dicit, quod idem eſt menſura, quod modus, idem eſt ſpecies,

quod numerus, idem ordo, quod pondus; & hæc conveniunt creatori, & creaturæ omni in eſſe naturali, & rationali in eſſe morali, ſeu opere virtuoſo, & in eſſe pœnitentiali, & in eſſe pœnali. Quantum ad primum Auguſtinus ad Oroſium: Numerus, menſura, & pondus, ipſe Deus, bonus eſſentialiter, bonus es tu. Ipſe enim ſecundum Auguſtinum eſt menſura ſine menſura, ac eſt omnis menſura. Eſt enim menſura ipſe Deus menſurans, ideſt menſuram cuilibet rei præfigens. Menſura autem menſurata eſt cuilibet rei quantitas, magna vel parva vel mediocris, quæ a Deo eſt. Eſt Deus numerus ſine numero, a quo eſt omnis numerus. Eſt enim numerus numerans omnes res. Numerus numeratus eſt uniuſcujuſque rei propria qualitas, qua una res diſtinguitur ab alia, quæ a Deo eſt. Eſt Deus pondus ſine pondere, a quo omne pondus. Eſt enim ipſe Deus ordo ordinans ſeu ponderans pondus, omnibus dans ordinem & pondus, ideſt propriam inclinationem ad locum vel ad finem ſuum. Appropriantur etiam hæc tria perſonis divinis ſic: Nam pondus ad potentiam operantis, numerus ad ſapientiam ordinantis, menſura ad clementiam conſervantis. Et ita pondus refertur ad Patrem, cui appropriatur potentia. Numerus ad Filium, cui attribuitur ſapientia. Menſura ad Spiritum ſanctum, cui appropriatur clementia, ita quod omnis creatura habet pondus a Patre creante, numerum a Filio ordinante, & habet menſuram a Spiritu ſancto conſervante.

§. VIII. Secundo hæc tria ſeu tres conditiones C inveniuntur in omni creatura. Unde Auguſtinus in 11. de civit. Dei ſic ait: A Deo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo, ſine quibus nihil inveniri poteſt, aut excogitari. Nam eſſe omnis rei creatæ non poteſt intelligi niſi ſub relatione ad primam cauſſam ſub ratione triplicis cauſſæ, ſcilicet efficientis, formalis, & finalis. Unde Auguſtinus in 5. de civit. Dei. Tria de omni re inquirimus, ſcilicet quis eam fecerit, quomodo facta eſt res, & propter quid facta eſt. Et ſic omnia fecit Deus *in pondere*, *numero*, & *menſura*; unde habet bonitatem. Ratio autem quare bonum in his tribus conſiſtit, eſt iſta. Quia unumquodque in tantum eſt bonum, & per conſequens appetibile, in quantum eſt perfectum. Eſt autem D bonum perfectum, cui nihil deeſt eorum, quæ requiruntur ſecundum modum ſuæ perfectionis. Perfectio autem boni ſeu ratio boni ut perfecti, integratur ex parte cauſſæ efficientis, ex parte cauſſæ diſtinguentis, & ex parte naturæ inclinantis.

Primo ratio boni ut perfecti integratur ex parte cauſſæ efficientis, quæ quidem conſtituendo bonum in eſſe dat ſibi certum modum eſſendi, ſcilicet eſſe commenſuratum, & proportionatum. Et talia ſunt modus vel menſura: nam cauſſa efficiens dat modum vel menſuram bono, ex qua efficitur proportionatum vel conveniens appetitui, & ſic efficitur appetibile. Unde Auguſtinus dicit, quod menſura modum præfixit.

Secundo ratio boni ut perfecti integratur ex E parte formæ ſpecificantis & diſtinguentis. Nam præter cauſſam efficientem ad perfectionem boni requiritur cauſſa formalis, quæ bonum ſpecificet & diſtinguat, & propter hoc ponitur ab Auguſtino forma vel numerus. Ratio, quare ponitur forma, eſt, quod unumquodque a forma ſua ſpeciem habet. Ratio autem, quare Auguſtinus dicit, quod numerus ſpeciem præbet, eſt, quia ſi ſicut in monetis unitas addita vel ſubtracta variat ſpeciem numeri; ita in diffinitionibus quælibet differentia addita vel ſubtracta variat ſpeciem boni cujuſlibet rei creatæ, ut dicit Ariſtoteles in ſua Metaphyſica.

Tertio perfectio boni integratur ex parte naturæ inclinantis: ſicut enim a forma cauſſatur ſpecificatio; ita etiam ex forma ſequitur inclinatio ad convenientem actionem vel finem. Nam unumquodque per formam ſuam agit & tendit in illud, quod ſibi convenit ſecundum ſuam formam; & quantum ad hoc ponitur ab Auguſtino pondus vel ordo: ſicut enim corpus pondere fertur ad locum ſuum ſurſum vel deorſum; ita quælibet res ſua forma inclinatur & ordinatur ad finem ſuum. Hæc Thomas in 1. quæſt. 5. art. 5. unde Auguſtinus ſuper Gen. ait, quod menſura modum præfigit, numerus communi rei ſpeciem præbet, pondus vero in loco ſuo ordinat, & quieſcere facit. Et ſic *omnia feciſti in pondere*, *numero*, & *menſura*. Et in iſta bonitate communicata creaturis ß ſibi petit doceri *juſtificationes*, ut ſcilicet faciat *omnia in pondere*, *numero*, & *menſura*, & inde juſtificetur ut bonus.

Tertio hæ tres conditiones reperiuntur præcipue in humana converſatione, quum eſt juſta & bona. Et primo quoad naturam in communi, ut menſura ſit in aliquid agendo mente, ne ſit irrevocabilis & immoderata progreſſio. Et hoc pertinet ad intellectum; ne ſcilicet plus vel minus ſapiat, quam oportet. Numerus, ut in mente ſeu memoria habeat anima recolendo ſingula beneficia Dei, & peccata ſua, prima ad recompenſandum: Secunda, ſcilicet peccata, ad dollendum. Pondus eſt voluntatis & amoris, ubi appetitur, & fertur in illud, quod debet, & reſpicit, quid ei præponatur. Hæc autem docentur a Deo, ut juſtificationes exerceat, & bona fiat. Secundo poſſunt hæ tres conditiones referri ad voluntatem, in qua principaliter conſiſtit bonitas & malitia moralis. Modus enim & menſura voluntatis eſt, in quantum voluntas innititur ſummæ bonitati productivæ omnis boni. Species voluntatis, in quantum habet ſuam rectitudinem, & maxime ex transformitate ad rectitudinem divinæ voluntatis. Ordo voluntatis eſt, quum voluntas ſequitur divinam voluntatem, & ejus bonitatem diligit ſuper omnia. Malum autem voluntatis eſt privatio iſtorum trium; quod patet, quia quum creatura amatur, ut Deus vel plus quam Deus, eſt defectus modi vel menſuræ. Quum non amatur propter ſe, ſed propter ſui utilitatem, ut propter proſperitatem habendam, vel conſolationem, vel bonum conſequendum in alia vita quaſi aliud ab eo, eſt defectus ſpeciei. Quum non amatur ſuper omnia, eſt defectus ordinis. Tertio poſſunt hæ tres conditiones reperiri in omni humana actione bona. Et ideo Deus fecit omnia *in menſura* contra vitium ſuperfluitatis: *in pondere* contra vitium levitatis: *in numero* contra vitium ſingularitatis. Et hæc, quæ creaturis contuliſſe noſcuntur, a creaturis requirit. Habeas ergo pondus, ſerva numerum, menſuram tene; & ſic faciendo dividi non poteris ab auctore. Falſitas non habet menſuram, unde evolat & fertur in incertum. Pondus neſcit levitas, & non ſinit eſſe ſtabile, neque firmum. Numerum non ſervat ſingularitas, & eſt diviſio unionum. Ratio ergo ponderis reddit ſtabilem: ratio numeri reddit ſociabilem: ratio menſuræ reddit frugalem. Habe ergo pondus, ideſt ſtabilitatem in fide. Habe numerum, ſcilicet ſocialitatem in caritate. Habe menſuram, ideſt frugalitatem in converſatione.

Tria ſervanda homini ergæ Deum.

In pœnitentia etiam hæ tres conditiones debent eſſe, ut quis juſtificetur in bonitate ejus. Numerum debet attendere peccatorum, quoties peccaverit, quia qualibet vice commiſit unum peccatum, de quo debet dolere, & confiteri. Pſalm. 6. *Lavabo per ſingulas noctes*, ideſt peccata, *lectum meum*, ideſt conſcientiam in contritione & confeſſione, prout docet ratio naturalis. Pondus debet

bet attendi peccatorum, quia diversa est gravitas eorum. Aliter gravat veniale, aliter mortale. Et licet quodlibet mortale gravet usque ad profundum inferni; tamen unum est gravius altero. Apoc. 18. *Quantum se exaltavit, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Quanto gravius est peccatum, tanto magis ratio dictat dolendum. Mensurare debet pœnam debitam peccatis, ut quanto plus peccavit, plus satisfaciat. In veteri lege, Deut. 25. dictum est: *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Dicit tamen Hieronymus *De pœnit.* Dist. 1. *Mensuram: Mensuram temporis in agenda pœnitentia idcirco non satis aperte præfigunt canones pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant, qualiter unumquodque emendandum sit; sed magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt: quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris, nec abstinentia tantum ciborum, quam mortificatio vitiorum.*

Mensura divinæ justitiæ.

Quod si quis non egerit pœnitentiam, Deus in judicio omnia constituet *in pondere, numero, & mensura* puniendo. Infligit enim Deus in judicio pœnas peccatoribus *in numero*, ut multitudo pœnarum respondeat multitudini peccatorum. Apoc. 18. *Duplicate illi duplicia, secundum opera ejus.* Et Ecclesiastici 33. *Intuere in omnia opera Altissimi: duo contra duo, & unum contra unum.* Secundo disponet Deus pœnas *in mensura*, ut scilicet tanta sit quantitas pœnæ & acerbitas, quanta fuit gravitas culpæ. Matth. 7. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Hieronymus: *Dicimus Deum ut omnium rerum, ita & pœnarum quoque scire mensuram*, &c. 23. quæst. 5. *Quid ergo*, & *De pœn.* Dist. 3. *Quærat hic aliquis.* Tertio disponit pœnas *in pondere*, ut scilicet pœna damnatorum respondeat caussæ vel rationi moventi ad peccatum. Plus enim ponderat culpa ejusdem generis in uno, quam in alio, secundum quod magis vel minus impellens habuit. Unde plus punivit Angelum, qui nullo suadente peccavit, quam hominem, qui Angelo tentante offendit. Sapient. 6. *Exiguo conceditur misericordia*, idest peccanti per infirmitatem vel ignorantiam, & se humilianti in pœnitentia: *Potentes autem potenter tormenta sustinebunt*, ideest ex malitia vel indurati in peccatis. Hieronymus: *Si duri corde sumus, si usque in finem in peccatis perseveramus, assidue peccantium non miseretur, Deus* Dist. 93. *Diaconi sunt* cir. fin. Hæc tenet Alexander in 4. parte summæ, partim Hugo in postillis, partim Robertus Holcot in libro Sapientiæ.

Deus plus punivit Angelum, quam hominem.

℣. VIII. *Dixi Domino: Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non indiges*, psal. 15. Omnis creatura indiget bonis alicujus, saltem Dei; sed Deus nullius bono eget. Et ex hoc ostenditur infinita sua bonitas, quia quum in se habeat omne bonum, non indiget nec nostri, nec aliorum. Sed nos indigemus bonis ejus, immo nec aliquid boni habere possumus, nisi ab eo. Et ratio naturalis appetit bonum, sed diversa & multiplex distinctio datur de bono.

De multiplici distinctione boni.

Una est Augustini de lib. arb. quam etiam ponit Magister in 2. sent. scilicet quod bonorum quædam sunt minima, quædam media, quædam maxima. Minima bona sunt bona temporalia, ut divitiæ, honor, fama, potestas, & hujusmodi, & his contingit bene & male uti. Bona utique sunt in sua natura. Unde Isai. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis*, ait Dominus. Bona etiam sunt bene utenti, quia (ut ait philosophus) organice, idest instrumentaliter deserviunt felicitati, sed communiter, ut in pluribus homines male eis utuntur, quum copiam habent. Unde dixit dives ille, de quo habetur Lucæ 12. *Anima mea, habes bona plurima reposita in annos plurimos: comede, quiesce, bibe, epulare.* Et ideo misericordia magna utitur Deus cum hominibus, quum non dat abundantiam horum eis.

Bona media sunt potentiæ animæ, & alia naturalia, quibus possumus uti bene & male, ut intellectus, voluntas, sensus corporis, & hujusmodi: Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Neque enim meliora in suo esse naturali & specifico esse potuerunt. Poterat quidem equo dare meliorem naturam Deus, puta naturam hominis; sed non remaneret equus, sed esset alterius naturæ, scilicet humanæ: sic homini, ut haberet naturam Angeli; sed non esset homo. Ista autem bona naturalia dat Deus uni meliora quam alteri, non quidem quantum ad naturam; sed quantum ad usum. Nam ita habet intellectum naturalem, & memoriam, & phantasiam unus fatuus, sicut sapientissimus. Sed propter indispositionem organi corporalis, cui est affixa potentia phantastica vel memoria, fatuus deficit in usu rationis, quam alius acutissimam habet. Quod autem dicitur in parabola Matthæi 25. quod Dominus *tradidit bona sua* servis *unicuique secundum suam virtutem*; hoc sic est intelligendum, quasi habenti meliora naturalia det Deus majorem gratiam bonorum spiritualium; ut virtutum, quum manifeste videamus habentes magnam memoriam, & acutum intellectum esse perversos, & alios rudes & hebetes esse devotos & sanctos. Sed principaliter ex liberalitate Dei hoc fit, secundum illud Apostoli ad Eph. 4. *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Secundario dantur bona spiritualia *secundum propriam virtutem*, idest conatum ad recipiendum & ad exercendum ea, ut ei, qui magis se præparet, & quia ceteris paribus habens meliora naturalia, magis se præparat, sic potest majorem gratiam recipere.

Bona maxima sunt gratia & virtutes necessaria ad salutem, & his bonis nemo male utitur. Unde Augustinus dicit, quod virtus est bona qualitas mentis, qua nemo male utitur. Sed ut dicit Alexander in 1. parte summæ, hoc intelligendum est de virtutibus consideratis formaliter, non materialiter: nam de ipsis virtutibus consideratis materialiter, ut de abstinentiis, actibus justitiæ, & fortitudinis, & hujusmodi, contingit hominem male uti, in quantum homo de ipsis superbit. Augustinus dicit de civ. Dei, quod virtutes quum referuntur ad seipsas, & non propter aliud repetuntur, inflatæ & superbæ sunt, idest materia superbiæ & elationis. Sed formaliter consideratis, sic eis nemo male utitur, quia actus, qui procedit ab habitu virtutis, non potest esse malus, sicut nec ipsa virtus potest esse mala. Ex quo igitur temporalia sunt minima bona, & virtualia maxima, & ratio naturalis dictat majora bona præponere minoribus; ideo debet quilibet temporalia contemnere, ut consequatur spiritualia, & media bene regulare, & ordinare; unde Hieronymus dicit: *Non modicum errat, qui minus bonum majori præponit, De consec.* Dist. 5. *Non mediocriter.* Lex autem naturalis docet vitare errorem, & Apostolus ad Galatas 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.*

Operationes autem sunt potentiarum animæ. Ponitur alia distinctio seu differentia bonorum secundum Alexandrum in 1. parte quæst. 8. Dicit enim, quod est quadruplex bonum, scilicet bonum naturæ, bonum virtutis politicæ, bonum gratiæ, & bonum gloriæ. Bonum naturæ convenit generaliter omni enti. Et tali bonum est perfectio debita, & conveniens naturæ. Unde Ecclesiastes 3:

De quadruplici differentia bonorum.

Omnia

Omnia fecit bona in tempore ſuo, ſcilicet Deus: hujus privatio vel carentia eſt malum naturæ.

Secundum bonum eſt bonum virtutis politicæ, quod bonum habet principium intra nos, eo quod virtus politica eſt virtus, quæ acquiritur voluntaria conſuetudine. Ex actibus enim generantur habitus, ſicut patet de caſtitate, abſtinentia, juſtitia, & hujuſmodi. Unde Dominus per Hierem. cap. 7. ait: *Bonas facite vias veſtras*, ideſt opera veſtra, *& habitabo vobiſcum*, quia talia diſponunt ad gratiam. Sed iſtud bonum non ſufficit ducere ad ſalutem. Unde Auguſtinus dicit: 1 *Nullum bonum*, ſcilicet ducens ad ſalutem, *ſine ſummo bono*, ideſt Deo per gratiam inhabitante. *Ubi deeſt agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falſa eſt virtus etiam in optimis moribus*, 28. quæſt. 1. *Omnes deinceps*, §. *Ex his itaque*. Et quia actus virtutum acquiſitarum ſunt ſimiles actibus virtutum infuſarum; ideo quantumcumque opera virtuoſa operetur quis, ſcire non poteſt certitudinaliter ſe eſſe in ſtatu gratiæ, quia ſcire non valet, ſi opera ejus bona procedunt a virtute infuſa vel acquiſita, vel naturali inclinatione.

Tertium eſt bonum gratiæ, quod convenit creaturæ rationali bene diſpoſitæ. Et iſtud bonum habet principium, partim intra nos, & partim extra nos. Dicit enim Auguſtinus: Qui fecit te ſine te, non juſtificabit te ſine te, ſcilicet cooperante, & per liberum arbitrium conſentiente. Juſtificat autem & per infuſionem gratiæ, & conſenſum liberi arbitrii, adultos & parvulos per uſum ſacramenti. Et iſtud eſt ſufficiens ad ſalutem conſequendam, 2. ad Corinthios 12. *Sufficit tibi gratia mea*, dictum fuit Paullo. Ipſam autem propriam gratiam nemo meretur, ſed ex divina liberalitate homini largitur; ideo dicitur gratia quaſi gratis, ideſt ſine meritis data. Ab hac autem gratia procedunt omnia bona virtutum infuſarum in diverſas potentias animæ ad eas faciendum expeditas in operibus bonis; ſicut a ſole procedunt plures radii ad illuminandum omnes partes orbis: & quodlibet opus bonum procedens a virtutibus infuſis, per gratiam eſt meritorium vitæ æternæ. Ad quod hortatur Apoſtolus ad Gal. 6. dicens: *Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim ſuo metemus*, ſcilicet mercedem eorum.

Quartum eſt bonum gloriæ, & tale eſt bonum perfectum, quod convenit animæ informatæ per gratiam. Sicut enim in materia eſt neceſſaria prima diſpoſitio ad formæ ſuſceptionem; ita neceſſaria eſt diſpoſitio, quæ eſt per gratiam ad adeptionem gloriæ: pſal. 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum*, ſcilicet Deus: neque enim repletur deſiderium animæ niſi bonis gloriæ. *Confitere* ergo *Deo in bonis, & benedic Deum ſæculorum*, ait Tob. 13. lauda & regratiare eum pro bonis collatis tibi. Bona naturæ virtutis politicæ gratiæ & gloriæ. Et bonum quidem naturæ poteſt diſtingui in duo, ſcilicet in naturalia tibi conceſſa, quibus conſiſtis, & temporalia tibi largita ad uſum, quæ bona etiam in ſe habent naturam ſuam bonam, ut divitias, cibum, potum, veſtitum, & alia hujuſmodi. Et iſta figurantur per illa *bona ſua*, quæ *tradidit Dominus ſervis ſuis*, ut negotiarentur in eis, ſcilicet *quinque talenta*.

Bonũ triplex, utile, delectabile, & honeſtum.

§. IX. Tertia diſtinctio boni eſt ſecundum Tullium & Ambroſium & Thomam ſcilicet quod bonorum aliud utile, aliud delectabile, aliud honeſtum. Hæc diviſio boni non eſt ſicut diviſio univoci, quod æqualiter prædicatur de ſuis partibus; ſed ſicut diviſio analogi in ſua analogata, quod per prius & principalius prædicatur de uno, quam de aliis partibus ſuis. Nam bonum per prius & principalius dicitur de honeſto, ſecundario de delectabili, tertio de utili. Ratio diviſionis boni in hæc tria eſt iſta, quia bonum eſt aliquid in quantum appetibile. Appetitur autem aliquid bonum tribus modis.

Primo enim appetitur aliquid non propter ſe, ſed propter aliud, ſcilicet ut quoddam medium, per quod in aliud bonum tenditur; & tale vocatur bonum utile. Sic etiam iſto modo appetuntur divitiæ, ut ſcilicet medium, per quod quis poſſit habere victum, veſtitum, honorem, & gloriam, & delectationes; propter quod dicit Salomon Eccleſiaſtes cap. 10. *Pecuniæ obediunt omnia*.

Secundo appetitur bonum, ut quædam res terminans appetitum per ſe totaliter; & tale vocatur bonum honeſtum. Dicitur autem bonum honeſtum, quod propter ſe deſideratur: & hoc eſt bonum virtutis, ad quod hortatur Apoſtolus dicens 1. ad Corinthios 14. *Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant in vobis*. Et bonum honeſtum permaxime reperitur & perfecte in virtutibus infuſis. Unde Sapient. 7. dicitur de vera ſapientia, ſcilicet infuſa, quæ ſine gratia eſſe non poteſt: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius*.

Tertio appetitur bonum, ut quies in re deſiderata & concupita; & tale eſt bonum delectabile, prout appetuntur delectationes ciborum, venereorum, & ludorum, & hujuſmodi. Sed ſi delectationes ſint vitioſæ, ut quia contra ordinem rationis, ſecundum illud Proverb. *Lætantur, quum malefecerint, & exſultant in rebus peſſimis*. Lætari eſt delectari. Dicit Gregorius in Moralibus, quod momentaneum eſt, quod delectat, æternum, quod cruciat, ſcilicet animam propter delectationes pravas. Sed ſi delectationes ſint bonæ, ut in actibus bonis; majores & perfectiores ſunt delectationibus quibuſcumque mundanis, ducentes ad delectationes æternas, ſecundum illud pſal. 15. *Delectationes in dextera tua*, ideſt in bonis ſpiritualibus, o Deus, *uſque in finem*, ideſt conducunt homines ad finem ultimum.

Bona igitur utilia non habent in ſe, unde deſiderentur, ſed deſiderantur ſolum, ut ducentia in bonum alterum; ſicut ſumtio medicinæ amaræ deſideratur, non propter ſe, ſed propter ſanitatem. Bona vero delectabilia nullam aliam rationem habent appetibilitatis, niſi delectationem, quum & aliquando ſint noxia & inhoneſta; ſed honeſta in ſe habent unde deſiderentur. Hæc Thomas in 1. parte quæſt. 5. Opponitur autem bono honeſto malum culpæ, & bono delectabili malum pœnæ: bono autem utili non opponitur aliquid ſpeciale malum, eo quod bonum utile ordinatur in bonum honeſtum vel delectabile, ſicut in finem. Thomas in quæſtionibus de malo. Quum igitur ratio naturalis oſtendat nobis iſta varia bona, & lex naturalis dictet meliora inter bona appetenda & proſequenda; ideo quum bonum honeſtum ſit præcipuum, in quo invenitur utilitas maxima, quia conſecutio ſalutis, pax mentis, & ædificatio & dilectio proximi, ac etiam delectatio præcipua; ergo *declina a malo*, ubi eſt annexum bonum delectabile, vel utile temporaliter, *& fac bonum* honeſtum & virtuoſum, *& inquire pacem*

1 Nunc ex Auguſtino legitur in textu Gratiani ſubjecto can. *Omnes deinceps* ſic. *Nec valet eſſe bonum, quod fit abſque Deo*. Verum Auctoris lectio extat in libro Sententiarum ex Auguſtino excerptarum cap. 106. qui Proſperi nomine inſcriptus, Appendici tom. 10. Auguſtini inſertus eſt; & in gloſſa etiam ordinaria totidem verbis deſcribitur.

cem æternam, omnia bona faciendo propter pacem superuam.

§. X. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, ideſt lex naturalis, quæ *oſtendit nobis bona*, quæ appetuntur. Et ſicut bonum naturaliter appetitur; ita & quum majus bonum eſſe aliquid cognoſcitur, magis appetitur. Propterea enim plus amatur & quæritur unum aureum, quam argenteum nummiſma, quia majus bonum utilitatis eſt in eo. Pluribus autem rationibus oſtenditur unum bonum eſſe majus ſeu melius altero, unde & magis appetendum.

Quia diuturnius.
Quia impermiſtius.
Quia communius.
Quia ſufficientius.
Quia honorabilius.

Unum bonum poteſt eſſe majus alio, de bonorum præelectione.

Primo unum bonum eſt majus altero, quia diuturnius. Ubi ſciendum, quod ſicut in malis, quanto diuturnius eſt malum, tanto pejus; ita e contra in bonis, quanto diuturnius bonum, tanto melius. Patet per exemplum. Ægrotari per annum, quod pertinet ad malum pœnæ ſeu naturæ, eſt pejus, quam per menſem vel hebdomadam. Unde & naturaliter magis horretur, & ſi poteſt, vitiatur. Sic infirmitas animæ, quæ eſt peccatum, quanto magis durat, tanto pejus. Pejus enim eſt permanere in peccato per menſem, quam per hebdomadam. Unde extra *De conſuet.* cap. ult. dicitur: *Tanto ſunt graviora peccata, quanto diuturnius animam infelicem detinent alligatam*. Conſuetudo enim peccandi, & habituatio ejus aggravat peccatum. Item quia plus habet de ratione mali malum culpæ quam pœnæ; ideo ſemper præeligendum eſt malum pœnæ quodcumque, quam minimum malum culpæ. Unde Auguſtinus, 32. quæſt. 5. *Ita ne*, ait: Potius debet quis *omnia mala ſuſtinere, quam peccato conſentire*; ſic dixit & fecit Suſanna. *Melius eſt mihi abſque opere*, ſcilicet malo, *incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei*, Dan. 13. Sed in bonis quanto diuturnius, tanto melius; & ideo magis eligendum. Et ratio, quia quanto bonum eſt diuturnius, tanto ſecurius poſſidetur. Et quanto quis cum voluntate magis habituata & fixa in bono operatur, tanto opus eſt perfectius. Et ideo dicitur Thren. 3. *Bonum eſt viro, ſi portaverit jugum* obedientiæ *ab adoleſcentia ſua*. Quum igitur bona ſpiritualia virtutum permaneant, nec auferri vel amitti poſſint contra voluntatem habentis, ut dicit Ambroſius *De pœnit.* Diſt. 2. *Sapiens*: bona autem temporalia auferri poſſint invitis, vel amitti ſaltem in morte, unde Ambroſius ſuper Luc. Non ſunt hominis bona, quæ ſecum ferre non poteſt; ergo magis eligenda ſpiritualia, quam temporalia.

Minimum malum culpæ prævalet omni malo pœnæ.

Secundo unum bonum eſt majus altero, quia impermiſtius ſeu purius. Bonum enim, quod eſt ſine malo, eſt majus, & magis eligendum, quam quod habet admiſtionem mali, & gaudium ſine triſtitia eſt majus gaudio, quod habet annexam triſtitiam. Cujus ratio eſt, quia bonum quanto delectabilius, tanto melius & magis eligendum. Sed bonum, quod eſt malo purius & impermiſtius, eſt delectabilius. Quum ergo bona ſpiritualia non habeant admiſtionem mali aut triſtitiæ, unde dicitur de ſapientia vera: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, ait Sapient. 7. & 8. *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tedium convictus ejus, ſed gaudium & lætitiam*, bona autem terrena, ſive divitiæ, ſive voluptates, habeant multam triſtitiam & anxietatem admiſtam; unde Salvator eas ſpinis comparat, Luc. 8. quia pungunt & mentem lacerant diverſis afflictionibus; ideo ſpiritualia bona ſunt præeligenda. Reſpectu tamen ſui in caſu, ſcilicet præſuppoſita culpa commiſſa, melius eſt bonum malo admiſtum, ſcilicet bonum pœnitentiæ admiſtum dolori & triſtitiæ contritionis, quam gaudere, & magis eligendum. Melius eſt enim pœnitere, quam gaudere, pſal. 118. *Bonum mihi, Domine, quod humiliaſti me*, ſcilicet per compunctionem. Reſpectu etiam amici, quum triſtatur; melius eſt enim contriſtari, quam gaudere; quod pertinet ad conſervationem amicitiæ. *Flere cum flentibus*, ait Apoſtolus Rom. 12.

Tertio unum bonum eſt majus altero, quia communius bonum. Bonum etiam quanto communius, tanto divinius, ſecundum philoſophum, ideſt perfectius; quod intelligitur de illo bono communi, quod ſecundum ſe totum & in eodem tempore poteſt a multis participari, ſicut aſpectus ludi in theatro, & doctrina in populo propinata. Hujus ratio eſt, quia bonum ſimpliciter eſt majus, & magis eligendum, quam bonum alicui. Sed bonum ſimpliciter, ideſt ex ſe & ex ſua natura, eſt bonum commune. Bonum autem particulare vel proprium eſt bonum alicui iſti vel illi: Apoſtolus ad Galat. cap. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*. Et 7. quæſt. 1. *Scias*, dicitur, quod utilitas communis, utilitati unius præponenda eſt. Et caritas non propria communibus, ſed communia propriis anteponit, inquit Auguſtinus in regula. Illud autem bonum commune, quod non poteſt ſimul ſecundum ſe totum a pluribus participari in eodem tempore, ſicut unum equum vel unam veſtem; aut etſi in eodem tempore, non tamen ſecundum ſe totum, ſed ſecundum partem poteſt participari, ſicut pecus; ſic bonum proprium eſt majus & magis eligendum quam commune. Et ratio eſt, quia illud bonum, quod habetur in omni tempore, eſt majus bonum, quam illud, quod habetur aliquo tempore, & quod habetur ſecundum ſe totum, quam ſecundum partem, talia ſunt temporalia; ſed ſpiritualia, ut Deus & virtutes ſecundum ſe totas poſſunt haberi in omni tempore, Deo operante &c.

Quarto unum bonum eſt majus altero, quia ſufficientius. Nam illud bonum, quo habito nullo indigemus, eſt majus eo, quo habito adhuc aliis indigemus: v. g. juſtitia eſt majus bonum, quam fortitudo. Hujus ratio eſt, quia habita fortitudine adhuc juſtitia indigemus, ſcilicet ad recte convivendum. Sed habita juſtitia, non indigemus fortitudine. Nam ſi omnes homines eſſent fortes, adhuc indigerent juſtitia, quæ reddit unicuique quod ſuum eſt. Sed ſi omnes homines eſſent juſti, ad nihil eſſet utilis fortitudo; quod intelligendum eſt de fortitudine ſecundum actum. Nam quum fortitudinis actus ſit repellere nociva & adverſa ſuſtinere, quum talia non ſemper occurrant, non ſemper eſt neceſſaria fortitudo ſecundum actum; ſed bene indigemus fortitudine ſecundum habitum. Eſt ergo unum bonum ſufficientius altero, vel quia per ſe ſufficiens ſine alio, aliud non ſufficiens ſine alio, ut eſt inductum exemplum de fortitudine & juſtitia: vel quia tale bonum eſt finis, quod poteſt eſſe ſine his, quæ ſunt ad finem; ſed non e converſo. Nam habitis, quæ ſunt ad finem, non habetur finis. Sed habito fine, non indigemus his, quæ ſunt ad finem. Exemplum de medicina & ſanitate, & de divitiis & beatitudine. Vel quia tale bonum eſt principium omnium, quod poteſt eſſe ſine bono, quod non eſt principium omnium. Ex his ſequitur, Deum, & gloriam ejus, & gratiam, & virtutes aliis bonis mundi eſſe majora, & ideo magis eligenda. Sed ſufficientiſſimum bonum eſt Deus, quia nullo indiget, pſal. 15. *Bonorum meorum non indiges, Domine*. Gratia Dei ſufficit ad ſalutem, non autem alia bona, 2. Cor. 12.

12. *Sufficit tibi gratia mea*. Et cap. 9. *Omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum.*

Quinto aliquod bonum est majus altero, quia eligibilius. Et ex parte eligibilis rei est aliquod bonum magis eligibile, vel ratione majoris desiderii; quanto enim aliquod bonum magis communiter desideratur, tanto est majus: vel ratione majoris pretii; quia quorum pretia sunt majora, illa meliora: pretium enim est quædam mensura rei appretiatæ: vel ratione majoris damni; nam illa sunt meliora, quorum damna seu amissiones eorum sunt majora, quia majori bono majus damnum opponitur. Et quia beatitudo est bonum, quod omnes maxime desiderant secundum Augustinum de civ. Dei, & quia *non est digna ponderatio animæ continentis*, idest æquale pretium ad bona temporalia, & idem de aliis virtutibus, & maximum damnum acquiritur ex istis bonis mundanis male usis, quia privatio beatitudinis veræ secundum illud Jobi 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*; ideo eligenda & magis amanda sunt bona æterna & spiritualia aliis. Hæc Aristotel. Rhetoricorum lib. 1. cap. 15. Raynerius.

Jus naturale quid sit.

§. XI. Diffiniens Isidorus in 5. Etymolog. jus naturale sic ait: *Jus naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, non aliqua constitutione habetur: ut viri & feminæ conjunctio, liberorum successio, & puerorum educatio, communis omnium possessio, & omnium una libertas, acquisitio eorum, quæ cælo, terra, marique capiuntur. Item depositæ rei, vel commendatæ pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. Nam hoc, aut si quid simile est, numquam injustum, sed naturale, æquumque habetur*, in Decret. Dist. 1. *Jus naturale*. Dicit ibi glossa, quod jus naturale seu natura dicitur multis modis. Quandoque enim dicitur natura vis insita rebus ex similibus similia procreans. Secundo dicitur natura quidam stimulus, seu instinctus naturæ ex sensualitate proveniens ad appetendum, procreandum & hujusmodi. Tertio modo dicitur natura instinctus naturæ ex ratione proveniens, quia etiam dicitur naturalis æquitas. Hic autem in isto capitulo supponit pro instinctu rationis; & sic competunt omnia exempla hujus capituli, & finis etiam, quum dicitur *eo, quod* ipsum jus *ubique inter homines instinctu naturæ*, idest inspiratione Dei. Archidiaconus post Lau. Deus enim dicitur natura naturans, omnia alia natura naturata. Ponit autem

Octo effectus juris naturalis.

Isidorus octo effectus juris naturalis: *Conjunctio maris & feminæ*. Nota secundum Alexandrum, quod hoc *conjunctio* potest dupliciter considerari: uno modo, in quantum est signum significans, videlicet conjunctionem Christi & Ecclesiæ & animæ ad Deum; & sic non est de jure naturali, sed divino. Deus enim instituit sacramenta Ecclesiæ, inter quæ est matrimonium. Alio modo in quantum est quædam res ipsa, scilicet commistio; & sic est de jure naturali. Sed si jus naturale dicatur instinctus sensualis, & sic ipsa conjunctio simpliciter & absolute est de jure naturali. Sed si dicatur instinctus rationis, sicque conjunctio maris & feminæ, non quæcumque, sed maritalis cum debitis circumstantiis est de jure naturali.

Successio liberorum, alias *susceptio*, & melius; glossa: Non intellige de successione, quæ fit per hæreditatem, quum illa non sit naturalis; sed de successione, quæ fit per carnis propaginem. Vel etiam potest intelligi de illa, per quam liberi succedunt jure naturali parentibus, ut ff. *Unde liberti*, l. 1. & l. *Scripto*.

Puerorum educatio, glossa: Parentes enim debent thesaurizare filiis, non filii parentibus secundum Apostolum, 16. quæst. 1. *Prædicator*. Similiter filius patrem egentem cogitur alere, 22. quæst. 4. can. *Inter*. Tenetur autem pater filios educare, non solum quoad corpus, sed etiam & multo magis quoad animam per doctrinam & correctionem ad bonos mores habendos de jure naturali; & sic intelligitur illud Apostoli 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit*, idest fidelitatem naturalem, quia contra jus naturale facit.

Quæ filiorū educatio.

Communis omnium possessio. Archidiaconus post Lau. 1. Res possessæ, alias quum possessio sit nomen juris, communiter possideri non potest, nec aliquid a pluribus insolidum, nec naturaliter nec civiliter; quod dic, ut notatur extra *De probat.* cap. *Licet*.

Et nota secundum Alexandrum, quod lex naturalis circa communionem & proprietatem dictat aliquid tripliciter. Dictat enim aliquid, quia debitum, aliquid quia bonum, aliquid quia æquum. Quia debitum dictat, quia in casu necessitatis sunt omnia communia: in statu enim isto omnia sunt communicanda. Et hoc modo in præcepto est communicatio. Et hoc est dictamen respectu rerum ad sustentationem personarum. Et inde sumitur illud Matth. cap. 7. *Omnia, quæ vultis, ut faciant vobis homines*, &c. Respectu vero personarum quantum ad multiplicationem prolis, dictat, quod uxor sit propria & secundum omne tempus, juxta illud: *Quod tibi non vis fieri* &c.

Lex naturalis quid dictat de bonorū cōmunione.

Secundo modo lex naturalis aliquid dictat circa communionem & proprietatem, quia bonum. Et sic in statu naturæ institutæ dictabat omnia esse communia. In statu vero naturæ corruptæ dictat, quod bonum est aliqua esse propria; alioquin boni egerent; & ideo non staret societas humana, quia mali omnia raperent: & secundum diversum statum dictat, quod bonum sit, quod omnia sint communia, & quod aliqua sint propria.

Dictat tertio aliquid lex naturalis circa communionem & proprietatem, quia æquum. Et sic secundum dictamen æquitatis dictat quædam esse appropriabilia, &, si in nullius sint bonis, occupanti concedantur. Et in his sunt, *quæ cælo, terra, marique capiuntur*, ut captio avium & piscium.

Omnium libertas. Dicit Archidiaconus post Alexandrum, quod est loqui de natura seu jure naturali dupliciter, scilicet secundum statum ante peccatum, & post peccatum. Ante peccatum non fuit servitus, sicut dicit Augustinus. Lex ergo naturalis dictat communem libertatem omnium secundum statum naturæ institutæ. Sed secundum statum naturæ corruptæ dictat, quod est necessaria servitus & dominium ad coercendum malos secundum Augustinum de civit. Dei. Dictat enim ratio justum esse, ut rationabiliter viventes dominentur his, qui carnaliter vivunt.

Acquisitio eorum, quæ cælo, terra, marique capiuntur. Glossa: Hæc enim & alia, quæ in nullius bonis sunt, occupanti conceduntur, ut Instit. *De rer. divis.* §. *Feræ*. Archidiaconus dicit, quod quinque modis dicitur aliquid in nullius bonis esse. Natura, ut liber, homo, mare, & hujusmodi. Facto, ut quod pro derelicto habetur. Censura populi, ut res sacra, universitatis communia. Tempore, ut [2] thesaurus. Casu, ut quum jacet hæreditas. Quod ergo in nullius bonis est, scilicet in re vel in spe (quod dico propter hæreditatem jacentem, quæ in spe est in bonis alicujus) item quod in nullius bonis est, non censura, sed constitutione ho-

Aliquid dicitur esse in bonis nullius quinque modis.

2

2 Thesaurus est invenientis ex jure naturali, nisi aliter civiles leges disponant. Vide S. Thomam 2. 2. quæst. 66. art. 5. ad 2.

hominum, ut res ſacra; occupanti conceditur, ſi apta fuerit occupari, ſed non ut occupet; quod dico propter liberum hominem.

Depoſitæ rei vel commodatæ pecuniæ reſtitutio. Gloſſa: Fallit hoc in caſu, qui habetur 22. quæſt. 2. *Ne quis*. Et eſt, quum furioſus in furia repetit gladium ſuum depoſitum; tunc enim non debet reddi. Fallit in alio caſu, ſcilicet [3] quum deponens rem & dominus rei ſimul petant rem; potius enim debet reſtitui domino, quum ſcitur, ff. *Depoſiti*, l. *Bona*.

Violentiæ per vim repulſio; quod tamen intelligitur cum moderamine inculpatæ tutelæ, & non animo vindicandi, ſed ſe defendendi hoc faciat & incontinenti; & tunc non incurritur nec peccatum nec excommunicatio, quoad percutientem clericum, nec irregularitas etiam, ſi ſequatur mutilatio, vel homicidium, niſi dediſſet operam rei illicitæ, ut furando, vel fornicando; propter quod invaſus, ut ſe defendat, mutilat, vel etiam ſi aliter poterat evadere caſum, quamvis daret operam rei licitæ. De hoc tamen 23. quæſt 1. in ſum. & in 3. part. tit. 13. de clericis.

Vide Prælect. VI. in part. 2. §. 1.

TITULUS DECIMUS QUARTUS

DE LEGE MOSAYCA.

CAPUT I.

De lege divina veteris & novi teſtamenti in communi, & ejus excellentia reſpectu aliarum.

POſt legem æternam & naturalem agendum eſt de lege divina, de qua ait propheta pſal. 18. *Lex Domini immaculata convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis. Lex Domini* dicitur, quam Dominus tradidit, ſcilicet evangelica, quam ipſe Dominus incarnatus inſtituit, & Moſayca, quam Dominus tradidit populo Iſrael per Moyſen, ut patet Exodi 20. Quamvis enim lex naturalis ſit una; tamen divina eſt duplex. Et ratio hujus eſt, quia lex naturalis dirigit hominem ſecundum quædam præcepta communia, in quibus conveniunt tam perfecti, quam imperfecti; & ideo eſt una omnium: ſed lex divina dirigit hominem in quibuſdam particularibus præceptis, ad quæ non ſimiliter ſe habent perfecti & imperfecti; & ideo duplex ponitur, ſcilicet veteris & novi teſtamenti, quæ differunt non in ſpecie, ſed ſicut perfectum & imperfectum, ſicut puer & virilis ætatis. Unde Apoſtolus ad Gal. 3. & 4. comparat ſtatum veteris legis puero exiſtenti ſub pedagogo, & legem novam ſtatui viri, ſcilicet perfecti. Attenditur autem iſta perfectio & imperfectio quantum ad tria. Primo ex parte finis ultimi, quia lex vetus ordinabat ad bonum ſenſibile & terrenum homines. Lex nova ordinat ad bonum intelligibile & cæleſte. Unde Chriſtus in principio ſuæ prædicationis ſtatim invitavit ad regnum cæleſte, dicens Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquat regnum cælorum*. Secundo ex parte officii, quia lex vetus cohibebat manum; nova autem animum: quamvis enim in veteri lege prohiberetur malus affectus, ut patet in nono & decimo præcepto; non tamen puniebatur per legem talis tranſgreſſio. Tertio ex parte motivi, quia lex vetus inducebat ad obſervantiam metu pœnarum, quas taxaverat: lex autem nova hoc facit amore, qui infunditur in cordibus fidelium per gratiam Chriſti. Hæc Thom. 1. 2. quæſt. 91. art. 5. Ad hoc etiam facit, quod dicit Gratianus in Decret. 23. quæſt. 4. *Hæc autem, §. Ex his omnibus*. Dicit enim: *In lege veteris teſtamenti corporalis pœna ſtatuta eſt: in lege vero Evangelii omni peccanti per pœnitentiam venia promittitur. Unde illa a terrore incœpit, dicens:* Ego ſum Dominus Deus zelotes, viſitans peccata patrum in filios uſque in tertiam, & quartam generationem. Exodi 20. *Hæc vero a lenitate manſuetudinis & miſericordiæ, ita inquiens*: Beati pauperes ſpiritu, beati mites, &c. Matth. 5. *In illa dicebatur*: Qui fecerit hoc vel illud, morte moriatur: *in iſta dicitur*: Gaudeo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente..... *Et ut univerſaliter dicatur: In lege populus ille rudis ſervili pœnarum timore cogebatur, unde & legem in pedagogum accepit; in Evangelio autem populus gratiæ liber & adultus filiali amore, & hæreditatis certitudine, ad cultum divinæ ſervitutis invitatur*. Hæc ibi.

Differunt lex divina & naturalis.

Triplex perfectio novæ legis.

In prædicto autem verſu Pſalmiſtæ notantur quattuor rationes, quare fuit neceſſarium inſtitui legem divinam, ſeu notantur quattuor excellentiæ legis divinæ ad humanas ſecundum Thom. 1. 2. quæſt. 91. art. 4.

Lex divina quattuor rationibus eſt neceſſaria.

Eſt propter cohibitionem omnis criminis ibi: *Lex Domini immaculata*.

Eſt propter directionem mentis ibi: *Convertens animas*.

Eſt propter incertitudinem veritatis ibi: *Teſtimonium Domini fidele*.

Eſt propter conſecutionem fœlicitatis ibi: *ſapientiam præſtans parvulis*.

Prima igitur ratio, quare fuit neceſſarium dari legem divinam ultra naturalem & humanam, eſt propter cohibitionem & excluſionem omnis criminis. Ut enim dicit Auguſtinus de libero arbitrio, lex humana non poteſt omnia mala, quæ fiunt, prohibere vel punire; quia dum auferret mala omnia, ſequeretur, quod multa bona auferrentur, & impediretur utilitas boni communis, quod eſt neceſſarium ad conſervationem humanam. Unde Auguſtinus: Tolle meretrices de civitatibus, &

3 Hæc intelligenda de deponente rem alienam, in qua nullum jus utendi, cuſtodiendi, detinendi &c. habeat; tum enim potius domino, ſi ſciatur, quam deponenti reſtituenda eſt: ſecus vero eſſet, ſi deponens jus aliquod in illam haberet, quod jus ejus læderet, ſi quis rem ab eo acceptam, non ipſi, ſed domino redderet.

& implebis omnia libidinibus, quia accederent homines ad nuptas, virgines, vel alias corruptelas, unde ſcandala ſequerentur. Lex autem naturalis ut in pluribus obſcurata erat, & multa peccata ignorabantur eſſe mala. Et ideo ut nullum malum improhibitum & impunitum remaneat, fuit neceſſarium dari legem divinam, quæ nullum permittit peccatum. Et ideo dicit: *Lex Domini immaculata*, ideſt nullam permittens peccati turpitudinem.

Secunda ratio eſt propter directionem mentis. De his enim poteſt homo, legem ferre, de quibus 3 poteſt judicare. Judicium autem hominis non poteſt eſſe de interioribus animi motibus, vel voluntatibus, qui latent; ſed ſolum de exterioribus, qui apparent, ut dicit Urbanus Papa: *De manifeſtis loquimur: occultorum enim* (alias ſecretorum) *cognitor & judex eſt Deus* Diſt. 32. *Erubeſcant:* & lex dicit: *Cogitationis pœnam nemo patiatur, De pœn.* Diſt. 1. *cogitationis*. Et tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quod in utriſque actibus, ſcilicet interioribus & exterioribus homo ſit rectus. Lex autem humana non poteſt ſufficienter cohibere, & ordinare actus interiores mentis; & propter hoc neceſſarium fuit, quod ſuperveniret lex divina, quæ prohibet actus etiam interiores vitiorum, ut illud Exod. 20. *Non concupiſces rem proximi tui*. Et illud Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Et ideo dicit Pſalmiſta: *Convertens animas*, quia ſcilicet exteriores & interiores actus dirigit.

Duplex eſt perfectio virtutis.

Tertia ratio eſt propter certitudinem veritatis. Homo enim debet ſcire abſque omni dubitatione, quid debeat agere, & quid vitare. Sed per legem naturalem vel humanam non poteſt hoc ſcire; quod patet ex hoc, quia de rebus humanis, ideo diverſa judicia dantur propter incertitudinem humani judicii, & præcipue de rebus contingentibus & particularibus, ex quibus diverſæ leges & contrariæ feruntur. Ut ergo homo abſque dubitatione aliqua ſcire poſſet, quid ei agendum, quid ei vitandum, neceſſarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinam, de qua conſtat, quod errare non poteſt, & ideo ſubdit: *Teſtimonium Domini* fidele, ſcilicet propter certitudinem veritatis & rectitudinis. Lex dicitur *teſtimonium*, quia in ea Deus teſtatur, ideſt declarat quid debeat agere vel vitare, & quid inde exſpectare, pœnam ſcilicet vel præmium ſecundum obſervantiam vel tranſgreſſionem.

Quarta ratio eſt propter adeptionem felicitatis; per legem enim homo dirigit actus proprios ad ultimum finem. Si autem homo ordinaretur ad finem tantum naturalem, qui non excederet proportionem facultatis naturalis hominis, ſufficeret lex humana; ſed quia homo ordinatur ad finem ſupernaturalem, ideſt ad finem æternæ beatitudinis, qui excedit facultatem humanæ vitæ; & ideo fuit neceſſaria lex divina, per quam homo ordinaretur ad finem æternæ beatitudinis. Lex enim divina tradit ea, quæ ſunt credenda fide, & ſacramenta, quibus homo juſtificatur, & ad beatitudinem ſupernam tendit. Hæc autem non habentur lege naturali vel humana. Et ideo ſubdit: *Sapientiam præſtans parvulis*, ideſt humilibus. Sapientia eſt notitia divinorum, quæ perfecte habetur in ſuperna beatitudine, non in vita præſenti.

CAPUT II.

De conditionibus divinæ legis, quantum ad latorem & receptorem.

ET quia prior tempore eſt lex veteris teſtamenti, ideo prius de ea agatur, de qua loquens propheta ait pſal. 118. *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*, ut ait Hieronymus, lex ſpiritualis eſt, & ut intelligatur, revelatione opus eſt. Ejus autem eſt revelare ſeu interpretari permaxime, cujus eſt condere. Et quia Dominus Deus condidit ipſam legem, ad B ipſum oratione recurrendum eſt, ut nobis revelet, quid in ea intendat. Judæi, quia innituntur proprio ſenſui, intelligentes eam carnaliter & ſecundum ſuperficiem, remanent vacui in intellectu ejus; in multis vero delirantes in expoſitione ejus, etiam quoad moralia, ut patet Matth. 5. *Dictum eſt antiquis, non occides*, &c. Et in hujus figuram quum legem illam Moyſes populo exponeret, ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ad innuendum intellectum ejus ipſis velatum & abſconſum. Et ut dicit Hilarius: *Intelligentia dictorum ex cauſſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus*, extra *De verb. ſignific. Intelligentia*. Et Gregorius dicit, quia *non intentio verbis, ſed verba debent deſervire intentioni*, 22. quæſt. 5. *Humanæ*. Erat ergo prophetia, ut velamen obſcuritatis, quod C eſt in ſuperficie litteræ. Auferatur, quia *littera occidit*, ait Apoſtolus 2. Cor. 3. & tunc conſiderabit *mirabilia* de ipſa lege, quia *omnia in figuram contingebant illis*, 1. Cor. 10. Præcipue quoad cæremonialia ſignificabant myſteria Chriſti & Eccleſiæ, quæ *mirabilia* ſunt. Facta autem revelatione hujus legis per Spiritum ſanctum loquentem, per expoſitores ejus conſiderare debet *mirabilia* ejus quadrupliciter.

Deus revelat legis ſecreta.

Quoad latoris ſublimitatem.
Quoad receptoris proprietatem.
Quoad valoris quantitatem.
Quoad temporis congruitatem.

D §. 1. Quantum ad primum, ſcilicet de latore legis veteris teſtamenti conſiderando, quis dederit, & quomodo mirabiliter eſt data. Data enim eſt lex iſta a Deo vero & bono, mediante miniſterio Angelorum, quod oſtendit Apoſtolus ad Galat. 3. dicens: *Lex data eſt.... & ordinata per Angelos in manu mediatoris: ordinata*, ideſt ordinabiliter data *per Angelos*, ideſt per Moyſen & alios miniſtros, qui Angeli dicuntur Malach. cap. 2. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam*, &c. *quia Angelus Domini exercituum eſt*, vel data *per Angelos*, ideſt miniſterio Angelorum, in quibus Angelis erant utique Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & aliquando ſine ulla diſtinctione perſonæ per illos figurabatur, *in manu* E *mediatoris*, ſubditi, ideſt in poteſtate Chriſti, qui eſt *mediator Dei & hominum*, ut ſcilicet illa lex ſtaret, dum vellet, & ceſſaret, quum ſibi placeret. Apparebat ergo Angelus in forma humana, ut creditur, vel alia Moyſi. Et loquens voce humana in perſona Dei ex parte Dei dicebat: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes*, Exodi 20. &c. ſcilicet repræſentative, *leges meas cuſtodite*. Fuit autem hoc congruum, quia divina (ut erat lux, ſive lex illa) deferuntur hominibus mediantibus Angelis, ſecundum

De latore legis veteris.

Dio-

1 Intellige legem exterius coactivam: nam vi directiva humanis legibus poſſe præcipi actus internos, de quibus illæ judicare non poſſunt, ex damnatis propoſitionibus ſtatuemus not. 4 in cap. 8. tit. 9. partis ſecundæ pag. 997.

Dionyſium. Ratio ſpecialis hujus convenientiæ eſt, quia videmus in omnibus poteſtatibus & artibus hunc ordinem ſervari, quod ſuperior artifex per ſe formam inducit, inferior autem materiam ad formæ ſuſceptionem diſponit; ſicut navis factor per navem compaginat, ſed per alios ſcilicet per artifices ſubminiſtrantes diſponit & præparat materiam, ſcindendo & dolando ligna & hujuſmodi. Sic a ſimili, quia lex nova eſt perfecta, eo quod perducit ad finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis; ideo immediate data eſt per Chriſtum Deum hominem factum. Lex autem vetus imperfecta fuit, quia non perducit, ſed diſponit ad perfectam ſalutem humani generis; & ideo conveniens fuit, ut per Angelos hominibus daretur. Thomas 1. 2. quæſt. 98. art. 3. Fuit etiam data mirabiliter, quia apparebat mons Syna fumigans & fulgurans, & audiebantur tonitrua; & hoc ad inducendum illum populum ad reverentiam legis, & obſervantiam, & inuendum, quia lex illa erat timoris, non amoris.

Quare ſoli populo Judæorum eſt data lex.

§. II. Quantum ad ſecundum, ſcilicet de conditione populi recipientis illam legem, mirabile eſt etiam conſiderare, quare illi ſoli populo Judæorum fuit data illa lex. Aſſignatur autem ad hoc triplex ratio, ſcilicet diſpoſitionis, diſcretionis, & promiſſionis.

Et primo fuit conveniens dari illam legem populo Judæorum potius, quam alii populo ratione diſpoſitionis, quia aliis populis declinantibus ad idololatriam, ſolus ille populus Judæorum remanſit in cultu unius Dei. Et ideo alii populi indigni erant illa lege Dei, quia ut dicitur Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus*, &c. Unde ſicut lux corporalis non lucet niſi oculo diſpoſito, ita lux ſpiritualis, ut lex, non datur niſi diſpoſito. Eſt autem homo diſpoſitus ad ipſam legem per voluntatem, per quam vult homo ſub lege vivere, & legi obedire. Unde quia ſolus populus Judæorum ſe præparabat & diſponebat ad receptionem legis; ideo congruum fuit, ut ſibi traderetur illa lex. Et ſi arguatur contra, quia etiam in aliis populis gentilium erant aliquæ perſonæ dignæ, ut Job & alii; reſpondetur, quia lex non datur perſonis particularibus, ſed populis. Quamvis ergo aliquæ perſonæ in aliis nationibus bonæ eſſent, non tamen populus, niſi populus Judæorum; & ideo congruit ei dari.

Tamen quia iſta ratio non eſt ſufficiens, quum populus Judeorum declinaverit ad idololatriam poſt datam legem, quod gravius fuit; ideo inducenda eſt ſecunda ratio, quæ eſt ratio diſcretionis, ut ſcilicet populus Judæorum tamquam a Deo electus, & tamquam dignus ab aliis populis diſtingueretur per legem veterem ſibi datam a Deo. Congruum etiam erat, ut populus ille, de quo Chriſtus naſci elegerat, præ ceteris quadam ſanctificatione polleret, quod fiebat per cæremonias legis.

Tertia ratio eſt propter promiſſionem. Quæ autem promiſſio facta eſt, oſtendit Apoſtolus ad Galat. 3. dicens: *Abrahæ dictæ ſunt repromiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in uno, ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Iſta autem promiſſio, ſcilicet quod ex ſemine Abrahæ Chriſtus naſceretur, non fuit ex meritis Abrahæ, ſed ex gratuita electione & vocatione Dei. Si autem ulterius quæratur, quare Deus magis elegit populum Judæorum, quam alium, ex quo naſceretur, non poteſt ratio aſſignari ſufficiens, niſi ſuum beneplacitum. Eſt autem conveniens reſponſio ad hujuſmodi, & ſimiles quæſtiones, illud dictum Auguſtini ſuper Joannem: Nemo venit, ſcilicet ad Deum, niſi tractus; quem autem trahat, & quem non trahat, quum iſtum trahat, & illum non trahat, noli judicare, ſi non vis errare. Si non traheris, ora ut traharis. Thomas 1. 2. quæſt. 98. art. 4.

Continebat autem illa lex triplex genus præceptorum, ſcilicet moralium, cæremonialium, judicialium. Et moralia quidem ſunt de dictamine rationis naturalis, ut decalogus & alia moralia, quæ reducuntur ad ipſum. Et ad obſervantiam illorum obligabantur non ſolum Judæi, ſed omnes nationes, & ſemper obligantur, quia dictat ea ratio naturalis. Tamen, ut dicit Alexander in 3. parte ſummæ, moralia præcepta, prout ſunt de jure naturali, dictant in genere bonum faciendum, & malum vitandum: ſed prout moralia ſunt de jure legis Moſaycæ, dictant hoc in ſpeciali & determinate, ut patet in decalogo: *Honora patrem & matrem, non occides*, & hujuſmodi: prout autem moralia ſunt de lege evangelica, dictant ipſa implenda non timore pœnæ, ut lex vetus, ſed intuitu amoris divini. Data ſunt autem moralia, quæ ſunt de actibus virtutum in ſe, ut per illa homines efficerentur boni & amici Dei.

Triplex genus præceptorum continebat illa lex.

Moralia.

Cæremonialia autem ſunt inſtituta ad ordinandum homines ad Deum circa cultum divinum. Non ſolum enim homines ordinantur ad Deum per actus interiores, ut credere, ſperare & amare, ſed etiam per exteriores, quibus homo profitetur divinam ſervitutem. Et circa cultum exteriorem erant cæremonialia præcepta obligantia ſolum illum populum Judæorum in illo tempore.

Cæremonialia.

Judicialia ſunt inſtituta ad ordinandum homines ad invicem, ad pacifice convivendum per modum ſtatutorum, ut faciat alteri alter, quod juſtum eſt. Et ſolos Judæos obligabat; unde Apoſtolus ad Romanos 7. quum dixiſſet: *Lex quidem ſancta*, quaſi ſubdens iſta tria genera præceptorum ſubdit, *& mandatum juſtum, ſanctum, & bonum*, ut *juſtum* referatur ad judicialia, *ſanctum* ad cæremonialia, quia ſanctum dicitur Deo dicatum, *bonum* ad moralia, ideſt honeſtum. Thomas. Mirabile eſt ergo conſiderare cum quanto ordine & ſapientia fuit data illa lex.

Judicialia.

§. III. Tertio de valore ſeu utilitate legis mirabile eſt conſiderare. Ubi primo ſciendum, quod etſi illa lex non fuit perfecte bona, ſicut lex evangelica, quia non continebat gratiam, & ipſa lex evangelica perducat ad gloriam, quod lex Moſayca non faciebat; propter quod dicit Apoſtolus de ea ad Hebr. cap. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex*; tamen fuit bona illa lex, non mala, ut quidam falſo dicebant, contra quos dicit Apoſtolus ad Rom. cap. 7. *Lex quidem ſancta*. Bonum enim dicitur aliquid dupliciter, ſcilicet perfectum & imperfectum. Perfectum eſt, quod eſt per ſe ſufficiens ad inducendum & conſequendum finem. Imperfectum autem, quod non eſt per ſe ad hoc ſufficiens, ſed diſponit & operatur ad hoc, ſicut medicina perfecta eſt, quæ diſponit & operatur ad ſanitatem, ſed non perficit. Sic lex vetus, quia prohibebat peccata per pœnas, diſponebat ad gratiam & ſalutem, licet eam non conferret, ſicut lex evangelica, quæ ideo perfecta dicitur. Thomas 1. 2. quæſt. 98. art. 1.

De utilitate legis divinæ.

Num lex juſtificaret.

Utrum autem ipſa lex juſtificaret, & quomodo; pro hujuſmodi declaratione ſciendum ſecundum Thom. 1. 2. quæſtione 100. art. 12. quod juſtificatio poteſt ſumi quadrupliciter. Uno modo, & hoc proprie, pro creatione juſtitiæ, prout juſtitia eſt virtus generalis importans rectitudinem quamdam mentis; & tunc quum hæc ſit duplex, ſcilicet infuſa per Dei gratiam, & acquiſita per humanum exercitium; loquendo de infuſa, quæ eſt vera juſtitia, ſecundum quam quis eſt juſtus apud Deum, ſecundum illud ad Rom. cap. 4. *Si Abra-*

Quadrupliciter poteſt ſumi juſtificatio.

brahам juſtificatus eſt ex operibus legis, habet gloriam, ſed non apud Deum; ſic iſto modo præcepta legis, nec etiam moralia juſtificabant, quia cauſſare non poterant juſtitiam infuſam, quæ eſt ſolum per gratiam Dei. Sed loquendo de juſtitia acquiſita, ſic obſervatio illorum præceptorum juſtificabat, quia quum moralia ſint de actibus juſtitiæ, & ex actibus frequentatis generentur habitus virtutis acquiſitæ, ſicut ex actibus temperantiæ generantur habitus temperantiæ; ideo & illa præcepta obſervata juſtificabant cauſſando juſtitiæ habitum acquiſitum, qui tamen non eſt ſufficiens ad ſalutem.

Secundo modo juſtificatio ſumitur pro diſpoſitione ad juſtitiam; & ſic illa præcepta legis juſtificabant, quia diſponebant obſervantes ad gratiam Chriſti juſtificantem. Per obſervantiam enim illorum retrahebantur ab idololatria & aliis vitiis, unde magis erant diſpoſiti ad gratiam. Quod autem Dominus dicebat Levit. 18. *Cuſtodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis*, non intelligitur de vita gratiæ, quæ juſtificat, ſed de vita corporis, in qua conſervabatur, quia implendo legem non incurrebat pœnas legis, quarum aliquæ erant pœnæ mortis.

Tertio ſumitur juſtificatio pro ſignificatione juſtitiæ; ſicut urina dicitur ſana, quia deſignat ſanitatem. Et iſto modo omnia legalia illa, & præcipue cæremonialia juſtificabant, quia figurabant gratiam, & ſacramenta noſtra novi teſtamenti, quæ vere juſtificant. Unde & Auguſtinus dicit, quod vita illius populi prophetia erat Chriſti & populi Chriſtiani. Et Apoſtolus 1. ad Corint. 10. *Omnia in figuram contingebant illis*. Facta ſunt autem propter nos; unde Apoſtolus ad Gal. 2. *Si enim per legem juſtitiam, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*, ideſt ſine cauſſa: & ibidem cap. 3. *Si data eſſet lex, poſſet vivificare* &c.

Quarto modo ſumitur juſtificatio pro exſecutione juſtitiæ, & ſic omnia legalia juſtificabant; aliter tamen, & aliter. Nam cæremonialia continebant quidem in ſe juſtitiam, ſed in generali, prout ſcilicet illa exhibebantur in cultum Dei; in ſpeciali vero non continebant ſecundum ſe juſtitiam, niſi ex ſola determinatione legis divinæ; & ideo de hujuſmodi præceptis dicitur communiter, quod non juſtificabant, niſi ex devotione & obedientia facientium. Moralia vero & judicialia præcepta continebant quidem ſecundum ſe juſtum vel in generali vel in ſpeciali: ſed moralia continebant id, quod eſt juſtum juſtitia generali, quæ eſt omnis virtus. Sed judicialia id, quod eſt juſtum juſtitia ſpeciali, quæ conſiſtit circa contractus humanæ vitæ, quæ ſunt inter homines ad invicem; & ſic pro exſecutione juſtitiæ ſumitur juſtificatio, quum Apoſtolus ad Rom. 2. *Non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores juſtificabuntur*. Pro majori declaratione dictorum, ſciendum ſecundum Thom. 1. 2. quæſt. 103. quod illa cæremonialia erant quædam remedia adhibita ex ordinatione legis ad tollendas quaſdam immunditias ex ſtatuto legis inductas corporales, quæ tollebant idoneitatem ad cultum divinum, quaſi quædam irregularitates. Sicut dicebatur immundus leproſus, vel qui tangebat morticinium & hujuſmodi. Et hoc eſt, quod ait Apoſtolus ad Hebr. 9. quod *ſanguis hyrcorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſantificavit ad emundationem carnis*. Sed immunditiam mentis, ideſt culpam non tollebat, quia expiatio a peccatis non potuit fieri niſi per Chriſtum, *qui tollit peccata mundi*, & quia myſterium paſſionis Chriſti nondum erat peractum realiter, illæ veteris legis cæremoniæ non poterant realiter in ſe continere virtutem profluentem a Chriſto incarnato & paſſo, ſicut continent ſacramenta novæ legis; & ideo non poterant juſtificare & a peccais mundare. Poterat tamen mens illorum patrum in veteri lege conjungi Chriſto incarnato & paſſo; & ita ex illa fide juſtificabantur, cujus fidei proteſtatio quædam erat ipſa cæremoniarum obſervatio, in quantum erant figura Chriſti. Et quod etiam expiarent illa cæremonialia ab immunditiis corporalibus, erant in figuram expiationis peccatorum fiendæ per Chriſtum.

Comparatio triplicium præceptorũ.

De cæremonialibus.

Et ſciendum ſecundum Thom. 1. 2. quæſt. 99. quod omnia præcepta legis per illa tria genera comprehenduntur; unde dicitur Deuter. 6. *Hæc ſunt præcepta, & cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus nobis*. Si qua ergo alia in Scriptura vocabula ponuntur, ſub illis continentur. Nam *juſtificationes*, de quibus fit mentio frequens in pſalmis, poſſunt dici omnia præcepta legis, in quantum ſunt quædam exſecutiones legalis juſtitiæ. Vel etiam ipſæ pœnæ vel præmia, quæ ponuntur in lege tranſgreſſoribus & obſervatoribus, poſſunt dici juſtificationes, ſecundum quod Deus aliquos juſte punit vel præmiat; teſtimonia autem de quibus dicitur Deuter. 6. *Cuſtodi præcepta & teſtimonia*, poſſunt dici uno modo ea, quæ pertinent ad pœnam vel præmium in lege, in quantum ſunt proteſtationes divinæ juſtitiæ. Vel alio modo dicuntur *teſtimonia*, quæ oſtendunt auctoritatem Dei præcipientis, ut illud Exod. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus* &c. & illud Deuter. 6. *Audi, Iſrael: Dominus Deus tuus unus eſt*. Et illud Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum* &c. Inter præceptum autem & mandatum eſt hæc differentia; quia præceptum eſt de his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis ſervanda, ut decalogus; mandatum vero, quod non eſt neceſſarium ad ſalutem, ſed quod perfectius. Vel præceptum poteſt dici; quod Deus juſſit per ſeipſum; mandatum, quod per alios mandavit, ut per Moyſen & Aaron.

Omnia præcepta legis comprehenduntur ſub tribus.

Præceptum & mandatum differunt.

§. IV. Quantum ad quartum, ſcilicet quomodo congruo tempore data ſit illa lex, conſiderare mirabile eſt. Fuit enim data lex Moſayca inter legem naturæ & legem gratiæ. Et conveniens fuit ratione iſta: Quælibet lex imponitur duobus generibus hominum, ſcilicet bonis & malis; aliis tamen & aliis rationibus; quod ſic patet: Imponitur enim lex malis, ſcilicet duris & ſuperbis, in remedium contra ignorantiam, & in flagellum contra ſuperbiam. Per legem enim mali, ſcilicet ſuperbi & duri convincuntur & domantur: & quia homines illo tempore erant tales; ideo conveniens fuit, ut tempore Moyſis lex vetus daretur ad convincendum eorum ſuperbiam. Superbiebat enim homo de duobus, ſcilicet de ſcientia & potentia. Primo de ſcientia, quaſi ratio naturalis ei poſſit ſufficere ad ſalutem. Et ideo ut de hoc ejus ſuperbia convinceretur, permiſſus eſt homo ſuæ regimini rationis abſque adminiculo legis ſcriptæ. Et ex hoc experimento potuit homo diſcere, quod patiebatur defectum rationis, quia homines uſque ad idololatriam & turpiſſima vitia prolapſi ſunt. Et ideo poſt tempus legis naturæ fuit neceſſarium dari legem ſcriptam, ſcilicet Moſaycam, quia per legem cognitio peccati, ſecundum Apoſtolum Rom. 5. Secundo ſuperbiebat homo tempore legis naturæ de potentia; quia ex arrogantia & ſuperbia dicebat: Deeſt, qui jubeat, non deeſt, qui impleat. Ideo poſtquam inſtructus eſt per legem ſcriptam, convicta eſt ejus ſuperbia de infirmitate & impotentia, dum implere non poterant, quod per legem cognoſcebant; & ideo ſicut Apoſtolus concludit ad Rom. 8. *Quod impoſſibile erat legi, in qua infirmabatur per carnem, miſit Deus filium ſuum*

Data fuit lex congruo tempore inter legem naturæ & gratiæ.

... *ut*

... ut justificatio legis impleretur in nobis.

Secundo lex vetus data est bonis in auxilium & signum. Et in auxilium quidem ignorantiæ & impotentiæ. Quod quidem tunc necessarium fuit, quando lex naturalis obscurari incipiebat propter exuberantiam peccatorum. Oportebat autem dare hoc auxilium quodam ordine, ut scilicet per imperfectum ad perfectum manuduceretur. Et ideo oportuit inter legem naturæ & legem gratiæ dari legem scriptam.

Secundo lex illa fuit data bonis in signum seu in figuram legis gratiæ. Omnia enim illa cæremonialia figurabant mysteria Christi & Ecclesiæ & sacramenta, quæ mirabilia sunt, Thom. 1. 2. quæst. 98. art. 6. Et quia adveniente veritate debet cessare figura, & figura debet cedere figurato; ideo quum tradita fuerit illa lex, ut obligaret populum illum quoad cæremonialia & judicialia usque ad consummationem seu impletionem figurarum de Christo, quæ impletæ sunt in morte ejus, per quam consecuta est salus hominum, unde dicit circa nonam: *Consummatum est*, & in signum hujus *velum templi*, quod tegebat interiora, *scissum est medium*, ad inuendum, quod velamina figurarum deficiebant; ideo mortua sunt illa legalia, & nunc etiam mortifera. Et sciendum, quod quum quæritur, quo tempore cessaverunt legalia, quod non potuerunt servari sine mortali peccato; circa hoc Augustinus distinguit tria temporalia. Primum ante passionem Christi, in quo legalia non erant mortua, neque mortifera, sed salutifera, & currebant simul cum Evangelio. Secundum tempus fuit medium inter passionem Christi & divulgationem Evangelii, in quo tempore legalia erant mortua, quia nullam virtutem habebant, neque observari tenebantur; non tamen erant mortifera, quia illi, qui ex judæis erant conversi ad fidem, poterant licite ea servare, dummodo non ponerent spem salutis in eis, putantes scilicet eorum observantiam necessariam, quasi sine legalibus fides Christi non sufficeret ad salutem, vel posset justificare. Et ideo Paulus circumcidit Timotheum, ut habetur Actuum 16. natum ex Judæa matre ad tollendum scandala aliquorum Judæorum conversorum zelantium pro observatione legalium; non autem Titum, qui erat natus ex Gentilibus. Non enim Gentiles conversi poterant servare legalia sicut conversi Judæi. Ideo autem voluit Spiritus sanctus, quod non statim inhiberetur conversis ex Judaismo ad fidem Christi observantia legalium, sicut inhibitus fuit conversis ex Gentilibus ritus Gentilium, ut ostenderetur differentia in utrisque: nam gentilitatis ritus repudiabatur tamquam semper illicitus, & a Deo semper prohibitus. Ritus autem legis cessabat tamquam impletus per Christi passionem, utpote a Deo in figuram Christi institutus. Tertium tempus est post Evangelium divulgatum, in quo legalia non solum sunt mortua, virtutem nullam habentia; sed etiam mortifera, ita quod peccatum mortale est illa servare. Et ratio hujus est secundum Thomam 1. 2. quæst. 103. art. 4. quia omnes cæremoniæ sunt quædam protestationes fidei, in qua consistit interior cultus Dei. Potest autem homo fidem interiorem protestari factis, sicut & verbis, & in utraque protestatione si aliquid homo falsum protestatur, peccat mortaliter. Quamvis autem sit eadem fides, quam habemus de Christo, & quam habuerunt patres veteris testamenti; tamen quia ipsi præcesserunt, nos sequimur: eadem fides diversis verbis significatur ab eis & a nobis. Nam ab eis dicebatur: *Ecce Virgo concipiet & pariet*, Isai. 7. Et nos dicimus: *Virgo concepit*, *Virgo peperit*, idem repræsentando per verba præteriti temporis, quod illi per verba futuri temporis. Similiter cæremoniæ veteris testamenti figurabant Christum nasciturum, passurum, & hujusmodi: Sacramenta autem novi testamenti signant Christum ut natum & passum. Sicut ergo peccaret mortaliter, qui non suam fidem protestando diceret Christum nasciturum, passurum, & hujusmodi, quod antiqui pie & veraciter dicebant; ita nunc peccaret etiam mortaliter, si quis cæremonias legis servaret, quas illi antiqui pie & fideliter observabant. Quod autem dicitur Baruch 4. *Hic est liber mandatorum Dei & lex, quæ est in æternum*, intelligitur lex æterna illa quantum ad moralia simpliciter & absolute, quantum vero ad cæremonialia est æterna secundum figuratum, non figuram. Sciendum, quod Hieronymus & Augustinus in hac materia fuerunt contrariæ opinionis. Hieronymus enim distinguens tantum duo tempora circa illa legalia, dicebat, unum ante passionem Christi, in quo legalia nec erant mortua, nec mortifera: aliud post passionem, in quo erant & mortua & mortifera, ita quod non poterant servari sine mortali peccato. Et sic dicebat, quod post passionem numquam Apostoli servaverunt legalia secundum veritatem, sed quadam simulatione, ne scilicet scandalizarent judæos, & eorum conversionem impedirent, quæ simulatio intelligenda est secundum Thomam, non quod illos actus non facerent secundum rei veritatem, sed quod non faciebant tamquam legem observantes, sicut si quis abscinderet pelliculam membri virilis propter sanitatem, non causa circumcisionis faciendæ. Sed indecens videtur dicere secundum Thomam, quod Apostoli ea occultarent propter scandalum, quæ pertinent ad veritatem vitæ & doctrinæ, & quod uterentur simulatione in pertinentibus ad salutem fidelium. Dicit etiam Hieronymus, quod Petrus simulatorie subtrahebat se a gentibus conversis, quum esset Antiochiæ, ut habetur ad Galat. 2. ut vitaret scandalum judæorum, quorum Apostolus erat; unde in hoc non peccavit Petrus. Sed Paullus simulatorie eum reprehendit, ut vitaret scandalum Gentilium, quorum erat Apostolus. Sed hoc Augustinus improbat, quia Paullus in canonica scriptura, scilicet ad Galat. 2. in qua nefas est credre aliquid falsum, dicit, quod Petrus *reprehensibilis erat*. Unde verum est secundum Thomam post Augustinum, quod Petrus peccavit, & Paullus non simulatorie, sed vere reprehendit. Non autem peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia observavit; quia sciebat sibi licere tamquam ex Judæis converso: sed in hoc peccabat, quod in observatione legalium nimiam diligentiam adhibebat, ne scandalizaret Judæos, ita quod ex hoc sequebatur scandalum Judæorum. Magis tenetur Augustinus in hac materia. Ad hoc etiam facit, quod dicit Grat. 2. quæst. 7. *Testes*, §. *Ecce: Paullus Petrum reprehendit, qui erat princeps Apostolorum. Unde datur intelligi, quod subditi possunt reprehendere suos præ-*

Legalia quo tempore cessaverunt.

Legalia post publicationem Evangelii non tantum sunt mortua, verum & mortifera.

1 Legebatur nullo sensu: *dicebat, quod ante passionem Christi, in quo legalia erant mortua, sed non mortifera. Aliud post passionem* &c. Emendavimus ex S. Thoma loco ab Auctore allegato, quem præ oculis eum habuisse, dum hæc scripsit, & aliis verbis voluisse brevius exprimere nihil dubitamus. Sic autem ibidem S. Thomas fusius. *Hieronymus distinxit duo tempora: unum tempus ante passionem Christi, in quo legalia non erant mortua, quasi non habentia vim obligatoriam, aut expiativam suo modo; nec etiam mortifera, quia non peccabant ea observantes: statim autem post passionem Christi incœperunt esse non solum mortua*, &c.

prælatos, ſi reprehenſibiles ſunt. Sed hoc facile refellitur, ſi unde ſit reprehenſus, attendatur. Petrus cogebat gentes judaizare, ſcilicet facto ſuo, *& a veritate Evangelii recedere, cum Judæis gregem faciens, & a cibis gentilium ſe ſubtrahens latenter. Par autem eſt in ſe a fide exorbitare, & alios a fide dejicere exemplo vel verbo. Non ergo ex hoc oſtenditur, quod prælati poſſint a ſubditis accuſari, niſi quum exorbitaverint a fide, vel alios exorbitare fecerint.* Ad hoc etiam facit Diſtinct. 9. *Si ad Scripturas ſacras*. Tamen in illa nimia condeſcenſione circa legalia non dicitur peccaſſe mortaliter, ſed venialiter ſecundum Thomam.

CAPUT III.

De præceptis moralibus ipſius legis in communi & ſuperadditis.

DE moralibus præceptis veteris legis, de modo implendi ea, utrum cadat ſub præcepto, & de triplici eorum differentia, ſub qua comprehenduntur actus omnium virtutum, & ſi implere ea in caritate eſt in præcepto, & ſi ſunt diſpenſabilia, & quia iſta ſunt difficilia ad cognoſcendum; ideo cum Pſalmiſta orandum eſt, pſal. 118. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Non ſufficit quod Deus dederit nobis legem naturæ & ſcripturæ, ſcilicet Moſaycæ, ſecundum illud Eccleſiaſtici 17. *Addidit illis diſciplinam, & legem vitæ hæreditavit eos*, niſi det intellectum ejus. Lex dicitur *a legendo*, quia ſæpe debet legi. Sed legere, & non intelligere, eſt negligere. Humanus autem intellectus de facili errat, ſicut patet in doctoribus Judæorum antiquis & novis male intelligentibus legem, non ſolum quoad cæremonialia, ſed etiam quoad moralia, ut patet Matth. 5. & 6. cap. Oportet ergo, quod Deus det intellectum ad ipſam intelligendum, quoad cæremonialia ſecundum ſpiritualem intellectum, ſecundum quem adhuc debet obſervari; puta quod non comedantur carnes porcinæ, ideſt quod non habeantur mores laſcivi.

Tria videnda de ipſis moralibus.

Quantum ad moralia ſecundum ſenſum litteralem verum, & de ipſis moralibus tria videnda ſunt.

Primo, ut modalitas faciendi ea cogoſcatur, ibi: *Da mihi intellectum.*

Secundo, ut varietas jubendi ea perquiratur, ibi: *Et ſcrutabor legem tuam.*

Tertio, ut caritas implendi ea adhibeatur, ibi: *Et cuſtodiam illam.*

Modus legis ſervanda.

§. I. Præcepta moralia ſunt de actibus virtutum, ſed actus humanus non poteſt eſſe virtuoſus, niſi fiat cum debito modo.

Modus autem virtutis ſecundum philoſophum in 2. Ethic. conſiſtit in tribus. Primum eſt, ut operetur ſciens; & hoc judicatur tam a lege divina quam humana. Quod enim quis facit omnino neſciens ſe illud facere, non meretur præmium, & in malis non meretur pœnam, ſi eſt ignorantia invincibilis; aliter ſecus. Debet ergo quis ſervare præcepta, ſciens illa eſſe præcepta.

Secundum, quod pertinet ad modum virtutis, eſt, ut operetur volens vel eligens, in quo importatur duplex motus interior, ſcilicet voluntatis & intentionis. Et iſta duo quamvis non judicet lex humana, eo quod legislator ipſius, ſcilicet legis humanæ, eſt homo, qui non habet judicare de interioribus actibus, quos non videt, ſed de exterioribus; lex tamen divina dijudicat, quia Deus, qui eſt hujus legislator, judicat etiam de interioribus actibus, quos videt. Lex enim humana, non punit volentem occidere, ſed lex divina punit. Unde dicitur Matthæi 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*, & ſimiliter in bonis operibus malam intentionem, juxta illud: *Ne faciatis juſtitiam coram hominibus, ut videamini ab eis*, Matth. 6.

Tertium, quod pertinet ad modum virtutis, eſt, ut firmiter & immobiliter operetur, ſcilicet in propoſito; & iſta firmitas pertinet ad habitum, ut ſcilicet aliquis ex habitu radicato operetur, & iſtud non dijudicatur nec a lege humana, nec divina, ſcilicet ut puniatur ex defectu hujus. Sed ſi debet homo mereri in obſervando aliquod præceptum, oportet, quod iſtud obſervet, ideſt quod actus ejus procedat ex habitu virtutis infuſo; non tamen tranſgreſſor eſt præcepti, unde mereatur pœnam a Deo, non habendo habitum virtutis, cujus actum operatur. Honorans enim parentes, quod pertinet ad præceptum quartum, & eſt actus pietatis, quamvis non habeat habitum illius virtutis, ſcilicet pietatis, quod ſemper eſt, quum eſt in aliquo mortali peccato; utique non meretur ex hoc præmium a Deo; non tamen peccat mortaliter in hoc. Et ſic quantum ad illud modus virtutis non cadit ſub præcepto legis. Intentio enim legislatoris eſt de duobus. Unum eſt id, ad quod intendit per præcepta legis inducere; & hoc eſt virtus. Aliud eſt id, de quo intendit præceptum ferre; & hoc eſt, quod ducit & diſponit ad virtutem, ſcilicet actus virtutis. Non enim eſt idem finis præcepti, & id, de quo præceptum datur: ſicut & in aliis rebus non eſt idem finis, & illud quod eſt ad finem. Ergo intelligere debemus circa legem, quod oportet implere præcepta ejus ſcienter, cognoſcendo ea, libenter non ex triſtitia vel coacte faciendo; recta intentione, non ſiniſtra implendo; firmiter habendo habitum virtutis, ut mereamur. Hæc B. Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 9.

Ad duo eſt intentio legislatoris.

Actus omnium virtutum inveniuntur ſcrutando legem Dei.

§. II. De varietate moralium, quibus jubentur in lege actus omnium virtutum perquirendi, ait pſal. 118. *Scrutabor legem tuam*. Morale dicitur a *more*. Mores proprie dicuntur actus humani, qui conveniunt rationi; & hi ſunt boni actus. Actus autem humani, qui diſcordant a ratione, non mores, ſed mali mores dici debent. Moralia ergo præcepta ſunt de his, quæ pertinent ab bonos mores, qui ſcilicet conveniunt rationi. Omne autem judicium rationis humanæ, quum a naturali ratione aliqualiter derivetur, neceſſe eſt, quod omnia præcepta pertineant ad legem naturæ, diverſimode tamen. Et poſſunt ſic dividi, quod moralium legum quædam ſunt ut fundamenta, quædam ut ſuperædificamenta, quædam ut additamenta vitæ virtualis. Unde & B. Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 11. dicit, quod moralium triplex eſt gradus. Quædam enim ſunt communiſſima & adeo manifeſta, quod editione non indigent; ſicut mandata de dilectione Dei & proximi, & hujuſmodi, quæ ſunt quaſi fines præceptorum. Finis autem in operabilibus eſt principium operandi, ſcilicet intentione. Et ideo hæc præcepta communiſſima dicuntur fundamenta, quod eſt primum in ædificatione, & in his nullus poteſt errare ſecundum judicium rationis. Præceptum etiam de fide habenda præſupponitur ad decalogum, ſicut & præceptum dilectionis. Sicut enim prima præcepta legis naturæ communia ſunt per ſe nota habenti rationem naturalem, & promulgatione non indigent, ut quod nemini eſt facienda injuria, & quod bonum eſt faciendum; ita & credere in Deum eſt per ſe notum ei, qui habet fidem, & non indiget alia promulgatione niſi infuſione fidei. Quædam vero ex moralibus præceptis ſunt magis determinata, quorum rationem

Moralium eſt triplex gradus.

ſta-

ſtatim quilibet popularis poteſt de facili videre. Et quia in paucioribus hujuſmodi contingit humanum judicium perverti; ideo iſta editione indigent. Et hæc ſunt præcepta decalogi data ſeu propoſita a Deo per ſeipſum populo. Quædam vero ſunt, quorum ratio non eſt adeo manifeſta per ſe, ſed ſolum ſapientibus. Et iſta ſunt præcepta moralia ſuperaddita decalogo, tradita a Deo populo per Moyſen & Aaron. Sed quia ea, quæ ſunt manifeſta, ſunt principia cognoſcendi rationem eorum, quæ non ſunt ita manifeſta; ideo iſta moralia ſuperaddita decalogo reducuntur ad decalogum per modum cujuſdam additionis ad ipſa. Et ad quodlibet præceptorum decalogi reducuntur aliqua ſuperaddita, ut infra declarabitur. Utraque tamen genera præceptorum, ſcilicet illa, B prima communiſſima, & iſta ſuperaddita continentur in decalogo, ſed diverſimode. Nam prima communia continentur in præceptis decalogi ſicut principia in concluſionibus proximis. Superaddita autem, quæ per ſapientes cognoſcuntur, continentur in eis ſicut concluſiones in principiis. Ipſa autem præcepta moralia ſunt de actibus omnium virtutum. Nam peccatum ſecundum Ambroſium eſt tranſgreſſio legis divinæ. Quodlibet autem peccatum eſt contra aliquam virtutem directe, & contra aliquod præceptorum.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 2. quod quum lex omnis ordinetur ad bonum commune, ut patet ex diffinitione legis, præcepta legum diverſificantur ſecundum C diverſos modos communitatum. Unde & philoſophus in ſua politica docet, alias leges dandas in civitate, quæ regitur per populum, alias in civitate, quæ regitur per aliquos potentes de civitate. Eſt autem alius modus communitatis, ad quam ordinatur lex humana, & ad quam ordinatur lex divina. Lex enim humana ordinat homines ad communitatem civilem, quæ eſt hominum ad invicem. Homines autem ordinantur ad invicem per actus exteriores, quibus invicem communicant. Hujuſmodi autem communicatio pertinet ad rationem juſtitiæ, quæ eſt directiva communicationis humanæ. Et ideo lex humana non proponit præcepta, niſi de actibus juſtitiæ: & ſi præcipiat actus aliarum virtutum, ut quod non fiat adulterium, quod D pertinet ad caſtitatem, hoc non facit, niſi in quantum aſſumit rationem juſtitiæ, ut quia per adulterium fit injuria alteri. Sed communitas, ad quam ordinat lex divina, eſt hominum ad Deum in præſenti vita vel futura. Et ideo lex divina proponit de omnibus actibus, per quos homines bene ordinantur ad communicationem cum Deo. Homo autem conjungitur cum Deo mente ſive ratione, in qua eſt Dei imago. Et ideo lex divina dat præcepta de omnibus illis, per quæ ratio ſit bene ordinata; hoc autem eſt per actus omnium virtutum. [1] Nam virtutes intellectuales ordinant bene actus rationis circa paſſiones interiores, & morales circa actus exteriores. Et ſic de actibus omnium virtutum præcipit, ita tamen quod actus, E qui ſunt de neceſſitate virtutis, ſine quibus non poteſt virtus conſiſtere, ſunt ſub obligatione præcepti. Sed qui ſunt de bene eſſe, ſeu perfectione virtutis, non ſunt in præcepto, ſed ſub conſilio. Et quamvis præcepta decalogi ſint ſolum de actibus juſtitiæ (nam prima tria ſunt de actibus virtutis latriæ, quæ eſt pars juſtitiæ potiſſima; quartum eſt de actu pietatis, quæ eſt etiam pars juſtitiæ; alia ſex ſunt de actibus juſtitiæ eſſentialiter) quum præcepta de actibus aliarum virtutum dantur in aliis moralibus præceptis legis, quæ pertinent ad prima communia, ut de dilectione & fide, vel ad ſuperaddita, quæ quia (ut dictum eſt) continentur reductive in decalogo; ideo etiam iſto modo poteſt dici in ipſo decalogo & alia præcipi. Ideo autem magis in decalogo dantur præcepta de actibus juſtitiæ expreſſe, quam de actibus aliarum virtutum; quia quum præceptum importat rationem debiti, & decalogi præcepta ſunt, quæ ſtatim mens humana intelligit obſervanda; magis apparet omnibus ratio debiti in actibus juſtitiæ, quæ eſt ad alterum, quam in actibus aliarum virtutum. Magis enim quilibet cognoſcit ſe debere abſtinere ab offenſa proximi, & Deum honorare, quam quod debeat uti prudentia, fortitudine, aut temperantia. De quibus tamen virtutibus & aliis dantur in lege præcepta. Scrutanda eſt ergo lex, ideſt diligenter inveſtiganda, ut inveniantur actus omnium virtutum, quæ nobis præcipiuntur.

Varietas legum notatur.

De lege obſervanda cum dilectione.

§. III. De obſervatione eorum cum dilectione, & ſine diſpenſatione, ait pſal. 118. *Cuſtodiam illam*, ſcilicet legem, *in toto corde meo*. Cuſtodire *in toto corde* eſt obſervare toto affectu & dilectione. Non enim ſufficit ad ſalutem cuſtodire ſeu ſervare omnia mandata decalogi, & ſuperaddita, niſi fiant in caritate, ut dicitur Jacobi 2. *Qui totam legem ſervaverit, offendat autem in uno*, ideſt in caritate, quæ unit nos cum Deo, *factus eſt omnium reus*, ideſt damnabitur, ac ſi nullum ſervaſſet mandatorum. Servando tamen quodcumque præceptorum non exiſtens in caritate, puta honorando parentes, non peccat, nec ex hoc damnatur, quia honoravit parentes in caritate non exiſtens; ſed ex hoc, quod non habuit caritatem, nec ſe exercuit in actibus ejus, quum debuit. Pro majori autem declaratione horum dicit Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 10. quod actus caritatis poteſt dupliciter conſiderari. Uno modo ſecundum quod eſt quidam actus per ſe. Et hoc modo cadit ſub præcepto legis, quia de hoc datur ſpeciale præceptum, ſcilicet: *Diliges Dominum Deum tuum*, & *diliges proximum*. Et quantum ad hoc verum dixerunt illi, qui dixerunt, quod modus caritatis cadit ſub præcepto. Non enim eſt impoſſibile obſervare hoc præceptum, quod eſt de actu caritatis, quia poteſt ſe homo diſponere ad caritatem habendam, & quum eam habuerit, poteſt ea uti. Alio modo poteſt conſiderari actus caritatis, ſecundum quod eſt modus actuum aliarum virtutum, ideſt ſecundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad caritatem, quæ eſt finis præcepti; & hoc modo verum eſt, quod dixerunt alii, ſcilicet quod modus caritatis non cadit ſub præcepto, hoc eſt dictum, quod ſub hoc præcepto: *Honora patrem tuum* &c. non includitur, quod honoretur pater ex caritate, ſed ſolum quod honoretur. Unde qui honorat patrem non habens caritatem, non efficitur tranſgreſſor præcepti de honoratione parentum, etſi [2] ſit tranſgreſſor præcepti, quod datur de dilectionis actu, unde pœnam meretur. Quamvis ergo qui honorat parentes, teneatur ex caritate honorare; hoc tamen non eſt ex vi hujus præcepti: *Honora patrem tuum*; ſed ex vi illius præcepti: *Diliges Domi-*

1 Apud S. Thomam, ex quo Auctor hæc compillavit, aliter legitur. *Nam virtutes intellectuales ordinant bene actus rationis in ſe ipſis; virtutes autem morales ordinant bene actus rationis circa interiores paſſiones & exteriores operationes.*

2 Confer hoc loco not. 1. in cap. 1. tit. 6. partis quartæ pag. 299. ubi de præcepto relationis in Deum, ad quod hæc referuntur, fuſius differentes, mitiorem horum locorum interpretationem proponimus, atque ex damnatis etiam propoſitionibus ſtatuiſſe nobis videmur.

De relatione in Deum.

minum Deum tuum ex toto corde tuo, quod intelligitur, ut omnia acta referantur in Deum. Et quum ista sint duo præcepta affirmativa, scilicet de honore parentum, & de dilectione non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare; & ita potest contingere, quod implens præceptum de honore parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione caritatis in Deum. Oportet ergo præcepta custodire *in toto corde*, idest in caritate, siquis vult salvari; quod autem dicitur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, intelligitur non solum de mandatis decalogi, sed etiam de aliis, inter quæ præcipuum est illud de caritate.

Indispensabilia sunt præcepta moralia.

Debent etiam semper custodiri præcepta moralia, quia indispensabilia sunt; unde psal. 118. *Custodiam legem tuam semper in sæculum & in sæculum sæculi*. Pro cujus declaratione dicit beatus Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 8. quod in præceptis debet fieri dispensatio, quando occurrit aliquis particularis casus, in quo si verbum legis observetur, contrariatur intentioni legislatoris. Intentio autem legislatoris cujuscumque ordinatur principaliter ad bonum commune; secundo ad ordinem justitiæ & virtutis, secundum quem bonum commune conservatur, & ad ipsum pervenitur. Si qua ergo præcepta dantur, quæ contineant observationem boni communis vel ordinem justitiæ & virtutis, hujusmodi præcepta continent intentionem legislatoris; & ideo indispensabilia sunt: puta si poneretur in aliqua civitate hoc præceptum, quod nullus destrueret rempublicam, vel proderet civitatem, vel quod nullus faceret aliquid injuste; hujusmodi præcepta essent indispensabilia. Præcepta autem decalogi continent ipsam intentionem legislatoris, scilicet Dei. Nam præcepta primæ tabulæ, quæ ordinant nos ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum commune & finale, quod est Deus. Præcepta autem secundæ tabulæ continent ordinem justitiæ inter homines servandæ, ut scilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum. Secundum enim hanc rationem intelligenda sunt præcepta decalogi; & ideo sunt omnino dispensabilia. Quod enim in decalogo prohibetur occisio hominis, hoc fit, in quantum istud habet rationem indebiti, quia scilicet est innocens. Et hoc lex humana non potest concedere, scilicet quod indebite homo occidatur. Sed malefactores vel hostes reipublicæ occidere, non est indebitum; unde non contrariatur huic præcepto: *Non occides*, quod judex occidat malefactorem. Similiter quod Abraham consensit occidere filium Isaac, non consensit in homicidium prohibitum; quia debitum erat eum occidi secundum mandatum Dei, qui juste infligit mortem justis & peccatoribus pro peccato primi parentis, cujus sententiæ si homo est exsecutor Deo jubente, non est homicida, sicut nec Deus jubens. Similiter si alicui auferatur, quod suum est, si debitum est, quod amittat; hoc non est furtum, quod in decalogo prohibetur; & ideo quum filii Israel tulerunt spolia Ægyptiorum Deo jubente, cujus sunt omnia, non commiserunt furtum. Oseas accedens
3 ad mulierem, fornicariam vel adulteram, non commisit fornicationem, nec adulterium, quia sua erat, ad quam accessit Dei jubente, qui est institutor matrimonii. Unde & aliqui dicunt, quod præcepta primæ tabulæ sunt omnino indispensabilia etiam a Deo. Et hoc ideo, quia semper transgressio eorum habet rationem indebiti. Sed præcepta secundæ tabulæ sunt dispensabilia, quia possunt materialiter transgredi non habendo in se rationem indebiti, ut patet in exemplis positis.

De caritate fundamento præceptorũ totius legis.

§. IV. De fundamento seu principio moralium præceptorum, quod est caritas. Unde Apostolus ad Ephes. 3. *In caritate radicati & fundati*, potest intelligi illud psal. 118. *Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam*. Ante hominem posita sunt multa bona vera vel apparentia, ut bona temporalia, divitiæ, honores, delectationes corporeæ: bona spiritualia, ut scientia virtutes; ad quodcumque vult extendat manum suam, ut eligat & quærat. Et alii quidem ut partem sibi meliorem eligant divitias, alii voluptates, alii scientias; sed justi & sancti homines eligunt pro parte sua verum bonum, scilicet *custodire legem* Dei, & mandata ejus, dicentes cum Psalmista: *Portio mea, Domine*, idest pars, quam mihi elegi de bonis: *dixi*, idest deliberavi esse *custodire legem tuam*. Hæc custoditur integre per dilectionem; unde Apostolus ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio*. Omne enim præceptum legis ad hoc ordinat.

Omne præceptum ad hoc ordinatur, ut Deus & proximus diligãtur.

Pro cujus declaratione dicit B. Thom. 1. 2. quæst. 122. quod quum præceptum importet rationem debiti, quia scilicet ex hoc, quod aliquid præcipitur, debet fieri. Intantum aliquid cadit sub præcepto, in quantum habet rationem debiti. Est autem aliquid debitum dupliciter; uno modo per se, alio modo propter aliud. Per se est debitum in unoquoque negotio id, quod est finis, qui habet rationem per se boni. Propter aliud est debitum, quod ordinatur ad finem; sicut medico per se est debitum, quod sanet, quia hoc est finis artis ejus; propter aliud autem medico est debitum, ut det medicinam, quia medicina ordinatur ad inducendam sanitatem. Finis autem spiritualis vitæ est, ut homo uniatur Deo; & hoc fit per caritatem, quia *qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*, ut 1. Joann. 4. Ideo dicitur caritas, quasi cara unitas: in hoc consistit perfectio ultima creaturæ uniri cum Deo, & ad hoc ordinantur sicut ad finem omnia præcepta, quæ pertinent ad spiritualem vitam. Unde Apost. 1. ad Tim. 1. *Finis præcepti*, scilicet omnis, *est caritas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta*. Omnes enim virtutes, de quarum actibus dantur præcepta, ordinantur vel ad purificandum corda a turbinibus passionum, sicut virtutes, quæ sunt circa passiones moderandas, ut fortitudo & temperantia; vel saltem ad habendam bonam conscientiam, sicut virtutes, quæ sunt circa operationes, ut justitia, & prudentia; vel ad habendam rectam fidem, ut illa, quæ pertinent ad divinum cultum. Et hæc tria requiruntur ad diligendum Deum. Nam cor impurum a Dei dilectione abstrahitur propter passiones inclinantes ad terrena. Conscientia mala facit horrere divinam justitiam propter timorem pœnæ. Fides ficta trahit affectum in id, quod de Deo fingitur, separans se a Dei veritate. In quolibet autem genere illud, quod est per se, est prius eo, quod est per aliud. Et ideo *primum & maximum* mandatorum est de caritate, ut dicit Christus Matth 22. Non ponitur autem hoc in decalogo, quia præsupponitur ad illum, & in omnibus illis decem præceptis includitur illud. Diversificatur autem præceptum de dilectione in duo, scilicet in diligendo Deum & in diligendo proximum. Unde Christus Matth. 22. postquam interrogatus de magno & præcipuo mandato in lege respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua; hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile huic est:*

Divisio præcepti caritatis.

Ditendimus.

3 Legẽnda not. 1. in cap. 2. tit. 4. partis secundæ pag. 561. ubi hunc Oseæ locum aliter explicandum os-

Diliges proximum tuum ſicut teipſum, ſubdit: *In his duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ*: & 1. Joann. 4. dicitur: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*. Et quamvis unum includatur in alio, nec poſſet eſſe dilectio Dei vera ſine dilectione proximi, nec dilectio proximi ſine dilectione Dei, quum dilectio proximi ordinetur ad dilectionem Dei, ut ad finem propter, quod dicit Apoſtolus: *Qui proximum diligit legem, implevit*; tamen oportuit dari diſtincte præceptum non ſolum de dilectione Dei, ſcilicet: *Diliges Dominum Deum tuum*, quod habetur Deuter. 6. ſed etiam de dilectione proximi, quum dicitur Levit. 19. *Diliges amicum tuum ſicut teipſum*, ideſt proximum; & hoc propter minus capaces, qui non de facili unum ſub alteroſciunt contineri. Et quamvis etiam diligere nos ipſos teneamur; tamen de hoc non datur ſpeciale præceptum, quia quantumcumque quis excidat a veritate; remanet tamen in ipſo dilectio ſui. Nec ita contingit obſcurari rationem circa dilectionem ſui ſicut circa dilectionem Dei, & proximi. Vel etiam quia ex hoc, quod quis diligit Deum & proximum, vere diligit & ſeipſum: immo etiam in præcepto de dilectione proximi notatur dilectio ſui, quum hoc ponatur pro regula & modo dilectionis proximi, quum dicitur: *Sicut teipſum*.

Mandatum de proximi dilectione.

S. V. De ipſo decalogo, qui continet decem præcepta, dicitur Deut. 4. *Oſtendit vobis Dominus pactum ſuum, quod præcepit, ut faceretis, & decem verba, quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis*. Hæc autem expreſſe ponuntur Exodi 20. ut patebit infra. Et ad obſervationem eorum invitans pſalm. 32. *In pſalterio decem chordarum pſallite ei. Pſalterium* eſt lex, *decem chordæ* ſunt præcepta ejus; unde Auguſtinus fecit quemdam librum de decem præceptis, quem intitulavit de decem chordis. Manibus autem tactum tale inſtrumentum reddit ſuavem ſonum, & non aliter. Tangere igitur manu pſalterium illud, ideſt legem, eſt opere ſervare. Et per hoc vitatur omne peccatum, & ſuavis harmonia bonorum operum inde ſequitur; unde pſal. 118. *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum; legem autem tuam dilexi*, quaſi diceret: Ideo odivi omnem iniquitatem, ideſt vitavi, quia legem mandatorum tuorum ſervavi. Unde Auguſtinus in dicto libro: Tangis primam chordam, qua colitur Deus, & occiditur beſtia ſuperſtitionis; & ſic de aliis. Et quum peccatum ſit tranſgreſſio legis divinæ, & cæleſtium inobedientia mandatorum, & omne peccatum ſit vel in Deum, vel in proximum, vel contra ſeipſum; poteſt dici ſecundum quamdam adaptationem, quod per prima tria obſervata vitantur peccata directe contra Deum, per quinque ſequentia peccata, quæ ſunt contra proximum, per duo ultima, quæ ſunt contra ſeipſum. Nam per deſideria & concupiſcentias malas interiores non fit læſio proximo, ſed ſibiipſi, ideſt animæ ſuæ, quam maculavit per prava deſideria.

De decalogo.

Rationem autem ſufficientem, quare ſcilicet non ſunt plura nec pauciora, aſſignat B. Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 5. Sicut enim, ait, præcepta legis humanæ ordinant hominem ad communitatem humanam; ita præcepta divinæ legis ordinant hominem ad quamdam communitatem hominum, ſub Deo. Ad hoc autem, ut homo in aliqua communitate commoretur, duo requiruntur. Primum eſt, ut homo bene ſe habeat ad eum, qui præeſt communitati. Secundum, ut bene ſe habeat ad alios communitatis conſocios & participes. Oportet ergo quod in lege divina primo ferantur aliqua præcepta ordinantia hominem in Deum, & deinde alia præcepta ordinantia hominem ad alios proximos ſimul convenientes ſub eodem principe. Principi autem communitatis tria debet homo. Primo fidelitatem, ſecundo reverentiam, tertio famulatum. Fidelitas autem ad Dominum in hoc conſiſtit, ut honorem principatus ad alium non deferat; & quantum ad hoc accipitur primum præceptum, quum dicitur: *Non habebis Deos alienos coram me*. Reverentia ad Dominum ſervatur, ut nil injurioſum in eum committatur, & quantum ad hoc aſſumitur ſecundum præceptum, ſcilicet: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Famulatus Domino debetur in recompenſatione beneficiorum, quæ ab eo recipiuntur a ſubditis. Et ad hoc pertinet tertium præceptum, ſcilicet de ſanctificatione ſabbati in memoriam conditionis rerum: *Memento*, ait, *ut diem ſabbati ſanctifices* &c. Ad proximos autem bene ſe quis habet, & ſpecialiter & generaliter. Specialiter quidem quantum ad eos, quibus eſt debitor, ut eis debitum reddat; & quantum ad hoc dicitur: *Honora patrem tuum & matrem*. Quantum ad omnes generaliter bene ſe habet homo, ut nulli nocumentum inferat, nec opere, nec corde, nec ore. Et nocumentum proximo infertur opere quandoque in perſonam propriam, quantum ad conſiſtentiam perſonæ; & ſic prohibetur homicidium, quum dicitur: *Non occides*. Quandoque in perſonam conjunctam quantum ad propagationem prolis; & ſic præcipitur: *Non mœchaberis*. Quandoque fit in injuria in rem poſſeſſam, quæ ordinatur ad utrumque. Et ſic dicitur: *Non furtum facies*. Nocumentum oris prohibetur, quum dicitur: *Non loqueris falſum teſtimonium contra proximum tuum*. Nocumentum cordis, quum dicitur: *Non concupiſces rem proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus* &c.

Quare non plura vel pauciora præcepta ſunt quam decem.

Secundum hanc aſſignationem non datur aliquod præceptum ordinans hominem in ſe ipſum. Et ratio ſecundum Thomam, quia quum præcepta decalogi referantur, ut ad finem, ad præcepta dilectionis Dei & proximi, ſicut in illis præceptis de dilectione Dei & proximi includitur dilectio ſui, quia tunc vere quis diligit ſeipſum, quum ordinat ſe bene in Deum & proximum; ita etiam tunc quis bene ordinat ſeipſum, quum bene ſe habet ad Deum & proximum ſervando iſta præcepta. Vel etiam non datur præceptum in decalogo ſpeciale de ſeipſo ordinatum, quia quum præcepta decalogi oportet, quod ſint talia, quæ ſtatim in mente populi cadere poſſint; præceptum autem habet rationem debiti. Quod autem homo ex neceſſitate debeat aliquid Deo & proximo, hoc de facili cadit in conceptione hominis præcipue fidelis. Sed quod ex neceſſitate ſit ei debitum de his, quæ pertinent ad ſeipſum, non apparet hoc in promtu, quum videatur primo aſpectu, quod quilibet ſit liber ſui in his, quæ pertinent ad ipſum; [4] & ideo præcepta, quibus prohibentur inordinationes hominum ad ſeipſos, perveniunt ad populum, mediante inſtructione ſapientum. Præceptum autem de obſervatione ſabbati in quantum eſt morale, pertinet ad decalogum, in quantum intelligitur ibi præcipi quies mentis in Deo, & vacare Deo pro aliquo tempore: ſed quantum ad determinationem diei talis, ſcilicet ſabbati eſt cæremoniale & non morale; unde nunc ceſſat. Et quamvis Eſichius & Origenes iſta decem præcepta aliter diſtinguant & aſſignent; iſta tamen me-

In decalogo non datur præceptum de ſe ipſo ordinatum.

Quid eſt morale in tertio præcepto.

[4] *Et ideo præcepta, quibus prohibentur inordinationes*, ex S. Thomæ textu, quem Auctor exſcripſit, reſtituimus pro eo, quod erat ſine æquo ſenſu: *ſed magis inordinationes*.

melior ſecundum Thomam, quam ponit Auguſtinus, ut dictum eſt.

De præceptis moralibus additis decalogo, pro quibus poteſt induci illud pſal. 26. *Legem pone mihi, Domine, in via tua, & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos. Via*, qua itur ad Deum, eſt via virtutum, [5] dantur præcepta legis, ut dictum eſt. Sed oportet, quod Deus ponat in affectu noſtro per gratiam, ſcilicet ut velimus ſervare; quia, ut dicit Auguſtinus, ſine Spiritu ſancto conſtat nos mandata Dei ſervare non poſſe. *Semita*, quæ eſt ſtrictior additus, quam via, poteſt intelligi collectio illorum moralium mandatorum, quæ adduntur decalogo, quæ utique arctiora ſunt ad ſervandum, ut patebit. Et oportet, quod Deus *dirigat* ad recte ſentiendum de eis *propter inimicos* Judæorum male exponentium, vel Chriſtianorum male de eis ſentientium, vel dæmonum nos ſeducere cupientium. Sunt igitur hujus addita, quæ deferuntur populo a Deo, mediante doctrina & inſtructione ſapientum, ſubtiliori eorum conſideratione.

Unde in præcepto primo, ubi prohibetur cultus aliorum deorum, adduntur præcepta prohibentia ea, quæ ordinantur in cultum idolorum, ſicut habetur Deuter. 18. *Non inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ſuam per ignem ducens, aut qui ariolos ſuſcitetur, aut obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, aut incantator, nec phytones conſulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem*; & ſic omnis ſuperſtitio prohibetur, divinatio, incantatio & vana obſervatio.

Secundo præcepto, quo prohibetur perjurium, ſuperadditur ei prohibitio blaſphemiæ, Levit. cap. 24. & prohibitio falſæ doctrinæ, Deut. cap. 13.

Cæremoniæ novæ legis. Tertio præcepto ſuperadduntur omnia cæremonialia, ut determinativa modi exterioris divini cultus, qui præcipue in feſtis eſt exercendus. Nunc autem illis cæremoniis ceſſantibus ſuccedunt cæremoniæ divini cultus novi teſtamenti, quæ obſervandæ ſunt ſecundum ordinationem Eccleſiæ, vel conſuetudinem locorum in ſacramentis, & divinis officiis, ut Diſtinct. 11. *Eccleſiaſticarum*. Præcipitur autem in eo, ut vacetur Deo pro aliquo tempore, & ſecundum hoc ponitur in decalogo [6] ſabbatum, & nunc ſabbato ſuccedit dies Dominicus, & alia feſta ex ſtatuto Eccleſiæ.

Quarto præcepto de honore parentum ſuperadduntur univerſa præcepta inducentia ad reverentiam & obedientiam exhibendam majoribus, & præcepta inducentia ad beneficia exhibenda temporalia vel ſpiritualia proximis, ut eleemoſynas, aut etiam minoribus, ut curam, quam debent habere parentes de filiis, & prælati de ſubditis: & etiam præceptum de honoratione ſenum, ſecundum illud Levitici 19. *Honora perſonam ſenum, & coram cano capite ſurge*.

Quinto, quod eſt de prohibitione homicidii, ſuperadditur prohibitio cujuſcumque molitionis contra perſonam proximi. Sicut illud Levitici 19. *Non ſtabis contra ſanguinem proximi tui*. Et prohibitio odii ſecundum illud Levit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publice argue eum*.

Sexto, quod eſt de adulterii prohibitione, ſuperadditur præceptum de prohibitione meretricii, ſecundum illud Deuter. 23. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael*. Et prohibitio vitii contra naturam ſecundum illud Levit. 18. *Cum maſculo non commiſceaveris*. Et vitium beſtialitatis ſecundum illud Levit. 18. *Cum omni pecore non coibis*.

Septimo de prohibitione furti ſuperadditur prohibitio uſuræ, ſecundum illud Deut. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram*, & prohibitio fraudis, ſecundum illud Deut. 25. *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus*. Et univerſaliter omnia, quæ pertinent ad calumniam & rapinam.

Octavo, quod eſt de prohibitione falſi teſtimonii, ſuperadditur prohibitio falſi judicii, ſecundum illud Exodi 23. *Nec in judicio plurimorum ſententiæ acquieſces, ut a vero devies*. Et prohibitio mendacii ſecundum illud ibidem: *Mendacium fugies*, & prohibitio detractionis, ſecundum illud Levit. 19. *Non eris criminator, nec ſuſurro in populo*.

Alii duobus præceptis ultimis nulla alia adduntur, quia omnis mala concupiſcentia etiam aliorum vitiorum per ea prohibetur. Propterea autem magis prohibetur ſpecialiter deſiderium adulterii & furti, quam aliorum vitiorum, ut homicidii & hujuſmodi, ex eo quia delectatio adulterii, & utilitas divitiarum ſunt ſecundum ſeipſa appetibilia, in quantum habent rationem boni delectabilis vel utilis. Sed homicidium & falſitas ſunt ſecundum ſe horribilia, quia proximus & veritas naturaliter amantur & non deſiderantur contraria eis, niſi propter aliud, & iterum, quia paſſiones iraſcibilis derivantur a paſſionibus concupiſcibilis; ideo in præceptis decalogi, quæ ſunt quaſi prima elementa legis, non erat mentio facienda de paſſionibus & vitiis iraſcibilis, ſed tantum concupiſcibilis, & in præceptis ſuperadditis decalogo reperiuntur in diverſis locis præcepta de omnibus virtutibus, ſed non ita aperte.

CAPUT IV.

De decalogo & ſingulis præceptis ejus in particulari.

DE ſingulis præceptis decalogi, quorum tria prima pertinent ad dilectionem Dei. Et illorum primum eſt: *Non habebis Deos alienos coram me, nec facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis, neque coles eas*, Exodi 20. Ad quod etiam facit, quod ait Dominus per pſal. 80. *Iſrael, ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ego enim ſum Dominus Deus tuus*. Iſrael interpretatur *videns Deum*, & ſignificat populum fidelem, qui ſi audit, ideſt obedit Deo, in mandatis legis ſuæ obſervat, quod ſequitur, quia hoc primum mandatum legis, ut ſcilicet non ſit in corde ſuo & credulitate alius Deus, quam verus Deus, qui eſt æternus. Omnis alius, qui opinione falſa haberetur Deus, eſſet *Deus recens*. Neque adoret cultu exteriori, quo quis proteſtatur fidem ſuam, Deos alienos extra Deum verum. Et quia ſapientis eſt ordinare ſecundum philoſophum: maxima autem ſapientia reperitur in lege divina; ideo cum maximo ordine poſita, ut numerata ſunt, ipſa præcepta, & ut iſtud ſit primum.

Ratio primi præcepti ponitur. Pro cujus delaratione dicit B. Thomas 2. 2. quæſt. 122. art. 2. quod ad legem pertinet homines facere bonos; & ideo oportet præcepta legis ordinari ſecundum ordinem generationis, ſecun-

5 Deeſt, ut videtur, hoc loco aliquid, ex. gr. *in quibus*, vel *de quibus*, aut aliquid ſimile.

6 *Sabbatum* addidimus, quod omnino deſiderabatur, ut conſideranti patebit.

secundum quam homo sit bonus. In ordine autem generationis duo sunt attendenda, quorum primum est, quod prima pars primo constituitur: sicut in generatione animalis primo generatur cor, & in domo primo fit fundamentum, & in bonitate animæ prima pars est bonitas voluntatis, ex qua homo utitur bene quacumque alia bonitate. Bonitas autem voluntatis attenditur ad objectum suum, quod est finis; & ideo in eo, qui erat per legem instituendus ad virtutem, primo oportuit quasi jacere quoddam fundamentum religionis, per quam homo debite ordinatur in Deum, qui est ultimus finis humanæ voluntatis. Secundum, quod attenditur in ordine generationis, est, quod prius impedimenta, & contraria tollantur, sicut agricola prius purgat agrum, quam seminet. Et ideo circa virtutem religionis prius erat homo instituendus, ut impedimenta vere excluderet, quam quod actus ejus exerceret, scilicet in colendo eum: præcipuum autem impedimentum religionis est, quod homo inhæreat falso Deo, secundum illud Matth. 7. *Non potestis servire Deo, & Mammonæ*; & ideo rationabiliter in primo præcepto excluditur cultus falsorum deorum. Prius ergo erant præmittenda præcepta negativa, quibus tollerentur impedimenta religionis, scilicet infidelitas per primum præceptum, & irreverentia per secundum, & postea jaciendum fundamentum religionis per cultum exhibendum vero Deo, quod fit in tertio præcepto, scilicet de sanctificatione sabbati. *Non* ergo *sit in te Deus recens*, ut credas vel colas alium Deum quam æternum, *neque adorabis Deum alienum*, ut notat B. Thomas in libello de decem præceptis.

Quattuor faciebant fideles contra hoc præceptum, quos divini & multi imitantur fideles.

§. I. Sicut contra istud præceptum primum: *Non habebis* vel *adorabis deos alienos*, faciebant antiqui pagani quadrupliciter; ita & nunc mali fideles quasi eos imitantes.

Quidam enim colebant cælestia corpora credentes astra esse Deos. De quibus dicitur Sap. 13. *Solem, & lunam, & gyrum stellarum rectores orbis credentes deos putaverunt*. Et ideo Moyses prohibuit Judæis, ne levarent oculos ad cælum, & adorarent solem & lunam & stellas, quæ fecit Deus in mysterium, idest in servitium nostrum, non in cultum eorum. Hos imitantur contra hoc præceptum agentes astrologi, qui dicunt rectores esse animarum corpora cælestia, & constellationibus, sub quibus nascuntur homines, necesse ad bonum vel malum trahi. Et hi pro hæreticis condemnantur, 24. quæst. 3. can. penult.

Quidam alii colebant inferiora elementa, de quibus Sap. 13. *Aut ignem, aut spiritum, aut aerem Deos putaverunt*. Chaldæi ignem pro Deo habebant, & quia Abraham cum fratribus suis, & patre Aram, noluerunt illum colere, dicentes non esse Deum, in ignem projecti sunt, ut experirentur vim ejus; sed fide evaserunt. Unde Abraham dicitur liberatus de Hur, idest de igne Chaldæorum. His similes sunt, qui inferioribus male utuntur, nimis amantes divitias. Unde & Apostolus dicit avaritiam esse idolorum servitutem, quia cultum, quem debet avarus Deo exhibere, & sollicitudinem exhibet nummo.

Tertii errantes colebant homines in Deos se vel alios. Aliqui enim nimis carnaliter amantes certas personas, ipsis mortui fecerunt eis imagines quas colebant in Deos, Sicut fecit Ninus de Bello patre suo. Unde Idola primo denominata sunt, ut dicerentur Bel vel Baal vel Bialim. Et Sap. 14. dicitur: *Acerbo luctu dolens pater, cito rapti sibi filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc quasi Deum colere cœpit*. His similes sunt, qui nimis amant aliquas personas sive præsidentes, ut pro eis non vereantur omnia mala facere, vel filios, quos male nutriunt, & ut dimittant divites, rapinas faciunt. Contra quos psal. 145. *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus*.

Aliqui vero fuerunt ita præsumtuosi, ut se facerent Deos nominare & colere secundum illud Ezechiel. 28. *Elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum*. Quod Nabuchodonosor conatus est facere per Holofernem ducem exercitus sui; sed confusus, ut patet in libro Judith 1. Hos imitantur, qui nimis credunt sensui suo, & qui voluptatibus corporis inhærent ut ultimo fini, de quibus Apostolus ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est*. Ceteri colebant dæmones, qui in statuis habitantes dabant responsa requisiti ad decipiendum homines, ut patet in legendis Apostolorum, de quibus psal. 95. *Omnes dii gentium dæmonia*. Hos imitantur facientes divinationes, incantationes, & vanas observationes, in quibus fiunt secundum Augustinum quædam pacta tacita vel expressa cum dæmonibus; & ideo ista facientes adorant deos alienos, idest dæmones, qui sunt alieni ab omni misericordia & veritate. Et quod graviter delinquant ista facientes, patet per illud, quod dicit Augustinus, & habetur 26. quæst. 7. *Non observetis. Non observetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Kalendas Januarii:* & infra: *Qui has vel quascumque divinationes, aut fata, aut auguria observat, aut attendit, aut consentit observantibus .... sive per quosdam numeros litterarum, & Lunæ, & per Pythagoricam necromantiam ægrotantium vitam, vel mortem, vel prospera, vel adversa futura inquirit, sive qui attendunt somnialia scripta, & falso Danielis nomine intitulata, & sortes, quæ dicuntur sanctorum Apostolorum, & auguria avium, aut aliqua pro domo facienda, vel propter conjugia copulanda, aut in collectionibus herbarum carmina dicunt, aut pictaciola*, idest brevia, *pro quavis infirmitate scripta, super homines & animalia ponunt, præter symbolum, & orationem dominicam, aut magicis falsitatibus in grandinariis tempestatibus credunt. Qui talibus credunt, aut ad eorum domus euntes, aut suis domibus introducunt, ut interrogent, sciant se fidem Christianam, & baptismum prævaricasse, ac ut Paganum & Apostata, idest retro abeuntem, & Dei inimicum, iram Dei graviter in æternum incurrere, nisi ecclesiastica pœnitentia emendatus Deo reconcilietur*. Hæc ibi. Et in canone præcedenti dicit idem: *Admoneant sacerdotes fideles populos suos, ut noverint magicas artes, & incantationes quibuslibet infirmitatibus hominum nil remedii posse conferre; non animalibus languentibus claudicantibusve, vel etiam moribundis quidquam mederi .... sed hæc laqueos esse, & insidias hostis antiqui, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur*. Ecce quomodo decipit, quia cum hujusmodi incantationibus immiscentur aliqua pia, ut orationes, credit se homo colere Deum, & colit diabolum, qui ibi operatur. Sed *non adorabis Deum alienum*, idest dæmones per incantationem præcipit Dominus per Moysen & per Psalmistam.

Deum colimus quadruplici ratione.

§. II. Quattuor autem rationes sunt, quibus, excluso cultu falsorum deorum, debemus verum Deum colere, quæ habentur in dicto libello B. Thomæ de Aquino, & possunt notari in eo, quod subditur in versu psalmi: *Ego enim sum Dominus Deus tuus*.

Prima est ex Dei largitate. Omne enim bonum naturale vel temporale vel spirituale a Deo habemus. *Quid* enim *habes* (ait Apostolus 1. ad Corinth. 4.) *quod non accepisti?* Psal. 103. *Aperiente te manum tuam*, scilicet largæ providentiæ, *omnia implebuntur bonitate*. Et omnia in

nihilum redirent, niſi manus omnipotentis ea ſuſtentaret, ait Gregorius; unde dicit: *Ego ſum*, ſcilicet do eſſe omnibus, & conſervo, & ſolus habeo eſſe immutabile; & ideo ut verus Deus adorandus. Nimis ingratus eſt, qui Deum non colit, a quo omnia bona recepit: Deut. 32. *Numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſidet, & fecit, & creavit te?* qui autem non recognoſcit beneficia ejus, & non colit eum, ſimilis eſt illis Iſraelitis, qui educti de deſerto cum tot mirabilibus oſtenſis, coluerunt Deos, dicentes: *Hi ſunt dii tui, filii Iſrael*, Exodi 32.

Secunda ratio, quare debemus eum colere, & non alium Deum, eſt ex præmii numeralitate ſeu magnitudine. In nulla enim lege promittitur obſervatoribus ejus tantum præmium. In lege Machometi promittitur Sarracenis pro præmio obſervationis ejus fluvius lactis & mellis. Judæi exſpectabant terram promiſſionis, & exſpectant reverſionem illius; ſed Chriſtianis promittitur gloria Angelorum. Unde & Apoſtolus ad Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam*, Matth. 22. & Luc. 20. *Æquales ſunt Angelis Dei.* Unde dicit: *Ego ſum Dominus*. Dominus dicitur quaſi do mundus, ſcilicet gloriæ: pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.*

Tertia ratio eſt ex ſua dignitate, quod, ut dicitur Eccleſ. 1. *unus eſt altiſſimus creator omnium, omnipotens, rex potens, & metuendus nimis*. Sapientiſſimus eſt, quia *omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus*, ad Heb. 4. unde Deus latine græce *theos* dicitur, & theos derivatur *ab ythin* quod eſt videre, quia omnia videt.

Quarta ratio eſt ex pacti fidelitate. Nam in baptiſmo quilibet abrenuntiat diabolo & pompis ejus, & obligat ſe ad ſervandum mandata Dei, & ad fidem, unde magnum ſupplicium meretur frangens promiſſum. Ad Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moyſi duobus aut tribus teſtibus moritur ſine ulla miſeratione; quanto magis putandum eſt deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit?* &c. Unde dicit: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, ſcilicet frater effectus per incarnationem, & quem elegiſti in Deum tuum ad Deum colendum.

Secundo præcepto prohibetur eſſe aliquid pertinēs ad irreligioſitatem.

§. III. De ſecundo præcepto, quod eſt: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*, Exodi 20. ſicut per primum præceptum excluditur vitium ſuperſtitionis, quod opponitur religionis virtuti ſecundum exceſſum, ne ſcilicet cultus divinus alteri tradatur, quam Deo vero; ita per ſecundum præceptum excluditur vitium irreligioſitatis, quod opponitur religioni ſecundum defectum, ne ſcilicet Deus contemnatur per defectum reverentiæ. Prius autem eſt Deum ſuſcipere ad colendum, quam eum ſuſceptum honorare; & ideo rationabiliter præmittitur primum præceptum, quo prohibetur ſuperſtitio; ſecundo, quo prohibetur perjurium & alia pertinentia ad irreligioſitatem ſeu irreverentiam Dei, Thomas 2. 2. quæſt. 122. art. 3. Et quamvis per hoc præceptum proprie & principaliter prohibeatur aſſumtio nominis Dei illa, qua aſſumitur nomen Domini ad confirmationem verbi per modum juramenti, ex eo quod illa eſt frequentatior apud homines, & præcepta decalogi ſunt de his, quæ prius in occurſum humani generis ſolent accidere; tamen poteſt ex conſequenti intelligi prohibita omnis inordinata divini nominis aſſumtio. Et ſecundum hoc reperiuntur diverſæ expoſitiones hujus præcepti. Item quamvis nomina Dei ſint multa, tamen quia reverentia debetur nominibus Dei ratione rei ſignatæ, quæ eſt una, ſcilicet divinitas, non ratione vocum ſignificantium, quæ ſunt multæ; ideo ſignanter in ſingulari dicitur: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Idem Thomas. Frequenter peccatores faciunt contra iſtud præceptum; propter quod dici poteſt illud pſal. 38. *Univerſa vanitas omnis homo vivens*. Homo aliquando ſecundum Gregorium in Moral. ſignat naturam cum culpa. Unde 1. ad Cor. 3. dicit Apoſtolus: *Quum ſit in vobis zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* ideſt ſecundum ſenſualitatem culpabilem. Eſt autem talis homo, ideſt peccator, *univerſa vanitas*, ideſt vanus omnimodæ vanitatis. Dicitur enim vanum quadruplex. Primo vanum, ideſt falſum: juxta illud pſal. 1. *Vana*, ideſt falſa, *locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum*. Secundo dicitur vanum, quod eſt injuſtum ſeu illicitum: Eccleſ. 11. *Adoleſcentia & voluptas vana ſunt*, ideſt adoleſcens voluptuoſus illicita committit. Tertio dicitur vanum inutile ſeu indiſcretum, ſecundum illud Hierem. 51. *Vana opera eorum & riſu digna*. Quarto dicitur vanum, quod non conſequitur finem ſuum, ad quem ordinatur: Sap. 13. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*, quia non pertingunt ad primam veritatem, ad quam ordinatur omnis ſcientia: & illud pſal. 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum*, ſcilicet conſcientiæ & animæ ædificio virtutum, *in vanum laboraverunt, qui ædificant eam*, quia non acquiruntur eas. *Omnis* igitur *homo*, ideſt peccator, eſt *univerſa vanitas*, ideſt vanus omnibus his modis.

Vanum dicitur quadrupliciter.

Sciendum autem, quod nomen Domini aſſumitur ad quattuor, ut habetur in textu B. Thomæ de præceptis. Primo ad ſanctificationem. Secundo ad confeſſionem. Tertio ad auxilii implorationem. Quarto ad dicti ſui confirmationem. Sed peccator in his quattuor modis aſſumit *in vanum*.

Nomen Dei quattuor modis aſſumitur.

Quantum ad primum ſumitur aliquando nomen Dei ad ſanctificationem, ſcilicet quum nominatur hoc, ut ſanctificet, ideſt purificet hominem a peccatis, quod præcipue fit in ſacramento baptiſmatis & pœnitentiæ, quæ ordinata ſunt ad purgationem peccatorum, 1. ad Corint. 6. *Abluti eſtis*, ſcilicet per baptiſmum, *ſanctificati eſtis in nomine Domini*. Dicit enim baptizans: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, qui ſunt unus Deus: abſolvens in pœnitentia: *Ego te abſolvo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Unde Dominus dixit ſacerdotibus veteris teſtamenti: *Vos ponite nomen meum ſuper filios Iſrael*, ſcilicet invocando in collatione ſacramentorum, *& ego Dominus benedicam eos*, ſcilicet conferendo virtutem & effectum eorum, Num. 6. Sed illi invocabunt nomen meum. Sed in vanum aſſumit in hoc nomen Domini, qui male utitur ſacramentis, conferendo vel accipiendo ea in peccato mortali; quia talis non conſequitur ſanctificationem, ad quod ordinantur ſacramenta, & ſalvationem, ſed culpam mortalem & damnationem; & ſic in vanum aſſumit nomen Dei invocatum, unde Auguſtinus & Leo Papa: Sacramenta talia fiunt unicuique, cum quali conſcientia quis accedit. Qui ergo irreverentiam facit ſacramentis, contra illud præceptum agit: & quia fit frequenter; ideo *univerſa vanitas omnis homo vivens.*

Ex LXX. Interp.

Secundo ſumitur nomen Domini ad confeſſionem. Et hoc vel prædicando, & docendo, vel laudando Deum: pſal. 104. *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus*, ſcilicet prædicando, ſicut Paullus, de quo dixit Dominus Act. 9. *Portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael*. Sed invanum ſumit, qui falſa prædicat, vel docet, ut hæretici, quia non ſequitur fructus ſalutis inde, ad quem eſt ordinata prædicatio. Unde una gloſſa ſuper hoc præcepto dicit: Non dices creaturam eſſe, ſci-

ſcilicet puram, Chriſtum filium Dei, quod Judæi faciunt, & talis peccat mortaliter, falſa ſcienter prædicans, ſecundum Thomam in 4. Sumitur etiam nomen Dei ad laudandum, ſecundum illud Iſaiæ 43. *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum*: & illud pſal. 112. *Laudate nomen Domini*. Sed invanum aſſumit, qui illud nominat in deriſionem in cantilenis mundanis, vel quod pejus eſt, blaſphemando & maledicendo; quod utique eſt mortale & contra iſtud præceptum ſecundum Thom. 2. 2. quæſt. ubi ſupra. Contra quos conqueritur Dominus dicens per Iſai. 52. *Jugiter nomen meum blaſphematur tota die*: & de blaſphemia habes diffuſe in 2. par. tit. 7. cap. 5.

Tertio ſumitur nomen Domini ad auxilii imploratione. Prov. 18. *Turris fortiſſima nomen Domini: ad eam confugiet juſtus, & ſalvabitur:* & Hierem. 14. *Nomen tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos*. Et ad hoc, ut citius aliquis obtineat auxilium in oratione, adjungit votum aliquod. Sed invanum aſſumit nomen Domini, qui in oratione voluntarie diſtrahitur ad alia. Contra quos dicitur Matth. 15. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe eſt a me, ſine cauſſa*, ideſt utilitate *colunt me*: & multo magis invanum aſſumit nomen Dei, qui vota facit pro illicitis, vel licita non implet: & quia peccatores in hoc frequenter incidunt; ideo *univerſa vanitas omnis homo vivens*. De tranſgreſſione votorum habes diffuſe in 2. part. tit. 11. per totum.

Diſtinctio in oratione vetita.

Quarto ſumitur nomen Dei ad confirmationem dictorum, ſcilicet per juramentum: quamvis enim aliquando juretur per creaturas, aut per Evangelium, per fidem, per ſanctos, per corpus ſuum, & hujuſmodi, implicite aſſumitur nomen Dei: per illa enim juratur, in quantum veritas, vel bonitas, aut virtus Dei in illis manifeſtatur. Eſt enim jurare ſecundum Auguſtinum Deum in teſtem invocare ſuorum verborum. Sed ut dicit Hieronymus tractans illud Hieremiæ: *Et jurabunt in nomine meo in judicio & juſtitia & veritate: Animadvertendum eſt quod jusjurandum debet habere tres comites, judicium, juſtitiam, & veritatem. Siquid horum defuerit, non juramentum, ſed perjurium erit*, 22. quæſt. 2. can. 2. & contra iſtud præceptum aut præter ipſum.

Ad jusjurandum requiritur judicium juſtitia, & veritas.

Primo enim requiritur veritas, ut juret, quod credit eſſe verum. Nam jurando [1] ſcientes falſum, quocumque modo, & cauſſa, ſemper peccat mortaliter, ſecundum Thomam 2. 2. & tunc proprie agit contra iſtud præceptum aſſumens nomen Dei in vanum, ideſt ad aſſerendum falſum; unde dicit ſcriptura Levit. 19. *Non perjurabis in nomine meo*, ideſt non jurabis falſum.

Secundo requiritur juſtitia in juramento, quod videtur habere locum in promiſſorio juramento, ut ſcilicet juretur, quod ſit juſtum & licitum. Nam jurando facere quod eſt iniquum, ſervari non debet, ſicut fecit Herodes, amputare faciens caput Joannis Baptiſtæ propter jusjurandum. Et peccat mortaliter, quando jurat quid illicitum, quod ſit mortale, ut occidere hominem, non facere pacem, & hujuſmodi; & tunc aſſumit nomen Dei in vanum, ideſt pro re illicita.

Tertio requiritur judicium, ideſt diſcretio, ut ſcilicet non juretur, niſi in caſu neceſſitatis vel magnæ utilitatis; non enim pro re vili vel joco debet jurari, etiam veritatem dicendo, & juſtum promittendo. Unde dicit Auguſtinus, quod juramento quis uti debet ut medicina, ſcilicet pro neceſſitate; alias jurando leviter, ut communiter fit, etſi verum ſit & licitum, quod juratur, eſt peccatum, non tamen mortale, [2] niſi fieret in contemtum: & ſic ſumitur nomen Dei in vanum, ideſt pro inutili, & eſt præter, non contra illud præceptum. Perjurans autem ſecundum Thomam in dicto libello injuriatur, & facit irreverentiam Deo, quia videtur ſentire eum eſſe ignorantem, & neſcire verum vel falſum dicti ſui, vel malitiam in eo, quaſi diligat Deus mendacium, cujus teſtem inducit, vel impotentiam, quaſi non poſſit punire. Proximo eſt nocivus, quia ſocietas hominum invicem conſervari non poſſet, niſi crederetur verbis eorum. Dubia autem confirmantur juramento ſecundum illud ad Heb. 6. *Omnis controverſiæ finis ad confirmationem eſt juramentum*, & eſt ſibi ipſi crudelis, qui ſe obligat ad hoc, ut puniatur, ſi non dicit verum in jurando. Exemplum in hiſtoria Eccleſiaſtica de tribus, qui falſo juraverunt contra aliquem accuſantes de crimine Et unus dixit, quod combureretur, ſi non juraret verum. Secundus, quod leproſus efficeretur. Tertius, quod cæcus efficeretur; & omnibus evenit, quod ſibi imprecatus eſt, cunctis notificata veritate per unum illorum. De juramento & perjurio habes diffuſe in 2. parte tit. 10.

2

Perjurii gravitas.

§. IV. De tertio præcepto, quod eſt: *Memento, ut diem ſabbati ſanctifices*, Exod. 20. Excluſis his, quæ prohibent debitum cultum Deo exhibere, ſcilicet infidelitate, ſuperſtitione, & irreverentia per primum & per ſecundum præceptum, conſequens fuit, ut poneretur tertium præceptum, per quod homo in vera religione fundaretur. Ad religionem autem pertinet debitum cultum Deo exhibere. Sicut autem divina nobis traduntur in in ſcripturis ſacris ſub ſimilitudinibus rerum corporalium, ut intuitus, & cognitio Dei dicatur oculus ejus & hujuſmodi; ita & cultus exterior Deo exhibetur ſecundum aliquod ſenſibile ſignum. Et quia ad interiorem cultum, qui conſiſtit in oratione & devotione magis ducitur homo ex interiori inſtinctu Spiritus ſancti, præceptum legis dandum fuit non de eo, ſed de exteriori cultu, ſecundum aliquod ſenſibile ſignum. Et quia præcepta decalogi ſunt quaſi quædam prima & communia legis principia; ideo in tertio præcepto decalogi præcipitur exterior cultus Dei ſub ſigno communis beneficii, quod pertinet ad homines, ſcilicet ad repræſentandum opus creationis mundi, a quo requieviſſe Deus dicitur ſeptimo die. In cujus ſignum dies ſeptima, ſcilicet ſabbati, mandatur ſanctificanda, ideſt deputanda ad vacandum Deo & colendum eum. Eſt autem iſtud præceptum morale ſecundum litteralem intellectum quantum ad hoc, ut homo aliquod tempus deputet vitæ ſuæ ad vacandum Deo & divinis rebus; & ſic ſemper obligans. Sed cæremoniale eſt quantum ad determinationem diei, ſcilicet ſeptimi; & ſecundum hoc non obligat, immo nec debet ſervari, ſicut nec alia cæremonialia. Hæc Thom.

Fundatur homo in vera religione per tertium præceptum.

Nota.

Iſtud præceptū partim eſt morale, & partim cæremoniale.

1 Etiam in dubio jurans, immo & jurans aliquid ſine debito examine, quum pejerandi periculo ſe exponat, peccat mortaliter, etiamſi forte verum juret: quia ſolum pejerandi periculum, cui ſe quis libere exponit, gravem culpam inducit. Vide part. 2. tit. 10. cap. 4. §. 1. not. 2. pag. 1070. ac præſertim not. 1. in cap. 7. pag. 1099.

2 Adde & aliam exceptionem in praxi maxime notandam, *niſi jurandi facilitas conſuetudinem induceret*, ut fere accidit: ſicut enim conſuetudo jurandi, quum ſit obnoxia pejerandi periculo, graviter culpabilis eſt ex obſervandis not. 1. in cap. 7. tit. 10. part. 2. pag. 1099. ita juramenta levia, quæ hanc conſuetudinem graviter malam inducunt, etſi ſolo judicio careant, graviter culpabilia ſunt.

Thom. 2. 2. quæſt. 122. art. 4. Et ad hoc poteſt induci illud pſal. 80. *Buccinate in neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ, quia præceptum in Iſrael eſt.* Ubi tria nota: primo, quod feſtum eſt obſervandum ibi: *Quia præceptum in Iſrael eſt.* Secundo, quod tempus eſt determinandum, ibi: *In inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* Tertio, quod opus in eo eſt declarandum, ibi: *Buccinate in neomenia tuba.*

Quantum ad primum nota, quod plures ſolemnitates habebant Judæi figurativas noſtrarum, ut dicetur. Et hi dies dicebantur inſignes propter inſignia aliqua facta in eis, & præceptum erat illa cuſtodire, ſicut Chriſtianis ſua. Frequentior autem ſolenitas erat ſabbatum, in qua repræſentabatur majus & generalius inſigne, ſcilicet creationis mundi, cui fidelibus ſuccedit dominica, in qua commemoratur inſigne renovationis mundi per Chriſti reſurrectionem & noſtram. Præceptum autem in Iſrael erat ſabbatum cuſtodiri, propter quattuor rationes ſecundum B. Thomam in tractatu de decem præceptis.

Sabbatum erat cuſtodiendū propter quattuor rationes: nunc autem Dominica dies.

Primo ad deſtructionem erroris. Prævidit enim Spiritus ſanctus, quod aliqui venturi erant, qui dicerent mundum ſemper fuiſſe, ut philoſophi antiqui. Voluit ergo Deus, ut cuſtodiretur unus dies hebdomadæ in memoriam, quod Deus omnia creaverit in ſex diebus. Et in ſeptima requievit, ideſt ceſſavit a novis condendis creaturis. Unde Exodi 20. aſſignans Dominus hanc rationem: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptima autem die ſabbatum Domini eſt. Non facies in ea omne opus*: & paullo poſt: *Sex enim diebus fecit Deus cælum & terram & mare & omnia, quæ in eis ſunt, & ſeptimo die requievit.* Judæi ergo celebrabant ſabbatum in memoriam primæ creationis; ſed quia Chriſtus adveniens fecit novam creationem, ut Apoc. 21. *Ecce nova facio omnia*, quæ melior eſt prima, quia per primam homo factus eſt terrenus, per ſecundam factus eſt cæleſtis; unde ad Gal. 6. *In Chriſto Jeſu nec circumciſio, nec præputium aliquid valet, ſed nova creatura*, quæ eſt per gratiam, quæ incœpit in reſurrectione Chriſti. Unde ad Rom. 6. dicitur: *Chriſtus reſurrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Quæ reſurrectio, quia facta eſt in Dominica; ideo Eccleſia præcepit, *De conſecr.* Diſt. 3. can. 1. *Pronuntiandum*, omnem diem Dominicam ad honorem reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri de veſpera ad veſperam feſtive obſervari.

Secunda ratio, quare præceptum fuit dies ſabbati, eſt in inſtructionem fidei redemtoris. Quieſcendo enim ſabbato, figurabant Judæi, quod Chriſtus in ſepulchro mortuus debebat quieſcere in ſabbato. Quievit autem per hoc, quod caro ejus non vidit corruptionem: pſalm. 15. *Caro mea requieſcet in ſpe*, ſcilicet reſurrectionis. Et iterum: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Eſt enim quaſi quædam quies hominis, dum quod naturaliter appetit, ſcilicet non corrumpi, ſed cum ſuo corpore manere unitam, hoc evenit, ſicut in Chriſto. Sicut ergo ſacrificia Judæorum ſignificabant Chriſti mortem; ita ſabbatum Chriſti quietem in ſepulchro, quod credere pertinet ad fidem. Et quia adveniente veritate figura debet ceſſare; ideo ex quo Chriſtus jam quievit in ſepulchro, & a mortuis reſurrexit; ideo non ſabbatum, ſed dominicam debemus celebrare. Unde *De conſecr.* Diſt. 3. *Pervenit*, dicitur, quod illi, qui dicunt ſabbatum cuſtodiendum, ſunt *prædicatores Antichriſti*, qui faciet celebrari ſabbatum & dominicam. Verum eſt, quod talem diem, ſcilicet ſabbati, deputamus ſpecialiter honori Virginis Mariæ, quia in illa die, ſcilicet ſepulturæ Chriſti in ea ſola remanſit fides plena de Chriſto. Et quia ſicut Deus *requievit ſeptimo die* in creatione mundi, ita requievit in Virgine per incarnationem recreando mundum. Aliqua ergo facere illa die ob honorem Virginis, laudabile eſt; non tamen ab operibus ceſſare, ne videamur judaizare.

Cur ſabbatum Mariæ cultui deputatum.

Tertia ratio eſt ad inflammationem amoris: corpus enim terrenum de ſui natura terrena appetit. Et ideo homo ſecundum illam partem, a qua communiter deprimitur, ſemper ad terrena tendit, niſi conetur ſe elevare ab eis; & ideo oportet habere certum tempus, in quo quum non liceat ei vacare operibus, detur ei materia vacandi ſpiritualibus. Sicut enim corpus indiget aliquo tempore ad refectionem ſui, quæ fit per ſomnum, comeſtionem, & hujuſmodi, alias deficeret in operando, & vivendo; ita & anima indiget refectione ſpirituali, ne deficiat, quæ fit per orationes, & alia ſpiritualia. Et aliqui quidem ſemper faciunt ſabbatum, ſcilicet ſemper vacando Deo, ut perfecti. Aliqui frequenter, ut boni clerici & religioſi. Sed & laici debent habere ſuum ſabbatum, quo quieſcentes ab operibus exterioribus, vacent Deo, ſcilicet feſta Chriſtianorum, ne nimis tepeſcant in divinis: Iſai. 58. *Erit ſabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum:* & quia etiam ſervi & ancillæ debent habere tempus ad vacandum Deo; ideo Dominus præcepit Deut. 5. *Cuſtodi ſabbatum Dei tui .... ut requieſcat ſervus tuus, & ancilla*, quod eſt contra illos, qui faciunt diebus feſtivis ſervos laborare.

In feſtis vacandum Deo eſt.

Quarta ratio eſt ad roborandam veritatem promiſſionis: promittitur enim nobis quies perfecta in alia vita, quam ſignabat dies ſabbati. Sed oportet prius operari ſex diebus, ideſt in vita præſenti, quod modicum eſt reſpectu perpetuæ futuræ quietis: Eccleſiaſtici 51. *Modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem*, Iſai. ult. *Erit ſabbatum ex ſabbato.* Quia ſcilicet ad illam quietem æternam, quæ ſabbatum dicitur, non pervenitur, niſi ex quiete mentis liberatæ, ſcilicet a paſſionibus & vitiis, Matth. 11. *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me* (ait Chriſtus) *quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.*

Quantum ad ſecundum ſciendum, quod ſicut non ſolum ſabbatum in veteri teſtamento erat in præcepto, ſed & aliæ ſolemnitates; ſic in novo non ſolum dominica dies, ſed & multæ aliæ ſolemnitates, quæ figuratæ ſunt per illas quoad principaliores, & quælibet dicebatur inſignis dies ſolemnitatis propter aliquid inſigne in illa factum: & ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 102. art. 4. ſeptem erant ſolemnitates temporales in illo populo, ut poteſt colligi Num. 28. & 29. Prima erat & iterabatur qualibet ſeptimana, ſcilicet ſabbatum, quæ celebrabatur in memoriam creationis rerum. Cui reſpondet in novo teſtamento feſtum dominicæ in memoriam reſurrectionis, per quam facta eſt creatio ſpiritualis mundi. Secunda ſolemnitas iterabatur quolibet menſe, & dicebatur neomenia, quod celebrabatur in memoriam gubernationis rerum. Nam hæc inferiora præcipue variantur ſecundum motum lunæ; & ideo celebrabatur in novitate lunæ. Cui reſpondent feſta Virginis, quæ ſunt plura, quæ lunæ aſſimilantur. Et ipſa ſuis meritis, & precibus ſuſtentat mundum, & quaſi regit; unde *regina mundi* dicitur. Alia feſta celebrabantur ſemel in anno, ut feſtum paſchæ valde ſolemne, quod durabat ſeptem diebus, primo menſe in memoriam liberationis de Ægypto. Cui reſpondet feſtum nativitatis Chriſti, per quod inchoative liberatum eſt genus humanum de ſervitute diaboli. Aliud erat inde ad quinquaginta dies, ſcilicet pentecoſtes, in memoriam legis datæ

De aliis feſtis præter ſabbatum apud Judæos, & præter Dominicā apud Chriſtianos.

tæ in monte Syna. Cui reſpondet feſtum Spiritus ſancti dati in monte Syon cum lege evangelica. Erat & quintum feſtum prima dies ſeptembris, quod dicebatur tubarum, in commemorationem liberationis Iſaac, quando Abraham invenit arietem, quem obtulit pro eo. Et etiam erat iſtud feſtum quaſi quædam invitatio, ut præpararent ſe ad feſtum ſequens. Cui reſpondent feſta Apoſtolorum, qui tubis prædicationum invitaverunt mundum ad feſtum ſupernum. Sextum feſtum erat expiationis decima die ſeptembris in memoriam beneficii, quo Deus propitiatus eſt populo Iſrael in adoratione vituli aurei ad preces Moyſi. Cui reſpondet feſtum aſcenſionis Chriſti, qua aſcendit, ut ſit propitiatio pro peccatis noſtris apud Patrem. Septimum erat feſtum ſcenopegiæ, ideſt tabernaculorum in eodem menſe ſeptem diebus in ſignum deductionis in deſerto, ubi habitabant in tabernaculis. Cui reſpondet feſtum Angelorum, qui nos deducunt & cuſtodiunt per deſertum mundi, ſicut illos Angelus Domini. Octavo autem die illius feſti erat aliud, quod dicebatur cœtus ſeu collecta. Cui reſpondet feſtum dedicationis Eccleſiæ vel omnium ſanctorum. Erant & aliqua feſta alia, ſed non ita ſolemnia, ut furni & encenia & hujuſmodi. Et ſic in Eccleſia, quæ debent celebrari, ut martyrum, & confeſſorum, prout Eccleſia ſtatuit, *De conſecr.* Diſt. 3. *Pronuntiandum*. Quælibet dicitur inſignis ſolemnitas propter inſigne in ea factum. Quilibet dictorum dierum debet ſanctificari, ut declarabitur; quia *præceptum in Iſrael eſt* de ea celebranda.

Hebræis erant feſta minora.

Quadruplex opus non debet fieri in die feſto.

Quantum ad tertium, opus, quod debet fieri in die feſto, ut ſanctificetur, eſt quadruplex declarandum. Primo corporalia opera abdicanda. Secundo mortalis culpa evitanda. Tertio totalis negligentia eliminanda. Quarto univerſalis noſtra ſubſtantia ſacrificanda. Unde dicit Pſalmiſta: *Buccinate*, ideſt ſonate *in tuba neomenia*, ideſt qua maxime utebatur in neomenia. Erat autem ſonitus tubæ ad quattuor, ſcilicet ad convocandum populum, ad vocandum & animandum ad prælium, ad epulum ſolennizandum, & ad laudandum Deum. Eſt enim feſtum ordinatum ad vacandum Deo. Et per iſta optime vacatur, ut impleatur illud pſal. 45. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus*.

Primo non debet fieri opus ſervile, ideſt manuale in feſto: Hierem. 17. *Sanctificabis ſabbatum, & non facies opus ſervile in eo*, ideſt corporale. Eſt enim peccatum mortale operari in feſtis ſine cauſſa urgente & rationabili. Unde Numer. 15. quemdam Judæum inventum colligere ligna in ſabbato juſſit Dominus lapidari. Quæ autem opera corporalia prohibeantur, habes diffuſe in ſecunda parte tit. 9. cap. 4. de negligentia bene operandi. *Buccinate* ergo *tuba* in feſto, ideſt vocate populum, ut dimittat opera.

Peccatum in die feſto quale.

Secundo vitanda eſt mortalis culpa, Hierem. 17. *Cuſtodite animas veſtras, ut non portetis pondus in die ſabbati*. Pondus permaxime eſt peccatum ſecundum illud pſal. 37. *Sicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*, ſcilicet iniquitates, Levit. 23. *Omne opus ſervile non facietis in eo*, ſcilicet ſabbato. Opus maxime [3] ſervile eſt peccatum, quod facit ſervum diaboli. Unde ſecundum Thomam magis facit contra iſtud præceptum peccans mortaliter in feſto, quam operans manualiter. Et talis circumſtantia, ſcilicet in die feſto, trahit peccatum in aliam ſpeciem. Nam fornicans in feſto facit contra duo præcepta, ſcilicet: *Non mœchaberis*, & illud de ſanctificatione ſabbati. *Buccinate* ergo *tuba* ad excitandum animam ad pugnam contra diabolum, ad reſiſtendum peccatis. Unde in figura dicit Iſai. 58. *Quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum*, ut ſcilicet caveant. Etiam Matthathias cum ſuis dixit 1. Machab. 2. *Quicumque venerit ad nos die ſabbati, pugnemus contra eum*.

Tertio vitanda eſt negligentia in feſtis, ne ſcilicet quis det ſe otio & ludis, quia laborare non habet, ſicut communiter fit. *Omnia* enim *mala docuit otioſitas*, inquit Sapiens Eccleſiaſtici 33. Unde dicitur Threnor. 1. *Viderunt eam hoſtes*, ſcilicet animam aut perſonam otioſam, *& deriſerunt ſabbata ejus* propter otium. Dicit B. Thomas 2. 2. quod vitium acidiæ, quod importat tædium bene operandi, eſt contra hoc præceptum. *Buccinate* ergo *in inſigni die ſolemnitatis tuba* ad epulum ſpirituale, ideſt ad audiendum verbum Dei, Johel. 2. *Canite tuba in Syon, congregate cœtu, vocate populum*. Act. 13. *Voces prophetarum, quæ leguntur per omne ſabbatum*.

Quarto eſt omnis noſtra ſubſtantia ſacrificio offerenda: ubi enim aliis diebus offerebatur unum ſacrificium, in ſabbato duplicabatur. Offerendum eſt ergo ſacrificium de anima per contritionem. De quo pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Levit. 16. *Sabbatum requietionis eſt, affligetiſque animas veſtras*, ſcilicet per contritionem, ſecundum Origenem examinando conſcientiam, & dolendo de commiſſis. Offerendum eſt corpus per ſobrietatem: Apoſtolus Rom. 12. *Exhibeatis corpora veſtra Deo hoſtiam*, ideſt in ſacrificium. Unde Auguſtinus reprehendit commeſſationes & ebrietates, quæ fiunt in feſtis, & magis, quam in aliis diebus, Diſt. 44. *Commeſſationes*. Debet etiam corpus exerceri in eundo ad Eccleſias, indulgentias participando, faciendo diſciplinas, & ad laudes divinas ire: pſal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*. Offerenda eſt terrena ſubſtantia dando eleemoſynas magis quam aliis diebus: 2. Eſdræ 8. *Mittite partes eis, qui non præparaverunt ſibi*, ideſt pauperibus. *Sanctus enim dies Domini eſt*. *Buccinate* ergo *tuba* ad laudandum Deum, juxta illud pſalm. 150. *Laudate eum in ſono tubæ*. Et ſic ſanctificatur ſabbatum, ſeu feſtum, & ſervatur Domini præceptum.

Quarto præcepto obligamur parentibus & majoribus.

§. V. Quartum præceptum eſt: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam tibi daturus eſt Dominus*, Exodi 20. Hoc Chriſtus inducit Matth. 15. Poſt præcepta primæ tabulæ, quæ nos ordinant ad Deum, congrue in præceptis ſecundæ tabulæ, quæ nos ordinant ad proximum, primo ponitur iſtud de honoratione parentum; quia ſicut Deus eſt principium univerſale eſſendi omnibus, ita Pater eſt quoddam principium eſſendi Filio. Et quamvis ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 100. art. 5. & 2. 2. quæſt. 122. art. 5. ſub iſto præcepto includatur non ſolum veneratio fienda omnibus ſuperioribus conſanguineis, & prælatis ab inferioribus, ſed etiam proviſio & gubernatio fienda inferioribus a patribus & præſidentibus, ac etiam beneficiorum omnium exhibitio omnibus proximis quoad eleemoſynas corporales, & ſpirituales, quum debentur ab omnibus; tamen expreſſe non fit mentio niſi de honore parentum. Et ratio eſt, quia quum, ut dictum eſt, præcepta decalogi ſunt de his, quæ ſtatim ratio naturalis per ſe apprehendit eſſe ſervanda, debitum filii a patre eſt adeo manifeſtum, quod nulla poteſt tergiverſatione negari, eo quod pater eſt principium generationis & eſſe filio. Sed quod aliquod beneficium, vel obſequium ſit exhibendum aliis, non ita ſtatim dictat ratio naturalis ſicut parentibus. Et ideo de beneficiis aliis exhibendis non datur

Extenſio hujus præcepti.

in

[3] Confer not. 8. in cap. 7. tit. 9. partis ſecundæ pag. 979.

Notanda ſunt tria circa hoc præceptum.

in decalogo ſpeciale præceptum, & eadem ratione, quia parentes non videntur debitores eſſe filiis propter aliqua beneficia ſuſcepta ab eis, ſed e converſo; ideo non datur præceptum etiam de cura parentum erga filios; ſed tamen, ut dictum eſt, ſub hoc præcepto includitur. Item quia hoc eſt præceptum affirmativum, obligat ſemper, ſed non ad ſemper, ideſt ita quod omni tempore debeat quis actu venerari parentes, ſed pro loco & tempore, quum expedit. Et circa hoc videnda ſunt tria. Primo quæ ſit iſta paternitas, ſecundo quæ ſit iſta honorabilitas, tertio quæ ſit iſta remunerabilitas.

Quadruplex eſt paternitas veneranda.

§. VI. Quantum ad primum, nota, quod eſt quadruplex paternitas veneranda. Prima eſt carnalis, ſecunda præſidentialis, tertia temporalis, quarta ſacramentalis, & de qualibet poteſt dici illud pſal. 102. *Miſeretur pater filiorum*. De prima paternitate dicitur Eccleſiaſtes 7. *Honora patrem tuum, & gemitum matris tuæ ne obliviſcaris. Memento, quia niſi per illos natus non fuiſſes*. Ipſi enim generando dant eſſe poſt Deum. De ſecunda dicitur Deuter. 32. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi majores tuos, & dicent tibi*. Et Diſt. 96. *Quis dubitet*, ait Gregorius: *Quis dubitet ſacerdotes Chriſti, regum & principum, & omnium fidelium patres & magiſtros cenſeri?* De tertia, ſcilicet temporali, dicitur 4. Reg. 5. *Pater, ſi rem grandem dixiſſet tibi propheta, certe facere debuiſſes*: quæ fuerunt verba ſervorum dicta ad Nahaman dominum ſuum. De quarta dicit Symmachus Papa: *Omnes, quos in pœnitentia ſuſcepimus, ita noſtri ſpirituales ſunt filii, ut & ipſi, quos vel nobis ſuſcipientibus, vel trinæ merſionis vocabulo mergentibus unda ſacri baptiſmatis regeneravit*, 30. quæſt. 1. *Omnes*. Idem de ſacramento confirmationis. Quilibet horum patrum *miſeretur*, & miſereri debet *filiorum* ſuorum. Et *miſeretur pater filiorum* ſuorum vere providendo, eis in quattuor, in nutrimento, in documento in caſtigamento, & in exemplo.

Et primo quidem pater, carnalis ſcilicet, utique debet nutrire filios. *Non* enim, ait Apoſtolus, *filii debent theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis*. Unde & jura ſtatuerunt, quod legitima ſine magna cauſſa privari non poſſunt; unde malefaciunt, qui filios mittunt ad hoſpitale, & non provident eis, ſi poſſunt, quod contingit de conceptis ex fornicatione, vel alio illicito modo. Et in Decret. Diſt. 30. dicitur: *Si quis dereliquerit proprios filios, & eos non aluerit, &, quod pietatis eſt, neceſſaria non præbuerit, ſed ſub occaſione continentiæ eos negligendos putaverit, anathema ſit*, ideſt fiat. Non eſt enim 4 lata ſententia, ſed comminatio. Non tamen debent illicita aliqua facere, ut uſuras, & fraudes, vel alia mala, ut poſſint filios nutrire. *Qui* enim *diligit filiam aut filium plus quam me, non eſt me dignus*, ait Chriſtus Matth. 10. Pater ſecundus, ſcilicet præſidentialis, etiam debet pro poſſe de nutrimento providere filiis ſuis, ideſt ſubditis. Unde Petrus in canonica: *Paſcite eum, qui in vobis eſt, gregem*. Et Hieronymus: *Quidquid habent clerici, pauperum eſt, & domus eorum omnibus debent eſſe communes*, 16. quæſt. 1. *Quoniam*. Pater tertius, ſcilicet rector temporalis, debet ſubditis ut filiis providere de nutrimento, ut non ſit penuria in civitate, & quærere bonum commune, & præcipue pupillorum, viduarum & miſerabilium perſonarum cauſſas ut pater juvare, ut faciebat Job dicens: *Pater eram pauperum*, ejuſdem 29. Quartus pater, ſcilicet ſpiritualis, per adminiſtrationem ſacramentorum pœnitentiæ & aliorum ex congruo debet providere, & ſi ipſe non poteſt, ſaltem procurare pro filiis ſuis. Debet etiam pater quilibet miſereri filiis providendo de documento. Nam pater carnalis, & qui loco ejus eſt, habet curam filii quoad animam magis quam quoad corpus. Debet ergo animæ providere filio de nutrimento, quod eſt bona inſtructio, ut Eccleſiaſt. 7. *Filii tibi ſunt, erudi illos*. Ad Hebr. 12. *Patres carnis noſtræ habuimus eruditores*. Sic bonus pater Tobias docuit filium ſuum ab infantia timere Deum, & cavere ab omni peccato, ut dicitur Tob. 1. Pater præſidentialis multo magis tenetur filiis ſuis, ideſt ſubditis de eruditione. Unde dictum fuit primis patribus, & prælatis, ſcilicet Apoſtolis: *Euntes, docete omnes gentes .... docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*, Matth. ult. & 2. ad Timoth. 4. *Prædica verbum, inſta opportune importune*. Iſai. 58. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum*. Et quod per ſe non poteſt, vel neſcit, faciat per prædicatores, quia & ipſi patres dicuntur. Pater temporalis etiam debet admonere ſubditos ad bonos mores. Pater ſacramentalis multo magis. Debet enim confeſſor inſtruere confitentem de neceſſariis, & patrinus alumnum præcipue de credendis.

Educatio ſpiritualis.

Debet tertio miſereri pater filiis de caſtigamento, & pater & mater carnalis debent caſtigare filios delinquentes, & corrigere verbis & verberibus. Unde Proverbior. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium: qui diligit illum, aſſiduat ei flagella*. Et in eodem 23. *Tu percuties eum virga, & animam ejus ab inferno liberabis*. Nec debet exſpectare ad ipſum corrigendum, quia quum eſt magnus, incorrigibilis erit. Unde dicitur Proverb. 22. *Adoleſcens juxta viam ſuam ambulans etiam quum ſenuerit, non recedet ab ea*. Pater præſidentialis debet corrigere diverſis modis, Apoſtolus 1. ad Timot. 5. *Peccantes coram omnibus argue*. Sicut fecit ipſe excommunicans illum Corinthium, qui publicum commiſerat incæſtum tradens eum ſathanæ, 1. Cor. 5. Et Ambroſius: *Non oſculatur ſemper pater filium, ſed aliquando caſtigat. Ergo quum caſtigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur*, 5. quæſt. 5. can. *Non oſculatur*. Pater temporalis debet punire malefactores, Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere*. Auguſtinus: *Et qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coercet aliqua diſciplina .... miſericordiam præſtat*, Diſt. 45. *Et qui emendat*. Pater pœnitentialis ſibi confitentem debet verbis duris increpare, quum viderit expedire.

Caſtigatio debetur filiis.

Quarto debet pater filiis miſereri, exempla bona conferendo, quia plus movent exempla quam verba; propterea dicit Dominus: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans*, ideſt puniens *peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem*, Exodi 20. Non quod puniat filios pro peccatis parentum, ſed quia communiter filii imitantur exempla patrum in converſatione, & ſi mala exemplo dant parentes filiis

De bono exẽplo filiis exhibendo.

4 Poſterioribus decretis alicubi epiſcopalibus, alicubi vero etiam Pontificiis (peculiaria cujuſque loci conſulantur) nunc jam latæ ſententiæ excommunicatio incurritur ab iis, qui filios etiam ex illicito coitu ſuſceptos mittunt ad hoſpitalia, & ſumtus neceſſarios, ſi poſſunt, non conferunt. Obligantur etiam univerſim ad reſtitutionem, quippe qui filiis ſuis, qui ſibi alendi erant, uſurpant quæ aliis vere indigentibus legata fuerunt. Hinc Paullus III. in litteris datis ad Præſidentes & gubernatores hoſpitalis pietatis Veronenſis die 12. Nov. ann. 1548. excommunicationem tulit *per quemlibet contrafacientem incurrendam, a qua, niſi ſatisfactione prævia, aut vobiſcum per eos vel alios concordato, abſolvi nequeant*.

liis in pejerando, blaſphemando, furando, turpia perpetrando; ſimilia illi faciunt, & pro ſuis non paternis vitiis puniuntur ſecundum Auguſtinum. Pater præſidentialis permaxime debet exempla bonorum operum filiis præbere: Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*, dixit Chriſtus primis patribus novi teſtamenti. Et Gregorius ait: Scire debent prælati, quia ſi umquam deliquerint, tot mortibus digni ſunt, quot exempla perditionis ad poſteros tranſmittunt. Et de patre temporali dicit Iſidorus Diſt. 9. *Juſtum*: *Tunc princeps exiſtimet jura ſua ab omnibus ſervanda, quando ipſe primus eis reverentiam præbet*, ſcilicet ſervando. Communiter in populo Iſrael, quando boni fuerunt reges, bona exempla dantes operum, populus virtuoſe ſe habuit; quando autem mali, & populus ſecutus eſt exempla illorum, & demum utrique perierunt. Confeſſores etiam & patrini debent bona exempla præbere filiis ſuis ſpiritualibus.

Quadruplex eſt honor exhibendus parentibus.

§. VII. Secundo videndum, quis ſit honor, qui debetur patribus a filiis, intelligendo generaliter de omni paternitate: *Honora*, inquit, *patrem tuum, & matrem tuam*. 5 Et dicendum, quod eſt quadruplex honor exhibendus. Honor reverentiæ, honor obedientiæ, honor beneficentiæ, honor tolerantiæ.

De primo dicitur Eccleſiaſtici 3. *Qui timet Deum, honorat parentes, & quaſi dominis ſerviet his, qui eum genuerunt in opere, & ſermone, & omni patientia*. Manifeſtum eſt autem, quod ſervi dominis ſuis ſerviunt cum magna reverentia inſurgendo, caput inclinando, aſſociando, famulando, cum humilitate loquendo. Sic debent filii parentes revereri. Contra quod agunt, qui derident eos vel blaſphemant. Sed in punitionem eorum dicitur Proverb. 30. *Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrente, & filii aquilæ comedant eum*, ideſt tyranni, ſeu domini temporales puniant, vel dæmones excæcent mentem, & devorent. Et Exodi 21. *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur*. Patres etiam præſidentiales debent honorari reverentiam exhibendo eis. Auguſtinus in regula: In honore coram vobis prælatus ſit: ſunt enim miniſtri Dei. Et ideo etiam ſi ſunt mali, reverendi, ideſt non deſpiciendi, & mala eorum non manifeſtanda. Unde Nicolaus Papa: *Si de Domini ſacerdotibus, qui jure patres animarum dicuntur, aliquid contigerit vos audire, quod confuſionem piis mentibus ingerat, non infrunitum Cham, ſed pudoratos filios Noe imitantes, paternam de reliquo verecundiam contegatis*, Diſt. 96. *In Scripturis*. Patres temporales, ideſt domini ſunt reverendi, ſecundum illud 1. Petr. 2. *Deum timete, regem honorificate*. Ac etiam confeſſores & patrini ſunt honorandi: Malach. 1. *Filius honorat patrem ſuum*.

De ſecundo honore, ſcilicet obedientiæ, dicitur Joann. 8. *Ego honorifico patrem meum*, ait Chriſtus, ſcilicet ſervando mandata ejus. Et de parentibus carnalibus dicit Apoſtolus ad Col. 3. *Filii, obedite parentibus veſtris*. Et præcipue ad hoc tenentur in his, quæ pertinent ad domeſticam curam domus. Unde Proverb. 1. *Audi, fili, diſciplinam patris tui*, ideſt doctrinam & mandata, & *ne dimittas legem matris tuæ*. De parentibus ſpiritualibus, ideſt prælatis dicit Apoſtolus ad Hebr. ultimo: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*. Et Hieronymus: *Eſto ſubjectus pontifici tuo, & quaſi parentem animæ tuæ ſuſcipe*, Diſt. 95. *Sta*. Etiam de malis prælatis inquit Chriſtus: *Omnia quæcumque dixerint vobis, facite & ſervate*. Matth. 23. ſcilicet ſpectantia ad officium ſuum. De dominis temporalibus ait Petrus 1. Petr. 2. *Servi, ſubditi eſtote in omni timore dominis veſtris, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis*. Et ſimiliter patribus ſacramentalibus obediendum eſt, & facienda pœnitentia injuncta, quia illud eſt neceſſarium, & in aliis monitionibus, quia fructuoſum. Verum omnis iſta obedientia filiorum erga patres intelligenda eſt, quum præcipiunt juſta & licita, & quæ non impediant ſalutem vel ſalutis incrementum, ut dicit Hieron. 1. quæſt. 3. *Si Dominus*. Quum enim Deus, a quo omnis paternitas derivatur, aliquid jubeat, & contrarium parentes; obediatur ſummo patri, non terreno. Mater autem eſt Eccleſia, quæ utique non poteſt niſi juſta jubere, & ideo obedienda.

De tertio honore poteſt intelligi illud Eccleſiaſtici 3. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſuperveniat tibi benedictio a Deo*. Datur utique benedictio a Chriſto veniente ad judicium his, qui ſubvenerunt indigentibus. Sed primi, quibus tenetur homo ſubvenire in neceſſitate, ſunt parentes. Unde Chriſtus reprehendit ſcribas & phariſæos, qui inducebant homines ad faciendum vota oblationum in templo, & implendum ea, non curantes quod ex hoc parentibus eorum ſubtraherentur neceſſaria, declarans quomodo faciebant contra iſtud præceptum: *Honora patrem tuum*, non ſubvenientes indigentiis parentum. Hinc Ambroſius: *Ceterum Dei traditio eſt, ut prius paſcas parentes. Nam ſi juxta divinum oraculum contumelia parentis morte luitur; quanto magis fames, quæ multo gravior eſt?* Diſt. 86. *Ceterum*. Parentibus etiam ſpiritualibus, ſcilicet prælatis ſubveniendum eſt a populis. Dignum eſt enim, ut quibus ſeminant ſpiritualia, ab his metant corporalia ſubſidia in decimis, oblationibus, & eleemoſynis. Unde Apoſtolus 1. ad Tim. 5. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore ſunt digni*, ſcilicet reverentiæ & ſubventionis, vel duplici portione, quam alii clerici non prælati. Domini ergo temporales & rectores, ex quo laborant pro populo, ab eo debent ſuſtentari: ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita, cui honorem honorem, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal* &c. Quod inſtitutum eſt ad ſuſtentationem dominorum. Confeſſoribus etiam in neceſſitatibus ſubveniendum, & prædicatoribus, juxta illud Deuter. 25. *Non alligabis os bovi trituranti*. Non tamen ut pretium ſacramenti, vel verbi Dei tribuendum eſt, quia ſimonia eſſet, ſed per modum eleemoſynarum.

De quarto honore dicitur Eccleſiaſtici 3. *Fili, ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius; & ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne eum ſpernas in tua virtute*. Sic etiam & alii patres, ſive prælati, ſive domini temporales, ſive prædicatores & confeſſores tolerari debent in ſuis defectibus a ſubditis. Nec propter hoc poſſunt diſcedere ab obedientia eorum, & judicium eorum fugere, 8. quæſt. 4. *Nonne directa*. Et hoc niſi præciſi ſint per ſententias excommunicationis vel

5 Hoc loco in Jenſoniana Veneta editione an. 1479. inſerta leguntur hæc: *Unde in pſalmo dicitur de timente Deum & patrem*: Filii tui ſicut novellæ olivarum, *ſcilicet videbis per conſtantiam*, novellæ *per ſpecioſitatem modeſtiæ*, olivarum *fructuoſarum in opere miſericordiæ & eleemoſynarum*, *ſcilicet* in circuitu menſæ tuæ, *ideſt coram te patre ad honorandum, ſerviendum, & ſubveniendum, ſicut eſt quod ſane ipſi patri deficiat. Dicendum quod eſt quadruplex* &c.

vel ſuſpenſi; poſſunt tamen denuntiari ſuperioribus eorum, ut provideant. Et Auguſtinus dicit quod tolerandus eſt mercenarius. Difficile eſt diffinire, quando fiat contra illud præceptum; ita quod peccet mortaliter, niſi quum fit manifeſte magna injuria parentibus, ut contemnendo eorum monita, deridendo eos, contumeliando, verberando, non ſubveniendo in neceſſitatibus.

Remuneratio honorãtium parentes.

§. VIII. Tertio videndum eſt de præmio obſervationis hujus præcepti. Ubi ſciendum ſecundum Thomam, quod ad nullum aliud præceptum ponitur remuneratio obſervatoribus ejus, niſi ad iſtud, ſcilicet in decalogi deſcriptione. Et ratio eſt ſecundum eumdem 2. 2. non quia & aliorum impletio non habeat præmium, ſicut & iſtud; ſed quia quum iſtud ſit valde de inſtinctu naturæ, ſcilicet honorare parentes, poterat aliquibus oriri æſtimatio, eſſe ex hujuſmodi obſervatione nil meriti, quum natura ad hoc inſtigat, & ſic minus ſollicite implere: ſed propter hoc non caret mercede ſua a Deo; & ideo ponitur præmium, ſcilicet longævitas, ideſt longa vita, *ut ſis* (ait) *longævus ſuper terram*, viventium vel morientium.

Quadruplex remuneratio.

Eſt autem quadruplex vita, ſcilicet vita naturæ, vita gratiæ, vita famæ, vita gloriæ, & in qualibet ſit longævus per honorationem parentum.

Quantum ad vitam naturæ dicitur Eccleſiaſtici 3. *Qui honorat patrem, vita vivet longiori.* Quia pater eſt principium activum generationis; ideo frequentius fit mentio in Scriptura de honore patris quam matris: ſed ſub eo includitur etiam honor maternus eadem ratione, quia principium generationis, etſi paſſivum. Multum autem congruit talis remuneratio huic operi. Nam qui bene utitur beneficio conceſſo, meretur ſibi illud augeri. Quia ergo beneficium vitæ poſt Deum habet a parentibus, & bene utitur eos honorando, dignum eſt, ut augeatur ei vita. Quod autem aliquando contrarium inveniatur, quia honorantes parentes cito moriantur, & inhonorantes diu vivant; hoc accidit occulto Dei judicio propter aliud melius nobis ignotum.

De vita gratiæ dicitur Eccleſiaſtici 3. *Qui honorat patrem ſuum, jucundabitur in filiis*, vel naturalibus, quia bonos habebit honorantes eum, vel ſpiritualibus, quæ ſunt bona opera, quæ multiplicabuntur ei per gratiam, & dant ei jucunditatem ſpiritualem. Et ſubditur: *In die orationis exaudietur*.

De tertia dicitur Eccleſiaſtici 3. *Gloria hominis ex honore patris ſui, & dedecus filii pater ſine honore.* Gloria autem dicitur clara fama cum laude. Et iterum ibidem: *Quam malæ famæ eſt, qui derelinquit patrem, & maledictus a Deo, qui exaſperat matrem!* Dicitur autem bona fama quaſi quædam vita; quia per hanc vivit homo in memoriis aliorum.

De vita gloriæ dicitur Eccleſiaſtici 3. *Honora patrem tuum, ut ſuperveniat tibi benedictio a Deo*, ſcilicet gratiæ, *& benedictio ejus*, ſcilicet gloriæ, *in noviſſimo maneat*, ſcilicet in terra viventium. Et quum eſt contentio de aliquo inter patrem & filium, præponendus eſt pater filio in honore, quod non præjudicetur filio; tamen in veritate. Unde Auguſtinus: *Queritur pater de malo filio: queritur filius de duro patre: ſervamus honorificentiam patri, quæ ei debetur a filio... Non æquamus filium patri in honore, ſed præponimus filium patri in veritate*, ſcilicet ſi habet; *& ſic tribuimus honoris debitum, ut non perdat æquitas meritum* 2. quæſt. 7. *Queritur*.

De quinto præcepto.

§. IX. Quintum præceptum eſt: *Non occides*, Exodi 20. Poſt quartum præceptum, quod eſt primum in ſecunda tabula, quod eſt virtutis pietatis, qua redditur parentibus debitum, in quo includitur omne, quod proximo ſpeciali aliqua ratione fit; neceſſe fuit, ut ponerentur aliqua præcepta pertinentia ad juſtitiam proprie dictam, quæ indifferenter reddit omnibus debitum. Eſt autem debitum cuilibet, ut nulli inferat nocumentum; & ideo ponuntur illa præcepta negativa, quibus prohibentur nocumenta proximis. Omne enim nocumentum, quod infertur alteri, vel eſt in perſonam propriam, quod pertinet ad homicidium; vel in conjunctam per modum libidinis, quod pertinet ad mœchiam; vel in ſubſtantiam, quod pertinet ad furtum; vel in famam, quod pertinet ad falſum teſtimonium. Ultima duo prohibent deſideria mœchiæ, & furti, quia ad illa trahit concupiſcentia cordis ratione delectabilis vel utilis; non autem ſic trahitur concupiſcentia ad homicidium vel falſum teſtimonium per ſe, quia non habent rationem delectabilis vel utilis. Et quia inter nocumenta maximum eſt, quod fit in perſona propria per homicidium; ideo primum in negativis, quæ obligant ſemper & ad ſemper: *Non occides.* Hæc Thom. 2. 2. quæſt. 122. art. 6. Et dicit idem in tractatu de decem præceptis, quod tripliciter eſt erratum circa iſtud præceptum. Aliqui enim putaverunt non eſſe licitum occidere bruta animalia: ſed hoc eſt falſum, quia non eſt peccatum uti illis, quæ ſunt ſubdita poteſtati hominis. Eſt autem ordo naturalis, quod plantæ ſunt in nutrimentum animalium, & animalia quædam in nutrimentum aliorum, & omnia in nutrimentum hominis: Gen. 9. *Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*. Per conſequens etiam Philoſophus in polliticis dicit, quod venatio eſt juſtum bellum. Et 1. ad Corin. 10. *Omne, quod venit in macello, manducate*. Quum ergo dicitur *non occides*, intelligitur hominem, non bruta animalia. Secundus error fuit dicentium, quod prohiberetur hic occiſio cujuſcumque hominis, etiam malefactoris; unde judices & officiales occidentes reos, appellant homicidas. Contra quos dicit Auguſtinus, quod Deus, qui hoc præceptum dedit, non ſibi per hoc poteſtatem occidendi abſtulit. Dicit enim Deut. 32. *Ego occidam, & vivere faciam*. Judices autem occidendo reos juridice occidunt mandato Dei, qui legem ſtatuit, ut rei occiderentur: Proverb. 8. *Per me*, ſcilicet ſapientiam, quæ Deus eſt, *legum conditores juſta decernunt*: ad Rom. 13. *Non ſine cauſſa gladium portat; miniſter enim Dei eſt, vindex in iram ei, qui malefacit*. Intelligitur ergo, non occides hominem, ſcilicet propria auctoritate. Tertius error fuit dicentium, quod prohibebatur hic occiſio proximi, ſed non ſui, afferentes hoc licitum eſſe: ſed hoc etiam falſum eſt. Nulli enim licet quacumque ex cauſſa occidere ſeipſum, niſi Deo jubente, ut habemus de Samſone, Judic. 16. Ut enim dicit Auguſtinus lib. 1. de civit. Dei cap. 21. & habetur 23. quæſt. 5. *Si non licet:* Spiritus ſanctus, qui per eum miracula fecit, eum ad hoc induxit ad figurandum Chriſti mortem. Eſt enim graviſſimum peccatum hoc & inveniabile; unde Eccleſia prohibuit tales in Eccleſia ſepeliri, vel pro eis fieri ſuffragia, ut habetur 23. quæſt. 5. *Placuit*. Quum ergo dicitur *non occides*, intelligitur neque te, neque alterum, ſecundum Auguſt. 1. de civit. Dei cap. 20. Et de talibus homicidis dicit pſalm. 13. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, viam pacis non cognoverunt. Pedes* animæ ſunt affectus, qui in homicidis ſunt *veloces*, ideſt promti *ad effundendum ſanguinem* humanum, ideſt occidendum, & affectum cito ducunt ad effectum; ſed *omnis, qui acceperit gladium*, ſcilicet auctoritate propria, *gladio peribit*,

Tripliciter erratur circa iſtud præceptum.

Matth.

Matth. 26. hominis vel divinæ ſententiæ punientis. Et ideo ſubdit Pſalmiſta : *Contritio* corporis, quia debet occidi talis, *infelicitas* animæ, quia per hoc privatur gloria, quum ſit mortale, & etiam multas infelicitates hic patitur : *Via pacis* eſt pœnitentia, ad quam raro redeunt effecti obſtinati.

Homicidii committitur quatuor modis.

Perpetratur autem quattuor modis, ſcilicet interiori deliberatione, exteriori locutione, manuali actione, notabili omiſſione. Quantum ad primum dicitur 1. Joann. 3. *Omnis, qui odit fratrem ſuum homicida eſt*. Odiens aliquem communiter appetit mortem ejus. Et Hieronymus ſuper Iſaiam : *Omnis iniquitas, & oppreſſio, & injuſtitia judicium ſanguinis eſt : & licet gladio non occidat, voluntate tamen interficit*, *De pœnit.* Diſt. 1. *Omnis*. 1. Et Auguſtinus : *Homicidium lege vetitum, putabatur non aliud eſſe, niſi corporis interemtio. Aperuit ergo Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputari*, *De pœnit.* Diſt. 1. can. *Homicidium*. Quum ſcilicet Dominus ait Matth. 5. *Dictum eſt antiquis : Non occides ; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*, & damnatione. Et loquitur de ira mortali, qua quis deſiderat mortem, vel notabile nocumentum proximi. Unde & ſecundum Thomam ubi ſupra, hic prohibetur vitium iræ, prout eſt mortale, de quo habes 2. parte tit. 7. cap. 1. diffuſe. Unde Jobi 5. *Vere ſtultum interficit iracundia*.

Secundo perpetratur homicidium ore ; & hoc multipliciter, ſcilicet imperando, conſulendo, ſuadendo in mortem alterius. Unde Auguſtinus: *Pernicioſe ſe decipiunt, qui exiſtimant eos tantum homicidas eſſe, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos, per quorum conſilium & fraudem & exhortationem homines exſtinguuntur. Nam Judæi nequaquam Chriſtum propriis manibus interfecerunt, ſicut ſcriptum eſt*. Nobis non licet interficere quemquam : *ſed tamen illis mors Domini imputatur, quia ipſi lingua occiderunt, dicentes*. Crucifige, crucifige eum, *De pœnit.* Diſt. 1. *Pernicioſe*. Similiter quum aliquis malis perſuaſionibus & malis conſiliis trahit alium ad aliquod criminale, perjurium, furtum, fraudem, luxuriam, & alia hujuſmodi, occidit animam ejus. Unde Auguſtinus : *Noli putare te non eſſe homicidam, quum fratri tuo mala perſuades ; ſi enim fratri tuo mala perſuades, occidis. Et ut ſcias, quia occidis, audi pſal.* 56. Filii hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus, *De pœnit.* Diſt. 1. *Noli putare*.

Tertio perpetratur opere : Exodi 21. *Qui percuſſerit hominem, volens eum occidere, morte morietur*. Et Auguſtinus de civit. Dei, cap. 20. *His exceptis, quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ ſpecialiter Deus jubet occidi, quiſquis hominem vel ſe vel alium occiderit, homicidii crimine innectitur*, 23. quæſt. 5. *Si non licet*. Contra hoc etiam præceptum facit graviter verberans, vel vulnerans, vel mutilans ſe, vel alium. Unde & amputans ſibi virilia etiam zelo caſtitatis homicida dicitur, & prohibetur ordinari, & promotus officio ordinis fungi, quia irregularis eſt, Diſt. 55. *Si quis abſcidit*. Sed etiam judex vel miniſter ejus occidens reum, non amore juſtitiæ, ſed livore vindictæ ex delectatione effundendi humanum ſanguinem, homicida reputatur. Unde Auguſtinus : *Quum miniſter judicis occidit eum, quem judex juſſit occidi, profecto ſi id ſponte facit*, ideſt delectabiliter, *homicida eſt*, 23. quæſt. 5. *Quum miniſter*. Nec refert

Caſtratio.

Notandum de judice.

A quomodo quis ſe vel alium occidat, gladio ſcilicet vel veneno, vel lapide, vel ligno ; gravius tamen, quando perſona occiſa eſt innocentior, vel utilior, vel propinquior. Unde occiſio patris, vel matris, vel filiorum graviſſimum, inde uxoricidium, quod utique nec etiam propter adulterium perpetratum permittitur, ſed prohibetur & graviter punitur, ut 33. quæſt. 2. *Admonere*.

Quarto perpetratur homicidium omiſſione, quum ſcilicet aliquis poteſt obviare morti alterius injuſte ſine ſui periculo, & non curat : Prov. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non ceſſes*. Sicut fecit Daniel erga Suſannam, Daniel. 13. Hinc & Symmachus Papa : *Non grandis eſt differentia, utum lethum inferas, vel admittas. Mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc, quum poſſit, non excludit*, Diſt. 83. *ſ.* 1. Et dicit ibi gloſſa de medicis, quod tenentur gratis infirmis pauperibus mederi, quinimmo & medicinas emere, ſi poſſunt, quum aliter eis de ſalute provideri non poſſit. Et ſimiliter qui non ſubvenit indigentibus in extrema neceſſitate, quum poſſit, homicida reputatur. Unde Eccleſiaſtici 34. *Panis egentium eſt vita pauperis : qui defraudat illum*, ſcilicet non dando, *vir ſanguinum eſt*, ideſt homicida. Et Ambroſius : *Paſce fame morientem. Quiſquis enim paſcendo hominem ſervare potens, ſi non paviſti, occidiſti*, Diſt. 86. *Paſce. Contritio* igitur, ideſt deſtructio corporis, & *infelicitas*, ideſt privatio regni ſuperni, *in viis eorum*, ideſt in operibus homicidii ; quia *omnis homicida non habet partem in regno Chriſti*, 1. Joann. 3. Sed ut dicitur Apocal. 21. *Homicidis ..... pars in ſtagno ignis & ſulphuris*. Quodlibet horum homicidiorum eſt mortale.

De præcepto ſexto.

§. X. Sextum præceptum eſt : *Non mœchaberis*, Exodi 20. Poſt injuriam propriæ perſonæ nulla major reputatur, quam adulterium, quod dicitur mœchia, quod committitur in perſonam conjunctam, quæ reputatur quaſi una perſona cum conjuge ſuo, Matthæi 19. *Itaque non ſunt duo, ſed una caro*. Et quamvis mœchia proprie dicatur adulterium, ideſt acceſſus ad alienum thorum ; tamen ſub iſto nomine intelligitur prohibita omnis ſpecies luxuriæ, & omnis actus venereus extra matrimonium debite ſervatum. Unde Auguſtinus in lib. de quæſtionib. Deuter. dicit : *Meretrices eſſe, & ad meretrices accedere, prohibet Dominus, quarum publice venalis turpitudo eſt*, quum ſcilicet Dominus dicit in lege, ut notat hic gloſſa : *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael*. Et paullo poſt : *Sed ſicut ſub furti nomine intelligitur prohibita omnis illicita uſurpatio rei alienæ : non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed utique a parte voluit intelligi totum quidquid illicite rerum proximi aufertur ; ſic nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi*, 32. quæſt. 4. *Meretrices*. Et Iſidorus ſuper Exodum ait : *Non mœchaberis*, ideſt *ne quiſquam præter matrimonii fœdera aliis feminis miſceatur*, 32. quæſt. 5. *Non mœchaberis*. Ideo autem in decalogo potius expreſſe prohibetur mœchia, ideſt adulterium, quam aliæ ſpecies luxuriæ, quia quum præcepta decalogi pertineant ad juſtitiam, quæ reddit debitum alteri, & nemini inferat nocumentum vel injuriam, magis ſit clare injuria proximo per adulterium, quam per alios modos luxuriæ ; & ideo expreſſe prohibetur. Circa hoc poteſt induci illud pſal. 100. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat*. Quamvis omnis culpa mortalis ſecundum Thomam in 4. maculam animæ ingerat, quæ non eſt aliud, quam privatio pulchri-

tudinis animæ, quæ resultat ex debita commensuratione operum, secundum scilicet rationem cum quadam refulgentia gratiæ; præcipue tamen peccata luxuriæ magis dicuntur maculare hominem, quia corpus & famam & animam maculant, & absorbent præ ceteris lumen rationis. Unde de Salomone propter luxuriam ejus dicitur infectum. Ecclesiastici 47. *Tu autem posuisti maculam in gloria tua; inclinasti fœmora tua mulieribus. In via* ergo *immaculata* ambulat, qui caste vivit, servans illud præceptum, *Non mœchaberis*. Et hic ut fidelis bonus ministrat, ideſt servit Deo: ad Hebr. 13. *Honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus*. Et multo magis ei servit & acceptius, qui ambulat *in via immaculata* viduitatis, vel virginitatis mundæ. Unde canit Ecclesia de Agatha virgine: *Immaculatus Dominus immaculatam sibi sponsam elegit*. Et de virgine Dei matre: *Sancta & immaculatas virginitas* &c. Et *qui mihi ministraverit*, ait Dominus, *honorificabit eum pater meus, qui est in cælis*, Joan. 12. Et in cælis *sine macula sunt ante thronum Dei*, Apocalyp. 14. Fit autem quadrupliciter quis maculatus per luxuriam, faciens contra hoc præceptum.

Luxuria præ ceteris vitiis maculat hominem.

Maculatur quis quadrupliciter per luxuriam.

Quum agit turpiter in seipsum,
Quum cognoscitur nequiter vas femineum,
Quum se jungit sceleriter ad similem sexum,
Quum accedit carnaliter ad animal brutum.

Quantum ad primum maculatur quis per luxuriam operando turpia per seipsum, quod dicitur mollities, 1. Cor. 6. *Neque molles regnum Dei possidebunt*, quia illud mortale est, & contra hoc præceptum. Ratio hujus est secundum Thomam 2. 2. quæst. 153. art. 2. Peccatum in humanis actibus est, quod est contra ordinem rationis. Habet hoc rationis ordo, ut quilibet ordinet & dirigat ad finem suum. Unde sicut non est peccatum, si per rationem homo utatur aliquibus rebus ad finem, ad quem sunt modo & ordine convenienti, dummodo ille finis sit aliquod vere bonum; ita peccatum est, si utatur homo aliquibus rebus ad finem, ad quem non sunt ordinatæ, vel si non debito modo hoc faciat. Est autem vere bonum, ut conservetur natura individui, quod fit per esum ciborum. Et similiter bonum est, & magis excellens, quod conservetur natura speciei, quod fit in generatione per actum venereum. Sicut ergo usus ciborum, si non fiat ad debitum finem, scilicet sustentationis corporis, vel non debito modo, est peccatum; ita utendo venereis non ad finem humanæ generationis vel in debito modo, ut cum non sua uxore, peccatum est. Sed polluendo seipsum, certum est quod frustratur omnino intentio naturæ, quum non possit sequi generatio; unde peccatum est & mortale, ex quo excludit a regno Dei, secundum Apostolum. Et quamvis semen humanum dicatur superfluum in animali, non tamen est simpliciter superfluum, sed ex eo, quod est residuum operationis virtutis nutritivæ, tamen eo indigetur ad virtutis generativæ opus; & ideo quum procuratur emitti indebite, ideſt extra actum conjugalem, peccatum est. Non sic est de aliis superfluitatibus corporis, quæ qualitercumque emittantur, salva decentia convictus humani, sine peccato est. Si autem accidat emissio seminis in vigilia vel somno sine procuratione aliqua, & præter omnem intentionem, non est peccatum secundum Thomam.

De mollitie i malitia.

Secundo fit quis maculatus feminam cognoscendo non suam: Tob. 4. *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam numquam patiaris crimen scire*. Sunt autem diversæ species luxuriæ cum mulieribus & distinctæ & confitendæ. Nam si peccatum carnis committatur soluti cum soluta, dicitur simplex fornicatio, ut accedere ad meretrices vel concubinas, & hujusmodi; quod quidam arbitrantur licitum non conjugatis, nec esse peccatum. Sed B. Thomas 2. 2. quæst. 152. art. 2. dicit esse mortale: & contra hoc præceptum Apostolus ad Ephes. 5. *Omnis fornicator aut immundus .... non habet hæreditatem in regno Dei & Christi*. Si committatur cum virginibus, dicitur stuprum. Si cum consanguineis vel affinibus, dicitur incestus. Si cum clericis vel religiosis vel monialibus, dicitur sacrilegium, vel etiam cum patribus spiritualibus, ut confessoribus vel commatribus. Si per violentiam mulieris vel parentum, dicitur raptus. Si cum uxore alterius, vel viro conjugato, muliere etiam soluta, dicitur adulterium: 1. ad Cor. 6. *Neque adulteri .... regnum Dei possidebunt*. Et, ut dicit B. Thomas in tractatu de decem præceptis, mulier adulterans tria mala facit, quæ notantur Ecclesiastici 23. *Omnis mulier relinquens virum suum peccabit. Primo in lege altissimi incredibilis fuit. Secundo in virum suum deliquit. Tertio in adulterio fornicata est, & ex alio viro substituit filios*; & sic legi Dei non credit, qui prohibet adulterium; & sacramentum violat, fidem frangit viro, & proditionem & furtum, si generat ex adulterio filios, quos nutrit de substantia viri.

Notandum.

Mulier adulterans tria mala facit.

Vir autem adulterans & ipse tria mala facit. Primo, quia quum sit caput uxoris, deberet eam ducere exemplo suo ad honestatem, & facit contrarium. Secundo quia habet rationem magis vigorosam, quam mulier; & ideo potest magis reprimere concupiscentias. Tertio facit contra æqualitatem, quia ita tenetur sibi servare fidem sicut illa sibi. Hinc Augustinus lib. de decem chordis ait: *Non mœchaberis, ideſt non ibis ad aliam, quam uxorem tuam. Tu autem exigis hoc ab uxore, & non vis hoc reddere uxori; quum tamen debeas in virtute uxorem præcellere, quoniam castitas virtus est, & tu sub uno impetu libidinis cadis, & vis tuam uxorem esse victricem, & tu victus jaces?* 32. quæst. 6.

Tria item vir.

Tertio fit quis maculatus agens contra hoc præceptum per vitium sodomiticum. De quo Apostolus ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus*, ideſt tradi permisit, *in passiones ignominiæ*, ideſt vitia innominanda. *Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter & masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in concupiscentiis suis sibi in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.* Et ad quanta mala tales postea deveniant, subdit Apostolus dicens: *Tradidit eos Dominus in reprobum sensum*, ideſt tradi permisit, *ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia* &c. Et ad hoc etiam pertinet uxore vel alia femina abutendo extra vas debitum. Unde August. 32. quæst. 7. adulterii enumeratis quibusdam speciebus luxuriæ subdit: *Horum omnium pessimum est, quod est contra naturam, ut si vir membro mulieris non ad hoc concesso uti voluerit*; & iste usus contra naturam *exsecrabilis fit in meretrice, sed execrabilior in uxore*. Hæc ille. Et dicitur tale vitium pessimum, quia destructivum humani generis. Unde dicitur de sodomitis, quod erant pessimi coram Domino, quos Deus igne & sulphure consumsit, & civitates subvertit, ut patet Gen. 19. Et secundum leges tales debent decapitari de peccato contra naturam & mediatores hujus, ut C. *De pœnis*, l. *Qui abducto*.

De sodomia.

Sodomia cum uxore exsecrabilis.

Diversæ species luxuriæ.

Quarto fit quis maculatus cum animalibus brutis commiscendo: Exodi 22. *Qui coierit cum jumento, morte moriatur*. Et Levit. 20. *Qui coierit cum*

De bestialitate.

cum jumento, aut pecore, morte moriatur; pecus quoque occidite. Ubi Auguſtinus: *Pecora inde credendum eſt juſſa interfici, quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam*, 15. quæſt. 1. *Mulier*. Contra illud præceptum etiam facit, qui cum uxore vel alia extra vas debitum fundit ſemen, ne ſcilicet generet, & inde ſcandalum oriatur, vel, ne gravetur in alendo filios, pauper exiſtens, in quod vitium incidentes Her & Onam filii Judæ mala morte ſubito perierunt, Gen. 38. Sed etiam quum uxorem ſuam quis debito modo cognoſcit cauſſa delectationis ultra limites matrimonii, ideſt tanta concupiſcentia ductus, ut etiam ſi non eſſet uxor, eam vel aliam mulierem cognoſceret, ut ſatisfaceret voluptati ſuæ, ſecundum Thomam in 4. peccat mortaliter. Et de tali debet intelligi illud Xixti philoſophi, quod inducit Hieron. 32. quæſt. 4. *Origo*, dicens: *Omnis in uxorem ſuam amator ardentior, adulter eſt*. De modis autem indebitis in uſu matrimonii, ſervato tamen debito vaſe, de ſe non eſt mortale ſecundum Albertum; ſed poteſt eſſe mortale ex inordinatione animi. De omnibus his ſpeciebus luxuriæ & de nocumentis eorum habes diffuſe in 2. part. tit. 1. per totum.

De ſeptimo præcepto.

§. XI. Septimum præceptum decalogi eſt: *Non furtum facies*, Exodi 20. Super quo Auguſtinus: *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permiſit, qui* furtum prohibuit; *ſed utique furti nomine in lege veteris teſtamenti & rapinam intelligi voluit. Aperte enim totum ſignificavit, quidquid illicite rerum proximi aufertur*, 14. quæſt. 5. *Pœnale*. Nec propterea excuſaretur quis a furto, qui auferret a proximo, ut indigentibus ſubveniret ſibi vel aliis, niſi in extrema neceſſitate eſſent, & non invenirent ſubvenientem. Unde Auguſtinus: *Forte aliquis cogitat, & dicit: Multi ſunt Chriſtiani, divites, avari, cupidi, non habebo peccatum, ſi ſuum illis abſtulero, & pauperibus dedero. Unde enim illi nil boni agunt, mercedem habere potero.... Sed hujuſmodi cogitatio a diaboli caliditate ſuggeritur. Nam etiamſi totum tribuat pauperibus, quod abſtulerat, addit potius peccatum, quam minuat*, 14. quæſt. 5. *Forte*, & per totam illam quæſtionem. Nec etiam ſumendum exemplum furandi ab Iſraelitis, qui accipientes ſub mutuo ab Ægyptiis vaſa aurea & argentea, ſpoliaverunt eos, Exodi 3. Quia ut dicit Auguſtinus: *Iſraelitæ furtum non fecerunt, ſed Deo jubente miniſterium præbuerunt*, 14. quæſt. 5. *Dixit*. *Non* ergo *furtum facies*. Fit autem quattuor modis contra iſtud præceptum.

Quattuor modis fit contra præceptum iſtud injuſte.

Per injuſtam rerum acquiſitionem.
Per pravam ad hoc operationem.
Per iniquam retentionem.
Per indebitam diſtributionem.

Quantum ad primum, multis modis quis acquirit bona temporalia injuſte. Primo occulte aliena accipiendo; ſed ut dicitur Eccleſiaſtes 5. *Super furem eſt opprobrium & confuſio*.

Secundo per rapinam manifeſte, & per vim capiendo; & hi non ſunt ſolum latrones in ſtratis, ſed etiam principes & communitates uſurpantes injuſte civitates & caſtra ſine juſto titulo, vel etiam facientes extorſiones indebitas a ſubditis, in gabellis, pedagiis, & colectis: Ezechielis 22. *Principes ejus in medio ipſius quaſi lupi rapientes prædam*. Vel etiam quum faciunt leges iniquas ad lucrandum: Iſai. 10. *Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes injuſtitias ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſſæ humilium populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent*.

Tertio per fraudulentiam multiplicem. In quantitate, dando diminuta pondera, & menſuras rerum. In qualitate, prava pro bonis vendendo injuſto pretio. In ſubſtantia, vendendo vinum lymphatum pro puro, unum metallum pro alio, carnes pecudinas pro caſtrato, aromata unius ſpeciei pro altera: Amos 8. *Audite, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando tranſibit menſis, & venumdabimus merces: & ſabbatum, & aperiemus frumentum, ut imminuamus menſuram, & ſiclum augeamus, & ſupponamus ſtateras doloſas, ut poſſideamus in argento egenos & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus?*

Quarto fit contra hoc præceptum per uſuram, ſcilicet pro mutuo pecuniæ vel rerum, quæ uſu conſumuntur, ut victualium. Accipiendo aliquid ultra capitale, hæc dicitur uſura, ut patet 14. quæſt. 3. *Uſura*; unde pſal. 14. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, hic *requieſcet in monte ſancto Dei*, ſcilicet gloriæ ſupernæ. Qui autem eam facit, non illic habitabit, ſed in inferno.

Quinto fit contra hoc præceptum per ſacrilegium, ideſt injuſtam acceptionem rerum Eccleſiæ. Hierony. *Amico quidpiam rapere, furtum eſt; Eccleſiam fraudare, ſacrilegium*, 12. quæſt. 2. *Gloria*.

Sexto per injuſtitiam judicum ſeu officialium dantium iniquas ſententias, vel ex timore, vel ex amore, vel ex cupiditate, vel odio, vel notabili ignorantia: Iſai. 5. *Juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo*. Iſidorus: *Cito violatur auro juſtitia*, 11. quæſt. 3. *Pauper*.

Septimo per variam damnificationem, ut in incendiis, devaſtationibus agrorum, & caſtrorum in bellis injuſtis, in mutilationibus, occiſionibus, falſis accuſationibus, teſtificationibus, & inſtrumentis. Et hi omnes non ſolum peccant mortaliter, agentes contra hoc præceptum; ſed etiam tenentur ad reſtitutionem prædictorum; unde Auguſtinus ad Macedonium: *Qui contra jus humanæ ſocietatis, furtis, rapinis, calumniis, oppreſſionibus, invaſionibus aliqua abſtulerit, reddenda potiuſquam donanda cenſemus, Zachæi publicani exemplo*, 14. quæſt. 5. *Non ſane* in fine; qui Zachæus dixit Chriſto intranti domum ſuam: *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*, Luc. 19. Sed acquiſitio etiam per ſimoniam, ludum vel aliud [6] turpe lucrum, quaſi furtum cenſetur, non quidem reſtituendum danti, ſed pauperibus erogandum, aliquando de neceſſitate, ut in ſimonia, & ludo, aliquando ex honeſtate, ut in meretricio & hujuſmodi, arg. 14. quæſt. 5. *Qui habetis*, & can. *Non ſane*. Qui autem per ſimoniam vel intruſionem & non canonicam inſtitutionem recipit vel tenet beneficium eccleſiaſticum, furatur omnes fructus, quos percipit: Joann. 10. *Qui non intrat per oſtium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro*. 6

Secundo fit contra iſtud præceptum per pravam cooperationem ad talia acquiſita illicita, etiam ſi nihil ipſe inde percipiat, ut conſulendo, perſuadendo, imperando & hujuſmodi: ad Rom. 1. *Digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Et non ſolum peccant mortaliter, ſed etiam tenentur ad reſtitutionem damnorum & ablatorum, quando talis cooperatio fuit, quod [7] ſine ea non fuiſſet facta rapina, 7

eſſe efficax, etiamſi damnum ſine ea poſitum fuiſſet. Lege in hanc rem Prælect. III. in ſecundam partem §. 9. pag. LXXXIX.

6 Vide Prælect. III. in ſecundam partem cap. 4. pag. C.

7 Ut reſtitutionis debitum urgeat, ſatis eſt, quod quis fuerit cauſſa efficax damni, quæ poteſt aliquando

pina, vel furtum, uſura, vel damnum, 2. quæſt. 1. *Notum* in fine: *Facientem & conſentientem par pœna conſtringit*, quod intelligitur de conſenſu cooperationis, ſine qua non fieret malum: in gloſſa. Et ad hoc facit, quod dicitur extra, *De injur. & damn. dato*, cap. ult. *Qui occaſionem damni dat, damnum quoque dediſſe videtur*. Et in Proverb. vulgariter dicitur: *Tanto fa chi tiene il ſacco, quanto chi imbola*. Si autem non ita cooperati ſunt, quin etiam ſine eis fieret damnum; peccant quidem graviter, ſed [8] non tenentur ad reſtitutionem, niſi quantum perveniſſet ad eos de furto vel rapina & hujuſmodi, vel in quantum ex ſuo conſilio vel alia cooperatione plus damni fuiſſet factum ſecundum Thomam in 4. & Albertum. Unde Iſai. 1. *Principes tui infideles, ſocii furum: omnes diligunt munera; ſequuntur retributiones*. Et per hujuſmodi cooperantur rapinis aliorum. De reſtitutione & modo ejus habes diffuſe in 2. parte tit. 2. per totum.

Tertio fit furtum per retentionem rei alienæ contra voluntatem domini ſui: Apoſtolus ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita*. Et infra: *Nemini quidquam debetis*. Qui enim detinet rem alterius contra voluntatem ejus, utique facit ei injuriam, quia impedit eum ab uſu ejus, niſi hoc faceret ad horam ad obviandum malo, puta quum non reddit gladium ſuum furioſo poſtulanti eum ab eo, penes quem depoſuit; & hoc ne ſe vel alium lædat: hoc enim licitum eſt. Facere autem injuriam proximo eſt peccatum, quia contra juſtitiam; non autem licet, nec in modico in peccato morari, ſed ſubito debet egredi, juxta illud Eccleſiaſtici 21. *Quaſi a facie colubri fugie peccatum*. Qui autem detinet alienum contra voluntatem domini, moratur in peccato, & ſic ſemper auget peccatum; & quoties menti occurrit ſe detinere alienum, & proponit retinere, & non reddere, toties de novo peccat mortaliter, & pœnitere non poteſt, nec abſolvi. Unde Auguſtinus: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum .... ſi reſtitui poteſt*, 14. quæſt. 6. *Si res*, & *De reg. jur.* in lib. 6. *Peccatum non dimittitur*. Quamvis ergo quis non acceperit ipſe per furtum, vel fraudulentiam, vel uſuram, ſacrilegium, & hujuſmodi, ſed pater vel alii conſanguinei vel amici; ſi tamen ad eum pervenit hæreditas, tenetur illa reſtituere, in quantum ſufficit hæreditas. Idem de legatis, quando non ſufficeret hæreditas, extra *De uſuris*, cap. *Michael*.

Notabile.

Quarto fit contra hoc præceptum per indebitam diſtributionem. Apoſtolus 1. ad Corint. 4. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*. Eccleſiarum prælati ſunt diſpenſatores rerum Eccleſiæ potius, quam Domini. Unde Auguſtinus: *Non illa noſtra ſunt, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, ut proprietatem nobis damnabili uſurpatione vendicemus*, 12. quæſt. 1. can. ult. ubi dicit gloſſa, quod prælati, ſi bene adminiſtrant, loco dominorum ſunt; ſi male, loco prædonum, ff. *Pro emp.* l. *Qui fundum*, §. *Si tutor*. Eccleſia enim tenet locum pupilli, & prælatus locum tutoris. Sicut ergo tutor ſi male adminiſtrat dilapidando bona pupilli, ut fur habetur; ita & prælatus, dum permittit deſtruere bona Eccleſiæ vel uſurpare, vel indebite alienat, & tenetur ſatisfacere. Si etiam expendit in malos uſus dando ſine neceſſitate conſanguineis, vel conviviis, ludis, canibus & turpibus perſonis expo-

De bonis Eccleſiæ.

nit, quod debet dare pauperibus, quaſi furatur, nec dubium, quod mortaliter peccat. Utrum autem teneatur ad reſtitutionem, vide infra in 2. parte tit. 2. Qui etiam habent aliqua pauperibus vel Eccleſiis diſtribuere, ut hoſpitalarii, & ſocietates laicorum; ſi non fideliter faciunt, ſi non indigentibus tribuunt, furtum committunt. Religioſi, qui proprium tenent, vel extra conventum ſine licentia & rationabili cauſſa bona diſtribuunt, furtum committunt. Sæculares de bonis propriis non dantes eleemoſynas indigentibus quos ſciunt, quum decenter poſſunt, furtum faciunt, licet non teneantur ad reſtitutionem. Unde Ambroſius: *Eſurientium eſt panis, quem tu detines, nudorum veſtimentum, quod recludis: Et miſerorum redemtio eſt & abſolutio pecunia, quam in terram defodis. Tantorum ergo te ſcias invadere bona, quot poſſis præſtare, quod velis*, Diſt. 47. *Sicut hi*. Contra omnes fures dicitur Iſai. 33. *Væ qui prædaris: nonne & ipſe prædaberis? ... quum conſummaveris deprædationem, & ipſe prædaberis*, vel ſubſtantiam, vel animam. Et ut dicit Thomas in tractatu de decem præceptis: Nullum peccatum eſt quaſi periculoſius iſto. Nam de aliis peccatis homo dolendo & confitendo ſalvatur; ſed de iſto oportet, quod etiam ſatisfiat de alieno ablato, ſi poteſt; alias nil valet pœnitentia. Sed nimis difficile videtur hominibus exburſare pecuniam & reſtituere, & facilius inducuntur ad dandum eleemoſynas vel faciendum Eccleſias & hoſpitalia, quam ad reſtituendum; quod non ſufficit; & ideo bene dicitur Abach. 2. *Væ his, qui congregant non ſua: uſquequo aggravant contra ſe denſum lutum?* De denſo luto difficile exitur. Acham, quia furatus eſt, & tulit de bonis Hierico contra ordinationem Dei, lapidatus eſt toto a populo, Joſue 7. De ſingulis modis furti, quæ ſunt ſpecies avaritiæ, habes diffuſe in 2. parte titulo 1. cap. 15.

De octavo præcepto.

§. XII. Octavum præceptum eſt: *Non loquaris contra proximum tuum falſum teſtimonium*, Exodi 20. Inter omnia animalia ſoli homini datum eſt loqui, ut conceptum ſuæ mentis poſſit alteri manifeſtare. Propter quod dicit philoſophus in 1. Perhi. quod ea, quæ ſunt in voce, ſunt earum, quæ ſunt in anima, paſſionum notæ. Quod ergo aliquis ſcienter falſum dicat, abutitur lingua, nec eſt ſine peccato, etiamſi faciat ad bonum conſequendum vel malum vitandum; quia *non ſunt mala facienda, ut veniant bona*, ait Apoſtolus ad Rom. 3. Et Auguſtinus: *Ad ſalutem ſempiternam nullus ducendus eſt, opitulante mendacio*, 22. quæſt. 2. *Primum*. Eſt autem vitandum mendacium propter tria ſecundum Thomam in dicto tractatu decem præceptorum.

Propter tria eſt vitandum mendacium.

Propter diaboli aſſimilationem.
Propter ſocietatis diſſolutionem.
Propter famæ amiſſionem.

Primo propter diaboli aſſimilationem. Efficitur enim mendax ſimilis diabolo, *quia ipſe* (ut dicitur Joann. 8.) *mendax eſt, & pater ejus*. Ipſe invenit primum mendacium, quum dixit primis parentibus: *Nequaquam moriemini* &c. Gen. 3. Ambroſius: *Omnes, qui dicunt mendacium, filii ſunt diaboli*, 22. quæſt. 5. *Cavete*. Filius autem ſimilis eſt patri.

Secundo mendacium vitari debet propter ſocietatis diſſolutionem. Homo enim naturaliter eſt animal ſociale, ſeu politicum cum aliis vivens: ſed male poſſent homines invicem convivere, ſi homines haberent ſemper dubitare de verbis aliorum; unde Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Deponentes mendacium, loquimini unuſquiſque veri-*

[8] Vide notationem præcedentem.

ritatem cum proximo ſuo, quoniam ſumus invicem membra.

Tertio propter famæ amiſſionem. Homo enim, qui aſſueſcit mendaciis, non creditur ei, quum veritatem dicit, & præcipue in viris ſpiritualibus. Domino multum reddit infames mendacium. Eccleſiaſtes 34. *Ab immundo quid mundabitur, & mendace quid verum dicetur?* quaſi diceret: nullum. Et hoc peccatum eſt contra vel præter illud præceptum ſecundum Magiſtrum in 2. Sent. Diſtinct. penult. *Non loqueris contra proximum* &c. Unde pſal. 26. *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.* Proprie & principaliter loquitur de Chriſto, contra quem dixerunt duo falſum teſtimonium. Quadrupliciter ergo ſit contra hoc præceptum ſecundum Thomam ubi ſupra.

Contra hoc præceptum ſit quadrupliciter.

Per falſam in judicio probationem.
Per variam de alio detractionem.
Per mendacem in ſermone locutionem.
Per noxiam de prælato murmurationem.

Falſum teſtimonium.

Quantum ad primum quum aliquis in judicio aliquem accuſat falſe, vel teſtificatur, expreſſe agit contra iſtud præceptum, & tenetur ei de omni damno. Et ſi deficeret in probatione, ſuſtineret pœnam talionis, 2. quæſt. 3. per totum. Sic illi duo presbyteri accuſantes teſtificantes contra Suſannam de adulterio, quia convicti ſunt a Daniele falſum dixiſſe teſtimonium, lapidati ſunt a populo, Dan. 13. Illi autem duo teſtes, qui teſtificati ſunt contra Chriſtum falſum, quum non convenientia eſſent teſtimonia eorum, non tamen puniti ſunt, ut merebantur, nec probare potuerunt ſuam falſitatem, ſcilicet Chriſtum dixiſſe: *Poſſum deſtruere templum hoc* &c. Matth. 26. & Marc. 14. Et ſic *inſurrexerunt teſtes iniqui.*

Detractio.

Secundo loquitur quis falſum teſtimonium contra proximum, quum ei detrahit, dicendo aliquod criminale de alio in abſentia ejus, quod non eſt verum, vel ſi eſt verum, quum illud ſit occultum, aliis manifeſtat ad denigrandam famam ejus, quod utique eſt mortale ſecundum Thomam 2. 2. Unde Eccleſiaſtes 10. *Quaſi ſi ſerpens mordeat in occulto, ſic qui occulte detrahit.* Serpens comedit terram; ita detractor paſcitur defectibus aliorum narratis. Serpens videtur incedere per unam viam, & ſubito imperceptibiliter volvit ſe ad aliam; ſic detractor incipit bona dicere de aliquo, poſtea utitur adverſativa conjunctione. Sed *ſumma iniquitas eſt fratribus detrahere*, ut dicitur 6. quæſt. 1. Et *deteriores ſunt, qui vitam moreſque bonorum corrumpunt his, qui ſubſtantias aliorum prædiaque diripiunt. Caveat itaque unuſquiſque, ne aut linguam aut aures habeat prurientes, ne ſcilicet aut aliis detrahat, aut detrahentes audiat.* Sedens, *inquit*, adverſus fratrem tuum loquebaris, *ſcilicet detrahendo* &c. *Parcant omnes detractores linguæ, cuſtodiantque ſermones ſuos, & ſciant quia cuncta, quæ de aliis loquuntur, ſua ſententia judicabuntur. Nemo invito auditori libenter loquitur.* Hæc [9] Gregorius I. part. 6. quæſt. 9. *Ex merito.* Unde & Proverb. 25. dicitur: *Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* E tenetur talis reſtituere famam ablatam, prout poteſt; non tamen debet illi notificare, ut ſimplices dicunt, nec ab eo petere veniam, de quo malum dixit, niſi certus, quod ſciret. Nam hoc eſſet ſcandalum in illo generare, & contra ſe pericula incitare. Si autem malum de aliquo quis dicit falſum vel verum in ſui præſentia, hoc pertinet ad contumeliam; & tunc tenetur petere veniam ab eo, & coram illis dicere, ſe falſum dixiſſe, ſi falſum dixit. Non ergo detrahendo *falſum teſtimonium loqueris.*

Contumelia.

Tertio per mendacem locutionem. Oſææ 4. *Non eſt veritas, non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt.* Unde Hierem. 9. *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium.* Sed *os, quod mentitur*, dicitur Sap. 1. *occidit animam.* Non occidit autem animam, ſcilicet privando gratia, niſi peccatum mortale; ergo videtur mortale. Quod verum eſt, ſed non ſemper. Mentiri in his, quæ ſunt fidei & morum, qui ſunt neceſſarii ad fidem, mortale eſt, & contra hoc præceptum, quod præcipue pertinet ad prælatos, magiſtros, & prædicatores, de quibus 2. Petr. 2. *Erunt in vobis magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis.* Et aliqui talia dicunt, ut videantur ſcire, Iſai. 57. *Super quem luſiſtis, ſuper quem dilataſtis os, & ejeciſtis linguam? numquid non vos filii ſceleſti, ſemen mendax?* Similiter mentiri in notabile damnum proximi ſpirituale vel corporale, mortale eſt. Vel etiam quum quis utitur mendacio in confeſſione, de mortalibus præcipue, vel in judicio interrogatus juridice. Et de his intelligitur auctoritas prædicta: *Os, quod mentitur* &c. In aliis caſibus loqui mendacium non eſt contra, ſed præter iſtud præceptum; unde & veniale, a quo etiam abſtinendum: ad Col. 3. *Nolite mentiri invicem.* Et aliquando quis mentitur pro ſalute aliorum. Sed dicitur Jobi 13. *Deus non indiget noſtro mendacio.* Aliquando ex falſa humilitate, dicens aliquod malum de ſe, quod non eſt, vel negans bonum, quod in ſe eſſe ſcit. De quibus Gregorius: *Incaute ſunt humiles, qui mendacio ſe illaqueant*, 22. quæſt. 2. *Incaute.* Aliquando ex verecundiæ levitate, ut quum quis credit verum dicere, & dicit falſum; poſtea advertens, verecundatur illud retractare. Aliquando iſtud poſſet eſſe mortale: Eccleſ. 4. *Non contradicas verbo veritatis ullo modo.* Aliquando ex utilitate, ut ſcilicet aliquid conſequatur, vel malum evitet: Iſai. 28. *Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.* Aliquando propter commodum alterius: Eccleſ. 4. *Non accipies faciem contra faciem tuam, nec adverſus animam tuam mendacium.* Aliquando propter ludum, quod & peccatum eſt ſecundum Auguſtinum. Ab omni ergo mendacio cavendum eſt, ſecundum illud Iſidori: *Omne genus mendacii ſummopere fuge, nec caſu nec ſtudio loquaris falſum*, 22. quæſt. 2. *Omne genus.*

Mendacii & variæ ejus ſpecies.

Quando mortale eſt.

Notandum.

Obmurmuratio.

Quarto per murmurationem. Frequenter ſubditi murmurant de prælatis, conquerentes de eis, quod male tractant & gubernant eos. Sed, ut dicitur Sap. 1. *Cuſtodite vos a murmuratione, quæ nihil prodeſt*, immo multum nocet, quia conturbat totum collegium, & inducit alios ad ſimilia: 1. Cor. 10. *Nec murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Diſt. 90. *Alienus ſit a fratrum unitate, qui murmuraverit* &c. Maria ſoror Aaron, quia murmuravit contra Moyſen, percuſſa eſt lepra, Num. 12. De his vitiis, ſcilicet detractione, contumelia, mendacio, & murmuratione, diffuſe habes infra in 2. parte.

Alienus.

De nono præcepto.

§. XIII. Nonum præceptum eſt: *Non concupiſces rem proximi tui* &c. Exodi 20. Poſt præcepta, quibus prohibentur expreſſe peccata oris & operis, ponuntur ea, quæ prohibent peccata cordis, concupiſcentiam, ſeu deſiderium. Iſta enim eſt differentia, ut dictum eſt ſupra, inter legem divi-

9 Quod Gregorio Auctor ex vulgatis ſui temporis libris tribuit, Romani correctores Antero Papæ ex vetuſtioribus mſſ. vindicarunt, uti nunc in Jure canonico legitur.

divinam & humanam, quia humana ſolum judicat de peccatis oris & operis, non autem de peccatis cordis. Lex autem divina judicat de occultis cordis peccatis, & oſtendit ea eſſe punienda. Chryſoſtomus: *Deus non ex operibus tantum judicat, ſed ex cogitationibus, & ex corde*, 22. quæſt. 5. *Qui perjurare*. Et ratio eſt, ut dicitur 1. Reg. 16. quia *homines vident, quæ foris apparent; Deus autem intuetur cor*. Quum etiam dicitur, quod lex vetus cohibet manum, non animam, ut nova; non ſic intelligendum eſt, quaſi lex vetus non prohibeat peccata cordis, quia hujus contrarium apparet in iſto præcepto; ſed ideo dicitur cohibere manum, non animam, quia non puniebat pœna temporali ſeu corporali peccata cordis, & malas concupiſcentias, ſicut peccata operis prohibita per præcedentia præcepta. Et ut dicit Auguſtinus: *Bona eſt lex*, ſcilicet iſta, *quæ dum concupiſcentiam prohibet, omne malum prohibet*, extra *De conſtitut.* cap. *Nam concupiſcentiam*. Concupiſcentia enim mali eſt radix omnis mali & principium. Niſi enim quis concupiſceret malum, non faceret. Unde Matth. 15. *Ex corde exeunt cogitationes, homicidia, adulteria* &c. *Et hæc ſunt, quæ coinquinant hominem*. Et quantum ad concupiſcentiam rerum, de qua hic dicitur: *Non concupiſces rem*, &c. dicit pſal. 61. *Rapinas nolite concupiſcere, divitiæ, ſi affluant, nolite cor apponere*.

Propter quattuor rationes debet quis abſtinere a concupiſcentia rerum.

Propter quattuor autem rationes debet quis abſtinere ab iſta concupiſcentia ſecundum Thomam in tractatu de decem præceptis.

Propter concupiſcentiæ infinitatem.
Propter inquietudinis anxietatem.
Propter juſtitiæ contrarietatem.
Propter ſubſtantiæ inutilitatem.

Quantum ad primum ſciendum, quod cupiditas ſeu concupiſcentia habet quamdam infinitatem. Quilibet autem ſapiens debet intendere finem aliquem in ſuo facto. Nullus enim debet ire per viam infinitam; concupiſcentia autem rerum eſt infinita. Unde dicitur Eccleſiaſtes 5. *Avarus non implebitur pecunia*. Et Ambroſius: *Nec finis, nec ſatietas umquam aderit cupiditati*, Diſt. 47. *Sicut hi*. Et Iſaiæ 5. dicitur: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis* &c. quaſi diceret: Numquam poteſtis finem ponere veſtræ concupiſcentiæ rerum. Ratio hujus eſt, quia cor humanum eſt factum ad recipiendum Deum per gratiam, & poſtea per gloriam. Et ideo quidquid habeat minus Deo, non poteſt finire deſiderium ejus: ipſe enim major eſt omni re, pſal. 102. *Qui*, ſcilicet Deus, *replet in bonis deſiderium tuum*.

Secundo debet caveri concupiſcentia propter inquietudinem, quam habet in ſe. Quilibet naturaliter appetit quietem, quia hoc eſt valde delectabile cuilibet. Sed cupiditas facit homines ſemper inquietos punctionibus ſollicitudinum. Unde comparantur cupidi terræ ſpinoſæ, quæ ſeminata verbo Dei ſuffocatur a ſpinis creſcentibus ſollicitudinum rerum, ut dicitur Luc. 8. Semper enim cupidi ſunt ſolliciti non habita acquirere, acquiſita cuſtodire & augere, ipſa non amittere: Eccleſiaſtes 5. *Saturitas divitis non ſinit dormire eum*, Matth. 6. *Ubi eſt theſaurus, ibi eſt & cor tuum*. Ambroſius: *Mens avari vinculis cupiditatis aſtricta, ſemper aurum videt, ſemper argentum cogitat, ſemper reditus computat, gratius aurum quam ſolem intuetur: ipſa ejus oratio & ſupplicatio a Deo petit aurum*, Diſt. 47. *Sicut hi*.

Tertio propter juſtitiæ contrarietatem. Remota juſtitia, ait Auguſtinus de civitate Dei lib. 4. cap. 4., quid ſunt regna niſi magna latrocinia? & ſic tollitur recta converſatio humana. Eſt autem cupiditas contraria juſtitiæ, quia ut acquirat ſibi cupidus, facit omnem injuſtitiam in negotiationibus, in judiciis, & aliis; unde dicitur Eccleſiaſtici 31. *Qui diligit aurum, non juſtificabitur*, ideſt non faciet juſtitiam. Et de judicibus dicitur Exodi 23. *Non accipies munera, quia munera excæcant oculos ſapientium, & pervertunt verba juſtorum*. Legitur de quodam judice cupido, quod quum haberet quamdam cauſſam præ manibus, una pars obtulit ei pro munere unum vitulum, ut pro ſe ſententiam daret, altera vaccam. Quum autem deberet ſententiam proferre, dixit qui vitulum dederat: Loquatur vitulus pro me. At ille judex reſpondit: Vacca non permittit. Voluit dicere, quod quia majus munus acceperat ab alio; ideo pro eo debebat dare ſententiam.

Quarto propter ſubſtantiæ ſeu divitiarum inutilitatem. Nec enim ſibi proſunt corpori, quia tales ſuſtinent multa incommoda & penurias ad conſervandum & agendum: Eccleſiaſtes 5. *Divitiæ congregatæ in malum domini ſui*. Nec animæ proſunt, quia cupiditas non permittit ſibi facere eleemoſynas; & inde ſibi quærere theſaurum & manſionem in cælo, ſecundum illud Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Et demum ducit eum ad interitum, 1. ad Timot. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem*. Et Gregorius: *Bonorum auctori inhærere non poſſumus, niſi cupiditatem, quæ radix eſt omnium malorum, radicitus evellamus*. Diſt. 47. *Bonorum*.

Tripliciter fit mortalis.

Tripliciter autem talis concupiſcentia rerum poteſt eſſe mortale peccatum. Primo quum concupiſcitur res temporalis, ut habeatur quocumque modo, ſi poteſt, de facto, ut per furtum, rapinam, uſuram, fraudem, & hujuſmodi. Et de hoc intelligitur illud Apoſtoli Eph. 5. *Omnis immundus aut avarus... non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei*. Avarus quaſi avidus æris. Secundo concupiſcitur ſubſtantia terrena, etſi per licitam acquiſitionem, tamen ad malum finem, ut ſcilicet inde poſſit ludere, fornicari, & alia mala facere, acquirere inde amicos ad procurandum regnum, & tyrannizandum, & hujuſmodi. Et de hoc Eccleſiaſtes 10. *Avaro nihil eſt ſceleſtius..... hic enim animam ſuam venalem habet*. Tertio quum nimis diligit etiam juſte acquiſita, adeo quod ne amittat ea, paratus eſt facere contra Dei mandata, ut pejerare & hujuſmodi, vel etiam non eſt paratus ſubvenire in [10] extrema neceſſitate indigentibus, ne ea diminuat; talis ponit finem ſuum ultimum in terrenis, quæ ita inordinate concupiſcit. Et iſto modo impoſſibile eſt *divitem intrare in regnum cælorum*, ait Chriſtus Matth. 19. ſcilicet ponentem finem in divitiis. Alias autem inordinate concupiſcere ſeu amare divitias, citra ſcilicet dilectionem Dei vel proximi, talis concupiſcentia eſt veniale. Sed ut dicitur Hierem. 6. *A majori uſque ad minorem, a ſacerdote uſque ad levitam, omnes avaritiæ ſtudent*.

De ultimo præcepto.

§. XIV. Decimum & ultimum præceptum decalogi eſt: *Non deſiderabis uxorem proximi tui*, Exodi

[10] Extremam neceſſitatem appellari etiam gravem, in qua ſubvenire proximo neceſſe eſt, oſtendemus not. 2. & 3. in cap. 24. tit. 1. partis ſecundæ pag. 334. 335. Immo peccari etiam ab iis, qui in ordinariis neceſſitatibus pauperibus non opitulantur ex ſuperfluo, probabimus Prælect. 14. in eamdem partem ſecundam pag. 161. ubi propoſitionem hac in re damnatam explicabimus.

Exodi 20. Ut dicit Joannes in prima canonica cap. 2. *Omne, quod eſt in mundo*, ideſt in mundanis peccatoribus, *aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*; quod pertinet ad concupiſcentiam honorum, ſecundum B. Thomam in tract. de decem præcep. duo ex his intelliguntur prohibita per præcedens præceptum. Nam quum dicitur: *Non concupiſces proximi tui*, intelligitur prohibita concupiſcentia oculorum. Quum dicitur: *Non domum*, intelligitur prohibita ſuperbia vitæ, ſeu concupiſcentia honorum. In domo enim, in qua eſt altitudo & latitudo, intelligitur ſuperbia & divitiæ, & conſequenter dignitates, & honores. Tertium autem, ideſt concupiſcentia carnis, hic prohibetur quum dicitur: *Non deſiderabis uxorem ejus*, ſub quo etiam comprehenditur omne deſiderium carnale illicitum; ſicut ſupra ſub nomine mœchiæ includitur omne peccatum operis carnalis. Sed quia hoc apparet magis de ſe injuſtum, ſcilicet de uxore proximi; ideo expreſſe hoc prohibetur, dum dicitur: *Non deſiderabis uxorem proximi*. In aliis præceptis ſub peccato operis intelligitur prohiberi peccatum mali deſiderii ipſius operis, ſed de mœchia & furto dantur ſpecialia, & diſtincta præcepta operis & cogitationis, quia concupiſcentia magis trahit ad iſta: pſal. 105. *Concupierunt concupiſcentiam in deſerto*, ideſt diverſarum rerum & gulæ & luxuriæ, ut in Mohabitis. Eſt autem quadruplex gradus hujus concupiſcentiæ.

Gradus quadruplex cōcupiſcētiæ præſertim carnalis. Excuſatio gravat peccatum.

In carnali ſuggeſtione.
In ſenſuali delectatione.
In rationali deliberatione.
In audaci defenſione.

Notat iſta Gregorius in 4. Moral. dicens: Quatuor modis peccatum perpetratur in corde, ſcilicet concupiſcendo, quod intelligitur de quolibet peccato; ſed magis diſcernitur in concupiſcentia luxuriæ, ſuggeſtione ſcilicet, delectatione, conſenſu, & defenſionis audacia. Fit autem ſuggeſtio per adverſarium, delectatio per carnem, conſenſus per ſpiritum, & defenſionis audacia per elationem. Dat exemplum de lapſu primorum parentum dicens: Illam primi hominis rectitudinem antiquus hoſtis quattuor ictibus fregit. Nam ſpecies ſuaſit. Eva delectata eſt quaſi caro. Adam conſenſit ut ratio; qui etiam requiſitus confiteri culpam, per audaciam voluit defendere, dicens: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi* Hoc in humano genere quotidie agitur, quod actum in primo parente noſtri generis non ignoratur. Serpens ſuaſit, quia occultus hoſtis mala cordibus hominum latenter ſuggerit. Sed ut dicitur Eccleſiaſtici 28. *Poſt concupiſcentias tuas non eas*; quia, ut ait Ambroſius, exponens illud pſal. 136. *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos ſuos*, ideſt lubricas cogitationes, primos motus concupiſcentiæ, ne ultra procedant *ad petram* reſiſtentiæ. Raro tamen eſt, quin ibi ſit peccatum, & præcipue quando quis eſt occaſio hujus cogitationis per diſtractionem ſenſus.

Secundus gradus eſt per ſenſualem delectationem: ad Gal. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum:* ubi dicit Auguſtinus, quod nullum peccatum eſt, quum *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*. Et B. Thomas ubi ſupra dicit, quod nullus evadit concupiſcentiam carnis poſt peccatum primorum parentum propter corruptionem naturæ præter Chriſtum, & Virginem matrem ejus. Unde ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*: non ait, *non ſit*, ſed *non regnet*, ideſt non dominetur. Eſt quidem in carne peccatum concupiſcentiæ, quum delectatur ſola ſenſualitas; ſed non dominatur, quum ratio non aſſentit. Et ut dicit Gregorius: *Nequaquam immunda cogitatio mentem maculat*, ſcilicet per mortale, *quum pulſat*, ſcilicet per ſuggeſtionem vel ſenſualem complacentiam; *ſed quum hanc ſibi per delectationem ſubjugat*, ſcilicet aſſentiendo, *De pœnit.* Diſt. 2. *Inter hæc*.

Tertius gradus eſt per conſenſum rationis. Sicut enim Eva comeſto fructu porrexit ſubito viro; ita ſenſualitas in ſuggeſtione concupiſcentiæ alicujus mali delectata, ſubito ſuggerit rationi, ut aſſentiat; quod ſi conſentit, tunc quaſi Adam comedit, & mortaliter peccat in his, quæ ſunt contra præcepta. De quo dicitur Dan. 13. *Concupiſcentia ſubvertit cor tuum*. Quod fit dupliciter, dum ſcilicet conſentit in opus malum, vel quum [11] conſentit in moroſam delectationem, quod etiam eſt mortale ſecundum Thomam Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, 1. ad Corinthios 10. *Non ſimus concupiſcentes malorum ſicut illi concupierunt ..... & ceciderunt una die viginti tria millia*.

Quartus gradus eſt audax defenſio ſeu excuſatio. Sicut primus parens, quum fuiſſet requiſitus de culpa, ſubito quaſi defendens intorſit culpam in mulierem, vel eum, qui dederit ei in ſociam; ſic peccator poſt conſenſum ſe excuſat vel per exempla pejus facientium, vel diaboli tentantis, & hujuſmodi: Jacobi 4. *Unde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentiis, quæ militant in membris veſtris?* excuſando ſcilicet mala &c. Debet autem conari quilibet has concupiſcentias vincere, occaſiones exteriores fugiendo, & malas ſocietates & diſcurſus, auditum & aſpectum vanum, *Non concupiſcat pulchritudinem mulieris cor tuum, ne capiaris nutibus illius*, Proverb. 6. Quoniam *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*, Eccleſiaſtici 13. Secundo per mortificationem carnis: ad Gal. 5. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*. Tertio per orationem: Sap. 8. *Scio, quod non poſſum eſſe continens, niſi tu dederis*. Quarto per occupationem. Nam in deſideriis eſt omnis otioſus. *Per agrum pigri hominis tranſivi*, ait Salomon, Proverb. 24. *& per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleverant urticæ*, concupiſcentiarum ſcilicet.

Cæremonialia obſervari non debent.

CAPUT V.

De præceptis cæremonialibus ipſius legis ſub quadruplici differentia.

Secunda pars legis Moſaycæ eſt de præceptis cæremonialibus, quæ quidem omnino ceſſant in novo teſtamento, & ſervari non debent. Sed quantum ad moralem intelligentiam ſeu expoſitionem adhuc debent ſervari. Unde Gratianus in Decretis Diſt. 6. §. ult. dicit, quod *myſtica mandata legis quantum ad ſuperficiem, a naturali jure videntur aliena. Quantum autem ad moralem intelligentiam, mutabilitatem neſcire probantur, & ſibi inveniuntur annexa, ac per hoc, etſi ſecundum ſuperficiem, videantur eſſe mutata; tamen ſecundum moralem intelligentiam non ſunt mutata*. Et ſic poteſt intelligi illud Pſalmiſtæ 118. *Cuſto-*

[11] Conſentit in moroſam delectationem, non tam qui libenter immoratur in cogitatione mala, ac in ea delectatur, quam qui non reſiſtit, nec repellit periculoſam cogitationem, uti latius explicavimus not. 1. in cap. 1. tit. 9. pag. 563.

Cuſtodiam legem tuam ſemper in ſæculum, & in ſæculum ſæculi, quia non ſolum moralia, ſed etiam cæremonialia legis ſecundum moralem intellectum obligant ſemper; ideo debent ſervari. Sicut v. g. quod non comedantur carnes porcinæ, quia in lege prohibitæ, ſervari non debet, ſed quod non habeantur mores laſcivi, luxurioſi, figurati per talem eſum, ſemper debet ſervari.

Sed pro horum declaratione ſciendum primo ſecundum Thom. 1. 2. quæſt. 101. art. 1. quod cæremonialia præcepta determinant præcepta moralia in ordine ad Deum, ſicut judicialia determinant ipſa moralia in ordine ad proximum; puta præceptum morale eſt, quod quis colet & adoret Deum, ſed quomodo vel quo tempore vel loco, hoc determinabant cæremonialia, puta offerendo ſacrificia ad templum & tali tempore. Ordinatur autem homo ad Deum per debitum cultum ejus; & ideo proprie cæremonialia dicuntur, quæ proprie pertinent ad cultum Dei. Et dicuntur cæremonialia quaſi munia, ideſt dona Cereris, quæ dicebatur a gentilibus dea frugum, eo quod primum ex frugibus oblationes Deo offerebantur. Vel ſicut Valerius Maximus refert: Nomen cæremoniæ introductum eſt ad ſignificandum cultum divinum apud latinos a quodam oppido juxta Romam, quod Cere vocabatur, eo quod Roma capta a Gallis illuc ſacra Romanorum allata ſunt reverentiſſime habita. Thom. 1. 2. quæſt. 99. art. 3. Vel cæremonialia a cereis, qui in ſolemnitatibus accenduntur. Vel ſecundum alios cæremonialia quaſi normæ, ideſt regulæ ſalutis. Sed iſtæ duæ ultimæ expoſitiones non ſunt ita propriæ. De ipſis autem cæremoniis dixit Dominus Moyſi, Exodi 18. *Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum, oſtendeſque populo cæremonias & ritum colendi.*

Cæremoniæ notio.

Sciendum autem, quod omnia cæremonialia ſunt figuralia. Unde Apoſtolus ad Coll. 2. inquit. *Nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum*, ideſt figura, ſcilicet Chriſti & populi Chriſtiani, & ſacramentorum & morum ipſorum. Pro cujus declaratione notandum ſecundum Thom. 1. 2. quæſt. 101. art. 2. quod quum præcepta cæremonialia ordinentur ad cultum Dei, ut dictum eſt, duplex eſt cultus Dei, ſcilicet interior & exterior. Et quum homo ſit compoſitus ex anima & corpore, utrumque debet applicare ad colendum Deum, ut ſcilicet anima colat interiori cultu, & corpus exteriori, ſecundum illud pſal. 83. *Cor meum*, ideſt anima, *& caro mea exſultaverunt in Deum vivum*. Et ſicut corpus ordinatur ad animam, ita cultus exterior ad interiorem. Cultus autem interior conſiſtit in hoc, quod anima conjungatur Deo per intellectum & affectum; & ideo ſecundum quod diverſimode intellectus & affectus colentis Deum conjungitur Deo, ſecundum hoc diverſimode actus exteriores hominis ad cultum Dei applicantur. In ſtatu enim futuræ beatitudinis intellectus humanus ipſam divinam veritatem in ſeipſam intuebitur. Et ideo exterior cultus non conſiſtet ibi in aliqua figura, ſed ſolum in laude Dei, quæ procedit ex interiori agnitione & affectione perfecta, ſecundum illud Iſaiæ 51. *Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis*. In ſtatu autem præſentis vitæ non poſſumus divinam veritatem in ſeipſa intueri; ſed oportet, quod radius divinæ veritatis nobis illuceſcat, ſub aliquibus ſenſibilibus figuris, ut dicit Dionyſius, diverſimode tamen ſecundum diverſum ſtatum cognitionis humanæ. In veteri enim lege neque ipſa divina veritas in ſeipſa manifeſta erat, neque etiam adhuc propalata erat via ad hoc perveniendi, ſicut

Duplex cultus Dei.

A dicit Apoſtolus ad Hebr. 7. Et ideo oportebat exteriorem cultum veteris legis non ſolum eſſe figurativum futuræ veritatis manifeſtandæ in patria, ſed etiam figurativum Chriſti, qui eſt via ducens ad illam patriæ veritatem. In ſtatu vero novæ legis hæc via jam revelata eſt. Unde hanc præfigurari non oportet ſicut futuram, ſed commemorari per modum præteriti vel præſentis, ut myſterium paſſionis, reſurrectionis & hujuſmodi, & exhibitio ſacramentorum. Sed ſolum oportet præfigurari futuram veritatem gloriæ nondum revelatam, quod fit in ipſis ſacramentis, & ſacramentalibus. Et hoc eſt, quod Apoſtolus dicit ad Hebr. 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*. Umbra enim B minus eſt quam imago, tamquam imago pertineat ad novam legem, & umbra ad veterem. Nec obſtat quod lex populo danda debeat eſſe manifeſta ſecundum Iſidorum Diſt. 4. *Erit autem*. Quia divina non ſunt revelanda hominibus, niſi ſecundum capacitatem eorum; alioquin daretur eis materia præcipitii, dum contemnerent, quæ capere non poſſent. Et ideo utilius fuit, ut ſub quodam velamine figurarum divina myſteria Dei populo traderentur, ut ſaltem ea implicite cognoſcerent, dum illis figuris deferrent ad honorem Dei.

Nova lex figura eſt beatitudinis.

§. I. Ipſa autem cæremonialia præcepta ſunt multiplicia, ſecundum illud Oſææ cap. 8. *Scribam ei multiplices leges*; hujus autem ratio eſt C ſecundum Thom. 1. 2. quæſt. 1. art. 3. quia omnis lex datur alicui populo. In populo autem ſunt duo genera hominum: quidam proni ad malum; & hi ſunt per præcepta legis coercendi: quidam ſunt habentes inclinationem ad bonum, vel ex natura, vel ex conſuetudine, vel magis ex gratia; & tales ſunt per legis præcepta inſtituendi, & in melius promovendi. Quantum igitur ad utrumque genus hominum fuit expediens multiplicari cæremonialia in veteri lege. Quia enim in illo populo aliqui erant proni ad idololatriam, cui multipliciter idololatriæ gentiles deſerviebant, oportebat econverſo multa inſtitui cæremonialia ad ſingula reprimenda, & multa talibus imponi, ut quaſi oneratis ex his, quæ ad D cultum Dei impendebant, non vacaret eis idololatriæ deſervire. Ex parte vero eorum, qui proni erant ad bonum, fuit neceſſaria multiplicatio cæremonialium, tum quia per hæc diverſimode mens eorum referebatur in Deum, & magis aſſidue, tum etiam quia myſterium Chriſti, quod per hujuſmodi cæremonialia figurabatur, multiplices utilitates contulit mundo, & multa circa ipſum erant conſideranda, quæ oportuit per diverſa cæremonialia figurari.

De multiplicitate præceptorum cæremonialium.

Dividuntur autem iſta cæremonialia præcepta in quattuor genera, ſcilicet ſacrificium, ſacrum, ſacramentum, & obſervantiam. Hujus ratio eſt ſecundum Thomam ubi ſupra art. 4. quia cæremonialia præcepta ordinantur ad cultum Dei, E in quo quidem cultu conſiderari poteſt & ipſe cultus, & colentes, & inſtrumenta colendi. Ipſe autem cultus ſpecialiter conſiſtit in ſacrificiis, quæ in Dei reverentiam offeruntur. Inſtrumenta autem colendi pertinent ad ſacra, ſicut eſt tabernaculum & vaſa & alia hujuſmodi. Ex parte autem colentium duo poſſunt conſiderari, ſcilicet & eorum inſtitutio ad cultum divinum, quod fit per quamdam conſecrationem vel populi vel miniſtrorum; & ad hæc pertinent ſacramenta. Et iterum eorum ſingularis converſatio, per quam diſtinguuntur ab his, qui Deum non colunt. Et ad hoc pertinent obſervantiæ, puta in cibis, veſtimentis, & aliis hujuſmodi.

Quattuor ſunt genera cæremonialium.

§. II. De ſacrificiis veteris teſtamenti in lege manda-

mandatis, quare inſtituta ſunt, & quid ſignificarunt, dicitur Lev. 1. *Adolebit ea ſacerdos ſuper altare in holocauſtum, & odorem ſuaviſſimum Domino*. Dicuntur illa ſacrificia odorem præſtare Domino ſuaviſſimum, quia Deo erant accepta, non quod Deus illis indigeret, pſal. 49. *Numquid manducabo carnes thaurorum?* aut quod illa de ſe placerent Deo tamquam expiativa culparum. Unde dicit Apoſtolus ad Hebr. 10. quod ſacerdos offerebat ſæpe hoſtias, *quæ non poſſunt auferre peccata*; ſed propter rationes, propter quas offerebantur, grata habebat.

Aſſignatur autem triplex ratio illorum ſacrificiorum, quare talia animalia vel alia offerebantur, & tali modo ſecundum Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 3.

Triplex ratio illorum ſacrificiorũ aſſignatur.

Propter idololatriæ deteſtationem evitandam.

Propter offerentis diſpoſitionem ſignandam.

Propter Chriſti paſſionem figurandam.

Prima & ſecunda ratio eſt litteralis, tertia myſtica figuralis. Et ad hoc poteſt induci illud pſal. 39. *Sacrificium & oblationem noluiſti; aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti. Tunc dixi: Ecce venio, quaſi diceret: Sacrificium, & oblationem noluiſti*, propter ſe, quaſi delectareris illis rebus, ſed propter idololatriam vitandam. Et eſt ſacrificium in animalibus, oblatio in aliis terræ naſcentibus: *Aures autem perfeciſti mihi*, ideſt dediſti mihi perfectum intellectum in his, ut intelligerem mentis diſpoſitionem, quam requiris in offerente tibi placitam; & hoc quoad ſecundum: *Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti*, quæ erant præcipue inter ſacrificia, *tunc*, ſcilicet quum *dixi* per effectum: *Ecce venio*, ſcilicet in mundum ad ſuſtinendam paſſionem. Nunc ergo impleta figura illorum ſacrificiorum, non poſtulo, immo reſpuo illa ſacrificia, quæ figurabant iſtud per effectum ſacrificium.

Hebræi proni ad idololatriã.

Quantum ergo ad primum dicit Hieron. 22. quæſt. 1. *Conſidera*, quod quum Judæi eſſent proni ad idololatriam, in qua gentiles offerebant animalia occiſa diis ſuis, voluit, ut Judæi potius illa offerrent Deo in honorem ſuum, quam diis ſeu dæmoniis, & ſic retraherentur a ſacrificiis idolorum. Unde non fuerunt data illi populo præcepta de ſacrificiis, niſi poſtquam declinaverunt ad idololatriam adorando vitulum conflatilem: & hinc eſt, quod illa animalia, quæ non offerebant Ægyptii, inter quos erant converſati, diis ſuis, ut oves, & boves, & arietes, illa juſſi ſunt offerre, non alia, quæ offerebant Gentiles diis ſuis. Et propter hoc etiam prohibebatur Deo offerri ſanguis animalium & adeps, & mel, & fermentum, quia iſta offerebant Gentiles in ſuis ſacrificiis. Aves offerebantur, ut turtur, pulli columbarum, & paſſeres propter pauperes, qui non poterant in aliis animalibus multum expendere. Harum autem avium eſt copia in illis partibus. Non autem offerebantur piſces in ſacrificium, quia quum in aquis vivant, magis ſunt alieni ab homine, quam alia animalia, quæ vivunt in aere. Modus etiam occidendi quædam animalia, ut aves, determinabatur a lege, ad excludendum etiam idololatrarum modum, quem tenebant.

Ordinatio mentis in Deum qualis.

Quantum ad ſecundum dicit Thomas ubi ſupra, quod per ſacrificia repræſentabatur ordinatio mentis in Deum, ad quam excitabatur ſacrificium offerens. Ad rectam autem ordinationem in Deum pertinet, quod omnia, quæ habet quis, recognoſcat a Deo tamquam primo principio, & ordinet in Deum tamquam in ultimum finem. Et hoc repræſentabatur in ſacrificiis & oblationibus, ſecundum quod homo ex rebus ſuis quaſi in recognitionem, quod ea haberet a Deo, in honorem Dei ea offerebat, ſecundum illud, quod dixit David, 1. Paralip. 29. *Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Et ideo in oblationibus ſacrificiorum proteſtabatur homo, quod Deus eſſet primum principium creationis rerum, & ultimus finis, ad quem eſſent omnia referenda, ut mens humana non recognoſcat alium auctorem primum rerum, niſi ſolum Deum, nec in alio finem ſuum conſtituat. Et propter hoc prohibetur in lege ſub pœna mortis non offerri ſacrificium alteri, niſi Deo ſoli, Exodi 22. Offerebantur autem animalia occiſa, & coquebantur, quia ſic veniunt talia in uſum hominum, ſecundum quod a Deo dantur ad eſum hominum. Similiter etiam per occiſionem illorum animalium ſignabatur deſtructio peccatorum, quæ debet eſſe in offerentibus Deo ſacrificia bonorum operum. Unde gloſſa Levit. 1. Vitulum offerimus, quum ſuperbiam avertimus, Agnum, quum irrationabiles motus corrigimus. Hœdum, quum laſciviam ſuperamus. Turturem, dum caſtitatem ſervamus. Azymos panes, quum azymis ſinceritatis epulamur. In columba ſignatur ſimplicitas & caritas mentis. Gallina & porcus non offerebantur, quia habent immundum nutrimentum. Deo autem, quod eſt purum & mundum, tribuendum eſt. Animalia vero ſilveſtria non ſunt communiter hominum uſui deputata. Maculoſa etiam animalia clauda & hujuſmodi prohibebantur offerri, quia, ut ait Hieronymus Diſt. 49. can. ult. *Indignum eſt dare Deo, quæ dedignatur homo*. Et quia ſignat defectus mentis, a quibus offerentes debent cavere.

Genus ſacrificiorum triplex.

Et notandum ſecundum Thomam ubi ſupra, quod triplex eſt genus ſacrificiorum, quod mandabatur offerri, quod ſcilicet deſignat triplicem ſtatum fidelium. Primum dicebatur holocauſtum, quod interpretatur quaſi totum incenſum, quia totum animal offerebatur, & cremabatur ad honorem divinæ majeſtatis, & amorem ſuæ bonitatis. Et ſignat ſtatum perfectionis in obſervatione conſiliorum, quibus quis totum ſe Deo & omnia ſua offert in honorem ſuum, nihil ſibi reſervans. Aliud dicebatur ſacrificium pro peccato, quia offerebatur Deo pro remiſſione peccati, & conveniebat ſtatui pœnitentium in ſatisfactione peccatorum, quod ſacrificium dividebatur in duas partes, quarum una incendebatur, alia cedebat in uſum ſacerdotis, ad ſignificandum, quod expiatio peccatorum fit a Deo per miniſterium ſacerdotum per ſacramenta, & hoc niſi quum offerretur pro peccato ſacerdotis; tunc etiam totum comburebatur, ad innuendum, quod nil peccati remaneret in ſacerdote. Tertium dicebatur hoſtia pacifica, quod offerebatur Deo pro gratiarum actione, vel pro ſalute & proſperitate offerentium, ex debito beneficii accepti vel accipiendi. Et convenit ſtatui proficientium in obſervatione mandatorum. Et dividebatur tale ſacrificium in tres partes, quarum una cedebat in honorem Dei, quæ ſcilicet comburebatur. Alia in uſum ſacerdotis. Tertia in uſum offerentium, ad figurandum, quod ſalus hominis proveniat a Deo mediantibus ſacerdotibus ut miniſtris Dei & cooperantibus hominibus ipſis, qui ſalvantur. Sacerdotum autem erat pectuſculum & armus dexter animalis ad deſignandum, quod debet habere ſapientiam cordis ad inſtruendum populum, & fortitudinem, quæ deſignatur in armo dextero ad ſuſtentandum defectus. *Sacrificate* ergo, ait pſal. 5. *ſacrificium juſtitiæ*. Non ſacrificia animalium, quia *holocauſtum pro peccato non poſtulaſti*; ſed *ſacrificium juſtitiæ*, ideſt bonorum operum, ſecundum iſtum triplicem ſtatum.

Quid veteraſacrificia figurarent.

Quantum ad tertium dicit Thomas ubi ſupra quod inter omnia dona, quæ Deus humano generi per peccatum lapſo dedit, præcipuum eſt, quod dedit filium ſuum, Joann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui*

qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et ideo potiſſimum ſacrificium eſt, quo ſe obtulit Deo patri *in odorem ſuavitatis*, ut dicitur ad Epheſ. 4. Et propter hoc omnia alia ſacrificia offerebantur in lege, ut hoc unum principale & præcipuum figurarent tamquam perfectum per imperfectum. Unde ad Heb. 10. Chriſtus *unam ſemel pro peccato obtulit hoſtiam in ſempiternum*. Et ſic omnia iſta figurabant Chriſti paſſionem. Unde gloſſa Levit. 1. Chriſtus in vitulo offertur propter virtutem crucis. In agno propter innocentiam. In ariete propter principatum. In hyrco propter ſimilitudinem carnis peccati. In turture & columba duarum naturarum conjunctio deſignatur. Vel in turture caſtitas ejus. In columba caritas inſinuatur. In ove patientia vel obedientia. Offerebantur & panes a pauperibus, qui etiam figurabant Chriſtum, qui ait: *Ego ſum panis vivus*, Jann. 6. Vel farinam vel ſpicas. Et Chriſtus ſpica fuit in ſtatu legis naturæ in fide patrum: ut ſimila, in lege & doctrina prophetarum: ſicut panis formatus poſt aſſumtionem humanitatis igne Spiritus ſancti coctus in clibano uteri virginalis, in ſartagine coctus per labores ſuæ converſationis in mundo, in cruce quaſi in craticula aduſtus. Vinum, quod aliquando offerebatur, ſignat ſanguinem ſuum. Oleum gratiam ejus, ſal ſapientiam ejus, thus devotionem orationis. Tunc ergo quum noluit Deus amplius ſacrificia Judæorum, dixit Dei filius: *Ecce venio*, & in me perficio & impleo omnia ſacrificia.

De ſacris legis veteris.

§. III. De ſecunda parte cæremonialium, quæ ſcilicet dicuntur ſacra, & pertinent ad templum & vaſa ejus, dicit Apoſtolus ad Hebr. 8. quod illi, qui offerunt ſecundum legem munera, id eſt in templo, *deſerviunt exemplari & umbræ cæleſtium*, ſicut reſponſum eſt Moyſi, quum conſummaret tabernaculum. *Vide*, inquit, *omnia, & facito ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*, Exodi 25. ubi dicit B. Thomas 3. 2. quæſt. 102. art. 4. quod totus exterior cultus Dei ad hoc ordinatur, ut homines Deum in reverentia habeant. Hoc enim habet humanus affectus, ut ea, quæ communia ſunt, & non diſtincta ab aliis, minus revereatur; ea vero, quæ habent aliquam excellentiæ diſcretionem ab aliis, magis admiretur & revereatur. Unde & hominum conſuetudo inolevit, quod reges & principes, quos oportet in reverentia haberi a ſubditis, & pretioſioribus veſtibus utantur, & ampliores habitationes inhabitent. Propter hoc oportuit, ut ſpecialia templa, & ſpeciales ornatus, & vaſa, & ſpeciales miniſtri ad Dei cultum ordinarentur, ut per hoc animi hominum ad majorem reverentiam Dei inducerentur. Inſuper & ſtatus veteris legis erat ordinatus ad ſignandum myſterium Chriſti. Oportet autem eſſe aliquid determinatum, id, per quod aliud figurari debet, ut ſcilicet aliquam ejus ſimilitudinem repræſentet. Et ideo oportuit aliqua ſpecialia obſervari ad cultum Dei & circa templum ejus. De quo poteſt induci illud pſal. 5. *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo*, præcipue reverentiali. Adorare pertinet ad cultum Dei exteriorem.

Triplex templum.

Sed ſciendum, quod triplex eſt templum. Et de quolibet poteſt Davidicum illud intelligi.

Eſt ſynagogæ materiale.

Eſt Eccleſiæ ſpirituale.

Eſt gloriæ ſupernale.

Cultus Dei duo reſpicit.

Et quantum ad primum ſciendum ſecundum Thomam ubi ſupra, quod quum cultus Dei duo reſpiciat, ſcilicet Deum, qui colitur, & homines colentes; certum eſt, quod ipſe Deus, qui colitur, nullo loco clauditur. Unde propter ipſum non oportuit facere templum vel tabernaculum, ſed propter homines colentes, quia corporales ſunt, oportet propter eos facere tabernaculum vel templum ad cultum Dei propter duo. Primo, ut ad hujuſmodi convenientes cum hac conſideratione, quod ille locus deputatus eſt ad colendum Deum, cum majori reverentia convenirent. Secundo, ut per diſpoſitionem talis templi vel tabernaculi, figurarentur aliqua pertinentia ad excellentiam divinitatis vel humanitatis Chriſti. Et hoc eſt, quod Salomon dixit 3. Reg. 8. *Si cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto magis nec domus hæc, quam ego ædificavi tibi?* Et paullopoſt ſubdit: *Sint oculi tui aperti ſuper domum iſtam die ac nocte, ſuper domum, de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi, ut exaudias deprecationem ſervi tui, & populi tui Iſrael.* Ex quibus patet, quod templum, vel tabernaculum non eſt factum, ut Deum inhabitantem capiat, ſed ut nomen Dei ſit ibi, ideſt notitia Dei manifeſtetur per ea, quæ ibi fiunt & dicuntur, & quod propter reverentiam loci orationes ſint magis exaudibiles ex devotione facientium eas. *Adorabo* ergo *ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Et videtur loqui de tabernaculo Moyſi. Nam adhuc non erat factum templum, ſed ipſum fecit Salomon filius ejus, quod templum ſucceſſit tabernaculo, quia tempore Moyſi non habebant firmam manſionem euntes per deſertum, & poſtea tempore judicum & uſque ad Salomonem fuerunt in bellis contra finitimos; ideo non potuerunt apte habere firmum templum, ſed loco ejus tabernaculum portabile. Quam autem fuit in quiete tempore Salomonis, tunc factum eſt templum. Factum eſt autem unum templum vel tabernaculum, non plura; ad evitandum idololatriam gentilium, qui plura templa diis ſuis faciebant, & ut firmaretur in mentibus hominum fides unitatis divinæ naturæ, & ad deſignandam unitatem Eccleſiæ militantis & triumphantis. Erant tamen in populo Judæorum multæ ſynagogæ, ubi ſcilicet docebant populum; ſed unum tantum templum, ubi offerebatur ſacrificium. Sicut autem pur unitatem tabernaculi vel templi illius deſignabatur unitas Dei; ita per diſtinctionem ejus in partes, ſcilicet in ſancta & ſancta ſanctorum ſignatur diſtinctio eorum, quæ ſunt Deo ſubjecta. Diſtinguebatur ergo illud tabernaculum vel templum ſic. Quia una pars principalior ejus dicebatur ſancta ſanctorum, & erat verſus occidentem, verſus quam fiebat oratio ad excludendam idololatriam, quia gentiles adorabant ad orientem ob reverentiam ſolis, reputantes illum Deum. Et in iſta parte, quæ in tabernaculo erat ſpatii decem cubitorum in longitudine & latitudine, erat arca Dei de lignis Sethim facta, & deaurata intus & extra, in qua arca erant tria, ſcilicet tabulæ decalogi, virga Aaron, quæ fronduerat, & urna aurea habens manna. Super arcam erat quædam tabula ſublevata quaſi ſedes, quæ ſuſtentabatur ab alis cherubin, qui ibi erant ſculpti de ligno olivarum, poſiti unus ab uno latere, alius ab altero, reſpicientes ſe mutuis vultibus, ita quod arca erat in medio eorum. Et dicebatur illa tabula propitiatorium quaſi æſtimaretur ſedes Dei, unde propitiaretur populo, & exaudiret orationes eorum, juxta illud Iſaiæ 37. *Qui ſedes ſuper cherubin* &c. Ante iſtam partem ſancta ſanctorum erat velum quoddam intextum ex quattuor coloribus, ſcilicet byſſo, jacyntho, purpura, & cocho bis tincto, quod velum ſuſtentabatur columnis aliquibus, & dividebat ſancta a ſancta ſanctorum, occultans quæ erant in ſancta ſanctorum. In loco vero, ſeu parte illa templi, vel tabernaculi erant tria, ſcilicet candelabrum aureum cum haſtilibus ſeptem & lucernis,

Quare fuit templū Hebræis.

De arca.

nis ſeptem aureis ex parte auſtri, & menſa aurea, ſuper qua continue erant duodecim panes, qui dicebantur propoſitionis, & in medio altare aureum, quod dicebatur altare thymiamatis, ſuper quod incenſabatur cum thuribulo aureo. Ante vero iſtam partem, quæ dicitur ſancta, erat atrium in templo, quod fecit Salomon, ubi erat altare holocauſtorum concavum, ſuper quod erat craticula ferrea, ubi ponebantur animalia occiſa ad comburendum in ſacrificium, & ſubtus cratem, ideſt in illa concavitate altaris, ardebat ſemper ignis. Et ſuper illud altare offerebant ſacerdotes ſacrificia in conſpectu populi. In locum autem, qui dicitur ſancta, intrabant ſoli ſacerdotes pro certis cauſſis. In ſancta autem ſanctorum ſolum ſummus ſacerdos, & ſemel tantum in anno feſto propitiationis. Etiam atria templi large dicebantur templum, ut patet in Evangelio Matth. 21. Nam quum ibi dicitur Chriſtum docuiſſe, vel aliquid feciſſe in templo, intelligitur de atriis templi. Et parietes quidem templi Salomonis fuerunt de lapidibus, ut fiunt communiter ædificia. Sed tabernaculum Moyſi habuit pro parietibus tabulas ligneas, longitudinis decem cubitorum in longum erectis, quæ conjungebantur adinvicem certis modis. Et hi parietes ligneis cortinis tegebantur ab intra, ex quattuor coloribus contextis, ſcilicet byſſo, jacyntho, purpura, & cocho bis tincto. Pro tecto autem tabernaculi erat triplex operimentum. Primum de pellibus jacynthinis. Secundum ſupra illud de pellibus arietum rubricatis, ideſt de corio. Tertium de ſagis cilicinis, quod non ſolum cooperiebat alia operimenta tabernaculi, ſed etiam deſcendebat a lateribus uſque ad terram, & cooperiebat tabulas ab extra. Hæc omnia fuerunt facta ad ornamentum templi vel tabernaculi & protectionem, & ob reducendum ad memoriam beneficiorum Dei, & reverentiam Deo exhibendam. Sed quia *omnia in figuram contingebant illis* (inquit Apoſtolus 1. Cor. 10.) ſcilicet templi ſpiritualis Chriſti & Eccleſiæ; ideo de ipſo nunc videndum. Sicut adorabatur in illo templo veteri in timore reverentiali; ita nunc & multo magis hoc agendum in templo materiali novi teſtamenti. *Adorabo* ergo *ad templum ſanctum tuum in timore tuo.*

Figura hujus templi.

Ratio figurabilis hujus templi vel tabernaculi eſt diſpoſitio varia templi ſpiritualis, quod eſt Eccleſia. Unde Apoſtolus 1. Corint. 3. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Hujus templi pars principalis & caput eſt Chriſtus, qui eſt Sanctus ſanctorum. Alia pars, quæ dicitur ſancta non ab eo diviſa, ſed unum corpus unum templum cum eo, eſt congregatio fidelium. Quæ igitur erant in ſancta ſanctorum, conveniunt Chriſto, ſeu figurant ipſum ſecundum Thomam ubi ſupra. Arca igitur ſignat humanitatem Chriſti, quæ arca erat facta ex lignis imputreſcibilibus, quia corpus ejus ſicut fuit ex puriſſimis ſanguinibus Virginis formatum; ita nec corruptionem vidit in ſepulchro, nec corruptionem peccati habuit in anima. Tota iſta arca erat intus & extra deaurata, quia plenus caritate, ſemper in actibus exterioribus. In iſta arca humanitatis Chriſti erant tabulæ teſtamenti, ideſt ſumma ſapientia, & ipſe eſt legislator. Virga Aaron, quæ deſignat juſtitiam & poteſtatem judiciariam, & dignitatem regiam, & ſacerdotalem, quæ in eo fuerunt; unde & de regibus & ſacerdotibus natus eſt quaſi ſummus ſacerdos & rex. Aurea una habens manna, ideſt mens ejus ſanctiſſima plena gratia & miſericordia. Deſuper erat propitiatorium, ideſt divinitas ejus, qua nobis propitiatur cum Patre & Spiritu ſancto: Joann. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Cherubin quaſi deferentes propitiatorium, & circa arcam, ſignant Angelos & ſuperiores obſequentes ſibi in noſtro adjutorio. Velum ex quattuor coloribus, quod diſtinguit ſancta a ſancta ſanctorum; ſunt quattuor virtutes cardinales, quæ fuerunt in Chriſto, & ſunt in omnibus ſanctis ejus, ſcilicet prudentia, juſtitia, & fortitudo, & temperantia. Sed alio & alio modo; quia in Chriſto ut exemplares & purgati animi, in ſanctis Eccleſiæ militantis, ut purgatoriæ, vel politicæ in ſancta, ſcilicet Eccleſia militanti, ideſt congregatione bonorum fidelium. Sunt iſta bona ſpiritualia, ſcilicet menſa aurea, ideſt caritas ſancta, quæ habet ſuper ſe auream & poſtea aureolam, quia præmium eſſentiale, quod reſpondet caritati, & pro ea datur, ac etiam præmium accidentale; nec enim præmiaretur virginitas aut martyrium, niſi cum caritate ſervata.

Allegoria arcæ fœderis.

De duodecim panibus propoſitionis.

Duodecim panes propoſitionis ſignant doctrinam reficientem credendorum, ſcilicet duodecim articulorum, quæ cum caritate invenitur. Candelabrum aureum deſignat gratiam Spiritus ſancti, quæ ſeptiformis eſt in ſeptem donis, ſcilicet ſapientiæ, intellectus, conſilii, & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & timoris. Hæ deſignantur per ſeptem haſtilia ejus & lucernas. Haſtilia quoad habitum, lucernas quoad actum. Per actum enim & exercitium eorum illuminatur templum Eccleſiæ. Altare thymiamatis deſignat ſpem, ex qua quis movetur ad orandum Deum, & thus devotionis offerendum. In iſto loco, ſcilicet ſancta, aſpergebatur per ſacerdotem ſepties ſanguis contra velum de quodam ſacrificio, præcipue in feſto propitiationis, quia in Eccleſia militanti remanſit virtus ſanguinis Chriſti ſignati in illo ſacrificio, & in ſeptem ſacramentis, quæ adminiſtrantur per ſacerdotes ad expiandum ſeptem peccata mortalia: in quolibet enim operatur ſanguis Chriſti. Tabulæ tabernaculi deſignant fideles, qui ſunt erecti per puram intentionem, conjuncti per fraternam compaſſionem, auro cooperti per lucidam exemplorum oſtenſionem. Decem cubitorum per decem præceptorum obſervationem. Cooperimentum deſignat eorum prælatos & doctores, qui ſupereminent eis. Hi debent habere cæleſtium contemplationem, & ſignantur per jacynthinas pelles, promtitudinem ad martyrium, quod ſignatur per rubricatas pelles, & tollerantiam adverſorum, vel abſtinentiam, quod ſignatur per ſaga cilicina. Atrium templi poteſt deſignare fideles, qui ſunt numero, non merito in Eccleſia. In tali congregatione offeruntur ſacrificia operum, ſcilicet quæ ſunt de genere bonorum. Sed non habent illa bona ſpiritualia, quæ ſunt in ſancta. In ſancta ſanctorum non intrat ad Chriſtum in cælum, niſi unus, ideſt perfecte unitus cum Chriſto per perfectam dilectionem. Ad iſtud ergo templum debemus adorare, ideſt Chriſtum & ſanctos ſuos. Sed ad Chriſtum adoratione latriæ; ad ſanctos adoratione duliæ; & hoc in timore filiali & reverentia.

Cælum empyreum dicitur Dei templum.

Tertium templum Dei eſt cælum empyreum, in quo ſanctis & Angelis manifeſtatur gloria Dei: de quo pſalmus 28. *In templo ejus omnes dicent gloriam*, ideſt omnes laudabunt & glorificabunt Deum. Aliud exercitium ibi non eſt. Hoc templum etiam figurabat pars illa tabernaculi vel templi, quæ dicebatur ſancta ſanctorum. Alia etiam inſinuabant Deo ſubjecta, ex quibus conſurgimus in venerationem Dei. Significat ergo ſancta ſanctorum, ſecundum Thomam, altius ſæculum, quod eſt ſubſtantiarum ſeparatarum, & ſancta mundum corporalem. Et ideo ſancta a ſancta ſanctorum diſtinguebantur quodam velo, quod quattuor coloribus erat diſtinctum, per quæ quat-

quattuor elementa ſignantur, ſcilicet byſſo, per quod ſignatur terra, quia byſſus, ideſt linum de terra naſcitur. Purpura, per quam ſignatur aqua. Fiebat enim purpureus color ex quibuſdam conchis marinis, quæ inveniuntur in mari. Jacyntho, per quod ſignatur aer, qui habet jacynthinum colorem, ideſt aereum. Concho bis tincto, qui eſt rubei coloris, & ſignat ignem. Et ſicut illud velum abſcondebat ſancta ſanctorum hominibus; ita materia quattuor elementorum eſt nobis impedimentum, per quod velantur nobis incorporales ſubſtantiæ, quia & ipſa corpora noſtra ex ipſis quattuor elementis compacta, non ſinunt animam pure & perfecte illas cognoſcere. Per tria autem, quæ erant in ſancta ſanctorum figurantur tria, quæ ſunt in templo cæli empyrei. Nam arca deſignat divinitatem, quæ eſt de lignis imputribilibus, quia Deus non ſolum incorruptibilis & immortalis eſt, ſed etiam alienus ab omni corruptione mutationis: Malachiæ 3. *Ego Deus, & non mutor.* Deaurata tota erat arca, quia Deus caritas eſt. Tria contenta in arca deſignant tria attributa Deo. Nam in virga potentia ejus. Apoſt. Rom. cap. 9. *Poteſtati ejus quis reſiſtit?* In tabulis, in quibus erat lex magnæ ſapientiæ, ſignatur ſapientia Dei: Eccleſiaſtes 1. *Fons ſapientiæ verbum Domini in excelſis.* In manna dulcedo bonitatis ejus: Sap. 12. *O quam bonus & ſuavis eſt ſpiritus tuus, Domine!* Sap. 16. *Qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, panem ſuaviſſimum mannæ præſtitiſti eis.* Potentia attribuitur Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſancto. Quamvis ipſæ tres perſonæ divinæ ſint, ſunt tamen una eſſentia, & ita una omnipotentia, una ſapientia, una bonitas. Erant illa tria quaſi clauſa in illa arca, quia in illo intelligibili ſæculo, ſeu templo rationes omnium eorum, quæ hic perficiuntur, quodammodo clauſæ ſunt, ſicut rationes effectuum claudantur in ſuis cauſſis, & rationes artificiatorum in mente artificis. Propitiatorium vero, quod erat ſuper arcam, ideſt quædam tabula, quaſi quædam ſedes deſignat, quod Deus, qui eſt ſuper omnia, incomprehenſibilis eſt omni creaturæ. Et propterea nulla ſimilitudo ponebatur ad repræſentandum ejus inviſibilitatem; ſed ponebatur quædam figura ſedis, ut dictum eſt, ad innuendum, quod ſunt Deo ſubjecta omnia. Cherubin, qui ibi erant, deſignant ſanctos Angelos. Duo erant, non unus, ad deſignandum pluralitatem eorum. Et ad invicem ſe aſpiciebant, ad innuendum concordiam eorum ad invicem, ſecundum illud Jobi 25. *Qui facit concordiam in ſublimibus ſuis.* Alis ſuis tenebant propitiatorium, quia in ſuis officiis propitiationem Dei ad nos deferunt, tunc temporis, non homines, ſed ſoli Angeli in illo templo erant. *Lucernæ ſeptem.* In ſancta vero erat candelabrum cum haſtilibus & lucernis ſeptem, & deſignat ſeptuplex cælum in ſæculo iſto viſibili, cum ſeptem planetis quaſi lucernis illuminantibus ſancta, ideſt mundum ſenſibilem ſecundum Joſephum, ideſt Luna, Mercurio, Venere, Sole, Marte, Jove, & Saturno. Erat ibi & menſa cum panibus deſignans nutrimentum vitæ humanæ. Et altare thymiamatis, quod deſignat officium ſacerdotale, quod habet reducere populum ad Deum: iſta habentur a Deo. Intrabat autem ſolus unus ſummus ſacerdos de ſancta in ſancta ſanctorum, quia de ſtatu præſentis ſæculi & Eccleſiæ congregatione intratur in templum gloriæ. Et *nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo.* Ipſe eſt Chriſtus, qui *aſſiſtens pontifex futurorum bonorum per proprium ſanguinem introivit ſolus in ſancta æterna redemtione inventa* pro nobis. Sed oportet ut ſimus unum cum eo, ideſt uniti in caritate, quia nemo aſcendit, niſi Chriſtus unum corpus myſticum quum Eccleſia, cujus eſt caput, & ibi adorant omnes Angeli & ſancti in templo in timore reverentiali. Juxta illud: *Tremunt videntes Angeli.*

Tertium genus cæremonialium, ideſt obſervantiæ

§. IV. De tertio genere cæremoniali, quod dicitur obſervantiæ, quæ conſiſtunt in cibis & veſtibus quibuſdam aliis eis prohibitis. De quibus dicitur 3. Regum 9. *Si averſione averſi fueritis non ſequentes me, nec obſervantes cæremonias* &c. Pro horum declaratione, quare ſcilicet iſta ſint illis prohibita, ſciendum ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 102. art. 6. quod populus Judæorum ſpecialiter erat deputatus ad cultum divinum inter omnes nationes, declinantibus aliis nationibus ad cultum idolorum & inter ipſos Judæos ſpecialius ſacerdotes. Et ſicut aliæ res, quæ applicantur ad cultum divinum, aliquam ſpecialitatem debent habere, quod pertinet ad honorificentiam divini cultus; ita & in converſatione illius populi, & præcipue ſacerdotum, debebant eſſe aliqua ſpecialia congruentia ad cultum divinum vel corporalem vel ſpiritualem. Per cultum autem illius legis figurabatur myſterium Chriſti; unde omnia eorum geſta figurabant ea, quæ pertinent ad Chriſtum ſeu populum Chriſtianum, ſecundum 1. ad Cor. 10. *Omnia in figuram contingebant illis.* Et ad hoc poteſt induci illud pſal. 118. *Greſſus meus dirige ſecundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injuſtitia. Greſſus* noſtri ſunt opera noſtra, quibus incedimus vel ad Deum, vel ad infernum: *Eloquium* Dei lex ſua, in qua nobis loquitur declarando, quid exigit a nobis: *Hæc eſt* autem *voluntas Dei ſanctificatio veſtra*, inquit Apoſtolus 1. ad Theſſal. 4. ideſt puritas mentis, *ut abſtineatis a peccatis omnibus;* & ideo prohibuit a cibis aliquibus abſtinere, & veſtibus, per quæ deſignatur *omnis injuſtitia* ſeu peccatum, quod ut non dominetur nobis, indigemus Dei auxilio, quod ratione impleatur. Et ideo poſtulat Pſalmiſta dicens: *Greſſus meos dirige* &c. Unde in hujuſmodi obſervantiis ciborum & veſtium & hujuſmodi, triplex ratio aſſignari poteſt.

De obſervantiis ciborum & veſtium triplex ratio.

Quæ eſt litteralis ad removendum circa cibos nimiam diligentiam.

Quæ figuralis ad objiciendum circa Chriſtianos variam nequitiam.

Quæ eſt etiam litteralis ad deſtruendum circa Judæos cunctam idololatriam.

Iſta triplex ratio eſt B. Thomæ ubi ſupra in reſponſione ad primum argumentum. Quantum ad primum ſciendum ſecundum eumdem, quod nulla genera ciborum immunda ſunt, vel hominem inquinari poſſunt ſecundum ſuam naturam. Unde Chriſtus Matth. 15. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod exit de ore*, ſcilicet cordis. Et exponit illud de peccatis. Poſſunt tamen aliqui cibi coinquinare animam per accidens, in quantum ſcilicet contra obedientiam vel votum, vel ex nimia concupiſcentia gulæ comeduntur, vel in quantum præbent fomentum luxuriæ, propter quod aliqui a vino, alii a carnibus abſtinent. Et hoc tangitur *De conſec.* Diſt. 5. *Carnem.* Prohibentur ergo in lege aliqui cibi comedi, ut Levit. 11. Non quia in ſui natura animam maculent, ſed ad tollendam nimiam diligentiam circa cibos. Unde & illa conceduntur, quæ de facili in promtu poſſunt haberi. Et iſta etiam ratione non ita prohibita ſunt aliqua ex terra naſcentia. Nam talia magis pertinent ad quandam ſimplicitatem victus, & de facili habentur cum modico cultu terræ. Animalia autem cum magno ſtudio nutrire vel capere oportet. Et uſus olerum ante diluvium ſolus erat, non animalium.

lium. Prohibebantur talia animalia, quia quamdam immunditiam corporalem corruptionis habent, vel quia ex rebus immundis nutriuntur, ut porcus; vel quia immunde converſantur, ut ſub terra, ſicut mus & talpa & hujuſmodi; vel quia eorum carnes ſuperfluos humores & malos generant in corporibus comedentium propter nimiam ſiccitatem & humiditatem. Unde propter hoc animalia non habentia ungulam ſciſſam, vel habentia multas ſoleas in pedibus vel fiſſuras, ſunt prohibita propter eorum terreſtritatem; & quia ſunt nimis colerica & aduſta; & aves rapaces propter nimiam ſiccitatem; & aves aquaticæ, & piſces non habentes ſquamas, ut anguillæ, propter nimiam humiditatem. Animalia vero habentia ungulam ſciſſam, & ruminantia ſunt conceſſa, quia habent humores bene digeſtos, & media complexionata ſunt. Et piſces habentes ſquammas, & penulas ut ſicciores permiſſi ſunt. In avibus etiam conceſſa ſunt, quæ ſunt magis temperata, ut gallina, perdix & hujuſmodi. Voluit ergo Deus ab hujuſmodi, quæ immunda ſunt corporaliter, etiam abſtinere corporaliter, ut per hæc inducerentur magis ab immunditia mentis, ideſt peccatis cavere. Eſus ſanguinis univerſaliter erat prohibitus ad vitandum crudelitatem, ut horrerent humanum ſanguinem fundere, & eadem ratione animalium ſtrangulatorum & ſuffocatorum. Adipis eſus erat prohibitus ad tollendam occaſionem guloſitatis. Erat etiam ſanguinis & adipis eſus prohibitus, quia non generant bonum nutrimentum, prout dicit Rabbi Moyſes. Et iſta eſt ratio litteralis.

Animalia quæ munda.

Quantum ad ſecundam rationem, quæ eſt ſpiritualis, ut dicit Auguſtinus: Populus ille erat figurativus populi Chriſtiani. Et vita eorum ſecundum cæremonias legis erat quædam prophetia deſignativa per figuram vitæ & converſationis, quam ſervare deberet populus Chriſtianus. Illa igitur animalia prohibita comedi ut immunda, figurant diverſa vitia, quæ immundam animam faciunt. Eſus ergo illorum ſignificat operationem illorum, quæ comeſta incorporantur, & convertuntur in naturam, & ex operibus malis generantur habitus mali vitiorum, qui convertuntur quaſi in naturam propter aſſuefactionem. Debent ergo fideles abſtinere a vitiis deſignatis per illa. Et animalia quidem, quæ non habent ungulam ſciſſam, vel non ruminant, deſignant homines non habentes diſcretionem, neſcientes diſtinguere & conſiderare circumſtantias rerum, vel non ruminantes, ideſt meditantes Scripturas ſacras; hi ergo immundi ſunt peccato indiſcretionis, vel ignorantiæ; & tales mores debent evitari. Vel diviſio ungulæ deſignat fidem duarum naturarum in Chriſto, & ruminatio ſanos intellectus ſcripturarum, & utrumque Judæi tranſgrediuntur.

Et vitium ſuperbiæ prohibetur in eſu aquilæ, quæ alte volat ſuper omnes aves. Sed ut dicit Dominus Abdiæ 1. *Si exaltaveris te ut aquila, & in cælo collocaveris nidum tuum, inde detraham te*, quia *ſuperbis Dominus reſiſtit*. Exemplum ponit de Lucifero de cælo ejecto.

Vitium hypocriſis prohibetur in eſu ſtruthionis. Nam ſtruthio habet alas, ſed præ gravedine non poteſt volare, & circa terram ambulat. Unde ſignificat hypocritam, qui per opera exteriora de genere bonorum volare videtur; ſed circa terrena eſt ſemper in mente, ſecundum Gregorium in Moralibus: *Nolite* ergo *fieri ſicut hypocritæ*, ait Chriſtus Matth. 6. In gryphone deſignatur crudelitas potentum. Quia grypho eſt infeſtus hominibus armatis & equeſtribus. Sed Dominus *currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare*, Exodi 15.

Vitium inanis gloriæ poteſt deſignari in cygno, quæ avis eſt coloris candidiſſimi; ſed cibum trahit ex profundo terræ vel aquæ. Sic vanaglorioſi omnia opera ſua, quæ candida videntur, faciunt, *ut videantur ab hominibus*. Et ſic quærunt cibum ex terreno favore. Sed *amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*, Matth. 6. Et ideo noli cygnum comedere, ideſt inani gloria duci.

Onocrotalus eſt avis in partibus Orientis, quæ habet longum roſtrum, & habet in faucibus longas pelliculas, in quibus primum cibum ponit, & poſt horam in ventrem mittit, & ſignat avaros, qui immoderata ſollicitudine vitæ neceſſaria congregant. Contra illud Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe*. Dicit Apoſtolus ad Hebr. ultim. *Sint mores ſine avaritia*, quaſi diceret: Noli veſci Onocrotalo.

Vitium rapinæ prohibetur in eſu avium rapacium omnium, ut accipitris, & hujuſmodi. Accipiter, qui deſervit hominibus ad prædandum, deſignat eos, qui deſerviunt potentibus ad prædam.

Alietus, quæ paſcitur minutis avibus, deſignat eos, qui pauperibus ſunt moleſti.

Vultur, qui ſequitur exercitium exſpectans comedere cadavera mortuorum, ſignificat eos, qui mortes & ſeditiones & guerras procurant, ut inde lucrentur.

Upupa, quæ nidificat in ſtercoribus & paſcitur ſimo, & gemitum in cantu ſimulat; ſignificat triſtitiam ſæculi, quæ pertinet ad acidiam, & mortem in hominibus operatur. Propter quod dicit Sapiens Eccleſiaſtici 30. *Remove triſtitiam a corde tuo; multos enim occidit triſtitia*. Omnes aves corvini generis, quæ crocitando quaſi *cras* ſonant, ſignificant tarditatem & pigritiam bene operandi. Sed corvus egreſſus de arca non eſt reverſus ad eam. Et ideo dicitur Eccleſ. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem*.

Ibis eſt avis in Africa habens longum roſtrum, quæ ex ſerpentibus paſcitur, & forte idem eſt quod ciconia; ſignificat invidos, qui de defectibus aliorum quaſi de ſerpentibus reficiuntur. *Non in contentione & æmulatione ambuletis*, ideſt invidia, ait Apoſtolus ad Rom. 13.

Mergulus, cujus natura eſt, ut ſub undis diutius immoretur, ſignificat guloſos, qui in aquis deliciarum ſe immergunt.

Per bubonem, qui de nocte paſtum quærit, de die autem latet, ſignantur luxurioſi, qui occultari quærunt in noctis operibus, quæ agunt.

Et per porcum in die luto jacentem manifeſtos luxurioſos. Sed *ſint lumbi veſtri præcincti*, ait Chriſtus Lucæ 12. ſcilicet abſtinendo ab omni luxuria.

Per nycticoracem, quæ in nocte acuti eſt viſus, in die non videt, ſignantur hi, qui in ſpiritualibus ſunt hebetes, in temporalibus acuti: Baruch 3. *Quæſierunt prudentiam, quæ de terra eſt*.

Larus, qui volat in aere, & natat in aquis, ſignat eos, qui quum volant per ſpeculationem, tamen natant in aquis voluptatum.

Porphyrio præter modum aliarum avium habet unum pedem latum ad natandum, alium fixum ad ambulandum, quia in aqua natat ut anates, in terra ambulat ut perdices, ſolo morſu bibit omnem cibum aqua tingens; & ſignificat homines propriæ voluntatis, qui nil volunt facere ad arbitrium alterius, ſed ſolum, quod ſit tinctum aqua propriæ voluntatis; quum tamen Chriſtus dicit: *Non veni facere voluntatem meam*, Joann. 6.

Per herodionem, qui vulgariter dicitur falco, ſignantur iracundi & proni ad effundendum ſanguinem humanum.

Cha-

Charadrion eſt avis garula, & ſignat loquaces contra illud Proverb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*.

Per veſpertilionem, quæ circa terram volitat, ſignantur illi, qui ſæculari ſapientia præditi, ſola terrena ſapiunt. Circa volatilia etiam quadrupedia illa conceduntur, quæ poſteriora crura habent longiora, per quæ ſalire poſſunt. Alia vero immunda habentur, & ſignant eos, qui doctrina quatuor Evangeliorum abuntur, ut per eam in altum ſubleventur. De fructibus autem arborum non licebat veſci quattuor primis annis, Levitici 19. ad ſignificandum ſecundum Thomam & Gregorium, quod primordia noſtrorum bonorum operum debent nobis eſſe ſuſpecta.

Nervus fœmoris prohibitus in animali ad eſum, ſignificat fortitudinem ad peccandum; quæ debet vitari.

Quantum ad tertiam rationem, quæ etiam eſt litteralis, quare fuerunt iſta prohibita, eſt, quia his gentiles utebantur in ritibus ſuæ idololatriæ, vel ad maleficia, quoad aliqua ex his; propter quod etiam fuit prohibitus eſus adipis & ſanguinis, primitiva fructuum, & portatura veſtis femineæ a viris & e converſo, Deuter. 22. quia idololatræ talibus utebantur. Et etiam veſtibus contextis ex lana & lino, ibidem. Et agros etiam prohibebat Dominus in lege non ſeminari diverſo ſemine, & animalia diverſæ ſpeciei commiſceri. Talia faciebant gentiles diverſiſque ſuperſtitionibus, a quibus voluit Dominus populum ſuum eſſe liberum; & ideo iſta prohibuit. Et diverſæ ſuperſtitiones, quæ adhuc reperiuntur in populo Chriſtiano, non ſunt niſi quædam reliquiæ Paganorum.

Moralis autem ratio, ſeu figuralis talium prohibitionum eſt quoad veſtes, quia mulier non debet ſumere ſibi officia virorum, hoc eſt ſumere veſtem virilem, nec vir actibus mollibus uti. In veſte lana & lino contexta prohibita, ſignatur prohibitio conjunctionis ſimplicitatis cum malitia. Quod ager vel vinea non eſt diverſo ſemine ſeminanda, Levit. 19. & Deut. 22. ſignat, quod debet ager vel vinea Eccleſiæ, non varia doctrina, ſcilicet catholica & hæretica edoceri. Quod jumenta non deberent facere commiſceri diverſarum ſpecierum, Levit. 19. ſignat, quod non debet permitti homines populares conjungi, ſcilicet per familiarem converſationem, hominibus alterius fidei, ſcilicet Judæis vel paganis. Eſt etiam ratio ſpiritualis, ſcilicet ad deteſtationem vitii contra naturam, & tollendum omnem occaſionem concupiſcentiæ. Non enim fiunt talia, niſi procurantibus hominibus, unde excitatur motus concupiſcentiæ. Quod reperta ave in nido cum filiis non deberent capi, & retineri mater cum filiis, Deuter. 22. fuit ratio litteralis ad inducendum ad pietatem. Sed ratio figuralis eſt, quia in quibuſdam Scripturæ paſſibus retinendi ſunt ſenſus ſpirituales quaſi filii, & dimittenda eſt obſervantia litteræ quaſi mater. Quod autem non eſt arandum in bove & aſno, ſignat, quia in prædicatione non eſt jungendus fatuus cum ſapienti, quia quod unus ædificaret verbo, alius deſtrueret exemplo. Quod portare fimbrias jacynthinas in angulis paliorum, præceptum obſervantiæ fuit, Num. 15. ut diſtinguerentur in habitu ab aliis nationibus, & figuratum, quod deberent fideles habere cæleſtem converſationem & intentionem in omnibus operibus ad cælum. Quod ſacerdotes in mortibus propinquorum non debebant deponere capillos capitis vel barbæ, Levitici 21. ſignificat, quod numquam debent deponere ſapientiam mentis, nec perfectionem ſapientiæ, nec debebant ſcindere carnes, vel veſtes, ideſt vitium ſchiſmatis vitare. Quod homines egeſtiones e corpore debent operire terra, Deuter. 23. ſignificat, quod opera prava debent operiri terra pœnitentiæ. Ab his ergo prohibitis abſtinendo ſecundum expoſitionem factam moraliter, quæ eſt B. Thomæ, non dæminatur in nobis aliqua injuſtitia. Sed utendo cibis conceſſis, ſcilicet ruminantibus & ſindentibus ungulam pedum quoad quadrupedia, ideſt operibus inſiſtendo, quæ ſunt cum examinatione rationis, & ſcripturarum collatione, & cum diſcretione; veſcendo ſquammatis & pennulas habentibus quoad piſces, ideſt exercendo ſe in auſteritate vitæ ſignata per ſquammas aſperas, & in contemplatione cæleſtium, quod notatur per alas. Comedendo aves, quæ non habent nimiam ſiccitatem vel humiditatem, ideſt in cogitationibus, non habendo ſiccitatem indevotionis, & humiditatem nimiæ carnalis affectionis, ſed mediæ temperatas, ideſt in virtute, quæ medium tenet, fundatas, & cavendo a duplicitate; ſed veſtes habendo cum fimbriis jacynthinis, ideſt converſationem cum intentione erecta ad celeſtia & prava opera cooperiendo pœnitentia; ſic dirigimus, ideſt rectos facimus greſſus operum, ut nos perducant ad cælum.

De ſacrificiis antiquæ legis.

§. V. De quarto genere cæremonialium, quod dicitur ſacramenta, quæ utique erant tantum ſigna ſacrarum rerum, non autem cauſſativa, nec contentiva gratiæ, ad ſacramenta Eccleſiæ, de quibus Levit. 20. *Ego Dominus, qui ſanctifico vos.* Pro quorum declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 102. art. 5. quod ſacramenta proprie dicuntur illa, quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quamdam conſecrationem, per quam ſcilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei. Cultus autem Dei generaliter pertinet ad totum populum; ſed ſpecialiter pertinet ad ſacerdotes, & levitas, qui erant cultus divini miniſtri. Unde in ſacramentis veteris legis quædam pertinebant communiter ad totum populum, quædam ſpecialiter ad miniſtros, & circa utroſque tria erant neceſſaria. Quorum primum eſt inſtitutio in ſtatu colendi Deum; & hæc inſtitutio quantum ad omnes fiebat per circumciſionem, ſine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium, quantum vero ad ſacerdotes per ſacerdotum conſecrationem. Secundo requirebatur uſus eorum, quæ pertinent ad divinum cultum; & ſic quantum ad populum erat eſus paſchalis convivii, ad quem nullus incircumciſus admittebatur, ut patet Exodi 12. Et quantum ad ſacerdotes oblatio victimarum, & eſus panum propoſitionis, & aliorum, quæ erant ſacerdotum uſibus deputata. Tertio requirebatur remotio eorum, per quæ aliqui impediebantur a cultu divino, ſcilicet immunditiarum; & ſic quantum ad populum erant inſtitutæ quædam purificationes a quibuſdam exterioribus immunditiis & etiam expiationes a peccatis; quantum ad ſacerdotes & levitas erat inſtituta ablutio manuum & pedum & raſio pilorum. Et hæc omnia habebant rationabiles cauſſas & litterales, ſecundum quod ordinabantur ad cultum Dei pro illo tempore, & figurales, ſecundum quod ordinabantur ad figurandum Chriſtum. Et ad hoc poteſt induci illud pſal. 118. *Benedictus es, Domine, doce me juſtificationes tuas.* Illa veteris legis præcepta omnia, quamvis poſſint dici juſtificationes, quaſi quædam exſecutiones juſtitiæ ex ſe vel ex inſtitutione divina; præcipue tamen illa ſacramenta poſſunt dici juſtificationes, non quia ex ſe juſtificarent, ſed ex fide & devotione utentium, etiam quia diſponebant ad Chriſtum juſtificantem, & figurabant permaxime ſacramenta Eccleſiæ, quæ vere juſtificant, ut contentiva gratiæ. Sed quomodo iſta figurent, & debitum uſum ipſorum ſacramentorum, obſcurum eſt; & ideo petendum a Domino, ut doceat ſecundum illud: *Benedi-*

Ctus

ſtus es, Domine, doce me &c. Et ſecundum Thomam ubi ſupra circumciſioni correſpondet baptiſmus, & figuratur per ipſam. Unde Apoſtolus ad Colloſ. 2. *Circumciſi eſtis ..... in circumciſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo*. Convivio agni paſchalis correſpondet in nova lege ſacramentum Euchariſtiæ. Purificationibus omnibus veteris legis correſpondet in nova lege ſacramentum pœnitentiæ. Conſecrationi pontificum correſpondet ſacramentum Ordinis. Matrimonium fuit in veteri lege prout eſt officium naturæ, non prout eſt ſacramentum Eccleſiæ, ſignificans conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ, quæ nondum erat facta. Sacramentum autem Confirmationis non habuit figuram, ſeu correſpondens ſacramentum in veteri lege, eo quod eſt ſacramentum plenitudinis gratiæ, quæ nondum erat data, ſcilicet in plenitudine illa. Et ſimiliter ſacramentum extremæ unctionis, quia per ipſum fit quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, ſed ejus aditus nondum patebat in veteri lege. De his ergo quattuor generibus ſacramentorum veteris legis videndum, ſcilicet circumciſione, agno paſchali, purificationibus, & unctione ſacerdotum: in his enim figurantur ſacramenta Eccleſiæ, & quomodo ſint ſumenda. Petendum ergo, ut doceat Dominus iſta, quibus ſervatis juſtificemur. *Benedictus es, Domine, doce me juſtificationes tuas*. Et primo de circumciſione.

Circumciſio primum ſacramentum veteris legis.

§. VI. Circumciſio primum ſacramentum veteris legis eſt habens principium, *non ex Moyſe*, ideſt in lege ſua, *ſed ex patribus*, inquit Chriſtus Joann. 7. Habuit enim principium in Abraham, cui Deus hoc primo mandavit, ut patet Gen. 17. ubi dicit Dominus Abrahæ: *Circumcidetur in vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri ..... Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo*, ideſt de cœtu ſanctorum, *quia pactum meum irritum fecit*, ſcilicet Adam in Paradiſo tranſgrediendo mandatum Dei: propter quam tranſgreſſionem traducitur per generationem in omnes peccatum originale, quod niſi tollatur, privat animam gloria Dei, ut exponit Beda. Ad tollendum igitur peccatum originale fuit inſtituta circumciſio. Unde Gregorius: *Quod apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc apud veteres egit vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii, vel pro his, qui de Abrahæ ſtirpe prodierunt, myſterium circumciſionis. De conſec.* Diſt. 4. *Quod autem apud*. Sciendum tamen ſecundum Thomam in 3. parte, quod non eo modo circumciſio tollebat peccatum originale, ſicut modo baptiſmus: nam circumciſio proteſtative, non cauſſative. Tollebatur ergo originale per fidem parentum, cujus proteſtatio erat illa circumciſio, ita quod eſſet cauſſa, ſine qua non tollebatur. Sed baptiſmus eſt cauſſa, qua tollitur originale, quia eſt contentivus gratiæ & juſtificativus.

Cauſſa inſtitutionis circumciſionis.

Triplex ratio circumciſionis.

Triplex eſt autem ratio juſtificationis circumciſionis, ob fidei proteſtationem, ob concupiſcentiæ debilitationem ob noſtræ purgationis figurationem. Prima ergo ratio circumciſionis ſecundum B. Thom. ubi ſupra, quæ eſt principalis & litteralis, fuit ad proteſtationem unius Dei, quia Abraham fuit primus, qui ſe ab infidelibus ſeparavit, exiens de domo ſua, & cognatione ſua; & ideo ipſe primus circumciſionem accepit. Et hanc cauſſam aſſignat Apoſtolus ad Rom. 4. dicens: *Signum accepit circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio*, quia ſcilicet in hoc legitur fides Abrahæ reputata ad juſtitiam, quia in ſpe contra ſpem credidit, ideſt contra ſpem naturæ in ſpem gratiæ, *ut fieret pater multarum gentium*, quum ipſe eſſet ſenex & uxor ſua anus & ſterilis. Et ut hæc proteſtatio & mutatio fidei Abrahæ firmaretur in cordibus Judæorum; ideo acceperunt ſignum in carne ſua, cujus obliviſci non poſſent. Unde Gen. 17. dicitur: *Erit pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*. Et Gratianus dicit, quod Abraham accepit circumciſionem *in ſignum juſtitiæ, non in cauſſam juſtificationis. De pœnit.* Diſt. 1. *Omnis*, §. *Si ergo*.

Secunda ratio circumciſionis potuit eſſe ad debilitationem concupiſcentiæ, quæ maxime manifeſtatur in illo membro, quod eſt inſtrumentum generationis, & eo tempore decens fuit dari ſignum in concupiſcentiæ debilitationem, quo magis vigebat in hominibus ipſa concupiſcentia, incipientibus hominibus declinare propter inordinationem ejus ad vitia contra naturam, ut patet in Sodomitis. Fiebat autem octavo die nativitatis pueri, ut dicitur Gen. 17. non ante; quia puer erat valde tenellus, & poterat inde graviter lædi. Non autem poſtea tardabatur, ne aliqui propter dolorem circumciſionis ipſam refugerent, & ne parentes, quorum amor eſt nimius ad filios, poſt eorum frequentem converſationem & augmentum, eos circumciſioni ſubtraherent.

Tertia ratio eſt figuralis, quia per hoc deſignabatur ablatio omnis corruptionis fienda per Chriſtum, quæ perfecte complebitur in octava ætate mundi, quæ eſt ætas reſurgentium. Nam prima ætas fuit ab Adam uſque ad Noe, ſecunda ab Noe uſque ad Abraham, tertia ab Abraham uſque ad David, quarta a David uſque ad tranſmigrationem Babylonis, quinta inde uſque ad Chriſtum, ſexta inde uſque ad finem mundi, vel Antichriſtum, ſeptima dormientium, octava reſurgentium. Et quia omnis corruptio culpæ & pœnæ pervenit in nos per carnalem originem ex peccato primi parentis; ideo talis circumciſio fiebat in membro generationis. Figurabat autem circumciſio baptiſmum, quia dabatur ad tollendum defectum peccati originalis, quem tamen non tollebat eo modo, quo baptiſmus. In effuſione autem ſanguinis in circumciſione figurabatur Chriſtus, in cujus virtute tollitur peccatum ipſum, ſcilicet in virtute ſanguinis Chriſti effuſi. Suſcepit autem Chriſtus hanc circumciſionem multis de cauſſis, quas hic non declarabo. Et inter ceteras, ut doceret nos circumcidere, non corporaliter (quod hoc eſſet judaizare) ſed ſpiritualiter. Unde Apoſtolus ad Col. 2. *Circumciſi eſtis circumciſione non manufacta in exſpoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Domini noſtri Jeſu Chriſti*.

Octo ſunt ætates mundi.

Circumciſio figurabat baptiſmum.

Debet autem quilibet baptizatus eſſe circumciſus in tribus. Quoad potentiam intellectivam, quoad potentiam affectivam, quoad potentiam ſenſitivam. Quoad intellectum, ut inde removeat omnem errorem & ſuperſtitionem; & hæc figurata eſt per circumciſionem factam in Galgalis tranſito Jordane per Joſue, Joſue 5. & ſignat errorum remotionem gentilium, quam debent facere homines poſt baptiſmum. Unde Hieronymus: *Eſt & illud opprobrium Ægypti, quod ſi neglexeris etiam poſt Jordanis tranſitum, & poſt baptiſmi ſecundam circumciſionem vetuſtæ conſuetudinis, inuſtione ſuggeritur obſervare auguria, requirere ſtellarum curſus, & eventus futurorum ex iis rimari, ceterisque hujuſmodi ſuperſtitionibus implicari. Idololatriæ namque mater eſt Ægyptus, ex qua certum eſt hujuſmodi opprobria pullulare* &c. 26. quæſt. 2. *Sed & illud*. Et de ſuperſtitionibus, quæ fiunt in Calendis Januarii, quæ eſt dies circumciſionis Chriſti, habes 26. quæſt. *Si quis Calendas*.

Baptizatus debet eſſe circumciſus in tribus.

Debet etiam fidelis circumcidere affectum a ſuperfluitate affectus terrenorum, Hierem. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum*, ideſt ſuperfluitatem affectuum. Debet etiam

jam circumcidere ſenſitivam, ideſt ſenſus exteriores: viſum a vano aſpectu: auditum a detractionibus & adulationibus: guſtum ab immoderatis cibis: odoratum a ſuavibus odoribus: tactum a voluptatibus: os a loquacitatibus: totum corpus a pompoſis veſtibus & vanis ornatibus, quod tangit Beda in homilia. Unde Stephanus dixit Judæis eos comprehendens: *Incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis*, Act. 7. Et ſervata iſta triplici circumciſione, Chriſtus nos ducens ad gloriam ibi circumcidet demum ab omni corruptione miſeriæ corporis & animæ. Unde & Exodi 4. Moyſes in Ægyptum vadens, quia ducebat ſecum duos filios incircumciſos, Angelus voluit occidere eum, ſed ſubito circumcidit & evaſit; & ſignificat duplicem affectum, ſcilicet ſenſitivum & intellectivum, quos debemus a ſuperfluis removere & mortificare.

Agnus paſchalis figurabat ſacramentum Euchariſtiæ.

§. VII. De agno paſchali ſacramento veteris legis, & figurativo ſacramenti euchariſtiæ, & præcipue quoad modum debitum ſumtionis, de quo poteſt exponi illud pſal. 22. *Paraſti in conſpectu tuo menſam adverſus eos, qui tribulant me*. Ad litteram utique illa menſa, ideſt illud convivium agni paſchalis, fuit parata Judæis contra Ægyptios, qui eos affligebant. Nam mortuis primogenitis Ægyptiorum, & ipſis intactis ab exterminatore Angelo per ſignum Thau, ex ſanguine agni in ſuperliminaribus domorum coegerunt Ægyptii illos recedere ſubito, ne pejora paterentur. Et iſta eſt ratio litteralis, quare Deus ſtatuit agnum annuatim comedi, & talibus circumſtantiis, ut recordarentur ſæpius beneficii ſuæ liberationis a tribulantibus. Nam illæ cæremoniæ omnes inſinuant feſtinantiam exitus eorum ex Ægypto, ſicut lactucæ agreſtes deſignant amaritudinem tribulationum, quas patiebantur in Ægypto. Moraliter autem ſeu ſecundum rationem figuralem ſecundum Thomam ubi ſupra figurabat Chriſtum paſſum pro nobis, qui proponitur ſumendus in ſacramento *adverſus eos, qui tribulant* nos, ideſt dæmones. Unde Apoſtolus 1. ad Cor. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Et Gregorius in homilia inquit: *Quid ſit ſanguis agni, non jam audiendo, ſed bibendo didiciſtis. Qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed & ore cordis hauritur. De conſecr.* Diſt. 2. *Quid ſit*, Et ſic ab exterminatore tribulante liberamur. Illæ autem cæremoniæ comedendi agnum figurant conditiones ſervandas in ſumendo agnum Chriſtum in ſacramento. Dicitur enim de ipſo agno. Exodi 12. *Caput cum inteſtinis & pedibus vorabitis, ut nil uſque mane remaneat. Si quid autem reſiduum fuerit, igne comburatur*. Quod ſi tanti non fuerint in familia, *ut ſufficiant ad eſum agni, aſſumant ſecum vicinum conjunctum domui ſuæ*, nil de carnibus extra domum ferendo. Non autem *crudum, vel aqua coctum, ſed tantum igni aſſatum*, debent comedi. Et hoc ad veſperum cum panibus azymis & lactucis agreſtibus. Accinctis quoque renibus, & baculos habentes in manibus, & calceamenta in pedibus, & feſtinanter.

Conditiones, quas debet homo habere ad digne ſumendũ corpus Chriſti.

Notantur in his conditiones, quas debet habere digne ſumens agnum ſacramentalem, ſeu Chriſtum. Primo exigitur plena fides in intellectu circa ipſum ſacramentum, ideſt quod in eo ſit divinitas, & corpus, & anima. Signantur iſta per caput, pedes, & inteſtina. Caput eſt Chriſtus Deus, ait Apoſtolus Eph. 4. & 5. Et Coll. 1. & 2. pedes, quibus corporaliter incedebat, eſt corpus, interiora occulta eſt anima. Totum vorat, qui totum credit. Nil dubites (ait Hilarius) ſed potius ſuſcipe verba ſalvatoris in fide, qui ait: *Caro mea vere eſt cibus*, Joann. 6. Sed ſi quid eſt durum & arduum rationi, quod capi non poſſit, comburatur igne, ideſt totum credatur ex immenſo Dei amore proceſſiſſe. Ad firmandum cor ſincerum, ſola fides ſufficit, ait B. Thomas; in communionibus autem ſententiis, quæ dicuntur de hoc ſacramento, quod per ſe comedere non valet, ideſt intelligere, adjutorium ſumat, aliquem ſcilicet peritum domui ſuæ vicinum, ideſt Eccleſiæ unitum, qui valet ei declarare.

Nil extra domum eſt ferendum de hoc agno. Et nec incircumciſus debet admitti ad hoc; quod eſt ſecundo ſervandum, ut ſcilicet nulli conferatur extra Eccleſiam exiſtenti, nec aliquis hæreticus, ſchiſmaticus, excommunicatus accedat, quia ad ſui judicium ſumerent.

Tertium obſervandum, quod aqua, ideſt ſapientia ſæculari coqui, ideſt examinari non debet, quæ vult, quod accidentia non poſſint eſſe ſine ſubjecto; & alia multa, quæ docet Eccleſia. Nec crudum etiam, ut comedamus carnem humanam Chriſti crudam; ſed igne aſſatum Spiritus ſancti, qui de eo loquitur in Scripturis.

Quartum ut affectus ſit ſincerus ſine aliqua mala intentione & duplicatione: 1. Cor. 5. *Epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis*. Leo Papa: Nullus fictus accedat, nullus fucato animo, nec inſidiæ mente condantur, præcedat veritas confeſſionis debitæ.

Quintum ut ſit ibi contritio peccatorum. Per lactucas agreſtes ſignatur ipſa amaritudo contritionis, quia & illæ lactucæ amaræ erant. Debet quis examinare conſcientiam, & dolere de omnibus & recognoſcere ſe indignum propter peccata ſua, & dicere cum Centurione: *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*, ideſt in domo corporis mei; *ſed tantum dic verbo*, ideſt operare virtute tuæ miſericordiæ remittentis culpas, *& ſalvabitur* anima mea, Matt. 8.

Sextum ut habeatur in mente per meditationem memoria paſſionis ejus, quod ſignatur per baculum, quem tenebant in manibus, ut ſcilicet parati ſint imitari eum in operibus ſuis, ut patienter ferant adverſa. 1 Auguſtinus *De conſecrat.* Diſt. 2. *Quia morte: Quia morte Domini liberati ſumus, hujus rei memores in edendo corpus, & bibendo ſanguinem Chriſti .... ſignificamus, hoc facite*, ait ipſe, *in meam commemorationem*, Luc. 22. ſcilicet paſſionis, 1. Corinth. 11.

Septimum ut reducantur ad effectum immitationis exempla ſanctorum, & hoc eſt habere calceamenta in pedibus. Calceamenta enim fiunt de pellibus animalium mortuorum, & ſignant exempla ſanctorum, qui deceſſerunt. Hos debemus habere in pedibus affectionum, ut deſideremus imitari eos. Antiqui fideles per totam ſeptimanam ſanctam ceſſabant ab operibus, ut patet *de conſecr.* Diſt. 3. *pronuntiandum*, ut ſe cum ſumma diligentia præparare poſſent ad communionem, & per ſeptimanam etiam Paſchæ ſequentem ad referendum gratias Deo de tanto beneficio. Hodie autem nullam quaſi præparationem faciunt, & ſubito poſt Paſcha ad vana redeunt.

Octavum eſt caſtitas præmiſſa mente & corpore, & hoc eſt renes habere accinctos, ideſt reſtrictos lumbos, in quibus eſt ſedes luxuriæ. Propter quod ab actu conjugali etiam abſtinere debet accedens, ut dicitur 33. quæſt. 4. can. 1. *Non quod nuptias condemnemus, ſed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi ſumus, vacare carnalibus operibus non debeamus*.

Nonum ut ſumantur ad veſperam; quod non ſolum poteſt intelligi, quia iſtud paſchale ſacramentum eſt

1 Correctores Romani ex vetuſtis Gratiani mſſ. Ambroſio vindicant hunc locum, qui Auguſtino tribuebatur.

eſt nobis datum in veſpera mundi, ideſt in ſexta ætate, de quo Apoſtolus 1. Corint. 10. Sumus, *in quos fines ſæculorum devenerunt*. Sed etiam ſignat, quod cum tanta devotione debet ſumere quis, & humilitate, ac ſi in veſpere ſuo, ideſt in fine vitæ ſuæ acciperet, cum firmo propoſito non recidivandi.

Decimum eſt; ut ſumatur feſtinanter, ideſt cum magno deſiderio ſe uniendi cum Deo; & hoc eſt ſumere feſtinanter, non tepide. Joannes Damaſcenus: Ignis noſtri deſiderii ſumens eam, quæ ex iſto ſacramento eſt, ignitionem, illuminabit corda noſtra, ut participationem ejus igneamur, & deificemur, & tanto quis ex hujus ſumtionem ſuſpicit majorem fructum, cum quanto majori deſiderio amoris accedit ad ipſum.

Undecimum, quod eſt ſervandum, eſt, quod nullo modo prætermittatur ſumtio ejus: in figuram cujus eſt, quia omnes tenebantur annuatim ad illius agni paſchalis eſum. Etſi habuiſſet aliquod impedimentum in illa ſolemnitate, debebat inde ad breve tempus ſupplere. Sic etiam quilibet fidelis in annis diſcretionis exiſtens tenetur in Paſcha reſurrectionis ſumere euchariſtiam. Et ſi ob aliquod impedimentum cum licentia confeſſoris dimitteret, debet ſupplere quam citius, ut nullo modo omittat quolibet anno, extra *De pœnit. & rem. Omnis*; alias incurrit culpam mortalem, unde & damnationem. Sed devote comedendo liberatur de manu Pharaonis, ideſt diaboli, & paſcitur deinde manna cæleſtis gratiæ & verbi divini, ut demum perveniat ad terram promiſſionis. Chryſoſtomus: Ut leones flammam inſpirantes, ſic ab illa menſa Domini diſcedimus diabolo terribiles effecti, ſcilicet per virtutem ſacramenti. *Paraſti ergo menſam*, &c. Et *qui manducat carnem meam & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*, Joann. 6. De multis aliis, quæ pertinent ad hoc ſacramentum, habes diffuſe in 3. part. tit. 14. Et in ſecunda part. tit. 9. cap. 14. & ſeq. de omiſſione divinorum.

Purificationes veteris legis quid figurabant.

§. VIII. De variis purificationibus veteris legis figurantibus ſacramentum pœnitentiæ & baptiſmum, & paſſionem Chriſti; cujus virtute ſacramentum pœnitentiæ & alia habent effectum. Pro cujus declaratione ſciendum ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 102. art. 5. quod purificationes legis veteris ordinabantur ad removendum impedimenta divini cultus, qui eſt duplex, ſcilicet ſpiritualis, qui conſiſtit in devotione mentis ad Deum, & corporalis, qui conſiſtit in ſacrificiis & oblationibus & hujuſmodi. A cultu ſpirituali impediuntur homines per peccata, quibus homines pollui dicebantur, ſicut per idololatriam, homicidium, adulterium, & hujuſmodi. Et ab iſtis pollutionibus purificabantur homines per aliqua ſacrificia, vel communiter oblata pro tota multitudine, vel pro peccatis ſingulorum. Non quod illa ſacrificia haberent ex ſe virtutem expiandi peccatum; ſed quia figurabant expiationem futuram per Chriſtum, cujus participes erant etiam antiqui proteſtantes fidem redemtoris in figuris ſacrificiorum. A cultu vero exteriori impediebantur homines per quaſdam immunditias corporales, vel in hominibus & in aliis animalibus, vel in veſtimentis, domibus, & vaſis. Et in hominibus quidem aut ex ſe, ut in cadavere hominis, aut in infirmitate, lepra, vel fluxu ſanguinis, vel ſeminis & hujuſmodi, quæ procedunt ex corruptione humorum: aut etiam contrahebatur immunditia illa ex contactu rerum immundarum, ut cadaveris, lepræ, & hujuſmodi. Ratio autem harum immunditiarum litteralis erat propter reverentiam eorum, quæ ad divinum cultum pertinent, tum quia pretioſas res homines non ſolent contingere, quum ſunt immundi; tum quia ex raro acceſſu ad ſacra, ea homines magis venerantur; tum etiam quia in quibuſdam erat ratio vitandi ritus & occaſiones idololatriæ, ad quam erant inclinati: & Gentiles multis ex his utebantur in cultu ſuorum deorum. Hujuſmodi autem immunditiæ corporales purificabantur vel per aſperſionem aquæ luſtrationis, de qua dicetur, vel quæ majores immunditiæ erant per aliqua ſacrificia. Ratio autem figuralis eſt, quia iſtæ immunditiæ corporales ſignificant immunditias culparum varias, quæ impediunt a vero cultu interiori Dei. Et earum purificatio ſignat purgationem earum per ſacramentum baptiſmi vel pœnitentiæ virtute paſſionis Chriſti in illis ſacrificiis figuratæ. Unde poteſt ad hoc induci illud pſal. 50. *Aſperges me, Domine, hyſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*. Aſperſio & lotio fit aqua; & hæc eſt pœnitentia figurata in aqua luſtrationis. Sed adjungitur hyſopus, qui eſt herba minutiſſima in foliis, calida, medicinalis, quia purgativa & odorifera, ſignat paſſionem Chriſti, quæ fuit peracta in magna humilitate, & caritate, purgativa culparum, & odore virtutum reficiente. Quum quis vere pœnitet, tunc Deus aſpergit hyſopo, applicans virtutem ſuæ paſſionis ad aquam pœnitentiæ illius. Et ſic lavatur a ſordibus immunditiarum, & efficitur albus, ideſt immaculatus, ut nix puritatis cæleſtis. Declarandæ ergo ſunt illæ immunditiæ quid ſignificent. Et immunditia lepræ ſignat immunditiam hæreticæ doctrinæ, quia hæreſis eſt morbus contagioſus & immiſcens in ſuis dictis vera cum falſis, quaſi quædam diſtinctio macularum in corpore. Lepra domus, quæ erat ex aliqua corruptione propter exceſſum humiditatis vel ſiccitatis, ſignat immunditiam congregationis hæreticorum. Lepra veſtis lineæ peccatum operis occulti, quia lino utimur ad carnem. Unde occulta eſt veſtis linea, ut camiſia. Lepra veſtis lanæ, qua utimur ab extra, eſt peccatum in exteriori converſatione. Lepra in pilis peccatum eſt in cogitationibus. Immunditia mulieris ſanguine fluentis, ſignat idololatriæ culpam propter immolaticum cruorem. Immunditia mulieris parturientis, immunditia peccati originalis. Immunditia menſtruatæ, culpam animæ per voluptates emollitæ. Immunditia fluxus ſeminis, culpæ ſuperfluæ, vel inordinatæ ſeu inutilis locutionis etiam legendo & prædicando, ut exponit Gregorius, Diſt. 43. *Sit rector*. Immunditia cadaveris, peccatum obſtinationis. Immunditia contactus rerum immundarum conſenſum in peccatum alterius, ſecundum illud 2. ad Corinth. 6. *Exite de medio eorum, & ſeparamini, & immundum ne tetigeritis*, ſcilicet conſentiendo. Immundum non tangit, qui peccato alterius non aſſentit, ut dicit Auguſtinus 23. quæſt. 4. *Recedite*. Vas non habens cooperculum vel legaturam immundum erat, & ſignat non habentem reſtrictionem diſciplinæ.

Modo videndum eſt, quomodo purgabantur hæ immunditiæ peccatorum, & certum eſt, quod per pœnitentiam: Act. 3. *Pœnitemini, ut deleantur peccata veſtra*, ait Petrus. *Lavabis me*, inquit pſal. 50. aqua pœnitentiæ, *& ſuper nivem dealbabor*. Et hoc figurabatur per illam aquam, quæ dicebatur luſtrationis, quæ miſcebatur cinere vitulæ combuſtæ. De qua ait Apoſtolus ad Hebr. 9. *Si enim cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis*, ideſt ad tollendum illas immunditias corporales; *quanto magis ſanguis Chriſti . . . . emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis*, ſcilicet peccatorum? Mandavit Dominus, Num. 19. ut acciperent vaccam rufam ſine macula, & quæ non portaſſet jugum, & immolaretur, ideſt occideretur extra caſtra, & de ſanguine ejus intingebat ſacerdos digitum,

& aſpergebat contra fores ſanctuarii ſeptem vicibus. Cremabatur autem illa vacca tota cum ſanguine, pelle, carnibus, & fimo, & adjungebatur combuſtioni ejus lignum cedrinum, hyſopus, & coccus bis tinctus. Et ille cinis vaccæ reſervabatur, & ponebatur in aquam, & cum illa aqua aſperſi mundabantur a dictis immunditiis. Sed immundi efficiebantur & cremantes vaccam, & cineres colligentes, & aſpergentes alios aqua. Spiritualiter vacca iſta ſignat Dominum Jeſum Dei ſapientiam, qui dicitur vacca propter aſſumtam noſtram infirmitatem mortalitatis. Rufa fuit, quia plenus caritate, vel quia aſperſus ſanguine in paſſione. Integræ ætatis vacca iſta erat, quia omnis actio ejus fuit perfectiſſima, & in perfecta ætate paſſus eſt. Nulla fuit in eo macula peccati, nec jugum ſervitutis. Debebat autem populus adducere ad Moyſen, quia imputabant ei tranſgreſſionem Moſaycæ legis in violatione ſabbati. Præcipitur autem tradi Eleazaro ſacerdoti, quia Chriſtus occidendus traditus eſt in manus ſacerdotum. Immolatur extra caſtra, quia *extra portam paſſus eſt*, ut dicit Apoſtolus Hebr. 13. Intingit ſacerdos digitum in ſanguine ejus, quia myſterium paſſionis Chriſti conſiderandum cum diſcretione & imitandum actione eſt, & præcipue a ſacerdotibus. Aſpergitur ſanguis contra tabernaculum, deſignans ſynagogam, vel ad condemnationem non credentium, vel ad purificationem credentium, & hoc ſeptem vicibus, vel propter ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ ex ſacramentis percepimus, vel per omne tempus, quod ſignatur in ſeptenario. Omnia igne cremanda ſunt, ideſt Spiritualiter intelligenda, igne, Spiritus ſancti ſcilicet inſtructione. Nam per pellem & carnem exterior ejus operatio, per ſanguinem ſubtilis interna ejus virtus vivificans, per ſimum laſſitudo ſitis, & alia ad infirmitatem pertinentia. Tria addita ſignant: Cedrus altitudinem ſpeciei, vel contemplationis, hyſopus humlitatem vel fidem, coccus bis tinctus geminam caritatem. Per hæc debemus Chriſto paſſo adhærere. Cinis hujus vaccæ eſt memoria ſeu virtus Chriſti paſſi. Colligitur iſte cinis a viro mundo, quia reliquiæ paſſionis pervenerunt ad gentes, qui non fuerunt culpabiles in Chriſti paſſione. Apponuntur iſti cineres in aquam ad expiandum, quia ex paſſione Chriſti baptiſmus, & etiam pœnitentia ſortitur effectum emundandi peccata. Qui autem immolabant vaccam, vel colligebant cineres, & qui aſpergebant aquam, efficiebantur immundi uſque ad veſperum, quia Judæi in occiſione Chriſti effecti ſunt immundi & peccatores; & hoc uſque in finem mundi, quia tunc *convertentur ad veſperam* ſecundum pſal. 58. Vel etiam ad figurandum, quia qui miniſtrant aliis ſacramenta, in collatione eorum aliquas immunditias contrahunt, & permaxime in ſacramentis pœnitentiæ; & hoc uſque ad veſperum, ideſt finem vitæ præſentis. Fiebant & alia ſacrificia in feſto propitiationis, ſcilicet vituli, arietis, & duorum hircorum expiationem peccatorum pro populo, & ſacerdotibus deſignantia paſſionem Chriſti. Et etiam ſacrificia, quæ fiebant a ſingulis perſonis pro peccatis, vel a leproſis mundatis ſacramenta erant figurativa paſſionis Chriſti, & etiam ſacramenti pœnitentiæ & confeſſionis, quæ ob brevitatem nunc dimittuntur. Aſpergamur ergo hyſopo cum aqua luſtrationis, ideſt pœnitentia, & ſic ſuper nivem efficiemur albi, & erimus mundati, ut in templum gloriæ poſſimus intrare.

Conſecratio & ornamenta ſacerdotum.

§. IX. De conſecratione ſacerdotum, & ornamentis eorum, & maculis prohibitis in eis. Et correſpondent iſta ſacramenta ſacramento ordinis clericorum, & converſationi eorum. Pro quorum

A declaratione dicit B. Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 5. Sicut populus iſte inſtituebatur ad cultum Dei per ſacramentum circumciſionis; ita miniſtri per aliquam conſecrationem vel purificationem. Unde ſeparari ab aliis præcipiuntur, quaſi ſpecialiter ad miniſterium cultus divini præ aliis deputati, & totum, quod fiebat in eorum conſecratione vel inſtitutione, ad hoc pertinebat, ut oſtenderetur eos habere quamdam prærogativam puritatis, & virtutis, & dignitatis. Ad quod facit quod ait pſal. 131. *Sacerdotes tui induantur juſtitiam, & ſancti tui exſultent*. Unde circa inſtitutionem miniſtrorum tria fiebant, quæ habent rationes litterales, & rationes figurales.

Tria fiebãt circa inſtitutionem miniſtrorum.

Debebant enim eſſe a certis maculis liberi.

B Debebant variis ornamentis indui.

Debebant certis ſacrificiis & modis purificari.

Quantum ad primum mandavit Dominus, ut qui haberent maculam, etiam ſi eſſent de genere Aaron, non miniſtrarent ei. Ratio litteralis hujus, quia tales ſolent hominibus contemtui haberi, & inde etiam ipſe cultus Dei. Sed ratio figuralis eſt, quia maculæ deſignant defectus peccatorum, qui tollunt ſanctitatem animarum debitam ſacerdotibus. Et deſcribuntur hæ maculæ Levit. 21. ubi dicitur: *Homo de ſemine tuo, qui habuerit maculam, non accedat ad altare, neque offerat panes Deo ſuo.* Et ſubditur ſingulas deſcribendo: *Si cæcus*, ideſt ne ſit ignorans: *Si claudus*, ideſt ne ſit inſtabilis, & ad diverſa ſe inclinans: *Si parvo vel grandi, vel torto naſo*, ideſt

C ne per defectum diſcretionis in plus vel minus excedat, aut aliqua prava exerceat. Per naſum etiam, per quem diſcernimus odores a fœtoribus, diſcretio deſignatur: *Ne ſit fracto pede, vel manu*, ideſt ne amittat virtutem bene operandi, vel procedendi de virtute in virtutem: *Ne gibbus* ante vel retro, ideſt ne ſuperfluum amorem vel laborem habeat ad terrena: *Si lippus*, ne ſcilicet per carnalem affectum ejus ingenium obſcurum fiat: *Si albuginem habens in oculo*, ne ſcilicet præſumtionem candoris vel ſcientiæ habeat in æſtimatione: *Si jugem ſcabiem*, ideſt petulantiam carnis in opere: *Si impetiginem*, ideſt litigioſus: impetigo corpus ſine dolore occupat,

D & membrorum tamen decorem fœdat, unde & avaritiam *deſignat: Si hernioſus*, ſeu ponderoſus, & ſignat luxuriam in cogitatione. Hæc Thomas ubi ſupra. Et quaſi ſimilem expoſitionem harum macularum ponit Gregorius in Paſtoral. & in Decret. habetur: Diſt. 49. *Hinc etenim*, diffuſius ibi hæc declarantur.

Quantum ad ſecundum voluit Deus, ut ſacerdotes haberent diverſa ornamenta, ut in majori reverentia haberentur a populo, & ſic cultus Dei eſſet in majori honorificentia & gloria. Et ut habetur Exodi 28. pontifex habebat novem ornamenta. Primum veſtem lineam. Secundum tunicam hyacinthinam, in cujus extremitate verſus pedes ponebantur tintinnabula quædam & mala punica intexta, & ex hyacintho purpura & cocco bis tincto. Tertium ſuperhumerale, quod tegebat humeros, & anteriorem partem uſque ad cingulum, quod erat ex auro & hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto & biſſo retorta. Et ſuper humeros habebat duos onychinos, in quibus erant ſcripta nomina filiorum Iſrael. Quartum erat rationale ex eadem materia factum, quod erat quadratum, & ponebatur in pectore, & conjungebatur ſuper humerali. Et in hoc rationali erant duodecim lapides pretioſi diſtincti per quattuor ordines, in quibus erant ſcripta nomina filiorum Iſrael, quaſi ad deſignandum, quod deferrent onus totius populi, & quod debebant jugiter de eorum ſalute cogitare. Et ideo in pecto-

Diverſa ornamenta ſacerdotũ.

re,

re, ideſt rationali, mandavit Dominus ibi poni doctrinam & veritatem, quia quædam pertinentia ad veritatem juſtitiæ, quædam ad veritatem doctrinæ ibi erant ſcripta. Quintum ornamentum balteus, ideſt cingulus quidam factus ex illis quattuor coloribus. Sextum eſt thyara, ideſt mitra quædam de biſſo. Septimum lamina aurea pendens in fronte, in qua erat ſcriptum nomen Dei. Octavum erant feminalia linea, ut operirent turpitudinem ſuam, quando accederent ad altare vel ad ſanctuarium. Ex his octo ornamentis ſacerdotes minores habebant tantum quattuor, ſcilicet tunicam lineam, balteum, fœmoralia, ideſt ſerabulas, & thyaram. Horum autem ornamentorum rationem litteralem quidam aſſignant dicentes, quod in his deſignatur diſpoſitio orbis terrarum quaſi pontifex proteſtaretur ſe eſſe miniſtrum creatoris mundi. Unde & Sap. 18. dicitur: quod in veſte Aaron erat deſcriptus orbis terrarum. Nam feminalia linea figurabant terram, ex qua linum naſcitur. Baltei circumvolutio ſignificat mare Oceanum, quod circumit terram. Tunica hyacinthina ſuo colore ſignat aerem, per cujus tintinnabula tonitrua, & pro malogranata coruſcationes. Superhumerales ſua varietate cælum ſidereum. Duo onychini, duo emiſpheria vel duo luminaria magna, Solem, & Lunam. Duodecim lapides in rationali, duodecim ſigna in Zodiacho, quia in cæleſtibus ſunt rationes æternorum. Cydaris vel thyara cælum empyreum. Lamina aurea Deum omnibus præſidentem. Ratio autem figuralis horum eſt, quia iſta deſignant ornamenta virtutum, quibus debent miniſtri eſſe induti, ideſt habituati, quæ omnia continentur in juſtitia; & ideo bene dicitur: *Sacerdotes tui induantur juſtitia*. Ut enim dicit Gratianus, Diſt. 40. §. 1. *Multis virtutibus debet ſplendere vita pontificis, ut gradui conferat decorem, quem ab eo non accepit. Non enim loca ſed vita & mores ſanctum faciunt ſacerdotem. Unde ex officio ſuſcepto non licentiam peccandi, ſed neceſſitatem bene vivendi ſe noverit aſſecutum.* Et in minoribus ſacerdotibus debent eſſe quattuor. Caſtitas agnata per feminalia; abſtinentia ſignata per cingulum; linea tunica, ideſt moderatio diſcretionis; & thyara rectæ intentionis, in capite, ideſt in mente. Sed pontifices debent præaliis prædictis habere alia quattuor, ſcilicet jugem Dei memoriam in contemplatione, & hoc ſignatur in lamina; ſupportationem populi per patientiam, & hoc in ſuperhumerali; tertio, quod habeat populum in corde, & viſceribus caritatis quod ſignatur per rationalem. Gratianus autem addit, quod in corde ejus *debet eſſe manifeſta veritas*, ſcilicet ſcripturarum per id, quod ibi ſcriptum erat, Diſt. 36. §. 2. Debet ultimo habere cæleſtem converſationem, quod ſignatur per tunicam hyacinthinam. Tintinnabula aurea, quæ erant adjuncta in fine veſtis ſignant exercitium prædicationis de ſapientia Scripturæ. Et malogranata intexta, ſignant unitatem fidei & morum, vel quod in prædicatione debet cavere ſcandala, & diviſiones, & quærere unitatem.

Eorum purificatio & conſecratio.

Quantum ad tetium pro conſecratione eorum fiebant quædam. Et primo purificabuntur omnes per ablutionem aquæ, & per quædam ſacrificia facta pro eis, ſpecialiter levitæ. Secundo radebant omnes pilos carnis ſuæ, ut habetur Numeri 8. Tertio conſecratio pontificis & ſacerdotum hoc ordine fiebat. Poſt ablutionem prædictam induebantur veſtimentis prænominatis, ad deſignandum dignitatem ſuam. Specialiter autem pontifex inungebatur in capite, ut deſignaretur, quod ab ipſo diffundebatur poteſtas conſecrandi in alios, ſicut oleum a capite derivatur in inferiora, A juxta illud pſal. 132. *Sicut unguentum in capite.* Levitæ vero non habebant aliam conſecrationem, niſi quod offerebantur Domino a filiis Iſrael per Pontificis manus, qui orabat pro eis. Minorum vero ſacerdotum ſolæ manus conſecrabantur, quæ erant applicandæ ad ſacrificia. Et de ſanguine animalis immolatitii tingebatur extremum auriculæ dextræ eorum, & pollicis pedis dextri, ut ſcilicet eſſent obedientes legi Dei in oblationibus ſacrificiorum, quod ſignatur in intinctione dexteræ auriculæ, & quod eſſent ſolliciti & promti in exſecutione ſacrificiorum, & in ſignum hujus intingebatur extremum pedis & manus. Ipſi etiam & veſtimenta eorum aſpergebantur ſanguine animalis immolati, in memoriam ſanguinis agni, B per quem fuerunt liberati in Ægypto. Offerebantur autem in conſecratione eorum iſta ſacrificia, vitulus pro peccato in memoriam remiſſionis peccati Aaron circa vitulum conflatilem; aries in holocauſtum in memoriam oblationis Abrahæ, cujus obedientiam Pontifex deberet imitari. Aries conſecrationis, qui erat quaſi hoſtia pacifica in memoriam liberationis de Ægypto per ſanguinem agni, Caniſtrum panum in memoriam mannæ datæ. Pertinebat autem ad applicationem miniſterii, quod imponebatur ſuper manus eorum adeps arietis, & torta panis, & armus dexter, ut oſtenderetur quod accipiebant poteſtatem hujuſmodi offerendi. Levitæ vero applicabantur ad miniſterium per hoc, quod introducebantur in tabernaculum federis quaſi ad miniſtrandum circa vaſa ſanC ctuarii. Ratio figuralis horum eſt, quia illi qui ſunt conſecrandi ad ſpirituale miniſterium Chriſti, debent primo purgari per aquam baptiſmi, & lacrymarum in fide paſſionis Chriſti, & debent radere omnes pilos carnis ſuæ, ideſt omnes pravas cogitationes a ſe removere, debent ungi oleo gratiæ Spiritus ſancti, atque aſperſione ſanguinis Chriſti per memoriam paſſionis, & ſic accedere ad miniſtrandum cum obedientia ad legem Dei & diligentia agendorum. Inunctio autem in capitibus pontificum & manibus ſacerdotum adhuc fit in Eccleſia, ſed ob aliam cauſſam, ut extra *De ſacra unction.* cap. 1. *Sacerdotes* ergo *induantur juſtitia* iſto modo, & ſancti facti per illam conD ſecrationis figurationem habitam in ſe exſultabunt in gloria.

CAPUT VI.

De præceptis judicialibus ipſius legis.

TErtia pars legis Moſaycæ eſt de præceptis judicialibus, quæ habentur Exodi 21. & 22. de quibus poteſt intelligi illud pſal. 18. *Judicia Domini vera juſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum*; & hoc propter maximam æquitatem & humanitatem, quam continent. *Judicia*, ideſt præE cepta judiciaria Domini, quia a Domino inſtituta, *vera*, quia non poſſunt continere errorem ſicut judicia hominum in ſuis ſtatutis. *Juſtificata in ſemetipſa*, quia habent cauſſas & rationes valde juſtas, quare ſic inſtituta ſunt. Et nota, ut dicit Thomas 1. 2. quæſt. 103. ſicut ante legem Moſaycam fuerunt habita & ſervata quædam cæremonialia Dei a ſanctis hominibus, ut patet de ſacrificiis factis per Noe Abraham, & alios, & altaribus erectis; ita etiam fuerunt habita quædam judicialia inter eos, ſed non erant illa judicialia ex inſtitutione divina, ſed humana, ut ſunt modo ſtatuta civitatum. Sic etiam illa cæremonialia non fuerunt per inſtitutionem Dei, ſed per devotionem colentium Deum ad hoc inſtigatorum

ex

Differunt judicialia a cæremonialibus in tribus.

ex inſtinctu divino. Differunt autem judicialia a cæremonialibus in tribus, in determinatione, in figuratione, in obſervatione. Ex primo, ſcilicet determinatione, ſunt *in ſe juſtificata*, quia a Deo ordinata. Ex ſecundo, ſcilicet obſervatione, ut quia ab hominibus aſſumuntur, ſunt *deſiderabilia ſuper aurum*, quia valde utilia reipublicæ. Ex tertio, ſcilicet figuratione, ſunt *dulciora ſuper mel & favum*, quantum ad expoſitionem myſticam & moralem.

Primo differunt, quia cæremonialia ordinant hominem ad debitum cultum Dei; judicialia autem ordinant ad debitum convictum cum proximo. Sed pro hujus majori declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 104. art. 1. quod præceptorum cujuslibet legis quædam habent vim obligandi ex ipſo dictamine rationis, quia ſcilicet ipſa ratio naturalis dictat hoc eſſe debitum fieri vel vitari; & hujuſmodi dicuntur præcepta moralia, eo quod a ratione dicuntur mores humani. Alia vero præcepta ſunt, quæ non habent vim obligandi ex dictamine rationis, quia in ſe conſiderata non habent abſolutam rationem debiti vel indebiti; ſed habent vim obligandi ex ipſa inſtitutione divina, vel humana; & hujuſmodi præcepta ſunt determinationes moralium præceptorum. Et ſi determinentur moralia ex inſtitutione divina, in his, per quæ homo ordinatur ad Deum, talia dicuntur cæremonialia. Si autem determinantur moralia in his, quæ pertinent ad ordinationem hominum ad invicem, talia dicuntur judicialia. Et in his duobus conſiſtit ratio judicialium præceptorum, ut ſcilicet non habeant vim obligandi ex ipſa naturali ratione, ſed ex inſtitutione; & per hoc differunt a moralibus. Secundo, ut pertineant ad ordinationem hominum adinvicem; & ſic differunt a cæremonialibus præceptis. Per hoc autem differunt judicialia iſta a legibus & ſtatutis civitatum, quia illa ſunt ex inſtitutione Dei; hæc autem ex inſtitutione hominum: & dicuntur judicialia, non ſolum, quæ pertinent ad lites judiciorum, ſed etiam quæcumque pertinent ad ordinationem hominum adinvicem, quæ ſubeſt ordinationi principis alicujus, ſeu officialis.

Secundo differunt judicialia a cæremonialibus in figuratione, quia ſcilicet cæremonialia figurabant primo & per ſe, judicialia autem ſecundario & ex conſequenti. Pro cujus declaratione dicit Thomas 1. 2. quæſt. 104. art. 2. quod dupliciter dicitur aliquod præceptum figurale. Uno modo primo & per ſe, quia ſcilicet & principaliter eſt inſtitutum ad aliquid figurandum; & hoc modo cæremonialia ſunt figuralia. Ad hoc enim ſunt inſtituta, ut figurarent aliquid pertinens ad cultum Dei, & ad myſteria Chriſti. Alio modo dicitur præceptum aliquod figurale, non primo & per ſe; ſed ex conſequenti; & hoc modo judicialia ſunt figuralia. Non enim fuerunt principaliter inſtituta ad aliquid figurandum, ſed ad ordinandum ſtatum illius populi ſecundum juſtitiam & æquitatem: ſed ex conſequenti aliquid figurabant, in quantum ſtatus illius populi, qui per hujuſmodi præcepta diſponebatur, figuralis erat, ſecundum illud 1. ad Cor. 10. *Omnia in figuram contingebant illis*. Quia enim ille populus erat electus a Deo, ut ex eo Chriſtus naſceretur, ideo oportuit ſtatum illius populi eſſe propheticum & figuralem, ut ait Auguſtinus. Et ideo judicialia illi populo tradita fuerunt magis figuralia, quam judicia aliorum populorum. Sicut etiam & bella & geſta illius populi exponuntur myſtice; non autem bella, vel geſta Aſſyriorum vel Romanorum, quæ fuerunt magis famoſa ſecundum homines. Unde & Gregorius dicit 23. quæſt. 1. cap. 1. Niſi bella illius populi ſignificarent bella ſpiritualia dæmonum contra nos, nequaquam Eccleſia libros illos, qui narrant illa bella, ut Regum, Joſuæ, & aliorum, proponeret legenda. Et ſic judicialia præcepta a doctoribus ſuper Exodum in gloſſis exponerentur allegorice, & moraliter.

Tertio differunt judicialia a cæremonialibus in obſervatione. Nam quamvis utraque in novo teſtamento ſint mortua, quia evacuata ab obligatione per adventum Chriſti; tamen cæremonialia non ſunt mortua; ſed etiam mortifera poſt divulgationem Evangelii. Et ratio eſt, quia, ut dictum eſt, illa cæremonialia ſunt figuralia principaliter inſtituta ad figurandum Chriſti myſteria, ut futura; unde ipſa modo ſervare eſſet proteſtari contra veritatem fidei, ac ſi nondum eſſent impleta. Sed judicialia ita ſunt mortua, quod non mortifera. Nam ſi quis princeps vel Eccleſia vellet aliquid ex illis judicialibus aſſumere pro ſuo ſtatuto ſervando in civitate tamquam juſtum & utile, non peccaret, qui illud ſervaret, niſi hoc faceret ipſe vel ab aliis mandari ſervaret, quia in lege Moſayca contentum & inde obligatorium: tunc enim intentio eſſet mortifera. Ideo autem judicialia nunc ſunt mortua, & non obligant, quia quum inſtituta eſſent ad diſponendum ſtatum illius populi, qui ordinabatur ad Chriſtum, mutato illo ſtatu populi Chriſto adveniente, ipſa judicialia non obligant: *Fuit* enim *lex pedagogus*, ducens ad Chriſtum ſecundum Apoſtolum Gal. 3. Sed quia hujuſmodi præcepta, ut dictum eſt, non ordinabantur principaliter ad figurandum Chriſtum myſteria, ſed ad aliquid fiendum ſecundum juſtitiam; ideo ipſorum obſervatio non ita præjudicat fidei veritati abſolute. Sed nunc ſi intentio obſervandi eſſet, ut quia in lege Moſayca mandatum, hoc præjudicaret veritati fidei, quia per hoc haberetur, quod ſtatus prioris populi adhuc duraret, & Chriſtus nondum veniſſet. Unde & Apoſtolus ad Hebr. 7. ait: *Translato ſacerdotio, neceſſe eſt, quod legis translatio fiat*, ſcilicet quoad totam. Ubi dicit Auguſtinus: Quia enim ſimul & ab eodem, & ſub eadem ſponſione utraque data ſunt, quod de uno dicitur, neceſſe eſt ut de altero intelligatur, extra *De conſtit. translato*.

Præceptum figurale dicitur dupliciter.

§. I. Fit autem quadruplex diſtinctio horum præceptorum judicialium ſecundum diſtinctionem ordinationis humanæ, ut ponit B. Thom. 1. 2. quæſt. 104. art. 4. Quadruplex enim ordo in populo poteſt inveniri. Primus ordo eſt principum populi ad ſubditos; & ſecundum hoc dantur quædam præcepta judicialia de inſtitutione principum & officiorum eorum, & reverentia eis exhibenda; & hæc eſt una pars eorum. Secundus ordo eſt ſubditorum ad invicem; & ſecundum hoc dantur quædam alia præcepta pertinentia ad concives ad invicem, puta circa emtiones, venditiones, judicia & pœnas & hujuſmodi; & hæc eſt ſecunda pars judicialium. Tertius ordo eſt eorum, qui ſunt de populo quoad extraneos; & ſecundum hoc dantur quædam alia præcepta pertinentia ad extraneos, puta de bellis contra hoſtes & de ſuſceptione peregrinorum & advenarum; & hæc eſt tertia pars. Quartus eſt ad domeſticos, ut uxoris ad virum, patris ad filium, domini ad ſervum; & ſecundum hoc dantur alia præcepta pertinentia ad domeſticam converſationem, ſicut de filiis, uxoribus & ſervis; & hæc eſt quarta pars. Et de ſingulis ponetur in ſequenti paragrapho, ſed breviter.

Quadruplex ordo in populo invenitur.

Quid ex judicialibus præceptis Eccleſia ſumſit.

Et notandum, quod aliqua ex his judicialibus præceptis Eccleſia ſumſit pro ſuis conſtitutionibus in diverſis titulis decretalium, & præcipue in quinto libro, unde obligant, ut ſtatuta Eccleſiæ; non ut in lege Moſayca mandata.

Et

Et primo extra, *De adult.* cap. 1. dicitur: *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit in uxorem. Si vero pater virginis dare noluerit, pecuniam reddet*, ideſt dabit pecuniam *juxta modum dotis, quam virgines recipere consueverunt.* Gloſſa ibi: *Dotabit*, ideſt donationem propter nuptias aſſignabit ei. Vel potius pecuniam dabit mulieri, quam pro dote ſibi reſervabit, quod fieri poteſt, ff. *De donat. inter virum & uxorem*, l. *Si quis uxori*. Etiam ſi cum ea non contrahat, nihilominus habebit illam pecuniam. Gloſſa ſuper illud, *habebit eam in uxorem*, ſcilicet ſi pater ei dare voluerit & ipſa conſenſerit; vel ſi ipſe eam accipere voluerit, alias punietur, prout continetur cap. ſequenti, ſcilicet *Pervenit*. Gloſſa ſuper illud *juxta modum*, qui æſtimabitur juxta facultates ipſius, & dignitatem puellæ. Et illo cap. *Pervenit*, dicit gloſſa: Talis non cogitur illam accipere in uxorem, ſi noluerit, ſed quia illam decepit, ad tempus punietur. Et ſecundum leges, ſi per vim hoc egerit, punietur morte Inſtitut. *De public. jud.* §. *Sin autem*. Si decepit puellam, relegatur, vel ſi eſt vilis perſona, verberatur, ſecundum quod judici viſum fuerit, Inſtitut. eod. §. 2. Secundum canones ſi non acceperit excommunicatur, quouſque viſum fuerit ſuperiori, & in monaſterium ad agendum pœnitentiam ad tempus retruditur, ut dicitur in dicto capitulo *Pervenit*.

Item in titulo De fur. cap. 1. dicitur: *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur*, Exodi 21. Et gloſſa ſuper illud *hominem*, ſcilicet liberum; nam qui furatur ſervum, hac pœna non tenetur, ff. *Ad leg. falci. De pla.* l. ult. Et ſecundum canones hæc pœna non imponitur, extra *De raptor. in archiepiſcopatu*, ubi dicitur, quod pro certis exceſſibus epiſcopi poſſunt certam pœnam pecuniariam imponere, & flagellis afficere, *ea moderatione habita, quod flagella in vindictam ſanguinis tranſire non videantur*. Sed ubi eſt ita gravis exceſſus, quod mortem & membrorum detruncationem mereatur reus ſuſtinere, reſervent illa poteſtatibus ſæcularibus. Et ſi Epiſcopus habent juriſdictionem temporalem, cauſſa ſanguinis demandet ei, cui hujuſmodi competat, ut dicit ibi gloſſa. Item in tit. *De injur. & damn. dato* cap. 1. dicitur: *Si rixati fuerint homines, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, ſi jacuerit in lecto, qui percuſſerit, operas ejus & impenſas in medicos reſtituat*, Exodi 21. Gloſſa ibi *operas*, amiſſas & impenſas in curatione præſtabit.

Item *ſi quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos vel aſinus in eam, dominus ciſternæ reddet pretium jumentorum. Quod autem mortuum fuerit, ipſius erit*, ex eod. tit. Gloſſa ibi, ſi hoc fecerit in publico; nam ſi in occulto, ubi conſueverunt fieri, non tenetur. Ratio primi eſt, quia occaſionem damni dedit.

Item *ſi bos alienus cornupeta eſſet ab heri & nudiuſtertius, & non cuſtodivit eum dominus ſuus reddet bovem pro bove, & cadaver integrum recipiet*, Exodi 21. & eod. tit. Gloſſa ſuper illud *non cuſtodivit*, ſcilicet ſi bovem alterius occiderit, tenebitur, & quia non adhibuit diligentiam, quam debuit.

Item *ſi læſerit quiſpiam agrum vel vineam, & dimiſerit jumentum ſuum, ut depaſcat aliena, pro damno æſtimationem reſtituet*. Gloſſa ſuper illud *æſtimationem*: Ultra æſtimationem enim non tenetur, & expellere debet animal, quod damnum dedit, tamquam ſuum non includere illud, quum dominus ejus teneatur ad damnum.

Item *ſi egreſſus ignis comprehendat acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit*, Exodi 22. eod. tit. Gloſſa ſuper *reddet*: Si fuerit in culpa, quum igem appoſuit, nec adhibuit diligentiam, quam debuit, ff. *Ad leg. aquil.* l. *Qui occidit*. Alias ſi nihil de contingentibus omiſit, non tenetur, infra eodem titulo capite ultimo.

Item in tit. *De homic.* cap. 1. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evellas eum, ut moriatur*, Exodi 21. Gloſſa ſuper illud *per induſtriam*: Secus, ſi caſu, arg. 15. quæſt. 1. *Si quis non iratus*. *Per inſidias*. Iſte talis inſidians, ſi occidit, non habet immunitatem ab Eccleſia, ſcilicet ut poſſit extrahi; quod forte intelligitur, quando hoc agit in Eccleſia.

Circa bonã ordinationem civitatis duo ſunt conſideranda.

§. II. De ratione præceptorum judicialium legis Moſaycæ, quæ pertinent ad principes. Pro quorum declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 105. quod circa bonam ordinationem principum in aliqua civitate vel regno, duo ſunt attendenda. Quorum unum eſt, ut omnes habeant aliquam partem in principatu; per hoc enim conſervatur pax populi, & omnes talem ordinationem amant & cuſtodiunt, ut habetur in 2. Polit. Aliud eſt, quod attenditur juxta ſpeciem regiminis vel ordinationis principatuum, cujus quum ſint diverſæ ſpecies, ut philoſophus tradidit in 3. Politic. præcipue tamen eſt regnum, in quo unus principatur ſecundum virtutem. Unde dicitur: Pluralitas principatuum mala unus; ergo princeps. Et ariſtocratia ideſt poteſtas optimorum, in qua aliqui principantur, pauci tamen, ſecundum virtutem. Unde optima ordinatio principum eſt in aliqua civitate vel regno, in quo unus præficitur ſecundum virtutem, qui omnibus præſit, & ſub ipſo ſunt aliqui principantes ſecundum virtutem, & tamen talis principatus ad omnes pertinet; tum quia ex omnibus eligi poſſunt; tum quia etiam ab omnibus eliguntur. Talis eſt optima politia bene commiſta ex regno, in quantum unus præeſt, & ex ariſtocratia, in quantum aliqui principantur ſecundum virtutem, & ex democratia, ideſt poteſtate populi, in quantum ex popularibus poſſunt eligi principes, & ad populum pertinet electio principum; & hoc fuit inſtitutum ſecundum legem divinam in illo populo Judæorum. Nam Moyſes, & ejus ſucceſſores gubernabant populum quaſi ſingulariter omnibus principantes, quod eſt quædam ſpecies regni. Eligebantur autem ſeptuaginta ſeniores ſecundum virtutem. Unde dicitur Deuter. 1. *Tuli de tribubus veſtris viros ſapientes, & nobiles, & conſtitui eos principes*. Et hoc erat ariſtocraticum. Sed democraticum erat, quod iſti de omni populo eligebantur: dicitur enim Exodi 18. *Provide de omni plebe viros ſapientes*. Et etiam populus eligebat; unde dicitur Deuter. 1. *Date ex vobis viros ſapientes*, & ſic patet, quod optima fuit ordinatio principum, quam lex poſuit. Et quamvis ordinatio populi præcipue dependeat ex maximo principatu, ideſt principali rectore, ut dicit philoſophus in 3. Politicorum; tamen quia ille populus ſub ſpeciali cura Dei regebatur, unde dicitur Deuteron. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris*; ideo inſtitutionem ſummi principis ſibi Dominus retinuit, non lex ipſa determinavit. Et hoc eſt, quod Dominus petivit Numeri 27. *Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper omnem hanc multitudinem*. Et ſic ex Dei ordinatione inſtitutus eſt Joſue in principatu poſt Moyſen. Et de ſingulis judicibus, qui fuerunt poſt Joſue, legitur, quod *Deus ſuſcitavit popu-*

Politia, quæ ſit optima.

populo ſalvatorem : & quia *ſpiritus Domini fuit in eis*, ut patet in libro Judicum. De rege autem commiſit populo conſtitutionem, ſed ſibi reſervavit electionem. Unde dicitur Deut. 17. *Eum conſtitues regem, quem elegerit Dominus Deus tuus*. Quomodo autem ſe debeant habere reges & alii præſides, oſtendit pſal. 2. dicens : *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore*. Regnum utique eſt optimum regimen populi, quia hujuſmodi regimen maxime repræſentat regimen Dei, quo unus mundum gubernat. Et hoc eſt verum, ſi non corrumpatur. Sed propter magnam poteſtatem, quæ regi conceditur, de facili degenerat in tyrannidem, niſi ſit perfecta virtus ejus, cui talis poteſtas conceditur. Perfecta autem virtus in paucis invenitur, & præcipue in Judæis, qui erant crudeles, & ad avaritiam proni, per quæ homines maxime in tyrannidem decidunt. Et ideo Dominus a principio ejus regem non inſtituit plena poteſtate, ſed judicem, & gubernatorem, & poſtea regem ad petitionem populi quaſi indignatus conceſſit, ut patet per ea, quæ dixit ad Samuelem, ideſt Regum 8. *Non enim te, ſed me abjeceruni, ne regnem ſuper eos*. Inſtruxit tamen a principio circa regem inſtituendum. Primo de modo eligendi, ut ſcilicet in ejus electione exſpectarent judicium Domini, & ut non facerent regem alterius gentis, quia tales reges ſolent parum affici ad gentem, cui præficitur, & per conſequens parum curare de eis. Secundo ordinavit circa reges inſtitutos qualiter deberent ſe habere ad ſeipſos, ſcilicet ut non multiplicarent currus, & equos, & uxores, & divitias immenſas, quia ex cupiditate horum facile principes decidunt in tyrannidem, & juſtitiam derelinquunt. Tertio qualiter ſe deberent habere ad Deum, ut ſcilicet ſemper legerent, cogitarent legem Dei, ut ſemper eſſent in timore Dei, & obedientia : *Servite Domino in timore :* inſtruxit etiam qualiter deberent ſe habere ad ſubditos, ut ſcilicet non ſuperbe contemnerent & opprimerent, & a juſtitia declinarent. Quod autem dixit Dominus populo per Samuelem 1. Regum 8. *Hoc erit jus regis, qui imperaturus eſt vobis ; filios veſtros tollet ſibi in ſervos, tribunos, & centuriones ;* illud jus non acquiritur regi ex inſtitutione divina, ſed magis ibi prænuntiatur uſurpatio regum, qui ſibi iniquum jus conſtituunt, in tyrannidem degenerantes, & ſubditos deprædantes.

De inſtitutione regis.

Convictus popularis ſecundum legem.

§. III. De ratione, & convenientia judicialium præceptorum, quantum ad popularium hominum convictum illius populi. Omnia enim talia præcepta inveniuntur eſſe ſecundum rationem, & plena æquitate & caritate. Et hæc eſt intentio legis, aſſuefacere homines per ejus præcepta, ut ſint bene communicativi adinvicem, & faciliter, ut ſic conſervetur amicitia & pax inter eos. Unde in commendatione talium præceptorum dicitur in pſal. 147. *Non fecit taliter omni nationi*, ſcilicet Deus, qualia fecit populo Iſraël, & *judicia ſua*, ideſt præcepta judicialia, *non manifeſtavit eis*. Pro cujus declaratione dicit Thomas 1. 2. quæſt. 105. art. 2. quod ſecundum Auguſtinum in 2. de civitate Dei cap. 21. Tullius diffiniens quid ſit populus, dicit, quod eſt cœtus multitudinis juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatus. Unde ad rationem populi pertinet, ut communicatio hominum adinvicem juſtis præceptis legis ordinetur. Eſt autem duplex communicatio hominum adinvicem : una, quæ fit auctoritate principum : alia, quæ fit propria auctoritate privatarum perſonarum. Et quia voluntate uniuſcujuſque diſponi poteſt, quod eſt ſubditum ejus poteſtati ; ideo auctoritate principum, quibus ſubjecti ſunt homines, oportet, quod judicia inter homines exerceantur, & pœnæ malefactoribus inferantur. Poteſtati autem privatarum perſonarum ſubduntur res poſſeſſæ ; & ideo propria auctori in his poſſunt ſibi invicem communicare, puta emendo, vendendo, donando & aliis hujuſmodi modis. Circa autem utramque communicationem lex ſufficienter ordinavit. Statuit enim judices, ut patet Deut. 16. *Judices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulas tribus tuas, ut judicent populum juſto judicio*. Inſtituit etiam juſtum judicii ordinem, & ſine acceptione perſonarum. Unde dicitur Deut. 1. *Quod juſtum eſt, judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus ; nulla erit perſonarum diſtantia*. Et quia judices ad hoc inter homines conſtituuntur, ut determinent, quod ambiguum eſt inter homines, quum ambiguum ſit duplex, quia vel apud ſimplices, vel etiam apud peritos & doctos ; ideo utriſque providit lex. Nam ad dubia communia tollenda mandavit Deut. 16. ut judices & magiſtri conſtituerentur per ſingulas tribus ad judicandum populum. Ad tollendum ſecundum dubium, ſcilicet quod eſt apud peritos, ſtatuit lex, ut omnes recurrerent ad locum principalem a Deo electum, in quo ſummus ſacerdos erat ; qui determinaret dubia circa cæremonias divini cultus. Et ſummus judex populi rex, vel judex, qui determinaret quoad judicialia, ſicut etiam nunc per appellationem ab inferioribus judicibus ad ſuperiores cauſſæ deferuntur. Unde Deuter. 17. dicitur : *Si difficile apud te, & ambiguum judicium proſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſſam & cauſſam, lepram & lepram, & judicum, qui intra portas tuas ſunt, videris verba variari, aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus*. Suſtulit etiam occaſiones injuſti judicii, ſcilicet per munera, dum ait : *Non accipiat munera*, ſcilicet judex, *quia munera excæcant oculos ſapientum, & pervertunt verba juſtorum*, Deuteron. 16. Inſtituit etiam numerum teſtium, ſcilicet duorum vel trium, ut patet Deut. 17. Quamvis enim ſit poſſibile duos vel tres teſtes in mendacio convenire ; non tamen eſt facile vel probabile, quod conveniant, & præcipue ſi eorum teſtimonia non vacillent, nec alias ſint ſuſpecti. Et ad hoc, quod de facili teſtes a veritate non declinarent, inſtituit lex, ut diligentiſſime examinarentur ; & ideo accipitur teſtimonium eorum tamquam verum. Nam in negotiis humanis ſecundum philoſophum non poteſt haberi probatio demonſtrativa & infallibilis ; ſed ſufficit conjecturalis [1] probabilitas, ſecundum quod rector ſuadet. Etiam lex inſtituit certas pœnas pro certis delictis, ut infra dicetur.

Communicatio populi legis præceptis ordinanda eſt.

De diſtinctione bonorum.

Circa res vero poſſeſſas optimum eſt ſecundum philoſophum in 2. Politicorum, quod poſſeſſiones ſint diſtinctæ, ut uſus ſit partim communis, partim per voluntatem poſſeſſorum communicetur. Et hæc tria fuerunt in lege ſtatuta.

Primo enim ipſæ poſſeſſiones erant diviſæ per ſingulos. Dicitur enim Numeri 33. *Ego dedi vobis terram, quam ſorte dividetis vobis*. Et quia per poſſeſſionum irregularitatem plures* cives deſtru-

al. Civitates.

1 *Conjecturalem probabilitatem* vocat antiquo ſenſu probabilitatis, quæ ſcilicet *conſurgit ex conjecturis groſſis & figurabilibus magis ad unam partem, quam ad aliam ſe habentibus*, ideſt valde probabilioribus, ut ex Cancellario Pariſienſi explicavit tit. 3. cap. 10. §. 10. quamque *certitudinem probabilis conjecturæ* appellat parte 2. tit. 3. cap. 5. §. 4. de quo plura leges Prælect. I. num. 17.

ſtruuntur, ut dicit philoſophus 2. Politicor. ideo circa poſſeſſiones regulandas triplex remedium lex inſtituit. Unum ſcilicet, ut ſecundum numerum hominum dividerentur æqualiter. Unde dicitur Numeri 33. *Pluribus dabitis latiorem, & paucioribus anguſtiorem.* Aliud remedium fuit, ut poſſeſſiones in perpetuum non alienarentur, ſed certo tempore redirent ad ſuos priſtinos poſſeſſores, ut ſcilicet non confunderentur ſortes poſſeſſionum. Sic ergo conceſſit lex, ut neceſſitatibus occurrentibus poſſent ſibi homines providere, quod ad certum tempus alienari poſſent. Sed ne confunderentur ſortes tribuum, in jubilæo ſaltem oportebat, quod reverterentur ad priores poſſeſſores. Excipiebantur domus urbanæ, quia in perpetuum poterant vendi. Et ratio eſt, quia non erant domus ita ſorte diſtinctæ, ut poſſeſſiones. Tertium remedium erat ad tollendum hujuſmodi confuſionem, ut proximi ſuccederent morientibus. Et primo quidem gradu filius, ſecundo filia, tertio fratres, quarto patrui, quinto quicumque propinqui. Et ad diſtinctionem ſortium conſervandam ulterius lex ſtatuit, ut mulieres, quæ ſunt hæredes, nuberent hominibus ſuæ tribus, ut habetur Numeri 36. Non autem ſtatuit lex, quod mulieres ſuccederent in bonis paternis, niſi defectu maſculorum. Tunc autem fuit neceſſarium ut mulieres ſuccederent in conſolationem patris, cui fuiſſet grave, quod ad extraneos hæreditas devolveretur; ſed, ut dictum eſt, non poterant nubere, niſi in tribu ſua.

Secundo ſtatuit lex, ut quantum ad aliqua uſus rerum eſſet communis. Et primo quantum ad curam. Præceptum eſt enim Deut. 22. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo*; & ſic de aliis. Secundum quantum ad fructum: concedebatur enim convenienter quantum ad omnes, ut ingreſſus in vineam amici poſſet comedere licite, non autem extra ferre. Intendebat enim lex aſſuefacere homines, ut ſibinvicem de facili ſua communicarent. Non autem eſt de facili ſuorum communicativus, qui non ſuſtinent, quod proximus modicum quid de ſuo accipiat abſque magno detrimento; ſecus autem cum magno damno. Et ideo prohibebat lex extra portare, ſed non in vinea comedere. Quantum autem ad pauperes mandabat lex, ut relinquerentur manipuli obliti, & racemi remanentes in ipſis, ut patet Levit. 19.

Tertio ſtatuit lex communicationem factam per eos, qui ſunt domini rerum. Et unam quidem communicationem pure gratuitam. Unde dicitur Deut. 14. *Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus, quæ naſcuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas, venientque Levites, qui aliam non habent partem, nec poſſeſſionem tecum, & peregrinus, & pupillus, & vidua, quia intra portas tuas ſunt, & comedent, & ſaturabunt.* Aliam vero communicationem cum recompenſatione utilitatis, ſicut per emtionem, venditionem, locationem, mutuum, depoſitum, de quibus omnibus inveniuntur ordinationes in lege. Intentio legis erat, ut ſibi invicem homines neceſſitatibus de facili ſubvenirent, quia hoc eſt maximæ amicitiæ fomentum. Et hanc facilitatem ſubveniendi non ſolum ſtatuit in his, quæ gratis & abſolute donantur, ſed etiam in his, quæ mutuo conceduntur, quia hujuſmodi ſubventio frequentior eſt, & pluribus neceſſaria. Hujuſmodi autem ſubventionis facultatem multipliciter inſtituit. Primo quidem, ut faciles ſe præberent ad mutuum exhibendum, & ne a tali retraherent ſe, anno remiſſionis appropinquante, ut habetur Deuter. 15. Secundo, ne, cui mutuum concederent, gravarent, vel uſuras vel etiam aliqua pignora omnino vitæ neceſſaria accipiendo. Et ſi accepta fuerint, quod ſtatim reſtituerentur. Dicitur etiam Deuter. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram*, & 24. *Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam; quia animam ſuam oppoſuit tibi.* Et Exodi 22. dicitur: *Si pignus a proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei.* Tertio, ut non importune exigerent, ut dicitur Exodi cap. 22. *Si pecuniam mutuo dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor.* Et propter hoc etiam mandatur Deuter. 24. *Quum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas ſed ſtabis foris.* Quarto inſtituit, quod in ſeptimo anno debita penitus remitterentur. Probabile enim erat, quod illi, qui commode reddere poſſent, ante ſeptimum annum redderent, & gratis mutuantem non defraudarent; ſi autem omnino impotentes eſſent, eadem rationem erat eis debitum dimittendum ex dilectione, qua etiam erat eis de novo dandum propter indigentiam.

Circa vero animalia mutuata hoc lex ſtatuit, ut propter negligentiam ejus, cui mutuata ſunt, ſi in ipſius abſentia moriantur, vel debilitentur, reddere ea compellatur. Si vero eo præſente, & diligenter cuſtodiente mortua fuerint vel debilitata, non cogebantur reſtituere ea, & maxime ſi erant mercede conducta, quia ita etiam potuit mori ſeu debilitari apud mutuantem. Hoc obſervandum erat, quando animalia erant mercede conducta; quia tunc habebat certum pretium pro uſu animalium, unde nihil accreſcere debebat per reſtitutionem animalium, niſi propter negligentiam cuſtodientis. Et quia hæc eſt differentia inter mutuum & depoſitum, quia mutuum traditur in utilitatem ejus, cui traditur, ſed depoſitum in utilitatem deponentis; ideo magis arctabatur aliquis in certis caſibus ad reſtituendum mutuum quam ad reſtituendum depoſitum, quia de minori negligentia tenebatur is, qui recepit mutuum, quam depoſitarius, qui non tenebatur niſi de furto, ut patet Exodi 22.

De pœnis pro delictis.

De pœnis, quæ inferebantur per judicialia præcepta legis pro diverſis delictis; nota ſecundum Thomam ubi ſupra, quod non ſolum propter gravitatem culpæ, ſed etiam propter alias cauſſas gravis pœna infligitur. Primo quidem propter quantitatem peccati, quia majori peccato, ceteris paribus, gravior pœna debetur. Secundo propter peccati conſuetudinem, quia a peccatis conſuetis non faciliter homines abſtrahuntur niſi per graves pœnas. Tertio propter multam concupiſcentiam vel delectationem in peccato, ab his etiam non de facili homines abſtrahuntur, niſi propter graves pœnas. Quarto propter facilitatem committendi peccatum, & jacendi in ipſo. Hujuſmodi etiam peccata, quæ manifeſtantur, ſunt magis punienda ad aliorum terrorem.

De quadruplici gradu peccati.

Circa etiam ipſam quantitatem peccati quadruplex gradus eſt attendendus etiam circa unum, & idem peccatum, quorum primus eſt, quando involuntarius peccatum committit. Tunc enim ſi omnino eſt involuntarius, totaliter excuſatur a pœna. Dicitur enim Deuter. 22. quod puella, quæ opprimitur in agro, *non eſt rea mortis*, quia *clamavit, & nemo affuit, qui liberaret eam.* Si vero aliquo modo fuerit voluntatis; ſed tamen ex infirmitate peccat, puta quum aliquis peccat ex paſſione; minuitur peccatum, & pœna ſecundum veritatem judicii diminui debet, niſi forte propter communem utilitatem pœna aggravetur ad abſtrahendum homines ab hujuſmodi peccatis, ſicut dictum eſt. Secundus gradus eſt, quando aliquis per ignorantiam peccavit; & tunc aliquo modo reputa-

reputabitur propter negligentiam addiſcendi; ſed tamen non punietur per judices, ſed expiabit peccatum ſuum per ſacrificia, ut dicitur Lev. 4. *Anima, quæ peccaverit per ignorantiam* &c. Sed hoc intelligendum eſt de ignorantia facti, non autem de ignorantia præcepti divini, quod omnes ſcire tenentur. Tertius gradus eſt, quando aliquis ex ſuperbia peccabat, ideſt ex certa electione, vel ex certa malitia; & tunc puniebatur ſecundum quantitatem delicti. Quartus autem gradus eſt quando per proterviam, & pertinaciam peccabat; & tunc quaſi rebellis, & deſtructor ordinationis legis omnino occidendus erat. Et ſecundum hoc dicendum eſt, quod in pœna furti conſiderabatur ſecundum legem id, quod frequenter accidere poterat; & ideo pro furto & aliarum rerum, quæ de facili B cuſtodiri poſſunt a furibus, non reddebat fur niſi duplum, Exodi 22. Oves autem non de facili poſſunt cuſtodiri a furto, quia paſcuntur in agris; ideo frequentius contingebat, quod oves furto ſubtraherentur: unde lex majorem pœnam appoſuit, ut ſcilicet quattuor oves pro una ove redderentur. Adhuc autem boves difficilius cuſtodiuntur, quia habentur in agris, & non ita paſcuntur gregatim ſicut oves; & ideo adhuc ibi majorem pœnam appoſuit, ut ſcilicet quinque boves pro uno bove redderentur. Et hoc dico, niſi forte idem animal inventum fuerit vivens apud eum, quia tunc ſolum duplum reſtituebat, ſicut in ceteris furtis. Poterat enim haberi præſumtio, quod cogitaret reſtituere, ex quo vivum ſervaſſet. Et nota ſecun- C dum Aug. 21. de civit. Dei cap. 2. quod Tullius poſuit octo genera pœnarum eſſe in legibus, videlicet damnum, vincula, verbera, taleonem, ignominiam, exilium, mortem, & ſervitutem, ex quibus aliqua in lege ſunt inſtituta. Damnum quidem, ſcilicet quum fur condemnabatur ad quintuplum vel quadruplum; vincula vero, ſicut Num. 15. mandatur de quodam, quod in carcerem includeretur. Verbera, ſicut Deuter. 25. *Si eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari*. Ignominiam etiam inferebat illi, qui nolebat accipere uxorem fratris ſui defuncti, quæ tollebat calceamenta illius, & ſpuebat in faciem ejus, ibidem. Mortem etiam inferebat, ut patet Lev. 20. *Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur*. D Pœnam enim taleonis lex induxit, dicens Exodi 21. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*. Pœnam ſervitutis induxit in duobus caſibus: in uno quidem, quando ſeptimo anno remiſſionis ille, qui erat ſervus, nolebat beneficio legis uti, ut liber exiret; unde pro pœna ei infligebatur, ut in perpetuum ſervus remaneret. Secundo infligebatur furi, quando non habebat, quod poſſet reſtituere, ſicut habetur Exodi 22. Pœnam autem exilii univerſaliter lex non ſtatuit, quia in ſolo populo Iſraelitico Deus colebatur, omnibus aliis populis per idololatriam corruptis. Unde ſiquis a populo illo univerſaliter excluſus eſſet, daretur ei occaſio idololatriæ. Et 1. Reg. 26. dicitur, quod David di- E xit ad Saulem: *Maledicti ſunt in conſpectu Domini, qui ejecerunt me hodie, ut non inhabitarem in hæreditate Domini dicentes: Vade, ſervi diis alienis*. Erat autem aliquod particulare exilium. Dicitur enim Deuter. 19. quod *qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & nullum erga ipſum habuiſſe odium comprobatur*, ad unam urbium refugii confugiebat uſque ad mortem ſummi ſacerdotis. Tunc enim licebat ei redire ad domum ſuam, quia in univerſali damno populi conſueverunt particulares iræ ſe-

A dari, & ita proximi defuncti, non ſic proni erant ad ejus occiſionem. Pœnam autem mortis lex inflixit in majoribus criminibus, ſcilicet in his, quæ ſunt contra Deum, in homicidio, & in furto hominum, & in irreverentia ad parentes, & in adulterio, & inceſtibus. In furto autem aliarum rerum adhibuit pœnam damni. In percuſſuris, & in mutilationibus induxit pœnam taleonis. In aliis minoribus culpis pœnam flagellationis & ignominiæ.

De judicialibus erga extraneos.

§. IV. De judicialibus præceptis, quæ recipiunt extraneos. Pro cujus declaratione ſciendum ſecundum B. Thomam 1. 2. quæſtione 105. articul. 3. quod cum extraneis poteſt eſſe hominum converſatio dupliciter. Uno modo pacifice. Alio modo hoſtiliter. Et quantum ad utrumque modum B ordinandum lex convenientia præcepta continebat. Tripliciter enim Judæis offerebatur occaſio, ut cum extraneis pacifice communicarent.

Primo quidem, quando extranei per terram eorum tranſitum facerent quaſi peregrini. Secundo modo, quando in terram eorum adveniebant ad inhabitandum ſicut advenæ. Et quantum ad utrumque lex præcepta miſericordiæ propoſuit. Nam Exodi 22. dicitur: *Advenam non contriſtabis, neque affliges eum*. Et 23. dicitur: *Peregrino moleſtus non eris*. Tertio, quando aliqui extranei totaliter in eorum conſortium & ritum admitti volebant. Et in his quidem ordo attendebatur. Non enim ſtatim recipiebantur quaſi cives, ſicut etiam apud quoſdam gentilium ſtatutum erat, ut non reputarentur cives, niſi qui vel ex avo, vel atavo cives exiſterent, ut dicit philoſophus in 3. Polit. Et hoc ideo, quia ſi ſtatim extranei advenientes reciperentur ad tractandum ea, quæ ſunt populi, poſſent multa pericula contingere, dum extranei non habentes adhuc amorem firmatum ad bonum publicum, aliqua contra populum attentarent. Et ideo lex ſtatuit, ut de quibuſdam gentilibus aliquam affinitatem ad Judæos, ſcilicet de Ægyptiis habentibus, apud quos nati fuerant, & nutriti, & de Idumæis filiis Eſau fratris Jacob in tertia generatione reciperentur in conſortium populi, Deuter. 23. Quidam vero, quia hoſtiliter ad eos ſe habuerant, ſicut Ammonitæ, & Mohabitæ, numquam ad conſortium eorum admitterentur. Amalechitæ autem, qui magis eis adverſati fuerant, & cum eis nullum habebant cognationis conſortium, quaſi hoſtes perpetui haberentur. Dicitur enim Exodi 17. *Bellum Dei erit contra Amalech a generatione in generationem*.

De bello.

Simimiliter etiam quantum ad hoſtilem communicationem cum extraneis lex præcepta convenientia tradidit. Nam primo quidem inſtituit, quod bellum juſte iniretur. Mandatur enim Deut. 20. quod quando accederent ad expugnandum civitatem, offerrent ei primo pacem. Secundo inſtituit, ut fortiter bellum ſuſceptum exſequerentur, habentes de Deo fiduciam. Et ad hoc melius obſervandum inſtituit, quod imminente prælio ſacerdos eos confortarent, promittendo auxilium Dei. Tertium mandavit impedimenta a prælio removeri, remittendo quoſdam ad domum, qui poſſent impedimenta præſtare, ut novus ædificator domus aut plantator vineæ, aut deſponſator uxoris. Hi excludebantur a prælio, & hoc propter duo. Primo quidem, quia ea, quæ homo de novo habet, vel ſtatim paratus eſt ad habendum, magis ſolet amare, & per conſequens eorum amiſſionem timere; unde probabile erat, quod ex tali amore timerent mortem, & ſic minus fortes eſſent ad pugnandum: 2 & eadem ratione timi-

di

2 Legebatur: *ſecundo eadem ratione timidi mittebantur ad domum. Quarto* &c. ubi ſecunda ratio e duabus ab Auctore propoſitis non explicatur, uti eſt apud S. Thomam, ex quo hæc ſumta fuerunt. Itaque ex hujus doctoris loco partim emendavimus aliquid, partim ſupplevimus, quæ deſiderantur.

di mittebantur ad domum. Secundo, quia ſicut dicit philoſophus, infortunium videtur, quando aliquis appropinquat ad aliquod bonum habendum, ſi poſtea impediatur ab illo. Et ideo ne propinqui remanentes magis contriſtarentur de morte talium, qui bonis ſibi paratis potiti non fuerunt, & etiam populus conſiderans hoc horreret; hujuſmodi homines a mortis periculo ſunt ſequeſtrati per ſubtractionem a prælio. Quarto inſtituit, ut victoriis moderate uterentur, parcendo mulieribus & parvulis, & etiam ligna fructifera regionis non incendendo. Accipere autem uſuras ab alienis non erat ſecundum legis intentionem, ſed ex quadam permiſſione propter pronitatem Judæorum ad avaritiam, ut magis pacifice ſe haberent ad extraneos, a quibus lucrabantur.

De judicialibus circa domeſticos.

§. V. De præceptis judicialibus circa perſonas domeſticas, ut filios, uxorem, ſervos, quæ docent quemlibet circa ſuam familiam ſervare ad bene agendum, non quia in lege Moſayca ſcripta, ſed quia in magna æquitate & humanitate fundata, ut valeat dicere illud pſal. 118. *A judiciis tuis non declinavi*, ideſt præceptis judicialibus, *quia tu legem poſuiſti mihi*, quæ ſcilicet iſta continent, & ad quæ ſervanda *legem* privatam, ſcilicet inſpirationis in corde *poſuiſti* ad ea implenda ut valde juſta.

Pro cujus declaratione notandum ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 105. quod communio domeſticarum perſonarum ad invicem, ut dicit philoſophus in 1. Politic. eſt ſecundum quotidianos actus, qui ordinantur ad neceſſitatem vitæ. Vita autem hominis conſervatur dupliciter. Uno modo quantum ad individuum, prout ſcilicet homo idem numero vivit, & ad talem vitæ conſervationem opitulantur homini exteriora bona, ex quibus habet victum & veſtitum & alia hujuſmodi vitæ neceſſaria, in quibus adminiſtrandis indiget homo ſervis. Alio modo conſervatur vita hominis ſecundum ſpeciem per generationem, ad quam homo indiget uxore, ut ex ea generet filios. Sic igitur in domeſtica communione ſunt tres combinationes, ſcilicet domini ad ſervum, viri ad uxorem, patris ad filium. Et quantum ad omnia iſta lex vetus convenientia præcepta tradidit.

Circa ſervos.

Quantum enim ad ſervos inſtituit, ut modeſte tractarentur, & quantum ad labores, ne ſcilicet in laboribus immoderatis affligerentur. Unde Deut. 5. Dominus mandavit, ut die ſabbati requieſcerent ſervus & ancilla, ſicut & ipſe. Et iterum quantum ad pœnas infligendas, ut ſcilicet moderate caſtigarent: impoſuit enim pœnam mutilatoribus ſervorum, ut dimitterent eos liberos, ſicut habetur Exodi cap. 21. Et ſimile ſtatuit in ancilla, quam in uxorem aliquis duxerit. Statuit etiam ſpecialiter circa ſervos, qui erant ex populo, ut ſeptimo anno liberi egrederentur cum omnibus, quæ apportaverunt, etiam veſtimentis, ut habetur Exodi 21. Inſuper etiam notatur Deut. 15. ut viaticum eis detur: quia enim filii Iſrael erant a ſervitute liberati Pharaonis a Domino, & per hoc divinæ ſervituti addicti, ideo noluit Dominus, ut in perpetuum ſervi eſſent ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ideſt ad tempus. Et quamvis iſta nunc non ſerventur, nec obligent quantum ad iſta determinata in lege; obligant tamen in genere, ut ſcilicet quis modeſte ſe habeat ad ſervos.

Circa uxores.

Circa uxores vero ſtatuitur in lege, quantum ad ipſas ducendas, ut accipiant uxores de tribu ſua, ut habetur Num. ult. & hoc ideo ne ſortes tribuum confundantur. Prohibuit etiam quaſdam perſonas, ne in conjugium ducerentur, ſcilicet alienigenas, ideſt quæ non erant de populo Judæorum, propter periculum ſeductionis, & propinquas propter reverentiam naturalem, quæ eis debetur. Hoc autem nunc ſervandum eſt, & quantum ad propinquas in multo pluribus gradibus, quam in veteri teſtamento, & etiam quantum ad affines, ut patet extra *De conſang. & affin.* cap. ult. Quantum autem ad alienigenas hoc ita ſervandum eſt, ut fideles cum infidelibus contrahere prohibeantur matrimonium, 21. quæſt. 1. can. *Cave*. In lege etiam fuit ſtatutum, quod aliquis in uxorem duceret uxorem fratris defuncti ſine liberis, ut patet Deut. 25. & hoc ne totaliter memoria defuncti deleretur. Nam filius ex illis genitus dicebatur filius fratris defuncti ſecundum quamdam adoptionem. Hoc autem nunc expreſſe prohibetur propter affinitatem. Statuit etiam lex qualiter uxores jam ductæ tractari debent, ſcilicet amicabiliter, ut ſcilicet non leviter infamarentur. Unde mandatur puniri, qui falſum crimen imponit uxori, ut habetur Deuteron. 22. Et etiam quod propter uxoris odium filius detrimentum non pateretur, Deuteron. 21. Et etiam quod propter odium uxorem non affligeret, ſed potius ſcripto libello repudii eam dimitteret, ut patet Deut. 24.

De libello repudii.

Sciendum autem, quod lex permiſit repudium uxoris, non quia ſimpliciter juſtum eſſet, ſed propter Judæorum duritiam, ut dicit Dominus Matth. 19. Fuit ergo permiſſum repudium ad vitandum uxoricidium. Erant enim ita crudeles, quod occidiſſent uxores, quas odio habebant, ſi non potuiſſent dimittere, ut alias ducerent. Nunc autem in novo teſtamento matrimonium conſummatum nulla poteſt ratione diſſolvi, nec etiam cum diſpenſatione Papæ. Divortium autem quoad ſeparationem thori, vel quoad cohabitationem ſecundum formam ab Eccleſia traditam fieri poteſt, & non aliter. Et de hoc 3. parte, titulo 1.

Circa filios.

Circa filios autem inſtituit lex, ut patres eis diſciplinam adhiberent, inſtruendo eos in fide, ut habetur Exodi 12. ubi dicitur: *Quum dixerint vobis filii veſtri: quæ eſt iſta religio?* ideſt cauſſa harum cæremoniarum, quæ fiebant circa agnum Paſchalem; *dicetis eis: Victima tranſitus Domini eſt* &c. Et etiam quod inſtruerent eos in moribus. Unde Deut. 21. dicitur, quod patres quum habebant filios rebelles & contumaces, debebant eos ducere ad judices civitatis, & eis denuntiare, quod monita eorum audire contemnerent, commeſſationibus, conviviis, atque luxuriis vacarent &c. Et illi judices mandabant illos lapidari. Non autem hoc parentibus licebat, ſcilicet occidere, vel mutilare filios ad correptionem ſuorum ſcelerum, ſicut nec etiam nunc licet. Nam, ſicut philoſophus dicit 10. Ethicorum, principatus paternus habet ſolam admonendi poteſtatem, non autem vim coactivam, per quam rebelles & contumaces comprimi poſſunt. Et ideo lex mandabat, ut filius contumax a principibus puniretur.

TITULUS DECIMUSQUINTUS

CAPUT UNICUM.

De lege evangelica, ſeu novi teſtamenti.

QUarta lex evangelica, ſive novi teſtamenti, quæ etiam videtur lex indita, ſcilicet in cor, ſeu lex gratiæ, quam promiſit Dominus dandam Hier. 31. quum ait: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael & ſuper domum Juda teſtamentum novum.* Et exponens quid ſit hoc teſtamentum ſubdit: *Quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael .... dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas.* Quam auctoritatem inducit Apoſtolus ad Hebr. 8. Et de ea poteſt intelligi illud pſal. 118. *Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti.* Præcipue autem lex evangelica dicitur *lex oris Dei*, quia ab ipſo incarnato pronuntiata & data fuit, & cum ea gratia collata. Unde Matthæus Evangeliſta narrat quomodo cœpit eis Chriſtus prædicare, dicens: *Aperiens os ſuum docebat diſcipulos ſuos, dicens: Beati pauperes* &c. Matth. 5. Et hoc in monte, qui deſignat ſecundum Auguſtinum inſignem perfectamque juſtitiam, quam continet ipſa lex ſuper omnes alias leges. Et propterea dicit Pſalmiſta, quod eſt ſibi *bonum ſuper millia*, ideſt melior quam divitiæ temporales *auri & argenti*, vel divitiæ ſpirituales cujuſcumque ſcientiæ, vel eloquentiæ, ſeu legis, quæ deſignantur per aurum & argentum. Continet enim lex evangelica non ſolum documenta, quæ ibi continentur, ſed etiam gratiam ipſius Chriſti, quæ ducit ad gloriam. Et ideo melior ſuper omnem ſubſtantiam, ſapientiam, & ſcientiam, & mundi gloriam.

Quæ ſit lex Evangelica.

Sed pro horum declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 106. art. 1. quod unaquæque res illud videtur eſſe, quod eſt in ea potiſſimum, ut dicit philoſophus in 9. Ethic. Id autem, quod eſt potiſſimum in lege novi teſtamenti, & in quo tota virtus ejus conſiſtit, eſt gratia Spiritus ſancti, quæ datur per fidem Chriſti; & ideo principaliter lex nova eſt ipſa gratia Spiritus ſancti, quæ datur Chriſti fidelibus. Et hoc manifeſte apparet per Apoſtolum, qui ad Rom. 3. dicit: *Ubi eſt gloriatio tua?* ſcilicet o Judæa: *excluſa eſt: per quam legem? Factorum? Non; ſed per legem fidei.* Ipſam enim fidei gratiam legem appellat. Et expreſſius ad Rom. 8. dicitur: *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati & mortis.* Unde & Auguſtinus in lib. de ſpiritu & littera dicit, quod ſicut lex factorum fuit in tabulis lapideis; ita lex fidei ſcripta eſt in cordibus fidelium. Habet tamen lex nova quædam ſicut diſpoſitiva ad gratiam Spiritus ſancti, & ad uſum hujus gratiæ pertinentia, quæ ſunt quaſi ſecundaria in lege nova, de quibus oportuit inſtrui fideles Chriſti ex verbis, & ſcripturis tam circa credenda, quam circa agenda. Et ideo dicendum eſt, quod principaliter lex nova eſt lex indita, non quaſi aliquid pertinens ad naturam humanam, quia ſic eſt indita lex naturalis; ſed quia naturæ aliquid ſuperadditum per donum gratiæ adjuvans ad implendum, quod docet; quod non facit lex naturalis vel ſcripta. Secundario autem lex nova eſt lex ſcripta. Et in Scriptura quidem Evangelii continentur ea, quæ pertinent ad gratiam Spiritus ſancti, vel ſicut diſpoſitiva, vel ſicut ordinantia ad uſum hujus gratiæ. Sicut diſpoſitiva quidem quantum ad intellectum per fidem, per quam datur Spiritus ſancti gratia, continentur in Evangelio ea, quæ pertinent ad manifeſtandam divinitatem vel humanitatem Chriſti. Unde dicitur Joann. 20. *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt filius Dei.* Secundum vero affectum continentur in Evangelio ea, quæ pertinent ad contemtum mundi, per quem contemtum fit homo capax gratiæ Spiritus ſancti. Mundus enim, ideſt mundi amatores non poſſunt capere Spiritum ſanctum, inquit Chriſtus Joann. 14. Uſus vero ſpiritualis gratiæ eſt in operibus virtutum, ad quæ multipliciter in doctrina novi teſtamenti omnes exhortantur, ut patet in ſermone Domini in monte, Matth. 5. & in aliis locis.

Gratia Spiritus ſancti niſi per fidem.

Ubi eſt notandum, quod nullus umquam habuit gratiam Spiritus ſancti, niſi per fidem Chriſti explicitam vel ſaltem implicitam quantum ad eos, qui fuerunt in veteri teſtamento; per fidem autem Chriſti pertinet homo ad novum teſtamentum. Unde quibuſcumque fuit lex gratiæ indita in veteri teſtamento, ſive Judæis, ſive Gentilibus, omnes illi ſecundum hoc ad novum teſtamentum pertinebant. Et ſic patet, quomodo *lex oris* Dei *bonum eſt*, ideſt melius, *ſuper millia auri & argenti*, ſcilicet per gratiam Spiritus ſancti in ea comprehenſam. Et ſecundum hoc, quod eſt in ea principale, lex Evangelii habet juſtificare hominem. Ad quod facit, quod ait Apoſtolus ad Rom. 1. *Non erubeſco Evangelium; virtus eſt enim Dei in ſalutem omni credenti*, ideſt ducens ad ſalutem, quæ non poteſt eſſe, niſi per purificationem. Quantum autem ad doctrinam, quæ eſt in Evangelio & præcepto & conſilio ordinantia intellectum, affectum, & actum, lex evangelica non juſtificat; ſed de ea etiam verificatur quod ait Apoſtolus 2. ad Cor. 3. *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat. Occidit*, ideſt non vivificat ad juſtificandum. Ipſa enim doctrina Evangelii, etſi multum inſtruat clare ad bene operandum, & ad occaſiones malorum tollendum, non tamen adjuvat efficaciter ad implendum. Nam etſi gratia in Evangelio comprehenſa adjuvet hominem ad non peccandum; non tamen confirmat, ut peccare non poſſit, quia hoc pertinet ad ſtatum gloriæ.

Triplex ratio, cur lex Evangelica non fuit data a principio mundi.

Ipſa autem lex evangelica non fuit data a principio mundi triplici ratione ſecundum Thomam 1. 2. quæſt. 106. art. 3. Quarum prima eſt, quia lex nova, ſicut dictum eſt, principaliter eſt gratia Spiritus ſancti, quæ abundanter dari non debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, conſummata redemtione per Chriſtum. Unde dicitur Joann. 7. *Nondum erat ſpiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.* Et hanc rationem aſſignat manifeſte Apoſtolus ad Rom. 8. ubi poſtquam præmiſerat de lege ſpiritus vitæ, ſubjunxit: *Deus filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis.* Secunda ratio poteſt aſſignari ex perfectione legis novæ. Non enim aliquid

liquid ad perfectum adducitur ſtatim a principio, ſed quodam temporali ſucceſſionis ordine, ſicut aliquis prius eſt puer, & poſtmodum eſt vir. Et hanc rationem aſſignat Apoſtolus ad Gal. 3. dicens: *Lex pedagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur; at ubi venit fides, jam non ſumus ſub pedagogo.* Et 1. ad Cor. 15. *Non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale.* Lex autem evangelica maxime eſt ſpiritualis; & ideo non prius debuit dari, ſed poſterius. Tertia ratio ſumitur ex hoc, quod lex nova eſt lex gratiæ, qua homo indiget ad bene operandum; & ideo primo oportet, quod homo relinqueretur ſibi ipſi in ſtatu legis veteris, ut cadendo in peccatum, quum per illam juvari non poſſet, ſuam infirmitatem recognoſcens, ſciret ſe gratia Dei indigere ad bene operandum, & ad hanc procurandam ſe humiliaret. Nihil enim magis gratiæ recipiendæ obſiſtit, quam ſuperbia, quum ſcilicet quis confidat de viribus ſuis ad bene operandum: propter quod dicit Jacobus cap. 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Hanc rationem aſſignat Apoſtolus ad Rom. 5. dicens: *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Nec ex hoc poteſt dici Deus acceptor perſonarum, quia ſcilicet providit de lege gratiæ hominibus novi teſtamenti, & non hominibus veteris: nam humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ; & ideo quibuſcumque non datur gratia, hoc eſt ex juſtitia, quia hoc illi meruerunt; quibus autem datur, hoc eſt ex gratia, ſeu liberalitate. Non autem eſt acceptor quis perſonarum, ſi de ſuo, in quo non eſt alicui debitor, non dat uni, quod dat alteri. Non ergo ex hoc, quod hominibus a principio mundi non dedit Deus legem gratiæ, injuriam fecit, vel acceptor perſonarum fuit, quum & ipſa lex debito ordine danda eſſet.

De duratione legis Evangelicæ.

§. II. De duratione legis Evangelicæ, ſcilicet quod durat uſque ad finem ſæculi, nec eſt exſpectanda alia lex, quæ ei ſuccedat, ut quidam male ſenſerunt. Pro cujus declaratione dicit Thomas 1. 2. quæſt. 106. art. 4. quod ſtatus mundi variari poteſt dupliciter. Uno modo ſecundum diverſitatem legis; & ſic huic ſtatui novæ legis nullus ſtatus alius ſuccedit. Succeſſit enim ſtatus novæ legis tamquam perfectior ſtatui veteris legis tamquam imperfectiori ſecundum illud 1. ad Cor. 13. *Quum venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt.* Sed in ſtatu vitæ præſentis nullus ſtatus perfectior eſſe poteſt ſtatu novæ legis. Nihil enim poteſt eſſe propinquius fini ultimo, quam id, quod immediate inducit in finem ultimum; hoc autem facit nova lex. Unde dicit Apoſtolus ad Hebr. 10. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam.... accedamus ad eum.* Unde non poteſt eſſe aliquis perfectior ſtatus vitæ præſentis, quam ſtatus novæ legis, quia tanto unumquodque eſt perfectius, quanto magis fini ultimo propinquius eſt. Alio modo poteſt ſtatus hominum variari, ſecundum quod homines diverſimode ſe habent ad eamdem legem, vel perfectius vel minus perfecte; & ſic ſtatus veteris legis fuit multipliciter mutatus, quia quandoque homines optime illam legem ſervabant, quandoque omnino præteribant. Sic etiam ſtatus novæ legis diverſificatur ſecundum diverſa loca & diverſa tempora, & perſonas, in quantum gratia Spiritus ſancti perfectius vel minus perfecte ab aliquibus habetur. Non eſt tamen exſpectandum, quod aliquis ſtatus ſit futurus, in quo perfectius gratia Spiritus ſancti habeatur, quam hactenus habita ſit, & maxime ab Apoſtolis, qui ſicut tempore prius, ita & ceteris abundantius Spiritum ſanctum acceperunt, ut dicit gloſſa ſuper illud Rom. 8. *Primitias ſpiritus accipientes.* Ultra iſtos duos ſtatus, ſcilicet legis Moſaycæ & evangelicæ, ponit quidem Dionyſius in cæleſti hierarchia tertium ſtatum, ſed non in vita iſta; ſed in vita beata, ubi ſine figuris & velamine videbimus Deum facie ad faciem. Promiſſio autem adventus Spiritus ſancti, quam Chriſtus promiſit Apoſtolis pluries, quam aliqui dicebant nondum impletam, ſed implendam; jam facta eſt Apoſtolis. Unde & Chriſtus dixit, Act. 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Quod impletum legitur Act. 2. ſcilicet in feſto Pentecoſtes. Et tunc docuit Apoſtolos omnem veritatem, ſcilicet de neceſſariis ad ſalutem credendis & agendis. Non autem docuit eos de omnibus futuris eventibus: hoc enim non ſpectabat ad eos. Unde dicit Act. 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Quod autem aliqui aſſignabant tres ſtatus mundi convenientes tribus perſonis divinis, dicentes ſtatum veteris legis convenire Patri, quia illi generationi intendebant, ſtatum novæ legis convenire Filio, quia clerici in eo intendunt ſapientiæ, unde & ſequendus erat tertius ſtatus, qui conveniret Spiritui ſancto, in quo viri ſpirituales principarentur; reſpondet B. Thomas ubi ſupra, quod ſtatus veteris legis fuit non ſolum Patris, ſed & Filii, quia Chriſtus in veteri figurabatur, & ſtatus novæ legis non ſolum eſt Filii, ſed etiam Spiritus ſancti, ſecundum illud ad Rom. 8. *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu.* Unde non oportet exſpectare aliam legem Spiritus ſancti. Poſſet etiam ſecundum dominum Joannem Dominici ille triplex ſtatus ſic adaptari, ut dicatur primus in lege naturæ, qui incipit a creatione & puritate, & renovatus fuit per diluvium Noe: puritas & poteſtas ratione creationis attribuitur Patri. Secundus incipit in lege Moſayca, quæ fuit lex plena ſapientia. Et in prophetis etiam, qui tunc maxime floruerunt, fuit maxima ſapientia, prophetantes de Chriſto ſapientia Patris, & in Chriſtum fuit terminatus in ſui paſſione, & aſcenſione. Succeſſit tertius, qui appropriatur Spiritui ſancto incipiens in adventu ejus ſuper Apoſtolos, in quo data eſt in cordibus lex amoris, & dilectionis, & Spiritus ſancti, quo *filii Dei aguntur*; unde non oportet exſpectare aliam legem. Quod autem Chriſtus dixit Matth. 24. quod *prædicabitur Evangelium regni in toto orbe... & tunc veniet conſummatio*, dicit Thomas, quod iſta prædicatio Evangelii poteſt intelligi dupliciter: uno modo quantum ad divulgationem notitiæ Chriſti; & ſic fuit divulgatum Evangelium in toto orbe per prædicationem Apoſtolorum; & quod ſubditur in iſta auctoritate: *Tunc erit conſummatio*, intelligitur de deſtructione Hieruſalem, de qua tunc loquebatur ad litteram. Alio modo poteſt intelligi prædicatio Evangelii cum pleno effectu, ita ſcilicet, ut in qualibet gente recipiatur Eccleſia. Et ita ſecundum Auguſtinum nondum prædicatum eſt in toto orbe. Et hoc facto veniet conſummatio mundi; & ſic non oportet exſpectare aliquod Evangelium, quod illi vocabant æternum.

Errores Evangelii, quod dicitur æterni.

Repertus eſt quidam liber, qui intitulabatur Evangelium æternum, qui dicebatur fuiſſe doctrina Joachim Abbatis; ſed ex ipſo tractatu & tempore ſuo comprehenditur manifeſte ipſum non feciſſe. Sunt autem ibi multa hæretica, & erronea, & fatua. Nam in primo dicit doctrinam Joachim excedere doctrinam Chriſti & novum & vetus teſta-

ſtamentum. Secundo quod Evangelium Chriſti non eſt Evangelium regni. Tertio quod novum teſtamentum erat evacuandum, & quod non erat duraturum, niſi per ſex annos, ideſt uſque ad annum incarnationis 1260. Quarto quod ſicut Evangelio Chriſti ſuccedit aliud Evangelium; ita ſacerdotio Chriſti aliud ſacerdotium. Quinto quod Evangelium Chriſti neminem ducit ad perfectionem. Sexto quod ſpiritualis intellectus novi teſtamenti non eſt commiſſus Papæ Romano, ſed tantum litteralis; & ſic non habet judicare Papa de intellectu ſpirituali, ſed litterali. Septimo, quod receſſus Græcorum a Romana Eccleſia fuit bonus, & quod viri ſpirituales non tenerentur obedire Romanæ Eccleſiæ in his, quæ ſunt Dei. Octavo quod Papa Græcus magis ambulat ſecundum ſpiritum, quam Papa Romanus; & ſic quod magis eſt in ſtatu ſalvandorum. Nono quod Spiritus ſanctus percipit aliquid ab Eccleſia, ſicut Chriſtus in quantum homo a Spiritu ſancto. Decimo quod Chriſtus, & Apoſtoli fuerunt perfecti in vita contemplativa, & quod vita activa ſit fructuoſa, uſque ad Joachim, ſed amodo non eſt fructuoſa, ſed vita contemplativa, quam dicit eſſe in monachis. Undecimo quod ſicut in primo ſtatu mundi fuit conceſſum regnum Eccleſiæ totius a patre aliquibus de ordine conjugatorum, in quo auctorizatus eſt ille ordo: & in ſecundo ſtatu mundi fuit conceſſum a filio alicui de ordine clericorum, in quo ab ipſo glorificatus eſt; ſic in tertio ſtatu mundi committet alicui de ordine monachorum, in quo Spiritus ſanctus glorificabitur. Et quod prædicatores, qui erunt in illo ultimo ſtatu, erunt majoris dignitatis, quam prædicatores primitivæ Eccleſiæ; hæc omnia ſunt partim hæretica, partim fatua, & erronea.

Nova lex eſt alia a veteri.

§. III. De comparatione novæ legis ad veterem, quomodo ideſt nova lex eſt alia a veteri, & quomodo tenetur in veteri. Primum probatur per hoc, quod ait Apoſtolus ad Hebr. 7. *Translato ſacerdotio, neceſſe eſt ut & legis translatio fiat.* Sed ſacerdotium novæ legis eſt aliud a ſacerdotio veteris; ergo & lex alia.

Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 107. quod quum omnis lex ordinet converſationem humanam ad aliquem finem, poſſunt aliqua ordinari ad finem dupliciter. Uno modo, quod diverſa ordinentur ad diverſos fines; & ſic leges ſunt omnino diverſæ diverſitate ſpeciei, ſicut lex civitatis, quæ eſſet ordinata ad hoc, ut populus dominaretur, eſſet omnino diverſa ſpecie ab ea, quæ ordinaretur ad hoc, quod optimates civitatis dominarentur. Alio modo poſſunt ordinata in finem diverſificari, ſecundum quod unum propinquius ordinat ad eum finem, & aliud remotius. Et ſic alia dicitur lex, quæ datur in eadem civitate & eodem modo regiminis pueris circa agenda; & alia, quæ datur viris perfectis. Secundum igitur primum modum diverſitatis, lex nova non eſt alia a lege veteri, quia utriſque eſt unus finis, ſcilicet ut homines ſubdantur Deo. Eſt enim unus Deus novi & veteris teſtamenti, ſecundum illud ad Rom. 3. *Unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Alio modo lex nova eſt alia a veteri, quia lex vetus eſt pedagogus puerorum, & lex nova eſt lex perfectionis, quia lex dilectionis. Et omnes differentiæ, quas ponunt doctores inter legem veterem, & novam, hoc oſtendunt, quod differunt ſicut perfectum & imperfectum. Et quamvis in lege evangelica contineantur multa documenta & ſacramentalia; non tamen in illis conſiſtit principalitas hujus legis, ſed in gratia & fide. Principalitas autem veteris legis conſiſtebat in documentis & mandatis illis legis. Et *illi*, qui in illa lege ſerviebant Deo, non timore pœnæ nec propter temporales promiſſiones illius legis, ſed amore juſtitiæ, & propter promiſſiones æternas, pertinebant ad novam legem. Sicut econtra qui in novo teſtamento ſervant leges timore pœnarum & propter temporalia, pertinent ad vetus teſtamentum & legem.

Principalitas teſtamentorum amborum.

Continetur autem ipſa lex nova in veteri, ſicut exponit Gregorius illud Ezech. 1. *Erat rota in medio rotæ*, ideſt teſtamentum novum in veteri. Continetur quidem non tantum in actu, ſicut continetur locatum in loco; ſed in virtute, ſicut effectus in cauſſa, & ſicut complementum in completo, & ſicut totus arbor in ſemine. Comparatur enim nova lex ad veterem, ut dictum eſt, ſicut perfectum ad imperfectum; & ſic nova lex continetur in veteri, ſicut frumentum in ſpica. Omnia enim, quæ traduntur in novo teſtamento credenda explicite & aperte, traduntur in veteri, ſed implicite, & in figura. Et ſi dicantur præcepta novi teſtamenti majora, quam veteris, intelligitur quantum ad manifeſtationem, non quoad ſubſtantiam: & hoc quoad moralia.

Lex vetus impletur per novam.

Quomodo per legem novam lex vetus impletur: hoc enim Chriſtus dixit Matth. 5. *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere:* & paullo poſt: *Jota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Unde poteſt induci illud pſal. 118. *Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Mandatum Dei præcepuum, quod dedit Chriſtus, fuit de dilectione, Joann. 15. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*, quod includit dilectionem Dei. Et lex Evangelica eſt lex dilectionis, & iſtud eſt *nimis*, ideſt valde *latum*, quia comprehendit animam, creatorem, & creaturam. Et in ipſa impletur omnis lex, etiam veteris teſtamenti; & ideo dicit: *Omnis conſummationis*, ideſt impletionis totius legis, *vidi finem.*

Pro cujus declaratione dicit Thomas 1. 2. quæſt. 107. art. 2. quod lex nova comparatur ad veterem, ſicut perfectum ad imperfectum. Omne autem perfectum adimplet, quod deeſt imperfecto. Et ſecundum hoc lex nova implet veterem, in quantum quod veteri legi deerat, ſupplet. In veteri autem lege duo poſſunt conſiderari, ſcilicet finis, & præcepta contenta in lege. Finis autem cujuslibet legis eſt, ut homines efficiantur juſti & virtuoſi. Unde etiam finis veteris legis erat juſtificatio hominum, quam quidam juſtificationem efficere non poterat; ſed figurabat quibuſdam cæremonialibus factis, & promittebat verbis. Et quantum ad hoc nova lex implet legem veterem juſtificando virtute paſſionis Chriſti. Et hoc eſt, quod Apoſtolus dicit ad Rom 8. *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur, per carnem Deus mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis.* Et quantum ad hoc lex nova exhibet, quod lex vetus promittebat, ſecundum illud 2. Cor. 1. *Quotquot promiſſiones ſunt, in illo*, ſcilicet Chriſto, *eſt.*

Duo conſiderantur in veteri lege.

Quantum ad hoc etiam complet, quod vetus lex figurabat. Unde ad Coll. 2. dicitur de cæremonialibus, quod erant *umbra futurorum; corpus autem Chriſti*, ideſt veritas, pertinet ad Chriſtum. Unde lex nova dicitur lex veritatis, lex autem vetus umbra, vel figura. Quantum autem ad præcepta, quæ conſiderantur ſecundo circa legem, implevit Chriſtus præcepta veteris legis opere & doctrina. Opere quidem: quia circumcidi voluit, & alia legalia ſervare, quæ erant tempore illo ſervanda, ſecundum illud ad Gal. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ſub lege*, & faciendo miracula in ſabbatis non ſolvebat legem, ſecun-

ſecundum rei veritatem, Matth. 12. tum quia illa miracula faciebat virtute divina, quæ ſemper operatur; tum quia opera ſalutis humanæ faciebat, quum etiam Phariſæi ſaluti animalium proviſerent in die ſabbati; tum etiam ratione neceſſitatis diſcipulos excuſavit ſpicas colligentes ſabbato. Sed videbatur ſolvere ſabbatum ſecundum ſuperſtitioſum intellectum Phariſæorum. Tangere leproſum non erat prohibitum in lege, ſed contrahebatur per hoc quædam immunditia irregularitatis, ſicut ex contactu mortui. Sed Dominus, qui erat mundator leproſi, immunditiam incurrere non poterat tangendo leproſum.

Dominus implevit legem doctrina ſua tripliciter.

Doctrina autem ſua implevit præcepta legis tripliciter. Primo verum intellectum legis exprimendo, ſicut patet in homicidio, & adulterio, in quorum prohibitione Scribæ & Phariſæi non intelligebant, niſi actum exteriorem prohibitum. Unde Dominus legem implevit oſtendendo etiam actum interiorem prohibitum ex lege. Secundo implevit Dominus doctrina ſua præcepta legis ordinando, quomodo tutius obſervaretur, quod lex ſtatuerat; ſicut lex vetus ſtatuit, quod homo non perjuraret; ſed hoc tutius conſervatur, ſi omnino a juramento abſtineat niſi in caſu neceſſitatis.

Tertio adimplevit legem ſuperaddendo præceptis legis quædam perfectionis conſilia, ut patet Matth. 19. ubi Dominus cuidam dicenti ſervaſſe præcepta ait: *Unum tibi deeſt; ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me.* Et in ſermone Domini in monte, qui habetur Matth. 5. & in cap. ſeq. de cæremonialibus præceptis non fit mentio, quia evacuata ſunt. Quum enim eſſent in figuram, impleta ſunt per exhibitionem eorum, quæ figurabantur, & ſic excluduntur. De judicialibus vero præceptis commemoravit præceptum taleonis, ut quod de hoc diceretur, de omnibus aliis intelligendum eſſet. In quo præcepto docuit non eſſe intentionem legis, quod pœna taleonis quæreretur propter vindictæ livorem, quam ipſe excludit, monens quod homo debet eſſe paratus majores etiam injurias ſufferre ſolum propter amorem juſtitiæ, quod adhuc in nova lege remanet. De moralibus autem excludit falſum intellectum Phariſæorum.

Quæ lex gravior, vetus an nova.

§. IV. Quæ ſit gravior lex ad obſervandum, vetus, vel nova, declarat B. Thom. 1. 2. quæſt. 107. art. 4. dicens, quod circa opera virtutis, de quibus præcepta legis dantur, duplex difficultas attendi poteſt. Una ex parte operum exteriorum, quæ ex ſeipſis habent quamdam gravitatem & difficultatem; & quantum ad hoc lex vetus eſt multo gravior quam nova; quia ad plures actus exteriores obligabat lex vetus in multiplicibus cæremoniis, quam lex nova; quæ præter præcepta legis naturæ pauciſſima addidit in doctrina Chriſti, & Apoſtolorum, licet aliqua ſint poſtea ſuperaddita ex inſtitutione ſanctorum patrum, in quibus etiam oportet moderationem eſſe attendendam, ne converſatio fidelium onerоſa fiat. Dicit enim Auguſtinus ad inquiſitiones Januarii de quibuſdam, quod *ipſam religionem noſtram, quam in manifeſtiſſimis & pauciſſimis celebrationum ſacramentis Dei miſericordia voluit eſſe liberam, ſervilibus premunt oneribus, adeo ut tolerabilior ſit ipſa conditio Judæorum, qui etſi tempus libertatis non cognoverunt, legalibus tamen ſacramentis, non humanis præſumtionibus ſubjiciuntur.* Et habetur hoc etiam in Decretis, Diſt. 12. can. *Omnia*. Alia difficultas eſt circa opera virtutum in interioribus actibus; puta quod aliquis opus virtutis exerceat promte & delectabiliter, prout agit habens habitum virtutis. Et hoc non habenti habitum virtutis eſt valde difficile; ſed per virtutem redditur facile. Et ſecundum hoc præcepta novæ legis ſunt graviora præceptis veteris, quia in nova lege prohibentur interiores animi motus, qui expreſſe in veteri non prohibebantur in omnibus, etſi in aliquibus prohiberentur, in quibus tamen prohibendis pœna non apponebatur; hoc autem eſt difficillimum non habenti virtutem. Sicut etiam dicit Philoſophus 5. Ethicorum, quod operari quæ juſtus facit, eſt facile; ſed operari eo modo, quo juſtus facit, ſcilicet promte & delectabiliter, difficile eſt non habenti juſtitiam. Et ſic intelligitur illud 1. Joannis 5. *Mandata ejus gravia non ſunt.* Quod exponens Auguſtinus ait: Amanti gravia non ſunt, ſed non amanti gravia ſunt. Hæc Thomas. Sed ſi conſiderentur ipſa præcepta novæ legis cum adjutorio ſuo; ſic etiam leviora ſunt præceptis veteris. Nam in nova lege proponuntur ſacramenta, adduntur exempla, promittuntur immediate æterna præmia, quæ multum habent homines attrahere ad bene operandum, & ſi in opere ſit difficultas, eam quaſi minuit. Hæc autem non habebantur in veteri lege. Unde & Chriſtus dixit Matthæi cap. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis.* Quod exponens Hilarius dicit: Legis difficultatibus laborantibus peccatis oneratos ad ſe vocat: & poſtmodum de jugo Evangelii ſubdit: *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Ad hoc poteſt induci illud Pſalmiſtæ 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilataſti cor meum.* Dilatat cor caritas, quia facit ſe extendere ad omnes, & omnia bona, & ipſa eſt præcipuum legis evangelicæ. Et quum hæc habetur, non ſolum itur, ſed & curritur per viam, ideſt opera mandatorum Dei veteris, & novæ legis. Importat autem curſus aviditatem, velocitatem, & facilitatem; quia, ut ait Auguſtinus: Omnia ſæva & immania, & facilia, & prope nulla facit amor. Et alibi idem: Solus amor neſcit laborem.

Lex evangelica præcipit & prohibet quædam opera exteriora.

Quod lex evangelica præcipit & prohibet quædam opera exteriora. Opera tenebrarum, videlicet crimina, prohibet ad Rom. 13. *Abjiciamus opera tenebrarum.* Opera lucis mandat, ideſt virtutum, ad Epheſios 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* Et hoc fuit valde decens, quum per novam legem efficiantur homines filii lucis, ut opera lucis ei mandarentur Joann. 12. *Credite in lucem, ut filii lucis ſitis*, ait Chriſtus. Et hanc lucem legis evangelicæ poteſt dici Pſalmiſtam pſal. 42. poſtulaſſe, quum ait: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.* Lex evangelica continet lucem, ſcilicet gratiæ; quia hoc eſt in ea principale, ut dictum eſt; & veritatem documentorum, quæ ibi habentur: & ipſa nos deducunt in præſenti vita, ideſt de uno actu virtutum ad alium inducunt faciendum, & de uno ſtatu, ſcilicet imperfectiori ad alium perfectiorem ducunt illuſtrando, & adjuvando. Et demum adducunt in montem ſanctum Dei, ideſt ſupernam patriam, ubi ſunt plura tabernacula, ideſt varia præmia ſanctorum; quia, ut dicitur Joann. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

Principalitas legis evangelicæ.

Pro horum declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 108. quod principalitas legis novæ eſt gratia Spiritus ſancti, quæ manifeſtatur in fide per dilectionem operante. Hanc autem gratiam conſequuntur homines per Dei Filium hominem factum, cujus humanitatem primo implevit gratia, & inde ad nos etiam derivata eſt. Unde Joannis 1. dicitur: *Verbum caro factum eſt.* Et poſtea ſubditur: *Plenum gratiæ & veritatis.* Et infra: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gra-*

gratia. Unde & ſubditur : *Gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Et ideo congruit, ut per aliqua exteriora ſenſibilia gratia a verbo incarnato profluens in nos deducatur, & ex interiori gratia, per quam caro ſpiritui ſubjiciatur, exteriora quædam opera ſenſibilia producantur. Sic igitur exteriora opera dupliciter ad gratiam pertinere poſſunt. Uno modo ſicut inducentia aliqualiter ad gratiam; & talia ſunt opera ſacramentorum, quæ in lege nova ſunt inſtituta, ſicut baptiſmus Euchariſtia & alia. Alia vero ſunt opera exteriora, quæ ex inſtinctu gratiæ producuntur, & in his eſt quædam differentia attendenda, quædam enim neceſſariam convenientiam vel contrarietatem habent ad interiorem gratiam, quæ in fide per dilectionem operante conſiſtit. Et hujuſmodi opera exteriora ſunt præcepta vel prohibita in lege nova. Præcepta eſt confeſſio fidei, & prohibita negatio Dei. Dicitur enim Matth. 10. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo; & qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram patre meo*. Alia vero ſunt opera, quæ non habent neceſſariam convenientiam vel contrarietatem ad fidem per dilectionem operantem, & talia opera non ſunt in lege præcepta vel prohibita ex ipſa legis prima inſtitutione, ſed relicta ſunt a legiſlatore, ſcilicet Chriſto, unicuique, ſecundum quod aliquis alicujus curam gerere debet, ſicut unicuique liberum eſt circa talia determinare, quid ſibi expediat facere, vel vitare, & cuilibet præſidenti ordinare circa talia ſuis ſubditis quid in talibus faciendum, vel vitandum. Unde etiam quantum ad hoc lex Evangelii dicitur lex libertatis. Nam lex multa determinabat, & pauca relinquebat hominibus determinanda. Sic igitur quamvis Evangelium, quod dicitur Evangelium regni, conſiſtit principaliter in interioribus actibus, propter quod dicitur Luc. 17. *Regnum Dei intra vos eſt* : & Paullus ad Rom. 14. *Regnum Dei non eſt eſca & potus; ſed juſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto;* tamen ex conſequenti etiam ad regnum Dei ſeu Evangelium pertinent omnia iſta, ſine quibus interiores actus eſſe non poſſunt. Sicut ſi regnum Dei eſt interior juſtitia, pax, & gaudium, neceſſe eſt, ut omnes actus exteriores, qui repugnant juſtitiæ, paci, & gaudio, repugnent regno Dei. Et ideo tales actus prohibendi ſunt in Evangelio regni. In his vero, quæ indifferenter ſe habent, ut comedere hos vel illos cibos, in his non eſt regnum Dei.

Opera exteriora dupliciter ad gratiã pertinent.

Sciendum etiam ſecundum Thomam ubi ſupra, quod lex nova dicitur lex libertatis, ſecundum illud Jacobi 1. *Si quis perſpexerit in lege perfectæ libertatis*, &c. Et hoc dupliciter. Uno modo, quia non arctat nos ad facienda vel vitanda aliqua, niſi quæ ſunt repugnantia ſaluti de ſe, quæ ſunt ſub præcepto vel prohibitione. Secundo modo, quia hujuſmodi præcepta & prohibitiones nos libere implere facit, in quantum ex interiori inſtinctu gratiæ, quem lex evangelica includit, ea implemus. Ipſa enim gratia Spiritus ſancti eſt ſicut interior habitus infuſus, inclinans nos ad bene operandum, & facit nos libere & ſponte operari, quæ conveniunt gratiæ. Unde Apoſtolus 2. Cor. 3. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas*.

Lex nova dicitur lex libertatis dupliciter.

§. V. Quod lex evangelica convenienter ordinat hominem quoad actus exteriores, nulla alia opera exteriora determinando, niſi ſacramenta, & moralia præcepta, quæ de ſe pertinent ad rationem virtutis. Pro cujus declaratione dicit Thomas 1. 2. quæſt. 108. art. 2. Lex nova in actibus exterioribus ſolum illa precipere vel prohibere debuit, per quæ ad gratiam introducimur, vel quæ pertinent ad rectum uſum gratiæ ex neceſſitate. Et quia gratiam ex nobis habere non poſſumus, ſed ſolum per Chriſtum; ideo ſacramenta per quæ gratiam conſequimur, per ſeipſum inſtituit, ſcilicet baptiſmum, euchariſtiam, ordinem miniſtrorum novæ legis, inſtituendo Apoſtolos & ſeptuaginta duos diſcipulos, & pœnitentiam, & matrimonium indiviſibile. Confirmationem etiam promiſit per Spiritus ſancti miſſionem. Ex ejus etiam inſtitutione Apoſtoli leguntur infirmos ungendo ſanaſſe, ut habetur Marci 6. quæ omnia ſunt novæ legis ſacramenta. Quia enim in ſacramentis datur gratia, quæ non eſt niſi a Chriſto; ideo oportuit, quod ipſa ſacramenta haberent inſtitutionem a Chriſto. Sed in ſacris novi teſtamenti, puta conſecrationis templi, vel altaris, & in celebritate ſolemnitatum & hujuſmodi, non datur aliqua gratia; & ideo quia ipſa non pertinent ſecundum ſeipſa ad neceſſitatem gratiæ interioris, reliquit Deus inſtituenda prælatis pro arbitrio ſuo.

Rectus autem uſus gratiæ eſt per opera caritatis, quæ quidem ſecundum quod ſunt de neceſſitate virtutis, pertinent ad præcepta moralia, quæ etiam in veteri lege tradebantur. Unde quantum ad hoc lex nova addere non debuit circa exteriora agenda. Determinatio autem horum operum in ordine ad cultum Dei pertinet ad cæremonialia, in ordine vero ad proximum ad judicialia; & ideo quia iſtæ determinationes non ſunt ſecundum ſe de neceſſitate interioris gratiæ, in qua lex nova conſiſtit; ideo non cadunt ſub præcepto novæ legis, ſed relinquuntur hujuſmodi humano arbitrio. Quædam quidem quantum ad ſubditos, quæ ſcilicet pertinent ſigillatim ad unumquemque. Quædam vero ad prælatos temporales vel ſpirituales, quæ ſcilicet pertinent ad utilitatem communem. Sic igitur lex nova nulla alia exteriora opera determinare debuit præcipiendo vel prohibendo, niſi ſacramenta & moralia præcepta, quæ de ſe pertinent ad rationem virtutis, ut non eſſe occidendum, furandum, & hujuſmodi. Ea autem, quæ ſunt fidei, quia ſunt ſupra humanam rationem, unde ad ea non poſſumus pervenire niſi per gratiam; ideo abundantiori gratia ſuperveniente oportuit plura credenda explicari, ſicut de myſterio Trinitatis, & articulis incarnationis, quæ traduntur explicite in Evangelio. Judicialia autem præcepta non ſunt poſita in Evangelio; quia quum ſecundum ſe non ſint de neceſſitate virtutis, ſed ſolum quantum ad communem rationem juſtitiæ; ideo reliquit Dominus ea diſponenda his, qui curam erant habituri aliorum temporalem vel ſpiritualem; explanavit tamen quædam judicialia Chriſtus ad excludendum falſum intellectum Scribarum & Phariſæorum. Quod autem Chriſtus dedit Apoſtolis quædam mandata, ut patet Matth. 10. Marc. 6. Lucæ 10. *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque argentum*, &c. non illa dedit tamquam cæremoniales obſervantias, ſed tamquam moralia ſtatuta, quæ poſſunt intelligi dupliciter. Uno modo, ut dicit Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum, ut ſcilicet non fuerint præcepta, ſed conceſſiones. Conceſſit enim, ut poſſent pergere ad prædicationis officium ſine pera, baculo, auro, & pecunia, tamquam habentes poteſtatem accipiendi neceſſaria vitæ ab his, quibus prædicabant; unde ſubdit : *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo*. Non autem peccat, qui ſupererogat ſua portans, ex quibus vivat in prædicationis officio, non accipiens ſumtum ab his, quibus prædicat, ſicut fecit Paullus Corinthi laborans manibus ſuis, ut inde viveret, 1. Cor. 4. Alio modo poſſunt intelligi ſecundum expoſitionem aliorum ſanctorum, ut fuerint illa quædam ſtatuta temporalia Apoſtolis data pro illo tempore,

De ordinatione legis evangelicæ circa actus exteriores.

Sacramenta quæ a Chriſto inſtituta.

Quod judicialia præcepta non ponuntur in Evangelio.

pore, quo mittebantur ad prædicandum in Judæa ante paſſionem Chriſti. Indigebant enim adhuc quaſi parvuli ſub Chriſti cura exiſtentes accipere aliqua inſtituta ſpecialia, ſicut & quilibet ſubditi a ſuis prælatis. Et præcipue quia erant paullatim exercitandi, ut temporalium ſollicitudinem abdicarent, per quod redderentur idonei, ut Evangelium per orbem prædicarent. Illa autem temporalia ſtatuta removit imminente paſſione, tamquam diſcipulis ſufficienter exercitatis per ea. Unde dixit eis, Luc. 22. *Quando miſi vos ſine ſacculo*, &c. *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram*, quaſi jam immineret tempus perfectæ libertatis, quo ſuo dimitterentur arbitrio. Hæc Thomas. Poſſunt etiam exponi illa moraliter, ut ſcilicet prædicatores non poſſideant aurum humanæ ſapientiæ, aut argentum eloquentiæ, ſcilicet confidendo in illis, & in illis inſiſtendo. Nec ſacculum theſaurizationis, nec peram ſollicitudinis lautæ ad edendum præparatis. Nec duas tunicas duplicitatis ſeu hypocriſis, nec calceamenta, ideſt exempla mortiferæ actionis, ſeu afflictionis, nec virgam iræ & vindicationis, nec per viam ſalutent, ſcilicet adulando auditoribus. Ut etiam de domo in domum non tranſirent, ideſt non ſint vagabundi, & viſitantes domos mulierc̃ularum, ut annuntient primo domui pacem, ideſt quærant pacem domus, ubi morantur, & Eccleſiæ, ubi prædicant, & non ſeminent ſcandala, & comedant, quæ apponuntur, non quidem lapides vel noxia, ſed ne ſollicitentur de cibis præparandis, & moleſtent hoſpites in petendo varia, vel etiam quod omnibus indifferenter prædicent incorporando Eccleſiæ fidei; ſed tantum baculum conceſſit portare deſignantem crucem. *Nos*, ait Apoſtolus, *prædicamus Chriſtum crucifixum*, &c. 1. Cor. 1. In quibus conditionibus obſervandis multum deficiunt prædicatores moderni, ut evidens eſt.

Notanda a prædicatoribus.

De ordinatione circa actus interiores.

§. VI. Quod lex nova ſufficienter ordinat hominem circa actus interiores; & hoc præcipue in ſermone, quem fecit Dominus in monte diſcipulis ſuis, quem recitat Matthæus Evangeliſta, cap. 5. ſui Evangelii, uſque ad octavum excluſive, per tria capitula continua. Unde dicit Auguſtinus in libro de ſermone Domini in monte: Conſiderandum eſt, quia quum dicit: *Qui audit verba mea*, hoc ſatis ſignificat iſtum ſermonem Domini omnibus præceptis, quibus Chriſtiana vita formatur, eſſe perfectum. Unde poſſet induci de eo illud pſal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*. Verbum vocale ex ore Chriſti eſt in toto illo ſermone. Unde in principio dicit Evangeliſta: *Aperiens os ſuum*, quaſi dicat: In aliis ſermonibus Scripturæ & veteris legis aperuit ora prophetarum; in iſto autem *os ſuum*. Et per prophetas locutus eſt quaſi infra dentes, ideſt obſcure; in iſto aperuit os, ideſt clare locutus. Et iſtud *verbum*, ſcilicet doctrinæ hujus ſermonis, eſt *lucerna* plena oleo gratiæ, quam continet lex Evangelica & igne amoris. Unde Proverb. 6. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux*. Et hæc eſt poſita *pedibus meis*, ideſt ad dirigendos pedes intentionis & affectionis in agendis, *& lumen ſemitis meis*, ideſt operibus exterioribus, quæ ſtricta ſunt ad informandum ea. In iſto igitur ſermone perfecte interiores motus hominum ordinantur ſecundum Thom. 1. 2. quæſt. 108. art. 3. Nam primo Chriſtus ponit & declarat finem in agendis debitum, qui eſt ultimus, ſcilicet beatitudinem, dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, & aliæ beatitudines*. Secundo comendat Apoſtolicam dignitatem, per quam erat doctrina Evangelica promulganda, declarans, quod exemplaris & perfecta debet eſſe vita eorum, ſubdens poſtea: *Vos eſtis ſal terræ* &c. Tertio ordinat motus interiores cujuslibet hominis. Et primo quantum ad ſeipſum. Secundo quantum ad proximum. Tertio quantum ad Deum.

Sermo Domini in monte.

Quantum ad ſeipſum dupliciter ordinat hominem ſecundum duos interiores animi motus circa agenda, quæ ſunt voluntas agendi & intentio de fine. Primo igitur ordinat hominis voluntatem ſecundum diverſa legis præcepta, ut ſcilicet abſtineat aliquis non ſolum ab exterioribus operibus, quæ ſunt ſecundum ſe mala, dicens: *Dictum eſt antiquis: Non occides*; ſed etiam ab interioribus motibus & occaſionibus malorum, ut ira & contumelia, dicens: *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*, Matth. 5. Intentionem autem ordinat docens, quod in bonis operibus non debemus quærere humanam gloriam, dicens: *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* &c. Matth. 6. Et *nolite fieri ſicut hypocritæ*. Neque mundanas divitias appetatis, dicens: *Nolite theſaurizare*, Matth. 7. Ubi etiam notandum eſt, quod omnes res mundanæ ad tria reducuntur, ſcilicet honores, divitias, & delicias, ſecundum illud 1. Joann. 2. *Omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*. Et ſuperfluas quidem delicias carnis, quæ pertinent ad concupiſcentiam carnis, lex vetus non prohibuit, ſed magis promiſit. Promiſit enim lex illa celſitudinem honoris quod pertinet ad ſuperbiam vitæ & abundantiam divitiarum, quod pertinet ad concupiſcentiam oculorum. Dicitur enim Deut. 28. *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque cuſtodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus excelſiorem cunctis gentibus*. Et paullo poſt: *Et abundare te faciet omnibus bonis*. Quæ quidem promiſſa prave intelligebant Judæi, ſcilicet ut propterea eſſet Deo ſerviendum, ſicut propter finem. Et ideo Dominus hæc removit, oſtendens primo, quod opera virtutum non ſunt facienda propter humanam gloriam. Et ponit tria opera, ad quæ omnia alia reducuntur. Nam omnia, quæ quis facit ad refrænandum ſeipſum a ſuis concupiſcentiis, reducuntur ad jejunium. Quæcumque vero fiunt propter dilectionem proximi, reducuntur ad eleemoſynam. Quæcumque vero propter cultum Dei, reducuntur ad orationem. Ponit autem hæc tria quaſi præcipua, quia per hæc maxime homines ſolent gloriari. Secundo docuit, quod non debemus conſtituere finem in divitiis, dicens: *Nolite theſaurizare*.

Secundario ordinat hominis interiorem motum, quoad proximum, ut ſcilicet eum non temerarie, aut injuſte, aut præſumtuoſe judicemus, dicens: *Nolite judicare, ut non judicemini*, Matth. 7. Neque etiam quod ſimus erga proximum nimis faciles, ut eis ſcilicet ſacramenta committamus, vel demus, ſi ſunt indigni, ut dicit: *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos*, quia ſcilicet immundis non ſunt danda ſacramenta. Hoc tamen cum diſtinctione intelligendum eſt, ut habetur in 3. parte. Ubi etiam ſciendum, quod præcepta moralia veteris legis omnino in lege nova remanere debuerunt, quæ ſecundum ſe pertinent ad rationem virtutis. Unde & Gratianus dicit in principio Decretorum, quod *jus naturale*, quod ſcilicet eſt de moralibus, *in lege & Evangelio continetur, quo* ſcilicet *quiſque jubetur alteri non facere, quod ſibi non vult fieri, & alteri facere, quod ſibi vult fieri*, ſcilicet quod vult ſecundum rationem, ut dicit Gloſſa ibi.

Præcepta moralia remanſerunt.

Iſtud autem ſecundum, ſcilicet *omnia, quæ*

vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, dicit Christus in illo sermone. Præcepta autem judicialia non remanent in lege nova ex necessitate, secundum quod lex determinavit, sed relinquebatur arbitrio hominum, utrum sic, vel aliter esset determinandum. Et ideo circa ista duo genera præceptorum nos ordinavit. Præceptorum autem cæremonialium observatio totaliter per rei impletionem tollebatur; & ideo circa hujusmodi præcepta cæremonialia in illa doctrina sermonis nihil ordinavit. Ostendit tamen alibi, quod totus cultus corporalis, qui erat determinatus in lege, erat in spiritualem commutandus, ut patet Joann. 4. quum dixit Samaritanæ: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem.... sed veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate.*

Nam præcepta judicialia, nec cæremonialia remanserunt.

Circa tria autem præcepta ex moralibus adimpletionem exposuit. Nam circa homicidium, & adulterium existimabant Scribæ & Pharisæi actum exteriorem prohiberi, non motum interiorem; quia hujusmodi motus iræ & concupiscentiæ videtur inesse nobis a natura. Sed Dominus ostendit prohibitum etiam appetitum interiorem hujus, dicens: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, Math. 5. & illud: *Qui iratcitur fratri suo, reus erit judicio.* Juramentum etiam existimabant ut per se appetendum, quia videtur ad reverentiam Dei pertinere, unde frequentandum. Sed ostendit Dominus non appetendum ut bonum, & melius sine juramento loqui, nisi necessitas urgeat. Unde dixit in sermone illo: *Nolite jurare omnino*, idest sine causa rationabili.

Exponit Christus tria præcepta moralia.

Circa judicialia errabant Scribæ & Pharisæi. Primo, quia quædam, quæ in lege Moysi erant tradita tamquam permissiones, reputabant per se justa, ut repudium uxoris, & accipere usuras ab extraneis. Et ideo Dominus in sermone prohibuit & repudium uxoris, Matth. 5. & usuras accipere, dicens Luc. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes.* In hoc enim consistit usura, sperare lucrum ex mutuo.

Error Judæorũ circa judicialia.

Secundo errabant estimantes pœnam, quam lex instituerat propter justitiam exsequendam ex appetitu vindictæ vel cupiditate temporalium rerum, vel odium inimicorum esse licitum, propter præceptum talionis datum, quod datum fuit, ut justitia servaretur, non ut vindicta quæreretur. Unde Dominus ad hoc removendum docet animum debere quis habere paratum ad plura etiam sustinendum, si necesse sit. Unde dixit: *Ego dico vobis non resistere malo; sed siquis te percusserit in dextram maxillam, præbe ei & alteram*, Matt. 5. quod intelligitur quantum ad animi præparationem secundum Aug. 23. quæst. 1. *Paratus*. Motum cupiditatis æstimabant licitum propter præcepta judicialia, in quibus mandabatur fieri restitutio cum additione. Sed Dominus docet, ut ex cupiditate nostra, etiam non repetamus, sed simus parati etiam ampliora dare, si necesse fuerit, ibi: *Siquis acceperit tunicam, dimitte ei & pallium.* Odium credebant licitum propter hostium interfectionem concessam; sed ad hoc tollendum mandavit Dominus etiam inimicis benefacere, Matt. 5. *Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*, &c. Tertio & ultimo docet modum implendi doctrinam evangelicam, scilicet per orationem. Et hoc habet nos ordinare ad Deum per conatum nostrum, quia qui fecit te sine te, non justificabit te sine te, ait Augustinus; & ideo ait: *Contendite intrare per angustam portam*, Luc. 13. *& regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matt. 11. Et quod cautellam adhibeamus, ne seducamur per falsos prædicatores, ibi: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et demum quod observatio mandatorum est necessaria ad virtutem, nec sufficit confessio fidei, vel operatio miraculorum. Unde ait: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine Domine* &c. Et postea: *Multi dicent in illa die: Domine, non ne in nomine tuo prophetavimus* &c? Nec etiam sufficit auditus solum horum verborum, sed exsecutio. Unde dicit: *Omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit, similis est homini stulto, qui ædificavit domum suam super arenam*, Matt. 7. sed faciens similis est ædificanti supra petram. Prohibet etiam sollicitudinem circa temporalia, dicens Matt. 6. *Nolite solliciti esse.* Et hoc non necessariam, sed inordinatam. Hæc autem inordinata est quadruplex, & ideo vitanda. Primo, ut in eis finem non constituamus, neque Deo serviamus propter victum & vestitum. Unde dicit: *Nemo potest duobus dominis servire.* Secundo, ut non sollicitemur de temporalibus cum desperatione divini auxilii. Unde Dominus: *Scit pater vester, quia his omnibus indigetis.* Tertio, ne sollicitudo sit præsumtuosa, ut scilicet homo confidat per suam sollicitudinem se posse procurare necessaria vitæ absque divino auxilio, quod removet per hoc, quod dicit, quod homo non potest *adjicere ad staturam suam cubitum unum.* Quarto per hoc, quod homo sollicitudinis præoccupat tempus, quia scilicet sollicitus est nunc de eo, quod non pertinet ad curam præsentis temporis, sed futuri; sicut quum tempore messis sollicitatur circa vindemiam: propter quod dicit: *Nolite solliciti esse in crastinum*, idest in futurum remotum. De hac tamen materia sollicitudinis habes diffuse in secunda parte tit. 1. cap. 25. de inquietudine.

§. VII. Quod in lege evangelica convenienter traduntur consilia, quasi addita præceptis multum utilia. Unde Prover. 27. dicitur: *Unguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur.* Maximus & utilissimus amicus noster Jesus Christus; unde in Cant. *Ipse est amicus meus, filiæ Hierusalem.* Consilia ejus utilissima & dulcedine plena, scilicet quæ tradit in Evangelio. Unde psal. 67. *Animalia tua habitabunt in ea*, scilicet hæreditate, *parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Animalia mundi sunt viventes bestialiter. Sed animalia Dei sunt, quæ ducuntur spiritu Dei, non proprio, secundum opera virtutum; unde designantur per quattuor animalia, quæ vidit Ezechiel cap. 1. Designant enim ex specie sua quattuor virtutes cardinales, secundum expositionem Gregorii super Ezechielem. Ista *habitabunt* demum in hæreditate Domini, idest patria superna, quam ipse Deus dat filiis suis. Ad Rom. 8. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Unde & illa eadem animalia vidit Joannes ante thronum Dei stantia, Apocal. 4. Quomodo autem perveniant ad hanc hæreditatem, insinuat Psalmista, subdens: *Parasti*, &c. idest *in dulcedine* dilectionis, quam continet lex evangelica, quam tu *Deus parasti pauperi*; sic exponit Grat. 23. quæst. 6. can. ult. §. *Item Joannes.* Ad perfectionem dilectionis pervenitur propter observantiam consiliorum, quorum primum est paupertas Christi, fundamentum aliorum; & ideo signanter dicit, *pauperi.* Pro horum declaratione dicit Thom. 1. 2. quæst. 108. art. 4. quod ista est differentia inter præceptum, & consilium: quia præceptum importat necessitatem. Consilium autem ponitur in optione ejus, cui datur. Et ad hoc facit, quod ait Augustinus: *Quod præcipitur, imperatur; quod imperatur, necesse est fieri: si non fiat, pœnam habet. Consilio Domini si uti nolueris, minus boni adipisceris*, 14. quæst. 1. *Quisquis.* Convenienter autem

De Conciliis Evangelicis.

De differẽtia inter præceptum, & consiliũ.

autem in lege nova, quæ est libertatis, dicit Thomas ubi supra: Præceptis addita sunt consilia; non autem in veteri lege, quæ erat lex servitutis. Oportet ergo, quod præcepta novæ legis intelligantur esse data de his, quæ sunt necessaria ad consequendum finem æternæ beatitudinis, in quam lex nova immediate introducit. Consilia vero sunt de his, per quæ melius & expeditius potest homo consequi finem prædictum. Est autem homo constitutus inter res hujus mundi & spiritualia bona, in quibus æterna beatitudo consistit, ita quod quanto plus inhæret uni eorum, tanto plus recedit ab altero, & e converso. Qui ergo totaliter inhæret rebus hujus mundi, ut in eis constituat finem, habens eas quasi rationes & regulas operum suorum, totaliter excidit a spiritualibus bonis, & hujusmodi inordinatio tollitur per præcepta. Sed quod homo totaliter ea, quæ sunt mundi, abjiciat, non est necessarium ad perveniendum ad finem prædictum; quia potest homo uti rebus hujus mundi, ita quod ad æternam beatitudinem perveniat, dummodo in eis finem non constituat; sed expeditius pervenitur ad ipsam beatitudinem, ista temporalia abdicando; & ideo de hoc dantur consilia Evangelii. Bona autem hujus mundi, quæ pertinent ad usum humanæ vitæ, in tribus consistunt, scilicet in divitiis rerum exteriorum, quæ pertinent ad concupiscentiam oculorum, & deliciis carnis, quæ pertinent ad concupiscentiam carnis, & honoribus, qui pertinent ad superbiam vitæ, ut patet 1. Joann. 2. Hæc igitur tria relinquere pertinet ad consilia evangelica, relinquere dico, secundum quod possibile est: in quibus tribus fundatur omnis religio, quæ statum perfectionis perficit. Nam divitiæ abdicantur per paupertatem, deliciæ carnis per perpetuam castitatem, superbiæ per obedientiæ servitutem: hæc autem simpliciter observata pertinent ad consilia simpliciter proposita. Sed observatio uniuscujusque eorum in aliqua casu pertinet ad consilium, secundum quid scilicet in casu illo, puta quum homo dat aliquam eleemosynam pauperi, quando dare non tenetur, sequitur consilium quantum ad factum illud. Similiter quando in aliquo tempore determinato a delectationibus carnis abstineat, ut orationibus vacet, consilium sequitur pro tempore illo. Similiter quando aliquis non sequitur voluntatem suam in aliquo facto, quo licite facere posset, sequitur consilium in casu illo, puta si bene faciat inimicis, quando non tenetur, vel si offensam remittat cujus juste posset exigere vindictam; consilium sequitur in casu illo. Et sic omnia consilia particularia ad illa tria generalia & perfecta reducuntur.

Tria bona hujus mũdi in consiliis quatenus spectãtur.

Consilia nõ sunt præcepta.

Et nota quamvis prædicta consilia de se sint omnibus expedientia; tamen ex indispositione aliquorum contingit, quod alicui expedientia non sunt, quia eorum affectus non inclinatur ad hoc. Et ideo Christus quum ista consilia proponit, semper facit mentionem de idoneitate hominum ad observantiam consiliorum. Dans enim consilium perpetuæ paupertatis præmittit: *Si vis perfectus esse.* Matt. 19. Et subdit: *Vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Similiter dans consilium perpetuæ castitatis, quum dixisset: *Sunt eunuchi, qui castraverunt seipsos propter regnum cælorum*, statim subdit: *Qui potest capere capiat*, ibidem. Similiter Apostolus dato consilio virginitatis, subdit: *Hujusmodi ad utilitatem vestram dico; non ut laqueum vobis injiciam.* Consilium autem obedientiæ particulariter dedit Christus, quum dixit: *Vade, & vende omnia, & sequere me.* Vel etiam quum ait. Matth. 16. Mar. 8. & Luc. 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; quæ sequela intelligitur non solum imitando opera sua; sed etiam obediendo mandatis secundum illud: *Oves meæ vocem meam audiunt..., & sequuntur me*, Joan. 10. Quæ autem dicuntur a Christo de dilectione inimicorum, & similibus, quæ habentur Matth. 5. & Luc. 6. quantum ad præparationem animi sunt in præcepto; ut scilicet sit homo paratus benefacere etiam inimicis, quum subest aliqua necessitas. Sed quod aliquis in promtu hæc exhibeat inimicis, ubi necessitas specialis non occurrit, est in consilio. Et de consilio virginitatis seu castitatis dicit Ambrosius: *Integritas corporis expetenda a vobis est, quam ego pro consilio suadeo, non pro imperio præcipio. Sola enim virginitas est, quæ suaderi potest, imperari non potest. Res est magis voti*, idest voluntatis liberæ, *quam præcepti*: habentur hæc 32. quæst. 1. *Integritas.* De consilio obedientiæ ait Stephanus Papa cuidam uxoricidæ: *Placeat tibi consilium meum, & hoc fac, quod tibi melius & utilius videri potest... Relinque hoc sæculum malum... ingredere monasterium, humiliare sub manu abbatis..... cuncta facito simplici animo, quæ tibi fuerint imperata*, 23. quæst. 2. *Admonere.* De paupertate dicit Urbanus Papa: *Quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, & vovit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat; sed hoc, quod Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat*, 12. quæst. 1. *Scimus.* Et nota quod ista, quæ de se ponuntur sub consilio, postquam promissa fuerint per votum, cadunt in præceptum, ut patet in religiosis, quoad paupertatem, castitatem, & obedientiam.

¶ In præparatione animi quatenus sint præcepta.

TITULUS DECIMUSSEXTUS
DE QUINTA LEGE, QUÆ DICITUR CONSUETUDO.

CAPUT UNICUM.

De consuetudinis quidditate, actione, & differentia.

PRO quinta lege ponitur consuetudo, seu mos. Dicit enim Augustinus ad Casulanum, quod *mos populi Dei & instituta majorum pro lege tenenda sunt*; & *sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemtores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt*, Dist. 11. *In his*. Et dicit Gratianus, Dist. 6. can. ult. §. fin. quod *jus consuetudinis post naturalem legem exordium habuit, ex quo homines convenientes in unum simul cœperunt habitare, quod ex eo tempore factum esse creditur, ex quo Cain civitatem ædificasse legitur; quod quum per diluvium propter hominum raritatem videatur exstinctum, postmodum tempore Nembroth fuit reparatum seu immutatum*. Hæc ibi. Fuit ergo ante commune jus humanum; & aliquando etiam tollit ipsum seu præjudicat, ut dicetur.

Jus cõsuetudinis quando exordium habuit.

Reparatum sive potius immutatũ existimant.

Mos, & cõsuetudo quid sit.

§. I. Diffinitur autem sic ab Isidoro 5. Etym. *Mos est lorga consuetudo de moribus tantummodo tracta. Consuetudo autem est quoddam jus moribus institutum, quod pro lege suscipitur, quum deficit lex*, Dist. 1. *Mos*, & can. seq. ubi glossa objicit contra descriptionem primam tamquam non bonum. Primo, quia idem ponitur in descripto & descriptione ejus. Mos est enim, qui describitur, & in descriptione ejus dicitur: *De moribus tantummodo tracta*. Secundo objicit, quia quum consuetudo videatur esse species moris, & mos genus inconveniens est, quod species ponatur in diffinitione generis sui; sicut si diffiniendo animal diceretur, quod est homo, esset inconveniens. Sed ad primum respondetur, quod *mos* sumitur tripliciter. Uno modo prout est genus ad omnem legem humanam scriptam & non scriptam. Et sic sumit Gratianus in principio Decretorum, quum ait: *Genus humanum duobus regitur, naturali scilicet jure & moribus*, scilicet jure positivo scripto, vel non scripto. Secundo modo dicitur *mos* actus frequentatus, & præcipue morigeratus, seu secundum rationem. Et sic sumitur in diffinitione moris & consuetudinis. Tertio modo sumitur pro jure humano, non scripto. Et sic sumitur, quum hic dicitur, quod *mos est longa consuetudo*. Et sic etiam *consuetudo* aliquando sumitur pro jure positivo scripto vel non scripto; & sic sumitur, quum dicitur: *Mos est longa consuetudo*. Aliquando sumitur pro jure positivo non scripto; & sic sumitur, quum diffinitur: *Consuetudo est quoddam jus*, &c. Archidiaconus in Rosario super verbo *mos* dicit, quod mos & consuetudo quandoque sunt nomina juris, & secundum hoc hic diffiniuntur, ut dictum est, & aliquando sunt synonima. Aliquando vero sunt nomina qualitatis. Et secundum hoc idem videtur esse mos & consuetudo, scilicet qualitas seu habitus mentis, ex quo homo disponitur ad hoc vel illud faciendum. Et si ad malum, vitium est: & quamvis large dicatur talis habitus mos vel consuetudo; tamen proprie loquendo non simpliciter dici deberet; sed cum additione, scilicet malus mos, seu mala consuetudo. Si vero talis habitus ad bonum inclinat, dicitur virtus vel bona qualitas mentis; & non solum dicitur cum additione bonus mos, & bona consuetudo, sed simpliciter mos & consuetudo. Et idem sunt mos & consuetudo, scilicet qualitas veniens ex actibus iteratis similibus; & sic sumitur in diffinitione, quum dicitur *moribus*, scilicet pro actibus iteratis pluries & bonis. Item super verbo *consuetudo*, ubi dicitur, quod *est jus quoddam*, objicitur, quia consuetudo est facti, ut dicitur extra *De constit.* cap. *Licet*, lib. 6. quia consuetudo contrahitur saltem tacite, quoniam est pactum tacitum; sed paciscí & contrahere est quid facti, ff. *De pac.* l. 1. ergo non est jus quoddam. Respondet Archidiaconus, quod considerando actus, ex quibus elicitur consuetudo; sic ipsa consuetudo est factum. Sed ex quo est elicita, sic est jus; & sic est in diffinitione: *Moribus institutum*, id-est actibus assiduis, *quod pro lege suscipitur*, scilicet pro lege scripta accipitur, quod non est scriptum ut lex; sed consuetum, *quum deficit lex*, scilicet scripta; puta quum negotium tale emergit, cujus declaratio non reperitur in lege scripta; & tunc recurrendum est ad consuetudinem. Et utroque deficiente vel succedit ratio naturalis, vel de similibus ad similia processus fit; sicut dicitur Dist. 20. *De libellis*, l. *Con.* ff. *De cin.*

Consuetudinis effectus.

§. II. De virtute & effectu consuetudinis, quæ est multiplex; propter quod dicitur C. lib. 8. tit. *Quæ sit longa consuetudo*, l. 2. & allegatur etiam in Decret. Dist. 11. *Consuetudinis*. *Consuetudinis usuſque longævi, non vilis auctoritas est*. Et ponit Archidiaconus primum esse, quod est juris inductiva, & suppletiva, *quum deficit lex*, ut Dist. 1. *Consuetudo*, & extra *De sepul.* cap. *Certificari*. Secundo est similium attractiva, ut in eis idem inducat, ut extra *De consuet.* cap. *Quum olim*, & Dist. 11. *Quis nesciat*, & ff. *De legib.* l. *De quibus*. Tertio est juris dubii interpretativa, extra *De consuet.* cap. *Quum dilectus*, ff. *De leg.* l. *Si de interpretatione*. Quarto est juris mutativa, Instit. *De jure natur.* §. *Ex non scripto*, extra *De consuet.* cap. ult. Quinto est juris derogativa, in hoc enim differunt, ff. *De verbor. signif.* l. *Derogatur*. Nam abrogatur jus, quando ex toto tollitur; derogatur, quando pro parte tollitur. Unde consuetudo aliquando abrogat, quando scilicet est universalis; aliquando derogat, quando pro parte tollitur, scilicet quando est particularis. Sexto consuetudo est legis firmativa, ut Dist. 4. §. *Leges*, & extra *De præscript.* cap. *Veniens*. Septimo consuetudo est gratiæ dilativa, extra *De consuet.* cap. *Non est*, lib. 6. Rationem horum, scilicet quare consuetudo possit legem mutare, vel facere, & hujusmodi, assignat B. Thomas 1. 2. quæst. 97. art. 3. dicit enim, quod omnis lex proficiscitur a ratione, & legis-

Cur cõſuetudo poſſit leges humanas mutare vel inducere &c.

legislatoris voluntate. Et lex quidem divina & naturalis a rationabili Dei voluntate ; lex autem humana a voluntate hominis , ratione regulata. Sicut autem voluntas hominis & ratio manifeſtantur verbo in rebus agendis ; ita & facto. Hoc enim unuſquiſque eligere videtur, ut bonum, quod opere implet. Manifeſtum eſt autem, quod lex humana poteſt inſtitui , & mutari verbo, & exponi, in quantum indicat interiorem motum, & conceptum rationis humanæ ; unde & per actus maxime multiplicatos, qui conſuetudinem efficiunt, lex poteſt & mutari, & exponi, & aliquid inde cauſſari, quod habeat vim legis ; in quantum per actus hominum multiplicatos interior voluntatis motus , & rationis conceptus efficaciſſime declaratur. Quum enim aliquid multoties fit, ſic videtur ex deliberato rationis judicio provenire; & ſecundum hoc conſuetudo habet vim legis, & abolet aliquando legem, & interpretatur legem. Et quia lex divina & naturalis procedit a voluntate divina, ut dictum eſt, ſupra quam non ſe extendit poteſtas humana ; ideo ſicut lex humana non poteſt tollere legem divinam vel naturalem ; ita etiam nulla conſuetudo poteſt tollere legem Dei, vel naturalem : unde Iſidorus in ſynonimis: *Pravum uſum lex*, ſcilicet divina, & *ratio*, ſcilicet naturalis, *vincat*, Diſt. 11. *Uſus*.

Non tollit naturalẽ, vel divinã.

Sed quod conſuetudo non poſſit tollere legem humanam, arguitur ſic : Ex multis malis non poteſt fieri unum bonum: ſed ille, qui primo incipit contra legem facere, male facit ; ergo multiplicatis ſimilibus actibus non efficietur aliquod bonum. Lex autem eſt quoddam bonum , quia eſt regulativa humanorum actuum ; ergo per conſuetudinem aboleri non poteſt lex , ut conſuetudo habeat vim legis. Ad quod reſpondet Thomas ubi ſupra , quod leges humanæ in aliquibus caſibus deficiunt ; unde poſſibile eſt , aliquando contra legem agere in caſu, in quo deficit lex ; & tamen actus non erit malus: & quum tales caſus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum , tunc manifeſtatur per conſuetudinem , quod lex ulterius utilis non eſt, ſicut etiam manifeſtaretur , ſi lex contraria verbo promulgaretur : ſi autem adhuc remaneat eadem ratio, quare lex prima utilis erat ; tunc non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit , niſi forte propter hoc ſolum lex inutilis videatur , quia non eſt poſſibilis ſecundum conſuetudinem patriæ; quæ eſt una de conditionibus legis. Difficile eſt enim conſuetudinem multitudinis removere.

Secundo arguitur ſic, quod ſcilicet conſuetudo non poſſit facere legem, ſeu habere vim legis. Facere ſeu condere legem pertinet ad perſonas publicas, quæ habent regere civitatem ſeu communitatem ; unde privatæ perſonæ legem facere non poſſunt : ſed conſuetudo invaleſcit per actus privatarum perſonarum ; ergo conſuetudo non habet vim legis , nec poteſt tollere legem. Ad quod reſpondet Thomas ubi ſupra : Multitudo , in qua conſuetudo aliqua introducitur, poteſt eſſe duplicis conditionis. Si enim ſit libera multitudo , quæ poſſit ſibi legem imponere, plus eſt conſenſus totius multitudinis ad aliquid obſervandum , quod conſuetudo manifeſtat, quam auctoritas principis, qui non habet poteſtatem condendi legem, niſi in quantum gerit perſonam multitudinis. Unde licet ſingulæ perſonæ non poſſint condere legem ; tamen totus populus legem condere poteſt. Si vero multitudo non ſit libera, nec habeat poteſtatem condendi legem ; nec etiam habet poteſtatem removendi legem a ſuperiori poſitam, & tunc ipſa conſuetudo in tali multitudine prævalens non obtinet vim legis, niſi in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet legem imponere multitudini. Ex hoc ipſo enim, quod tolerant , quod fit contra legem ſuam , videntur approbare, quod conſuetudo induxit. Hæc Thomas, quæ refert Archidiaconus in Roſario, Diſt. 11.

Quomodo legem inducat.

Dicit autem Joannes in Gloſſa ſuper *ſ. Leges*, Diſt. 4. quod conſuetudo non poteſt abrogare , ideſt tollere legem, niſi per expreſſum conſenſum Papæ, ut extra *De præbend.* cap. *Quum jam dudum*, licet quidam dixerint , quod ſufficit ſola ſcientia Papæ. Et ſequitur illa Gloſſa, quæ eſt Bartol. Brixienſis : Ego credo, quod conſuetudo rationabilis & præſcripta tollat legem , ut extra *De conſuetud.* cap. ult. etiam ſine ſcientia principis. Difficile enim eſſet eum ſcire omnes conſuetudines, quæ ſervantur. Addit Archidiaconus in Roſario : Alii dicunt contra , ſcilicet quod non ſufficit ſcientia principis ad hoc, quod conſuetudo tollat legem, Diſt. 12. *Conſuetudo*. In Papa certum eſt, quod requiritur ejus aſſenſus expreſſus, & eſt neceſſarius, quum non ex tranſlatione populi , ſed dominica juſſione , & conciliorum auctoritate ſuam habebat juriſdictionem, Diſt. 11. *Conſequens* : ſed pro opinione Gloſſæ ſcilicet quod ſufficit ſola ſcientia & tollerantia, facit ff. *De leg.* l. *De quibus*, quum idem operetur tacitus conſenſus, quod expreſſus, immo plus quandoque, ut notari conſuevit , Diſt. 51. can. *Si ſervus* ; ſi autem ſubditi nolent acceptare rationabilem conſtitutionem , allegantes conſuetudinem in contrarium, conſtituens poteſt eos compellere, ut factum fuit 23. quæſt. 5. alias poteſtas ejus eſſet deluſoria. Juſſa enim Romanæ Eccleſiæ ſervare tenemur, & qui non ſervat, peccat , Diſt. 64. can. *Quia:* & quum dicitur lex tolli per diſſuetudinem , intelligendum eſt per contrarium actum ſeu uſum ad id, quod mandat lex.

Conſuetudo legem tollat.

Non requiritur acceptatio conſtitutionis Papæ.

§. III. Quomodo conſuetudo parificatur legi in multis, quæ ponit Archidiaconus, Diſt. 11. *In his* ſuper eo, quod dixit Auguſtinus, quod *mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege habenda ſunt*. Et primo quidem parificatur in novo jure conſtituendo. Sicut enim lex de novo inſtitui poteſt, quæ prius non erat facta ; ita & conſuetudo, ubi non eſt ſtatutum jus, legem obligantem introducit, ff. *De leg.* l. *Diuturna*. Secundo interpretatione : ſicut enim una lex aliam interpretatur, ff. *De leg.* l. *Si de interpretatione* ; ita & conſuetudo interpretatur legem, extra *De conſuetud.* cap. *Quum dilectus*. Tertio ſicut in jure ſcripto proceditur de ſimilibus ad ſimilia ; ita & in jure conſuetudinario, C. *Quæ ſit long. conſuet.* l. 3. Quarto ſicut lex facit aliquem judicem ordinarium, ita & conſuetudo, extra *De for. compet.* cap. *Quum contingat*, & *De offic. Archid.* cap. *Dilecto*. Quinto ſicut lex informat judicem & juriſdictionem ; ita & conſuetudo, ff. *De offic. proconſ. & legat.* l. *Solent*, *ſ.* 1. Sexto ſicut lex dat certis perſonis poteſtatem eligendi ; ita & conſuetudo, extra *De poſt. prælat.* cap. *Bonæ memoriæ*. Et *De elect.* cap. *Venerabilem*, & cap. *Cumana*. Item ſicut in electionibus jus civile & canonicum attenditur, & ita conſuetudo ; immo plus facit conſuetudo , quia ſcilicet tollit jus eligendi ei, cui competit de jure, extra *De his, quæ fiunt a prælat. ſine conſenſ.* cap. *Ea noſcitur*. Septimo ſicut forma juris attenditur in pœnis emolliendis & exaſperandis ; ita forma conſuetudinis, extra *De ſymb.* cap. *Per tuas*. Octavo ſicut de jure conceditur ædificare in loco publico ; ita & de conſuetudine, ff. *Quod vi aut clam.* l. 3. *ſ.* 6. *Plane*. Item nono, ſicut datur immunitas alicujus officii vel collationis a lege ; ita & a conſuetudine, ff. *De jure immunit.* l. *Semper* , *§. Legem*. Decimo ſicut lex derogat conſuetu-

In quibus conſuetudo æquiparatur legi.

ſuetudini; ita & conſuetudo aliquando legi, ff. *De ſepult. viol.* l. 3. §. *Divus*, extra *De cenſib.* cap. *Quamquam*, lib. 6. & Diſt. 4. §. *Leges*, quod intelligo ſcilicet, quod lex tollat conſuetudinem, quando princeps per ſuum ſtatutum vel reſcriptum intendit tollere conſuetudinem; & ſic debet intelligi prædictus paragraphus *Divus*; alias contra, extra *De conſtit.* cap. *Licet*, lib. 6. & hanc ſententiam viſus eſt tenere Innocentius; & hoc teneas, quidquid alias invenias notatum. Undecimo ſicut lex dat formam teſtandi; ita & conſuetudo, C. *De teſtament.* l. *Si non ſpeciali*. Duodecimo ſicut antiqui canones determinabant juriſdictionem Archiepiſcopi in ſuffraganeos & ſubditos eorum; ita & conſuetudo, extra *De offic. judic. ordin.* cap. *Duo*. Tertiodecimo, ſicut ſententia principis intendentis facere legem facit jus, extra *De ſentent. & re judic.* cap. *In cauſſis*; ita & ſententia lata ſuper conſuetudine, dummodo plures ſint, facit jus, & remittit circa hoc ad notata per eum in can. *Fruſtra*, Diſt. 8. Ibi autem dicit ſic clarius: Conſuetudo invalida convaleſcit, ſi obtinet in judicio contradictorio. Si enim fuit deductum in quæſtionem, an eſſet conſuetudo ſuper aliquo, & judex pronuntiavit conſuetudinem eſſe, & non fuit appellatum ab illa ſententia, & judex non illam pronuntiavit per errorem vel corruptionem, confirmata eſt talis conſuetudo, & in contradictorio judicio de cetero ſervabitur, nec recipietur libellus contra. Et eſt unus caſus ſpecialis, in quo res inter alios acta præjudicat aliis; & ſic nullus alius de civitate illa habebit probare conſuetudinem illam eſſe, ſed ſufficit probare, quod eſt obtenta in contradictione. Quartodecimo, ſicut lex eſt attendenda & inſpicienda in teſtibus evocandis; ita & conſuetudo, ff. *De teſtib.* l. 3. Quintodecimo, ſicut lex adjuvat conſuetudinem; ita & conſuetudo legem, extra *De ſenſib.* cap. *Sopitæ*.

De triplici conſuetudine.

§. IV. De triplici genere conſuetudinis ſumendo large hoc vocabulum *conſuetudo*, dicit Auguſtinus 2. Confeſſ. *Quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate ſunt vitanda, ut pactum inter ſe gentis, aut civitatis conſuetudine vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis eſt enim omnis pars univerſo ſuo non congruens. Quum autem Deus jubet aliquid contra morem vel pactum quorumlibet, etſi ibi numquam factum eſt, tamen faciendum eſt*, Diſt. 8. Unde etiam per pſal. 67. dicitur de eo: *Qui habitare facit unius moris in domo*. Domus Dei eſt ſuperna gloria, ſecundum illud 2. Corinth. 5. *Habemus in cælis domum non manufactam*, & in hac domo qui inhabitant, ſcilicet ſancti, ſunt *unius moris*. Et hic mos non eſt aliud, niſi *gratiarum actio & mos laudis*, ut dicitur Iſaiæ 3. & Tob. 13. *Hieruſalem per omnes vicos ejus cantabitur alleluja*. Sed ad illam domum non itur niſi *de domo Dei*, quæ eſt Eccleſia militans, in qua Deus *inhabitare facit* electos ſuos per gratiam, ita ut ſint *unius moris* quantum ad cultum interiorem, quo una fide, ſpe, & caritate honoratur Deus: quantum etiam ad converſationem exteriorem ſunt *unius moris*, quantum ad neceſſaria ad ſalutem, & ſub eiſdem etiam ritibus & cæremoniis Eccleſiæ: & ſi aliqui fideles nomine ſunt diverſorum & malorum morum, hi non habitant in Eccleſia merito, nec proprie dicitur malus mos, vel conſuetudo. Eſt igitur triplex conſuetudo.

Eſt conſuetudo de ſe mala, & ideo effuganda.
Eſt conſuetudo de ſe bona, & ideo imitanda.
Eſt conſuetudo dubia, & ideo bene examinanda.

Conſuetudo de ſe mala eſt omnis, quæ eſt contra legem divinam, vel naturalem, & actus ex illa procedens ſemper eſt peccatum, nec minuit peccatum, ut aliquibus videtur, nec excuſat, ſed auget, ut dicitur 24. quæſt. 1. *Schiſma*, & extra *De conſuetud.* cap. ult. dicitur: *Tanto ſunt graviora peccata, quanto animam infelicem diutius detinent alligatam*: & ratio hujus eſt, quia quum magis effrænata voluntate & firmiori habitu malitiæ tales peccant, & quia ſecundum Philoſophum conſuetudo eſt quaſi altera natura; ideo cum difficultate magna quis recedit a peccatis conſuetis: & in hujus figuram Lazarus quatriduanus ſepultus deſignans peccantem ex conſuetudine ſecundum Auguſtinum, *De pœnit.* Diſt. 2. *Sicut tribus*, multis præmiſſis fuit reſuſcitatus, ſcilicet lacrymis & precibus & hujuſmodi. Non obſtat quod Gregorius loquens de crapula, quam conſueverunt facere laici in carniſprivio, quæ utique peccatum eſt, dicit: *Nec a tali conſuetudine averti poſſunt; & ideo cum venia ſuo ingenio relinquendi ſunt, ne forte pejores exſiſtant, ſi a tali conſuetudine prohibeantur*, Diſt. 4. *Denique*. Dicit enim ibi Gloſſa, quod relinquuntur *cum venia*, ſcilicet pœnæ temporalis, ita quod non vult dicere Gregorius, quod conſuetudo excuſet illos a peccato, ſed quod non debet tolli talis conſuetudo per pœnas temporales, quando timetur majus inde ſcandalum provenire. Verum eſt tamen, quod aliquando quis peccat ex ignorantia vel fragilitate, faciens id, quod conſueverunt alii facere circa aliquid; & tunc non excuſatur a mortali: ſed iſtud, quod agit ſecundum conſuetudinem aliorum, eſt contra legem Dei, vel naturalem; ſed minuitur gravitas ejus; puta ſi quis facit aliquem contractum uſurarium credens eſſe licitum, quia illud communiter fit contra morem ſuæ patriæ, certum eſt quod conſuetudo illius loci non excuſat eum a mortali, quia contra legem Dei, quam ſicut lex humana tollere non poteſt, ita nec conſuetudo, quæ potius dicenda eſt corruptela, ſeu abuſio. Talibus abuſionibus & corruptelis plenus eſt mundus, contra quos dicit Dominus Exodi 23. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum*, & Apoſtolus 1. Corinth. 11. *Si quis videtur inter vos contentioſus eſſe*, ſcilicet contra veritatem, *nos conſuetudinem talem non habemus; ſed neque Eccleſia Dei*, ſcilicet contendendi: & Eccleſiaſtici 23. *Jurationi non aſſueſcat os tuum*: & de hac mala conſuetudine dicit Cyprianus: *Conſuetudo, quæ apud quoſdam obrepſerat, impedire non debet, quo minus prævaleat & vincat veritas. Nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt, propter quod relicto errore, ſequamur veritatem, ſcientes quia & apud Eſdram*, ſcilicet 3. Eſdr. 4. *Veritas vicit, ut ſcriptum eſt*, veritas valet & invaleſcit, & vivit in æternum, & obtinet in ſæcula ſæculorum, Diſt. 8. can. *Conſuetudo*, & in can. ſequenti dicitur: *Neque hominis conſuetudinem*, ſcilicet malam, *ſequi oportet, ſed Dei veritatem, quum per Iſaiam Prophetam loquatur Deus*, Iſai. 29. *& dicat*: Sine cauſſa, ſcilicet *utilitate*, colunt me, doctrinas & mandata hominum docentes, ideſt *conſuetudines malas, & ſtatuta injuſta*, Matth. 15. & Marc. 7. Ad idem etiam Auguſtinus in lib. de bapt. parvul. ait: *Qui contemta veritate præſumit conſuetudinem ſequi, aut circa fratres invidus eſt & malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus, cujus inſpiratione Eccleſia ejus inſtruitur; nam Dominus in Evangelio:* Ego ſum, *inquit*, veritas. *Non dicit: Ego ſum conſuetudo. Itaque veritate manifeſtata cedat conſuetudo veritati. Revelatione igitur facta veritatis, veritati cedat conſuetudo; quia & Petrus, qui prius circumcidebat, ceſſit Paulo veritatem prædicanti. Igitur quum*

De conſuetudine mala legi divinæ vel naturali contraria.

Non ſemper tollendæ tales conſuetudines per pœnas temporales.

Notabile.

quum Chriſtus ſit veritas, magis veritatem, quam conſuetudinem ſequi debemus, quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit, Diſt. 8. *Qui contemta*. Ratio poteſt referri ad legem naturalem, & veritas ad legem divinam, ſcilicet veteris & novi teſtamenti: & non ſolum conſuetudo, quæ eſt contra legem naturalem & divinam, eſt vitanda; ſed etiam quæ contra legem humanam reprobatur a jure, & generaliter de talibus abuſionibus dicit Nicolaus Papa: *Mala conſuetudo non minus quam perniciosa corruptela vitanda eſt, quæ niſi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab impiis aſſumitur, & incipiunt prævaricationes & variæ præſumtiones celerime non compreſſæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari*, Diſt. 8. *Mala*.

De conſuetudine bona, & quatenus obſervanda etiam ſub culpa.

Secundum genus conſuetudinis eſt, quæ non eſt contra aliquam legem divinam vel humanam, & habet in ſe aliquam rationem boni. Et hæc ſi generalis, generaliter & ab omnibus ſervari debet. Si particularis, ſcilicet in aliquo loco, in illo ſervari debet; unde & mater Domini voluit ſervare laudabilem conſuetudinem Judæorum, quæ erat, quod in feſtis eorum irent ad templum in Hieruſalem etiam mulieres. Lex quidem hoc mandabat maſculis, dicens Exodi 23. & 34. *Ter in anno apparebit omne maſculinum in conſpectu meo*. Sed tamen etiam mulieres ibant, non ex lege, ſed de more. Unde dicitur Lucæ 2. *Quum factus eſſet Jeſus annorum duodecim, aſcendentibus parentibus ejus in Hieruſalem ſecundum conſuetudinem diei feſti* &c. Et peccatum eſſet agere contra hujuſmodi conſuetudines ſicut contra leges ſcriptas; unde dicit Auguſtinus in lib. de baptiſmo: *Hoc plane verum eſt, quia ratio & veritas ſemper conſuetudini præponenda eſt; ſed ſi conſuetudini ratio ſuffragatur, nihil oportet firmius retineri*, Diſt. 8. *Fruſtra*. Hæc etiam documenta dicit Auguſtinus accepiſſe ab Ambroſio. Nam quum adveniſſet ipſe Auguſtinus cum matre ſua Mediolanum, & mater ſua jejunaret in ſabbato, ſicut ſolita erat alibi, ſcilicet Romæ, jejunare in tali die; Mediolani autem non jejunaretur in die ſabbati, interrogavit Auguſtinus Ambroſium ex parte matris, quid agere deberet, ſcilicet an jejunare in ſabbato ſicut ſolita erat alibi, an dimittere jejunium illud Mediolani, ut ſe aliis conformaret. Cui reſpondit Ambroſius: *Quum fuero Romæ, jejuno ſabbato; cum Mediolani ſum, non jejuno. Ita & tu ad quam Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis ſcandalum eſſe, nec quemquam tibi*, Diſt. 12. *Illa*, & in eodem canone dicitur, *quod neque contra fidem catholicam, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum*, & Diſt. 11. dicitur: *Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam ſcipturis, quaſdam Apoſtolica traditione per ſucceſſiones in miniſterio confirmatas accepimus; quaſdam vero conſuetudine roboratas approbavit uſus, quibus par ritus, & idem utriuſque pietatis debetur affectus*: & infra: *Quæ enim ſcriptura ſalutiferæ crucis ſignaculo fideles docuit inſigniri, vel quæ trifariam digeſta ſuper panem & calicem prolixæ orationis vel conſecrationis verba commendavit?.... Quæ verſus Orientem nos orare litterarum forma docuit? benedicimus fontem baptiſmatis unctionis oleo* &c. & ſicut agere contra conſuetudinem generalem Eccleſiæ eſt peccatum ubique, unde & dicit Guillelmus, quod dicendo miſſam ante matutinas, eſt peccatum mortale, quia hoc eſt contra conſuetudinem generalem Eccleſiæ: nam alias per legem ſcriptam non invenitur; ita etiam facere contra conſuetudinem particularem alicujus Eccleſiæ eſt peccatum morantibus in illo loco; unde qui conficeret in azymis in Eccleſia græca, peccaret mortaliter faciendo contra conſuetudinem Eccleſiæ Orientalis: & ſimiliter qui in Eccleſia latina conficeret in fermentato, graviter peccaret; quamvis uterque conficeret, ſecundum Thomam in 4. ideo autem peccaret, quia faceret contra conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ. Sic in Italia in ſabbato abſtinetur ab eſu carnium, & qui tali die ſine cauſſa rationabili, puta infirmitatis, comederet carnes, peccaret mortaliter, quia faceret contra conſuetudinem talis patriæ. Extra Italiam in multis partibus, ut in Catalonia, non eſt talis conſuetudo abſtinendi illa die a carnibus, unde comedentes ibi carnes non peccant. Vigilia Bartholomæi Apoſtoli in aliquibus partibus ſervatur in una die, in aliis locis die ſequenti, unde ſecundum conſuetudinem locorum debet illa vigilia quoad jejunium ſervari, extra *De obſerv. jejun. conſilia*. In jejuniis Eccleſiæ, quæ ſunt extra quadrageſimam quoad eſum lacticiniorum, ſecundum Thomam 2. 2. ſervari poteſt conſuetudo locorum. Et ubi eſt de conſuetudine abſtinere ab eis, eſſet peccatum mortale uti eis ſciendo hoc; ſecus ubi eſt de more comedere talia. Jejunia etiam, quæ ſunt de generali conſuetudine Eccleſiæ, obligant, ſicut ea, quæ ſunt in præcepto ſeu ſtatuto Eccleſiæ,

De jejuniis cõſuetudinariis nota quomodo obligant.

1 Hæc ſcripta fuerunt, quum canones & conſuetudo hac in re magis vigebat, quam noſtris temporibus viget. Ceterum vel nunc ejuſmodi diſciplinam, ipſius Romani Miſſalis rubricis præſcriptam, obligare, quadraginta quinque Auctoribus confirmat Clericatus de ſacrificio miſſæ deciſ. 50. hoſque præferendos aliis oppoſitum tradentibus contendit, *maxime quia plures ex modernis, qui excuſant a mortali celebrantem non recitato matutinali officio, affirmant contrariam opinionem eſſe communem & probabiliorem: immo ſententiam Soti de juſt. & jure lib. 10. quæſt. 5. art. 4. concl. 2. qui primus receſſit a communi, non eſſe omnino tutam, & ulterius non eſſe abſolutè intelligendam de omnibus celebrantibus non ſoluto penſo Matutini ex conſuetudine & malo habitu, ut in præſenti ſupponimus, ſed aliqua juſta cauſſa ſubſiſtente*, ſine qua in ea omiſſione *ex conſuetudine & malo habitu* involvi ait interpretativum rubricarum Miſſalis contemtum, qui ſolus, ubi interſit, etiam in materia levi mortalem culpam inducit. Hæc poſtrema reſtrictio, quæ ad grave peccatum, ſaltem ex præſumto contemtu revocat eum tantummodo caſum, quo quis *ex conſuetudine & malo habitu* miſſam celebrat ante matutinum & laudes, illos peccati gravis non damnat, qui ſolum aliquando, non autem *ex conſuetudine*; vel ex aliqua cauſſa, non autem *ex malo habitu* id agunt: ita ut in primo caſu ſolum leve peccatum contrahatur, ſi nulla ſit juſta cauſſa; in altero autem juſtæ cauſſæ nullum; & de his ſolis caſibus locuti ſumus not. 5. in cap. 4. tit. 13. partis 3. pag. 681. Hæc vero ne cui duriora fortaſſis videantur, libet afferre peregregium atque plane conſentiens Benedicti XIV. teſtimonium ex part. 4. de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. num. 101. pag. 555. ubi variis opinionibus hac in controverſia recitatis, hæc ſubjicit: *Parlando ſi della meſſa conventuale ſembra coſa certa, che ſe ſi cantaſſe prima del Mattutino e delle Laudi, il peccato ſarebbe mortale, eſſendo l'atto contrario alla comune conſuetudine della Chieſa. Nelle meſſe baſſe, o ſiano private, ſe vi foſſe qualche legitima cauſſa, per eſempio ſe nella Chieſa veniſſe qualche Prencipe, o Prelato per ſentir la Meſſa, dovrebbe crederſi eſente anche da peccato veniale chi la diceſſe prima d'aver recitato il Mattutino e le Laudi. Non eſſendovi poi veruna cauſa, ſembra difficile l'eſcludere anche il peccato veniale, come ben oſſerva il P. Merati nella ſua Opera ſopra il Gavanto al tom. 1. part. 2. pag. 799. e ſeguenti: ed il prender poi queſto ſiſtema per iſtituto ſenza veruna cauſſa, ſi puo conchiudere con i quarantacinque Autori, ed in vigore delle ragioni portate dal Clericato, che vi ſarebbe peccato mortale.*

cleſiæ, ut vigilia nativitatis Joannis Baptiſtæ, omnium Sanctorum, & B. Laurentii, ſecundum Innocentium; ſic etiam ubi in aliqua civitate de conſuetudine antiqua eſt celebrare aliquod feſtum, quod tamen non ſit ab Eccleſia ſtatutum, debet ſervari, ut feſtum Antonii vel Nicolai vel alterius ſancti: & ad hoc optime facit, quod dicit Hieronymus ad Lucianum: *Illud breviter te admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſervandas, ut a majoribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubverti*, Diſt. 12. *Illud*, Ubi dicit gloſſa: *Traditiones*, ideſt conſuetudines: *præſertim*, ideſt tantum. Sic ponitur 11. quæſt. 3. *Si quis Epiſcopus*, vel *præſertim*, ideſt ita demum, quod non adverſentur conſuetudines fidei, vel bonis moribus, ut Diſt. ead. *illa*. *Nec aliorum contrario*. Dicit ibi Archidiaconus *contrario*, ideſt diverſo. Bonum ergo bono contrarium non eſt. Si ergo duæ conſuetudines ſunt contrariæ; ergo una mala eſt: ſed ſi ſunt diverſæ, non. Et conſuetudo unius locis alteri non præjudicat. Et dicebat Goffridus, quod eadem juriſdictio debet haberi in una Eccleſia, quæ in aliis habetur de jure communi, extra *De conſuet.* cap. *Quum olim*, niſi præſcripſerit aliqua Eccleſia, dicit gloſſa extra *De præſcrip.* cap. *Auditis*. Secus autem ſi agatur non de juriſdictione, ſed de parilitate vel conſilii actu, ut quia dicunt aliqui: quidam faciunt ſic; ergo & nos debemus hoc agere; ſed non ſequitur. Et ad hoc facit cap. *Illud*, & ad idem facit quod ait Nicolaus Papa: *Scit ſancta Romana Eccleſia, quod nihil obſunt ſaluti credentium diverſæ pro loco & tempore conſuetudines, ſi illis canonica non obſiſtit auctoritas, pro qua eis obviare debeamus. Unde nihil judicamus eis debere vel poſſe reſiſtere*, Diſt. 12. can. *Scit*. Item C. lib. 8. tit. *Quæ ſit long conſuet.* l. 1. dicitur: *Conſuetudo præcedens, & ratio, quæ conſuetudinem ſuaſit, tenenda eſt. Et quidquid contra longam conſuetudinem fiet, ad ſollicitudinem ſuam revocabit præſes provinciæ*, Diſt. 12. *Conſuetudo*. Et loquitur de conſuetudine, quæ non eſt contraria juri ſcripto, ſecundum gloſſam. Nam quum contraria eſt, dicetur infra quid juris. Conſuetudo, quæ erat in regione Meſopotamiæ, quam allegavit Laban Jacob, quum conqueſtus eſt de eo, quod ſuppoſuiſſet ſibi Lyam loco Rachelis, dicens: *Non eſt conſuetudinis in loco iſto, ut minores prius tradamus ad nuptias*, ut habetur Gen. 29. in ſe laudabilis fuit; ſed tamen Laban male fecit eam ſervando, ex eo videlicet, quia fregit fidem ſibi datam, ſeu promiſſionem factam de Rachele, quod eſt contra jus naturale, quod præjudicat omni conſuetudini. Sicut etiam modo, ſi quis juraret ſervare determinata ſtatuta, puta ducere tantam ſecum familiam, quum mittitur ad gubernandum civitatem vel caſtrum; & de more communi omnium eſt non ducere ſecum tantam, & quaſi omnes illud agunt, nec umquam defectus iſte deducitur ad judicium; utique talis peccaret mortaliter, quia juraret ducere tantam familiam, ita quod ſi conſuetudo alias forte excuſaret a peccato trangreſſionis ſtatuti, non tamen excuſabit a perjurio.

Quando una conſuetudo ſit alteri contraria.

Nota de juramentis quæ ex conſuetudine non implentur.

Sciendum etiam, quod quum dicitur Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem ſervandam, Diſt. 11. can. ult. circa finem, intelligitur illud non de omni conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, quoad urbem, ſed de conſuetudine, quam Eccleſia Romana mandat generaliter ſervandam, ut dicit gloſſa ſummaria in principio diſtinctionis ejuſdem. Quum autem de novo fundaretur aliqua Eccleſia, ſcilicet per converſionem alicujus gentis vel aliqua religio, ſervari poſſet illud Gregorii, quod ait Auguſtino epiſcopo Anglorum: *Non pro locis res*, ideſt mores, *ſed pro rebus*, ideſt moribus, *loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſcumque Eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige; & hæc quaſi in faſciculum collecta apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone*, Diſt. 12. *Novit*.

Tertium genus conſuetudinis eſt, quando dubia eſt, utrum ſcilicet ſit ſervanda. Et hæc præcipue habet locum, quando eſt contraria alicui juri humano ſcripto. Nam ſi eſſet contraria juri naturali vel divino, jam declaratum eſt ſupra, quod eſſet ſemper mala, & ideo reprobanda. Quum ergo eſt contraria juri humano, aliquando præjudicat, & tollit ipſum, & aliquando non. Unde C. lib. 8. tit. *Quæ ſit lon. conſ.* l. 2. dicitur: *Conſuetudinis uſuſque longævi, non vilis auctoritas eſt: Verum non uſque adeo ſui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem*, Diſt. 11. Ubi dicit gloſſa, quod aliqui intelligunt iſtud capitulum quoad primam partem de bona conſuetudine, quoad ſecundam de mala conſuetudine. Sed ille intellectus eſt ineptus, quia ſeparat caudam a capite, quod non licet, extra de baptiſmo cap. *Majores*. Alii fere omnes exponunt de bona conſuetudine totum cap. quæ quidem conſuetudo ſi ſit particularis, ſcilicet in aliquo loco, non tamen tollit, ſeu vincit legem ſibi contrariam univerſaliter, ſed ſolum in illo municipio, ubi ſervatur. Et quamvis hoc ſit verum; tamen nullus de hoc umquam dubitavit, quod conſuetudo particularis non debet vincere legem in omnibus aliis locis, refert Archidiaconus, Diſt. 11. ſuper dictum capitulum *Conſuetudinis*. Bernardus Compoſtellanus dicit, quod principium illius capituli ſeu legis loquitur de bona conſuetudine non * ſcripta, cui jus aliquod directe non obviat, immo eſt juri conſona; & hoc ſervari debet, etiam ſi non ſit præſcripta: ſecunda pars loquitur de conſuetudine juri contraria, & in tali requiritur præſcriptio ad hoc, ut juri poſitivo præjudicet, extra *De conſuetud.* capite ultimo. Alii dicunt, quod loquitur iſta lex de conſuetudine particulari, quæ nec etiam in loco illo particulari vincit legem, niſi ſint illæ conditiones, quæ ponuntur in gloſſa ſuper can. *Fruſtra*, Diſt. 8. In illa autem gloſſa, quæ eſt Joannis, dicitur: Scias, quod ad hoc, quod conſuetudo præjudicet juri, requiritur primo, quod ſit præſcripta, extra *De cauſſ. poſſ.* cap. *Quum Eccleſia*. Secundo quod obtineat in contradictorio judicio populi, extra *De verb. ſign.* cap. *Abbate*. Tertio quod eo animo fiat, ut credatur ſe jus habere, & ut in poſterum intendant illud facere; alioquin talis uſus non dicitur uſus, ff. *De itiner. actuque priv.* leg. 1. Quarto ut res illa ſit præſcriptibilis, Diſt. 93. *Illud*. Quinto ut poſſit dici antiquata & approbata, extra *De poſtul. prælat.* cap. *Bonæ*, 2. circa finem. Sexto debet continere naturalem æquitatem, extra *De conſuet.* cap. *Ex parte*. Septimo quod ſit de ſcientia principis introducta, non tantum tolerata, extra *De præbend.* cap. *Quum jamdudum*. Octavo, quod non ſit per errorem inducta, ff. *De legib.* l. *Quod non ratione*, & Diſt. 8. *Conſuetudo*. Nono quod major pars populi conſueverit illa conſuetudine uti; quia ſicut minor pars populi non poſſet condere legem, ita nec conſuetudinem. Quidam tamen dicunt, quod illa conſuetudo præjudicat juri, quæ excedit memoriam hominum. Illud enim loco coſtituti habetur, ff. *De aq. quot. & æſti.* l. *Hoc jure*. Joannes. Sed quidquid dicat Joannes, dicit Bartholomæus Brixienſis, hoc breviter teneas, quod ſecundum canonem ſufficit, quod concurrant iſta duo, ſcilicet quod ſit rationabilis & præſcripta: hoc enim

De tertio genere conſuetudinis dubiæ.

* al. *præſcripta*.

Ut conſuetudo præjudicet juri quæ requiruntur.

enim dicit Decr. extra *De conſuet.* cap. ultimo. Unde *licet conſuetudinis longævæ* etiam *non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt uſque adeo valitura, ut vel juri ſcripto valeat derogare, niſi fuerit rationabilis & legitime præſcripta.* Gloſſa ſuper illud, *legitime præſcipta*, ſpatio quadraginta annorum, extra *De cauſſ. poſſ. cum Eccleſia*, & *De præſcript.* cap. *Auditis*. Et de hoc poſſunt haberi multa jura. Ea enim ſola locum habent in rebus Eccleſiaſticis, ut 16. quæſt. 3. *Placuit*, *§. Quæſtiones*. Gloſſa ſuper illud, *niſi ſit rationabilis: Rationabilis* dicitur conſuetudo, quam non improbant jura, ut *De cauſſa poſſ.* cap. *Quum Eccleſia*, & eod. tit. cap. *Quum dilectus*, & *De verb. ſignific.* cap. *Abbate*, ut ſi quandoque aliqui admittantur ad electionem, ad quos non pertinet de jure communi, & de alio collegio, iſta conſuetudo non improbatur a jure, ut dicunt prædicta jura. Irrationabilis autem dicitur conſuetudo, quæ reprobatur a jure, qualis eſt illa, extra *De inſtit.* cap. *Ex frequentibus*, & *De conſuet.* cap. *Quum venerabilis*. Ibi reprobatur conſuetudo cujuſdam loci, quæ erat, quod abbas, qui immediate erat ſub Apoſtolica ſede, transferebatur ad aliam abbatiam ſine licentia obtenta a Papa; quod fieri non poteſt, & eod. tit. cap. 5. reprobatur conſuetudo, qua diſrumpitur nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cap. *Quum inter vos*. Et dicitur *nervus eccleſiaſticæ diſciplinæ*, vigor cenſuræ Eccleſiaſticæ, ideſt excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. Iſtis enim conſervatur robur auctoritatis eccleſiaſticæ. Quod ergo non ſervarentur, quæ ſtatuta ſunt circa hujuſmodi cenſuras ſervanda ratione conſuetudinis alicujus, non excuſaret conſuetudo. Item eodem tit. cap. *Quanto*, reprobatur conſuetudo, qua aliqui ſimplices ſacerdotes ad defectum epiſcoporum chriſmabant in fronte; tales enim nihil conferebant. Item nec contra obedientiam valet conſuetudo, vel præſcriptio, eodem tit. *Quum venerabilis*, & 18. quæſt. 2. *Abbatibus*. Item nec contra pr curationem, quæ ratione viſitationis debetur, infra *De præſcript. Quum ex officii*. Item reprobatur a jure conſuetudo, quæ eſt contra libertatem Eccleſiæ, extra *De election.* cap. *Quum terra*, & cap. *Sacroſancta*. Item extra *De conſuetudine* cap. *Ex parte*, reprobantur duæ conſuetudines in quibuſdam partibus exiſtentes, ſcilicet quod quum maritus ex prodigalitate vel incuria vel alio caſu amiſiſſet bona ſua, alienabat bona uxoris mobilia vel immobilia arbitrio ſuo. Alia conſuetudo erat, quod uxore committente adulterium, medietatem omnium bonorum, quæ maritus fuerat adeptus, petebat, & apprehendebat. Utraque pariebat occaſionem malignandi. Nam per primam invitabantur viri ad diſſipandum bona ſua, per ſecundum mulieres proniores erant ad perpetrandum adulterium. Item ſicut non valet conſenſus vel pactum contra legem, ut clericus reſpondeat in alterius foro, extra *De foro compet.* cap. *Significaſti*; ita nec conſuetudo. Nec etiam ut clericus verberandus ſe laico ſubjiciat ſua ſponte, extra *De ſentent. excommun.* cap. *Contingit*. Item reprobatur a jure conſuetudo, qua quis propria auctoritate ſibi eligat confeſſorem, extra *De pœn. & rem.* cap. *Si epiſcopus*, lib. 6. Item reprobatur a jure conſuetudo exigendi pedagia & gabellas a clericis & religioſis, extra *De cenſib.* cap. *Quamquam*, lib. 6. Item reprobatur conſuetudo exigendi, vel pacifcendi aliquid temporale pro ſpiritualibus, ut pro ingreſſu monaſterii vel ſacramentis, extra *De ſimon.* cap. *Quoniam ſimoniaca*. Sed conſuetudo dandi vel accipiendi aliquod temporale in collatione vel receptione ſpiritualium per modum eleemoſynæ & ex devotione, & non ex pacto, vel per modum pretii, nec per ſubtractionem ſpiritualium non reprobatur; immo ſervari debent laudabiles in hujuſmodi conſuetudines, ut extra *De ſimon.* per totum. Hoſtienſis autem dicit, quod quæ dicatur rationabilis conſuetudo, erat arbitrio judicis relinquenda, nec certa regula ſuper hoc poterat dari.

Archidiaconus autem ſuper cap. *Conſuetudinis*, Diſt. 11. poſt multas opiniones recitatas ad declarationem illius capituli, ſcilicet quando conſuetudo tollat, ſeu vincat legem ſcriptam, ſic dicit in ſumma: Ubi conſuetudo obviat omni juri, ita quod ipſa conſuetudo non toleratur ab aliquo jure; tunc indiſtincte ſuccumbit conſuetudo, & hoc propter bonum obedientiæ, & Diſt. 12. cap. 2. & quia decreta ſummorum pontificum non ſunt in aliquo violanda, & hoc ponitur ſub ſtatuto, Diſt. 61. *Statuimus*, & contrarium faciens, peccat graviter, Diſt. 64. *Quia per ambitiones*. Sed ubi concordat conſuetudo, ſeu toleratur ab aliquo jure, licet aliis juribus videatur contraria; tunc conſuetudo vincit, & tollit legem ſcriptam, quia multa fieri non debent; facta tamen remanent, extra *De regular.* cap. *Ad Apoſtolicam*, & 2. quæſt. 6. *Biduum*. Hæc ille. Et ſecundum hæc quum dicitur, quod conſuetudo non eſt rationabilis, ſeu non valet *quæ obviat canonicis ſtatutis*, extra *De conſuet.* cap. *Ad noſtram*, videtur intelligendum, quando obviat omnibus ſtatutis. Nam ſi obviat alicui, & per aliud toleratur; non erit irrationabilis per hoc ſolum; alias numquam tolleret jus ſcriptum, quum tamen quotidie fiat contrarium per totam Eccleſiam: v. g. *De conſecrat.* Diſt. 3. *Pronuntiandum*, & can. *Rogationes:* in illis capitulis mandantur ſervari dies Rogationum quoad jejunium & quoad ceſſationem ab operibus; & tamen ubique fit contrarium: nec aliquis dicit, quod peccent fideles dies illos non ſervando; & hoc, quia abrogatum eſt per contrariam conſuetudinem, quæ præſcripta eſt, & etiam videtur rationabilis propter jejunia multiplicata, & feſta ab Eccleſia, & fideles parum devotioni ſe dant diebus feſtivis, & vix laborando vivere poſſunt pauperes. Idem dicendum de tota hebdomada Paſchæ, quæ ponitur celebranda in cap. *Pronuntiandum*. Idem de jejunio quadrageſimæ, quod fuit ſtatutum ab Eccleſia inchoari a clericis prima die poſt quinquageſimam Diſt. 4. *Statuimus;* & tamen non obſervatur a clericis, ſed communiter incipiunt quadrageſimam, quando laici, ſcilicet quarta feria. Nec dicit Gratianus eos eſſe tranſgreſſores canonum; & hoc quia eſt abrogatum per contrariam cunſuetudinem, Diſt. 3. *§. Leges*.

Quamvis ergo iſta & ſimilia obvient canonicis ſtatutis; aliquibus tamen, quia non omnibus obviant, ſed ab aliquo tolerantur, ut ab iſta Decretali, *De conſuet.* cap. ult. quæ vult, quod vincat legem etiam canonicam, quum eſt *rationabilis & præſcripta*; ideo valent, & ſine præjudicio ſalutis ſervari poſſunt. Hæc tamen magna diligentia habenda eſt in judicando, ut non de facili aperiatur via tranſgreſſionis ordinationum eccleſiaſticarum. Nec etiam condemnetur quis leviter de mortali in hujuſmodi conſuetudinum obſervatione, ſicut eſt de feſto Innocentum, de feſto ſancti Silveſtri, & hujuſmodi, quæ communiter abierunt in diſſuetudinem; ubi tamen ſervantur, omnino cuſtodienda ſunt, quia ab Eccleſia inſtituta. Similiter de conſuetudine, quæ eſt in multis locis, quod in ſabbato, & in vigiliis magnarum ſolemnitatum homines laborent, vel vendant uſque ad tertiam horam noctis, ut barbitonſores plus facientes exercitii illa die, quam tota hebdomada; & videtur poſſe tolerari, quum quaſi in recompenſationem hujus non laborent in ſero feſti uſque ad mediam noctem, quod

tamen [2] de jure poſſent, quia de veſpera ad veſperam, ideſt ſero mandatur celebrari, *De conſecr.* Diſt. 3. *Pronuntiandum.* Sed nullo modo tolerari debent, nec excuſat a peccato, quod de conſuetudine (immo corruptela eſt) non communicent homines niſi in virili ætate, vel puellæ quum ſunt nuptæ, quum debeant confiteri & communicare, omnes poſtquam pervenerint ad uſum rationis. Similiter & viduæ, quod de more patriæ ſtent per menſes, quod non vadant ad Eccleſiam ad divina officia poſt mortem virorum, excuſari non poſſunt. Sed nec puellæ nondum nuptæ debent omittere auditionem miſſæ, quia de more patriæ, immo abuſione non mittuntur extra domum. Magis tamen hoc imputandum eſt culpæ parentum: non enim deceret eas contra voluntatem parentum ire ad Eccleſias. Similiter, quod clerici multa faciant contra decentiam ſtatus clericalis, quam jura inſinuent, in habitu, & converſatione, quia de more eſt patriæ. Aut etiam quod religioſi dimittant auſteritates ſuæ regulæ & conſtitutionum & cæremonias, quia ſic conſueverunt relaxate vivere, nullo modo excuſantur. Nec dici poſſunt hujuſmodi conſuetudines, ſed corruptelæ & abuſiones; & ideo exſtirpandæ a prælatis, quum fieri poteſt ſine majori ſcandalo, quam eſſet bonum inde ſequens, arg. Diſt. 4. *Denique*. Et ad hoc facit, quod ait Nicolaus Papa: *Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, ut... traditiones, quas a patribus antiquitus accepimus.... infringi patiamur*, Diſt. 12. *Ridiculum.* Et de hujuſmodi pravis conſuetudinibus intelligitur illud Nicolai Papæ, Diſt. 8. *Mala. Mala conſuetudo non minus quam perniciosa corruptela vitanda eſt, quæ niſi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab impiis aſſumitur.*

Mores pravi taxãtur.

Exſtirpandi.

De conſuetud. quoad judicia cõtentioſa.

§. V. De conſuetudine quoad judicandum, ſeu quoad judicia contentioſa Gloſſa ſuper can. *Conſuetudo*, Diſt. 1. tractat, utrum ſecundum conſuetudinem ſit judicandum, quando conſuetudo eſt contraria juri ſcripto, aut ſecundum jus ſcriptum. Inducit multa jura pro & contra. Nam quod non ſit judicandum ſecundum conſuetudinem, quando jus ſcriptum contrarium habet, probat per can. *Si conſuetudinem*, Diſt. 8. & Diſt. 11. *Conſuetudinis*, & can. ſeq. extra *De ſent. & reb. jud.* cap. *Quum cauſſa*. Et *De for. compet.* cap. *Quod clericis*, ff. *De ſepul. viol.* l. 3. §. *Divus*. Sed quod ſecundum conſuetudinem ſit judicandum, etiam contra jus ſcriptum, probat per can. *Placuit*, Diſt. 32. & extra *De eo, qui mit. in poſſ.* cap. *Quum veniſſent*, & *De teſt.* cap. *Ad hæc*, & *De cognat. ſpir.* cap. *Super eo*, & *De conſuet.* cap. 2. & *De arbitris*, cap. *Dilecti*. Concludit demum Joannes, & dicit, quod judicandum eſt ſecundum conſuetudinem contra jus ſcriptum, quando in conſuetudine concurrunt illæ conditiones, quæ habentur in gloſſa ſuper eo, *Fruſtra*, Diſt. 8. quas habes ſupra in paragrapho præcedenti circa princ. 3. part. Sed Bartholomæus Brixienſis addit: Hoc tene, quod ſi ſit rationabilis & præſcripta conſuetudo, præjudicat juri, extra *De conſuet.* cap. ult. Deinde quærit gloſſa ad quam conſuetudinem ſit recurrendum in judiciis, utrum ad conſuetudinem terræ illius, vel provinciarum, vel Romanam? & reſpondet, quod judex maxime delegatus ſecundum canones primo judicabit, deficientibus canonibus ſecundum leges, ut extra *De nov. oper.* cap. *Nunc intelleximus*, & Diſt. 10. *Si in auditorium*. Deficiente omni jure procedendum eſt ſecundum conſuetudinem generalem, vel particularem, ſi generalis circa illud negotium non invenitur; licet A quidam dicant tunc recurrendum ad Romanam. Deficiente autem omni jure & conſuetudine, procedatur de ſimilibus ad ſimilia, ut Diſt. 20. *De quibus*. Omnibus deficientibus recurratur ad Romanam conſuetudinem, ut ff. *De leg. & conſtit.* l. *De quibus*; licet ſit argumentum, quod ad conſuetudinem provinciarum vicinarum ſit recurrendum, extra *De cenſib.* cap. *Super eo*. Joannes.

Item gloſſa ſuper can. *Illud*, Diſt. 12. quærit, ſecundum quam conſuetudinem debeat judex delegatus judicare, an ſecundum conſuetudinem loci, ſeu provinciæ, an ſecundum conſuetudinem Romanam, an ſecundum conſuetudinem delegantis, an ſecundum conſuetudinem rei vel actoris. Inducit multa jura pro qualibet parte horum, demum decidendo dicit: Dicunt aliqui, quod ſi aliqui ſponte ſe ſubjiciant judicio alicujus, ſeu petant judices delegatos ſponte, quod ſemper ſecundum conſuetudinem judicis delegantis eſt judicandum. Si autem invitis datur judex, tunc judicabitur ſecundum conſuetudinem litigantium, & potius rei quam actoris, quia favorabiliores ſunt rei quam actores. Melius poteſt diſtingui, ſcilicet quia aut per appellationem obtinetur judex, aut ſine appellatione impetratur. Si per appellationem; tunc dico delegatum debere ſequi conſuetudines judicis, a quo appellatum eſt, quia judex appellationis debet ſequi leges prioris ſententiæ, ut in Authent. *Ut quum de appellatione cognoſc.* coll. 8. in princ. arg. ad hoc extra *De teſtam.* cap. *Raynerius*. Sed ſi ſine appellatione impetratur, judex tunc debet ſequi conſuetudinem delegantis, arg. ad hoc ff. *De condit. & demon.* l. *Quæ conditio*. Ego credo, quod judex judicabit ſecundum conſuetudinem rei, quia actor ſequitur forum rei, ut extra *De for. compet.* cap. *Quum ſit generale*, niſi ratione contractus vel maleficii ſit factus de foro alterius, quia tunc ſervabitur conſuetudo loci, ubi contraxit, vel ubi maleficium fecit, ut Diſt. 8. *Quæ contra mores*. Et extra *De for. compet.* cap. ult. Addit Archidiaconus ſuper dictum cap. *Conſuetudinis*, ad hanc gloſſam, & dicit, quod Hugo & Laurentius aſſerunt, quod ſi circa articulum, de quo quæritur, ſunt diverſæ conſuetudines actoris & rei, ſequatur judex rei conſuetudinem, ut dicit hic gloſſa, niſi in duobus caſibus, ſcilicet quum conſuetudo actoris eſt magis conſona juri & veritati, vel ſi magis inducit abſolutionem, quam condemnationem: tunc enim magis debet ſequi quod conſonat veritati negotii, 3. quæſt. 7. *Judicet*, & promtiores eſſe debemus ad ſolvendum, 35. quæſt. 9. *Veniam*.

Conſuetudo varia circa dotem.

Ponit etiam Archidiaconus ibidem conſuetudines varias attendendas in diverſis negotiis, & dicit ſecundum Joannem: Conſuetudo loci contractus ſervatur, ad hoc ff. *De uſur.* l. 1. & ff. *De eviction. Si fundus.* Et movet quæſtionem talem: Pone, quod ſi quædam regio, ubi eſt conſuetudo, quod ſi uxor præmoriatur viro, maritus ejus lucratur totam dotem, contrahit cum quadam de Bononia, ubi eſt conſuetudo, quod in tali caſu vir lucratur mediam dotem tantum; quæro cujus conſuetudo inſpicietur in conficiendo inſtrumenta dotis? Dixit Dominus Guido de ſuc. quod mariti conſuetudo eſt attendenda, & hoc ff. *De jud.* l. *Exigere*.

Sed circa hoc eſt ſciendum, quod conſuetudinum alia generalis, alia ſpecialis. Generalis ſeu generaliſſima eſt, quæ inducitur a populo Romano, ff. *De legib.* l. *De quibus*. Specialis conſuetudo, alia civitatis alia provincialis, alia oppidi, alia certi prædii, alia certæ dignitatis, alia certæ Eccleſiæ ſeu

[2] Hoc jus apud nos hodie non obtinet, quum conſuetudo jam novum jus induxerit, ut a media nocte ad mediam noctem feſti dies computentur.

seu monasterii, alia certi hominis seu patrisfamilias, alia animalis, alia certi fori. De provinciali consuetudine seu civitatum loquitur littera ff. *De lege*, l. *Cum consuetudine*, extra *De elect.* cap. *Quum Ecclesia Vulterana*, extra *De censib.* cap. *Sopitæ*. Est tamen differentia inter provincialem & civitatem, scilicet quoad probationem. Provincialis est, quando in civitate ejusdem provinciæ usitata est, ff. *De trib.* l. 3. §. ultimo. Alia dicitur esse provincialis, quod de jure communi statutum non est, quum dubitatur in illa provincia, in qua nihil est statutum, nec aliquid de jure communi reperitur, extra *De cognat. spirit.* cap. *Super eo*. Idem juris est, si dubitetur de interpretatione juris consuetudinarii, ut in prædictis capitulis, in quibus cavetur, quod standum est interpretationi aliarum civitatum proximarum. Si autem de consuetudine civitatis dubitetur, debet attendi qualiter ipsa civitas usitata sit in illis, de quibus dubitatur, & in similibus ff. *De legib.* l. *De quibus*, & l. *Si de interpretatione*. Si autem non apparet, quod declarat hoc dubium, nec est determinatum aliquid super hoc in jure communi; tunc debet attendi, quod obtinet in circumvicinis civitatibus cohærentibus de consuetudine earumdem, ut in prædicto cap. *Super eo*, & extra *De consuetud.* cap. *Quum olim*. Et idem est observandum de consuetudine oppidi vel castri, C. *Quæ sit long. consuetud.* l. 1. & ff. *De ædib. privat.* l. 3. De consuetudine autem certi prædii loquitur littera, extra *De offic. judic. ordin.* cap. *Duo simul*. Et quæst. 3. *Conquestus*, & extra *De excess. præl.* cap. 2. Et in consuetudine proceditur de similibus ad similia, extra *De offic. archid.* cap. *Dilecto*. In consuetudine autem certæ Ecclesiæ vel certi monasterii, inspicitur quid fieri consuevit in illo monasterio, extra *De his, quæ fiunt a prælat. sine consen. capit.* cap. *Ea noscitur*, & *De verbor. signific.* cap. *Abbate*. Est etiam consuetudo hominis seu patrisfamilias, & in ipsa etiam attenditur quid facere consuevit, ff. *Qui testam. fac. pos.* l. *Hæredes palam*, §. 1. ff. *De re milit.* l. *Desertorem*, §. *Si plures*. Est etiam consuetudo animalis, & in ea aspicitur quid facere consuevit illud animal, ut Instit. *De rerum divis.* §. *Pavonum*, & credo, quod in aliis actibus & delictis sufficit binus actus ad probandam consuetudinem peccandi quoad homines & animalia, 25. quæst. 2. *Ita nos*, & ff. *De servor. corrup.* l. *Neratius*. Sicut bina sententia lata super consuetudine, consuetudinem inducit, & approbat, ff. *De legib.* l. *Quum de consuetudine*. Est etiam consuetudo fori, ff. *De var. & extraordin. cognit.* l. 1. Est etiam consuetudo corporis, extra: *De celebrat. miss. cap. Pernicioſus*. Hæc omnia Archidiaconus.

§. VI. De consuetudine, quando tollat legem, & præjudicet legi, & quando non, notat summatim Henricus Boych, super capit. ultimo: *De consuetudine*, ubi primo sciendum, quod nulla consuetudo, quantumcumque generalis vel antiquata, potest præjudicare seu tollere id, quod est de lege naturali seu etiam divina quoad moralia præcepta, ut Dist. 8. per totum. Cæremonialia autem præcepta quantum ad litteram cessant, & servari non debent, quia hoc esset judaizare. Judicialia vero præcepta legis divinæ, non obligant ad observantiam eorum, in quantum contenta in lege Mosayca, scilicet in quantum assumerentur pro constitutis seu statutis ab Ecclesia vel aliqua civitate secundum Thomam. Et de istis dictum est supra diffuse in tit. de lege Mosayca. Restat ergo quæstio solum de lege positiva canonica vel civili, prout lex positiva includit etiam jus gentium. Circa hoc igitur distinguit prædictus Henricus: quia aut consuetudo præcedit legem, & lex sequitur, ideſt constituitur post ipsam, aut e contra lex præcedit consuetudinem, & consuetudo sequitur. Si igitur consuetudo præcedat legem; tunc aut consuetudo est generalis, quæ scilicet per totum orbem servatur, aut est localis seu particularis, quæ scilicet servatur in una civitate vel regno, & non in alio. Si consuetudo generalis est, tunc lex nova superveniens sibi contraria ei præjudicat, & eam abrogat seu derogat, licet de ipsa non faciatmentionem, arg. *De constit.* capite *Licet* lib. 6. ibi scilicet: *locorum & personarum singularium*, &c. a contrario sensu. Et hoc ibi notat Joannes Andreas; quia illud, quod communiter tenetur, princeps non præsumitur ignorare: & quia alias talis lex generalis nihil operaretur; quod non est dicendum, arg. 19. Dist. *Si Romanorum*. Si vero consuetudo est localis sive particularis; tunc alia superveniens habet clausulam derogativam consuetudini, videlicet vel expresse improbando consuetudinem inducendam, vel simpliciter contrariam consuetudinem tollendo; quia tunc intelligitur de inducta & inducenda in futurum, & tunc lex tollit ipsam consuetudinem, ut *De censib.* cap. *Quamquam* lib. 6. Et ita intelligit Bernardus illam legem ff. *De sep. viol.* l. 3. §. *Divus*, & extra: *De fi. instr.* cap. *Pastoralis*, & Archidiaconus & Joannes Andreas, *De constit.* cap. 1. lib. 6. Aut non habet clausulam derogativam contra consuetudinem inductam, & tunc non tollit eam, ut notat Innocentius. Et est hodie expressum, *De constit.* cap. 1. lib. 6. Fallit, ubi consuetudo localis esset secundum jus commune, contrarium secundo juri, ut notant Joannes Andreas: *De constit.* cap. 1. & Arch. *De fil. præs.* cap. 1. lib. 6. Si vero lex præcedit consuetudinem, & consuetudo sequitur, tunc aut lex præcedens habet clausulam derogativam consuetudini, ut quia prohibet in futurum contrariam consuetudinem introduci, vel tollit simpliciter contrariam consuetudinem (ut dictum est) & tunc præjudicat consuetudini sequenti, ita quod consuetudo sequens non valet, ut extra eod. cap. *Non putamus*, lib. 6. secundum Joannem Andream. Sed Petrus de Ancharano dicit, quod licet tollat consuetudinem inductam; tamen si consuetudo contra talem legem duret, ita ut sit præscripta, & non rationabilis, adhuc tollet talem legem. Joannes de Imola in Clementinis dicit in aliquibus habere locum dictum Joannis Andreæ, in aliquibus aliis dictum Petri. Si autem prædicta lex non habet clausulam derogativam consuetudinis; tunc aut est rationabilis, aut irrationabilis. Si rationabilis, non tollit legem, & dicitur irrationabilis, ut quia est contra jus, per quod læditur ordo judiciarius, ut eod. tit. cap. *Ad nostram*. Vel per quod disrumpitur ecclesiastica disciplina, ut eod. tit. *Quum inter*. Vel quia est onerosa Ecclesiis, eod. tit. cap. *Quum inter*. Vel quia est contra publicam utilitatem communem, & talis consuetudo non derogat canoni vel legi, ut Dist. 8. *Mala consuetudo*. Et ratio est, quia sicut juramentum non est vinculum iniquitatis, nec debet admittere peccatum (alias non valet, ut 22. quæst. 4. *Inter cetera*) ita nec privilegium, nec consuetudo, nec constitutio, nec præscriptio, nec etiam appellatio, secundum Hostiensem. Ad hoc concordat, quod notant Hostiensis & Joannes Andreas, *De elect.* cap. *Venerabilem*, & dicentes, quod consuetudo vel statutum, quod committentes furtum, vel homicidium vel simile crimen in pecunia tantum puniantur, sunt irrationabilia, quia nihil aliud est quam homines venalitati exponere, vel incitare homines ad committendum peccata. Tales enim minus timent pœnam pecuniariam, quam timent suspendium, vel aliam mortem; illa ergo non sunt tenenda neque servanda, *De offic. ord.* cap. *Dilectus*, & cap. fin.

De lege uti cõsuetudinem tollat.

Legum pulchra distinctio.

Dicit etiam Hoſtienſis in ſumma, *De pœnit. & remiſſ. Quibus & qualiter*, quod contra peccati correptionem non currit præſcriptio, vel conſuetudo, vel diſſuetudo. Si autem conſuetudo ſit rationabilis, tunc aut eſt præſcripta, aut non præſcripta: ſi præſcripta, tunc derogat juri poſitivo, & etiam juri gentium, ut *De conſuetudine*, cap. ult. Et quum generalis eſt conſuetudo tunc generaliter & ubique derogat, ut ff. *De legib.* l. *De quibus*, §. *Inveterata*. Si vero ſit particularis conſuetudo, ſeu localis, tunc in illo loco tantum conſuetudo tollit legem. Sic loquitur lex, ff. *Communia prædior.* l. *Venditor*, & Diſt. 11. *Conſuetudinis*. Si autem non eſt præſcripta conſuetudo, tunc non derogat legi, ut in cap. *Cumana*, *De election.* Et hoc etiam expreſſe dicitur *De conſuet.* cap. ult. Dicit etiam Hoſtienſis, quod quæ ſit conſuetudo rationabilis, vel non, relinquitur conſilio judicis.

Item etiam dicit, quod conſuetudo, quæ eſt contra votum vel contra religionem, non valet, nec tollit legem, *De ſtatu monach.* cap. *Quum ad monaſterium*. Idem dicit, quod lex vel canon continens præceptum vel prohibitionem non poteſt tolli per conſuetudinem; quod tamen non videtur ſimpliciter verum, ſed de his, quæ comprehendunt præceptum vel prohibitionem legis divinæ, non autem in pure poſitivis. Nam rogationes quoad jejunium & quoad feriandum ponuntur in præcepto, *De conſecrat.* Diſt. 3. *Rogationes*; & tamen ab omnibus dicitur præceptum illud eſſe abrogatum per contrariam conſuetudinem. Item ſicut legem etſi non generalem, tamen ſpecialem, poteſt ſibi facere unuſquiſque populus, & in hoc dicitur princeps conſentire, licet etiam poſſet illam ignorare; eadem ratione poteſt conſuetudinem facere particularem & rationabilem, quia princeps numquam vult facta rationabilia impedire; ſed potius approbare. Et quantum ad conſuetudinem generalem vel particularem introducendam credit Henricus prædictus, quod ſcientia præſumta & tollerantia principis ſufficiant, inducens gloſſam Bartholomæi Brixenſis, Diſt. 4. §. *Leges*, quod conſuetudo rationabilis præſcribi poteſt ſine ſcientia principis, licet Joannes & Innocentius & Hoſtienſis & Archidiaconus contrarium videantur ſentire; ſed male dicit Henricus, & primam opinionem magis approbat.

TITULUS DECIMUS SEPTIMUS

DE LEGE HUMANA

AC PRÆSERTIM CANONICA,

CAPUT UNICUM,

In quo potiſſimum agitur de præceptis Eccleſiæ, de reſcriptis, de decretis, decretalibus epiſtolis, & de auctoritate doctorum.

LEX humana dicitur jus poſitivum ſcriptum: nam ſi non eſt ſcriptum dicitur conſuetudo, ut dictum eſt. Ipſa autem lex humana, ſi non eſt juſta, quamvis large dicatur lex, in quantum ab aliquo habente auctoritatem conſtituitur, propter quod dicitur Iſaiæ 10. *Væ qui condunt leges iniquas*; non tamen proprie eſt lex, quia non ligat, ideſt non obligat ad ſui obſervantiam. Si autem juſta a Deo inſpirante eſt, ſecundum illud Proverb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*. Unde & lex Dei dici poteſt, & cuſtodiri & meditari debet. Et ſic poteſt exponi illud pſal. 118. *Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus. Anima mea*, ideſt conſideratio & affectus animæ, *in manibus*, ideſt in operibus noſtris debet eſſe, ut ſcilicet ſint bona ipſa opera Deo grata; & quia opera tunc ſunt bona, quando ſunt ſecundum legem, non ſolum Dei, ſed etiam hominum. Unde & Chriſtus naſcens ſervari voluit a matre ſua legem hominis infidelis, ſcilicet quum *exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis*, Luc. 2. ivit prægnans in Bethlehem; ideo ſubdit: *Legem tuam non ſum oblitus*, ſed bene recordatus legis divinæ & humanæ, ut ipſa opera eſſent ſecundum legem, non contra legem. Et quia *lex eſt ſpecies juris* ſecundum Iſidorum, Diſt. 1. *Jus generale*; ideo videndum eſt de iſto termino *jus* quid ſit, & unde dicatur. Pro cujus declaratione dicit B. Thom. 2. 2. quæſt. 57. art. 1. quod conſuetum eſt, quod nomina a prima ſui impoſitione retorqueantur ad alia ſignificanda. Sicut nomen medicinæ primo impoſitum eſt ad ſignificandum remedium, quod præſtatur infirmo ad ſanandum; deinde tractum eſt ad ſignificandum artem, qua hoc fit; ita hoc nomen *jus* primo impoſitum eſt ad ſignificandum ipſam rem juſtam, poſtea eſt derivatum ad ſignificandum artem, qua cognoſcitur quid ſit juſtum; & ſecundum hoc dicit Celſus juriſconſultus, quod jus eſt ars boni & æqui. Sicut enim eorum, quæ fiunt per artem exterius, quædam ratio in mente artificis præexiſtit, quæ dicitur regula artis, ita etiam illius operis juſti, quod ratio determinat, quædam ratio præexiſtit in mente quaſi quædam regula prudentiæ. Et etiam hæc ſi in præſcriptis redigatur, vocatur lex; & ideo ipſa lex non eſt proprie ipſum jus, ſed aliqualis ratio juris, ideſt illius regulæ, quæ eſt in mente. Unde & Iſidorus dicit, quod *lex eſt conſtitutio ſcripta*, Diſt. 1. can. *Lex*. Ulterius etiam hoc nomen extenditur ad ſignificandum locum in quo jus redditur; & ſic dicitur aliquis comparere in jure. Quarto etiam dicitur jus id, quod redditur ab eo, ad cujus officium pertinet juſtitiam facere, licet etiam id, quod decrevit, ſit iniquum. *Dictum eſt autem jus, eo quod juſtum*, ſecundum Iſidorum, Diſt. 1. can. 2. Juſtum autem eſt objectum juſtitiæ. Unde Philoſophus in 5. Ethic. Omnes talem habitum volunt appellare juſtitiam, a quo operativi juſtorum ſunt. Dicitur autem aliquid juſtum quaſi habens in ſe recti-

ſtitudinem, ad quod terminatur actio juſtitiæ, etiam non conſiderato qualiter id ab agente fiat. Importat enim juſtum quamdam æqualitatem, ſicut ipſum nomen demonſtrat. Dicuntur enim vulgariter ea, quæ adæquantur, juſtari. Æqualitas autem eſt ad alterum. Illud ergo dicitur in opere noſtro juſtum, quod reſpondet ſecundum quamdam æqualitatem alteri, puta recompenſatio debitæ mercedis pro ſervitio impenſo. Et quum in aliis virtutibus non determinetur aliquid rectum, niſi ſecundum id, quod fit aliqualiter ab agente, ſed tameo in virtute juſtitiæ ſpecialiter præ aliis virtutibus determinatur ſecundum ſe objectum, quod vocatur rectum; & hoc quidem eſt jus. Et ſic patet, quod juſtum ſeu jus eſt objectum juſtitiæ. Quod autem dicit Iſidorus, Diſt. 1. *Omnes*, quod *fas eſt lex divina*, *jus lex humana*; propterea hoc dicit, quia quum jus ſit objectum juſtitiæ, & juſtitia æqualitatem importet: nos autem Deo non poſſumus recompenſare ſecundum æqualitatem; ideo non proprie Deo poſſumus reddere jus ſicut proximo; ſed ſufficit, quod impleamus, quod poſſumus, Deo, ſcilicet animam ſubjiciendo, & hoc dicitur *fas*.

De diviſione juris. §. I. Dividit autem Iſidorus ſic jus, Diſt. 1. *Jus autem: Jus aut naturale eſt, aut civile, aut gentium.* Ubi ſciendum, quod jus gentium comprehenditur ſub jure poſitivo. Sic enim dividit philoſophus 5. Ethic. jus, ſcilicet in naturale & politicum. Dicit enim: Politici jus hoc quidem naturale eſt, hoc autem legale, ideſt lege poſitum. *Jus naturale.* Jus ſive juſtum naturale eſt, quod ex ſui natura eſt alteri adæquatum vel commenſuratum alteri. Hoc autem poteſt contingere dupliciter. Uno modo ſecundum abſolutam ſui conſiderationem; ſic maſculus ex ſui ratione habet commenſurationem ad feminam, ut ex ea generet, & parens ad filium, ut eum nutriat. Alio modo aliquid eſt naturaliter adæquatum alteri, non ſecundum abſolutam ſui rationem, ſed ſecundum aliquod, quod ex illo conſequitur, puta proprietas poſſeſſionum. Si enim conſideretur iſte ager abſolute, non habet unde magis ſit hujus, quam illius; ſed ſi conſideretur ad opportunitatem colendi & pacificum uſum agri, ſecundum hoc habet quamdam commenſurationem ad hoc, quod ſit unius & non alterius, ut patet per philoſophum in 2. Politic. Abſolute autem apprehendere aliquid non ſolum convenit homini, ſed etiam aliis animalibus. Et ideo quod jus dicitur naturale, ſecundum primum modum, commune eſt nobis & aliis animalibus. A jure autem naturali ſic dicto recedit jus gentium, ut juriſconſultus, ff. *De juſt. & jur.* dicit, quia *id omnibus animalibus hoc ſolis hominibus inter ſe commune eſt*. *Jus gentium.* Conſiderare autem aliquid comparando ad id, quod exinde ſequitur, eſt proprium rationis. Et ideo hoc eſt naturale homini ſecundum rationem naturalem, quæ hoc dictat. Et ideo Cajus juriſconſultus ubi ſupra: *Quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes gentes peræque cuſtoditur, vocaturque jus gentium*. Et quia ea, quæ ſunt de jure gentium, ratio naturalis dictat, puta ex propinquo habentia æquitatem; inde eſt, quod non indigent aliqua ſpeciali inſtitutione ſicut jus civile, ſed ipſa naturalis ratio ipſum jus gentium inſtituit. Et ſi arguatur, quod ſervitus eſt de jure gentium ſecundum Iſidorum, Diſt. 1. *Jus gentium*: ſed ſervitus eſt naturalis: dicit enim philoſophus in 2. Politic. quod naturaliter aliqui ſunt ſervi; reſpondet Thomas, quod hunc hominem eſſe ſervum, magis quam alium, abſolute conſiderando, non habet rationem naturalem; ſed ſolum ſecundum aliquam utilitatem inde conſequentem, in quantum utile eſt huic, quod regatur a ſapientiori, & illi, quod ab hoc juvetur, ut dicitur 1. Politic. Et ideo ſervitus pertinens ad jus gentium eſt naturalis ſecundo modo, ut dictum eſt, non primo modo. Et quamvis utrumque jus, ſcilicet gentium & jus civile ſeu politicum, derivetur a jure naturali; tamen alio, & alio modo. Nam jus gentium propinquius derivatur ab eo, ut concluſiones ex principiis. Jus autem civile non ita immediate, & ut determinationes aliquorum univerſalium. Item quamvis etiam ſit quoddam juſtum, quod dicitur paternum, ſcilicet inter patrem & filium, & quoddam, quod dicitur dominativum, ſcilicet inter ſervum & dominum; tamen iſta non pertinent ad jus politicum, ſed magis ad juſtum œconomicum. Ad juſtitiam enim, cujus objectum eſt juſtum ſimpliciter, quod eſt jus politicum, proprie pertinet reddere unicuique, quod ſuum eſt, ſuppoſita tamen diverſitate perſonæ unius ad alterum. Si quis enim ſibi det, quod ſibi debetur, non proprie vocatur hoc juſtum. Et quia quod eſt filii, eſt patris, & quod eſt ſervi, eſt domini; ideo non eſt proprie juſtitia patris ad filium, vel domini ad ſervum. Quum enim juſtitia ſit ad alterum, alterum dici poteſt aliquid dupliciter. Vel quia eſt omnino diſtinctum ab eo, ſicut in duobus hominibus, quorum unus non eſt ſub alio, ſed ambo ſub uno principe: vel quia aliquid eſt ejus exiſtens; & ſic filius eſt aliquid patris, quia quaſi pars ejus, & ſervus aliquid domini, quia inſtrumentum ejus; ideo proprie & ſimpliciter juſtum, ſeu jus, quod eſt objectum juſtitiæ, proprie eſt jus politicum ſeu civile. Dominativum aut jus non eſt ſimpliciter jus, ſed aliquo modo.

Jus civile.

Sub jure autem civili, quod ponit Iſidorus in diviſione illa, quæ eſt in principio hujus paragraphi, comprehenditur jus canonicum. Primo ergo de jure vel lege humana tractando ponentur quædam communia tantum juri civili, quod alio nomine dicitur jus forenſe, quam juri canonico. Poſtea aliqua priora de jure gentium, & civili, demum de jure canonico.

De lege humana utrū neceſſaria ſit. §. II. De neceſſitate legis humanæ dicit Iſidorus in lib. 5. Etymolog. *Factæ ſunt autem leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio, refrænetur nocendi facultas*, Diſt. 4. *Factæ*. Sed hoc eſt maxime neceſſarium humano generi, ſcilicet ut tollatur facultas malis nocendi aliis; alias non poſſent convenire homines. Et quum hoc faciat lex humana per pœnas impoſitas ab ea; ideo neceſſarium fuit tales leges ſtatuere.

Sed pro majori horum declaratione dicit Thomas 1. 2. quæſt. 95. art. 1. quod homini ineſt naturaliter quædam aptitudo ad virtutem. Sed ipſa virtutis perfectio neceſſe eſt, quod adveniat homini per aliquam diſciplinam; ſicut videmus, quod per aliquam induſtriam ſubvenitur homini in ſuis neceſſitatibus, puta in cibo, & veſtitu, quorum initia quædam ſunt a natura, ideſt rationem & manum; non autem complementum ipſum, ſicut cetera animalia, quibus natura ſufficienter tegumentum & cibum dedit. Ad hanc autem diſciplinam non de facili homo ſibi ſufficiens eſt, quia perfectio virtutis conſiſtit præcipue in retrahendo ſe ab inordinatis delectationibus & indebitis, ad quas homines ſunt proni, & maxime juvenes, quibus magis eſt efficax & neceſſaria diſciplina. Et ideo oportet, quod hujuſmodi diſciplinam, per quam ad virtutem pervenitur, ab alio ſortiantur. Et quantum quidem ad illos juvenes, qui ſunt proni ad virtutis actus, vel ex diſpoſitione naturæ, vel ex conſuetudi-

tudine, vel magis ex divino munere, ſufficit diſciplina paterna, quæ eſt per admonitiones. Sed quia inveniuntur quidam protervi & ad vitia proni, qui de facili verbis moveri non poſſunt, neceſſarium fuit, ut per vim & metum cohiberentur a malo, ut ſaltem ſic a malis deſiſtentes, & aliis quietam vitam redderent, & ipſi tandem per hujuſmodi aſſuetudinem ad virtutem perducerentur, & voluntarie facerent, quæ metu prius implebant, & ſic efficerentur virtuoſi. Hujuſmodi autem diſciplina cogens metu pœnæ, eſt diſciplina legum; unde neceſſarium fuit ad pacem hominum & virtutem acquirendam, ut leges humanæ inſtituerentur. Quia ſicut dicit philoſophus in 1. Politic. Sicut homo, ſi eſt virtuoſus, eſt optimum animalium inter omnia animalia; ita ſi ſit ß ſeparatus a lege & juſtitia, eſt peſſimum omnium animalium, quia homo arma rationis ad expellendas concupiſcentias & fævitias habet, quæ alia animalia non habent.

Et ſi arguatur, quod melior eſt juſtitia animata, quam inanimata: Sed judex eſt juſtitia animata (dicit enim philoſophus 5. Ethic. quod ad judicem confugiunt homines ſicut ad juſtitiam animatam) lex autem eſt quaſi juſtitia inanimata; ergo videtur quod melius fuiſſet, ut exſecutio juſtitiæ committeretur arbitrio judicum, quam quod lex aliqua ederetur; reſpondet Thomas ubi ſupra, quod ſecundum philoſophum in 1. Rhetoric. melius eſt omnia ordinari lege, quam dimitti arbitrio judicum. Et hoc propter tria.

Triplex eſt legum fructus.

Primo, quia facilius eſt reperire paucos ſapientes, qui ſufficiant ad rectas leges condendas, quam multos, qui requirerentur ad recte judicandum de ſingulis.

Secundo, quia illi, qui leges ponunt, multo tempore conſiderant, quid lege ferendum ſit; ſed judicia de ſingularibus factis fiunt ex cauſſis ſubito ortis. Facilius autem ex multis conſideratis poteſt homo videre, quid rectum ſit, quam ex uno ſolo facto.

Tertio, quia legislatores judicant in univerſali, & de futuris; ſed homines judiciis præſidentes judicant de præſentibus, ad quæ afficiuntur odio, vel amore, aut cupiditate; & ſic eorum depravatur judicium. Quia igitur juſtitia animata judicis non in multis invenitur, & quia flexibilis eſt; ideo neceſſarium fuit in quibuſcumque eſt poſſibile, lege determinare, quid judicandum ſit, & pauciſſima arbitrio hominum relinquere.

Qualis debet eſſe lex.

§. III. De qualitate, ſeu deſcriptione legis humanæ Iſidorus in lib. 5. Ethicor. ſic deſcribit: *Erit autem lex honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundum naturam, ſecundum conſuetudinem patriæ, loco, temporique conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta*, Diſt. 4. *Erit*. Quæ quidem deſcriptio non videtur bona. Nam etiam Iſidorus Diſt. 1. can. *Conſuetudo*, E ponens qualitatem legis dicit: *Lex erit omne, quod ratione conſtiterit dumtaxat, quod religioni congruat, quod diſciplinæ conveniat, quod ſaluti proficiat*. Aut ergo iſta eſt diminuta deſcriptio, quæ ponit tantum tres conditiones legis, aut illa ſuperflua, quæ ponit undecim conditiones legis. Sed reſpondeo, quod utraque bona eſt, & tamen iſta ſecunda brevior continens, quæ ſunt neceſſaria legi; illa autem magis explicat conditiones ipſius legis, quæ tamen omnes continentur implicite, ſeu reducuntur ad illas tres conditiones poſitas in ſecunda deſcriptione. Hoc autem ſic declarat B. Thomas 1. 2. quæſt. 95. art. 3, Uniuſcujuſque rei, quæ eſt propter aliquem A finem, neceſſe eſt, quod forma determinetur ſecundum proportionem ad finem; ſicut forma ſerræ talis debet eſſe, qualis convenit ſectioni, ut patet in 2. Phyſic. Quælibet etiam res recta & menſurata oportet, quod habeat formam proportionalem ſuæ regulæ & menſuræ. Lex autem humana utrumque habet, quia eſt aliquid ordinatum ad finem, & eſt quædam regula & menſura regulata, & menſurata quadam regula ſuperiori, quæ quidem regula ſuperior eſt duplex, ſcilicet lex divina, & lex naturæ. Finis autem humanæ legis eſt utilitas hominum, ſicut etiam dicit juriſperitus. Et ideo Iſidorus in deſcriptione ſecunda legis tria poſuit, ſcilicet quod *religioni congruat*, in quantum ſcilicet eſt proportionata legi naturæ; quod *diſciplinæ conveniat*, in quantum ſcilicet eſt proportionata rationi; quod *ſaluti proficiat*, in quantum ſcilicet eſt proportionata utilitati humanæ. Et ad iſta tria omnes aliæ conditiones, quæ antea ponuntur, reducuntur. Nam quod dicitur *honeſta*, refertur ad hoc, quod *congruat religioni*; quod autem ſubditur *juſta, poſſibilis, ſecundum naturam & conſuetudinem patriæ, loco, temporique conveniens*, refertur ad hoc, quod *conveniat diſciplinæ*. Attenditur enim diſciplina primo quantum ad ordinem rationis, qui importatur in eo, quod dicitur *juſta*. Secundo quantum ad facultatem agentium: debet enim diſciplina eſſe conveniens unicuique ſecundum ſuam poſſibilitatem; & ideo dicitur *poſſibilis*. Obſervata etiam poſſi- C bilitate naturæ; & ideo dicitur *ſecundum naturam*: non enim eadem imponenda ſunt pueris, quæ imponuntur viris perfectis. Et *ſecundum humanam conſuetudinem*: non enim poteſt homo ſolus vivere in ſocietate, aliis morem non gerens. Tertio modo quantum ad debitas circumſtantias; ideo dicit *tempori locoque conveniens*. Quod autem ſubditur *neceſſaria, utilis* &c. refertur ad hoc, quod *proficiat ſaluti*, ut neceſſitas referatur ad remotionem mali, utilitas vero ad conſecutionem bonorum; manifeſtatio vero pertinet ad cavendum nocumentum, quod poſſet provenire ex ipſa lege, ſi eſſet obſcura. Et ut dictum eſt, lex ordinatur ad bonum commune; ideo & hoc ponitur in hac deſcriptione, dum dicitur *nullo privato commodo* D &c. Et ex iſta deſcriptione poſſet reſponderi ad ea, quæ objicerentur in contrarium. Hæc Thomas, quæ refert Archidiaconus ſuper can. *Erit autem*, Diſt. 4.

Tria de ratione legis humanæ.

Gloſſa autem dicti canonis ſic exponit: *Honeſta* debet eſſe lex, quia in jure non tam attenditur juſtitia, quam honeſtas, ut 35. quæſt. 3. *Porro*. Addit Archidiaconus hic in Roſario: Honeſtas dicitur quaſi honoris ſtatum conſervans. Unde honeſtum eſt, quod ſua vi trahit, & dignitatem allicit, ut dicit Tullius. Et hæc eſt virtus contraria turpitudini, & mater condecentiæ. Dicitur etiam honeſtas aliquando compoſitio & apparatus divitiarum, ſecundum illud Eccleſ. 11. *Paupertas & honeſtas a Deo ſunt*. *Juſta*: aliter enim non eſſet jus, niſi eſſet juſtum, ut Diſt. 1. *Jus generale*. Et Auguſtinus dicit, quod lex ſi non eſt juſta, non eſt lex. *Poſſibilis*, quia ſi ex impoſſibilitate legis eam homo tranſgrederetur, ſcilicet quando ſervare non poſſet, tranſgreſſio ei non imputaretur, ut 15. quæſt. 1. *Non eſt*, & 23. quæſt. 4. *Nabuchodonoſor*. *Secundum naturam*, ideſt ſecundum naturalem rationem, quia ſi contraria eſſet rationi, non eſſet lex; vel *ſecundum naturam*, ideſt convenientiam perſonarum, quibus datur; vel *ſecundum naturam*, ſcilicet negotiorum, de quibus agitur. *Secundum conſuetudinem*, quia ſi eſt contra conſuetudinem inhabitantium, per contrariam conſuetudinem derogatur, ut Diſt. 4. §. *Leges*. Item quia & conſuetudo

Virtus eſt mater condecentiæ.

legem

legem interpretatur, extra *De verb. ſignific.* cap. *Abbate. Loco*, quia in aliquibus locis aliqua ſtatuuntur, quæ alibi non reciperentur, ut Diſt. 31. *Aliter*. Ubi oſtenditur lex continentiæ impoſita in ſacris conſtitutis in Eccleſia Occidentali, non eſſe poſitam in Eccleſia Orientali, quo ſcilicet ad uſum matrimonii contracti. *Tempori conveniens:* omnia enim debent convenire temporibus ſuis, ut 23. quæſt. 4. *Si Eccleſia*. Multa enim fuerunt ſtatuta rigoroſa temporibus antiquis, quando homines devotiores erant & fortiores, quæ modernis temporibus per alia jura vel conſuetudines ſunt immutata. Unde dicitur Diſt. 34. *Fraternitatis: Defectus noſtri temporis, quibus non ſolum merita, ſed & corpora defecerunt, non patitur diſtrictionis illius manere cenſuram. Neceſſaria*: non niſi inſtante neceſſitate jus ſtatui debet, ut Diſt. 29. *Regulæ*. Sed intellige non de neceſſitate abſoluta, ſed de neceſſitate congruentiæ, qua ſcilicet aliquid melius fit. *Manifeſta, ne in captionem*, ne ſcilicet aliquis captioſe poſſit eam interpretari, vel ne alicui paretur laqueus per eam, quum ſcilicet non clare loquitur. Hæc Joannes, & movet gloſſa quæſtionem ſuper can. *In iſtis*, Diſt. ead. Quid, quum Papa vult condere canonem, & epiſcopi contradicunt dicentes: Iſte canon non convenit conſuetudini religionis noſtræ? Cujus ſententiæ potius ſtabitur? Papæ, vel omnium epiſcoporum? Videtur, quod potius epiſcoporum, quia orbis major eſt urbe, Diſt. 93. *Legimus*. Argum. quod ſententia Papæ prævalet, 35. quæſt. 9. *Veniam*; nam & error principis jus facit, ff. *De ſupp. leg.* l. 3. Joannes. Intelligendum tamen de tali errore, qui non ſit contra legem divinam, vel naturalem. Et dicit Archidiaconus ſuper dictum cap. *Erit* in princ. quod iſtæ conditiones legis intelligendæ ſunt de legibus communibus, in quibus hæc omnia conſideranda ſunt. Vel forte hæc omnia intelliguntur negative, ut ſcilicet leges non ferantur contra honeſtatem vel juſtitiam, & ſic de aliis. Vel intelligitur, quod hic dicitur collective, ſcilicet in condendis legibus. Hæc ſunt conſideranda, ſed non in qualibet earum. Item Archidiaconus ſuper can. *Conſuetudo*, Diſt. 1. exponendo ſecundam deſcriptionem legis ſuprapoſitam, ſic ait: *Lex erit*, ideſt pro lege ſervanda vigorem legis habebit, *omne*, ideſt aliquod de omni, vel *omne* non genere ſubſtantiæ, ſed æquivalentiæ, dummodo contineat quod ſequitur. *Quod ratione*, ſcilicet non ſcriptura tantum, *quod religioni*: hoc ideo dicit, quia ſatis dictaret ratio humana, quod quis poſſet pecuniam fœnebrem exercere: ſed quia hoc contrarium eſt diſciplinæ & ſaluti; ideo non eſt jus, nec loco juris poteſt haberi. Et eſt argumentum contra leges permittentes uſuras, ſcilicet quod non ſunt leges. Item ſatis dictaret humana ratio poſſe uti azymis Judæorum vel idolotytis; ſed quia hoc eſt contrarium religioni, ideo non poteſt de jure fieri, 28. quæſt. 1. *Omnes*, 32. quæſt. 4. *Sicut ſatius*. Quod videtur intelligendum, quando hoc fieret, ut quia in lege veteri mandatum quoad primum, vel in venerationem idoli, quoad ſecundum exemplum, vel ita, ut ſcandalum ſequeretur quoad utrumque. Item ſatis perſuaderet ratio humana, quod quis poſſet uti ſua uxore in ſacro ordine, vel quod poſſet contrahere cum commatre, vel affini. Sed quia contrarium eſt diſciplinæ & religioni, non poteſt fieri de jure; & diffinit Hugo de ſancto Victore ſic diſciplinam: *Diſciplina eſt bona, & honeſta converſatio, cui parum eſt non malum facere, ſed etiam ſtudet in his, quæ bene agit irreprehenſibilis apparere*. Secundum autem Auguſtinum & Papiam, diſciplina dicitur quarumcumque rerum ſcientia. Derivatur autem a diſcendo.

Canones quomodo condendi.

Diffinitio diſciplinæ.

§. IV. De lege humana, quod derivatur a ratione naturali, & prohibet vitia, ſed non omnia; imperat actus virtutum, ſed non omnes.

Et pro declaratione primi dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 95. art. 2. quod lex in quantum habet de juſtitia, in tantum habet de virtute legis. In rebus autem humanis dicitur aliquid eſſe juſtum ex eo, quod eſt rectum ſecundum regulam rationis. Rationis autem prima regula eſt lex naturæ, ut ſupra dictum eſt. Omnis igitur lex humanitus poſita, in tantum habet de legis ratione, in quantum a lege naturæ derivatur. Non tamen derivatur lex humana a lege naturali, ut concluſiones ex principiis demonſtrative producuntur. Hoc enim modo derivantur præcepta decalogi a lege naturæ, ſicut ex hoc, quod dicit lex naturalis nemini facienda injuria, ſequitur de neceſſitate non eſſe occidendum, adulterandum, furandum, & hujuſmodi: & quaſi etiam iſto modo jus gentium derivatur a lege naturæ; ſed derivatur lex humana a naturali, ſicut determinationes particulares quorumdam generalium, ſicut etiam formæ communes in artibus determinantur ad aliquid ſpeciale, ſicut artifex formam communem domus neceſſe eſt quod determinet ad hanc vel illam figuram domus. Dictat lex naturalis malefactorem puniri; ſed ponit lex humana modum determinatum punitionis, & ſic de aliis. Unde & Tullius dicit in ſua rethorica, quod res a natura profectas, & a conſuetudine approbatas, legum metus, & religio ſanxit. Dicit autem juriſperitus, ff. *De leg. & ſenatus conſ.* quod *non omnium, quæ lege ſtatuta ſunt, poteſt ratio aſſignari*, non quia leges omnes non procedant a ratione, ſi juſtæ ſunt, ſed quia nimis eſſet difficile & prolixum. Sed ut dicit philoſophus 5. Ethicor. In talibus oportet attendere expertorum, vel ſeniorum vel prudentum in demonſtrabilibus enuntiationibus & opinionibus, non minus, quam demonſtrationibus.

Legem humanam derivari a ratione naturali, quomodo intelligitur.

Quantum ad ſecundum ſciendum, quod lex ponitur in communi. Ratio hujus eſt ſecundum B. Thomam 1. 2. quæſt. 96. art. 1. quia unumquodque, quod eſt propter finem, neceſſe eſt, quod ſit fini proportionatum. Finis autem legis eſt bonum commune, ſic enim dicit Iſidorus ſupra in deſcriptione legis, ſcilicet quod *lex.... nullo privato commodo, ſed pro communi utilitate civium* debet eſſe *conſcripta*, Diſt. 4. *Erit*. Unde oportet leges humanas eſſe proportionatas ab bonum commune: bonum autem commune conſtat ex multis; & ideo oportet, quod lex ad multa reſpiciat ſecundum perſonas, & ſecundum tempora, & ſecundum negotia. Conſtituitur enim communitas & civitas ex multis perſonis, & ejus bonum per multiplices actiones procuratur. Nec ad hoc ſolum, quod modico tempore duret, ſed quod omni tempore perſeveret per civium ſucceſſionem, ut Auguſtinus dicit in 2. de civit. Dei. Notandum tamen quod philoſophus in 5. Ethic. ponit tres partes juſtitiæ legalis, quod eſt jus poſitivum. Sunt enim quædam, quæ ſimpliciter in communi ponuntur, & hæ ſunt leges communes. Et quantum ad hoc dicit, quod legale eſt, quod ex principio quidem nihil differt, ut ſic ſit, vel aliter. Quando autem ponitur, differt; puta quod captivi ſtatuto pretio redimantur. Quædam vero ſunt quantum ad aliquid communia, & quantum ad aliquid particularia, quaſi leges privatorum, quia reſpiciunt ſingulares perſonas; ſed poteſtas earum extenditur ad multa negotia. Et quantum ad hoc dicit: quæcumque in ſingularibus legem ponunt. Dicuntur etiam quædam legalia, non quia ſint leges, ſed propter applicationem legum communium ad particu-

Finis legis quis ſit.

ticularia facta aliqua, ſicut ſunt ſententiæ, quæ pro jure habentur; & quantum ad hoc dicit philoſophus, & ſententialia.

Lex prohibet vitia, ſed non omnia.

Quantum ad tertium, ſcilicet quod lex humana prohibet vitia, ſed non omnia, declarat B. Thomas 1. 2. quæſt. 96. art. 2. ſic: Quum lex ſit quædam menſura humanorum actuum, & diverſa diverſis menſurentur, ſecundum convenientiam eorum, oportet, quod leges imponantur hominibus ſecundum eorum conditionem, quia lex ſecundum Iſidorum debet eſſe *poſſibilis ſecundum patriæ conſuetudinem*. Poteſtas autem operandi ſeu facultas ex interiori habitu & diſpoſitione procedit. Non enim idem eſt poſſibile non habenti habitum virtutis, & virtuoſo; ſicut non eſt idem poſſibile puero & viro perfecto: & propter hoc non ponitur eadem lex pueris, quæ adultis. Multa enim permittuntur in pueris, quæ in adultis puniuntur in lege, vel vituperantur. Et ſimiliter multa ſunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quæ non eſſent tolleranda in hominibus virtuoſis. Lex autem humana imponitur multitudini hominum, in qua major pars eſt hominum imperfectorum virtute; & ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuoſi abſtinent, ſed ſolum graviora, a quibus poſſibile eſt majorem partem multitudinis abſtinere, & præcipue quæ ſunt in nocumentum aliorum, ſine quorum prohibitione ſocietas humana conſervari non poſſet; ſicut prohibet homicidia, furta, adulteria, & hujuſmodi. Unde & ſignanter Iſidorus dicit Diſt. 4. *Factæ*: *Factæ ſunt autem leges, ut earum metu humana coerceatur audacia*. Audacia enim pertinere videtur ad invaſionem aliorum. Unde pertinet præcipue ad illa peccata, per quæ infertur injuria proximis, quæ utique lege prohibentur. Et quamvis intentio legiſlatoris ſit homines per eam facere virtuoſos; non tamen hoc intendit ſubito facere, ſed gradatim; & ideo non ſtatim multitudini imperfectorum imponit ea, quæ ſunt virtuoſorum, ut ſcilicet ab omnibus malis ſe abſtineant; alioquin imperfecti hujuſmodi præcepta ferre non valentes in deteriora mala prorumperent. Unde Dominus dixit Matth. 9. *Neque vinum novum*, ideſt præcepta perfectæ vitæ, *mittitur in utres veteres*, ideſt in homines imperfectos: *alioquin rumpuntur utres*, & *vinum effunditur*, ideſt præcepta contemnuntur, & homines imperfecti pro contemtu ad pejora dilabuntur.

Lex non præcipit omnes actus virtutum, quomodo intelligitur.

Quantum ad quartum, ſcilicet quod lex non præcipit omnes actus virtutum, ſic declarat B. Thomas ubi ſupra art. 3. Species virtutum diſtinguuntur ſecundum objecta. Omnia autem objecta virtutum referri poſſunt vel ad bonum privatum alicujus perſonæ, vel ad bonum commune multitudinis; ſicut ea, quæ ſunt fortitudinis, poteſt homo exſequi, vel propter conſervationem civitatis, vel ad conſervandum jus amici ſui, & ſimile de aliis. Lex autem deducitur ad bonum commune; & ideo nulla virtus eſt, de cujus actibus lex præcipere non poſſit. Non tamen de omnibus actibus omnium virtutum lex præcipit humana, ſed ſolum de illis, qui ſunt ordinabiles ad bonum commune immediate vel mediate, ſicut quum aliqua ordinantur a legiſlatore pertinentia ad bonam diſciplinam, qua cives informantur, ut bonum commune juſtitiæ & pacis conſervent. Sicut ergo lex humana non prohibet ſecundum obligationem præcepti omnes actus vitioſos; ita etiam non præcipit omnes actus virtuoſos. Sed ſicut prohibet lex aliquos actus ſingulorum vitiorum, ita & præcipit aliquos actus ſingularium virtutum. Notandum etiam, quod quum actus virtutis dicatur dupliciter, uno modo materialiter, ideſt facere actus fortitudinis juſtitiæ & hujuſmodi, etſi non ex habitu; & ſic lex præcipit aliquos actus virtutum: alio modo formaliter, ideſt operari virtuoſa eo modo, quo virtuoſus operatur; & talis actus procedit ad habitum virtutis, nec cadit ſub præcepto legis.

Omnes humanæ legi ſubjiciuntur, & quomodo.

§. V. Quod omnes ſubjiciantur legi humanæ, hoc ſic declarat B. Thomas 1. 2. quæſt. 96. art. 5. Lex de ſui ratione habet duo, ſcilicet quia eſt regula humanorum actuum, ſecundo quod habet vim coactivam. Dupliciter ergo poteſt aliquis eſſe legi ſubjectus. Uno modo ſicut regulatum regulæ; & hoc modo omnes, qui ſubduntur poteſtati, ſubjiciuntur legi, quam fecit poteſtas. Quod autem aliquis non ſubjiciatur poteſtati, poteſt contingere dupliciter. Uno modo, quia eſt ſimpliciter abſolutus ab ejus ſubjectione. Unde illi, qui ſunt de una civitate vel regno, non ſubduntur legibus principis alterius civitatis vel regni, ſicut nec dominio ejus. Alio modo ſecundum quod regitur alia lege ſuperiori, puta ſi aliquis ſit ſubjectus proconſuli, regulari debet ejus mandatis; non tamen in his, quæ diſpenſantur ab imperatore: quantum enim ad illa non aſtringitur quis mandato inferioris, quum ſuperiori mandato dirigatur. Et ſecundum hoc contingit, quod aliquis ſimpliciter ſubjectus legi, ſecundum aliqua legi non aſtringatur, ſecundum quæ regitur aliqua lege ſuperiori. Et ad hoc facit quod dicit Auguſtinus: *Sicut in potentatibus humanæ ſocietatis, ad obediendum major poteſtas minori recte præponitur; ita Deus omnibus*, Diſt. 8. *Quæ contra mores*. Alio modo dicitur aliquis ſubjici legi, ſicut coactum cogenti; & hoc modo homines virtuoſi non ſubjiciuntur legi, ſed ſolum mali. Quod enim eſt coactum & violentum, eſt contrarium voluntati; voluntas autem bonorum conſonat legi, a qua voluntas malorum diſcordat. Et ſecundum hoc boni non ſunt ſub lege; ſed tantum mali. Et ſic intelligitur illud Apoſtoli 1. ad Timot. 1. *Lex juſto poſita non eſt, ſed impiis* &c. quia ſcilicet non ſunt juſti ſubditi legi per modum coactionis, quia voluntarie obediunt. Nec obſtat, quod dicitur 19. quæſt. 2. *Duæ ſunt leges*, ſcilicet quod *qui lege privata*, ideſt Spiritu ſancto *ducitur, nulla ratio exigit, ut conſtringatur lege publica*, ideſt humana. Nam lex Spiritus ſancti eſt ſuper omni lege humanitus poſita; & ideo viri ſpirituales ſecundum hoc, quod ducuntur lege Spiritus ſancti, non ſubduntur legi humanæ quantum ad ea, quæ ſunt contraria ductioni Spiritus ſancti. Sed tamen hoc ipſum, eſt de ductu Spiritus ſancti, quod viri ſpirituales ſubjiciantur legibus humanis ſecundum illud 1. Pet. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum*. Hinc & Ambroſius: *Magnum quidem eſt, & ſpeciale documentum, quo Chriſtiani viri poteſtatibus ſublimioribus docentur debere eſſe ſubjecti, ne quis conſtitutionem terreni regis putet eſſe ſolvendam. Si enim cenſum filius Dei ſolvit, quis tu tantus es, qui non putas eſſe ſolvendum? Et Apoſtolus ait* Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, 11. quæſt. 1. *Magnum*, & §. ſequenti. Quod autem dicit juriſperitus, ff. *De legib. & ſenatusconſul.* quod *princeps ſolutus eſt legibus ſuis*; non vult dicere, quod non debeat eas ſervare, ſed quia non eſt ſubditus quantum ad vim coactivam: nullus enim cogitur a ſeipſo. Non enim habet lex vim coactivam, niſi ex principis poteſtate; & ſic dicitur princeps ſolutus lege, quia ſi tranſgreditur, nullus in eo poteſt ferre ſententiam condemnationis. Unde Hieronymus ſuper illud: *Tibi ſoli peccavi: Rex enim erat, & alium non timebat, De pœnit.* Diſt. 3. *Totam*, ſcilicet qui poſſet eum

Lex juſto poſita non eſt, quomodo intelligitur.

Princeps ſolutus eſt legibus ſuis quomodo intelligitur.

eum punire de adulterio; & ideo dixit : *Tibi soli peccavi*, quasi diceret : Tu solus habes me punire. Sed in quantum lex habet vim directivam, princeps est subditus legi suæ, propria scilicet voluntate, & debet servare. Unde extra *De constit.* cap. *Quum omnes*, dicitur : *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem uti debet : & sapientis dicit auctoritas. Patere legem, quam tu ipse tuleris.* Et Isidorus etiam dicit : *Justum est principem obtemperare legibus suis. Tunc enim æstimet sua jura ab aliis servanda, quando ipse primus illis reverentiam præbet*, Dist. 9. *Justum.* Et Dominus Jesus improperat eis, qui imponunt aliis *onera gravia & importabilia, & digito suo nolunt ea movere*, Matth. 23. Unde quantum ad Dei judicium princeps non est solutus legibus B quantum ad vim directivam ejus, sed debet voluntarius, non coactus servare. Est etiam princeps supra legem, in quantum, quum expediens fuerit, potest eam mutare, & in ea pro loco & tempore dispensare.

Præter verba legis agere subditis quando liceat.

§. VI. Quomodo, vel quando liceat subditis legi præter verba legis agere. Ad declarationem hujus dicit B. Thomas 1. 2. quæst. 96. art. 6. Omnis lex ordinatur ad bonum commune, ut dictum est, & in tantum habet vim & rationem legis. Secundum vero quod ab hoc deficit, non habet virtutem obligandi. Unde & jurisperitus, *De legib. & senatusconsult.* dicit quod *Nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.* Contingit autem, quod aliquid observari communi saluti est ut in pluribus; quod tamen in aliquibus casibus est nocumentum maximum. Quia igitur legislator non potest omnes casus singulares intueri, proponit legem secundum ea, quæ ut in pluribus accidunt, ferens intentionem suam ad communem utilitatem. Unde si emergat casus, in quo talis observatio legis sit damnosa, non salutifera; talis lex non est servanda. Sicut si in civitate obsessa statuatur lex, quod portæ stent clausæ, hoc est utile communi saluti, ut in pluribus. Si autem contingat casus, quod hostes insequantur aliquos cives, per quos civitas conservatur, damnosissimum esset civitati, si portæ eis non aperirentur. Et ideo in tali casu essent eis portæ aperiendæ contra verba legis, ut servaretur utilitas communis, quam intendit legislator. Sed tamen hoc est considerandum, quod si observatio legis secundum verba non habet subitum periculum, cui oporteat statim occurri, non pertinet ad quemlibet, ut interpretetur, quid sit utile; sed hoc solum pertinet ad principes, qui propter hujusmodi casus habent auctoritatem dispensandi legibus. Si vero sit subitum periculum non patiens tantam moram, ut ad superiorem possit recursus haberi; ipsa necessitas dispensationem habet annexam; quia necessitas non subditur legi. Hæc Thomas. Et tunc habet locum, quod ait Gratianus, 1. quæst. 1. *Remissionem*, §. *Sed notandum : Necessitas non habet legem, sed ipsa facit legem.* Nec obstat, quod ait Augustinus in lib. de vera religione : *In istis temporalibus legibus, quamvis homines judicent de ipsis, quum eas instituunt; tamen quum fuerint institutæ & firmatæ, non licebit de ipsis judicare, sed secundum ipsas*, Dist. 4. *In istis.* Videtur enim, quod si quis prætermittat verba legis, dicens se intentionem legis servare, quod judicet talis de lege. Ad quod respondet Thomas, quod ille, qui in casu necessitatis agit præter verba legis, non judicat de lege, sed de casu singulari, in quo videt verba legis non esse servanda. Unde dicitur extra *De rescrip.* cap. *Causam*, quod verba in rescriptis vel legibus posita debemus conformare æquitati, etiam si verba non paterentur. Item si arguatur, quia ejus est interpretari legem, cujus est condere, ut dicit Gratianus 11. quæst. 1. *Sicut enim*, §. *Ex his omnibus*; sed subditorum legi non est condere legem; nec ergo eorum est interpretari intentionem legislatoris, sed secundum verba agere; respondet Thomas, quod ille, qui sequitur intentionem legislatoris, non interpretatur legem simpliciter, sed in casu, in quo manifestum est per evidentiam nocumenti legislatorem aliud intendisse : si enim dubium sit, debet vel secundum verba legis agere, vel superiores consulere. Unde Gregorius dicit, quod *humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant.* Et paullo post : *Verba debent deservire intentioni, non intentio verbis*, 22. quæst. 5. *Humanæ.* Et dicit Glossa argum. quod potius est consideranda mens alicujus in loquendo, quam verba; unde & extra *De verb. signif.* dicit Hilarius : *Intelligentia dictorum ex caussis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.* Sed hoc est verum, dicit Glossa, quum constat de intellectu legis; alias in dubiis non est a verbis recedendum, ff. *De leg.* 3. l. *Non aliter*; & sic concordat Glossa cum Thoma. Item quamvis sapientes noverint intentionem suam verbis explicare, & conditores legum fuerint sapientes; tamen nullius sapientia tanta est, ut possit omnes casus excogitare; & ideo non potest sufficienter per verba sua C in lege exprimere ea, quæ conveniunt ad finem intentum. Et si posset legislator omnes casus considerare, non oporteret, quod omnes exprimeret propter confusionem vitandam, sed legem ferre deberet secundum ea, quæ eveniunt ut in pluribus. Thomas.

In dubio servanda lex, nisi superior consulatur.

Nota item de dubio.

Legis interpretatio quadruplex.

§. VII. De interpretatione legis nota, quod Glossa super §. *Ex his omnibus*, 11. quæst. 1. ponit quadruplicem interpretationem legis. Nam quædam interpretatio est probabilis, sed non est necessaria, ut magistri & doctores interpretantur leges, C. *De profess. qui in urbe Constantinopolitana*, l. unica. Quædam est necessaria, sed non generalis, ut judicis, ff. *De leg.* l. *Nam ut ait*; sed non potest interpretari sententiam suam, D nisi sit præses provinciæ, ff. *De appell.* l. *Ab executore.* Quandoque etiam legatus interpretatur rescriptum Papæ, extra *De sequest.* cap. *Ad hoc.* Quædam interpretatio est probabilis, necessaria, & generalis, sed non in scriptis redigenda, ut consuetudinis, ff. *De legib.* l. *Si de interpretatione*, extra *De verbor. significat.* cap. *Abbate.* Quædam est probabilis necessaria, & in scriptis redigenda, ut Principis, C. *De legib.* l. 1. Addit Archidiaconus ad Glossam : Dicunt quidam, & forte non male, quod non licet inferioribus judicibus interpretari inter jus scriptum, & æquitatem; immo hoc solis principibus licet, C. *De legib. & constit.* l. ult. Sciendum tamen, quod in caussis, quas coram se habent inferiores judices, E bene possunt quantum ad jus litigatoris pertinet super juribus & interrogationibus inter jus & æquitatem interpretari : ita notat Innocentius, extra *De appellat.* cap. *Quum speciali.*

Sed quid, si super arbitrio prolato oritur dubitatio, numquid arbiter poterit interpretari? die, quod arbiter non potest interpretari, seu declarare, seu determinare post sententiam ab eo latam secundum ea, quæ notantur, extra *De arbit.* cap. *Quum olim.*

Lex humana mutari potest duplici de caussa.

§. VIII. De mutatione legum : si mutari lex humana possit, & quando. Et de hoc dicit Augustinus in 1. de libero arbitrio : Lex temporalis, quamvis justa sit, mutari tamen per tempora juste

juſte poteſt. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 97. art. 1. Lex humana eſt quoddam dictamen rationis, quo diriguntur actus humani, & ſecundum hoc duplex poteſt eſſe cauſſa, quod lex humana juſte mutetur; una quidem ex parte rationis; alia vero ex parte hominum, quorum actus lege regulantur. Et ex parte quidem rationis, quia humanæ rationi naturale eſſe videtur, ut gradatim ab imperfecto ad perfectum veniat. Unde videmus in ſcientiis ſpeculativis, quod qui primo philoſophati ſunt, quædam imperfecta tradiderunt, quæ poſtmodum per poſteriores magis ſunt tradita perfecte; ita etiam eſt in operabilibus. Nam primi, qui intenderunt invenire aliquid utile communitati hominum, non valentes omnia ex ſeipſis conſiderare, inſtituerunt quædam imperfecta in multis deficientia, quæ poſteriores mutaverunt, inſtituentes aliqua, quæ in paucioribus deficere poſſent a communi utilitate. Ex parte vero hominum, quorum actus leges regulantur, lex recte mutari poteſt propter mutationem conditionis hominum, quibus ſecundum diverſas eorum conditiones diverſa expediunt. Sicut Auguſtinus ponit exemplum in 1. lib. de libero arbitrio, quod ſi populus ſit moderatus & gravis, communiſque utilitatis diligentiſſimus cuſtos recte lex fertur, qua ſibi liceat magiſtratus creare, per quos reſpublica adminiſtretur. Porro ſi paullatim populus depravatus habeat venale ſuffragium, & regimen flagitioſis ſceleratiſque committatur; recte adimitur poteſtas tali populo dandi honoris, & ad paucorum bonorum redit arbitrium. Et quamvis lex humana derivetur a lege naturali, quæ eſt immutabilis; non tamen ſequitur, quod ipſa lex humana etiam ſit immutabilis. Et ratio hujus eſt, quia lex naturalis eſt quædam participatio legis æternæ, ut dictum eſt ſupra; ideo immobilis perſeverat, quod habet ex immobilitate divinæ rationis inſtituentis naturam. Sed ratio humana mutabilis eſt & imperfecta; & ideo lex humana ab ea procedens eſt mutabilis. Item quia lex naturalis continet quædam univerſalia præcepta, quæ ſemper manent; lex autem ab homine poſita quædam præcepta particularia ſecundum diverſos caſus, qui emergunt.

Præcepta legis naturalis.

Item ſicut jura civilia, ſive communia, ſive municipalia mutata ſunt diverſis temporibus; ita & jura canonica: quod oſtendit Gratianus per exemplum circa electionem Pontificum. Dicit enim Diſt. 63. §. *Principibus* poſt can. *Vota: Principibus, & Imperatoribus electiones ſummorum Pontificum, atque aliorum Epiſcoporum*, ut Gregorii & Ambroſii, *referendas, uſus & conſtitutio tradidit, pro ſchiſmaticorum, & hæreticorum diſſenſionibus, quibus Eccleſia Dei nonnumquam concuſſa periclitabatur, contra quos legibus fideliſſimorum Imperatorum frequenter Eccleſia munita legitur. Repræſentabatur ergo electio catholicorum Pontificum principibus, ut eorum auctoritate roborata, nullus hæreticorum, vel ſchiſmaticorum auderet contraire* &c. Et in §. ſequenti ſubdit: *Verum quia Imperatores aliquando modum ſuum ignorantes, non in numero conſentientium, ſed primi diſtribuentium immo exterminantium eſſe voluerunt, frequenter etiam in hæreticorum perfidiam prolapſi, catholicæ matris Eccleſiæ unitatem impugnare conati ſunt; ideo ſanctorum patrum inſtituta contra eos prodierunt, ut ſe electioni non ingererent; & quiſquis eorum ſuffragio Eccleſiam obtineret, anathematis vinculo innodaretur; ſicut etiam Scriptura divina dicit, quod Ezechias, poſtquam diſſipavit excelſa*, ubi ſcilicet idola colebantur, *& contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregit etiam ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes, videlicet quia illum ſerpentem Deus fieri juſſerat, ne ſerpentina morte populus interiret; ille autem populus ideo venerari & colere cœperat; idcirco deſtruxit iſte, quod Deo jubente fecerat ille; ac per hoc magna auctoritas iſta eſt in Eccleſia habenda, ut ſi non nulli ex prædeceſſoribus, & majoribus fecerunt aliqua*, ſtatuta ſcilicet, *quæ pro illo tempore fuerunt ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem & ſuperſtitionem, ſine aliqua tarditate, & cum magna auctoritate deſtruenda ſunt*. Hæc Gratianus. Et dicit ibi Gloſſa arg. quod ſucceſſores debent mutare facta inſtituta anteceſſorum etiam bona, ſi viderint eſſe pernicioſa exemplo, 12. quæſt. 1. *Videntes*, 35. quæſt. 1. can. 1. & Diſt. 96. *Bene*, in fine, extra *De decim.* cap. *Suggeſtum*.

§. IX. De mutatione legum, quod fieri non debet ſine cauſſa multum utili vel neceſſaria. Unde Nicolaus Papa Diſt. 12. can. 5. *Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, ut.... traditiones, quas a patribus accepimus... infringi patiamur*. Pro cujus declaratione dicit B. Thomas, quod lex humana in tantum recte mutatur, in quantum per ejus mutationem providetur bono communi. Habet autem ipſa legis mutatio, quantum in ſe eſt, quoddam detrimentum communis ſalutis, quia ad obſervantiam legum plurimum valet conſuetudo, in tantum quod ea, quæ contra communem conſuetudinem fiunt, etiamſi ſint leviora, graviora videantur. Unde quando mutatur lex, vis conſtrictiva legum diminuitur, in quantum tollitur conſuetudo. Et ideo numquam debet lex mutari, niſi ex alia parte tantum recompenſetur communi ſaluti, quantum ex iſta parte derogatur. Quod quidem contingit ex hoc, quod aliqua maxima & evidentiſſima utilitas ex novo ſtatuto provenit, vel ex eo, quod eſt maxima neceſſitas, eo quod lex conſueta, aut gravamen, aut iniquitatem continet, aut ejus obſervatio eſt plurimum nociva. Unde dicitur a juriſperito, ff. *De conſtit. prin.* l. 2. quod *in rebus novis conſtituendis evidens debet eſſe utilitas, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt*. Et quum leges habeant maximam virtutem ex conſuetudine, ut ait philoſophus in 2. Politicor. ideo non ſunt de facili mutandæ.

De legum mutatione.

§. X. De jure gentium. Hoc jus quid ſit, ſeu quale, declarat Iſidorus Diſt. 1. in decretis cap. *Jus gentium* per exempla. Dicit enim: *Jus gentium eſt ſedium occupatio*. Gloſſa: *vacantium*, quæ ſcilicet occupanti conceduntur, *Inſtit. De rer. diviſ. §. Feræ*. Alioquin ſi propria auctoritate caperet rem ſuam, cadit a jure ſuo, ut ff. *Quod met. cauſ.* l. *Exſtat*. Et hoc niſi forte alio modo non poſſet habere per judicem, ut 23. quæſt. 2. can. 1. & 2. Hoc etiam tenet Thomas, ita tamen, quod non inde ſequatur ſcandalum, vel gravamen aliis. Vel *ſedium occupatio*, ſcilicet hoſtilium; quod videtur intelligendum, quando juſtum eſt prælium occupantium. *Ædificatio*, ſcilicet ad hoſpitandum. *Munitio*, ſcilicet contra hoſtes. *Servitutes*: ſervitus dicitur eſſe de jure gentium, non quod primo eam invenerit, quum Noe maledictionem ſervitutis intulerit Chanaan filio Cham propter irriſionem in eum factam ab ipſo Cham, quum ex ebrietate vidit eum nudatum jacere in pudendis, Gen. 9. ſed quia jus gentium eam approbavit. Quum ergo bellum eſt juſtum, captus efficitur ſervus capientis, qui habet juſtum bellum. Unde ſervus dicitur a ſervando, quia ſcilicet captus ſervabatur in vita, ne occideretur; ſed ad ſerviendum ſervabatur. Et peccat qui ſic captus, ſcilicet in bello juſto, recedit a domino ſuo. Sed ſi bellum eſt injuſtum, licitum eſt fugere, ſi poteſt. *Bella*, ſcilicet juſta: *captivitates*, ut ſcilicet qui capiuntur, ſerventur ad vitam. *Poſtliminium* eſt jus, quo reſtitui-

Jus gentium quid ſit.

ſtituitur alicui res, quam propter captivitatem amiſerat, ut 16. quæſt. 3. *Prima*. Niſi ſint arma, quæ non reſtituuntur, quia ea turpiter amiſit, ut ff. eod. l. 2. Vel veſtes ſecundum Laurentium: Induciæ, ideſt treugæ. Hugo. Circa eas autem determinatur per jus canonicum, ut extra *De treug. & pace* per totum: *Legatorum non violandorum religio.* Gloſſa: Si quis legatum amicorum, vel hoſtium impedit, ſecundum canones excommunicatur, Diſt. 94. *Si quis*. Secundum leges hoſtibus traditur, ut ſit ſervus illiorum, ut ff. *De legat.* l. ult. *Connubia*, ſcilicet inter homines ejuſdem ritus fidei, ut 28. quæſt. 1. *Cave*. Concludit Iſidorus: *Hoc jus gentium appellatur, quia eo ferre omnes gentes utuntur.* Et dicit hic Archid. quod ex hoc jure gentium fere omnes contractus introducti ſunt, ſcilicet emtionis, venditionis, permutationis, & hujuſmodi. Licet autem jus gentium obligationes induxerit, non tamen nomina neque actiones, immo a jure civili poſtea inducto proceſſerunt. Inſtit. *De action. §. Sed iſtæ quidem.*

De lege canonica.

§. XI. Lex canonica eſt lex Eccleſiæ, & dicitur canon, largo tamen vocabulo: quid autem ſit canon, dicit Iſidorus lib. 5. Etym. *Canon græce latine regula nuncupatur. Regula* autem *dicta eſt, eo quod recte ducit, nec aliquando aliorſum trahit. Alii dixerunt regulam dictam vel quod regat, vel quod normam bene vivendi præbeat, vel quod diſtortum pravumque corrigat*, Diſt. 3. can. 1. & 2. Et dicit ibi gloſſa ſummaria, quod conſtitutio eccleſiaſtica appellatur variis nominibus. Aliquando dicitur canon, quandoque decretum, quandoque decretalis epiſtola. Canon dicitur, quod ſtatuitur in generali concilio. Decretum, quod ſtatuit Papa de conſilio Cardinalium ſuorum ad nullius conſultationem. Decretalis vero epiſtola, quam ſtatuit Papa vel ex ſe, vel ex conſilio Cardinalium. Item invenimus alias canonicæ conſtitutionis appellationes, ut dogma, mandatum, interdictum, & ſanctio. Dogma eſt in doctrina conſiſtens fidei chriſtianæ. Mandatum in doctrina de moribus. Interdictum, in quo nulla pœna adjicitur. Sanctio, ubi pœna adjicitur. Tamen unum quandoque ponitur pro alio, 25. quæſtione 2. *Si quis*. Gloſſa ſuper illud, *nec aliquando aliorſum trahit*, contra ff. *De reg. jur.* l. 1. *Regula eſt, quæ rem breviter enarrat; non ut ex ea jus fiat*; ergo aliquando aliorſum trahit. Reſpondeo, ſi illud appellatur regula, in quo aliquid generaliter ſtatuitur ſine ſuis exceptionibus; ſic trahit aliquando aliorſum, & ſecundum hoc intelligitur regula inducta. Si autem ſumatur regula, ſecundum quod includit ſuas exceptiones; ſic numquam fallit. Et notandum, quod ait Gregorius Diſt. 29. can. 2. *Regulæ ſanctorum patrum pro tempore, loco, & perſona, & negotio, inſtante neceſſitate traditæ ſunt*, & Diſt. ead. cap. 1. Iſidorus dicit: *Sciendum eſt, quod pleraque capitula ex cauſſa, ex perſona, ex loco, ex tempore conſideranda ſunt, quorum modi, quia medullitus non indagantur, in erroris labyrinthum non nulli intricando impinguntur, quum ante judicant, quam intelligant; ante inculpant, quam iterando lecta perquirant.* De regulis juris ponetur inferius.

De præceptis Eccleſiæ.

§. XII. De præceptis Eccleſiæ, quæ obligant ad mortale. Et aliqua quidem univerſalia ſunt, quæ extenduntur ad omnes fideles, aliqua ad certos ſtatus perſonarum. Et univerſalium primum quidem eſt de celebratione feſtorum, de quibus agitur, & determinatur: *De conſec.* Diſt. 3. *Pronuntiandum*. Nam quamvis vacare Deo, & per conſequens ceſſare ab operibus exterioribus, pro aliquo tempore, ſit de jure divino & naturali; tamen determinatio temporis, in quo hoc fiat, vel determinatio dierum, eſt de jure poſitivo & præcepto Eccleſiæ. Declaratio circa iſtud præceptum habetur in ſecunda parte, tit. 9. ſcilicet de acidia cap. 7. §. de omiſſione feſtorum.

Secundum præceptum eſt de obſervantia jejuniorum diebus terminatis per Eccleſiam, ut per totam Quadrageſimam, *De conſec.* Diſt. 5. *Quadrageſima*. Et in quattuor temporibus anni, & certis vigiliis, Diſt. 76. per totum: [1] & iſtud habet multas declarationes, & exceptiones, quas vide in 2. parte tit. de gula cap. de tranſgreſſione jejuniorum.

Tertium eſt de abſtinentia ab eſu carnium omni ſexta feria anni, *De conſecrat.* Diſt. 3. *De eſu*, niſi quum natale Domini venerit in tali die, extra *De obſervat. jejun.* cap. finali. Die autem ſabbati in Italia, & ubi eſt talis conſuetudo, etiam eſt in præcepto [2] ubi non eſt conſuetudo, ut in Cathalonia, & quibuſdam aliis regionibus, non eſt in præcepto. Eſt etiam abſtinere ab ovis, & caſeo in tempore Quadrageſimæ non ſolum jejunantibus, ſed etiam habentibus juſtam cauſſam non jejunandi, niſi excuſaret infirmitas, Diſt. 4. *Denique*.

Quartum præceptum Eccleſiæ eſt de auditione miſſæ diebus dominicis & feſtivis, *De conſecrat.* Diſt. 1. *Miſſas*, & extra *De paroch.* cap. *Ut dominicis*. Declaratio autem hujus præcepti habetur in 2. parte tit. de acidia cap. 10. ſcilicet de omiſſione divinorum.

Quintum præceptum eſt de annuali confeſſione, ideſt quod ſemel ſaltem in anno quilibet, poſtquam venerit ad annos diſcretionis, confiteatur peccata ſua proprio ſacerdoti, extra *De pœnit. & rem.* cap. *Omnis utriuſque*. Declarationem hujus, & quis dicatur proprius ſacerdos, habes in tit. de acidia 2. parte, cap. de omiſſione confeſſionis, & in 3. parte tit. 17. de confeſſorib. & de materia confeſſionis, in tit. 13. de cler. & perfectius tit. ſequent. ſcilicet de ſeptem ſacramentis, de ſacramento pœnitentiæ.

Sextum præceptum eſt de annuali communione ſumenda in die paſchatis, poſtquam venerit quis ad annos diſcretionis, extra *De pœnit. & rem.* cap. *Omnis*. Quis autem ſit annus diſcretionis, & de die paſchatis, declaratur tit. de acidia & de omiſſione communionis in 2. parte. Additur & huic aliud præceptum Eccleſiæ erga ſumentes euchariſtiam, ſcilicet quod jejuno ſtomaco ſumant, niſi ſint graviter infirmi, de conſec. Diſt. 2. *Liquido*. Et declarationem hujus habes in 3. parte tit. de cleric. & tit. ſequent. cap. de ſacramento euchariſtiæ.

Septimum eſt de ſolutione decimarum, quo ſcilicet ad quotam, ideſt decimam partem fructuum vel lucrorum, ſecundum Thomam, extra *De decim.* cap. *A nobis*. Et præcipue ubi eſt conſuetudo dandi totum, vel partem, quantum ad illam partem eſſet in præcepto. Quomodo autem excuſentur non dantes, ubi non eſt conſuetudo, vel non excuſentur, vide declarationem in 2. parte, tit. 4. de inani gloria, cap. 5. de inobedientia, quoad ſolutionem decimarum.

Poteſt Eccleſia prohibere ſub gravi rem de ſe non peccaminoſam.

Octavum eſt abſtinere ab omni actu, qui prohibentur ſub pœna excommunicationis, & permaxime latæ ſententiæ. Nam contrarium faciendo eſt peccatum mortale, ſive ſit ſententia lata a jure univerſali, ſive ſynodali, ſive ab homine, etiam ſi illud de ſe non eſſet peccatum; puta ingredi monaſterium Monialium non mala intentione, ſed ad videndum locum, de ſe nullum eſt peccatum. Sed ſi

1 Sequentia uſque ad vocem *jejuniorum* addita fuerunt ex Jenſoniana Veneta editione an. 1479.

2 Ex memorata editione addidi etiam a voce *ubi* uſque ad voces *eſt in præcepto*.

si est lata sententia excommunicationis contra ingredientes extra casum necessitatis, ingrediens peccat mortaliter. Et hoc, nisi excuset eum ignorantia juris illius, & habeat justam causam ignorantiæ; & nisi sententia injuste ferretur ab homine. Nam etsi liget talis sententia, non tamen conscientia in conspectu Dei, nisi contemneret, 11. quæst. 3. *Et si ad tempus damnaris*. De hac materia habes in 3. parte, tit. de excommunicatione.

Nonum est de vitatione excommunicatorum, 11. quæst. 3. *Cum excommunicato*, & can. sequenti; & hoc in divinis officiis. Nam participare cum hujusmodi excommunicatis majori in divinis scienter est mortale secundum Thomam & alios, & etiam participando in aliis, ut loquela, mensa, & hujusmodi, quando scilicet hoc fieret in contemtum Ecclesiæ, vel post prohibitionem prælatorum spiritualiter super hoc factam secundum Thomam & alios. Nota tamen hodie, quod per decretum Constantiense hoc fuit modificatum, scilicet quod non tenentur fideles excommunicatos vitare, etiam in divinis, nisi postquam fuerint publice denuntiati, vel propter publicam manuum injectionem in personam ecclesiasticam. Vide de hoc in 3. parte tit. De excommunicatione.

Decimum est, quod non audiantur missæ & divina officia clericorum publice in fornicatione jacentium, seu concubinariorum, Dist. 32. *Præter hoc*. Hoc tamen varie intelligitur a doctoribus. Sed per illud decretum Constantiense etiam modo prædicto videtur mitigatum, videlicet quod non debeant evitari, nisi fuerint a suis prælatis publice denuntiati.

Undecimum præceptum concernit clericos ordinatos in sacris, vel beneficiatos, scilicet quod debeant dicere quotidie septem horas canonicas, [3] tam
3 de Virgine, quam de tempore; alias etiam unam horam ex negligentia omittendo scienter, peccat mortaliter, extra *De celebrat. miss.* cap. *Dolentes*. Cujus declarationem habes in 3. parte, tit. 13. de clericis, cap. de horis canonicis.

Duodecimum, quod non dicant missam sacerdotes, nisi prius dictis matutinis & prima, ubi est de consuetudine vel constitutione; alias esset [4] mortale secundum Guiliel. & hoc ex gene-
4 rali consuetudine Ecclesiæ.

Tertiumdecimum est, quod dicendo missam sacerdotes, si omittant de vestibus sacris ordinatis ab Ecclesia, vel aliis consuetis ubique observari, ut cum lumine, cum missali, cum ordine bebito & hujusmodi, omittendo aliquod notabile scienter, erit mortale, quia contra constitutionem, vel morem Ecclesiæ, Dist. 11. *In his*. De his habes in 3. parte, tit. 13. de cleric. cap. 5. & 6. & tit. seq. cap. 5. de septem sacram. & cap. 7. de sacramento ordinis.

Quartumdecimum est erga religiosos, quod non dicant aliqua retrahentia homines a solutione decimarum, & quod faciant confessores conscientiam confitentibus de decimis, & quod prædicatores prædicent certis diebus de materia decimarum, quum fuerint super hoc a prælatis Ecclesiarum requisiti. Ista sunt tria præcepta, & transgrediendo scienter esset mortale. In 3. parte habes declarationem hujus.

Quartumdecimum est commune clericis & religiosis, scilicet quod non se exerceant in negotiis sæcularibus, ut in militia, in negotiatione, in macellaria, in cauponia, & hujusmodi, ex-

A tra *Ne cleric. vel monac.* cap. 1.

Sextumdecimum in qualibet regula seu religione est sciendum, quod habentur aliqua statuta per modum præcepti secundum expositionem ibi factam, vel declarationem Ecclesiæ, ut in regula Minorum, & quodlibet illorum transgrediendo est mortale. Facere autem contra aliquod essentialium religionis, scilicet contra paupertatem, castitatem, & obedientiam, est mortale, non solum quia contra jus humanum, sed magis quia contra jus divinum & naturale, quia contra factum votum. Horum declarationem habes in 3. parte, tit. 16. de statu religiosorum.

Decimumseptimum est ad medicos, ut scilicet quum vocantur ad infirmos, debeant eos inducere, ut confiteantur peccata sua, extra *De pœnit. & remiss.* cap. *Quum infirmitas*. Et declarationem hujus habes in 3. parte tit. 7. de medicis. Quod autem non dent medici medicinam in detrimentum animæ pro salute corporali vel alia causa, puta quod mulier gravida faciat abortivum, ne ipsa moriatur, vel ne fornicatio sua nota fiat, quod etiam in dicta Decretali prohibetur; quoniam hoc non est solum de jure positivo, sed etiam divino & naturali.

Contra procurantes abortū pro salvanda matre.

Decimumoctavum sciendum, quod ad statum conjugatorum multiplex præceptum fuit per Ecclesiam institutum. Primo, quod non contrahant habentes aliquod ex impedimentis matrimonium dirimentibus, quæ sunt [5] duodecim, & habentur in 3. parte tit. 1. Secundo, quod non consument matrimonium contrahentes in tempore prohibito, ideſt nuptias faciant, ut in Quadragesima & hujusmodi, de quo habes in 3. parte, tit. 1. Tertio, quod quum debeant benedici, quia non bigami, non consument matrimonium ante benedictionem nuptiarum. Quarto, quod non fiat, seu contrahatur matrimonium [6] clandestine, ideſt sine testibus saltem. Et de his omnibus habes in 3. parte tit. 1. Quinto, quod perseveranti in adulterio alter, qui est innocens, non debet exactus reddere debitum, quando est [7] notum, 32. quæst. 1. per totum. Declarationem hujus habes in 3. parte, tit. 1. Sunt & alia præcepta Ecclesiæ aliquas personas concernentia, & non ita generalia, quæ & causa brevitatis, & aliis de causis omittuntur, quæ pertinent ad diversos status.

5

6

7

§. XIII. De canonibus. Nota, quod canon aliquando sumitur large pro quacumque regula in quacumque facultate; & sic etiam scientia medicinæ dicitur habere suos canones: aliquando sumitur pro omni scriptura ecclesiastica; & sic Hieronymus dicit in Prologo Bibliæ, quod aliqui libri in Biblia, ut liber Sapientiæ, Ecclesiastici, & hujusmodi, non habentur in canone, scilicet librorum Scripturæ, qui sunt approbati ab Ecclesia, ut nullo modo liceat dubitare de his, quæ contineatur in illis, & per illos argumentatur necessario concludendo in his, quæ sunt fidei. Secundum hoc etiam quodcumque habetur in corpore juris canonici dicitur canon non solum constitutiones ecclesiasticæ, sed etiam dicta doctorum, quæ ibi habentur. Tertio dicitur canon stricte pro constitutione ecclesiastica, quæ fit in conciliis universalibus, vel provincialibus. Nam ut dicit Gratianus Dist. 3. *ſſ. Porro: Conciliorum alia sunt universalia alia provincialia. Et provincialium alia celebrantur auctoritate Romani pontificis, præsente videlicet legato Romanæ Ecclesiæ*

De multiplici acceptione hujus nominis canon.

3 Nunc extra chorum recitantibus, nec obligatis speciali regula, horæ B. Virginis præceptæ non sunt.

4 Confer not. 9. in cap. 1. tit. 16.

5 Nunc plura sunt quam duodecim, ut in eamdem partem tertiam tit. 1. notabimus.

6 Clandestine contractum matrimonium nunc non solum illicitum est, sed etiam irritum, ut memorato loco fusius dicetur.

7 Consule not. 2. in cap. 3. tit. 5. partis 2. pag. 664.

cleſiæ, & dicit ibi gloſſa ſuper verbo *legato*, ſcilicet ſpecialiter ad hoc deſtinato: licet enim aliquis ſit generalis legatus; non tamen poteſt facere generale vel provinciale concilium, quia ea, quæ Romano pontifici conceduntur ſpecialiter, mandata generali juriſdictione non transferuntur, extra *De offic. legat.* cap. *Quod translationem*. Sed numquid metropolitanus poteſt condere canones in ſuo [8] concilio, ſcilicet provinciali? Dicas quod ſic de parvis negotiis, & de his, quæ ſpectant ad onus ſuum; de magnis rebus non poteſt, ut de his, quæ pertinent ad fidem, ut Diſt. 17. *Multis*. Et canones ſui ſolum obligant eos, qui ſibi ſunt ſubditi, ſcilicet de provincia.

8

Et notandum ſecundum Archidiaconum, Diſt. ead. ſuper verbo *legato*, quod legatus in provincia ſibi decreta ſeu commiſſa poteſt ſtatuta facere & durant ſtatuta per eum, etiam eo recedente, extra *De offic. legat.* cap. *Nemini*. Et ut evites omnem calumniam, intelligas de ſtatutis legatorum in conciliis provincialibus, vel generalibus, de quibus loquitur hic Gratianus Diſt. 76. *Utinam*. De aliis præceptis ſuis, inhibitionibus, & interdictis, dico, quod ſi aliquem prohibet advocare poſt tempus adminiſtrationis ſuæ, ſcilicet legati, poteſt ſuum officium advocationis ſuæ exercere, ff. *De pœnis*, l. ult. ſecundum Vincentium; & ſimiliter ſi ad tempus prohibet illud, ff. *De pœnis*, l. *Moris*. Si vero ſententialiter cum cauſſæ cognitione; ſuo officio finito nihilominus tenet ſtatutum, & ita intelligitur C. *De poſtul.* l. 1. Et quod gloſſa dicit de legato, quod non poteſt concilium provinciale facere, intelligendum eſt in his, quæ ſpectant ſolum ad Papam. Nam hoc facere concilium provinciale ſpectat ad metropolitanum cum ſuis ſuffraganeis. Ut eo inferior non videatur legatus, dicendum eſt, quod quantum ad provinciam ſibi decretam poteſt facere concilium, quia in ea ordinarius eſt, extra *De offic. legat.* cap. *Legatos*, lib. 6.

Quæſtio de canonibus provincialibus concilii.

Item quærit Archidiaconus Diſtin. 17. cap. 1. ſi fiant in concilio provinciali aliqui canones, & aliquis incidat in aliquem illorum; numquid Archiepiſcopus ſine Epiſcopis poterit abſolvere? Reſpondeo ſecundum Hoſtienſem in cap. *Grave*, *De præbend.* qui facit circa hoc diſtinctionem, & dicit, quod ſi formantur ſtatuta in forma concilii, ut ſi dicatur: *Nos concilium*, vel *nos archiepiſcopus de conſenſu ſuffraganeorum noſtrorum in concilio congregatorum ſtatuimus* &c. tunc ſine conſenſu eorumdem non poterit fieri abſolutio vel relaxatio, arg. *De tempor. ordin.* cap. *Si Archiepiſcopus*, & *De offic. delegat.* cap. *Cauſſam*, niſi forte Epiſcopi hoc ei conceſſerint, vel ſuper hoc ſit munitus conſuetudine, vel privilegio ſpeciali, extra *De offic. ord.* cap. *Duo*, aut in perſonam Archiepiſcopi ſit factus canon; ut ſi dicatur: *Nos Archiepiſcopus de* * *conſilio fratrum noſtrorum*, quod conſilium quum non importet neceſſitatem, ut notatur extra *De arbit.* cap. *Quum olim*, non multum operatur; & ſic per ſe poterit abſolvere, ſatisfactione tamen præmiſſa, extra *De inſtit.* cap. *Ex frequentibus*, niſi ſit ſolemne anathema. Alii vero indiſtincte dicunt, quod non poteſt. Nam quum ſtatutum non poſſit facere in provincia ſine ſuis ſuffraganeis; nec econtra, ſcilicet poteſt abſolvere, Diſt. 18. *Epiſcopus*. Et ſic non poterit pœnam tollere ſine concilio, quia *omnis res*, &c. extra *De regul. jur.* Concludit

* al. *concilio.*

A Archidiaconus: Ego credo, quod ſive dicat: *Nos concilium*, ſive: *Nos Archiepiſcopus de conſenſu* &c. non ſolum Archiepiſcopus poterit abſolvere ſuum ſubditum ab illo ligamine; immo & quilibet ſuffraganeus ejus poterit abſolvere ſuum ſubditum, quum talis ſit ſententia canonis, ſive juris, arg. extra *De ſent. excom.* cap. *Nuper*. Dicit etiam Gratianus, quod epiſcoporum concilia, ideſt congregationes, quas faciunt epiſcopi cum clericis ſuæ Diœceſis, quæ conſueverunt dici ſynodi, quamvis ſint *invalida ad conſtituendum & diffiniendum*; non tamen ſunt invalida *ad corrigendum*, & exhortandum; habent etiam *auctoritatem imponendi, & indicendi, quod alias ſtatutum eſt*, Diſt. 8. §. 1. ubi dicit gloſſa, quod iſtud

De ſynodis diœceſanis.

B non eſt verum, ſcilicet quod epiſcopi in ſynodo non poſſint aliquid ſtatuere, immo poſſunt condere canones epiſcopales, ſicut Archiepiſcopi provinciales; non tamen conſueverunt dici canones, ſed conſtitutiones ſynodales. Et quilibet populus & quælibet Eccleſia poteſt ſibi ſtatuere aliquod jus, Diſt. 11. *Catholica*. Super quo cap. dicit Archidiaconus, quod nullum ſtatutum poteſt facere ſive cathedralis Eccleſia, ſive alia ſine conſenſu epiſcopi, extra *De conſuet.* cap. *Quum conſuetudinis*, & *De his, quæ fiunt a prælatis*, cap. *Novit*, niſi ſint aliqua minima. Ratio eſt, quia epiſcopus eſt caput cathedralis Eccleſiæ & aliarum, extra *De teſtam.* cap. *Requiſiſti*. Et ſine capite nihil eſt faciendum ſecundum Innocentium,

C qui ſic notat, extra *De conſtit.* cap. *Quum acceſſiſſent*. Sed videtur contradicere, extra *De conſtitut.* cap. *Quum omnes*, & *De clericis non reſiden.* cap. *Quum dilectus*. Sed dic, quod illa jura poſſunt intelligi, quando conſtitutio illa fuerit facta auctoritate Epiſcopi, vel non erat, qui eam impugnaret; alias non valeret, niſi Papa ex certa ſcientia illam confirmaſſet, ſecundum Bernardum Compoſtella, qui ita notat in dicto capitulo *Quum omnes*.

De concíliis generalibus.

§. XIV. De canonibus conciliorum univerſalium, & de ipſis conciliis univerſalibus, quæ ſint approbata, habetur Diſt. 15. & 16. per totum & ibi etiam habetur de canonibus Apoſtolorum, qui ſunt authentici, & qui apocryphi. Et ſpecialiter canones ſeu conſtitutiones editæ, in quattuor primis conciliis univerſalibus, in quibus reprobatæ ſunt quædam hæreſes tunc exortæ, 9 approbantur ſicut quattuor Evangelia, ut patet Diſt. 15. *Sicut Sancti Evangelii*. Et in Diſt. 17. per totum oſtenditur aperte, quod talia univerſalia concilia non poſſunt celebrari niſi auctoritate Papæ. Idem Thomas.

D

9

De pontificum Romanorum decretis.

§. XV. De decretis ſummorum pontificum, ſeu conſtitutionibus, dicit Nicolaus Papa: *Si decreta ſummorum pontificum non habetis, de neglectu & incuria redarguendi eſtis; ſi vero habetis, & non obſervatis, de temeritate eſtis redarguendi & increpandi*, Diſt. 20. can. pen. Quid ſit decretum, habes ſupra §. 1. quamvis etiam aliquando dicatur decretum conſtitutio, quæ fit in conciliis. Et quamvis ſecundum Thomam in quodlibetis Papa in judicialibus ſententiis poſſit errare, quia ibi proceditur per probationes hominum, quæ poſſunt errare (& de his intelligitur, quod dicitur extra *De ſentent. excommun.* cap. *A nobis*, 2. ſcilicet quod Eccleſia & fallit & fallitur) in hujuſmodi tamen conſtitutionibus ſuis & decretis errare non poteſt, quia regitur a Spiritu ſancto, Diſt.

E

8. *Qui*

8 Tridentina Synodus ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 2. hanc provincialium Conciliorum facultatem approbat. *Provincialia concilia, ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliiſque ex ſacris canonibus permiſſis renoventur.*

9 Ex Jenſoniana editione Veneta an. 1479. correximus: *approbantur ſicut quattuor Evangelia, ut patet* &c. pro eo, quod erat in aliquibus editis: *approbantur quattuor Evangelia, ut patet* &c.

8. *Qui contemta*, & 25. quæſt. 1. can. *Violatores*. Et hoc eſt verum in his, quæ determinat Papa ut Papa, ideſt cum conſilio Cardinalium. Nam quæ determinaret Papa ut privata perſona, poſſet
10 errare, ut alii homines, ut patet de [10] decreto Anaſtaſii Papæ, quod reprobatur ut non verum, Diſt. 19. *Secundum*.

Item quod dicit Gregorius, Diſt. eadem *Nulli: Nulli fas eſt vel velle, vel poſſe tranſgredi apoſtolicæ ſedis præcepta, nec noſtræ diſpenſationis miniſterium, quod veſtram ſequi oportet caritatem. Sit ergo ruinæ ſuæ dolore proſtratus quiſquis apoſtolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter ſacerdotes habeat, ſed extorris fiat a ſancto miniſterio* &c. ubi dicit Archidiaconus in Roſario, quod iſtud capitulum *Nulli* poteſt eſſe canon latæ ſententiæ, ſcilicet excommunicationis vel etiam ferendæ. Sunt enim quidam, qui apoſtolicam ſedem contumaciter negantes eſſe caput omnium Eccleſiarum, dicunt ipſam non poſſe condere canones, & decreta, nec habere auctoritatem ea condendi, nec eſſe ſervanda ab ea ſtatuta. Iſti tales hæreſim & ſchiſma ſapiunt, & in ipſo genere delicti tamquam hæretici excommunicati ſunt, 25. quæſt. 1. *Violatores*. Et de talibus loquitur iſte canon, ſi dicatur eſſe canon latæ ſententiæ. Sunt & alii, qui tranſgrediuntur decreta apoſtolicæ ſedis; non tamen dicunt vel credunt Papam non poſſe condere ea, vel non eſſe ſervanda. Tales non ſapiunt hæreſim, nec ſunt ipſo facto excommunicati, licet peccent mortaliter, & ſic poſſunt excommunicari poſt admonitionem. Sive ergo ſit canon latæ ſententiæ ſive ferendæ, nullum ſequitur inconveniens, ſed varie exponenda eſt littera ipſius capituli. Ego tamen, ait Archidiaconus, credo potius eſſe latæ ſententiæ, & quod loquatur de contemtoribus decretorum, qui ſcilicet credunt Romanam Eccleſiam non eſſe caput, & non poſſe condere decreta.

Utrum Papa poſſit facere novos articulos fidei.

Utrum Papa per decretum ſuum, ſeu conſtitutionem, vel determinationem poſſit facere novos articulos fidei? Dicit Archidiaconus in Roſario Diſt. 15. in can. 1. quod articulus fidei poteſt accipi dupliciter. Uno modo ſtricte pro his, qui continentur in ſymbolo, quos oportet omnes fideles explicite credere & debent ſcire, *De conſecrat.* Diſt. 4. *Ante viginti*. Et ſic Papa non poteſt facere vel addere novos articulos, ſicut etiam nec nova ſacramenta ſecundum Thomam. Alio modo poteſt dici articulus fidei largius, talis ſcilicet, quod credere oporteat, quod prius non oporteret; & ſic comprehendit articulus diffinitiones factas a Papa, vel conciliis ſuper quæſtionibus motis de fide. Et ſic Papa poteſt facere novos articulos, quia poteſt declarare aliquid eſſe firmiter credendum, & oppoſitum eſſe hæreticum, quod prius ante declarationem non erat neceſſarium illud credere magis quam oppoſitum, ut illud, tres perſonas divinas eſſe æquales, & alia multa, quæ habentur in can. *Canones*, Diſt. 15. quæ poſt illam determinationem factam a conciliis vel Papa non licuit credere contrarium, ſine præjudicio ſalutis ut prius. Et ſic ſumitur in Decretali, *Quum Chriſtus*, extra *De hæretic.* ubi dicit Alanus, quod ante illam diffinitionem, de qua loquitur illa Decretalis *Quum Chriſtus*, contrarium dicere licebat, quum non eſſet prohibitum. Poſt declarationem illam non licet. Iſta hujuſmodi credere explicite non eſt neceſſarium niſi prælatis, qui legem ſcire debent, non perfunctorie, ſed perſcrutabiliter, Diſt. 38. can. *Omnes*. Implicite autem credere, eſt credere generaliter, quod credit & tenet Eccleſia, quæ fides ſufficit in hujuſmodi ſubtilitatibus fidei, dummodo ſpecialiter in contrarium non ſentiatur. Largiſſime autem ſumendo articulum fidei, ſecundum quod comprehendit omnem ſententiam veram circa fidem, ſive ſit diffinita ſive non; in hac larga exceptione articuli ſic licet dubitare de eo, quod non eſt diffinitum ante determinationem. Hæc Archidiaconus.

De Decretalibus.

§. XVI. De Decretalibus epiſtolis. Quid ſit decretalis habes ſupra §. 1. Quod autem habeant decretales epiſtolæ eamdem auctoritatem ſicut & decreta & canones, oſtenditur aperte Diſtinctione 19. can. 1. ubi in fine dicitur: *Oſtendimus nullam eſſe differentiam inter illa decreta, quæ in corpore canonum habentur, apoſtolicæ ſedis præſulum, & ea, quæ præ multitudine vix per ſingula voluminum corpora reperiuntur, quum omnia, & omnium prædeceſſorum ſuorum decretalia conſtituta, atque decretales epiſtolas, quas Beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab urbe Roma dederunt, venerabiliter fore ſuſcipiendas, & cuſtodiendas, eximios præſules, Leonem ſcilicet & Gelaſium mandaſſe probavimus*. Nicolaus Papa. Et in ſequenti can. Diſtinctione eadem dicit Agato: *Sic omnes Apoſtolicæ ſedis ſanctiones accipiendæ ſunt, tamquam ipſius divina voce Petri firmatæ*. Et Auguſtinus etiam dicit in 2. libro de doctrina chriſtiana, quod inter canonicas Scripturas *illæ ſint, quas Apoſtolica Sedes habere, & ab ea alii meruerunt epiſtolas accipere*, Diſt. ead. *In canonicis*. Et nota ſecundum Archidiaconum in Roſario Diſtinctione 19. in principio, quod nemo ligatur conſtitutione, antequam ad eum perveniat, ut 36. quæſt. 2. *Si autem*, [11] ubi notat Hugo, quod pervenire intelligitur ſive per publicationem ibi factam, ſive per famam, ubicumque alibi ſit publicata. Nam decretales quædam ad quaſdam Provincias miſſæ ſunt; & tamen obtinent etiam ibi, quo non pervenerunt, niſi per famam: & ibi etiam judicandum eſt ſecundum eas, ſi certum eſt judici, quod ſunt Decretales. Si vero dubitatur, an ſint Decretales, vel non, quod eſt facti; ei, qui eas inducit, incumbit probatio ſecundum Hugonem. Sed Vincentius dicebat, quod ſi allegatur Decretalis contraria juri poſitivo, ſtatim eſt abjicienda, niſi conſonet conſuetudini, quæ illo loco abrogat jus commune, ff. *Commun. prædior.* l. *Venditor*, & tunc eſt admittenda Decretalis, non quia Decretalis, ſed quia favet conſuetudini. Nec obſtat huic dicto Authent. *Ut nulli judic.* §. *Ex hoc*: non C. *De precib. imperat. offer.* l. *Quoties*: nam intelligi debet, quando conſtabat reſcriptum eſſe imperatorium: hic autem agimus, ubi non conſtat de Decretali per Bullam, vel alio modo. Si autem non eſt contra jus, ſed præter jus; habet locum Decretalis: extra *De fide inſtrument.* cap. *Paſtoralis*. Quando autem fit contra, [12] ... 28. quæſt. 1. §. *Ex his* in fine. Unde ſi lædat jus alicujus vel in totum, vel in partem; recurritur ad juris conditorem. Si autem talis Decretalis conſonat juri, ſtatim admitti debet. Sed licet conſonet conſuetudini, non admittitur, niſi & conſuetudo admittatur: extra *De ſent. & re judic.* cap. *Quum cauſſa*. Item ſi talis decretalis allegata eſt contra jus, non ſtatim eſt abjicienda, ſed eſt ad Papam

10 Hoc Anaſtaſii decretum a Gratiano perperam reprobatum vindicant Correctores Romani in Gratiani locum præfixum can. *Secundum*, Diſt. 19.

11 Quæ ſequuntur uſque ad finem paragraphi, ſumſimus ex Jenſoniana Venera editione an. 1479.

12 Hic in laudata editione leguntur litteræ *pt. deta*, quæ quid ſignificent, ignoro: ſicut & ignoro, quid ad rem pertineat allegatio loci ex Gratiano §. *Ex his* cauſſ. 28. quæſt. 1. Potius allegari debuiſſet can. *Reſcripta* 25. quæſt. 2.

pam recurrendum. Et ſi dicit ſe conſtituiſſe, abrogat conſuetudinem: jus enim editum contra conſuetudinem, ei abrogat, ff. *De ſepul. viol.* l. 3. §. *Divus*. Sed hoc intellige ſecundum hoc, quod habetur extra lib. 6. *De conſtit.* cap. *Licet Romanas*. Et hæc vera ſunt contra Decretales, quæ allegantur ſecundum Vincentium, qui ita notat in prædicta Decretali *Paſtoralis*. Ita tamen notat Joannes, & Goffridus, quod ſi aliqua Decretalis contra jus inveniatur, non ſtatim rejicitur, ſed ſuperior conſulatur, ut ibi dicit. Tu dicas, quod conſtitutio ante inſinuationem, neminem adſtringit, quum decretum non liget ignorantes, ff. *De decret. ab ord. facien.* l. ult. *Non enim contemſit diſciplinam, qui ignoravit militem*, ff. *Locati & cond.* l. *Si ignorans*. Unde judex poteſt merito dubitare, ut dicit prædicta Decretalis *Paſtoralis*, eo quod conſtitutio, quæ allegatur, non eſt publice inſinuata, *De poſtulat. prælat.* cap. 1. in Authent. *Ut factæ novæ conſtit.* collat. 5. Quod tamen intelligo cum determinatione ejus ſecundum Hugonem, quod ſupra dixi. Poteſt dici, quod conſtitutio non ligat niſi a tempore ſcientiæ, ut patet in eo, quod legitur, & notatur in can. *Propoſuiſti*, Diſt. 82. juxta finem, & 12. quæſt. 2. *De laicis*, ubi dicitur de hoc. Sed [13] ſecundum canones Decretalis ligat ignorantes, ut probatur lib. 6. *De præbend.* cap. *Dudum*, §. *Nos igitur*, & cap. *Si beneficia*, & cap. *Quodam*, & *De elect.* eod. lib. cap. *Si eo tempore*. Unde ſane intellige, quod * dictum in eadem gloſſa ibi. Sed ſi dubium, * adde... Dic clarius eſſe hoc, quod decretalis epiſtola aut definit, aut imperat, aut prohibet, aut precatur, aut indulget. Quando definit, habet locum, quod ſupra dictum eſt. Quando imperat, neceſſitatem infert, & contra reſiſtentem proceditur ſecundum ordinem, qui habetur 24. quæſt. 3. can. *De illicita*, & 1. quæſt. 7. can. penultimo. Quando vero prohibitionem continet, neceſſitatem infert, ut 32. quæſt. 6. can. *Non mœchaberis* ſecundum Joannem... tamen non proprio contemtu. Similiter depoſitionem meretur, Diſt. 74. can. *Honoratus*. In utroque tamen caſu deponitur, ſi vel contumaciæ arguatur, vel opus illicitum fuerit, quod prohibet, ut Diſt. 12. in pluribus capitulis præſumitur. Quando precatur, non eſt coactio. Juſtum tamen eſt, ut obediatur, Diſt. 85. can. *Archidiaconum*, 28. quæſt. 1. can. *Sic enim*. Quando indulget, nullo modo trahitur ad conſequentiam ſecundum Joannem; & hoc videas, quod dicitur 11. quæſt. 3. can. *Qui communicaverit*, & Diſt. 4. §. *Leges*, & ibi videas.

De reſcriptis. §. XVII. De reſcriptis, videndum eſt, quid ſit reſcriptum, quis reſcriptum condere poſſit, ſuper quibus rebus (alias juribus) reſcripta impetrentur (alias interpretentur) ſi ſuper eis dubitare contingat; quæ vis ac poteſtas ipſorum; quanto tempore duret eorum auctoritas; quæ reſcripta ſint generalia, quæ ſpecialia; quæ juriſdictionem conferunt, & quæ meram exſecutionem; quæ jus commune continent; & quæ gratiam ſpecialem; & quæ pœna debeatur his, qui reſcripta impetrant per ſuggeſtionem falſitatis, ſeu veri ſuppreſſionem. [14] Et quæ circa hanc materiam dicuntur hic, extracta ſunt ex ſumma Goffridi.

Reſcripti quid ſit. Reſcripta Papæ vel principis ſunt mandata, quæ ad inſtantiam alicujus vel aliquorum, ſeu proprio motu, vel ex relationibus abſentium, vel ex ſuggeſtionibus præſentium, vel ad conſultationem facit; vel quum aliquid alicui, vel aliquibus, corpori, collegio, univerſitati, vel civitati mandatur, ſeu indulgetur. Talia enim jus faciunt, non generale, ſed ſpeciale in negotiis & inter perſonas, in quibus, inter quas promulgata ſunt, ut C. *De leg. & conſult.* l. 2.

Reſcriptum concedere (alias condere) poteſt in Eccleſiaſticis Papa, in ſæcularibus Imperator.

De juribus autem reſcriptorum ſciendum eſt, quod aut reſcriptum eſt ſecundum, jus aut præter jus, aut contra jus. Si eſt ſecundum jus, vim conſtitutionis habet. Tale enim eſt decretalis epiſtola, & in his cauſſis diffiniendis auctoritatem habet, ut Diſt. 19. per totum. Si præter jus, ſimiliter vim conſtitutionis habet, & arctat illos, ad quos dirigitur: nam etſi *vix ferendum jugum a ſancta Romana Sede imponitur; pia tamen devotione tolerandum eſt*, ut Diſt. 19. *In memoriam;* aut is, cui mandatum dirigitur, rationabilem cauſſam aſſignet, quare quod mandatur, adimplere non poſſit, ut extra eodem cap. *Si quando*. Si contra jus, & forte contra dictum Dei, Apoſtolorum, Evangeliſtarum aliquid prodeat; omnino reſpuitur, ut 25. quæſt. 1. can. *Sunt quidam*. Quia nedum minor in majorem, ſed par in parem non habet imperium, ut ff. *De recept. arbitr.* l. *Nam magiſtratus*, ff. *Ad ſenatuſconſ. Trebel.* l. *Ille, a quo*, §. *Tempeſtivum*. Eorum tamen dicta vel ſtatuta poteſt Papa modificare. Unde illud Matth. 19. *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ſic modificatur per ſummum pontificem, *conjunxit*, conſenſu animorum, & carnis commercio; alias ſi primum interveniat, ſcilicet conſenſus animorum, non ſecundum, ideſt carnis commercium; ſeparatur per ingreſſum religionis, ut infra, *De converſ. conjug.* cap. *Verum*, & cap. *Ex publico*. Non ſic, ſi alter conjugum velit in domo propria remanere, ut eod. tit. cap. *Ex parte tua*, in fin. Item modificatur & aliter illud verbum: *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ſcilicet *violenter, ſine lege, & abſque ratione*; ſic modificat Iſidorus 33. quæſt. 2. *Quos Deus conjunxit*. Si autem contra jus poſitivum aliquod reſcriptum remanet, abjiciendum eſt, ut 25. quæſt. 2. *Reſcripta*, C. *De precib. imper. offeren.* l. *Reſcripta*: nec enim ratione reſcripti recedendum eſt a jure communi, ut infra *De ætat. & qualit. & ord. præficien.* cap. *Eam te*, niſi expreſſe in reſcripto contineatur, non obſtante conſtitutione, vel jure tali, ut ff. *De legat.* l. 3. *Si quis in principio*, extra *De offic. deleg.* cap. *Super quæſtionum*; alias non eſt veriſimile ſummum pontificem una epiſtola multa velle tollere jura, ut infra *De elect.* cap. *Eccleſia* 2. C. *De inoffic. teſtam.* l. *Si quando*.

Sed ſi ſuper jure aliquo dubitatio oriatur, conſulendus eſt Papa, ut infra *De fide inſtrum.* cap. *Paſtoralis*. Et in hoc poſſet poni exemplum infra, *De conceſ. præben. vel Eccleſ. non vacan.* cap. *Dilectus*; de qua probabiliter dubitatur, an ſit revocata per aliam Decretalem poſteriorem tempore, non ordine, infra *De election.* cap. *Ne pro defectu*. Sed ſi reſcriptum ſit contra conſuetudinem, prævalet conſuetudo. Nam prævalet juri, ſi ſit rationabilis & præſcripta, ut ſupra eodem tit. cap. ult. Item ſi reſcriptum ſit contra fiſcum, vel publicam utilitatem, reſpuitur prima juſſio, & exſpectatur ſecunda, ut C. *De precib. imperat. offer.* l. *Nec damnoſa*, in Authentic. *Ut nulli judic.*

Circa reſcripti dubitationē.

13 Canones, qui ſubjiciuntur, ſermonem faciunt de Decretalibus vel poteſtatem revocantibus, vel irritantibus collationem, electionem &c. irritationem autem, revocationem, & ſimilia etiam invincibiliter ignorantes afficere, ſi legislator velit, palam eſt. Culpa autem neminem invincibiliter ignorantem ligat.

14 Sequens membrum ex memorata Jenſoniana editione addidimus.

* Forte *dicitur*.
* *Aliquid deeſt, vel locus corruptus.*

dic. §. Et hoc vero jubemus, & *De mandat. prin. §. Deinde*.

Si vero contra jus privati, distinguitur aut in levem & modicam læsionem, ut si Papa mandet in suo rescripto, quod non admissis dilatoriis exceptionibus procedatur in principali, vel si mandet, actionem vel petitionem alicujus differri, ut quum indulget cruce signatis non conveniri tempore crucis; tale rescriptum valet, ut C. *De precib. imperat. offer.* l. *Quoties*, & l. *Rescripta*. Nam modica damna tolerantur, ut 12. quæst. 2. can. *Terrulas*, & can. *Si quos de servis*, & can. *Bonæ rei*, extra *De his, quæ fiunt a præl. sine consen. capit.* cap. *Pastoralis*, ff. *De in integ. restitut.* l. *Scio:* sic & deceptio modica toleratur, ut ff. *De minor. 25. annis*, l. *Verum*, §. *Item*; magna vero rescinditur, ut C. *De rescinden. vendition.* l. *Rem majoris*. Ceterum si rescriptum enormem alicui læsionem inducat, & in totum jus ejus absorbeat; non valet, ut in prædicta l. *Quoties*, extra *De decim.* cap. *Suggestum*, & *De donat.* cap. *Apostolicæ*, infra *De verborum signification.* cap. *Quid per noval.* ff. *Ne quid in loco publico*, l. 1. item *Ne in flu. public.* l. 1. §. *Sunt, qui putent*. Eo salvo, quod ex delicto auferuntur omnia bona, ut ff. *De bonis damnat.* per totum, extra *De Judæis & Sarracenis*, cap. *Ad liberandam*, infra *De hæretic.* cap. *Vergentis*, & *Ne cleric. vel monac.* cap. *Relatum*; alias enim non est virisimile, quod Papa, vel Imperator improbando actionem indulgeat, ut C. *De petit. bonor. sublat.* l. 1. lib. 10. & ff. *De minor. 25. annis*, l. *Denique*, in principio. Ubicumque enim denegatur petitio, denegandum est & rescriptum, ut C. *Sent. rescin. non pot.* l. *Impetrata*, nisi forte aliquod sit, quod prosit impetranti, & nulli obsit, ut ff. *De senator.* l. *Nuptæ*: vel si is, cui princeps sine exemplo subvenit, ut Institut. *De jure natural. gentium, & civil.* §. *Sed & quod principi*, & 25. quæst. 2. *Rescripta*.

Rescripta tollitur. Tollitur rescriptum, si per suggestionem falsitatis, vel veri suppressionem fuerit impetratum, & scienter vel ignoranter; sed per talem, qua non interveniente non fuissent obtentæ litteræ, ut extra eod. tit. cap. *Super litteris*, etiam si rescriptum sit consentaneum juris, ut 25. quæst. 2. §. *Si legibus*, C. *Si contra jus vel utilit. public.* Et eodem modo tollitur, si per mendacium juris obtineatur, ut 25. quæst. 2. §. *Præscriptione*, C. *Si contra jus vel utilit. public.* l. *Præscriptione*; ut quum quis suggerens principi esse de jure, quod non est, impetrat, quamvis non sit verisimile principem in hoc falli, ut C. *De testamen.* l. *Omnium*.

Tollitur rescriptum primum per posterius faciens mentionem de primo; & tunc ipso jure, ut extra *De offic. delegat.* cap. *Ex litteris*, & cap. *Pastorales*, §. *Præterea*, in fin. Si vero in posteriori non fiat mentio de priori, tollitur posterius per primum, sed non ipso jure, sed ope exceptionis. Et est ratio diversitatis, quia in primo casu certi sumus de voluntate principis vel Papæ, quod voluerit primum tolli, quum in secundo de ipso fecerit mentionem. In secundo autem casu quum in uno de altero mentio non habetur, de voluntate principis ignoramus, quod illorum voluit prævalere: non requirimus opem exceptionis ex primo contra secundum; & sic intelligimus extra eodem tit. cap. *Ceterum*, & cap. *Ex parte*. Ubi autem dubitatur de duobus rescriptis, quod sit primum, & quod posterius, ut pote quia eadem data est utrisque, si impetrata a diversis super diversis, sed ad eosdem judices fuerint; superior consulatur, ut infra *De offic. delegat.* cap. *Sane si a nobis*. Si vero diversa fuerint obtenta rescripta a diversis, & ad diversos judices, sed super eodem negotio, & dubitetur quod sit prius, quod posterius; tunc servanda est doctrina illarum Decretalium, extra eod. tit. cap. *Pastoralis*, & cap. *Quum contingat*.

Item eliditur primum rescriptum generale per posterius speciale, etiamsi in speciali de generali mentio non habeatur; in eo tamen, quod in speciali specialiter continetur, ut extra eod. tit. cap. *Pastoralis*. Ubi autem utrumque rescriptum est speciale, sed unum est super incerto, aliud super certo; requiritur in secundo mentio de priori, ut infra *De offic. deleg.* cap. *Ex parte* 1.

Item tolluntur rescripta, si ab eodem duo paria fuerint impetrata, quorum posterius de priori mentionem non faciat, si ad diversos judices obtenta fuit causa vexandi reum coram diversis, nunc coram istis, nunc coram illis: secus, si hoc fiat ad cautelam, ne alterum admittatur, vel ne judices unius interim moriantur. Uno tamen imperator uti intendit, ut extra eod. tit. *Ex tenore*, & C. *De assert. toll.* l. 1. §. ult. Sed si duo rescripta ejusdem tenoris impetrantur ad eosdem judices; tunc nullum est vitium: unum enim esse videtur, ut ff. *De testament.* l. *Unum*, & *De his, quæ in testam. delent.* l. ult. Et ratio: consuetudo curiæ habet frequentius duplicare litteras propter pericula viarum. Ubi vero quis impetrat diversas litteras ad diversos contra diversos; talis diversitas nihil obest: sed si contra eumdem; talis diversitas obest in personalibus actionibus, quæ commodius coram eodem vel eisdem judicibus poterant expediri, ut infra eod. cap. ult. ff. *De quib. reb. ad eumdem judic. eat.* l. 1.

Item si diversi impetrant diversas litteras super diversis, & contra diversos; hæc diversitas nihil obest. Et idem, si contra eumdem, eo salvo, quod si plures impetrant diversas litteras super diversis beneficiis contra eamdem Ecclesiam, unus illorum obtinebit, qui prius ad executores litteras portabit, extra eod. tit. cap. *Capitulum*. Quod intelligo, quum Papa non intendat gravare Ecclesiam in receptione duorum, ut extra eod. tit. & cap. Quam intentionem Papæ colligo ex forma litterarum, ut si in litteris contineatur: *Si pro alio vel aliis ibidem non scripserimus*, ut infra eodem tit. cap. *Mandatum*: vel sic: *Nisi pro alio per nos vestra Ecclesia sit gravata*, ut infra eodem tit. cap. *Litteris*. Ceterum si hæc vel similia in rescripto non inveniantur; quamvis Ecclesia, cui scribitur, sit gravata in receptione alicujus vel aliquorum de mandato domini Papæ; non tamen competit exceptio: nam etsi grave sit quod imponitur ab Ecclesia Romana, ferendum est, ut Dist. 19. can. *In memoriam*, vel saltem excusandum, ut extra eod. tit. cap. *Si quando*. Item eliditur rescriptum, si ab appellato fuerit impetratum infra tempus appellationi præfixum, ut extra *De appellat.* cap. *Sæpe*, & cap. *Oblatæ*, infra *De confirm. util. vel inutil.* cap. *Bonæ memoriæ*. Item eliditur si ab excommunicato fuerit impetratum, ut extra *De ætat. & qualit.* cap. *Quum bonæ*, infra *De probat.* cap. *Post cessionem*, & *De procur.* cap. ult. Item eliditur rescriptum obtentum lite pendente, extra *Ut lite penden.* cap. 1. & 2. & ult. Nam lite pendente supplicare non licet, ut C. *Ut lite penden.* nisi in casibus, ut C. *Ut lite pendent.* l. 2. In Authent. *In medio lit. non fieri*, §. *Super hoc* 8.

Vitium rescripti duplex. Item tollitur rescriptum ex vitio visibili vel invisibili, intelligibili tamen. Vitia enim rescriptorum quædam sunt visibilia, quædam invisibilia; sed intelligibilia. Visibilia enim sunt, quæ acu-

acuto ingenio & perſpicaci oculo cerni poſſunt. De quibus ponuntur ſeptem exempla, extra *De crit. fal.* cap. *Licet*. Inviſibilia, ſed intelligibilia ſunt, ut ſuggeſtio falſitatis, ſuppreſſio veritatis, de quibus dictum eſt ſupra.

Item quum litteræ impetrentur non continentes ſeriem facti, ut extra *De cohab. cleric. & mulieb.* cap. *Super eo* : & cauſſam facti, ut extra *De reſcript.* cap. *Dilectus*, infra *De ſentent. excommunic.* cap. *Quum pro cauſſa*.

Item ſi non fiat mentio de diſpenſatione, ut extra *De fil. presb.* cap. *Ex tua* : de compoſitione, ut infra, *De decimis*, cap. *Ex multiplici* : de ſtatuto, ut extra *De reſcript.* cap. *Conſtitutus* : de privilegio, ut extra eod. tit. cap. *Quum ordinem* : de ſententia, ut infra *De ſentent*, & *re judic.* cap. *Inter monaſterium*. Unde verſus :

Si privilegium, ſi diſpenſatio pactum,
Vel ſi reſcriptum ſententia ſive ſtatutum,
Finis tolletur, niſi mentio facta probetur.

Eliditur etiam reſcriptum, ſi per alium ſine mandato domini impetretur, ut extra eodem tit. cap. *Non nulli* : quæ exceptio hodie ſecundum obſervatam conſuetudinem locum habet in audientia litterarum, non in judicio negotiorum. Si oppones ex illa Decret. eodem tit. *Ex parte* 3. in fine ; ſed illa loquitur in procuratore revocato, cujus impetrationem ratam dominus non habebat. Secus ſi is, cujus nomine impetratur, etſi ſine mandato, ratam habet impetrationem. Poteſt autem quis impetrare pro alio ſine mandato, ſi ſit de illis perſonis, a quibus non exigitur de jure mandatum, ut in Decretalibus illis, *Non nulli*, & *Ex parte*. Quæ autem ſunt illæ perſonæ, legitur ff. *De procurat.* l. *Sed & hæ perſonæ*.

Reſcriptum quamdiu durat.

Durat reſcriptorum actoritas per decenium, ſi impetrantes copiam judicum habuerint, & neglexerint uti : nam infra illud tempus quandocumque poterunt experiri, ut C. *De diverſ. reſcrip.* l. *Falſo*. Alii autem doctores dixerunt, quod ſiquis impetret reſcriptum, & infra annum, quum copiam judicum habuerit, non utatur, perit reſcriptum lapſu anni, ut infra eodem titulo cap. *Si autem*, & cap. *Plerumque*, qui ſic dicunt, & aſſerunt de plano, legem illam *falſo* fore correptam ; ſed quia promtum eſt jura juribus concordare, ut C. *De inoffic. dot.* l. unica ; ſic legem & decretales reduco ad concordiam. Legem intelligo, quum poſt primum reſcriptum, ſecundum non fuerit impetratum. Decretales illas intelligo, quum impetro primum reſcriptum, tu impetras ſecundum : non facta mentione de primo, agis ex conſuetudine : excipere non poſſunt ex primo ſuper eodem negotio ad alios judices obtento, ſi in illo fraudulenter vel negligenter infra annum ab impetratione tui ſecundi uti omiſerim : ſic loquuntur illæ Decretales & hunc caſum lex illa non conſideravit. Etſi hæc opinio placeat, dices, ut ſuperius tactum eſt, quod annus iſte incipit currere a tempore ſecundi reſcripti ; quod tali ratione probabis : Annus per ſe ſine ſecundo reſcripto non tollit primum reſcriptum, ut dictum eſt, nec ſecundum reſcriptum per ſe ſufficit ad tollendum primum, quum de eo non habeat mentionem ; erit igitur utrumque neceſſarium, & ſecundum reſcriptum impetrari, & annum cedere, ut ſic ambo conjuncta primum perimant. Juxta illud :

Etſi non proſunt ſingula, quæque juvant.

Et ad hoc habes optimum ſimile, quia imperfecta voluntas per ſe non tollit ſolemne teſtamentum præcedens, ſed cum decennio tollit, ut C. *De teſtament.* l. *Sancimus*. Doctores tamen multi dicunt primum reſcriptum nullo alio impetrato ſuper eodem negotio tolli per lapſum anni. Generalia reſcripta ſunt illa, in quibus generales ſeu indiffinitæ clauſulæ continentur, ſcilicet quum dicitur : *Talis & talis, & quidam alii injuriantur eidem*. Vel ſic : *Super decimis, poſſeſſionibus, & rebus aliis*, quo caſu reſcripta ad majores & digniores perſonas, vel ad majora negotia expreſſis non extenduntur, ut extra eod. cap. *Sedes Apoſtolica*, & cap. *Paſtoralis*. Item ſi ponatur clauſula illa : *Quum traditores*, &c. Item illa : *Amoto inde*. Item illa : *Vocatis* &c. Tales enim & conſimiles clauſulæ faciunt *generale reſcriptum*. Item quum litteræ dirigantur ad omnes, ut extra *De pœnit. & remiſſ.* cap. *Quum ex eo*.

Reſcriptum generale.

Speciale reſcriptum eſt, quod inter certos dirigitur, & ſuper certis & expreſſis rebus ſeu negotiis ſine clauſula generali, ut extra eodem tit. cap. 1. & cap. *Paſtoralis* ; & tale reſcriptum non extenditur ad alias res vel perſonas, ut infra *De offic. delegat.* cap. *Quum olim* 1. Sic ergo & privilegium perſonale perſonam non tranſgreditur, ut infra, *De auctor. & uſu pal.* cap. 2. infra, *De offic. delegat.* cap. *Quoniam abbas*, ff. *Quib. mod. uſusfru. amitt.* l. *Si uſufructuarius*, & 7. quæſtione 1. *Petiiſti*. Inſtit. *De jur. nat. gent. & civili*, §. *Sed & quod principi*, ff. *De reg. juris*, l. *Privilegia*, 2. quæſtione 6. can. *Ei, qui*, §. *Diffinitiva*, in ver. *Quandoque*. Non [15] obſtat extra : *De judic. Quia*. Nam ibi agitur per primas litteras, ſed auctoritate ſecundarum. Non obſtat infra *De offic. delegat.* cap. *Quoniam*, quum fit commiſſio expreſſo nomine dignitatis. Ibi enim litteræ tranſeunt ad ſucceſſorem, qui ſuccedit primo in onere & honore, ut infra : *De offic. ord.* cap. *Paſtoralis*. Item non obſtat infra : *De offic. deleg.* cap. 1. ubi juriſdictio ex litteris ſpecialibus extenditur ad alios. Nam ille caſus ſpecialis eſt, ut extendatur juriſdictio ad illos, qui proceſſum judicum impediunt, ut infra *De offic. judic. De legib. Ex litteris*. [16]

Reſcriptum ſpeciale.

15

Juriſdictionem conferunt omnes illæ litteræ, in quibus cauſſæ cognitio demandatur, quod ex forma colligitur litterarum, ut quum in litteris continetur : *Si eſt ita : Si præmiſſis veritas ſuffragatur ; cognita veritate ; juſtitia mediante : ſicut de jure fuerit ; quod canonicum : quod juſtum : ut promiſit : ut tenetur : prout in inſtrumento inde confecto, vel litteris continetur*. Et talis judex, cui negotium a principe committatur, ſub aliqua de his formis poteſt in figura judicii procedere, & alii vel aliis cauſſam committere totam vel partem, ut infra *De offic. delegat.* cap. *Quum te* : principium, medium vel finem, cognitionem, vel exſecutionem, ut infra : *De officio delegat.* cap. *Super quæſtionum*. Talis poteſt recuſari ex cauſſa, niſi fuerit judex peritus, ut extra : *De officio delegat.* cap. *Quum olim magiſter*, 3. quæſtione 3. *Inducia*, §. *Spatium*. In Authen. *Offeratur*, 4. quæſtione 3. §. *Item in criminali*, ver. *Si quis teſtibus*. Sed & tunc poterit recuſari ex nova cauſſa, ut extra : *De offic. delegat.* cap. *Inſinuante*.

Quæ reſcripta conferunt in juriſdictione.

Exſecutoriæ litteræ ſunt, per quas ſine aliqua judiciali cognitione factum ſeu miniſterium delegatur, ut extra, *De offic. deleg.* cap. ultimo. Talis non eſt judex, ſed adjutor vel exſecutor, ut extra, *De officio delegat.* cap. *Super quæſtionum*, §. *Porro*. Talis etſi poſſit recuſari, niſi detur de voluntate partium,

Reſcripta exſecutionē continētia.

16

15 Pro *quia* legebatur *Hug.* At initium canonis ex titulo de judiciis ab Auctore allegatum nihil dubitamus : nullus vero canon præſenti negotio magis congruit, quam can. *Quia V. qui*.

16 In Jenſoniana editione an. 1479. hoc loco additur : *Sed de prærogativa juriſdictionis non proſequor hic amplius, quia notatur plenius infra de off. deleg.*

tium, vel recipiatur assensu, ut in Decretali: *Super quæstionum, §. Nos autem*, & *§. Porro*, a tali appellari non potest, nisi fines mandati excedat, ut in ead. Decretali: *Super quæstionum*, & *De appellat.* cap. *Novit.* 2. quæstione 6. *§. Diffinitiva quoque*, in ver. *Ab exsecutione*, C. *Quorum appell. non recip.* l. *Ab exsecutione*. Fines autem excedit, quum aliud vel aliter exsequitur, quam mandatur; vel quum exsequendo mandatum præter commissum injuriam infert. Nam & tunc potest ab injuria appellari, ut C. *De appellat.* l. *Siquis provocatione*. Talis, quum non sit judex (ut dictum est) nec ei sit jurisdictio, sed exsecutio demandata, ut extra: *De officio deleg.* cap. ultimo, alteri delegare non potest, quia ex jurisdictione procedit judicis dandi potestas, ut ff. *De jurisd. omnium jud.* l. 3. Et quia quum ministerium committitur, industria eligitur personalis; & ideo a persona recedi non debet, ut extra: *De officio deleg.* cap. ultimo, C. *De caduc. tollen.* l. unica, ff. *De solution.* l. *Inter artifices*. Talis in exsequendo partes judicis non assumat, ut C. *De exsecut. rei judic.* l. *Si ut proponis*.

Rescripta jus commune continentia.

Continent jus commune litteræ, in quibus mandatur quod consonat juri & æquitati, & maxime quum ipsæ litteræ continent juris determinationes, puta *partibus convocatis*, vel *vocatis, qui fuerint evocandi: quod justum*, vel *quod canonicum* &c. Item *justitia mediante*, vel *prout de jure fuerit* &c. vel alias consimiles clausulas.

Gratiam continent illæ, quæ continent dispensationem & pœnæ debitæ remissionem, & in quibus ob favorem, utilitatem seu necessitatem recedatur a jure communi. Tria enim sunt, quæ faciunt a jure discedi. Necessitas, utilitas, & evidens meritorum prærogativa, ut 1. quæstione 7. can. *Tali*, extra *De elect.* cap. *Innotuit*.

Restat videre de pœna impetrantium litteras per subreptionem. Et est sciendum, quod condemnandi sunt ad expensas, quas altera pars fecit in ea re & circa ipsum iter, ut extra eodem tit. cap. *Ceterum* in fine. Et alias severitati subjaceant judicantium, ut 25. quæstione 2. *Dicenti, §. Etsi non cognitio.* Nam & per legem Corneliam de falsis puniri possunt, ut ff. *Ad l. Cornel. De fal.* l. *Si quis obrepserit*.

De doctrinis ecclesiasticis.

§. XVIII. De doctrinis ecclesiasticis præcipue doctorum, nota triplicem differentiam. Quædam enim sunt reprobatæ tamquam falsæ & hæreticæ, de quibus habetur 24. quæstione 3. can. penul. & Dist. 15. *Sancta Romana*, in palea. & extra *De sum. Trin. & fide catholica*, cap. *Damnamus*. Quædam vero doctrinæ declarantur apocryphæ, de quibus habetur in dicto can. *Sancta Romana*, in palea. Dist. 15. Dicitur autem apocryphum secundum Archidiaconum Dist. 16. in principio quasi occultum seu secretum, quia scilicet non in Ecclesia, sed remote est legendum. Dicitur autem aliquid dupliciter apocryphum, videlicet quia ignoratur quis fuerit auctor talis libri; & sic in Bi-

Apocryphi aliquid dicitur dupliciter.

blia dicuntur aliqui libri apocryphi; & tamen leguntur publice in Ecclesia: vel quia dubitatur de veritate talis libri; & de hujusmodi apocryphis dicitur in dicto can. *Sancta Romana*, & talium librorum liber est quilibet ad credendum vel non. Tertium genus doctrinarum est, quod est approbatum ab Ecclesia. Et hæ sunt primum quidem & principaliter doctrinæ seu libri Bibliæ, quas ita universaliter & firmiter oportet credere, quod nullo modo licet de veritate ipsarum dubitare, quia hoc esset hæreticum, quum sint dictatæ a Spiritu sancto, ut patet in symbolo, qui errare non potest. Deinde ordinationes, seu constitutiones, & determinationes factæ per summos pontifices, vel concilia universalia approbata, etiam indubitanter credendæ & tenendæ sunt. Post hæc etiam opuscula sanctorum patrum & doctorum Ecclesiæ sunt approbata, & præcipue horum, scilicet Cypriani, Gregorii Nazianzeni, Athanasii, Hieronymi, Prosperi, Joannis Chrysostomi, Valerii, Ambrosii, Augustini, Leonis Papæ, ut patet in dicto can. *Sancta Romana*. Et in dicto canone dicitur: *Opuscula atque tractatus omnium patrum orthodoxorum, qui in nullo a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ consortio deviaverunt, nec ab ejus fideli prædicatione sejuncti sunt, sed communionis ipsius gratia Dei usque ad ultimum diem participes fuerunt, legenda decernimus. Item Decretales Epistolæ* summorum pontificum *venerabiliter suscipiendæ sunt*. Non tamen credendum est vel dicendum, dicta prædictorum doctorum vel aliorum esse [17] tantæ auctoritatis vel firmitatis, quantæ sunt doctrinæ Scripturæ sanctæ, vel determinationes Ecclesiæ factæ in conciliis, vel per summos Pontifices: nam de his nullo modo licet dubitare; de dictis vero doctorum licet dubitare, & aliter sentire, nisi sint talia, quæ vel sunt determinata per Ecclesiam, quæ sunt firmiter tenenda, vel quæ sunt alias in doctrina Scripturæ sacræ contenta. Unde Augustinus: *Ego solis eis scriptorum, qui jam canonici appellantur, didici, hunc timorem honoremque referre, ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere: ac si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimem, quam mendosum codicem esse, vel non esse assequutum interpretem, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios vero ita lego, ut quantalibet sanctitate, quantave doctrina polleant; non ideo verum putem, quia ita ipsi senserunt, sed quia mihi per alios auctores vel canonicas vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt*, Distinctione 9. *Ego*. Idem Augustinus: *Noli meis litteris quasi canonicis scripturis inservire; sed in illis & quod non credebas, quum inveneris, incunctanter crede; in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere*, Dist. ead. *Noli*. Unde Archidiaconus super dictum can. *Noli*, dicit: Hodie in scripturis talium, scilicet doctorum, aliquid posse reprehendi, & non nisi, si quid inveniatur, quod

De opusculis ab Ecclesia approbatis.

Scripta doctorum possunt reprehendi.

17

17 Observa nullius Doctoris auctoritatem tantam esse debere, ut sacræ Scripturæ, Conciliis, ac ipsorum etiam summorum Pontificum constitutionibus præferatur. Id ex ipsis Augustini testimoniis, quæ Auctor subjicit, confirmari potest; insignemque ejus in Romanæ Sedis dogmaticas præsertim litteras observantiam declarant monumenta in Pelagiana causa. In epist. 177. ad Innocentium quinque Episcoporum nomine ab eodem scripta post duo Numidiæ & Milevitanæ provinciæ concilia, non tam suam, quam ipsorum Conciliorum sententiam Pontificiæ auctoritati subjicit: & similiter libros quattuor contra duas epistolas Pelagianorum Pontificis Bonifacii judicio & correctioni submittit, quæ ab Augustino mendacii impugnatore acerrimo, & adulationis infensissimo hoste sincere scripta, non nullos, qui se Augustini discipulos ac vindices præferunt, rubori & validissimæ impugnationis loco esse debent, dum contra apertissimam ipsius mentem Augustini sententias Romanæ Sedis auctoritati præferendas docuere prop. 30. inter damnatas ab Alexandro VIII. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Si veri S. Doctori discipuli esse volunt, ejus quidem doctrinam Ecclesiæ probatissimam strenue defendant; at una cum doctrina humilitatem & observantiam ejus in Pontificia decreta sequantur, ne eum convincantur deserere, qui hanc Apostolicam auctoritatem suis scriptis anteposuit, & anteponendam certissime sensit.

quod non innitatur auctoritati veteris & novi teſtamenti, ſive probabili, ſive canonica ratione. Hæc ibi. Hoc patet ex eo, quod ipſi ſancti doctores ſibi invicem contraria in ſuis libris dixerunt, ſicut v. g. Hieronymus dixit, bigamum non eſſe cenſendum eum, qui ante baptiſmum habuit unam uxorem, & poſt baptiſmum aliam. Auguſtinus vero contrarium ſenſit, ſcilicet talem eſſe bigamum; cujus ſententia præfertur, & illa Hieronymi non tenetur, ut patet Diſt. 26. *Acutius*, & can. *Deinde*, extra: *De bigam.* cap. *Debitum*. Et ſimiliter de obſervatione legalium, & de reprehenſione, quam fecit Paullus Petro, ad Galat. 2. contraria ſcripſerunt; tamen magis ſtatur Auguſtino, ut dictum eſt ſupra. Verum eſt, quod in his, quæ pertinent ad fidem vel bonos mores neceſſarios ad ſalutem, in nullo diſcordant ſancti doctores realiter, etſi aliquando ſuperficialiter videantur ſentire contraria.

Item dicit Archidiaconus ſuper can. *Quis neſciat*, Diſt. 9. quod rubricæ decretalium authenticantur, extra in Proœmio Decretalium in fine, ubi dicit, *utantur*, & extra: *Ut lit. penden. nihil innovetur*. Et ſimiliter rubricæ vel tit. legales authentici ſunt, & allegari poſſunt in cauſſis, ff. *De in integr. reſtit.* l. 1. Sed rubricæ Decretorum non; unde falſæ inveniuntur aliquando 16. quæſt. 1. *Placuit*. Sed Innocentius, qui ita notat extra in proœmio Decre. Quæ etiam ponuntur in decretis, ſcilicet capitula ſeu dicta conciliorum ſummorum pontificum & doctorum, authentica & approbata ſunt, non autem dicta Gratiani in paragraphis ſecundum Joannem Andream.

Doctrina B. Thomæ approbatur.

Doctrina etiam B. Thomæ de Aquino approbata fuit, ut patet, per extravagantem Joannis decimotertio capit. Quando autem dicta doctorum præfatorum vel aliorum contraria eſſent dictis ſummorum pontificum, cui ſententiæ magis eſt ſtandum? Declarat Gratianus Diſt. 20. §. 1. per Diſtinctionem, videlicet quod in cauſſis, ſeu negotiis diffiniendis. *Quum ergo quælibet negotia finem accipiant, vel in abſolutione innocentum, vel in condemnatione delinquentium; abſolutio vero vel condemnatio non ſcientiam tantum deſideret, ſed etiam poteſtatem præſidentium; ideo divinarum ſcripturarum tractatores, etſi ſcientia pontificibus præemineant, tamen quia dignitatis eorum apicem non ſunt adepti, in ſcripturarum ſacrarum expoſitionibus his præponuntur. In cauſſis vero diffiniendis ſecundum poſt eos locum merentur.*

De ordine tenendo in ſolutione alicujus quæſtionis.

Quis autem ordo tenendus ſit in ſolutione alicujus quæſtionis, ponit Innocentius Diſt. ead. *De quibus:* ſummatim explicat ibi Archidiaconus dicens: Nam primo recurrendum eſt ad ſcripta novi & veteris teſtamenti. Secundo ad canones Apoſtolorum & conciliorum. Tertio ad decreta & decretalia Romanorum pontificum. Quarto ad ſcripta Græca. Quinto ad ſcripta Sanctorum patrum Latinorum. Ultimo ad exempla ſanctorum. Si autem nec veritas invenitur hoc modo, congregandi ſunt ſapientes, & quid agendum ſit, inveſtigandum, & Dominus revelabit. Juxta illud: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo*, &c. Matth. 18. Quia tamen dictum eſt, quod recurrendum eſt ad ſcripta Græca; ſubdit Archidiaconus, & dicit, quod hoc locum habuit, quando penes Græcos præſules catholicæ fidei vigebat auctoritas, & exemplaria eorum erant correcta; & ideo in dubiis recurrebatur ad eos, Diſt. 9. can. *Ut veterum*; ſed hoc hodie locum non habet. Nam hodie Græci ſunt acæphali, & ſcripta eorum corrupta, ſecundum Hugonem. A paucis tamen annis citra reverſi ſunt ad unitatem fidei Eccleſiæ Romanæ.

Dicit autem gloſſa ſuper dicto cap. *Ut veterum*, faciendo comparationem inter doctores, cui magis ſit credendum, quod Auguſtino in diſputationibus, Hieronymo in hiſtoriis & tranſlationibus, Gregorio in Moralibus. Sed quærit Archidiacon. Diſt. 20. Si Gregorius, qui fuit expoſitor ſeu doctor, & Papa in aliquo articulo contrarius invenitur alicui illorum expoſitorum, cujus doctrina etiam eſt approbata, utique credendum eſt magis Gregorio in determinatione cauſſarum, quam aliis doctoribus. In his vero, quæ, ut expoſitor dixit, videtur ei non magis eſſe credendum quia Papa, ſed forte quia magis conſona rationi dixit, vel quia majoris ſcientiæ & ſanctitatis & auctoritatis habetur. Nam & inter apoſtolicos unus præponitur alteri, ut Petrus, Lino, Gelaſio, Lucio. Et ſimiliter inter interpretes, ut Ambroſius Iſidoro, Auguſtinus Bedæ, ſecundum Auguſtinum in lib. de doctrina Chriſtiana dicit, ut habetur Diſt. 19. *In canonicis: In canonicis ſcripturis eccleſiarum catholicarum quam plurimum divinarum ſcripturarum ſolertiſſimus indagator auctoritatem ſequatur, inter quas ſane illæ ſint, quas Apoſtolica ſedes habere, & ab ea alii meruerunt Epiſtolas accipere. Tenebit igitur hunc modum in ſcripturis canonicis, ut eas, quæ ab omnibus recipiuntur eccleſiis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioreſque accipiunt, eis, quas pauciores minoriſque auctoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quamquam hoc inveniri vix poſſit; æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.*

Auctores ſacræ Scripturæ.

§. XIX. Item nota, quod poſterior conſtitutio, ſive lex tollit priorem, etiamſi de priori nullam faciat mentionem, extra: *De cognat. ſpir.* cap. 1. Secus eſt in reſcriptis, extra: *De reſcrip.* cap. *Ceterum*. Secus etiam de privilegiis, quia ſcilicet non tollitur prius per poſterius, niſi in poſteriori fiat mentio de priori, ut notatur Diſt. 18. *Quoniam*, in Gloſſa, & idem de conſuetudine, quia ſcilicet non tollitur per conſtitutionem, niſi fiat mentio de ea, extra: *De conſtit.* cap. *Licet*, lib. 6. Item ſecundum Hoſtienſem, Joannem Andream, & Bernardum, quod conſtitutio generalis incipit arctare, ſed obligare poſt duos menſes a tempore publicationis. Et hoc niſi in ipſa conſtitutione aliud contineatur. Inferior autem conſtitutio, ut puta capitulorum & univerſitatum, ſecundum Hoſtienſem ligat incontinenti facta promulgatione, niſi forte abſentes, & ignorantes, quibus neque tempus dabo, ſed judicis arbitrio relinquo.

Item conſtitutio non extenditur ad præterita, ſed tantum ad futura, niſi aliud declaretur, extra *De conſtitution.* cap. ult.

Quæritur autem, utrum qui facit contra conſtitutionem Papæ per ignorantiam peccet? Reſpondet Thomas in quodlibetis, quod ignorantia, quæ eſt cauſſa actus, cauſſat involuntarium; unde ſemper excuſat a peccato, niſi ignorantia ipſa ſit peccatum. Eſt autem ignorantia peccatum, quando quis quid poteſt ſcire, & tenetur hujuſmodi. Conſtitutionem autem Papæ omnes ſuo modo ſcire tenentur; ſi aliquis ergo contra conſtitutionem Papæ agat, & habeat ſufficiens impedimentum, per quod ſcire non potuerit, puta ſi fuit in carcere, vel in terris extraneis, ad quas conſtitutio non pervenit univerſaliter, vel aliquid ſimile; talis ignorantia excuſat, ut non peccet agens contra conſtitutionem Papæ. Hæc ipſe.

De legis diſpenſatione & ejus interpretatione ad quæ pertinet.

§. XX. Item nota, quod diſpenſare in legibus, vel eas interpretari ſpectat ad prælatos & rectores, qui ſcilicet in hujuſmodi habent poteſtatem, niſi ſubita neceſſitas occurrat, cui oporteat ſubito obviari, ne ſequatur aliquod inconveniens. Nam tunc ipſa neceſſitas habet annexam ipſam diſpenſatio-

ſationem legis, & quilibet per ſe poteſt tunc interpretari legem, & diſpenſare ſecum, & præcipue quum non poteſt habere recurſum ad ſuperiorem. Si ergo quis graviter infirmatur tempore jejunii ab Eccleſia inſtituti, per ipſum poteſt diſpenſare ſecum in lege jejunii, & interpretari, quod non obligetur ad illa. In obſervatione enim legum vel præceptorum maxime debet attendi & ſervari intentio ferentis legem, vel ad præceptum, de qua ſi conſtet, & contraria ſit ad ſcripturam legis, vel verbum præcepti, æque obediendum eſt, omiſſa littera legis vel præcepti, 22. quæſt. 5. *Humanæ*. Si autem dubitetur de intentione, ſtandum eſt litteræ ſecundum Archidiaconum, vel habeatur recurſus ad ſuperiorem, ſi poteſt, cujus eſt interpretari & diſpenſare; vel, ſi non poteſt, habeatur conſilium peritorum. Poſſunt autem ipſi prælati diſpenſare, & debent, quum adeſt cauſſa rationabilis, puta alicujus neceſſitatis, vel majoris utilitatis. *Diſpenſatio quid ſit.* Unde diffinitur diſpenſatio ſic ab Hoſtienſi, quod eſt juris alleviatio facta cum cauſſa, ideſt rationabili cognitione ab eo, qui poteſt. Quod ſi prælati abſque rationabili cauſſa, vel ſaltem dubia pro ſola voluntate licentiam tribuant veniendi contra leges, ſecundum Bernardum in lib. de diſpenſatione & præcepto, non erunt diſpenſatores, ſed diſſipatores, & peccabunt ipſi diſpenſantes cum diſpenſatis, ſi eis [18] utuntur. Unde Dominus dicit Lucæ 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Ubi tria notantur in diſpenſationibus. Primum eſt fidelitas, ut ſcilicet in diſpenſatione habeat intentionem ad bonum commune, ibi: *Fidelis*. Secundum ponderoſitas, ut ſcilicet conſideret cauſſas moventes & qualitates perſonarum; unde diſpenſare eſt quaſi diverſa penſare ſeu ponderare, ibi: *Prudens*. Tertium eſt poteſtas, ut ſcilicet in eo, in quo diſpenſat, habeat auctoritatem, & ſuper his, cum quibus diſpenſat, habeat poteſtatem, ibi: *Quem conſtituit Dominus ſuper* &c. Et nota ſecundum Raymundum, quod prohibetur etiam diſpenſatio, ubicumque non poteſt fieri ſine manifeſta declaratione Eccleſiæ, & ubi non eſt juſta cauſſa diſpenſandi, 1. quæſt. 7. *Tali*. Aliquando vero diſpenſatio eſt debita; & hoc ubi juſta cauſſa eſt diſpenſandi, quæ juſta cauſſa multiplex poteſt eſſe, ut 1. quæſt. 7. §. *Niſi rigor*, & capitulis, & §§. ſeqq. Et quamvis diſpenſatio ex juſta cauſſa ſit debita, & peccet prælatus non diſpenſando, ut eſt arg. 2. quæſt. 5. *Quanto* in fine; tamen ſubditi non habent jus petendi, niſi forte ſupplicando. Aliquando diſpenſatio eſt permiſſa, Diſt. 50. *Si quis preſbyter*. Et Papa quidem in omnibus pure poſitivis habet plenitudinem diſpenſandi. Et ſic dicitur habere omnia jura in ſcrinio pectoris ſui, extra *De conſtit.* cap. *Licet*, lib. 6. quantum ſcilicet ad interpretationem & diſpenſationem. In aliquibus tamen non conſuevit diſpenſare; Epiſcopi autem diſpenſare poſſunt ſecundum communem opinionem doctorum in his, quæ non ſunt eis a jure prohibita, extra *De ſent. excommun.* cap. *Nuper*, & Diſt. 50. can. *Miror*, in Gloſſa. Quæ autem eis prohibeantur, & Papæ reſerventur, in parte habes in prædicta Gloſſa, & inde etiam in 3. parte. Et nota ſecundum Innocentium in Gloſſa ſupra cap. *Dilectus*, extra *De tempor. ordinat.* quod epiſcopo non licet diſpenſare ſuper faciendo, ut ſcilicet aliquid faciat contra canones, niſi ubi permittitur ei a jure, extra *De conſtit.* cap. 1. niſi contraria conſuetudine & præſcripta eſſet ei derogatum, extra *De conſuet.* cap. ult. Super eo autem, quod factum eſt ſemper, poteſt diſpenſare, ut toleretur, niſi prohibeatur, arg. ad hoc 22. quæſt. 5. *Hoc videtur*. Dico, & forte melius, quod ubi jus concedit diſpenſationem ſimpliciter, poteſt. Et ſic loquitur Decret. extra *De ſentent. excommunic.* cap. *Nuper*. Si autem diſpenſatio non conceditur a canone, numquam poteſt epiſcopus diſpenſare, etiam ſi in canone inveniatur, quod Papa diſpenſat, extra *De conſang. & affinit.* cap. *Quod dilectio*; quia quum epiſcopi debeant ſervare canones, non debent contra facere, niſi expreſſe concedatur, 25. quæſt. 1. can. 1. & ſequenti. Hæc Innocentius. De diſpenſationibus, quæ poſſunt fieri per epiſcopos, vide in 3. parte tit. de ſtatu epiſcoporum.

De compilatoribus juris canonici. Notandum etiam, quod corpus totum juris canonici habetur in quattuor libris, ſcilicet Decreto, Decretalibus, Sexto, & Clementinus. Compilator Decretorum fuit Gratianus monachus, qui opus illud edidit, anno Domini MC. vel circa, ut dicit Hugo 2. quæſt. 6. *Poſt appellationem*, §. *Forma*. Fuerunt ante hanc compilationem quædam aliæ, ſcilicet Iſidori, poſtea Yvonis. Diſtinguitur autem in tres partes: nam prima continet centum & unam diſtinctiones. Secunda pars continet triginta ſex cauſſas, quarum quælibet habet plures quæſtiones. Et in 33. cauſſa quæſt. 3. continet tractatum ſpecialem & prolixum de pœnitentia, qui ſic allegatur, ſcilicet *De pœnit.* Diſt. tali, & continet ſeptem diſtinctiones. Tertia pars intitulatur de conſecratione, & habet quinque diſtinctiones. Primus, qui fecit

18 Quum ergo quis diſpenſationem ſine juſta cauſſa obtinuit, ea licite uti non poteſt. Quamquam enim diſpenſatio ejuſmodi, ſi ab ipſo legislatore, ſucceſſore, vel ſuperiore ejus ſit, valida habeatur, ac poſitivam legem tollat; illicita tamen eſt, nec tollit naturalem legem, quam nulla diſpenſatio tollere poteſt. Hæc autem naturalis lex ſicut ipſum legislatorem obligat, qui certe legibus ſuis non ſubjicitur; ita, immo & multo magis ſubditum ligat, ne ſine juſta cauſſa a communi obligatione ſe ſubtrahat, quod & turpe eſt ex Auguſtino lib. 3. Confeſſ. cap. 8. & in publicum etiam ſcandalum vergit. Hinc ſi peccat legislator, qui ſine juſta cauſſa jejunium aut aliam legem a ſe latam non ſervet: quidni ſubditus peccabit? Num majorem poteſtatem habebit legislator, ut ſubditum, quam ut ſe abſque juſta cauſſa a legibus eximat? Sed eſto eximatur uterque a poſitiva lege, quæ legislatori poſita non eſt, ſubdito autem per diſpenſationem eſt ſublata; neuter tamen ſolvitur naturali lege, quæ utrique certiſſime manet. Solum ſublata per diſpenſationem quantumvis illicitam poſitiva lege, pœnas, ſiquæ per hanc latæ fuerunt, non incurrit ſubditus, qui in ſolam naturalem legem peccat. Quum porro ſimplex ſcientia principis, qua peccari videt in legem, nec tamen vetat, diſpenſatio non ſit, nec abrogatio legis; hinc nihil mirum, ſi not. 1. ad cap. 5. tit. 1. part. 2. pag. 39. diximus pœnas incurri ab iis, qui ſcientia Principis abuntur: hos enim ipſi poſitivæ legi, & pœnis legis ſubjici palam eſt, quoad conſuetudine rationabili legitimeque præſcripta lex abrogata non ſit. Dixi porro diſpenſationem ſine cauſſa, quantumvis illicitam, validam eſſe poſſe, *ſi ab ipſo legislatore, ſucceſſore, vel ſuperiore ejus ſit*: inferior enim, niſi delegatus ſit, ſaltem ex conſuetudine, in ſuperioris lege diſpenſare non poteſt; unde diſpenſatio ejus non illicita ſolum eſſet, ſed etiam invalida. Immo etiamſi delegatus ſit, ſine cauſſa tamen diſpenſare nequit; delegatio enim diſpenſandi a ſuperiore ei commiſſa non præſumitur niſi ex juſta cauſſa; quum aliter concedi licite nequiverit. Hinc Epiſcopi etſi delegati ad diſpenſandum a generali lege jejunii, abſtinentiæ &c. juſta tamen cauſſa deficiente, non ſolum illicite, ſed invalide etiam diſpenſant; ac proinde ea diſpenſatione utentes non modo in naturalem, ſed & in poſitivam legem peccant, & in pœnas hujus incidunt, ut plures Theologiæ Doctores obſervarunt.

fecit ibi lecturam, fuit Hugo, qui nimis ſcrupuloſus fuit in ſuis determinationibus. Sed Gloſſa communis ejus eſt Joannis ſatis bona. Addidit tamen Bartholomæus Brixienſis quædam ad dictas gloſſas, quæ corrigunt opinionem Joannis, vel melius declarant. Poſt fecit ſolemnem apparatum ſuper eo Archidiaconus, qui dicitur Roſarium. Compilator vero Decretalium fuit Magiſter Raymundus Magiſter ordinis prædicatorum, ad requiſitionem & injunctionem Gregorii 9. anno Domini 1230. vel circa. Et dividitur liber ille in quinque partes, & quælibet pars habet multos titulos, qui tituli exprimunt materias, de quibus ibi agitur. Et allegatur non per partes, ſed per titulos & capitula, & antiquitus ante titulum dicebatur *extra*, ſcilicet Decretum; ſed a modernis dimittitur illud *extra*, & ſolum titulus allegatur cum capitulis. Gloſſæ communes ejus ſunt Bernardi, ſed plurimi fecerunt apparatum ſeu lecturas ſuper eodem, ut Innocentius IV, Hoſtienſis, Joannes Andreas in Novel. Joannes de Lignano, Petrus de Ancharano, Franciſcus Zabarellas, Antonius de Butrio, Abbas de Sicilia, & alii Sextum librum compilari fecit Bonifacius VIII. anno Domini 1300. vel circa, qui dicitur. Sextus quia ſequitur ad 5. librum Decretalium, & habet titulos & capitula, ſicut Decretales, & ſecundum illum ordinem; non tamen omnes illos titulos habet. Unde de matrimonio parum ibi agitur. Gloſſa communis ejus eſt Joannis Andreæ, qui etiam ſuper eo fecit apparatum in novella. Archidiaconus etiam fecit apparatum. Dominicus de ſancto Geminiano notabiliter ſcripſit, & alii multi. Quartus liber dicuntur Clementinæ ex eo, quod ſunt ſub Clemente in concilio Viennenſi editæ, poſt modicum tempus a compilatione Sexti. Clemens tamen morte præventus non promulgavit eas, ſed Joannes XXII. ſucceſſor ejus. Habet titulos ſecundum ordinem Decretalium, ſed non omnes illos: allegatur per titulos & capitula, ſed cum additione *in Clementinis*, ſicut allegatur, quod habetur in lib. 6. Et hoc ad differentiam titulorum, qui habentur in Decretalibus. Gloſſa ejus communis & notabilis eſt Joannis Andreæ; ſed fecerunt apparatum ſuper eis Paullus de Leazar. Franciſcus de Zabarellis, Joannes de Imola, & Zen. Reperiuntur etiam quædam conſtitutiones Eccleſiæ, quæ non ſunt in corpore juris; & ideo dicuntur Extravagantes, quæ poſtquam ſunt promulgatæ, ligant, ſicut quæ habentur in corpore juris, præcipue quum ſciuntur.

De Gloſſis.

TITULUS DECIMUS OCTAVUS

DE LEGE CIVILI.

CAPUT UNICUM,

Quo tempore jus civile conditum ſit, quantum liget, de legum diverſitate & earum effectu.

De jure civili.

LEX, ſeu jus civile ſic deſcribitur ab Iſidoro in 5. Etymolog. *Jus civile eſt, quod quiſque populus vel civitas ſibi proprium divina humanaque cauſſa conſtituit*, Diſt. 1. *Jus civile*. Gloſſa: *cauſſa*, ideſt contemplatione Dei, & hominum. Addit Archidiaconus contemplatione, ideſt ad reverentiam Dei, & utilitatem hominum. Si enim lex contineat aliquid contra Deum vel homines, repellenda eſt. Unde ſi imperator, vel alius princeps faceret legem contra jus naturale, puta quod dominia rerum transferentur de uno in alium ſine cauſſa; talis lex nec in foro animæ, nec in foro contentioſo valet, & remittit ad notata per eum 9. quæſt. 3. *Per principalem*. Et ibi dicit, quod ſi imperator vult ex reſcripto auferre rem meam, non poteſt, quia rerum dominia ſunt de jure naturali, Inſtit. *De jure natur. §.* ult. ſecundum Accurſium & Oldradum; Joannes tamen ibi in Gloſſa ſentit contrarium per legem, ff. *De rei vindicat. l. Item ſi verberatum*, & ff. *De evic. l. Lucius*. Sed dicit Archidiaconus, quod non obſtant iſtæ leges, quæ volunt, quod imperatoribus liceat prædia noſtra dare militibus ob publicam utilitatem: nam illud verum eſt, pretio nobis dato. Dicit ergo, quod omnia ſunt principis, ut dicit lex allegata: *omnia*, ſcilicet fiſcalia. Et ſic intelligit ibi Oldradus. Et ad hoc facit, quod dicitur 23. quæſt. 8. *Tributum*, *§. Quamvis*. Dicit etiam idem Archidiaconus Diſt. 12. in princ. quod licet Romana Eccleſia ſit mater & caput omnium Eccleſiarum ratione principii, inſtitutionis, & prælationis, ut Diſt. 21. *Quamvis*; non tamen eſt domina aliarum Eccleſiarum, nec Papa eſt dominus, ſecundum Bernardum ad Eugenium. Et quod Papa non ſit dominus omnium epiſcoporum, eſt optimum arg. 7. quæſt. 1. *Mutationes*. Quamvis enim res Eccleſiæ ſint ejus, ut principalis diſpenſatoris; non tamen ſunt ejus, ut domini poſſeſſoris, ut dicit Thomas, 2. 2. quæſt. 100. Unde & ſimoniam committeret Papa recipiendo pro re ſpirituali aliquid de reditibus Eccleſiæ, vel etiam ab aliquo ſæculari de bonis ſuis. Et hoc ſane intelligendum: nam quod Papa in collatione beneficiorum recipiat annuatas taxatas, non eſt hoc accipere temporalia pro ſpiritualibus, ſed ſuis & curiæ neceſſitatibus providere; quod fieri poteſt.

Non valet contra legem Dei.

Papa diſpenſator ſupremus, non dominus.

Jus militare ſic deſcribit Iſidorus, quod *eſt belli inferendi ſolemnitas*,[1] *fœderis faciendi nexus, ſigno dato egreſſio in hoſtem, vel pugnæ commiſſio: item ſigno dato receptio: item flagitii militaris diſciplina, ſi locus deferatur: item ſtipendiorum modus, dignitatum gradus, præmiorum honor, veluti quum corona vel torques donantur: item prædæ deciſio, & pro perſonarum qualitatibus, & laboribus juſta diviſio, ac principis portio*, Diſt. 1. can. *Jus militare. Belli inferendi ſolemnitas*.

De jure militari, 1

1 Sequentia addidimus ex jure canonico: canonem enim certe recitaverat Auctor, ut ex interpretatione cuique particulæ canonis ſubjecta palam eſt: ſed amanuenſes, vel typographi per ſaltum tranſcurrere a vocibus *Belli inferendi neceſſitas* ad eaſdem, quæ iterum repetuntur.

tas. Archidiaconus, ideſt jus, quod de militibus & pro militibus eſt ſtatutum, quod eſt pars juris civilis. Et improprie ponitur, quia ponit ſeu deſcribit non eſſentiam talis juris, ſed ejus effectus per exempla. *Solemnitas*, ideſt ſolemnis ordinatio ſeu diſpoſitio exercitus, qui ſcilicet debeant in primo loco eſſe, qui in ſecundo, qui in tertio, & hujuſmodi. *Fœderis*, pacis ſcilicet componendæ: *ſigno dato*, ſcilicet tuba vel cornu, *egreſſu*, vel congreſſio *in hoſtem*. *Item ſigno dato receptio*, ſcilicet in domum: *flagitii militaris diſciplina*, ideſt pœna ſeu punitio delicti. *Si locus deſeratur*. Gloſſa: Qui fugit in bello publico, ſecundum canones infamis eſt, ſecundum leges capite punitur. Et dicitur ſecundum Archidiaconum deſertor militiæ, qui per B longum tempus evagatus ad caſtra reducitur. *Stipendiorum modus*, ſcilicet qualiter militi, & qualiter pediti tribuatur. *Dignitatum gradus*, in quo gradu differant, quis dignior vel ſuperior alio. *Præmiorum honor*, qualiter ſcilicet quidam magis, quidam minus honorentur. *Veluti cum corona vel torques donantur*. Corona dicitur hic majus munus. Torques minus munus. *Prædæ deciſio*, ideſt diviſio, *& pro perſonarum qualitatibus & laboribus juſta diviſio, ac principis portio*. Gloſſa: Non ergo omnia, quæ capiuntur bello, ſunt principis. Et videtur eſſe contra 23. quæſt. 5. *Dicat*, ubi dicitur, quod regis ſunt omnia. Intelligendum, quia ad ipſum debent deferri omnia & præſentari, & ipſe debet di- C videre ſecundum merita perſonarum, 12. quæſt. 2. *Vulteranæ*. Et intellige de bello non injuſto; nam in injuſto omnia, quæ capiuntur, debent reſtitui ſecundum omnes doctores.

Jus publicum unde ortum.

Jus publicum (dicit Iſidorus) *eſt in ſacris, in ſacerdotibus, & magiſtratibus*, Diſt. 1. ubi Archidiaconus: *Publicum*, ideſt jus, quod eſt pro his conſtitutum, *eſt*, ideſt conſiſtit *in ſacris*, ideſt rebus Deo dicatis venerandis, *ſacerdotibus* honorandis, *magiſtratibus* timendis & obediendis: ſicut ſunt præfectus, proconſul, conſul, prætor, & hujuſmodi. Et dicit hic gloſſa, quod qui lædit ſacerdotes vel res ſacras, ab omnibus tamquam pro publico crimine poteſt accuſari, arg. 2. quæſt. 1. *In primis*. Et rationem aſſignat ibi Archidiaconus, quia hæ perſonæ ad ſtatum reipublicæ pertinent; plus enim orationibus Eccleſiæ, quam auxilio militari conſiſtit imperium, ut 23. quæſt. 8. D *In qualibet*.

Jus Quiritium quid ſit.

Jus Quiritum (ait Iſidorus) *eſt proprie Romanorum, quia nulli alii, niſi Romani, eo utuntur, in quo agitur de legitimis hæreditatibus, de tutelis, de creationibus, & uſucapionibus*, Diſtinct. 1. de contractibus, qualiter, ſcilicet debeant celebrari in ſcriptis vel ſine. Et dicit Gloſſa, quod *jus Quiritum* dictum eſt a Quirino, vel Romulo, qui fuit conditor primus Romæ, unde dicuntur Romani. 2 Et ſecundum Gloſſam hic dicuntur Romani omnes ſubditi Romano Imperio, [2] prout dicitur proprium Romanorum habere filios in poteſtate, & E ſic gentiles etiam ſunt ſub Romano imperio: nam Imperator princeps eſt totius mundi, ut 7. quæſt. 1. *In apibus*; ſed in diverſis provinciis diverſi reges ſunt ſub eo, ut 6. quæſt. 3. *Scitote*. Qui ergo non vult eſſe ſub Romano Imperio, nec hæreditatem habere poteſt, nec alia, quæ hic enumerantur de jure Romano.

Juris civilis ſpecies varias ponit Iſidorus in eodem quinto lib. Etym. & nomina earum. Et habentur omnia in Decretis, Diſt. 2. per totum.

2 Sequens membrum legitur in editione Veneta an. 1479. nec non in Gloſſa, ex qua Auctor hunc textum ſumſit.

A Unde in principio ejus dicitur: *Conſtat autem jus Quiritum ex legibus, ex plebiſcitis, ex ſenatuſconſultis, ex conſtitutionibus principum, ex edictis Senatorum & prudentum reſponſis*, & ſingulas horum deſcribit.

Lex ſecundum Iſidorum *eſt conſtitutio populi, qua majores natu ſimul cum plebibus aliquid ſanxerunt*, Diſt. 2. *Lex*, ubi dicit Archidiaconus, quod lex aliter ſumitur hic, aliter ſupra Diſt. 1. Nam hic ſumitur ſtricte, prout eſt ſpecies juris Quiritum; ſupra autem, prout eſt genus ad omne jus ſcriptum. *Conſtitutio populi*: dicit hic Gloſſa: Olim populus ſtatuit leges, ſed hodie tranſtulit poteſtatem in Imperatorem, ut Inſt. *De jur. nat. §. Sed quod principi*. Vel dic, quod hodie etiam populus poteſt legem ſtatuere, & quod dicitur in dicta lege *Tranſtulit*, ideſt conceſſit. Addit hic Archidiaconus: Dicunt quidam, quod populus hodie non poteſt condere legem, arg. ad hoc C. *De leg.* l. ult. Alii, ut Laurentius, dicunt contra, ſcilicet quod populus poteſt auferre auctoritatem imperatori; ſed omnes Eccleſiæ non poſſent tollere auctoritatem Papæ. Et ratio eſt, quia Papa non habet auctoritatem ab Eccleſiis, ſed Eccleſiæ ab eo, arg. Diſt. 21. *Quamvis*. Ex dominica enim juſſione & [3] conciliorum auctoritate Papa habet ſuam 3 juriſdictionem, & non ex tranſlatione populi ſicut imperator, extra *De elect.* cap. *Significaſti*. Et dicunt hi, quoad poteſtatem tranſlatam per populum in Imperatorem condendi legem, quod populus poteſt revocare iſtam poteſtatem, quum vult; ſicut judex, qui delegat, quia proprietas apud eum remanſit. Nec obſtat illa lex ult. C. *De leg.* quia ibi illud *ſoli* non excludit populum, arg. 15. quæſt. 7. can. *Epiſcopus*. Sed tale eſt, ac ſi diceret: *Soli principi*, ideſt nulli alii ſoli. Nec obſtat extra *De offic. deleg.* cap. *Super quæſtionum*, & in cap. *Venerabili*, quia illa jura loquuntur in delegato. In alio forte ſecus, ut ff. *De offic. præſid.* l. ult. Hæc Archidiaconus. *Majores natu*, Gloſſa: Majores natu dicuntur nobilitate, dignitate, antiquitate, & ſcientia, ut 2. quæſt. 7. *Quærendum*. Addit Archidiaconus, quod hic magis proprie dicitur nobilitate.

Lex quid ſit.

Plebiſcita ſunt, quæ plebes tantum conſtituunt. Et vocantur plebiſcita, eo quod ea plebs ſciat, vel quod ſciſcitatur & rogat, ut fiant. Iſidorus Diſt. 2. Gloſſa ibi: Plebiſcita primo facta fuerunt propter diſcordiam inter nobiles & plebejos, ut ff. *De origin. jur.* l. 2. Addit hic Archidiaconus, quod quodam tempore receſſit plebs Romanorum a patribus in montem Aventinum, & ibi ſtatuta ab ea vocata ſunt plebiſcita, ſcita ideſt ſtatuta plebis, vel quia ejus ſcientia & conſenſu ſtatuebantur. Eſt ergo plebiſcitum jus, quod plebs magiſtratu interrogante veluti tribuno conſtituebat. Et hæc lex pro bono pacis fuit obſervata per legem Hortenſiam, ut ff. *De orig. jur.* l. 2.

Plebiſcitū quid ſit.

Senatuſconſultum eſt, quod tantum ſenatores populis conſulendo decernunt. Iſidorus Diſt. ead. Dicit hic Archidiaconus in Roſario, quod *quum populus Romanus ita eſſet auctus, ut in unum convenire non poſſet, cauſſa legis ſanciendæ æquum viſum eſt ſenatum vice populi conſuli*, ut Inſtit. *De jur. natur. §. Senatuſconſultum*. Ubi dicitur quod *ſenatuſconſultum eſt, quod ſenatus jubet atque conſtituit* ſecundum Laurentium. Et ſicut totus populus interrogabatur, quando conſul legem ferebat ad populum; ita ſenatores interrogabantur vice populi, quando conſul legem ferebat, & ita eorum conſenſu ſenatuſconſultum vocatum

Senatuſcōſultū quid ſit.

3 Conciliorum auctoritas poteſtatem Papæ divini juris eſſe confirmat.

catum eſt. Hugo. Erant autem ſenatores centum numero, & dicitur ſenatus a ſenectute. Iſti electi ſunt a Romulo centum, & a populo centum. Qui ob ætatem ſenatores, ob ſimilitudinem curæ patres dicebantur. Vel ſenatus a ſinendo dicebantur, quia ſenatores facultatem eligendi dabant. Nam ſine licentia eorum nulli licebat magiſtratum aliquem facere, ideſt officium. Et ſenatus etiam dicebatur locus, in quo conveniebant ſenatores.

Conſtitutio vel edictum quid ſit.

Conſtitutio, vel edictum eſt, quod rex vel Imperator conſtituit, vel edidit. Iſidorus Diſt. ead. ubi dicit Archidiaconus: Rex ſcilicet tantum. Nam reges prius leges tulerunt, ff. *De orig. jur.* li. 2. Lau. Vel dic, quod idem eſt rex & imperator, ſed rex antequam coronetur. Et idem eſt conſtitutio quod edictum, licet edictum poſſet dici tantum in præcipiendo. Dicuntur etiam edicta prætorum, ut dicit Joannes, quæ ſcilicet prætor jus civile corrigens, vel ſupplens vel confirmans in ambone poſita, ſive ſcripta publice proponebat, ſecundum Auguſtinum.

Reſponſa prudentum quæ ſunt.

Reſponſa prudentum ſunt, quæ juriſconſulti reſpondere dicuntur conſulentibus; unde & reſponſa Paulli dicta ſunt. Fuerunt enim quidam prudentes & arbitri æquitatis, qui inſtitutiones juris civilis compoſitas ediderunt, quibus diſſidentium lites, contentioneſque ſopirent. Iſidorus Diſt. ead. Archidiaconus: *Reſponſa*, ideſt ſententiæ eorum, quibus permiſſum eſt jura condere. *Conſulti*, quibus datum erat jus reſpondendi. *Conſulentibus* ſuper aliquo articulo vel interpretatione alicujus juris. *Ediderunt*, ideſt expoſuerunt & interpretati ſunt *inſtitutiones compoſitas* ab aliis.

Leges unde denominentur.

Quædam leges dicuntur ab his, qui ediderunt eas, ut conſulares, tribuniciæ, Juliæ, & Corneliæ. Nam & ſub Octaviano Cæſare ſuffecti conſules Papius & Poppæus legem tulerunt, quæ a nominibus eorum Papia & Poppæa nuncupatur, continens patrum præmia pro ſuſcipiendis liberis. Sub eodem quoque Imperatore Falcidius tribunus plebis legem fecit, ne quis plus extraneis in teſtamento legaret, quam ut quarta pars ſupereſſet hæredibus, ex cujus nomine lex Falcidia nominata eſt, Diſt. ead. Archidiaconus: *Conſulares*. Quum Romani ferre non poſſent ſuperbiam regum, conſules fecerunt, & editæ leges ab illis conſulibus, *conſulares* dicuntur. *Tribuniciæ*, quum quadam vice populus Romanus a patribus receſſiſſet, fecit ſibi tribunos, qui ſcilicet præeſſent aliis, & leges factæ ab his dicuntur *Tribuniciæ*. Et dicitur tribunus a tribuendo jura unicuique. Vel a tribu, ideſt populo, qui præerat, vel quia populus diviſus fuit in tres partes, & ex qualibet parte tribuni eligebantur. *Suffecti*, ideſt ſubſtituti: qui enim in locum conſulum ante finem ſui officii decedentium ſubſtituebantur, dicebantur ſuffecti. *Falcidius*. De lege Falcidiæ, quam notat hic Gloſſa, vide in 3. parte tit. 10. cap. de teſtamentis.

Satyra lex.

Satyra lex dicta eſt, eo quod de pluribus ſimul rebus lex illa loquitur, ſic dicta a copia rerum, & quaſi a ſaturitate. Unde & ſatyram ſcribere eſt poemata varia condere, ut Horatii, Juvenalis, & Perſii.

Leges Rhodiæ.

Rhodiæ leges navalium commerciorum ſunt, ab inſula Rhodo cognominatæ, in qua antiquitus mercatorum uſus fuit, Diſt. ead. Et dicit hic Gloſſa, quod lex illa iniquiſſima eſt, ſcilicet quod patientibus naufragium inhabitatores omnia auferant, ff. eod. *Modeſtinus*. Sed illa lex hodie correcta eſt, ut C. *De fur.* in Authent. *Navigia*; immo tales ipſo jure ſunt excommunicati, extra *De rap.* cap. *Excommunicationi*. Addit Archidiaconus, quod videtur, quod ſit canon *latæ ſententiæ*, quod etiam tenet Gloſſa hic poſita: ſed Innocentius credit, quod ſit canon ferendæ ſententiæ. Idem Bernardus ſentit ibidem. De hoc habes in 3. parte in tractatu de cenſuris.

Diviſio juris civilis.

§. I. Et nota, quod totum corpus juris civilis communis dividitur in quattuor libros quoad allegationes, ſcilicet Codicem, Digeſtum, Inſtituta, & Authenticum. Et quæ in eis notantur, allegantur per nomen libri, per titulos, per leges, per paragraphos. Convenientiam hujus diviſionis legum humanarum ſuprapoſitæ ſecundum Iſidorum pulchre notat B. Thomas 1. 2. quæſt. 95. art. 4. dicit enim, quod unumquodque poteſt per ſe dividi ſecundum id, quod in ejus ratione continetur, ſicut in ratione animalis continetur anima, quæ eſt vel rationalis, vel irrationalis. Et ideo animal per ſe dividitur in rationale & irrationale, non autem dividitur ſecundum album & nigrum, quæ ſunt ejus diviſiones præter ejus rationem. Sunt autem multa de ratione legis humanæ, ſecundum quorum quodlibet lex humana proprie & per ſe dividi poteſt. Eſt enim primo de ratione legis humanæ, quod ſit derivata a lege naturæ, ut ex dictis patet; & ſecundum hoc poſitivum dividitur in jus gentium, & in jus civile, ſecundum duos modos, quibus aliquid derivatur a lege naturæ, ut ſupra dictum eſt. Nam ad jus gentium pertinent ea, quæ derivantur a lege naturæ, ſicut concluſiones ex principiis; ut juſtæ emtiones & venditiones, & alia hujuſmodi, ſine quibus homines ad invicem convivere non poſſent: quod eſt de lege naturæ, quia homo naturaliter eſt animal ſociale, prout probatur in 1. Polit. Quæ vero derivantur a lege naturæ per modum particularis determinationis, pertinent ad jus civile, ſecundum quod aliqua civitas aliquod jus ſibi commodum determinat.

Secundo eſt de ratione legis humanæ, quod ordinetur ad bonum civitatis, & ſecundum hoc lex humana dividi poteſt ſecundum diverſitatem eorum, qui dant operam bono communi, ſicut ſacerdotes pro populo Deum orantes: principes populum gubernantes: milites pro ſalute populi pugnantes; & ideo iſtis hominibus ſpecialia quædam jura aptantur, ut ſcilicet ponatur jus publicum, & jus militare.

Regimen politicum varium.

Tertio de ratione legis eſt, ut inſtituatur a gubernante communitatem civitatis; & ſecundum hoc diſtinguuntur leges ſecundum diverſa regimina civitatum, quorum unum regimen eſt ſecundum philoſophum in 3. Politic. quando civitas gubernatur ab uno; & ſecundum hoc ponuntur conſtitutiones principum ſeu edicta. Aliud regimen eſt Ariſtocratia, ideſt principatus optimorum vel optimatum: & ſecundum hoc ſumuntur reſponſa prudentum, & ſenatuſconſulta. Aliud regimen eſt Oligarchia, ideſt principatus paucorum divitum & potentum; & ſecundum hoc ſumitur jus prætorum, & etiam dicitur jus honorarium. Aliud regimen eſt populi, quod dicitur Democratia; & ſecundum hoc ſumitur plebiſcita. Aliud regimen eſt tyrannicum, quod eſt omnino corruptum, unde ex hoc non ſumitur aliqua lex. Aliud regimen eſt ex his commiſtum, quod eſt optimum; & ſecundum hoc ſumitur lex, quam majores natu ſimul cum plebibus ſanxerunt, ut dictum eſt ſupra.

Quarto de ratione legis eſt, quod ſit directiva humanorum actuum, & ſecundum hoc ſecundum diverſa, de quibus leges feruntur, diſtinguuntur leges, quæ aliquando ab auctoribus earum nominantur; & ſic diſtinguitur lex Julia de adulteriis, lex Cornelia de ſicariis, & ſic de aliis. Aliæ denominantur non propter auctores earum,

ſed

ſed propter res, de quibus ſunt, ut lex de officio proconſulis, lex de furtis, & hujuſmodi. Diſtinguitur autem jus gentium a jure naturali, maxime in quantum jus naturale eſt commune omnibus animalibus.

Leges juſtę obligant in conſciętia.

§. II. Quod leges humanæ etiam ſæculares imponunt homini neceſſitatem ad obſervandum in foro conſcientiæ, ita quod non obſervans peccat, ſi ſint juſtæ, unde Auguſtinus dicit: *Quicumque legibus imperatorum, quæ pro Dei voluntate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande ſupplicium. Quicumque autem legibus imperatorum, quæ contra Dei voluntatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium*, Diſt. 9. *Imperatores*.

Pro hujus declaratione dicit B. Thomas 1. 2. quæſt. 96. art. 4. quod leges humanitus poſitæ vel ſunt juſtæ vel injuſtæ. Si ſint juſtæ, habent vim obligandi in foro conſcientiæ a lege æterna, a qua derivantur, ſecundum illud Proverb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.*

De juſtitia & injuſtitia legum.

Dicuntur autem leges juſtæ vel injuſtæ ſecundum quadruplex genus cauſſarum, ſcilicet finalem, efficientem, formalem, & materialem. Dicuntur juſtæ ex cauſſa finali, ſeu ex fine, quando ordinantur ad bonum commune. Iſte eſt enim finis legis utilitas boni communis. E contra eſt lex injuſta, quando eſt contraria bono communi. Unde quando aliquis præſidens imponit leges onerоſas ſubditis; non propter communem utilitatem, ſed propter privatam ſuam, ut propter cupiditatem vel gloriam, puta faciens ſtatutum, quod qui committit talem defectum, ſolvat tantum; quod non propter aliud facit, niſi ut inde lucretur: vel quum imponit talleas, gabellas ultra debitum, ut theſaurizet vel pompizet. Secundo dicuntur juſte ex cauſſa efficienti ſeu actoris. Cauſſa efficiens legis eſt ſtatuens legem. Si ergo non excedit poteſtatem ferentis, quia ſcilicet eam facit ſubditis ſuis, juſta eſt. Injuſta autem, ſi fert legem ſuper eos, in quibus non habet poteſtatem; puta ſi laicus cujuſcumque dignitatis etiam imperator facit legem, quæ extendatur etiam ad clericos, ut quod habeant reſpondere in foro ſuo, vel quod ſolvant talleas & hujuſmodi: non enim habent poteſtatem ſuper clerum. Tertio dicuntur juſtæ ex forma, quando ſcilicet ſecundum æqualitatem proportionis imponuntur onera ſubditis in ordine ad bonum commune. Quum enim unus homo ſit pars multitudinis, quilibet homo & quod eſt, & quod habet, eſt multitudinis, ſicut & quælibet pars eſt, quod eſt totius. Unde & natura aliquod detrimentum infert aliquando parti, ut ſalvet totum. Et ſecundum hoc leges proportionabiliter onera imponentes ſunt juſtæ, & obligant in foro conſcientiæ. Unde ex cauſſa rationabili rectores civitatis imponunt aliquas collectas, puta ad defendendum ſe in juſto bello, & ſecundum proportionem debitam; qui hoc recuſaret, peccaret. Injuſtæ autem ſunt, quando non æqualiter onera imponuntur ſecundum ratam unicuique contingentem ſecundum ſubſtantiam; ſed alii nimis gravantur enormiter, alii nimis allevantur. Et iſtæ ſunt violentiæ magis, quam leges. Unde tales leges non obligant in foro conſcientiæ, niſi forte propter vitandum ſcandalum, vel perturbationem, propter quam homo debet cedere etiam juri ſuo, ſecundum illud Matth. 5. *Qui te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo*. Quarto leges ſunt juſtæ ex materia, quando ſcilicet ſunt de rebus in ſe juſtis. Injuſtæ autem, quando ſunt de rebus illicitis, puta contra jus divinum vel naturale, ut quod adorent idola, ſicut fecit Nabuchodonoſor legem, quod omnes adorarent ſtatuam &c. Dan. 3. Et tales leges nullo modo ſunt obſervandæ; quia, ut dicitur Act. 5. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Et de hujuſmodi legibus iniquis & condentibus eas dicitur Iſaiæ 10. *Væ his, qui condunt leges iniquas, & ſcribentes injuſtitias ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſſæ humilium populi mei*. Quocumque ergo illorum modorum ſunt injuſtæ, non obligant in foro conſcientiæ. Si tamen ſolum ex fine eſſent injuſtæ, & in aliis juſtæ, ſcilicet ex materia, forma, & auctore, forte ligarent tunc. Et nota, quod condentes leges iniquas, puta ad imponendum collectas indebitas, & gravamina, tenentur ad reſtitutionem, & hæredes eorum omnium damnorum, quæ occaſione dictarum legum aliqui paſſi ſunt, & illi, qui induxerunt conditorem ad talem legem faciendam, quilibet in ſolidum. Et ſervantes eas leges tenentur etiam ad reſtitutionem eorum, quæ occaſione talium legum lucrati ſunt. Ubi autem juſtæ ſint leges, ſæculares etiam ſervare debent, & peccant tranſgredientes. Unde Gelaſius Papa: *Quis aut leges principum, aut patrum regulas, aut monitiones paternas dicat debere contemni, niſi qui impunitum ſibi tantum æſtimet tranſire commiſſum?* Diſt. 10. *Quis*. Ubi dicit Gloſſa, quod peccat omnis, qui contemnit legem, ſed non peccat omnis, qui non paret legibus, ubi ſcilicet loquitur de conſilio lex, 14. quæſt. 1. *Quiſquis*. Et ſic aliud eſt contemnere, aliud non parere. Dicit Bernardus in lib. de diſpenſatione & præcepto: Contemtus ubique damnabilis; & ſic eſt mortale ex contemtu legem tranſgredi. Ex ignorantia enim vel negligentia non ſemper, ſed ſecundum materias. Et dicit Joannes Papa: *Quidquid contra leges accipitur, per leges diſſolvi meretur*, Diſt. 10. *Vides*. Et dicit ibi Gloſſa, quod hæc regula eſt vera in his, in quibus eſt perpetua cauſſa prohibitionis, ut ne filius contrahat matrimonium cum matre; vel dic, quod meretur diſſolvi, niſi illud per aliam conſtitutionem toleretur.

De legibus gabellatis.

De exordio legis civilis.

§. III. De comparatione legum civilium ad canonicas quoad prioritatem. Sciendum igitur, quod lex civilis eſt prior lege canonica tempore. Sed lex canonica eſt prior civili dignitate ſeu auctoritate. Primum patet ex hoc, quod lex civilis cœpit tempore Moyſi vel circa. Lex vero canonica tempore Apoſtolorum, quando fecerunt conſtitutionem, quod converſi ad fidem abſtinerent ſe a fornicatione, ab idolothytis, ſanguine & ſuffocato, ſcilicet animali. Fornicatio quidem de ſe ſemper fuit peccatum mortale; ſed ideo prohibita, quia gentiles putabant licitam quaſi naturalem. Alia vero prohibita fuerunt, non quia de ſe mala, ſed ad inducendum pacificum convictum inter Judæos, & Gentiles converſos ad fidem, & removendum occaſionem, & exemplum mali.

De legum auctoribus.

Qui fuerunt auctores legum ſæcularium, ponit Iſidorus in 5. Etym. dicens: *Moyſes gentis Hebrææ primus omnium divinas leges ſacris litteris explicavit. Phoronæus rex primus Græcis leges judiciaque conſtituit. Mercurius Trimegiſtus primus leges Ægyptiis tradidit. Solon primus leges Athenienſibus dedit. Licurgus primus Lacedæmonibus jura ex Apollinis auctoritate confinxit. Numa Pompillius, qui Romulo ſucceſſit in regno, primus Romanis leges edidit. Deinde quum populus ſeditioſus magiſtratus ferre non poſſet, decem viros legibus condendis creavit, qui leges ex libris Solonis in latinum ſermonem translatas duodecim tabulis expoſuerunt*. Diſt. 7. *Moyſes*. Et in canone ſeq. dicit: *Leges redigere in libris. Primus conſul Pompejus inſtituere voluit, ſed non perſeveravit metu obtrectatorum. Deinde Cæſar*

far cœpit id facere, ſed ante interfectus eſt. Paul-latim autem antiquæ leges vetuſtate & incuria obſoleverunt. Novæ autem a Conſtantino Cæſare cœperunt, & reliquis ſuccedentibus, erantque permiſtæ & inordinatæ. Poſtea Theodoſius minor Auguſtus ad ſimilitudinem Gregoriani & Hermogeniani Codicem factum conſtitutionum.... diſpoſuit.

Quo tempore cœperunt leges canonicæ.

De legibus autem canonicis dicit Iſidorus Diſt. 15. can. 1. quod Canones conciliorum generalium cœperunt a tempore Conſtantini Imperatoris. Temporibus præcedentibus perſecutione ferente, non dabatur facultas docendarum plebium, nec licentia epiſcopis conveniendi in unum; ſed ipſe Conſtantinus dedit hanc facultatem Chriſtianis, & ſub eo factum fuit primum generale concilium, ſcilicet Nicænum. Dicit tamen ibi Gloſſa, quod tempore Clementis cœperunt fieri concilia, ut patet Diſt. 16. *Iſidorus*. Sed non fuerunt ita generalia; & ſic ſolvitur contrarietas. Fuerunt etiam facta ante tempus Conſtantini multa decreta a ſummis Pontificibus diverſis temporibus.

De præſtantia legis canonicæ.

Dignitate & auctoritate leges canonicæ ſunt priores, adeo quod leges ſæculares, quæ legibus canonicis reperiuntur contrariæ, nullius ſunt momenti. Et hæc eſt ſententia concluſiva totius Diſt. 10. quam probat per multos canones: & in 1. can. dicitur: *Lex imperatorum non eſt ſupra legem Dei, ſed ſubtus. Imperiali judicio non poſſunt eccleſiaſtica jura diſſolvi.* Et Diſt. ead. can. 4. *Conſtitutiones, quæ ſunt contra canones, & decreta præſulum Romanorum, vel contra bonos mores, nullius ſunt momenti.* Imperator etiam dicit, quod ſacræ leges non dedignantur ſequi ſacros canones, præcipue in matrimoniis, uſuris, & hujuſmodi. In Auth. *Ut clerici apud proprios epiſ.* &c. collat. 6. & 2. quæſt. 3. §. *Hinc colligitur*, & extra *De novi oper. nuntiat.* cap. *Intelleximus*. *Ubi autem evangelicis & canonicis decretis non obviaverint, omni reverentia dignæ habeantur*, dicit Gratianus, Diſt. 10. *Suſcipis ne*, §. *Ecce*. Unde & Auguſtinus can. ſeq. *Si in adjutorium veſtrum terreni imperii leges aſſumendas putatis, non reprehendimus. Nam & hoc fecit Paullus, quum adverſus injurioſos Romanum ſe eſſe civem teſtatus eſt.* Sed utrum Papa poſſit tollere leges quoad utrumque forum, ſunt opiniones pro & contra. Sed dicit Joannes Andreas ſuper regula *Poſſeſſor*, *De regul. jur.* lib. 6. quod ubi Papa non habet temporalem juriſdictionem, non poteſt tollere leges quoad forum civilem, niſi in his, in quibus vertitur periculum animæ, ut uſuris, & hujuſmodi, quum poteſtates ſint diſtinctæ, Diſt. 10. *Quoniam*, & Diſt. 96. *Quum ad verum*. In his autem, in quibus vertitur periculum animæ, poteſt tollere quoad utrumque forum: probantur hæc *De judic.* cap. *Novit*, & *De præſcript.* cap. ult.

Indulgentia legum cum rigore canonū non cōſentiens.

§. IV. Caſus plures illiciti, qui permittuntur a legibus ſæcularibus, ſed quia prohibentur jure divino, vel canonico; in omnibus illis caſibus leges illæ ſunt abrogatæ, nec deceret ſervari, & peccarent qui eas ſervarent. Et primo in matrimoniis: nam ſecundum leges filius germani unius poteſt copulare matrimonium cum filia alterius germani, ut Inſtitut. *De rapt.* §. *Inter eas*, C. *De nupt.* l. *Nemini*. Sed ſecundum Deum tales debent penitus ſeparari, extra *De conſangu. & affinitate*, cap. *Non debet*, & 35. quæſtion. 3. *Progeniem*. Secundo, quia ſecundum leges puella rapta non poteſt contrahere matrimonium cum ſuo raptore, C. *De rap. virginum*, l. unica. Et idem erat olim ſecundum antiquos canones; ſed 4 hodie poteſt, extra *De rapt.* cap. finali. Tertio quia ſecundum leges licitum eſt homini inſoluto tenere mulierem ſolutam in concubinam, ut in Auth. *Quibus mod. natural. effic. ſui*, §. *Si quis* coll. 7. Sed ſecundum Deum etiam ſimplex fornicatio peccatum mortale eſt, & excludit a regno Dei, ut dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. Quarto, quia ſecundum leges licitum eſt viro occidere adulterum uxoris deprehenſum in adulterio, ſi eſt perſona vilis, & cui non debet reverentiam, ff. *Ad leg. Jul. De adulter.* l. *Marito*, & l. *Si adulterium*, & C. *Ad leg. Jul. De adulter.* l. *Gracus*. Inſuper licet patri, qui habet filiam in poteſtate, occidere adulterum filiæ in domo ſua fornicantem, & occidere filiam, ff. *De adulter.* l. *Patri*, & l. *Nec in ea*. Et ſimiliter de latrone & populatore agrorum. Sed ſecundum Deum nihil horum licet, & prohibentur talia, quum præcipitur Exodi 20. *Non occides*. Quinto, quia ſecundum leges damnatur, qui apprehenſam in adulterio tenet uxorem, C. *Ad leg. Jul. De adulter.* l. *Crimen*, & l. *Caſtitati*; ſed ſecundum Deum, & jura canonica poteſt tenere ſine ulla pœna, dummodo ipſa velit ab adulterio recedere, 32. quæſt. 1. §. *Subauditur*. Sexto, quia ſecundum leges in multis caſibus licitum eſt uxorem repudiare, & matrimonium rite contractum diſſolvere, & maxime in caſu, qui notatur Diſt. 10. *Lege*, & 27. quæſt. 2. *Sunt qui dicunt*. Sed hoc lex divina prohibet, ut in eiſdem canonibus dicitur. Septimo, quia ſecundum leges, mulier, quæ mortuo viro nubit infra tempus luctus, ſcilicet unius anni, infamis fit, incurrit multas pœnas, C. *De ſecund. nupt.* l. 1. & 2. Sed ſecundum Deum, ut Apoſtolus dicit 1. Corinth. 7. *Nubat mulier, cui vult*, extra *De ſecund. nup.* cap. pen. & ult. & ut ibi notat Innocentius, remittuntur ei omnes illæ pœnæ, quæ ſunt tantum ad pœnam ipſius; ſecus ſi inde proveniat aliquid ad alios. Octavo, quia ſecundum leges filius ſpurius non eſt alendus; ſed ſecundum Deum & canonem contra. Nono, quia ſecundum 5 leges hæres ſi non fecerit inventarium, tenetur ad omnia debita defuncti; ſecus ſecundum Deum. Decimo, quia in certis caſibus ſecundum leges hæres non tenetur de maleficio defuncti; ſecus ſecundum Deum. Undecimo, quia ſecundum leges illud, quod relinquitur, niſi habeat ſeptem vel quinque teſtes, 6 non valet, C. *De teſtament.* l. *Si unus*. Sed ſecundum Deum in relictis ad pias cauſſas ſufficiunt tres, aut etiam duo teſtes, extra *De teſtament.* cap. *Quum eſſes*, & cap. *Relatum*. Duodecimo, quia ſecundum leges ſi promitto aliquid nudo pacto, non teneor, & dico, quia non oritur inde actio, ff. *De pact.* l. *Juris gentium*. E contra eſt ſecundum Deum & cano-

4 Noviſſime Tridentina ſynodus impedimentum dirimens conſtituit raptum, ut dicemus not. 1. in cap. 1. tit. 1. part. 3. pag. 13.

5 Leges ejuſmodi fere obligant ex præſumtione fraudis; quæ ſi abſit, nec ſcandalum, vel contemtus interſit, in conſcientia non ligant. Ceterum ſi in pœnam negligentiæ latæ ſint, & ad eam præcavendam abſolute, etiam citra præſumtionem, obligare legiſlatores intendant in publicum bonum; non ſolum in externo foro, ſed in interno etiam ipſis erit parendum, ut omnibus juſtis legibus a legitima poteſtate ſatis parendum eſt. Conſulenda itaque eſt legislatorum mens, ut de hoc vel ſimilibus caſibus dijudicetur.

6 Sæpius ex ipſarum legum ac legislatorum mente hæ vel aliæ ſimiles teſtamentorum conditiones exiguntur ad præcavendas fraudes; non autem ut ſine his irritum velint, quod ex certa teſtatoris voluntate relictum ſit.

canones; quia mortaliter peccat recedens a pacto, extra *De pact.* cap. 1, cum similibus, quæ ibi notantur. Et idem, si promitto uni recipienti pro alio, quia secundum Deum teneor, secundum leges non. Tertiodecimo, quia inter ementes & vendentes concedunt leges deceptionem &c. Quartodecimo, quia secundum leges non licet emere seu vendere jura & actiones, quæ quis habet contra alium pro majori pretio, quam sit principale debitum; alias non valet emtio, nec peti poterit nisi usque ad illud, quod solutum est, nec etiam debent talia jura pro parte vendi, & pro parte donari, C. *Mandati*, l. *Per diversas*, & l. *Ab Anastasio*. Sed secundum Deum nihil prohibet me emere jura contra aliquem pro minori pretio, quam sint ipsa jura, dum tamen non faciam hoc in fraudem usuræ; sed propter interesse meum, aut [7] laborem, qui forsitan erit in rehabendo, seu quia dubito, ne debitor fugiat, aut ad paupertatem veniat. Quintodecimo, quia secundum leges in longissimo tempore etiam possessor malæ fidei præscribit; secus secundum Deum & jura canonica, extra *De reg. jur. Possessor malæfidei*, lib. 6. Sextodecimo, quia secundum leges maleficia cogitationis regulariter non puniuntur, ff. *De pœnis*, l. *Cogitationis*; sed tamen omnis cogitatio mala vel a Deo, vel per pœnitentiam punienda est, *De pœnit.* Dist. 1. *Omnis*. Decimoseptimo, quia secundum leges licet magi & venefici puniantur; tamen qui hoc faciunt contra imbres, ventos, & grandines, præmiantur, C. *De malefic.* l. *Eorum*. Sed secundum Deum etiam talia sic facere gravissimum peccatum est, ut clare probat Thomas 2. 2. quæst. 96. Idem ostendit, 26. quæst. 2. cap. *Illos*, & extra *De sortileg.* per totum. Decimooctavo, quia secundum legem licitum est in caussa sanguinis corrumpere accusatorem, ff. *De prævaricat.* l. finali, sed secundum Deum non licet, ut patet in Thoma 2. 2. quæst. 69.

TITULUS DECIMUS NONUS

DE PRIVILEGIIS IN COMMUNI.

CAPUT I.

Privilegia per quem concedi possunt, & per quem impetrari, & quando & quomodo tolluntur.

De privilegio a Deo.

EST & alia lex privata, quæ dicitur privilegium, Dist. 3. *Privilegia*, plenius 25. quæst. 1. §. ultimo. Sed est privilegium datum a Deo, & privilegium ab homine. Et privilegium quidem est quoddam jus seu quædam gratia concessa alicui in aliquo contra legem communem. Sic fuit concessum [1] Gregorio orare pro Trajano damnato, & Martino pro quodam a seipso suspenso, & concessum fuit Apostolis uti sortibus in electione Matthiæ, & Osææ [2] accedere ad uxorem fornicariam, & Samsoni seipsum occidere, & Israelitis exspoliare. Ægyptios, & Abrahæ & Jacob habere plures uxores simul, ut extra *De divor.* cap. *Gaudemus*, 14. quæst. 5. *Dixit Dominus*, & 23. quæst. 5. *Si non licet*, ver. *Non occides*, & 26. quæst. 2. *Non statim*. Ubi dicit Beda post Hieronymum, quod *privilegia paucorum communem legem facere non possunt*, ut extra *De divor.* cap. *Gaudemus*. Et regula juris in 6. *Quod alicui gratiose conceditur, non debet ab aliis trahi in exemplum*. Qui ergo veraciter ducuntur hac lege privata, quæ est lex, ideſt inspiratio certa Spiritus sancti; hi non sunt sub lege, scilicet communi in illo opere, contra quam habent contrarium instinctum a Spiritu sancto, 19. quæst. 2. *Duæ sunt leges*. Sed caveat sibi quis diligenter in hoc, quia *ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis*, ut habes plura exempla in collatione secunda abbatis Moysi. Et ideo nisi sis omnino certus de hujusmodi instinctu, ut erant Sancti; non dimittas leges communes,

Notabile.

De privilegiis hominum.

Quantum vero ad privilegia hominum nota, quod quicumque potest legem facere, & in aliquibus potest privilegium indulgere, ut Papa in spiritualibus, & quandoque in temporalibus in terris suæ temporalis jurisdictionis, vel quando judicium ad eum devolveretur. Et nota secundum Bernardum, quod Ecclesia Romana, sive Papa numquam consuevit aliquem contra se privilegiare, arg. extra, *De præscrip.* cap. *Quum ex officii*, quod est contra eos, qui dicunt, vel potius fingunt, quod absque eorum approbatione non sit procedendum secundum rescripta Papæ, & hujusmodi.

Item potest concedere privilegium imperator in temporalibus, sed numquam in spiritualibus, quia de eis nihil potest statuere, Dist. 96. *Bene quidem*.

Item potest concedere Episcopus privilegium, extra *De relig. domib.* cap. *Constitutus*, & *De censib.* cap. *Quum venerabilis*, 16. quæst. 2. *Visis*. Dum tamen hoc faciat de voluntate sui capituli, extra *De jur. pat.* cap. *Pastoralis*, & extra *De excess. prælat.* cap. *Sicut unire*, & multo fortius hoc potest Patriarcha. Quis autem possit legem facere, dictum est supra.

De interpretatione privilegiorum.

§. I. Interpretatio privilegiorum, ubi verba sunt obscura, sive ambigua, ad eum spectat, cujus est condere secundum Hostiensem, & interim negotium suspendetur, extra *De sent. excommun.* cap. *Inter alia*, & extra *De judic.* cap. *Quum veniſſent*. Si autem verba non sunt obscura vel ambigua; tunc debet diligenter tenor considerari,

[7] Vide Prælect. 2. in part. 2. §. 27. pag. lxxiii. ubi hunc titulum & sequentem in mutui datione adhibitos, ad usuram vitandam insufficientes ostendimus, ut nihil præter damni compensationem stipulari liceat. Alia tamen ratio est in emtione juris; quod si ex iis periculis in præsentiarum ingruentibus minoris æstimetur; pro præsenti æstimatione justa minori pretio (si nulla aliunde sit fraus) citra injustitiam emi pariter poterit.

[1] Vide not. 1. in cap. 3. tit. 9. pag. 579. ubi hoc factum apocryphum indicavimus.

[2] Aliter, ut nullum privilegium interceſſerit, hunc locum explicabimus not. 1. in cap. 2. tit. 4. partis secundæ pag. 561.

ii, extra eod. *Porro*, & cap. *Recepimus*, & potius inſiſtendum eſt intentioni privilegii, quam verbis, 1. quæſt. 1. *Marcion*, & extra *De verb. ſignific.* cap. *Intelligentia*. Et quantum poteſt fieri, latiſſime interpretandum eſt, extra *De donat.* cap. *Quum dilecti*, ff. *De conſtitut. princ.* l. *Beneficium*. Et hoc [3] niſi præjudicet juri alieno, quia tunc reducitur ad jus commune, extra *De conſuet.* cap. *Quum Dilectus*; ita tamen, quod aliquid operetur. Nam ſi aliquid indulgeretur, non eſſet privilegium, extra *De verborum ſignificat.* cap. *Abbate*. Conceditur tamen quandoque privilegium ſecundum jus commune, extra *De procurat.* cap. *Quia in cauſſis*; quia magis ſolet timeri, quod ſpecialiter prohibetur, quam quod generaliter, Diſt. 23. *Quamquam*. Tum quia multi neſciunt quandoque privilegia data ſibi, & ignorant jura; tum quum frequenter jura male obſerventur, ipſa privilegia innovantur, extra *De treug. & pace*, cap. 2.

De multiplici ſpecie privilegiorum.

§. II. Item nota ſecundum Hoſtienſem in ſumma, quod multiplex eſt ſpecies privilegiorum, videlicet reale, perſonale, & corporale. Reale eſt, quod Eccleſiæ dignitati, civitati, vel alicui loco, vel aliquibus perſonis occaſione loci, ſeu cujuſcumque rei conceditur, extra eod. cap. *Quum olim eſſemus* & cap. 2. Et tale privilegium perpetuum eſt, & rei adhæret, & ſic ſemper durat, niſi res perimatur, vel deſtruatur, vel niſi in partem, vel in totum revocetur, 25. quæſt. 2. *Ita nos*, vel amittatur, extra *De ſtatu monac.* cap. *Recolentes*. Et hoc dicit verum Joannes Andreas ſuper regula *Privilegium*, extra *De regulis juris*, quando ipſa res, vel locus privilegiatus, Eccleſia, civitas, & hujuſmodi, deſtrueretur auctoritate ſuperioris. Si autem deſtruatur ab hoſtibus, retinet omnia ſua privilegia, & remanent ibi clerici, 19. quæſt. 3. *Quæ ſemel*. Item ſi auctoritate ſuperioris transferatur ad alium locum, vel alii uniatur, 16. quæſt. 1. *Et temporis*.

Perſonale privilegium eſt, quod ſingulariter perſonale dici poteſt, ideſt illud, quod alicui, vel aliquibus certis & propriis nominibus expreſſis perſonaliter conceditur, extra *De offic. legat.* cap. *Volentes*. Et tale privilegium perſonam illius, cui conceſſum eſt, non egredietur, etiamſi obtentu dignitatis conceditur. In quo etiam caſu, ſi aliam dignitatem adipiſcatur, privilegio non utitur, extra *De poſtul. prælat.* cap. *Bonæ*, 2. Tale etiam privilegium ad ſucceſſorem non transfertur, niſi hoc exprimatur; ſed ut dicit regula: *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & exſtinguitur cum perſona*; & ſic eſt temporale, & non perpetuum. Eſt aliud perſonale, quod dicitur commune perſonale, quod neque conceditur certis perſonis communiter ex certis cauſſis, & in certis articulis propriis nominibus expreſſis. Et poteſt poni exemplum in minoribus vigintiquinque annis, qui gaudent privilegio reſtitutionis in integrum, ff. *De minor.* 25. *annis*, l. 1. Et multa talia reperiuntur in jure.

Corporale privilegium eſt illud, quod alicui univerſitati corpori vel collegio ſic conceditur, quod quilibet ſingularis de illa univerſitate poteſt tali privilegio ſe juvare, extra *De foro compet.* cap. *Si diligenti*, vel etiam univerſitas ipſa, 12. quæſt. 2. §. *Libertus*, verſ. *Qui manumittitur*. Et hoc ſive concedatur univerſitatibus, ſive collegiis clericorum, ſive religioſorum. Et ſic corporalia privilegia appellantur conceſſa Prædicatoribus & Minoribus, extra *De exceſ. prælat.* cap. *Nimis iniqua*, & cap. *Nimis prava*. Et tale privilegium non perit, durante collegio, niſi, ut ſupra dictum eſt, de reali. Et ut dicit Gloſſa ſummaria, 25. quæſt. 2. circa medium. Quum dubitatur de privilegio, utrum ſit perſonale vel reale, præſumitur potius eſſe [4] reale, quam perſonale, extra *De inſtit.* cap. *Quum veniſſent*. Non enim ob hoc dicitur perſonale, quod ſola inſeritur perſona, ut ff. *De pac.* l. *Juris gentium*, §. *Pactorum*. 4

Differentia inter privilegiū & confirmationem.

Item hæc notatur differentia inter privilegium & confirmationem, ut dicitur in ipſa Gloſſa, quia in confirmatione nihil novi juris datur, ut extra *De confirmat.* cap. *Quum dilecta*; ſecus eſt in privilegio. Item in confirmatione nihil ponitur vel affirmatur, ſed totum conditionaliter intelligitur, ut extra *De conceſ. præbend.* cap. *Quia diverſitatem*; ſed in privilegio omnia jura ponuntur, & certum ibi aſſeritur, ut extra *De verb. ſignif.* cap. *Abbate*.

Decem defectus privilegiorū.

§. III. Nota quod privilegium non valet, ſeu evacuatur multis modis. Et primo quidem ſi fuerit per ſurreptionem conceſſum: nam quoad ſic impetrantem favore caret, arg. *De reſcript.* cap. *Litteris*. Et dicitur ſurreptitium, quum impetrans ſuggerit falſam cauſſam, ex qua præſuppoſita, ut vera datur privilegium, 25. quæſt. 2. §. *Reſcripta*, verſ. *Et ſi legibus*.

Secundo irritum eſt privilegium, ſi ſit contra conſtitutionem, & non facit mentionem de ea. Oportet enim, quod privilegium faciat mentionem de conſtitutione contra quam indulgetur, extra *De his, quæ fiunt a præl.* cap. *Quum nos*.

Tertio non valet, ſi eſt contra conſuetudinem, niſi faciat mentionem de ea, quando tollitur per privilegium, extra *De conſtit.* cap. 1. lib. 6. Et hæc duo etiam notat gloſſa Joannis 25. quæſt. 2. in princ. Item ſi ſit contra ſententiam datam, oportet, quod faciat mentionem de ſententia ad hoc, ut tollatur per privilegium, extra *De fide inſtrum.* cap. *Inter dilectos*, & notatur in Gloſſa prædicta.

Quarto ipſo facto privilegium in favorem conceſſum ceſſare intelligitur, quo impetrans ſive privilegiatus facit contra illud, quod in privilegio ipſo exprimitur eſſe conceſſum, extra *De privil.* cap. *Porro*, & cap. *Recepimus*.

Quinto ceſſante cauſſa privilegii, ceſſat, ſive ceſſare debet privilegium, extra *De appellat.* cap. *Quum ceſſante*. Et 25. quæſt. 2. can. ultimo, ubi dicit Gratianus & Bernardus in Gloſſa ſuper dicta Decretali, quod ſi datur aliquod privilegium ex cauſſa religionis, vel ratione paupertatis, quam cito ceſſat cauſſa, ceſſat & privilegium, quum eſt alias damnoſum, 16. quæſt. 1. *Generaliter*.

Sexto ceſſat, quum incipit alicui eſſe iniquum, & præcipue in cujus favorem eſt conceſſum: ut enim dicitur in regula: *Quod ob gratiam alicui conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*, extra *De reg. jur.* lib. 6. & extra *De verbor. ſignific.* cap. *Quid per novale* cum Gloſſa.

Septimo ceſſat & tollitur privilegium per ſecundum faciens plenam ſive expreſſam mentionem de priori, extra *De præſcript.* cap. *Veniens*, ſecundum Goffridum. Hoſtienſis tamen dicit, quod per ſecundum ſpeciale tollitur generale, etiamſi non faciat mentionem de ipſo ſecundum Joannem in Gloſſa ſummaria, ubi movet iſtam quæſtionem, concludit, quod nec etiam ſecundum tollit prius generale, niſi de eo faciat mentionem.

Octavo tollitur per concedentis revocationem, arg. ff. *De judic.* l. *Judicium*; quod tamen facere non decet ſine cauſſa. Ex cauſſa tamen poteſt & debet revocari; puta quando fieret aliis læ-

ſio

illa, quæ juri alieno præjudicant.

4 Gloſſa habet: *potius perſonale, quam reale*.

3 Privilegia etiam contra jus commune odioſa habentur, unde ſtrictæ interpretationis ſunt, perinde ac

ſio enormis. Item ſiquis non ſervat privilegia ſui ſuperioris conceſſa ſubditis ſuis, etiam ipſius non ſervantis, privilegium merito revocatur, extra eod. cap. *Dilecti*. Item ſi ſuperior ex certa ſcientia confirmavit indulgentiam inferioris, non poteſt poſtea inferior ſine licentia ſuperioris revocare. Unde privilegia conceſſa a rege, vel imperatore Eccleſiæ, & per Papam confirmata, non poteſt imperator revocare, 28. quæſt. 1. *Privilegia*, & can. ſeqq.

Nono tollitur privilegium per renuntiationem propriam & expreſſam, extra *De dec. Nuper*, quod intelligas quantum ad jus tangens renuntiationem
5 tantum. Secus ſi Papam vel alium tangit. 5 Unde nec clericus poteſt renuntiare cuilibet privilegio ſuo, ut patet extra *De foro compet.* cap. *Si diligenti*. Bernardus etiam dicit in Gloſſa *De relig. domib.* ſuper cap. *Quum dilectus*, quod abbas ſive conventus privilegio renuntiare non poſſunt.

Ultimo amittitur privilegium pro abuſis, quod poteſt exponi pro non uſis vel per uſum contrarium, 11. quæſt. 3. *Privilegium*, puta ſi eſt aliquis privilegiatus, quod non ſolvat decimas omni anno; tamen ſicut alii ſolvit. Et ſi eſt exemtus, & quum convenitur coram ordinario, reſpondet, nec allegat privilegium, nec ſi allegat, oſtendit. Quanto autem tempore non utens privilegio amittat, & quo actu, vel quando, ponit Hoſtienſis & Joannes in ſumma confeſſ. libro 1. tit. 5. quæſt. 4. Bernardus etiam in Gloſſa extra *De inſtit.* cap. *Quum veniſſent*, poſuit contra hoc diverſas opiniones, & tandem ſic concludit. Melius videtur dicendum, quod ſicut ſunt diverſa privilegia, & in diverſis caſibus conceſſa, quodlibet privilegium habeat locum in ſuo caſu, ſicut in præſcriptionibus, in quibus diverſa tempora requiruntur. De hoc etiam habes 25. quæſt. 2. *Privilegia* in Gloſſa. Siquis autem allegat, & oſtendit privilegium, & non ſervatur ei, ſecundum Hoſtienſem non debet imputari, non obſtante quod objiciatur ei, quod non ſit eo uſus, vel quod ſit contrarium factum. Quo enim utetur privilegio, qui uti non permittitur, niſi forte ſi ſententia feratur contra eum, & non appellat?

De exemtis & privilegiatis.

§. IV. Qui dicunt ſe exemtos, & allegant privilegia, requiſiti ab ordinario oſtendere tenentur, & tradere reſcripta ad requiſitionem clericorum, de quibus fuerit controverſia. Quod ſi ad exemtionem allegant ſolam præſcriptionem, debent de hoc facere fidem. Si vero allegant utrumque; tunc ſi privilegium ad plenum non ſufficiat, ſed tantum cauſſam præbeat præſcribendi, tenentur præſcriptionem probare, & probatione pendente non turbentur. Quod ſi non allegant, nec exhibent ſaltem tale privilegium, quod cauſſam præſcribendi det, diœceſani utuntur jure ſuo, extra *De privileg.* cap. *Quum perſonæ* libro 6. Eccleſia exemta, etiam monachi, vel canonici converſi & perpetuo obligati, intelliguntur exemti; non autem presbyter, qui parochianorum curam habet, quoad ea, quæ ad ipſam curam pertinent, nec ipſi parochiani, extra *De privileg.* cap. *Per exemtionem* lib. 6. Si eximantur canonici alicujus Eccleſiæ, non propter hoc ſunt exemti clerici, ſed bene e converſo. Sed ipſa Eccleſia non eſt propter hoc exemta, ut in dicto capitulo. Et per monaſterium, ſive hujuſmodi locum exemtum, intelligi debet tam de ipſo, quam cæmeterio, & domibus monaſterii, teatris, hortis, & areis, quæ ſunt juxta Eccleſiam, arg. 12. quæſt. 1. *Neceſſaria*, & cap. *Nulla*.

Legatus de latere ſecundum Bernardum bene poteſt cognoſcere de cauſſis contra exemtos; quia privilegia eximunt a poteſtate epiſcoporum, & hujuſmodi; ſed non Papæ, vel legatorum: notatur hoc extra: *De offic. legat.* cap. *Quod tranſlationem*. Monaſteria monialium etiam ſi ſint exemta, debent ſingulis annis per ordinarium viſitari, ut *De ſtatu monach.* cap. *Attendentes* in Clem. Exemti quantacumque gaudeant libertate, nihilominus poſſunt conveniri coram ordinariis ratione delicti ſive contractus, aut de re, de qua contra eos agitur, niſi delictum ſit commiſſum in loco exemto, vel contractus ibi ſit factus, vel ibi ſit ipſa res litigioſa. Item non poſſunt conveniri, ubi domicilium habent, ſi alibi deliquerunt, vel contraxerunt, vel res conſiſtit; nec etiam poſſunt diœceſani illorum locorum, ubi domicilium habent, remittere exemtos, ſi conveniantur, ad locum, ubi deliquerunt, vel contraxerunt, vel res conſiſtit: extra, *De privil.* cap. *Volentes*, lib. 6. ſalvis, quæ dicuntur infra. Et propter hoc eſt ſciendum, quod quidam ſunt privilegiati, ita quod nec ratione
6 delicti vel contractus poſſunt conveniri, ut Prædicatores, Minores, Ciſtercienſes. Exemti non poſſunt conſtituere oratoria, vel capellas, vel loca in locis non exemtis ſine licentia diœceſanorum: nec etiam ſic conſtructis tempore interdicti in caſibus non expreſſis celebrare vel facere celebrari; alias per ordinarios compeſcantur. Etſi propter hoc conſervatores eorum ferrent ſententias contra ordinarios, non valeret, extra: *De privil.* cap. *Auctoritate* lib. 6. In locis autem exemtis non poſſunt prædicta facere, niſi de licentia vel privilegio, ut in dicto cap. *Auctoritate*. Et ut oſtendit Gratianus 25. quæſt. 1. can. ult. §. *Si ergo*: *Sacroſancta Romana Eccleſia jus & auctoritatem ſacris canonibus impartitur, ſed non eis alligatur. Habet enim jus condendi canones, utpote quæ caput eſt & cardo omnium Eccleſiarum, a cujus regula nemini diſſentire licet. Ita ergo canonibus auctoritatem præſtat, ut ſeipſam non ſubjiciat eis; ſed ſicut Chriſtus*, Luc. 2. *Qui legem dedit, ipſam legem carnaliter implevit octava die*, ut patet in circumciſione & aliis, *poſtea vero, ut ſe Dominum legis oſtenderet, contra legis litteram leproſum tangendo mundavit.... Unde in Evangelio Matth. 7. dicitur, quod* erat docens in templo, tamquam poteſtatem habens, *ideſt tamquam Dominus legis addens moralibus ea, quæ deerant ad perfectionem, umbram figuralium in lucem ſpiritualis intelligentiæ commutans, non tamquam ſcribæ eorum, qui legis littera aſtricti non audebant aliquid addere vel mutare. Sic & ſummæ ſedis pontifices canonibus a ſe ſive ab aliis ſua auctoritate conditis reverentiam exhibent, & eis ſe humiliando ipſos cuſtodiunt, ut aliis obſervandos ipſos exhibeant. Nonnumquam vero ſeu jubendo, ſeu diffiniendo, ſeu decernendo, ſeu aliter agendo, ſe decretorum dominos & conditores eſſe oſtendunt.* Hæc Gratianus. De iſta materia ſic pulchre dicit Gregorius 25. quæſt. 2. can. *De Eccleſiaſticis privilegiis*: *De Eccleſiaſticis privilegiis... hoc teneat fraternitas veſtra, quia ſicut noſtra defendimus; ita ſingulis quibuſque Eccleſiis ſua jura ſervamus: nec cuilibet gratia favente ultra quam meretur, impertior; nec ulli hoc, quod ſui juris eſt, ambitu ſtimulante derogabo; ſed fratres meos per omnia honorare cupio, ſicque honore ſingulos ſubvehi volo, dummodo non ſit, quod alteri jure ab altero poſſit opponi.*

CA-

5 Ex Jenſoniana editione Veneta ann. 1479. inſeruimus ſequentia: *Unde nec clericus poteſt renuntiare cuilibet privilegio ſuo, ut patet.*

6 Vide in hoc Tridentinum Concilium ſeſſ. 25. cap. 14. de Regularibus.

CAPUT. II.

De [1] privilegiis ordinis fratrum Prædicatorum.

Privilegia hæc omnibus mendicantibus sunt communia.

QUia vero multa privilegia concessa sunt a sede apostolica ordini fratrum Prædicatorum, & communiter dicitur, quod Prædicatores & Minores gaudent eisdem privilegiis, quum utile sit nos ipsa privilegia habere, quæ non facile reperiuntur in bullis, nisi in paucis conventibus; ideo cogitavi hæc interserere summatim de ipsis privilegiis omissis his, quæ habentur extra, *De excess. prælat.* cap. *Nimis iniqua*, & cap. *Nimis prava*, & etiam quibusdam, quæ ponuntur in 3. parte de censuris. Quod a prælatis Ecclesiarum cogi non possumus, ut inviti peccata nostra confiteamur eis, immo si vellemus, non possemus; quia prohibetur per summum pontificem fratribus nostris, ut peccata sua nulli, nisi prælatis confiteri præsumant, nisi a prælatis ipsis licentiam habeant, aliis, quam fratribus nostri ordinis confitendi; quam licentiam dare potest solus magister ordinis. Item cogi non possumus ab eis, quin omni tempore missas & divina officia celebremus. Item impediri ab eis non possumus, quin in Ecclesia nostra oratoria seu ædificia pro nostris usibus construamus. Item in construentes Ecclesias vel ædificia nostra sententiam interdicti vel excommunicationis ferre non possunt. Item impedire nos nequeunt, quin tempore interdicti, servata tamen interdicti forma, divina officia celebremus. Item non possunt nobis invitis defunctorum corpora in nostris cæmeteriis sepelire, vel in Ecclesiis nostris missarum solemnia celebrare, vel mortuorum, qui in nostris locis tumulandi sunt, exsequias celebrare. Item impedire non possunt, quin in domibus nostris per lectores nostros Theologiæ solemniter & publice legatur. Item cogere nos nequeunt, quin eos, qui in nostris morantur obsequiis, sepeliamus in nostris cæmeteriis, & ministremus eis ecclesiastica sacramenta. Item impedire nequeunt, quin male ablata incerta ingredientium ordinum nostrum possint per magistrum ordinis, vel priores aut eorum vicarios in locis sibi commissis in pios usus converti. Item cogere nos non possunt, ut de hortis vel virgultis nostris decimam persolvamus. Item non possunt nos cogere ad collectas, procurationes, exactiones, subsidia, vel ad quascumque promissiones faciendas etiam auctoritate apostolicæ sedis, nisi ipsæ litteræ de ordine nostro expressam fecerint mentionem. Item cogere non possunt, quod priores, vel superiores nostri fidelitatem cum juramento firmatam, vel manualiter obedientiam eis impendant. Item impedire nos nequeunt, quin ordinandos fratres nostros quibuscumque voluerimus, episcopis præsentemus. Item fratres nostros, quos ad ordines promovent, examinare, vel promissioni alicui obligare non possunt. Item subditos suos nequeunt impedire, quin apud nos eligant sepeliri. Item in receptatores nostros interdicti, suspensionis, excommunicationis sententias fulminare non possunt. Item in benefactores nostros pro eo, quod benefaciunt nobis, sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti ferre non possunt. Item fratres nostros ad suarum Ecclesiarum negotia pertractanda, vel ad secum manendum non possunt assumere, vel assumtos tenere prætextu litterarum summi pontificis, quæ de indulto hujusmodi, & ordine nostro expressam non faciunt mentionem, nisi quos magister ordinis vel prior provincialis ipsorum tamquam idoneos & discretos eis duxerit assignandos. Item impedire nequeunt, quin fratres nostri eis per sedem Apostolicam, vel per ordinem in socios deputati, subjaceant ordinis disciplinæ. Item impedire non possunt, quin fratres nostri eis per sedem Apostolicam, vel per ordinem in socios deputati, per prælatos ordinis corrigi valeant, & ad ordinem revocari, contradictione aliqua non obstante. Item apostatas nostros nobis invitis secum, & in locis aliis sine voluntate prælatorum nostrorum tenere non possunt. Item cogi per eos non possumus ad impendendum correctionis, visitationis, seu inquisitionis officium monasteriis, Ecclesiis, seu quibuscumque personis. Item per eos cogi non possumus ad recipiendum curam monialium, seu quarumlibet religiosarum personarum. Item ad vitandum (alias visitandum) monasteria cujuscumque ordinis. Item ad portandum, seu deferendum litteras. Item cogi non possumus ad exsequendum vel denuntiandum sententias contra principes sæculares, communitates, populos, seu quoscumque benefactores nostros. Item cogi non possumus per eos, quod simus assessores in quibuscumque causis Ecclesiarum vel prælatorum, seu ad alias lites, vel controversias contingentes in causis, quæ coram ipsis tractantur. Item non possunt nos convenire, impetere, vel molestare ratione delicti commissi, vel initi contractus, aut rei scitæ positæ vel exsistentis extra loca nostra exemta: nec obstat contra hæc constitutio Innocentii Papæ 4. in cotrarium edita. Hæc Bonifacius in princip. *Virtute conspicuos*. Item non possunt nos prohibere, quin quoscumque voluerimus episcopos habentes communionem Apostolicæ sedis, convocemus ad ponendum primarium lapidem in oratoriis vel Ecclesiis nostris, ad dedicandum Ecclesias vel altaria, & ad benedicendum cæmeteria nostra, si Diœcesani locorum intra quattuor menses nobis denegant prædicta, postquam per fratres nostros fuerint humiliter requisiti, aut si gravare nos volunt nimium in expensis. Honorius: *Ex parte nostra*. Item cogere nos nequeunt ad servandum pacta, & repromissa, ad quæ fratres in aliquibus locis, prælatis, & rectoribus Ecclesiarum se obligaverunt in receptione locorum; si pacta illa sunt contraria juri nostro, vel secundum jus per sedem Apostolicam absoluti; nisi pacta illa facta fuerint de licentia magistri ordinis & capituli generalis. Honorius: *Religionis favor*. Item impedire non possunt, quin bona temporalia, quæ nobis ex successione proveniunt, apprehendamus, vendamus, & ipsorum pretium in nostrum usum, prout voluerimus, commutemus. Clemens: *Obtentu*. Item cogere nos non possunt, ut eorum constitutionibus subjiciamur. Item quod accedamus ad processiones eorum intra civitates vel extra. Alexander: *Nimis iniqua*. Item in omnibus electionibus ordinis, excepta electione magistri ordinis, superior, ad quem electi confirmatio pertinet, si confirmare electum voluerit, potest alium concedere in priorem provincialem vel conventualem, quem major pars per suas litteras petierit sibi dari. Bonifacius: *Virtute*. Item electores priorum provincialium, & conventualium committere possunt fratribus, qui ab eis pro electi confirmatione mittuntur, ut alium eligant in priorem, si is, qui electus fuerat, non fuerit confirmatus, & superior, ad quem confirmatio pertinet, possit electum, quem voluerit, confirmare. Alexander: *Ut ea*. Item apostatæ nostri, vel qui electi de ordine fuerint, non possunt licite prædicare.

[1] Quid in privilegiis regularium additum, revocatum, vel immutatum posterioribus decretis sit, longum nimis esset indicare.

dicare, docere, vel confeſſiones audire, niſi ad alium ordinem licite tranſeant, in quo hujuſmodi officia exerceantur: & ſi ſecus attentare præſumſerint, Magiſter ordinis, & priores, & eorum vicarii poſſunt in illos monitionis & excommunicationis ſententiam promulgare. Bonifacius: *Virtute*. Item prælati ordinis correctionibus fratrum omiſſis apicibus juris, & poſtpoſitis, libere procedere poſſunt ſecundum conſuetudines ordinis approbatas, & generalia ordinis inſtituta. Bonifacius: *Ad augmentum*. Item conveniri non poſſunt per litteras Apoſtolicæ ſedis, ut legatorum ejus aut delegatorum ejus, niſi ipſæ litteræ de indulto, hoc etiam de ordine noſtro expreſſam facerent mentionem. Bonifacius & Innocentius: *Quum jam per ejus gratiam*. Diſcedentes ab ordine noſtro abſque licentia prælatorum ſuorum nullus audeat retinere, & ſub prætextu litterarum Apoſtolicæ Sedis non facientes expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem. Bonifacius: *Virtute*. Item quod nulli ſive ſit in religionis ordine, vel extra ordinem conſtitutus liceat deferre habitum noſtrum, aut ita conſimilem, quod propter eum frater prædicator credi poſſit, abſque mandato ſedis Apoſtolicæ ſpeciali. Qui vero contrarium præſumſerit facere ad deponendum ipſum per Diœceſanos locorum, quum a fratribus noſtris fuerint requiſiti, monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellantur, Innocentius: *Quia confuſio habitus*, & Bonifacius: *Virtute*. Item ordinatio & correctio officii noſtri facta per Fratrem Humbertum Magiſtrum ordinis noſtri eſt per Sedem Apoſtolicam approbata, & quod contra ordinationem prædictam nulli liceat aliquid immutare. Clemens: *Conſurgit*. Item pœnitentiæ & vota ingredientium ordinem noſtrum poſſunt per prælatos ordinis, vel eorum vicarios in obſervantias ordinis commutari, dummodo vota illa non fuerint de tranſeundo ad ordinem obſervantiæ arctioris. Urbanus: *Quia Apoſtolici*. Item prædicare libere poſſumus clero & populo in locis noſtris, & in plateis communibus abſque quorumcumque licentia prælatorum, exceptis duobus caſibus, ſcilicet hora, qua Diœceſanus prædicat, vel coram ſe prædicare faceret. Sermones autem ad clerum intermittendi ſunt a fratribus, quando hora ſermonis epiſcopus aliqua ratione, vel urgente cauſſa convocaret generaliter ad ſe clerum. Bonifacius: *Inter cuncta*. Item generalis vicarius magiſtri ordinis ex poteſtate ſibi a privilegiis tradita poteſt fratres omnes abſolvere a peccatis, & a ſententia excommunicationis, interdicti, & ſuſpenſionis, ut poſſet Magiſter. Item poteſt ſuper irregularitatibus diſpenſare ſicut Magiſter. Item poteſt illas a ſuis confeſſoribus abſolutiones & diſpenſationes recipere, quas ipſe ſuis ſubditis poteſt impartiri. Item poteſt ſocios prælatorum vel principum corrigere, & ſi ei viſum fuerit, ad ordinem revocare. Item poteſt, ſi ei viſum fuerit, fratres noſtros ſecundum privilegii formam ad ordines alios licentiare; Papa vero Joannes ſoli Magiſtro & provinciali proprio hoc concedit. Item poteſt apoſtatas noſtros & ejectos licentiare coercere & punire, ſicut poteſt Magiſter ordinis. Item Vicarius prioris provincialis poteſt ex privilegiis ſuper fratres ſuæ provinciæ omnia, quæ poteſt Magiſtri ordinis Vicarius. Et inſuper poteſt crucem prædicare, & inquiſitores hæreticorum per Sedem Apoſtolicam deputatos removere, vel quod ſuperſedeant, injungere, & alios poteſt ſubſtituere, prout ei viſum fuerit expedire. Item vicarius prioris conventualis in ſuo conventu poteſt omnia, quæ ſuperius de vicario magiſtri ordinis poſita ſunt, excepto, quod de ſociis prælatorum, vel principum ſe intromittere non poteſt. Hæc, quæ dicta ſunt de vicariis, habentur in diverſis privilegiis, & præcipue Bonifacii: *Virtute*. Item ſorores ordinis noſtri magiſtro ordinis & provincialibus ſunt commiſſæ, & perpetuo permanere debent ſub magiſtro ordinis & priorum provincialium magiſterio & doctrina. Innocentius: *Licet olim*. Clemens: *Affectu ſincero*. Item magiſter ordinis & priores provinciales curam animarum ſororum ordinis & ſollicitudinem gerentes, eis de conſtitutionibus noſtri ordinis debent, prout illis competit, providere. Innocentius: *Licet olim*. Clemens: *Affectu ſincero*. Item quod magiſter ordinis poteſt conſtitutiones ſororum ordinis corrigere, ad uniformitatem reducere, & quocumque modo in medius commutare ſeu reformare, prout viderit expedire. Alexander: *Affectus promtitudo benevoli*. Item magiſter ordinis & priores provinciales poſſunt monaſteria ordinis per ſe vel per alios idoneos, quotieſcumque expedierit, viſitare corrigendo, & reformando ibidem, tam in capitibus quam in membris ea, quæ correctione, & reformatione viderint indigere, inſtituendo, deſtituendo, mutando, & ordinando, prout ſecundum Deum viderint expedire. Innocentius: *Licet olim*. Clemens: *Affectus ſincero*. Item electio prioriſſæ libere pertinet ad conventum ſororum. Innocentius: *Licet olim*. Clemens: *Affectu ſincero*. Item confirmatio prioriſſæ ad magiſtrum ordinis ubique pertinet, & ad quemlibet priorem provincialem in ſua provincia, vel ad eos, quibus ipſi duxerint committendos. Clemens: *Affectu ſincero*. Item magiſter ordinis, & priores provinciales poſſunt per ſe vel per alios audire confeſſiones ſororum ordinis, & miniſtrare eis eccleſiaſtica ſacramenta. Innocentius: *Licet olim*. Clemens: *Affectu ſincero*. Item magiſter ordinis & priores provinciales poſſunt ſororibus ordinis deputare aliquos diſcretos & providos capellanos. Innocentius: *Licet olim*. Clemens: *Affectu ſincero*. Item magiſter ordinis & priores provinciales poſſunt converſos & familiares monaſteriorum noſtrorum mutare & ordinare de ipſis, prout ſecundum Deum viderint expedire. Clemens: *Affectu ſincero*. Item declaratio, quod illæ, quæ in ſæculo, & in ſæculari habitu exiſtentes voto obedientiæ & caſtitatis emiſſo profeſſionis vinculo ſe, & ſua alicui monaſterio obligarunt, ab ipſis votis obligatione & donatione bonorum in perpetuum, etiam ante baptiſmum aſſumtum habitum nequeunt reſilire; ſed ſunt ordini & monaſterio obligatæ perpetuo, non obſtante ordinatione ſive conſtitutione Innocentii Papa IV. de probationis anno complendo, quæ non habet locum in monialibus fratrum prædicatorum ordinis, & minorum: & matrimonium, ſi poſtea per eas contractum fuerit, nullius firmitatis exiſtit. Poſſunt etiam ipſæ moniales ante annum libere profiteri. Alexander: *Ex tenore*.

Item ſorores ordinis noſtri illis gaudent privilegiis, quæ noſtro ordini ſunt conceſſa, vel in poſterum concedentur. Innocentius: *Licet olim*. Clemens: *Sacra veſta religio*. Item a juriſdictione, & a poteſtate quorumcumque prælatorum ſorores noſtri ordinis cum monaſteriis & locis ſuis totaliter ſunt exemtæ. Benedictus: *Sacra noſtra religio*. Item ſorores noſtri ordinis ad præſtationem decimarum de quibuſcumque ſuis bonis, vel ad contribuendum in procurationibus ordinariorum vel legatorum, aut nuntiorum Sedis Apoſtolicæ, & ad quaſcumque talleas & collectas, ac pedagia, thelonea & exactiones alias quibuſvis regibus, & principibus ſeu aliis perſonis ſæcularibus exhibendas minime obligantur. Nicolaus: *Quan-*

Quanto ſtudioſius. Bonifacius: *Laudabilis*. Benedictus: *Sacra noſtra religio*.

Item nulla ſoror noſtri ordinis aſſumi poteſt per quemcumque ad aliquam abbatiam vel regimen alicujus monaſterii alterius profeſſionis, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, faciente de ſtatuto hujuſmodi mentionem expreſſam. Benedictus: *Ut moniali*. Item ex prædicto privilegio Bonifacii, quod incipit: *Virtute conſpicuos*: & per Gregorium XI. innovato hoc habetur, videlicet: *Concedimus quoque vobis, ut de illis, quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, ſeu aliis ad perpetuum cultum divinum, ſeu pro pietantiis, aut victu ad ſuſtentationem veram, vel indumentis, nec non pro annuis cenſibus retinendis, ad quorum ſolutionem aliquæ domus veſtri ordinis obligatæ noſcuntur, vel de domibus, prædiis, & hortis, aliiſque locis ſecundum inſtituta veſtri ordinis opportunis, aut de his, quæ pro hujuſmodi domibus, prædiis, hortis, & locis emendis vobis legantur, dummodo præmiſſa non convertantur in alios uſus, ſed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac conceſſione vel indulgentia continentur, nulli canonicam portionem aliquam teneamini exhibere, & ne quis a vobis vel ultimarum exſecutionibus voluntatum ſeu decedentium hæredibus de præmiſſis, aut de his, quæ vobis in ultimis voluntatibus abſolute legantur, vel alias pro veſtris neceſſitatibus conferuntur, aliquid exigere vel extorquere præſumat, diſtrictius inhibemus*, &c. Et nota, quod quum a quibuſdam doctoribus diceretur iſtud privilegium, ſcilicet quoad quartam non dandam, tolli per Clementinam *Dudum de ſepulturis*, renovatum exſtitit per Martinum V. & confirmatum, & ad removendum dubium & declarandum, quod ad quartam ſolvendam de legatis non tenentur fratres, hoc fuit additum per Martinum V. videlicet: *Verum ne dubitationes ac controverſiæ, quæ alias vos pluribus laboribus & expenſis vexaverunt, de cetero vobis fiant, ex certa ſcientia decernimus, ut dictum privilegium Gregorii Papæ XI. in judicio & extra in qualibet ſui diſpoſitione inviolabiliter obſervetur, non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, illa præſertim felicis recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri edita in concilio Viennenſi, quæ incipit*: Dudum. *Nec non privilegiis, gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis in genere vel in ſpecie, quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ſive locis conceſſis ſub quavis forma vel expreſſione verborum, etiam ſi de eis habenda eſſet in præſentibus mentio ſpecialis, ſeu per quæ præſentibus non expreſſa, aut totaliter de verbo ad verbum non inſerta earum in toto ſeu in aliqua parte ſui effectus poſſet aliqualiter impedire, & aliis contrariis quibuſcumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his aut eorum aliqua a quocumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, declarantes clauſulam illam, videlicet ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur, in omnibus aliis debere intelligi, præterquam in his, de quibus in ipſo privilegio ſpecialiter cavetur, quod canonica portio minime exigatur. Nulli ergo*, &c.

TITULUS VIGESIMUS

De Regulis juris ſub unico cap. ex Decretalibus & lib. 6. collectis.

Regula quid ſit.

QUia materia de regulis juris eſt ſatis univerſalis, utilis, & brevis; ideo hoc ponetur cum Gloſſis, ſed abbreviatis tamen. Et primo videndum eſt de Etymologia nominis ipſius, ad quod dicit Iſidorus, quod *regula dicitur, eo quod recte ducit, nec aliquando aliorſum trahit. Alii dixerunt regulam dictam, eo quod regat, vel quod normam recte vivendi præbeat, vel quod diſtortum pravumque corrigat*, in Decret. Diſt. 3. *Regula*. Gloſſa ibi. Si regula numquam aliorſum trahit; ergo omnis regula eſt jus. Sed contradicit lex, quod *regula eſt, quæ rem breviter enarrat, non ut ex ea jus fiat*, ut ff. *De reg. jur.* l. 1. Ad hoc dicas, quod ſi regula dicitur illud, in quo aliquid ſtatuitur generaliter, non adjunctis exceptionibus; ſic ex ea non ſumitur jus; & ſic ſumit lex: ſed ſi appellas regulam id, quod includit exceptiones ſuas ſecum; ſic regula numquam fallit; & ita Iſidorus ſumit. Joannes. Dicitur autem regula quaſi *a rega*, vel regula, quod idem eſt, quod rectitudinis forma: ſicut enim per regulam novit ſcriptor modum recte ſcribendi, ſecator modum recte ſecandi, & ſic de aliis; ita per has regulas modum recte judicandi cognoſcimus: quare autem regulæ juris ponuntur in titulis Decretalium, aſſignatur duplex ratio. *Duplex ratio quare regulæ juris ponatur in fine decretalium.* Prima eſt colorativa, videlicet quia quæ ultimo loco dicuntur, melius memoriæ commendantur, *De conſec.* Diſt. 2. *Liquido*. Secunda eſt vera & propria, ſcilicet ut oſtenderetur jus non ſumi ex regula; ſed regula ex jure. Si enim poſitæ fuiſſent in principio compilationis, forſitan crederet aliquis, quod jus ſequens ex regulis ſumeretur; in fine ergo ponuntur, ut appareat ex jure, quod præceſſit regulas ſumi. Eſt autem regula proprie regulariter vera, quamvis patiatur exceptiones in ſe; utrum autem exceptiones contineantur ſub regula, breviter dico, quod quoad poteſtatem verborum, quæ in ea præferuntur, univerſaliter, vel ſaltem indefinite affirmando vel negando comprehendit exceptiones; alias non diceretur exceptio, ſicut ſi dicerem: *Omnis homo currit, excepto equo Titii*; hæc non eſt exceptio, quia equus Titii non comprehendebatur ſub illa propoſitione: *Omnis homo currit*: ſed ſi dico: *Omnis homo currit, excepto Titio*; illa eſt propria exceptio, quia propoſitio: *omnis homo currit*, bene comprehendit Titium. Tollitur ergo Titius virtute exceptionis, quoad materiam, de qua ſit ſermo, ſed quoad juris determinationem exceptio non comprehenditur ſub regula, quia contraria ratio & jus eſt, in exceptione, quam in regula. Hoc ergo operatur exceptio, ut illud, quod alias ſub verbis regulæ comprehendebatur, ad determinationem regulæ exceptionis virtute tollatur. Conſtituitur autem regula per verba, quæ de ſui natura omnia comprehendant, ſcilicet per ſigna univerſalia affirmativa, quæ omnia comprehendunt, *De regul. juris*, *Omnis*: & per verba negativa, quæ univerſaliter negando excludunt omnia, *De reg. jur.* in 6. *Nemo poteſt*. Et *nullus*,

Regula per quæ verba conſtituatur.

lus, & per verba indefinita, quæ ſimpliciter prolata æquipollent univerſalibus, Diſt. 19. cap. 1. & ideo omnes regulæ traduntur per ſigna indefinita, affirmativa, vel negativa, paucis exceptis. Officium autem regulæ eſt plures caſus ſimul jungere clavo rationis. Utrum autem regula conſtituat jus novum, vel antiquum recitet, dubitatur. Subtiliter dixerunt doctores, quod eſt conſiderare tres ſpecies caſuum. Quidam ſunt jam determinati, & in illis regula non conſtituit jus, quia invenit jam conſtitutum. Quidam alii ſunt excepti a legis determinatione, & in illis ſimiliter regula non conſtituit jus, quia non claudduntur ſub regulæ determinatione. Quidam ſunt, in quibus eſt eadem æquitas, quæ in caſibus determinatis a jure, nec tamen reperiuntur in jure poſiti; & in illis regula facit jus propter identitatem rationis non patientis, jus ſimilium caſuum eſſe diverſum. Ego tamen non recedo a verbis legis, & dico, quod per regulam non ſtatuitur jus; ſed ex jure ſumitur regula: alias non video, quomodo poſſet dici regula juris. Sicut enim in regula ligni vel ferri neceſſe eſt materias prævenire, ſcilicet lignum, vel ferrum, ex quibus regula fiat; ſic neceſſe eſt in regula juris jus, quod eſt ibi materia, præveniſſe ad hoc, ut poſſit inde regula diſponi; tunc proprie loquitur, dicendo, *De regulis juris*; alias debuiſſet dici, *De jure regularum*. Et ſi dicatur, quod in caſibus non expreſſis a jure, ubi eſt ſimilis ratio, regula facit jus, hoc eſt ſine aliqua regula per jura, quæ hoc volunt, *De reſcript.* cap. *Inter ceteras*. Et ſi dicatur, quod aliquæ regulæ videntur præceſſiſſe juris expreſſam traditionem; dico, quod jus idem eſt, quod ratio, ut Diſt. 1. *Conſuetudo*, ab exordio rationalis creaturæ præceſſerat, Diſt. 5. in principio, vel ſaltem diſpoſitionem condentis regulas jus præceſſit. Videns enim formator regulæ, ſic eſſe debere de jure, quod in ejus ſaltem mente ſedebat, formavit regulam. Allegatur tamen regula pro jure, non tam ex origene, quam ex forma. Et potior eſt cauſſa ejus, pro quo facit regula. Habet enim adverſarius neceſſe oſtendere rationem, quare in illo caſu non loquatur regula, & facit, quod dicam infra eod. cap. *Utile*. Quum autem dicitur hic: *regula juris*, ſumitur pro jure canonico, non civili, ut probatur in 2. regula, quæ de jure civili non procedit. Hæc omnia Joannes Andreas in Gloſſa ſuper rubrica *De re jud.* lib. 6. Ponentur autem iſtæ regulæ per alphabetum, ut melius memoriæ commendentur, & non ſecundum ordinem juris. Nota, quod dicit Gregorius Diſt. 29. *Regulæ*: *Regulæ ſanctorum patrum pro tempore, loco, & perſona, negotio, inſtante neceſſitate, traditæ ſunt*: & Iſidorus ibi can. præc. *Sciendum eſt, quod pleraque capitula ex cauſſa, ex loco, ex tempore, ex perſona conſideranda ſunt, quorum modi, quia medullitus non indagantur, in erroris labyrinthum non nulli intricando impinguntur, quum ante judicant, quam intelligant, ante inculpant, quam iterando lecta perquirant*. Exempla ponuntur in Diſt. ſeq. de diverſis ordinationibus factis ab Eccleſia.

Regulæ officium.

§. I. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. *Quum principalis*. Pone caſum in principali deſtructo, quia dicitur deſtructum & acceſſorium, 16. quæſt. 7. *Et hoc diximus*. Item ſi cauſſa principalis, ſcilicet matrimonii, committitur; ſic & acceſſorium, ſcilicet dotis, *De donat. inter vir.* &c. cap. *De prudentia*. Sed contra, *De jurejur.* cap. *Debitores*, & cap. *Quum contingat*, & ſupra eod. tit. & lib. cap. *Licet*, ubi tenet acceſſorium, & non principale. Solutio: Illud propter periculum animæ, quod eveniret, ſi non ſervaretur juramentum, & dic ut in prædicta Decretali *Quum contingat*. Joannes Andreas: multa alia ibi vide. Poteſt ſic extendi: Fides viva eſt principale, ut fundamentum in ſtatu ſpirituali: opera de genere bonorum ſunt acceſſorium. Remota fide nil boni meritorii poteſt eſſe in homine, 28. quæſt. 1. *§. Ex his*: *Ubi deeſt agnitio æternæ incommutabilis veritatis*, ſcilicet per fidem, [1] *falſa eſt virtus etiam in optimis moribus*. Sic in particulari opere principale eſt intentio recta: acceſſorium opera, quæ ex illa fiunt, quæ ſequuntur naturam ejus, ut ſint bona, Diſt. 86. *Non ſatis*. Et mala ſunt opera, ſi intentio mala. In his autem, quæ ſunt mala de ſe, non eſt bona intentio, etſi videatur. Contritio eſt principale in pœnitentia: confeſſio & ſatisfactio acceſſoria, quæ ſequuntur naturam ejus &c.

§. II. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Actus*. Dicuntur autem actus legitimi emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio ſervi adoptio, tutoris datio, electio, poſtulatio, ſententiæ latio, matrimonium, & hujuſmodi. Exemplum pone in ſententia, quæ non debet fieri ſub conditione, ut 2. quæſt. 6. *Biduum*. Item electio vel poſtulatio non debet fieri ſub conditione: *De elect. In electionibus* lib. 6. Non debent etiam fieri in diem, ideſt uſque ad certum tempus, & non ultra, ſed ſimpliciter. Non enim eligitur quis uſque ad certum tempus, ſed ſimpliciter, nec contrahitur matrimonium ad tempus, ſed abſolute, 32. quæſt. 2. *Solet*; ſed contra Diſt. 18. can. ult. & 86. *Tanta*, ubi fertur ſententia excommunicationis uſque ad duos menſes. Solutio. Ibi ſumitur excommunicatio pro remotione a ſacramentis: nam excommunicatio debet eſſe perpetua, 10. quæſt. 1. *Quia ſacerdotes*. Et exponimus perpetuam, ideſt donec pœnituerit, 27. quæſt. 1. *De viduis*. Item contra, *De elect.* cap. *Quum in veteri*, ubi eligendi poteſtas in certum tempus profertur. ſolutio: electio eſt ille actus legitimus, qui non recipit diem; unde non poteſt canonicus aliquem ſibi eligere in prælatum uſque ad feſtum reſurrectionis: ſed poteſtas eligendi non eſt ille actus; & ideo confertur in tempus, ut ibi. Nam & procurator datur ad tempus, *De procurat.* cap. *Si quem* lib. 6. Contra 7. quæſt. 1. *Paſtoralis*, ubi prælatura Eccleſiæ videtur dari ad tempus. Solutio in ultima Gloſſa, ubi dicitur, quod hoc fieri poteſt ex diſpenſatione Papæ. Item contra, quia matrimonium licet non recipiat diem, recipit tamen conditionem, ut *De condit. apoſ.* cap. *Super eo*. Solutio: Veritate inſpecta non eſt ibi matrimonium, ubi non intervenit purus conſenſus, ut ibi patet, immo nec ſponſalia, *De ſponſal.* cap. 1. lib. 6. Item quod dictum eſt de datione tutoris, quod non recipit diem, habet locum in tutore dato a judice; ſecus ſi a teſtatore. Et nota, quod ſicut hi actus non recipiunt conditionem neque diem, ita nec disjunctionem, ut in cap. prælleg. *De elect. In electionibus*. Item nota, quod regula iſta indiſtincte loquitur de actibus legitimis, qui non recipiunt conditionem neque diem; lex autem ſtrictius dixit: *Actus legitimi, qui conditionem non recipiunt* &c. quaſi diceret: Aliqui actus ſunt, qui recipiunt, aliqui non, & loquitur ipſa lex in actibus, qui non ſunt contractus, ſed quaſi. Contractus enim bene recipiunt conditionem, ff. *De contrahen. emp.* l. *Hæc venditio*. Joannes Andreas.

§. III.

1 Falſa, ideſt non meritoria, vel non perfecte bona, vel aliquo pravo intermiſto affectu vitiata: de quo plura vide not. 1. in cap. 1. tit. 6. partis quartæ pag. 399.

§. III. *Beneficium eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione canonica obtineri*. Pone caſum per can. 16, quæſt. 7. *Si quis deinceps*: ibi enim dicitur quod accipiens Eccleſiam de manu laici, eſt ſuſpenſus, & eam retinere non poteſt, vide, ibi Gloſſam. Et ſic nota hic caſum, in quo non currit præſcriptio. Idem eſt in matrimonio carnali, 33. quæſt. 5. *Quod Deo, & De conſang. & affin.* cap. *Non debet*. Idem in aliis caſibus, qui notantur 16. quæſt. 3. *Clerici*, & *De præſcrip.* cap. *Quum non liceat*, in Gloſſa. Sumitur autem hic beneficium largo modo, ut comprehendat dignitates perſonatus, Eccleſias omnes cum cura & ſine cura, quæ cum titulo habentur, 1. quæſt. 3. *Siquis dator*. Sumitur autem interdum ſtricte, ut diſtinguatur a præbenda, 12. quæſt. 2. *Alienationes*; alias includit præbendam, ut quæſt. 3. can. ult. Alibi ſtricte ſumitur pro ſolis beneficiis ſimplicibus ſine cura: *De præben.* cap. ult. Quum igitur in beneficio eccleſiaſtico requiratur canonica inſtitutio, videndum eſt, quid ſit inſtitutio. Inſtituere autem eſt jus canonicum in Eccleſia vel eccleſiaſtico beneficio tribuere; quod dic, ut notatur *De inſtit.* cap. *Auctoritate*. Inveſtire autem eſt quaſi juris illius poſſeſſionem conferre. Accipitur tamen aliquando unum pro alio, ut dicit ibi Gloſſa in dicto capitulo: & de jure communi inſtituere ſpectat ad epiſcopum, 16. quæſt. 7. *Nullus*, & fit inveſtitura per anulum, baculum vel librum.

Inſtituere quid ſit.

Sed an capitulum ſede vacante poſſit inſtituere, determinatur hoc *De inſtit.* cap. 1. lib. 6. & quæ differentia ſit inter collationem, præſentationem, & inſtitutionem, vide *De præben.* cap. *Quum in illis* lib. 6. *Non poteſt*. Hæc dictio *poteſt* poſt negativam poſita, ut hic, neceſſitatem importat, 2. quæſt. 1. can. 1. Quum autem affirmative ponitur, neceſſitatem non importat, 4. quæſt. 3. §. *Item in criminali*, ver. *Poteſt*. *Licite* ſuperabundat: id enim dicimur poſſe, quod licite poſſumus, 22. queſt. 2. *Faciat*, ubi de duplici poſſe. *Obtineri*: contradicit huic regulæ, *De jure patron.* cap. *Cura*. Solutio: Ibi non præſcribitur Eccleſia tamquam beneficium, ſed ut proprietas. Item neceſſitatis cauſſa, vel pietatis, vel cauſſa impenſi obſequii ſine canonica inſtitutione poſſidet quis proventus Eccleſiæ, nec ex eo canonicus vel beneficiatus dicitur proprie, 12. quæſt. 2. *Quicumque ſuffragio*, 16. quæſt. 1. *Poſſeſſiones*, & quæſt. 3. *Clerici*, & *De magiſtris* can. *Quoniam*, & *De cler. pugnant. in duello* cap. *Henricus*. Item arg. contra, *De elect.* cap. *In Geneſi*, ubi poſſeſſio dat jus eligendi ex præſcriptione. Solutio: Per poſſeſſionem acquiritur jus eligendi & præſentandi, quia procedit ex noſtris actibus. Inſtitutio autem procedit ex actibus aliorum, quæ ad hoc, ut valeat, debet eſſe canonica, ut hic, in qua præcipue quatuor requiruntur. Primum, quod perſona ſit, quæ poſſit inſtituere, 16. quæſt. 7. can. *Nullus*. Secundum, quod inſtitutus ſit talis, qui poſſit inſtitui, *De inſtit.* cap. 2. quia non laicus poteſt inſtitui, vel ipſe idem inſtituens, eod. tit. cap. ult. Tertium, quod illius beneficii inſtitutio ex jure proprio vel devoluto, vel delegato ad inſtituentem pertineat, eod. tit. cap. 3. Quartum, quod ſervetur forma conſtitutionis illius, *De elect.* cap. ult. lib. 6. &c. Joannes Andreas. Extende regulam iſtam, quia triplex eſt genus beneficii eccleſiaſtici, ſcilicet beneficium ſacramentorum, beneficium ſuffragiorum, & beneficium eccleſiaſticorum locorum. Primum ſcilicet quodlibet ſacramentum non poteſt de jure, & ad ſalutem animæ obtineri, niſi ſecundum inſtitutionem canonicam, ideſt ordinationem Eccleſiæ, ut ſcilicet bene diſpoſitus accedat, & ſecundum ritum Eccleſiæ. Secundum eſt, quod communicatio ſeu participatio bonorum, quæ fiunt in Eccleſia, & orationum, & aliorum bonorum, & indulgentiarum non poteſt haberi, niſi ſecundum inſtitutionem Eccleſiæ, ideſt exiſtendo in caritate, & faciendo ea, quæ ordinavit Eccleſia fienda, ut continet indulgentiæ forma. Tertium eſt Eccleſia, præbenda, & dignitas eccleſiaſtica, in quibus oportet ſervari, prout ordinavit Eccleſia, ut patet hic in Gloſſa.

In inſtitutione canonica quatuor requiruntur.

§. IV. *Bona fides non patitur, ut ſemel exactum, iterum exigatur*. Hæc regula ſumta fuit ex l. *Bona fides*, ff. eod. tit. Eccleſia enim non debet ſuum recipere vel repetere cum augmento, ſcilicet ſi ſemel exactum iterum exigeret, augmentum reciperet, 12. quæſt. 2. *Fraternitas*. Et habet locum hæc regula etiam in pœnis, quæ ſemel exactæ ab eodem iterum exigi non debent: ad hoc 13. quæſt. 2. can. ult. & *De jud.* cap. *At ſi clerici*. Ab eodem autem ideo dixi, quia ſi plures tenerentur ad pœnam inſolidum, ſoluta pœna per unum non liberatur alter, 12. quæſt. 2. *Quum devotiſſimam*. An autem res & pœna ſimul peti poſſint, dic ut notatur 25. quæſt. 2. *Quæcumque*. verſ. *Si Eccleſiæ*. Hanc autem regulam dico veram in his, quorum cauſſa unica exactione finitur. Unde ſi decem debeo, ipſorum ſolutione tollitur omnis obligatio; unde non patitur bona fides, ut illadecem iterum exigantur, & ſi ſolvantur, ut indebita repetuntur: quod dic ut notatur 1. quæſt. 4. in fine *De ſolut.* cap. ult. Si autem unica exactione non finitur obligatio, puta in exactione debiti viri ab uxore, & e converſo; non habet locum hæc regula. Idem in procuratione, quam exigit epiſcopus primo anno viſitans: nam ſecundo anno viſitans iterum exigit procurationem. Et idem ſi ex neceſſitate Eccleſiæ iterum eodem modo viſitaret & anno. Et ſic poteſt intelligi illud, *De cenſibus* cap. *Quum venerabilis*. Idem dico in exactione pœnæ, ubi actum eſt in contractu ſic, ut ſcilicet toties pœna committatur, & exigi poſſit, quoties contra factum fuerit. Nam tunc pœna ſemel exacta iterum exigitur. Ratio eſt, quia ſecundum aliam regulam, *contractus ex conventione legem accipiunt*. Sed veritate inſpecta in his caſibus & ſimilibus non eſt idem, ſed aliud, licet ejuſdem generis. Et facit hæc regula ad quæſtionem, quam movet Joann. 12. quæſt. 2. *Monemus*. An ſi Eccleſia conſecuta eſt ſuum a poſſeſſore, quod facere poteſt, ut eadem quæſt. *Apoſtolicos*? An idem poſſit petere etiam a prælato? Et certe non, quia *bona fides* &c. Ad pœnam tamen agere poſſet contra eum, ut *De reb. eccleſ. non alien.* cap. *Siquis*. Joannes Andreas. *Bona fides*, ideſt ſcientia & æquitas bona; & poteſt extendi illud, quod exactum non debet iterum exigi, in ſolutionibus: & contra hoc faciunt uſurarii, quia quum receperint ſuum capitale, iterum exigunt illud, dum uſuram petunt, quod eſt quaſi aliud capitale. Thomas: quod bona fides non patitur. Vide de uſuris in 2. parte tit. 1. Hoc etiam ſervandum in punitionibus: ſicut enim non judicat Deus *bis in idipſum*; ſic & qui ſemel judicatus & punitus eſt pro illo peccato, non debet iterum puniri, & cui Deus remiſit culpam per pœnitentiam, non punit ad gehennam pro illa, quia peccata non redeunt, nec quoad culpam, nec quoad pœnam. Thomas. Sed ſi Deus punit hic peccatorem, & ille non emendatur, quod non ſolvit debitum; ideo Deus punit etiam in inferno, quia debitum non eſt ſolutum. Similiter in contractibus ſoluta pœna non debet iterum exigi, ut dictum eſt in Gloſſa.

§. V. *Quum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. *Favorabiliores*. Et pone caſum 3. quæſt. 9. *Judicas*. Et hæc regula vera

est, nisi actor foveat favorabilem caussam, puta matrimonii, libertatis, testamenti, vel dotis. Tunc enim fallit regula, quia favendum est potius actori, 33. quæst. 1. *Si quis acceperit*, *De probat.* cap. *Ex litteris*. Et habet locum hæc regula non solum in sententia ferenda; sed etiam in jam lata, puta a duobus ordinariis, uno absolvente, & alio condemnante: tenet enim sententia pro reo, nisi fuerit lata in supradictis casibus. Et nota, quod dicit *obscura*: si enim certum esset reum esse obnoxium, puniretur, quia culpa est relaxare vindictam, ut Dist. 28. *Quia sunt*. Et hoc dico, quum est certum judici, ut judici; secus si ut Deo, *De offic. ord.* cap. *Si sacerdos*, vel ut homini, 3. quæst. 7. *Judicet*. Si certum est eum non esse obnoxium, absolvitur. Idem si [2] dubium, ut hic vides: Sanctius est enim nocentem absolvere, quam innocentem condemnare, ff. *De pœnis*, l. *Absentem*. Et sic in re dubia fertur certa sententia. Contra illud 11. quæst. 3. *Grave*, *De sponsa. & matr.* cap. *De muliere*. Sed hic non est dubium, immo certum, quia ex quo actor non probavit clare, reus debet absolvi, 6. quæst. ult. *Accusator*. Sic notat Bernardus: *De sponsa. & matr.* cap. *Juvenis*. Et vide, quod de triplici ambiguitate notatur Dist. 33. can. ult. *Reo*, sic dicto a re, quæ petitur, vel super qua impetitur, *De verb. sign.* cap. *Forus*. *Actori*. Contra, ff. *De jud.* l. *Siquis intentione*, ubi ambiguam orationem actoris in sui utilitatem interpretamur. Solutio: Illud in principio litis, in quo favetur actori, istud in fine, in quo favetur reo; quod dic, ut notatur, *De restitut. spol.* cap. *Quum ad sedem*, in Glossa 2. In summa ergo nota, quod in obscuris potius favetur reo, quam actori, nisi caussæ favor aliud inducat, ut dictum est &c. Nec intelligas hanc regulam in obscuris probationibus inductis a reo, quia illas contra eum interpretamur, *De probat.* cap. *Licet*. Quod dic, ut infra regula, *Contra eum*. Joannes Andreas.

§. VI. *Quum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ caussam censetur habere*. Hæc regula sumta est ex l. *Qui in alterius*, ff. eod. tit. Et pone casum 16. quæst. 3. *Si sacerdotes*. Sed tertium casum ibi nota, & ff. *Depositi*, l. 1. in fin. Ibi enim hæres vendens rem depositam, credens illam fuisse defuncti, non tenetur ad rem, sed ad pretium. Quod autem in hac regula dicitur, verum est, si cum ipso successore agatur; secus si ipse agat, quia certus debuit esse de facto suo, quum ad judicium provocat. Intelligitur autem hæc regula de quolibet successore, sive sit singularis, sive universalis, de quibus dicam infra, *Is*, *qui in jus*, eod. tit. quæ videtur contra; sed non est, quia ibi loquitur de jure, hic de facto. Ubi ergo quæreretur de præscriptione, in qua sufficit bona fides, præscriberet successor bonæ fidei, quod non præscriberet prædecessor malæ fidei. Ubi autem requireretur titulus, si injustum titulum habuit prædecessor, talem, qui non dedit caussam præscribendi, successor, qui eodem titulo utitur, non præscribit, ff. *De diver. temp. & præscrip.* l. *Quum hæres*: & adverte, quia regula ista venit exemplificative ad illam ignorantiam: *ignorantia facti* probabilis *excusat*, Joannes Andreas.

§. VII. *Quum quid prohibetur*, *prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo*. Pone casum in prohibito a carnibus, qui prohibitus intelligitur ab omnibus, quæ trahunt sementinam originem, ut Dist. 4. *Denique*. Et prohibita concupiscentia per legem intelliguntur prohibita omnia mala, quæ sequuntur ex illa, *De constitut.* cap. *Nam concupiscentiam*. Item prohibita alienatione, prohibita intelligitur venditio, donatio, manumissio, &c. *De reb. Eccles. non alien.* cap. *Nulli*. Item prohibito officio, & beneficium, Distinctione 81. *Eos*. Item furto prohibito, intelligitur prohibita omnis illicita usurpatio rei alienæ, 14. quæstione 5. *Pœnale*. Item prohibita mœchia, omnis illicitus concubitus prohibetur, 32. quæst. 4. *Meretrices*. Et cui prohibetur Ecclesiæ communio, & ejus stipendia prohibita intelliguntur, *De appel.* cap. *Pastoralis*. Concordat ad hanc regulam supra illa, *Accessorium*.

§. VIII. *Cui licet, quod plus est, licet utique quod est minus*. Hæc regula sumta est ex l. *Non debet*, ff. eod. tit. Et fallit hæc regula in casibus ibi notatis. Pone casum: Presbyter conficit in missa corpus Christi, quod plus est; bene ergo potest benedicere populum, quod minus est, Dist. 95. *Ecce*. Item cui concessum est testari, ut filio familias de peculio castrensi; ergo & donare caussa mortis. Concordat 12. quæst. 1. *Præcipimus*. Cui committuntur animæ, & pecuniæ dispensandæ, ut *De donat. & dot. post divor.* &c. cap. *Per vestras*. Cui committit uxor corpus, bene potest committere dotem. Et nota, quod illud est unum brocardum, cui licet plus & minus: aliud, quod licet majori & minori, Dist. 95. *Illud superfluum*: aliud negando cui non licet minus nec majus, *De sen. excomm.* cap. *Quum illorum*. Et quod non licet in minori, nec in majori, *De elect.* cap. *Quum in cunctis*, ubi de hoc. Contra *De consecrat.* Dist. 2. *Comperimus*. Sed illud est speciale propter * communionem. Item contra 33. quæst. 2. *Latorem*, ubi conceditur communicare, & non oblationem offerre, & 17. quæst. 4. *Miror*. Item *De torneamentis*, cap. 1. *De rap.* cap. 2. Ubi conceditur pœnitentia, & non sepultura. Solutio: Regulare est, quod hic dicitur, nisi a minori prohibeatur ex caussa, vel ut consulatur vivis, ut ibi, vel ob aliam caussam. Item ad negativam contra Dist. 36. *Qui ecclesiasticis*, & 1. quæst. 1. *Si qui episcopi*, ubi qui injuste contulit ordinem, privatur collatione ordinis illius, sed non minoris vel majoris, secundum * Bartolum, licet Hugo contradicit. Sed dic, ut supra proxime dixi. Plus ergo qualitate includit minus, sed non semper; sicut plus quantitate semper includit minus, ut infra, *Plus semper*. Joannes Andreas.

§. IX. *Contra eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda*. Hæc regula sumta est ex l. *In contrahenda venditione*, ff. eod. tit. Ut plene liqueat ista materia, licet de ipsa tractetur *De sponsa.* cap. *Ex litteris*, & ff. *De pac.* l. *Veteribus*; tu tamen nota, quod obscuritas vel ambiguitas aut apponitur in ultimis voluntatibus, aut in conventionibus factis in judicio, aut in confessionibus, aut in contractibus & pactis, aut in sententiis. Si in ultimis voluntatibus, subdistingue; quia autem constat de voluntate expresse, aut tacite. Si expresse, illa servatur; quia nihil est, quod tantum debeatur hominibus quam quod ultimæ voluntatis liber sit stilus, 13. quæst. 2. *Ultima voluntas*, & *De testam.* cap. *Officii*. Si constat tacite, ut per conjecturam, illa servatur, 26. quæst. 6. *Qui recedunt*, & *De testam.* cap. *Requisisti*. Et hoc nisi dicta voluntas turpis esset, ut ff. *De condit. instit.* l. *Quidam*. Vel alias contra jus. Pone exemplum, *De testam.* cap. *Tua*. Si non constat expresse nec tacite, statur verbis testamenti. Ad hoc 22. quæst. 2. *Is autem*, *De celeb. miss.*

* Glossa *unionem*.

* Glossa *Bernardi*.

Ambiguitas quintuplex.

[2] Dubium hoc loco consideratur in externo foro, de quo sequentia clare loquuntur: secus autem esset in interno, ubi si quis de excommunicatione, vel irregularitate dubitet, debet sacro ministerio abstinere, quod in dubiis conscientiæ tutior via eligenda sit, ut canones in casu deciderunt. Vide Prælect. 1.

miſſ. cap. *In quadam.* Si autem verba ſunt nimis larga, ſequimur benignius & minimum, ut in regula *In obſcuris*, infra eod. tit. Et ſic eſſet hæredis electio. Si vero non apparet, quæ pars ſit benignior vel minor, neutra tenetur, ff. *De teſtam. tut.* l. *Duo ſunt.* Si quæratur ad quem ſpectat indagatio; dic, quod ad judicem, C. *De fideicommiſ.* l. *Voluntatis defuncti.* Si in judiciis ſit ambiguitas, fit interpretatio pro proferente. Ratio, quia debitor ſemper negaret ſe de hoc ſenſiſſe, C. *De annali excep.* l. ult. & hoc in litis exordio. De hoc, *De teſt. ſpol.* cap. *Quum ad ſedem.* Si vero in probationibus ſit ambiguum, interpretabitur contra producentem, *De condit. app.* cap. *Per tuas*, & *De probat.* cap. *In præſentia.* Debent enim probationes eſſe claræ, *De præſcrip.* cap. *Auditis*, ſalvo eo, quod poſſunt teſtes obſcure deponentes interdum iterum interrogari, ut *De teſtim.* cap. *Quum clamor.* In confeſſionibus, ſi confiteantur incertum, certificare cogitur, ff. *De confeſ.* l. *Certum*; alioquin accipitur quod magis expediret adverſario, ut ibi & *De confeſſ.* l. *Certum.* In contractibus aut eſt certum de conſenſu, aut de diſſenſu, aut dubium. In primo ſtatur ei, quod ſenſerunt, *De ſponſ.* cap. 1. In ſecundo nil valet, 27. quæſt. 2. *Sufficiat*, 30. quæſt. 2. can. 1. uno, *De raptor.* cap. *Quum cauſſa*, 29. quæſt. 1. §. 1. Et ibi error non ſolum corporis, ſed & materiæ venditionem impedit. Nihil enim tam contrarium conſenſui, ſicut error, ff. *De judic.* l. 2. Et errare eſt aliud pro alio putare, Diſt. 38. *Quamvis.* Non tamen omnis error impedit matrimonium, ſed error tantum perſonæ; quod dic, ut 29. quæſt. 1. §. 1. & in ſumma. In tertio caſu, ſcilicet quum eſt dubium, ſubdiſtingue. Aut poteſt valere ſecundum intellectum unius tantum, aut utriuſque. Si ſecundum intellectum unius tantum, valeat ſecundum quem valere poteſt, ff. *De verb. oblig.* l. *Quoties.* Et hoc habet locum etiam in contractu matrimoniali in foro judiciali. In foro autem animæ ſtaretur ei, qui diſſenſiſſet in tali dubio, ut *De ſponſ. & mat.* cap. *Tua nos.* Si ſecundum utriuſque intellectum poteſt valere, valeat ſecundum quod veriſimilius, ff. *De verb. oblig.* l. *Eum, qui ita*; & infra in regula *Inſpicimus*, cum ſuis concordantiis. Si dubitatur, quod ſit veriſimilius, ſervatur quod in hac regula dicitur, *De verb. oblig.* l. *Quidquid*; & hoc verum, quum neuter dolum committit. Si autem alter dolum committat, contra eum fiet interpretatio, 22. quæſt. 5. §. *Ex his*, & cap. *Quacumque*; ſi autem uterque committit dolum, ad communem ſignificationem recurretur, ut in dicta Decretali *Ex litteris*, ubi de hoc, & 22. quæſt. 5. §. *Si ergo.* Et idem reputatur in juramentis, ut ibi notatur. In ſententiis ſuis interpretari poterit præſes provinciæ vel procurator Cæſaris, ff. *De appel.* l. *Ab exſecutore* in princ. Functus eſt enim officio ſuo ſive male ſive bene judicando; quod intellige de diffinitiva ſententia: ſecus de interlocutoria. Quod dic, ut notatur *De appel.* cap. *Quum ceſſante.* De fructibus tamen & expenſis ſupplere poteſt eadem die, ff. *De re jud.* l. *Paullus.* Et de hoc notatur 35. quæſt. 9. §. *Quia ergo* in Gloſſa. Et ibi de multiplici interpretatione.

De legibus non eſt dictum, quia in eis nil obſcurum eſt vel ambiguum, Diſt. 4. *Erit*, & C. *De nov. cod. compon.* in prima conſtitutione, ibi: *Erit lex certa, & brevi ſermone conſcripta.* Si tamen ambiguitas eſſe videretur in eis, recurritur ad condentem, quia ille ſolus interpretari poteſt, qui & condere, 11. quæſt. 1. §. *Ex his.* Et idem in privilegiis, quæ ſunt leges privatæ & per eadem jura Joannes Andreas. Et nota, quod dicit Gregorius, 22. quæſt. 5. *Humanæ*, quod *verba debent deſervire intentioni, non intentio verbis.* Ubi Gloſſa arg. potius eſſe conſiderandum intentionem alicujus, quam verba, 1. quæſt. 1. *Marchion.* Sed hoc eſt verum, quum conſtat de intellectu; alias a verbis non eſt recedendum in dubiis, ff. *De legat.* l. 3. *Non aliter.* Et adde quod 23. quæſt. 1. *Paratus*: dici Gloſſa, quod non debemus ſemper adhærere verbis. Verba enim in reſcriptis poſita vel in legibus debemus conformare æquitati, licet verba non patiantur, ut *De reſcrip.* cap. *Cauſſam*, & *De conſuet.* cap. *Quum dilectus.*

§. X. *Quum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet proinde, ac ſi impleta fuiſſet.* Hæc regula ſumta eſt ex l. *In jure civili*, ff. eod. tit. Pone exemplum in Abraham, per quem non ſtetit, quo minus filium ſuum immolaret ſecundum Domini præceptum. Unde proinde ita gratum fuit ante Dominum, ac ſi immolaſſet, 22. quæſt. 2. *Si quælibet*, §. *Abraham quoque*, & §. ſeq. Item pone caſum in eo, qui impedit, ne ad eum citatio perveniat, *Ut lit. non conteſt.* cap. *Quoniam.* Item potes ponere in libertate legata, & ut aliquid detur hæredi, & per eum ſtat, C. *De condit. in ſer.* l. pen. & ult. & idem in aliis legatis. Et nota, quod ſi mihi decem promiſeris, ſi te vicero, tacite videtur hoc actum, ut reſiſtere poſſis; & ſic habetur pro expreſſo. Et nota, quod dicit: *Per eum, ad quem pertinet.* Nam ſi ſtaret per alium tertium, vel per impedimentum mei ipſius; tunc locum habet regula infra *Imputari*, quia tunc licet non imputetur, quod per me non ſtat, ut ibi; non tamen habebitur pro impleto, ut hic. Item nota quod ſi libertas legata eſt ſervo, ſi decem hæredi dederit, & per hæredem ſtetit, quo minus ſervus dederit illa decem, proinde eſt, ac ſi impleta eſſet conditio, quia ille liber erit. Tenetur tamen illa decem poſtmodum ſolvere, niſi forte obtulerit, & hæres non ſuſceperit, C. *De condit. in ſer.* l. ultima &c. Joannes Andreas.

§. XI. *Quum quid una via prohibetur alicui, ad id alia via admitti non debet.* Pone caſum 33. quæſt. 5. *Hæc imago*, & *De conſec. præben.* cap. *Deteſtanda* lib. 6. Nota ergo, quod *quum aliquod prohibetur, prohibentur & omnia, quæ ſequuntur ex illo*, ut in regula *Quum quid* ſupra. Ac etiam omnia, per quæ poſſit perveniri ad illud. Fallit hoc interdum; quia ſervus non admittitur in teſtimonium pro Domino, nec contra Dominum; & tamen teſtificatur de facto ſuo, dum dicitur per eum depoſitum vel commodatum vel ſimile, 4. quæſt. 3. *Si teſtes*, verſ. *Servi neque.* Item qui non poteſt accuſare, denuntiat, *De jurejur.* cap. *Quemadmodum*, in fin. Item prælatus de mobilibus per Eccleſiam acquiſitis teſtari non poteſt; & tamen in ægritudine moderate poteſt de ipſis aliqua erogare, *De teſtam.* cap. *Ad hæc.* Satis circa hoc dici poteſt, quod quum aliquid prohibetur principaliter, habito reſpectu ad prohibitum, non ad viam vel ad modum, quo prohibetur, exemplifica per jura in principio dicta; tunc ſufficit prohibitum una via, ut ad id in ejus fraudem alia via, vel modo admitti non debeat, ut hic. Speciale tamen eſt in libertate, ff. *De inoffic. teſtamen.* l. *Papinianus.* Si autem prohibitio principaliter ſe habet ad viam vel modum, non ad rem, tunc ſecus. Unde alteri Eccleſiæ alligatus epiſcopus non eligitur, ſed tamen poſtulatur. Item qui juravit non accuſare, bene denuntiat, quia ſibi non eſt prohibitum deferre crimen; ſed per modum accuſationis prohibetur &c. Joannes Andreas.

§. XII. *Contractus ex conventione legem accipere dinoſcuntur.* Dicunt vulgares: Pactum rum-

pit leges. Et hoc dicit regula, quæ ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Contractus*. Pone caſum per canonem, 18. quæſt. 2. *Eleutherius*, ubi conventio inter epiſcopum diœceſanum & fundatorem inita, de oblationibus obvenientibus in feſto ipſius Eccleſiæ ſervanda eſt. Item depoſitarius ſecundum jura tenetur ſolum de dolo, & lata culpa, quæ dolo comparatur. Si tamen intervenit conventio, ut teneatur de levi & leviſſima culpa & caſu fortuito, illa ſervatur, *De depoſ.* cap. 2. Et quod dicit regula, hic intelligas de conventione honeſta & non contra bonos mores. Unde ſi convenerit, ut dolus præſtetur, non valet conventio, ut in dicta l. *Contractus*, Joannes Andreas.

§. XIII. *Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*. Pone caſum 14. quæſt. 3. *Plerique*, & *De elect.* cap. *Avaritiæ* lib. 6. Et concordat 1. quæſt. 1. *Sunt non nulli*. Circa regulam non inſiſto proſequere ipſam, ut notatur 14. quæſt. 3. *Plerique*, ubi in Gloſſa dicitur: Nolunt quidam facere contra legem; ſed faciunt fraudem legi. Facit autem fraudem legi, qui obſervat verba legis; ſed mentem ejus circumvenit, ff. *De legib.* l. *Fraus*. *Fraus legi quomodo fit.* Fit autem fraus legi quattuor modis, ſcilicet de re ad rem, ideſt quando in fraudem datur aliqua res, ut in dicto cap. *Plerique*, & 1. quæſt. 1. *Sunt non nulli*. Item de perſona ad perſonam, ut ſi quis ſub perſona alterius exercet uſuram, Diſt. 46. *Sicut non ſuo*. Et quum maritus non poteſt aliquid dare uxori, ſupponit aliam perſonam, cui det, ut ff. *De don. inter vir. & uxor.* l. *Hæc ratio*. Item de uno contractu ad alium fit fraus legi, ut quum mulier non poſſit aliquid dare viro, fingit ſe vendere ei, ff. *De donat. inter vir. & uxor.* l. *Si ſponſus*. Item de uno contractu ad alium ſit fraus; ſed alio modo, ut quum mulier non poſſit fidejubere, conſtituit ſe principalem debitricem, ff. *Ad Vell.* l. *Quamvis*, 33. quæſt. 5. *Mulierem*. Joannes Andreas. *Pallia uſurarum.* Extendi poteſt ad multa, & in uſuris, quæ palliantur ſub juſtis titulis, ſcilicet venditionis, emtionis, pignorationis, depoſiti, ſocietatis, & hujuſmodi, de quibus fraudibus uſurarum vide in 2. parte tit. 1. cap. 6. & ſequenti. Item in non communicando vel male communicando. Item in jejuniis & aliis. Et dicit Decretalis, quod *fraus & dolus nemini debent patrocinari*.

§. IV. *Decet conceſſum a principe beneficium eſſe manſurum*. Pone caſum 35. quæſt. 2. cap. 1. & 2. & *De præben.* cap. *Si cui*, lib. 6. & in Auth. coll. 6. *Conſtitutio, quæ dignitat.* &c. in fin. *Decet*. Hoc verbum quantum ad ſubditos ipſos neceſſitatem importat, quantum ad ipſum principem honeſtatem. Ipſe enim privilegium per ſe conceſſum diminuere, vel moderari, vel in totum tollere poteſt. Primum probatur *De dec.* cap. 2. lib. 6. Secundum probatur *De elect.* cap. *Quia ſæpe*, lib. 6. Ad hoc quæſt. 63. §. *Verum. A principe*, qui ſolus privilegium in alterius præjudicium conferre poteſt ſecundum quoſdam, 9. quæſt. 3. *Nunc vero*, & can. ſequenti. Quod non eſt verum, ut notatur 25. quæſt. 2. in ſum. in prin. Licet enim hic exprimatur de principe, idem eſt in beneficiis aliorum, 12. quæſt. 2. *Si epiſcopus*, *De inſtit.* cap. *Quum veniſſent*. Poſſunt enim epiſcopi dare privilegia, *De ſent. & re jud.* cap. *Quum inter vos*. De hoc 25. quæſt. 2. in ſumma. *Beneficium*. Privilegium *Privilegii quid ſit & quotuplex.* eſt quoddam beneficium collatum alteri. Quum autem ſit duplex genus privilegiorum, quia & realia & perſonalia, hoc eſt verum in realibus privilegiis. Hæc enim privilegia principum ſunt perpetua. Non autem intelligitur de perſonalibus nam perſonalia cum perſonis exſtinguuntur, ut infra in regula *Privilegium*. Et idem dico de privilegio dato ad tempus. Pone caſum *De verbor. ſignif.* cap. *Tua. Manſurum*. Nota, quod licet privilegium debeat eſſe perpetuum, ut hic, exſtinguitur tamen propter abuſum, negligentiam, contrarium factum, & ſuperveniens enorme præjudicium. Quod dic, ut notatur Diſt. 22. *Renovantes*, 11. quæſt. 3. *Privilegium*, *De dec.* cap. *Suggeſtum*. Unde dico, quod ab ipſo principe verba privilegii interpretanda ſunt, ita quod alteri enorme præjudicium non afferant, *De verb. ſignif.* cap. *Quid per novale*. Si autem ex poſtfacto ſuperveniat enorme præjudicium, pone caſum per Decretalem *Suggeſtum*; hoc quum ſit neceſſe directe venire contra verba privilegii, crederem proponendam principi quæſtionem de privilegio, quod de novo tendit ad noxam, & contra illud, non deberet propria auctoritate veniri ſecundum Laurentium, qui hoc ſentit, 25. quæſt. 1. in fine, & Bernardus: Beneficium remiſſionis peccatorum, quod datur, manet, & numquam revocatur, 23. quæſt. 4. *Si illic*. Contra *De pœnit.* Diſt. 4. *Qui divini*. Solutio: Non redeunt peccata dimiſſa per recidivum nec quoad culpam, nec quoad pœnam; ſed dicuntur redire per quemdam effectum aggravationis illius ſequentis culpæ. Thomas in 4. Beneficium etiam gratiæ & virtutum ſemper durat in homine ex parte Dei dantis, *De pœnit.* Diſt. 2. *Quærendum*. Sed quod amittatur, eſt propter abuſum vel negligentiam hominum. Beneficium eſt quodcumque habemus bonum, & iſtud ſemper debet manere in mente noſtra per recognitionem, pſal. 112. *Noli obliviſci omnes retributiones ejus.* *Privilegium exſtinguitur variis modis.*

§. XV. *Dubia ſunt in meliorem partem interpretanda*, ſcilicet [3] ea facta, *quæ dubium eſt, quo animo fiant*. Hæc regula habetur in Decretali, *De reg. jur.* cap. *Eſtote*. Et ſunt verba Bedæ ſuper illud Lucæ 6. *Nolite judicare* &c. Ubi ſciendum, quod triplex eſt genus operum humanorum. Aut enim ſunt bona, vel de genere bonorum, ut jejunium, oratio, eleemoſyna, & hujuſmodi, & iſta ſemper debent interpretari in bonam partem, quamvis poſſint fieri mala intentione. Aut ſunt de genere malorum & mala ſecundum ſe, ut furta, homicidia, blaſphemiæ & hujuſmodi. Et de his, ut dicit Beda ibidem, permittitur nobis judicare, ideſt interpretari in malam partem, & reputari digna damnationis judicio; & peccatum eſſet hujuſmodi bene interpretari & excuſare, 11. quæſt. 3. *Si quis dixerit*, & can. ſequenti. Non tamen debemus judicare illos ſimpliciter damnatos, quia poſſunt reverti ad pœnitentiam de illis. Eſt tertium genus operum, quod eſt indifferens, ut comedere, bibere, loqui, ire, vendere, & emere, & hujuſmodi; & hæc fiunt bene & male. Et de his præcipue intelligitur, quod ſunt interpretanda in meliorem partem, quum neſcit; alias facta talia, in meliorem, ideſt ſecuriorem ſecundum Gloſſam. *Triplex genus operum humanorū.*

§. XVI. *In dubiis tutior via eſt eligenda*. Iſtud dictum, quod eſt quaſi regula, ſic conſuevit allegari communiter. Et eſt ſumtum ex cap. *Juvenis*, *De ſponſal. & mat.* ubi dicitur: *In his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus*. Gloſſa ibi. Sic ergo patet, quod in dubiis ſemper certius eſt tenendum, *De pœnit.* Diſt. 7. can. *Si quis autem*. Ubi dicit Auguſtinus: *Tene certum, & dimitte incertum*, & loquitur de pœnitente in extremis, de quo eſt dubium, ſi vere pœniteat. Qui autem certus eſt de vera pœnitentia per conjectu-

[3] Hinc patet regulam hanc eſſe de dubiis circa aliorum facta, non de dubiis conſcientiæ, in quibus maturior eligenda eſt, ut in ſequenti regula dicitur.

jecturas, tamen si sanus, agit pœnitentiam Dist. 14. *Sicut*, *De homicid.* cap. *Ad audientiam*. Nota tamen, quod est dubium probabile, & est dubium scrupulosum. De probabili hic loquitur, quum scilicet rationes sunt ad utramque partem quasi æquales: & peccatum grave est se exponere tali dubio, ubi est mortale. Est aliud scrupulosum, ubi scilicet ex levi suspicione timet quis esse in aliquo actu peccatum, ubi non est, & istud ad consilium boni viri est deponendum. Gregorius: *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est*, idest timere, non tamen asserere, Dist. 5. *Ad ejus*. Item dicitur 11. quæst. 3. *Grave*: *Grave est, & satis indecens, ut in re dubia certa detur sententia*. Dicit Glossa Dist. 33. can. ult. quod triplex est ambiguitas, scilicet juris, facti, & personæ. Ambiguitas juris est, ubi de similibus ad similia proceditur, ut Dist. 20. *De libellis*. Et de tali ambiguitate loquitur can. *Sicut*, Dist. 14. Sed ubi est ambiguitas facti, numquam ferenda est sententia in præjudicium alicujus; & de hoc intelligitur can. *Grave*, 11. quæst. 3. Sed ubi nulli fit præjudicium, ut in baptismo, confirmatione, ordinatione, consecratione, & hujusmodi; bene fertur in dubio sententia certa, scilicet ut baptizetur, vel Ecclesia consecretur, vel denuo ordinetur & hujusmodi, ut *De consecrat.* Dist. 4. *Parvulos*, & Dist. 1. *Solemnitates*. Quandoque tamen dubitatur de facto, & fertur sententia in præjudicium alterius, ut *De sponsal. & matrim.* cap. *Juvenis*. Sed istud est præter periculum animæ. Ubi vero est ambiguitas personæ, sed factum est certum; bene fertur certa sententia, ut 5. quæst. 1. *Quidam*: puta quum scitur publice furtum factum, sed ignoratur persona, tunc potest judex ferre excommunicationem in eum, qui fecit, & præcipere, ut sibi manifestet, & tenetur subditus obedire.

Triplex ambiguitas.

§. XVII. *Defleat peccator, qui offendens in uno, factus est omnium reus*. Hæc regula habetur in Decretali, *De reg. juris*, *Defleat*. Et sumta est ex ead. *Consideret*, *De pœnit.* Dist. 5. Et sunt verba Augustini, partim autem Jacobi Apostoli in canonica, ubi dicit Jac. 2. *Qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*. *Defleat* saltem luctu interiori. Nam lacrymæ exteriores sine interiori fletu, scilicet contritionis, modicum vel nihil prosunt, *De pœnit.* Dist. 3. *Irriser*. Interior fletus etiam sine exteriori, idest contritio cordis sufficiens est ad remittendum, *De pœnit.* Dist. 5. *Consideret*, ibi *Doleat*. Interior cum exteriori adhuc melior. Prosper: *Lacrymis ex vera cordis contritione fluentibus exstinguentur æterni ignis incendia*, *De pœnit.* Dist. 1. *Porro*. *Offendens in uno*, scilicet præceptorum. Omne enim mortale est contra aliquod præceptum divinum directe vel indirecte: vel *in uno*, idest caritate, quæ unum nos facit cum Deo & proximo, & quodlibet mortale est contra caritatem. Glossa Bernardi: *Omnium reus*, scilicet præceptorum, idest ita damnatur quis, & privatur gloria æterna pro una transgressione præcepti in ipsa moriendo, sicut si omnia fuisset transgressus. Ita exponitur *De pœnit.* Dist. 5. Fratres. Non tamen sustinet tantam pœnam: nam quodlibet mortale habet suam pœnam: vel *omnium*, scilicet virtutum, quia quælibet virtus patitur detrimentum ab uno vitio. Sic exponit Augustinus, *De pœnit.* Dist. 6. *Qui vult*. Quum enim virtutes sint connexæ, una amissa, omnes amittuntur: vel *omnium* bonorum *reus*, idest ingratus, & sic omnia meretur sibi auferri: vel *omnium*, quia per peccatum amisit meritum omnium præcedentium operum bonorum. Augustinus, *De pœnit.* ead. Dist. *Qui vult*.

§. XVIII. *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem*. Hæc regula sumta est ex l. ff. eod. tit. l. *In condemnatione*. Pone casum in usurario, qui non petit usuras a debitore; ipsas enim restituere cogeretur, 14. quæst. 4. *Nullus*, Ad idem *De jurejurando*, cap. *Debitores*. Duo autem nota circa hanc regulam. Primum est, quod dicitur hic locum habere, quando res restituenda est ei, a quo petitur. Commodatarius enim repetit rem a fure, quam tenetur domino restituere, C. *De servor. cor.* l. ultima. Vir soluto matrimonio petit dotem a socero, quam uxori & liberis restituere eum oportet, ff. *Soluto matrimonio*, l. *Si socer*. Idem in usurario, qui usuras repetit, quas alias solvit, si non est solvendo, præstita cautione restituendi eas, a quo perceperit, arg. *De restitution. spoliat.* cap. *Olim* 2. & *De usuris*, *Quia frustra*. Secundo nota hanc regulam non habere locum in possessoriis judiciis, sed in petitoriis. Hæc etiam notat Goffridus, *De offic. judic. delegat.* cap. *Venerabili*, & Bernardus Joannes Andreas.

§. XIX. *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alteri, imputare*. Hæc regula sumta est ex l. *Quod quis*, ff. eodem titulo. Pone casum per canonem 23. quæst. 4. *Displicet*. Vel si quis ductus ad judicem, de equo se projiciat, & lædatur, sibi ipsi imputet. Item, *De præbend.* cap. *Si clericus* lib. 6. ubi clericus, qui negligit petere præbendam sibi debitam, quum vacat, sibi imputari debet, non sequenti exspectanti. Ad idem, ff. *Pro socio*, l. *Cum duobus*: ubi socius omnium bonorum damnatus ex contractu ob contumaciam suam, vel ex maleficio, puta furto vel simonia, non recuperat a socio. Concordat Dist. 50. *Sæpe* & can. *Hi, qui*. Item procurator pœnam, quam ex suo delicto præstitit, non recuperat a Domino, ff. *De procurat.* l. *Qui proprio*. Ad idem, C. *De evict.* l. *Emtor*. ubi dicitur, quod emtor, si in judicio non fuit, re evicta, de evictione non agit contra venditorem, quia culpa sua res evicta videtur. Joannes Andreas. Ad hoc etiam facit, quod ait Augustinus: *Absit, ut ea, quæ propter bonum ac licitum facimus, aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur*, 23. quæst. 5. can. *De occidendis*. Ubi ponit exemplum de eo, qui se occidit gladio vel ligone & hujusmodi, quod non imputatur facienti, vel utenti in bonum talia instrumenta, sed illi, qui se occidit. Potest enim sic extendi regula theologice, quod quum sit triplex damnum, primum privationis gloriæ; non debet quis imputare divinæ præscientiæ, quia secundum Augustinum ipsa *nulli est caussa labendi*, sed culpæ propriæ, 23. quæst. 4. *Vasis*. Secundum damnum est subtractionis sive privationis gratiæ per peccatum, quod non debet quis imputare Dei severitati, sed suæ negligentiæ, 11. quæst. 3. *Audi*, & *De pœnit.* Dist. 1. can. *Convertimini ad me* &c. Nec debet imputare diabolo tentanti vel hujusmodi incitanti, sed suæ propriæ voluntati, 15. quæst. 1. *Non est*, & can. *Illa*. Tertium est damnum temporalis fortunæ in rebus, in fama, in honoribus, & hujusmodi: & hoc debet imputari peccatis suis, *De pœnit.* Dist. 1. *Quamobrem*, & can. *Sed & continuo*, & can. *Si peccatum*.

§. XX. *Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare*. Pone casum in episcopo deposito propter crimen. Non enim debet Ecclesia propter hoc exspoliari rebus suis, 16. quæst. 6. *Si episcopum*, ubi de hoc. Item pone casum in pro-

4 Glossa legit: *Quas aliis solvit, si non est solvendo, præstita cautione de ipsis restituendis ei, a quo percepit*.

procuratore, qui falsificavit instrumentum; non propterea perdidit Ecclesia causſam, *De excep.* cap. *Quum venerabilis*. Et delictum tutoris non obligat pupillum, ff. eod. tit. l. *Neque*. Contra 16. quæst. 3. *Placuit*, Ubi delictum prælati non repetentis rem ecclesiasticam nocet Ecclesiæ. Ad idem, *De præscrip.* cap. 1. Solutio: Delictum aliud est in faciendo, & hoc non præjudicat Ecclesiæ, ut hic: aliud est in omittendo, & istud bene præjudicat Ecclesiæ, ut ibi. Et hoc proprie dicitur delictum, scilicet omissio; quamvis non semper stetur huic significationi, sed ampliatur aliquando. Item ad hanc solutionem contradicit 25. quæst. 2. *Ita nos*, ubi delictum, quod consistit in faciendo, præjudicat Ecclesiæ. Solutio: Dici potest secundum Joannem, qui hoc ibi notat, quod hæc regula intelligitur de detrimento facultatum; illa de detrimento honorum, seu potius ibi nocet delinquentibus, quam Ecclesiæ.

Adhuc contra istam solutionem, *De censib.* cap. *Quum olim*: ubi delictum, quod est in faciendo, nocet Ecclesiæ, & *De in integr. restit.* cap. *Auditis*: ubi delictum in omittendo non nocet Ecclesiæ. Satis congrue distingui posset inter judicialia, & extrajudicialia. Ut in judicialibus judiciorum favore sive sit in faciendo, sive in omittendo præjudicet Ecclesiæ. Et in Decretali *Auditis*, delictum, quod fuit in omittendo, bene præjudicat Ecclesiæ, sed fuit restituta; & sic non est contra. In Decretali *Quum venerabilis*, dici potest extrajudiciale. Vel ibi solus procurator deliquit in faciendo, scilicet instrumentum falsando.

Item contra, Dist. 54. *Si servus*, ubi punitur episcopus, qui pro uno servo debet duos dare. Solutio: Illud debet facere de proprio, si habet, non de bonis Ecclesiæ; & sic non est contra hanc regulam.

Item contra, *De ordin. cognit.* cap. *Quum dilectus*, ubi dolus & violentia abbatis Ecclesiæ nocere videtur. Sed ibi solvitur per Bernardum in Glossa, quia scilicet ibi delictum fuerat commissum per abbatem & collegium communicato consilio. *Personæ* nomine possumus intelligere de prælato, vel indistincte de qualibet persona intelligatur, cujus delictum non nocebit Ecclesiæ, saltem cum effectu, quia daretur restitutio usque ad quadriennium tantum, nisi ex causſa plus temporis daretur, *De restit. in integr.* cap. 1. lib. 6. Joannes Andreas.

Potest & sic extendi regula: Delicta quæcumque clericorum, dummodo tolerentur, non nocent Ecclesiæ, ideſt fidelibus quoad veritatem & utilitatem sacramentorum, quæ conferunt, ut 1. quæst. 1. *Si justus*, & can. *Dominus declaravit*. Vel etiam non redundant in detrimentum Ecclesiæ, ideſt fidelium, ut per hujusmodi officia & orationes, quæ faciunt, ut ministri Ecclesiæ, non valeant secundum Thomam & per regulam illam, *Qui per alium*. Ecclesia enim, cujus nomine faciunt, est semper Deo grata, & obsequia ejus. Vel etiam propter malitiam eorum non debet perdere Ecclesia jura sua & privilegia, ut decimas, libertatem, immunitatem, & obedientiam ei debitam, & reverentiam, Dist. 29. cap. ult.

§. XXI. *Ea, quæ fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt*. Hæc regula sumta est ex leg. ff. eod. tit. l. *Factum*. Pone casum Dist. 68. *Quorum vices*, ubi presbyteri simplices crismando, Ecclesias vel virgines consecrando, ordinando, nil agunt. Item: *De pœnit. & remiss. Indulgentiæ* lib. 6. Ubi indulgentia data ab episcopo ultra tenorem concilii generalis non valet. Ad idem, ff. *De jurisd. omn. judic.* l. ult. ubi dicitur: *Extra territorium jus dicenti non pareatur impune*. Idem si supra jurisdictionem suam velit jus dicere. Et habet hæc regula locum etiam in his, quæ bona sunt, quæ facit judex; tamen ex quo ad ejus non spectat officium, *viribus non subsistunt*. Pone exemplum Dist. 96. *Bene quidem*. Bonum quidem est statuere, res Ecclesiæ alienari non posse, 12. quæst. 2. per totum; tamen statutum imperatoris super hoc non valuit, quia ad ejus non pertinebat officium, ut ibi. Generale enim est, quod non sufficit bonum facere, nisi & bene id fiat, 16. quæst. 1. *Monachi* 2.

Et quod dicit hæc regula: *Ea, quæ fiunt a judice*, alias subaudi. Nam in eo, quod facit non pertinens ad officium suum, non dicitur judex. Sicut ergo procurator fines mandati excedere non debet, ita nec judex fines jurisdictionis, salvo eo, quod de prorogatione notatur *De offic. deleg.* cap. *P.* & *G.* Nec habet locum hæc regula in spiritualibus, quæ potius dependent ex potestate ordinis, quam jurisdictionis. Hinc est, quod si episcopus, qui hoc potest ex ordine, consecret alienam Ecclesiam vel altare, vel ordinet alienum subditum, quod non potest ex jurisdictione; consecratio tamen & ordinatio bene tenent, licet ordinatus exsecutione careat, 7. quæst. 1. *Episcopus in diœcesim*. Et *De temp. ord.* cap. *Quod translationem*. Non est contra Dist. 95. can. 1. ubi presbyteri crismabant, & vere; quum tamen non pertineat ad ordinem sacerdotalem, sed episcopalem. Nam illud fuit specialiter eis concessum a Gregorio Papa. Et sic ad eorum spectabat officium, etsi non ex ordine, tamen ex demandatione.

Quæri solet, si judex, qui de decem tantum potest judicare, judicat de viginti, an valeat sententia in decem. Et Joannes dicit, quod non, quia res judicata non potest in parte tenere, & in parte non tenere. Et hoc ipse notat 2. quæst. 6. §. *Diffinitiva*, vers. *Quum certa ratione*. Et facit optime pro Joanne, can. *De pœnit. & rem.* cap. *Indulgentiæ* lib. 6. Et concordat cum eo Accur. ff. *De jurisd. om. jud.* l. ult. Hugo tamen & Laur. tenent contrarium, scilicet, quod sententia tenet in decem tantum, & dicunt sententiam rescindi in illo superfluo tantum. Et facit pro eis *De arb.* cap. 1. lib. 6. & regula infra, *Utile*, & quod ibi dicam. Joannes Andreas. Extendi potest ad multa. Qui dat aliquam indulgentiam de culpa, etiam Papa, non valet, quia solus Deus indulget culpam, *De consec.* Dist. 4. *Nemo*. Episcopus, qui facit compositionem cum publico usurario de certa quota, remittens sibi residuum obnoxium etiam restitutioni personis certis, nil facit, nec sibi valet illa remissio, quia non est episcopus judex alienæ substantiæ, 3. quæst. 1. *Redintegranda*, 1. & 2. Confessor, qui absolvit ab aliquo casu peccati, vel sententia, a quo non potest, non valet absolutio. Prælatus, qui præcipit subdito aliquid contra regulam suam, vel aliquid sibi revelandum salvo ordine fraternæ correctionis, non obligat illud præceptum, nec debet obedire, 2. quæst. 1. *Si peccaverit*, & hujusmodi. *Nota*.

§. XXII. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet*. Pone casum Dist. 11. can. ult. vers. *Sæpe dilectionem tuam*. Et *De appell.* cap. *Si duobus*, in Archiepiscopo, qui sciens illum excommunicavit, qui appellaverat ad Papam. Et nota, quod hic dicit, *qui certus est*, subaudi, *vel esse debet*. Nam non est necessarium singulorum auribus intimari, quod est publice promulgatum, Dist. 16. *Quod dicitis*, & *De postul. prælat.* cap. 1. Licet autem canonicus, qui certus est de morte episcopi, non oporteat eum amplius certiorari de ipsius morte; tamen citari debet ad electionem faciendam, ut notat Bernardus in Decret. *Quum inter*, *De elect.* Quod verum puto, quia qui certus est ut homo, certioratur ut judex 2. quæst. 1. *Multi*.

Et

Quomodo certus potest certiorari.

Et interdum qui certus est, adhuc certioratur ad cautelam, ut in dicto can. ult. Dist. 11. Præterea licet sciat Ecclesiam vacare, diem tamen assignatum ad electionem celebrandam ignorat; & ideo vocandus est, & dies notificandus. Et est hæc regula in argumentum ad quæstionem, qua quæritur: An ingressus religionem, & in fine anni exiens, si iterum eamdem religionem ingrediatur, an debeat iterum habere annum probationis, & satis videtur quod non per hanc regulam, nisi conditio personæ vel religionis mutata esset. Et hoc tenet Bartholomæus Brixiensis in quæstionibus suis. Joannes Andreas. Si autem pro medietate anni stetisset vel circa, tunc sunt opiniones & vide de hoc infra 3. parte tit. de statu religiosorum.

Et facit ista regula contra ignorantes mandata Dei, vel etiam generalia Ecclesiæ præcepta vel synodalia, quum publicantur, vel acta capitulorum generalium, qui non videntur excusari, si contrafaciunt, quia certi esse debent de hujusmodi religiosis. Ubi sciendum, quod non eadem certitudo requiritur in omnibus. Non enim certitudo demonstrationis scientiæ requiritur in his, quæ sunt fidei; sed sufficit ea, quæ traditur ab Ecclesia per miracula, per doctrinas doctorum, & tolerantias martyrum, nec debent velle ulterius certiorari.

§. XXIII. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus exstitit impugnare.* Pone casum in eo, qui dicit decretales epistolas non esse authenticas, quia nullam debet pro se allegare, Dist. 19. *Si Romanorum*. Ad idem Dist. 8. *Quo jure*. Item pone casum in eo, qui impugnabat testamentum, dicens illud inofficiosum, qui si improbe dixit & succubuit, quidquid ex testamento capiebat, perdit, ff. *De inoffic. testam.* l. *Papinianus*, §. *Meminisse*. Ad idem 13. quæst. 2. *Quam præposterum*. Et dicit lex: *Absurdum est, quemquam redire ad id, quod semel renuntiandum putavit*, C. *De rebus cred.* l. *Si quis*. Et quod hic dicit *nisus exstitit*, tu dic cum effectu, saltem quantum in eo fuit, quia perseveravit. Si autem simpliciter protestaretur, secus esset, ut intelligit Bernardus prædictam Decretalem *Præsentium*, *De testim.* Item si inciperet agere vel excipere, & postea desisteret ante sententiam. Et quod dicit hæc regula, verum intelligo, nisi ex necessitate officii habuit impugnare: nam tunc proprio nomine fructum consequi posset; hoc probatur 3. quæst. 7. §. *Tria*, & can. *Infames*, vers. *Si contra patrem pupilli*. Item licet quis impugnet sententiam in uno capite, ex alio capite consequitur fructum *De testam.* cap. *Raynutius*, & cap. *Raynaldus*, & concordat ad regulam 1. quæst. 7. can. 1. & Dist. 96. *Si imperator*. Et simile est, quod dicitur: *Frustra implorat legis auxilium is, qui committit in legem*, *De usu.* cap. *Quia frustra*. Item nota, quod sicut quis non debet fructum consequi ex eo, quod impugnat, ut hic; ita e contra non debet quis impugnare, ex quo fructum consequitur, Dist. 19. cap. 1. & 3. quæst. 8. can. 1. vers. *Cujus in agendo*. Joannes Andreas. Extende. Quia ex quo peccator impugnat Dei providentiam murmurando, non meretur ab eo gubernari, vel aliquid boni, quum pugnet contra Domini voluntatem. Item quum male se habet ad parentes, meretur privari bonis eorum &c.

Impugnans aliquid ex necessitate officii potest ex illo commodum cõsequi.

§. XXIV. *Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri.* Habes hæc verba *De except.* cap. *Quum venerabilis*. Et prosequere hanc materiam, ut ibi notatur. Et pone casum, *De præscr.* cap. *Illud*. Et adverte, quia mirabilis videtur hæc regula. Nam si excipio de pacto de non petendo, videor confiteri debitum fuisse. Si dico: interrupi præscriptionem, videor fateri te præscripsisse. Si dico: contra te præscripsi; ergo primo id tibi debitum erat, quod præscripsi. Et sic actor nil amodo debet cogi probare, sed excipiens tantum. Et facit ad hoc *De transact.* cap. *Præterea*. 2. Dic ergo, quod hujus regulæ est triplex ratio. Prima, quia licet dicam: feci pactum de non petendo; poterat esse, quod illud non erat vere debitum, vel naturaliter tantum, vel nullo modo. Item licet dicam: interrupi præscriptionem, forte non erat completa præscriptio; immo, hoc dicere videor, quod completa non fuerit, dicendo me interrupisse. Vel si completa fuerat, sine titulo erat & bona fide. Idem in aliis exceptionibus. Secunda, quia per exceptionem nego me debere. Nam si per ipsam de intentione adversarii diceretur confiteri, eadem exceptio duos contrarios effectus haberet; quod esse non debet, ff. *De solut.* l. *Qui hominem*, §. ult. Et *De baptis. & ejus effect.* cap. *Majores*. Quum igitur per exceptionem negem intentionem adversarii, non est congruum me per ipsam dici fateri. Tertia est, quia reus privilegiatus est, ut possit duas exceptiones proponere etiam sibi contrarias, ut infra in regula, *Nullus pluribus*. Sicut ergo expresse dicere posset: nego te præscripsisse, & postea si præscripsisti, ego interrupi, vel nego me promisisse, & postea pactum opponere de non petendo; sic dicendo: tuam præscriptionem interrupi, vel pactum de non petendo feci, vel his simile; intentionem adversarii non fatetur, quum adhuc dicere possit: non promisi, non præscripsi; & sic de singulis. Tutius tamen esset ipsi reo sic dicere: nego me promisisse. Et posito, quod promiserim, postea pactum de non petendo feci; & sic de singulis. Ad hæc 13. quæst. 3. in princip. Sed quia hæc forma verborum docet mentiri, ubi veritas & conscientia est in contrarium; non est amplectenda, quum prius animas, demum linguas oportet fieri eruditas, ut in procœmio, ff. in fin. Unum nota, quia idem, quod dicit hæc regula in exceptione, intelligas & in replicatione. Unde sicut excipiens non confitetur actionem; ita nec replicans exceptionem eadem de causa. Sicut enim se habet exceptio ad actionem; ita & replicatio ad exceptionem, & quadruplicatio ad replicationem. Et hoc satis probatur *De except.* cap. *Dilecti*. Joannes Andreas.

§. XXV. *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.* Hæc regula sumta est ex l. ff. eod. tit. *In ambiguis*. Exemplifica in eo, qui contraxit matrimonium, & postea factus est furiosus 32. quæst. 7. *Neque furiosus*. Item in superveniente affinitate, *De eo, qui cogn. consan. uxor. suæ*, cap. penult. Idem in adoptione superveniente, ff. *De ritu nupt.* l. *Adoptivus*. Et nota, quod aliam regulam habes infra per contrarium, scilicet *non firmatur*; quia licet casus superveniat, a quo potuit inchoari, non firmatur, quod ab initio non valebat, ut infra. Quod tamen intelligas, ut ibi dicitur, ita quod a principio factum erat legitime, non retractatur, licet superveniat casus, *a quo non potuit inchoari*, ut hic. Et nota, quod dicit *retractari*, quasi diceret: Propter causam supervenientem non retractatur, ac si legitime non fuisset factum. Interdum tamen propter superveniens causam impeditur ejus effectus, quod legitime factum erat. Exemplifica per canonem Dist. 33. *Communiter*, & *De cler. ægrotan.* cap. *Presbyterum* &c. Joannes Andreas. Extendo. Religiosus post professionem si efficitur pessimus vel fatuus, non tamen propter hoc solvitur vel retractatur professio. Prælatus post prælaturam efficitur malus, excommunicatus, & hujusmodi; non tamen propter

pter hoc retractatur electio vel confirmatio ejus. Absolvitur quis a peccatis, dicens se velle facere pœnitentiam injunctam & se contritum, & satisfacere læsis, & restituere: postea mutat propositum nil volens facere; non per hoc retractatur absolutio facta; sed tunc peccat mortaliter, quum proponit illa non facere, *De pœnit.* Dist. 1. *Magna*, in Glossa & hujusmodi.

§. XXV. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.* Pone casum in fideli quoad dominum, & in domino quoad fidelem seu vasallum, 22. quæst. 5. *De forma*. Item de eo, qui interposita conditione juravit aliquid facere, *De jurejur.* cap. *Pervenit* 2. ubi de hoc. Item de eo, qui non vult transactionem interpositam observare, C. *De pac.* l. *Quum proponas*. Concordat, quod habetur Dist. 95. *Esto*, ibi: *Cur ego te habebo ut principem, quum non habeas me ut senatorem?* Sed nonne hosti servanda est fides? 23. quæst. 1. *Noli*. Solve ut ibi notatur. Illud enim verum est, quum ipse hostis nobis servat fidem; & sic concordat cum hac regula. Item contra 33. quæst. 5. *Quod Deo*, ubi dicitur, quod si vir & uxor pari consensu vovent continentiam, uno labente alter debet perseverare. Solutio: Illa promissio non fuerat facta homini; sed Deo. Et quæ Deo voventur sine ulla conditione, impleri debent, 32. quæst. 8. can. 1. Et licet uxor adulterata sit, peccat tamen vir adulterando, 32. quæst. 6. per totum. Frustra igitur debitum petit, qui quod debet, non impendit. Unum nota, quod quando partes aliquid sibi adinvicem promittunt sub pœna, & una pars primo frangit fidem; aut expedit magis alteri parti pœnam prosequi, & stare pacto vel contractui, aut magis expedit sibi fidem rumpere. In primo casu licet fides sit sibi fracta, ipse tamen pro sua parte servet eamdem, & sic poterit petere pœnam cum effectu. In secundo casu secure frangat fidem, & fiet hinc inde mutua compensatio pœnarum, ut *De pœnis*, cap. *Constitutis*. Et sic illam Decretalem intelligas, & quæ ibi notantur. Joannes Andreas. Extende. Deus promittit præmium & bona temporalia, si bene faciamus, quod promittimus in baptismo, & pœnitentiam agamus. Et quia nos frangimus fidem, & Deus revocat promissa, *De pœnit.* Dist. 1. *Si agamus*, & can. *Prædixerat*; in societate aliqua promittunt adinvicem omnia lucra communicare. Quum unus certus est socium non servare, hoc nec ipse tenetur servare. Promittunt adinvicem conjuges tacite reddere debitum alter alteri petenti, & alii non adhærere. Si ergo alter adulteretur, innocens certe hoc sciens non tenetur illi adulteranti reddere debitum, ex quo fregit sibi fidem; non tamen potest & ipse adulterare &c.

§. XXVII. *Generi per speciem derogatur.* Hæc regula sumta est ex l. ff. eod. tit. l. *In toto jure*. Pone casum Dist. 93. can. ult. Ubi diaconus, qui generaliter est minor presbytero, in illo speciali casu, scilicet in quo obtinet vices episcopi, major est. Item *De off. leg.* cap. *Studuisti*, ubi de caussa cognoscit delegatus specialis, non generalis legatus. Hæc regula habet locum in rescriptis, sive primum sit generale, & secundum speciale, ut *De rescript.* cap. *Pastoralis*: sive primum sit speciale, & secundum generale, ut eodem tit. cap. *Abbatem*: sive eodem tempore sit datum generale & speciale. Ad hoc, *De rescrip.* cap. 1. lib. 6. Rescriptum autem speciale non tollit privilegium generale, ut eod. tit. cap. *Quum ordinem*. Quod est contra, nisi de ipso privilegio fiat mentio in rescripto, ut ibi. Volunt quidam hujus regulæ dictum extendere ad privilegia, ut secundum speciale deroget generali primo. Sed hoc est falsum, quia semper valet primum, sive sit generale, sive speciale, si in secundo non tollatur expresse, *De præscript.* cap. *Veniens*, & in regula supra *Decet*. Ratio diversitatis est, quia per primum privilegium etiam generale statim consequitur quis plenum jus. Sed per primum rescriptum generale non statim consequitur quis plenam jurisdictionem in speciebus, *De rescrip.* cap. *Pastoralis*; & ideo statim tollitur facilius. Contra *De offic. deleg.* cap. *Ex parte*, ubi secundum speciale non derogat primo generali. Sed ibi, si bene intueamur, utrumque fuerat speciale, & dic ut ibi. Notavit igitur Goffridus, *De offic. leg.* cap. 2. quod hæc regula fallit in tribus casibus. In privilegio, ut *De rescrip.* cap. *Quum ordinem*. Et quum genus ad unicam rem refertur, ut in Decretali, *Ex parte*. Et quum speciales litteræ non exhibentur re integra: *De fid. presbyterorum* cap. *Ex tua*. Item nota circa hanc regulam, quod non tantum valet genus ad speciem, quantum species quoad genus, *De app.* cap. 2. lib. 6. Et de hoc 23. Dist. *Quamquam*. Item nota quod licet per speciem generi derogetur, ut hic in regula; tamen species sub genere bene continetur, 13. quæst. 2. *Non æstimemus*. Semper enim in generalibus specialia insunt &c. Joannes Andreas. Extende ad statuta civitatis, quia per hanc legem, quæ est specialis alicujus civitatis, derogatur legi generali imperiali in eo, quod est contra. Et legi generali, qua omnes Ecclesiæ, & monasteria in aliqua diœcesi subsunt diœcesano, derogatur per specialia privilegia mendicantium, scilicet prædicatorum, minorum, eremitarum, carmelitarum, servitarum & aliis exemtorum monachorum.

Privilegium speciale num tollat generale.

§. XXVIII. *Indignum est, & a Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere homagium compellatur quis.* Hæc regula habetur *De reg. jur.* in Decretalibus. Et secundum Glossam ibi *homagium* dicitur juramentum fidelitatis, quod non licet facere pro aliquo spirituali, quum hoc sit simoniacum, *De simon.* cap. *Ex diligenti*. Alioquin clericus non tenetur prælato facere obedientiam. Et in casibus juramentum facere debet de obedientia, vel de fidelitate; & hoc post receptam administrationem, *De jurejurand.* cap. *Nullus*, & Dist. 23. *Quamquam*. Alias in spiritualibus nullum juramentum, nulla pactio, nulla obligatio debet intervenire: & si intervenerit, nullam obligationem de jure vel de facto induceret, ut *De pac.* cap. *Pactiones*. *A Romanæ* &c. ergo & a consuetudine aliarum Ecclesiarum debet esse alienum, quia quod Romana Ecclesia approbat, vel reprobat, & aliæ Ecclesiæ hoc facere debent, quum ab ipsa suam habeant institutionem & auctoritatem, Dist. 11. *Consequens*, & can. *Nolite*. Bernardus.

Homagium quid sit.

§. XXIX *In judiciis non est acceptio personarum habenda.* Pone casum 3. quæst. 9. *Necesse*, & *De judic.* cap. *Novit*. Aliorum enim honores aliis non debent esse occasio nocendi, C. *De statut. & im.* l. ult. Ad hoc 11. quæst. 3. *Siquis*. Signantur contraria ad hanc regulam Dist. 40. can. 1. & Dist. 45. *Quum beatus*, & Dist. 97. *Nobilissimus*, *De offic. deleg.* cap. *Sane* 2. Solutio: In pœnis defertur dignitati & personæ, ut ibi. Et de hoc, *De transact.* cap. ult. Idem in sedendo & assurgendo, Dist. 93. *Non oportet*. Et notatur 3. quæst. 9. can. ult. In judiciis autem vel sententia non habenda acceptio personarum, ut hic: in eis enim est æqualitas servanda, ut hic in regula. Item in pœnitentiæ exhibitione, 26. quæst. 7. *Sacerdos*. Item in fide Christi suscipienda, *De consecrat.* Dist. 4. *Nec quemquam*. Et in aliis sacramentis, *De conjug. serv.* cap. 1. Et in pauperum

Ex 6. lib. Decret.

perum receptione, quum ſufficere poſſumus, Diſt. 42. *Quieſcamus*. Et in aliis operibus pietatis, 16. quæſt. 1. *Si cupis*. Hoc ergo, quod dicit *in judiciis*, ſolvit contraria. Et nota quod judicium interdum ponitur pro eo, quod præcedit ſententiam, ut hic in regula. Interdum pro condemnatione, *De conſec.* Diſt. 2. *Timorem*. Interdum pro diſcretione, 3. quæſt. 7. §. *Tria*. Interdum pro ultima voluntate, *De ſepul.* cap. penul. lib. 6. Et nota quod licet judex uti non debeat acceptione perſonarum in judiciis, ut hic; tamen utile eſt in arbitrariis judicem gratioſum habere, *De offic. deleg.* cap. *Conſuluit*. Caveat tamen, ne in faciendo gratiam incurrat pœnam conſtitutionis, *De ſent. & re jud.* cap. *Quum æterni* lib. 6. Extende, quod Deus non eſt acceptor perſonarum ex eo, quod uni dat gratiam, non alteri; quia perſonarum acceptio habet locum in his, quæ quis habet dare, ſeu diſtribuere ex debito: Deus nulli eſt debitor; ergo &c.

Judicii acceptiones.

lib. 6. Decret.

§. XXX. *Ignorantia facti, non juris, excuſat*. Pone caſum in ignorantia facti de ordinato ignoranter a ſimoniaco, quod ſcilicet neſciebat eſſe ſimoniacum, ideſt commiſiſſe tale factum, 1. quæſt. 1. *Si qui a ſimoniacis*. Item in eo, qui ignorabat beneficium reſervatum per Papam, vel alii collatum, *De præbend.* cap. *Si beneficia* lib. 6. De ignorantia juris pone caſum 1. quæſt. 4. §. *Notandum*, in fin. Hæc regula non indiget Gloſſis, quum ejus materia pleniſſime habeatur in dicto §. *Notandum*, in textu & Gloſſa, & Diſt. 38. in ſum. Unum nota, quod quum quæritur de condemnatione expenſarum litis, dicimus, quod in principali cauſſa probabilis error excuſat a condemnatione expenſarum, 2. quæſt. 3. can. *Paullum*. Sed in cauſſa appellationis indiſtincte victus condemnatur victori in expenſis, 2. quæſt. 6. *Omnino*. Ratio hujus diverſitatis colligitur per hanc regulam. In principali enim cauſſa eſt error facti, quia in ea ex probationibus, quæ in facto conſiſtunt, proceditur; ſed in appellationis cauſſa proceditur ex actis prioris cauſſæ, unde ibi eſt error juris, & ideo non excuſat a condemnatione, ut hic in regula. Tamen ſecundum Innocentium & Hoſtienſem, ſi in cauſſa appellationis non proceditur per ſola antiqua acta, ſed inducuntur probationes novæ, per quas pronuntietur; tunc probabilis error bene excuſat victum a condemnatione; quod verum puto.

Notabile de ignorantia.

Extende materiam, quia utilis eſt. Duplex ignorantia, ſcilicet facti & juris. Ignorantia facti excuſat a toto, ſi quis dabat operam rei licitæ, & adhibuit debitam diligentiam. Nec eſt contra 34. quæſt. 2. *In lectum*, ubi imponitur pœnitentia ignoranti probabiliter factum in re licita; ſed illud fit ad cautelam. Si autem daret operam rei illicitæ, ut ludendo ludo noxio, inadvertenter occidit, vel non adhibet diligentiam; non excuſatur a toto, ſed a tanto. Ignorantia juris divini & naturalis in his, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, neminem excuſat habentem uſum rationis a toto, ſed a tanto, Diſt. 38. §. 1. ſi eſt craſſa, ideſt ex negligentia procedens; ſed ſi eſt affectata, ut ſcilicet liberius peccet, non vult ſcire, non excuſat, ſed auget peccatum, immo eſt ſpeciale peccatum. Ignorantia autem juris canonici vel civilis, quantum ad communia præcepta Eccleſiæ, non excuſat a toto eos, qui potuerunt habere copiam docentium. Nec prælatos religioſos & clericos quantum ad ea, quæ pertinent ad ſtatum ſuum, Diſt. 38. *Si in laicis*. Sed illos, qui non habuerunt copiam addiſcendi, ut in dicta Diſt. §. 1. Quantum autem ad lucrum captandum, vel damnum temporale vitandum, quomodo excuſet, vide 1. quæſt. 4. §. *Notandum*. Et de ignorantia habes infra

S. Antonini Summæ Theol. Pars I.

in 2. parte tit. 5. cap. 9.

Ibidem.

§. XXXI. *Ignorantia præſumitur, ubi ſcientia non probatur*. Pone caſum Diſt. 82. *Propoſuiſti* in fin. ſecundum quod ibi jacet littera. Sed contra Diſt. 16. *Quod dicitis*. Et 9. quæſt. 1. *Ordinationes*, cum ſimilibus, in quibus juribus dicitur, quod non præſumitur ignorantia, ſed ſcientia. Solutio. Dic, ut notatur in prædicto capitulo *Propoſuiſti*, quod circa ea, quæ publice fiunt, præſumitur ſcientia, niſi probetur ignorantia; ſed circa ea, quæ fiunt occulte, præſumitur ignorantia, niſi ſcientia probetur, ut hic. Et ſcias, quod hæc regula vera eſt in his, quæ quis ſcire vel indagare non tenetur; in his autem, quæ ſcire vel indagare tenetur, non habet locum, ſicut in eligendo prælato, Diſt. 61. can. 2. & 8. quæſt. 2. *Dilectiſſimi*; & ideo præſumitur ſcientia, niſi probetur ignorantia. Ad hoc eſt, quod lex dicit, quod magiſtratus tenetur de idoneitate tutoris, vel curatoris inquirere, quem nominavit. Quod autem regula dicit *præſumitur*, eſt hujus virtutis hæc præſumtio, ut transferat onus probandi in adverſarium; & idem eſt in aliis caſibus, qui notantur 6. quæſt. ult. *Actor*.

Ignorantia quomodo probetur in foro externo.

Item nota, quod ignorantia tribus modis probatur. Primo per ſacramentum, ut quum juro me ignoraſſe; & tunc demum admittitur probatio hæc, quum eſt probabilis. Secundo quando id probatur, ex quo ſequitur neceſſario me ignoraſſe, puta me tunc fuiſſe anniculum, vel furioſum. Tertio quando probatur id, non ex quo neceſſario, ſed veriſimiliter ſequitur me ignoraſſe, puta me tunc abſentem fuiſſe; & hoc dicere voluit Joann. 1. quæſt. 1. *Si qui a ſimoniacis*. Et licet in facto proprio probabilis ſit aliquando ignorantia, probabilior tamen in alieno; quod dic, ut notatur 1. quæſt. 4. §. *Notandum*, & in regula: *Ignorantia facti*. Et quia ignorantia juris naturalis non excuſat; ideo de tali non loquitur hæc regula. Joannes Andreas.

§. XXXII. *Indultum a jure beneficium nemini eſt auferendum*. Pone caſum in licentia nubendi data ab Apoſtolo, Diſt. 28. *De iis*. Item in anno dato ad promotionem ſacerdotii, *De elect.* cap. *Commiſſa* lib. 6. Item in quadrimeſtri tempore dato condemnato in perſonali actione ad ſolvendum, ff. *De re judic.* l. 4. §. *Si quis condemnatus*. Iſta auferri non poſſunt, nec abbreviari. Contra, *De re judic.* cap. *Quod ad conſultationem*, & *De appellat.* cap. *Quum ſit*. Solutio. Quoddam eſt juris beneficium, quod non poteſt alicui auferri, ut induciæ decem dierum ad appellandum, 2. quæſt. 6. *Anteriorum*. Induciæ quattuor annorum ad petendum reſtitutionem, *De in integ. reſtit* cap. 1. lib. 6. Et iſtud verum eſt in iſtis & in aliis induciis, quæ dantur a lege ſine tacito vel expreſſo miniſterio judicantis. Quoddam beneficium eſt, quod ſine cauſſa auferri non poteſt. Et ſic intelligitur hæc regula, ſed cum cauſſa, & cauſſa cognita, bene poteſt auferri. Et notatur de hoc plene in dicta Decretali, *Quum ſit*. Et illud verum in induciis, quæ licet dentur a jure, intervenit tamen in eis expreſſum vel tacitum miniſterium judicantis, ut in deliberatoriis decem dierum, & ſimilibus. Quod ergo hic dicit, quod beneficium juris *nemini eſt auferendum*; intelliges ab homine, & ſine cauſſæ cognitione. Alio enim jure interdum tollitur alterius juris beneficium. Pone exemplum in ſolemniter vovente, qui non contrahit: *De voto, & vot. redem.* cap. 1. lib. 6. Item in contumace in non veniendo. Item in notorio criminoſo, & in tertio appellante, qui non audiuntur appellantes, 24. quæſt. 3. *De illicita*, *De appell.* cap. *Propoſuit*, & cap. *Sua nobis*. Sed ubi jus aufert, vel permittit hominem

Beneficium juris duplex.

auferre, ceſſat regula. Sicut eſt videre in patre, qui habet a jure uſumfructum in bonis adventitiis filii, C. *De bon. quæ lit.* l. *Quum oportet*. Et tamen aufertur propter relinquentem ea conditione, ne ad patrem perveniat uſusfructus, in Auth. *Ut lic. matri & aviæ*, in principio. Item a lege datur marito adminiſtratio bonorum paraphernalium; & tamen poteſt auferri per mulieris prohibitionem. Sed iſta, quæ fiunt permittente lege, per hominem fieri non videntur, ſed potius per legem permittentem. Joannes Andreas. Extende regulam. Tempus datum ad eligendum, vel petendum confirmationem, non poteſt tolli nec abbreviari invitis. Similiter tempus unius anni ad probationem in religioſis, nec jus quod quis habet in eligendo, nec quod non poſſit libere eligere ſepulturam, ſi non eſt religioſus; nec magiſtro, nec prælato poteſt auferri, quod non caſtiget moderate ſcholares, vel ſubditos.

Extenditur regula.

Ubi ſupra. §. XXXIII. *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* Hæc regula ſumta eſt ex lege, ff. eod. tit. *Semper in obſcuris*. Pone caſum, *De cenſib.* cap. *Ex parte*, ubi [5] in dubio non compelluntur ſolvere vota ad maximam, ſed minimam menſuram, Ad idem, ff. *De legat.* 3. l. *Nummis*; ubi nummis ſic in genere legatis debentur minimi. Circa hanc regulam nota, quod in obſcuris non ſtatim inſpicimus, quod eſt minimum, immo inſpicimus primo, quod eſt veriſimilius, & quod fieri conſuevit, ut in regula ſequenti cum ſuis concordantiis: ſi hoc ſciri non poteſt, tunc inſpicimus, quod eſt minimum. Primo ergo inſpicimus, quod expreſſe agitur, puta 10. libras Bononienſes, vel quod agitur tacite. Tacite dico vel ratione rei, quæ venditur decem libris, vel ratione perſonæ, vel ratione conſuetudinis, ultimo, quod eſt minimum, hic. Ratio hujus regulæ eſt, quia de minimo non eſt dubium ſenſiſſe: quia ſi intellexit de maximo; ergo & de minimo, quia plus continet in ſe, quod eſt minus; ſed non e contra. Et de hoc dicetur in regula, *Plus ſemper.* Alibi tamen habes argumenta de mediocritate ſpectanda, 10. quæſt. 2. *Ea enim*. Et poteſt dici, quod in ſpeciebus & artificiis medium inſpicimus, ut notatur, ff. *Manda*, l. *Fidejuſſorem*. In quantitatibus autem inſpicimus, quod eſt minimum, ut in prædicta l. *Fidejuſſorem*. Item locum habet hæc regula in pœnis, ut infra eodem tit. *In pœnis*. Joannes Andreas. Extende. Quum dubitet quis quantam pœnitentiam debet peccatori dare, melius eſt errare in modicitate, quam in exceſſu; quia *melius eſt*, ſecundum Chryſoſtomum, habere Deo *reddere rationem de nimia miſericordia, quam de nimia ſeveritate*, 26. quæſt. 7. *Alligant*. Quum quis etiam eſt perplexus ſecundum conſcientiam ſuam, inter duo mala minimum eſt eligendum, Diſt. 13. *Duo mala* &c. *Nervi*. Quum quis dubitat de diverſis operibus, quid magis debet facere, vel quid de ſe ſentire, ſequatur minimum, ideſt humilius.

Ratio reg.

Ubi ſupra. §. XXXIV. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius*, vel *quod plerumque conſuevit fieri*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. *In obſcuris*: pone caſum. Aliquis contraxit cum vidua, & longo tempore habitavit cum ipſa, illa dicit ſe incognitam. In hoc obſcuro præſumitur cognita, quod veriſimilius eſt, 33. quæſt. 1. *Siquis acceperit*. Item cancellata vel obſcurata littera nominis, præſumimus ibi illam litteram fuiſſe, de qua eſt veriſimilius, *De fide inſtrument.* cap. *Inter dilectos*. Item in dubio veriſimile eſt filium injuſte exhæredatum, C. *De inoffic. teſtam.* in Authentica *Non liceat*. Et hic repete, quod dictum eſt in præcedenti regula. Joannes Andreas. Extende. Tempore peſtis, quum dubium eſt alicui, ſi debet recedere a loco infecto, veriſimilius eſt, ut vitet mortem vel infirmitatem ſubtrahendo ſe a loco infecto; & ſic fieri conſuevit. Et hoc niſi ex aliqua cauſſa oporteret aliquem permanere, ut ſunt curati ſacerdotes, 23. quæſt. 4. *Vaſis*, §. *De Tiriis*, & ſequent. Dubitat quis, ſi in jejuniis extra quadrageſimam debeat uti laticiniis; faciat quod fieri conſuevit a timoratis in hujuſmodi locis, Diſt. 11. *Catholica*, & Diſt. 12. *Illud*. Poterat dubitare Abraham de pudicitia auferenda uxori, ſi diceret ſororem ſuam, & de occiſione ſui, ſi diceret eſſe uxorem. Fecit id, ex quo veriſimilius poterat ſe juvare, 22. quæſt. 2. *Quæritur*.

Ubi ſupra.

§. XXXV. *In pœnis* [6] *benignior eſt interpretatio facienda*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Factum*: pone caſum in judice, qui ita pronuntiavit: *Temere accuſaſti*, calumniatorem non pronuntiat, 2. quæſt. 3. §. *Notandum*. Item privatus a collegio doctorum, non perpetuo, ſed temporaliter intelligitur privatus, *De conſtit.* cap. *Ex litteris*. Item tutor remotus non expreſſo, an propter dolum an propter culpam, remotus intelligitur propter culpam, ff. *De ſuſp. tutor.* l. *Hæc enim*. Concordat cum regula *De pœnit.* Diſt. 1. §. *Pœnæ*, ubi dicitur, quod *pœnæ legum interpretatione magis ſunt molliendæ, quam exaſperandæ*. Et ex hac regula eſt argumentum, quod in dubio præſumitur caſſatio electionis facta, non vitio perſonæ, ſed electionis modo. Et nota, quod hæc benigna interpretatio fit in multis. Primo, quia ex multiplici pœna expreſſa eligimus mitiorem, Diſt. 50. *Eos*. Secundo, quia ſi verbum poteſt importare pœnam perpetuam & temporalem, eligimus temporalem, 33. quæſt. 4. *Non oportet*, ſalvo eo, quod habes Diſt. 50. can. 1. *De conſtit.* cap. *Ex litteris*, per Bernardum & modernos, & Accur. Tertio, quia de pœnis non arguimus ad ſimilia, quia pœnæ non excedunt proprium caſum, ut dicitur, *De pœnit.* Diſt. 1. §. *Pœnæ*. Quarto, quia ubi eſt tale verbum: *Puniantur, priventur*, & hujuſmodi, per ſententiam intelligimus, non ipſo jure, *De elect.* cap. *Quia propter*, niſi eſſent ibi verba, quæ aliud ſaperent, ut *ipſo jure*, vel *eo ipſo*, *De elect.* cap. *Quam ſit* lib. 6. Bartholomæus tamen contra, ſed primum credo ſecundum Guillelmum. Quinto, quia in dubio mitiorem cauſſam eligimus, ff. *De ſuſpec. tutor.* l. *Hæ enim*. An autem judex poſſit pœnas moderari, notatur 2. quæſt. 3. §. *Notandum*: in Gloſſa: *Benignior*, dicit canon: *Illa digniora ſunt imitatione, quæ ſunt excellentiora pietate*, Diſt. 9. *Sane*. *Interpretatio*, de multiplici interpretatione notatur 11. quæſt. 1. §. *Ex his omnibus*. Joannes Andreas. Extende. Quum videmus aliquos flagellatos, præcipue bonos, quum diverſis

Interpretatio benigna fit multis modis.

de

[5] Hæc regula valet in iis, quorum minimum tutius eſt agenti. Sic tutius eſt Eccleſiæ minimum exigere in votis in ſui gratiam factis, ne ſi maximum exigat, forte ad indebitum cogat voventem, & injuſtum exigat, vel avaritiæ ſpeciem præferat, quod præſertim ab Eccleſiaſticis vita i maxime debet. Hæc quum agitur de exigente; ſecus autem ſi de dubio ventis ageretur, cui quum tutius ſit non minimum, ſed maximum reddere, ne ſi minimum reddat, quum maximum fortaſſe vovit, contra votum committat; ad maximum reddendum in conſcientia obligatur: nam, ut Auctor notat part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 10. pag. 1134. *exiſtens in dubio, an tranſgrediatur votum, & per conſequens peccet mortaliter; tenetur ſe ponere in tuto, ut ſcilicet votum non tranſgrediatur*.

[6] Hæc in externo foro, ſeu in judicio de aliis ferendo valet, ubi tutius eſt benigniorem mitioremque pœnam inferre, quam in pœna infligenda excedere. In judicio autem circa ſe ipſum, ſi quis ex. gr. de excommunicatione, vel irregularitate dubitet, debet abſtinere a celebrando, quia hoc ſibi tutius eſt, ut plures canones tradunt.

de cauſſis flagella contingant, ut *De pœnit.* Diſt. 3. *Productior*, debemus interpretari in benigniorem cauſſam, puta majorem cumulum præmii. Item nos Deus flagellat, quod facit ad purgationem peccatorum, *De pœnit.* Diſt. 1. *Si peccatum*, non ad initium damnationis, ut Antiochum & Herodem. Item ut cum ſeveritate miſceat miſericordiam, aliquid diminuendo, ſi poteſt; ſicut Deus punit citra condignum, Diſt. 45. *Diſciplina*, & can. *Omnis, qui juſte*, cum Gloſſa.

Ubi ſupra. §. XXXVI. *Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Pone caſum in eo, qui debet appellationem proſequi infra annum, cui non imputatur, ſi per eum non ſtetit, 2. quæſt. 6. *Anteriorum.* Item in eo, qui debet promoveri infra annum ad ſacerdotium, cui non currit annus, ſi juſto impedimento detentus non potuit promoveri, *De elect.* cap. *Commiſſa* lib. 6. Item in eo, qui rem emit ſub pacto legis commiſſoriæ, ſcilicet quod ſi pretium infra terminum ſtatutum non ſolveret, res eſſet inemta, & emtor in termino ſolvere volens non habuit, cui ſolveret, ſibi non imputatur, ff. *De leg. commiſſ.* l. *De lege commiſſoria* in fine. Ad idem Diſt. 43. *Epheſiis.*

Et nota, quod dicit *per quem non ſtat.* Non enim ſufficit velle, niſi ad opus procedat, quantum in eo eſt. Impoſſibilitas ergo facti, ſicut a principio annullat obligationem, ut in regula, *Nemo*; ita & ex poſt facto elidit, ut hic. Si tamen tenetur quis facere aliquid infra certum tempus, nec per eum ſtetit, licet non imputetur; tamen poſt tempus tenetur, *De don. & cont.* cap. *Quum dilecti.* Conſulo tamen, quod ſi poteſt, infra tempus de impotentia proteſtetur, 2. quæſt. 6. *Poſt appellationem.* Sed quid dices de eo, qui ſua culpa incidit in caſum, per quem poſtea facere non potuit, quod per eum fuerat faciendum? Videtur primo, quod ſibi ſit imputandum, quia regulariter quis de caſu tenetur, qui ſequitur culpam, Diſt. 50. *Sæpe*, & can. *Studeat*, & *De ætat. & qualit.* cap. 1. In contrarium videtur *De elect.* cap ultim. & *De conceſ. præbend.* cap. *Quia diverſitatem.* Satis videtur dici poſſe, quod imputandum ſit illi propter jura primo inducta. Hinc dicit lex non debere ſuccurri ei, qui in neceſſitate ſe poſuit, ff. *Qui ſatisdat*, l. *Si fidejuſſor.* Ad jura in contrarium inducta reſpondeo & dico, quod Decretalis illa, *De elect.* cap. ult. & Decretalis, *Quia diverſitatem*, loquuntur de quadam pœna canonis prolata ſolum contra negligentes; unde ibi culpa ſive negligentia non punitur. Hoc ſatis probat Decretalis, *Quia.* Vel dic, quod ſi ex culpa imponitur aliqua pœna, ut ſuſpenſio vel deportatio, tunc culpa illa ulterius puniri non debet. Ad hoc 13. quæſt. 2. can. ult. Joannes Andreas. Extende, quia ſi paterfamilias facit, quod in ſe eſt, ad corrigendum familiam, & dirigendum, & tamen mala eſt, ſibi non imputatur quoad Deum vel Eccleſiam; & ſimiliter prælatus ſi facit, quod in ſe eſt, ad directionem & profectum ſubditorum, & tamen mali ſunt, ſibi non imputatur, ut Diſt. 47. §. *Quid tunc fiet*, & can. *Quantumlibet*, & can. *Quod ad nos.* Similiter ſi quis quærit baptiſmum, pœnitentiam & hujuſmodi, & per eum non ſtat, quod accipiat, ſed quia non invenit adminiſtrantem; hujuſmodi ſibi non imputatur quoad interitum ſalutis, ſi alias eſt contritus, *De baptiſ.* cap. *Debitum*, & *De pœnit.* Diſt. 1. *Quem pœnitet.* Similiter judex, advocatus, medicus, ſi faciunt, quod in ſe eſt, in uſu officiorum ſuorum nil omittendo de contingentibus, ſi damna ſequuntur, non eis imputatur.

Impoſſibilitas facti vitiat obligationem a principio.

§. XXXVII. *Is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.* Hæc regula ſumta eſt ex l. eod. tit. *Qui in jus.* Pone caſum in pacto, quia eodem jure utetur ſucceſſor, quo & prædeceſſor, 18. quæſt. 2. *Eleutherius.* Item convenitur ſucceſſor per reſcriptum impetratum contra prædeceſſorem, *De for. compet.* cap. *Dilecti.* Item in hærede, qui non uſucapit, quod non uſucapiebat defunctus. Fallit hæc regula in multis caſibus. Primo ubicumque morte defuncti confirmatur donatio, ibi enim hæres non pœnitet, C. *Famil. erciſc.* l. *Filiæ.* Item fallit in conventionibus, ubi ex perſona ſucceſſoris mutatur forus. Hinc eſt, quod clericus etiam in civilibus & patrimonialibus convenitur coram ſuo judice, 11. quæſt. 1. *Nullus*, *De for. compet.* cap. *Quum ſit.* Item fallit, *De jurepatr.* cap. 1. lib. 6. in caſu, ubi Eccleſia ſuccedit laico patrono. Nam Eccleſia habet ſex menſes, quum tamen laicus habeat ſolum quattuor. Item legatarii acceptare non poſſunt legatum pro parte, & pro parte reſpuere. Si tamen decedat pluribus hæredibus dimiſſis, unus hæres poterit pro parte ſua acceptare, alter pro parte ſua reſpuere, ff. *De leg.* 1. l. *Legatarius.* Item fallit in caſu, qui habetur, l. *Procul.* ff. *De probat.* Item in caſu, *Ad l. falcid.* l. *Reperitur.* Ratio regulæ eſt, quare eodem jure debet uti, quia plus juris habere non poteſt, ut in regula, *Nemo poteſt.* Minus non, quia hæres cenſetur eadem perſona cum defuncto, & ſucceſſor cum prædeceſſore. Et nota, quod dicit *eodem jure*, non eodem privilegio ex ſui perſona, ſi perſonale erat privilegium prædeceſſoris, quia *privilegium perſonale* &c. infra in regula cum ſuis concordantiis. Idem dico de pacto perſonali, *De tranſact.* cap. *De cetero*, Joannes Andreas. Extende. Eamdem poteſtatem habet Papa, qui eſt pro tempore ad ſtatuendum & deſtituendum, quam omnes ſui prædeceſſores, etiam ſi malus, Diſt. 40. *Si Papa.* Et eamdem auctoritatem habent epiſcopi, abbates, generales, magiſtri vel miniſtri, priores conventuales, quam habuerunt eorum prædeceſſores in dictis officiis ratione ipſorum officiorum. Illam exemtionem habent exemti ſucceſſores, quam & prædeceſſores ex privilegiis antiquis conceſſis, & non ablatis &c.

Ubi ſupra.

Fallit regula in multis.

Hæres cenſetur eadem perſona cum defuncto, & ſucceſſor cum prædeceſſore.

§. XXXVIII. *In re communi potior eſt conditio prohibentis.* Pone caſum in duobus conjugatis, quorum uno vovere continentiam volente, altero prohibente, potior eſt conditio vel cauſſa prohibentis, 33. quæſt. 5. can. 1. Item in electione fienda uno prohibente, ne procedatur per viam compromiſſi, aliis hoc volentibus, potior eſt conditio prohibentis, *De elect.* cap. *Quia propter.* Item duobus habentibus communem parietem, uno volente deſtruere & reficere, altero prohibente, deſtruere non poteſt, ff. *De ſervit. urb. præd.* l. *Parietem.* Fallit hæc regula. Primo, quando non intereſt ſocii, puta quia vult incruſtare, vel pingere, vel vult ſcalas ponere juxta parietem. Secundo, quando ob hoc quæſita eſt, ut opus fiat. Item quando ædificium reficeret, ff. *De damn. infect.* l. *In reficiendo.* Item favore religionis, ut ſi ibi ſepeliri velit, ff. *De relig.* l. *Si plures.* Vel in commune ſepulcrum alium mittere, Inſtit. *De rerum diviſ.* §. *Religioſum.* Item quum donator rem communem habet cum donatorio, C. *De donat.* l. *Sancimus. Prohibentis.* Ratio eſt, quia volens non ſolum dominus eſt illius rei, ſed & prohibens. Et ſcire debes aliquid commune ut ſingulis, ut hic; aliquid commune, ut collegio, & de hoc infra, *Quod omnes.* Joannes Andreas.

Ubi ſupra.

Fallit regula.

Extendi poteſt ad caſum, quum quis habens u-

ſum rationis, vult intrare religionem ante quattuor decimum annum, & pater vel tutor prohibet: vel e contra pater vellet, quod ipſe intraret, & ipſe non vult; *potior eſt conditio prohibentis*. Item in votis, quæ fiunt a religioſis, oportet, quod concurrat voluntas prælati cum vovente in exſecutione. Unde ſi ipſe vult implere votum factum abſtinentiæ & hujuſmodi, & prælatus non vult vel abbas, ſeu prælatus vult, quod plus faciat quam tenetur; *potior eſt conditio prohibentis*. Bernardus: Abbas non augeat vota mea ſine mea voluntate.

§. XXXIX. *In malis promiſſis fidem non expedit obſervari*. Hæc regula ſumta eſt ex verbis Iſidori, 22. quæſt. 4. ubi dicitur: *In malis promiſſis reſcinde fidem, & in turpi voto muta decretum*. Et proſequere hanc regulam ſecundum ea, quæ dicuntur infra in regula, *Non eſt obligatorium*. Et nota, quod dicit *in malis promiſſis*. Nam licet mala promiſſa ſervari non debeant; tamen interdum male promiſſa, puta per dolum vel metum, ſervantur, quando ſcilicet ſervari poſſunt ſine interitu ſalutis æternæ, ſi juramentum interceſſit, *De jurejur.* cap. *Si vero*. Joannes Andreas. Extende. Nota, quod eſt triplex genus promiſſionis. Quædam eſt, quæ fit ſimplici verbo hominum; quædam, quæ firmatur juramento, & hæc fortior; quædam, quæ fit voto, & hæc fortiſſima. Quælibet harum, ſi eſt de re licita, obligat, niſi ſuperveniat impoſſibilitas. Etiam ſimplex promiſſio obligat in foro conſcientiæ, ut dicitur 22. quæſt. 5. *Juramenti*, ubi dicit Gloſſa Joannis, quod ex nudo pacto oritur actio, 12. quæſt. 2. *Quicumque epiſcopi*. Sed fortius obligat juramentum, & exinde votum. Sed in qualibet harum, ubi malum promittatur, ſervanda eſt regula iſta, ut ſcilicet non ſervetur. Nec in hoc peccatur, ſed tunc quando illicitum eſt promiſſum, arg. ad hoc 22. quæſt. 4. *Unuſquiſque*, & can. *Quod David*, & can. *Non pejerabis*, & §. *Illicitum ergo*, per totum.

§. XL. *In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *In eo, quod plus*. Pone exemplum per canonem 12. quæſt. 2. *Bonæ rei*, & *De reſcriptis*, cap. *Inter ceteras*, & in viro, qui in cauſſa ſoluti matrimonii dotem, vel ejus æſtimationem reſtituere promiſit, ff. *De jure don.* l. *Plerumque*. Sunt autem quædam alternative, in quibus debet ordo ſervari, ut quum mandat teſtator aliquid dari liberis, aut, his deficientibus, conſanguineis, aut affinibus, quia tunc ſequimur ordinem. Et eſt arg. ad hoc, quod dixi de ordine ſequendo, Diſt. 43. can. *Sit rector*, in fin. *De elect.* cap. 1. lib. 6. Contradicit ad hanc regulam Inſtit. *De leg.* §. *Si generaliter*. Solutio: Illud, quum eligens fuit in mora, *De conſuet.* cap. ult. lib. 6. Et ſic notat Bernardus in prædicta Decretali, *De reſcrip. Inter ceteras*. Joannes Andreas. Sic quum ſit in optione eligentium per aliquem trium modorum procedere, ſufficit alterum impleri: *De elect.* cap. *Quia propter*. David ex tribus ſibi propoſitis a Domino flagellis ſufficit, quod alterum elegit, ſcilicet peſtem, 2. Reg. ult.

§ XLI. *In pari delicto vel cauſſa potior eſt conditio poſſidentis*. Hæc regula, in quantum dicit de delicto, ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Quum par:* in quantum dicit de cauſſa, ſumta eſt de l. eod. tit. *In pari cauſſa*. Pone caſum in delicto per canonem 14. quæſt. 5. *Non ſane*, in eo ſcilicet, qui repetit pecuniam, quam dedit pro iniquo judicio. Item in eo, qui uſuras, quas ſolvit, repetit, quum ipſe ſit in pari delicto, *De uſu*, cap. *Quia fruſtra*, & ff. *De cond. ob tur. cauſſam*, l. *Ubi autem*, ubi habes, quod non repetitur, quod propter ſtuprum, vel ut male judicetur, eſt datum. De cauſſa pone per Decretalem, *De præbend. Si a ſede*, lib. 6. Et nota, quia videor male exemplificare per Decretalem illam, *Si a ſede*. Nam ibi non erat par cauſſa, quum uni fuerit collata per Papam, alteri per ordinarium. Sed non quæritur de paritate quoad poteſtatem conferentium; ſed de paritate quoad tempus; quia cui primo collata fuerit, dubitatur. Et ideo in hac pari cauſſa temporis potior erit conditio poſſidentis. Et nota, quod hic exhibetur favor reo, quia abſolvitur in pari cauſſa vel delicto. C. *De condit. ob tur. cauſſam*, l. 2. Unde ſemper dicere conſuevimus, quod in pari cauſſa vel delicto potior ſit excipientis conditio. Joannes Andreas. Sic in ludo aleæ, qui prohibetur, Diſt. 35. *Epiſcopus*, melior eſt conditio poſſidentis acquiſitum per ludum, quam perdentis: quamvis enim Joannes in Gloſſa ibi dicat, quod poſſit repeti, & per conſequens debet reſtitui perdenti, hoc habet locum in locis, ubi vivitur legibus imperialibus hoc mandantibus, quæ non ſint in hoc abrogatæ, ſed ſerventur: nam aliter potius eſt pauperibus erogandum; vide tamen de ludo plene infra in 2. parte tit. 2.

§. XLII. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Quæ propter neceſſitatem*. Pone caſum Diſt. 55. can. 1. ubi propter neceſſitatem miniſtrorum permiſſum fuit aſſumi monachos ad parochiales Eccleſias. Ceſſante ergo hac neceſſitate, in argumentum illud trahi non debet, C. *De ſacroſanct. Eccleſ.* l. antepenult. Et concordat ad hanc regulam illam, infra *Quæ a jure*, & illa alia, *Quod alicui*. Nec ſuperfluit hæc ad illas, quia illæ loquuntur de his, quæ conceduntur ob favorem vel gratiam; hæc autem in eo, quod conceditur ob temporis neceſſitatem. Et dicit *in argumentum*, quaſi dicat juriſta vel arguens, quod non debet arguere de eo, quod interdum ex neceſſitate conceſſum eſt, quia argumenta de ſimilibus ad penitus ſimilia procedunt; ſed inter tempus neceſſitatis & non neceſſitatis non eſt ſimilitudo; unde non procedit argumentatio. Et concordat ad hanc regulam 35. quæſt. 1. can. 1. per quod exemplificare potes. Nam a principio generis humani licite contraxit frater cum ſorore, quia ex neceſſitate id faciebat: hodie autem crevit genus humanum, & ſublata eſt neceſſitas; ideo non licite contrahitur infra quartum gradum, *De conſanguinit. & affinit.* cap. *Non debet*, C. *De patrib. qui fil. diſtrax.* l. 1. & 2. ubi propter neceſſitatem famis licet filium diſtrahere, quod alias non licet. Et nota ex hac regula illud generale, quod *ceſſante cauſſa ceſſat effectus*, *De jurejur.* cap. *Et ſi Chriſtus*, & *De pœnit. & remiſ.* cap. *Quum infirmitas*, Diſt. 61. §. *His omnibus*. Ceſſante igitur neceſſitate, propter quam diſpenſatum eſt, ceſſat diſpenſatio, 1. quæſt. 7. *Quod pro remedio*; quod verum eſt circa facienda, non circa facta, ut ibi notatur. Et hoc etiam verum, niſi utilitas ſuccedit loco neceſſitatis, ſicut eſt de monachis ordinandis, 16. quæſt. 1. *Sunt non nulli*. Joannes Andreas.

Sed quæritur, an ceſſante cauſſa alicujus prohibitionis vel ordinationis Eccleſiæ, ceſſat ibi conſtitutio? Et videtur quod ſic: dicit enim Gratianus, quod *prohibitiones eccleſiaſticæ proprias habent cauſſas, quibus ceſſantibus ceſſant & ipſæ*, Diſt. 61. §. *His omnibus*. Ubi etiam ponit exemplum Ambroſii electi in archiepiſcopum ante baptiſmum contra prohibitionem Eccleſiæ, arg. contra 19. quæſt. 2. *Duæ ſunt*. Solutio: Dicit Gloſſa, quod uno modo ſic poteſt exponi iſtud, quod ceſſante cauſſa ceſſet conſtitutio, ideſt quando cauſſa ceſſat actu & exemplo, ita quod non poſſit trahi in perniciem exem-

exempli. Vel dic, quod ceſſat conſtitutio circa illam perſonam ceſſante cauſſa, ut ſcilicet poſſit diſpenſare ſecum. Vel dic, quod quando omnis cauſſa ceſſat impulſiva, finalis, efficiens, & occaſionalis; tunc ceſſat conſtitutio. Iſtud extendi poteſt ad omnes diſpenſationes, quia ſi diſpenſatur in aliquo aliquando propter aliquam neceſſitatem; non inde trahi poteſt exemplum. Sic & David 1. Reg. 21. propter neceſſitatem famis comedit panes propoſitionis, quod alias non licuit; ſic in neceſſitate vetula baptizat, quæ alias male faceret. Infirmus non jejunus communicat, qui alias peccaret. Confeſſor in neceſſitate, ſcilicet articulo mortis, abſolvit ab omnibus caſibus & ſententiis, qui alias non poſſet.

§. XLIII. *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas licitum facit.* Hæc regula habetur in Decret. *De reg. jur.* & ſunt verba Bedæ. Et addit in textu exemplum: *Nam ſabbatum cuſtodiri, præceptum eſt. Machabæi tamen in ſabbato ſine culpa pugnabant*, 1. Machab. 2. *ſic & hodie, ſi quis fregerit jejunium ægrotus, reus voti non habetur.* Hæc ibi. Et ſicut de jejunio ex voto; ita de jejunio Eccleſiæ. Et idem ſi comedat carnes in quadrageſima, ſicut olim in veteri teſtamento licuit in ſabbato pugnare in neceſſitate, & circumcidere; ita hodie in dominicis diebus & feſtivis in neceſſitate licet pugnare, 23. quæſt. ult. *Si nulla.* Ac etiam timore inimicorum ſupervenientium removere & ferre ad locum tutum victualia & ſupellectilia; & cauſſa cuſtodiendi infirmum, vel alia urgente cauſſa dimittere auditionem miſſæ, & ſic de aliis præceptis poſitivis; ſecus de præceptis 7 divinis, quia propter nullam neceſſitatem licet præterire; puta perjurare, adulterari, & hujuſmodi, ne occidatur. Nec eſt hoc contra quod dictum eſt de violatione ſabbati vel dominicæ; quia ſanctificatio vel obſervatio feſti quantum ad determinationem dierum hujus, vel illius, eſt præceptum Eccleſiæ ſeu poſitivum. Sed in generali, quod vacetur Deo aliquo tempore eſt de jure divino. Item non eſt contra, quod in neceſſitate licet furari, quia illud proprie non eſt furari: quoniam in neceſſitate, ſcilicet extrema, quum aliter ſubveniri non poteſt, omnia ſunt communia, Diſt. 47. *Sicut hi*. Unde nec furtum eſt quantum ad illud, quod pro ſua extrema neceſſitate accipit etiam ſecundum leges. Ad hoc facit textus Gratiani 1. quæſt. 1. *Remiſſionem*, §. *Sed notandum*. *Neceſſitas non habet legem, ſed ipſa ſibi facit legem*. Sed tamen ſi religioſus in caſu extremæ neceſſitatis, ideſt mortis, ſine licentia curati daret ſacramenta communionis, vel extremæ unctionis, non evaderet peccatum & excommunicationem, *De privil.* cap. *Religioſi*, in Clement. Illa enim non ſunt tantæ neceſſitatis, ut baptiſmus.

§. XLIV. *In toto non eſt dubium partem contineri*. Pone exempla, quæ habentur in regula *Plus ſemper*, & proſequere ſecundum ea, quæ ibi notantur. Concordat 14. quæſt. 5. *Pœnale*, ubi ſub nomine furti, quod ponitur pro toto, ideſt omni illicita uſurpatione rei alienæ, prohibentur uſura, rapina, & omnis alia uſurpatio, & 32. quæſt. 4. *Meretrices*, & *De pœnit.* Diſt. 1. §. *Hoc idem*. Joannes Andreas. Extendi poteſt ad multa. Et primo Deus eſt totale, & univerſale bonum. Quidquid eſt in creatura qualibet virtutis, eſt bonum partiale procedens ab illo totali bono. Quum ergo ſecundum Philoſophum in princ. 1. Ethicor. bonum omnia appetunt, & quanto majus, tanto magis, ſi creatura propter aliud bonum partiale in ea trahitur ad amorem; multo magis debet trahi a A Deo bono totali in toto &c. Item omnis ſcientia & ſapientia in Deo eſt; & ideo ſi quis vult aliquam partem, ad eum accedat, eum quærat, ut docet Ambroſius. Item totum genus humanum fuit virtualiter in primis parentibus Adam & Eva & quilibet vir & mulier eſt pars deciſa ab illis per ſeminalem propagationem excepto Chriſto, qui non fuit ex ſemine viri generatus; unde corrupto toto per inobedientiam eorum, omnis pars deciſa ab eis eſt corrupta, & *De conſecr.* Diſt. 4. *Firmiſſime*. Item in ſacramento eſt totus Chriſtus; unde & omnes partes ejus, ideſt corpus, anima, ſanguis, divinitas, & hujuſmodi.

§. XLV. *In generali conceſſione non veniunt, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* B Hæc verba habentur *De pœnit. & remiſ.* cap. *Si Epiſcopus* lib. 6. Pone caſum 16. quæſt. 1. *Frater noſter*, ubi generalis commiſſio facta legato per Papam non extenditur ad cauſſas fidei. Item C. *Quæ res pignor. oblig. poſ.* l. 1. ubi in generali obligatione pignoris non veniunt uxor & alumni, & quæ quis veriſimiliter non eſt credendus obligaſſe ſpecialiter. Et nota, quod non ſolum in obſcuris inſpicimus id, quod eſt veriſimile; ſed etiam in generalibus, ut hic in regula. Si quæratur quæ ſunt illa, quæ veriſimiliter non dicerentur in ſpecie conceſſiſſe; reſpondeo hoc cognoſci ex impoſſibili vel inhumana vel dura ſeparatione, ut puta miniſteria artis ſuæ, vel quæ ad effectionem pertinent, generali obligatione non veniunt, ff. *De pignor.* l. *Obligatione*. Et nota ex hac regula verbum generale reſtringi. Ad idem *De reſcript.* cap. 2. lib. 6. Item facit hæc regula ad quæſtionem de eo, qui generaliter tenetur aliquem contra omnes juvare. Numquid contra ſe vel filios? Et notatur de hoc 22. quæſt. 5. *De forma*, in Gloſſa. Joannes Andreæ. Hæc regula multum facit ad auctoritatem, quæ datur a prælatis ſuis inferioribus: nam ſecundum doctores, ſi dicat epiſcopus, quibus dat licentiam audiendi confeſſiones: Ego concedo auctoritatem meam. Ex iſta generali conceſſione non intelliguntur conceſſi caſus reſervati ſibi, niſi ipſe ſpecificet. Et ſi concedit caſus ſibi reſervatos, non videtur ex hoc conceſſiſſe abſolutionem ab excommunicatione aut diſpenſatione in votis. Et ideo iſta in ſpeciali ſunt petenda.

§. XLVI. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Hæc regula videtur ſumta, ex C. *De dignit.* l. 2. & lib. 12. Ubi dicit lex. *Neque quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis portæ patebunt*. Pone caſum per Canonem, Diſt. 81. *Tantis Daniel*, & *De exceſ. prælat.* cap. *Inter dilectos*. Ad idem Diſt. 33. *Laici*, ubi dicitur, quod opinio ordinandi vacillare non debet. De infamia autem quid ſit, & quomodo contrahatur, & de multiplici ejus genere dic, ut notatur 3. quæſt. 7. §. *Tria*, verſ. *Porro infamia*. Et quod dicit hæc regula de dignitatibus, intelligas de eccleſiaſticis & ſæcularibus. Infamis enim judex eſſe non poteſt, 3. quæſt. 7. *Infamis*. Bene tamen eſſe poteſt arbiter, 3. quæſt. 7. *Tria*, verſ. *Cognitores*. Sed an procurator poſſit eſſe, quære notata Diſt. 50. *Accedens*, & 3. quæſt. 10. can. ult. Joannes Andreas.

Infamis eſt coram Deo & curia cæleſti quilibet peccator in mortali conſtitutus, *De pœnit.* Diſt. 1. *Eccleſia*. Unde in ipſo perſeverante non patent portæ dignitatum regni cæleſtis, in quo ſunt omnes reges & ſacerdotes, ut dicitur in Apocalypſi.

§. LXVII.

7 *Divina* juris naturalis intelligit, ad quæ ſequentia ſane exempla pertinent: non autem divina mere poſitiva, quæ in quibuſdam neceſſitatibus violari queunt, ut in lege veteri fuit præceptum ſabbati, in quo ex neceſſitate bellare licuit &c.

§. XLVII. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura*. Hæc regula sumta est ex l. ff. eod. tit. *Jure naturæ*. Pone casum 17. quæst. ult. can. ult. Ubi dicit Augustinus, quod qui vult Ecclesiam facere hæredem totius suæ substantiæ, exhæredato filio, non vult ipse recipere talem hæreditatem; & tunc inducit exemplum Aurelii Carthaginensis episcopi. Item *De donat.* cap. *Apostolicæ*, ubi non ditatur monasterium cum jactura cathedralis Ecclesiæ. Concordat Dist. 99. *Ecce*, & 12. quæst. 2. *Bonæ rei*, 11. quæst. 3. *Si quis*, 22. quæst. 2. *Primum*. Et ideo privilegium interpretamur, ne alteri enorme præjudicium inferat, *De verb. signif.* cap. *Quid per novale*, 9. quæst. 3. *Nunc vero*, & 25. quæst. 2. *De ecclesiasticis*. Hæc regula fallit in præscriptionibus, & usucapionibus, ut per te vides, & in exceptionibus non numeratæ pecuniæ, quæ si infra debitum tempus non opponitur, locupletatur petens cum aliena jactura, C. *De non numer. pecun.* l. *In contractibus*. Item in expensis factis in re aliena, ff. *De doli except.* l. *Paullus*. Sed ubi est auctoritas juris, non potest dici injuria, 23. quæst. 4. *Qui peccat*. Dicitur enim injuria quasi contra jura. Quod ergo dicitur injuria, vel jactura, expone vel pro & sic, Dist. 87. can. 1.

Num liceat sibi bonum curare, unde alii damnū reddent.

Quæri solet, si licet aliquid in meo facere, ex quo alii nocumentum sequitur. Respondeo: Aut immitto vel opus facio in alienum, & tunc non licet, ff. *Si servitus vindic.* l. *Sicut*, §. *Aristo*, & l. *Restatrix*: aut nec imitto nec opus facio in alienum, & tunc aut id dolo facio, ut noceam alteri, & tunc prohibeor: aut non dolo facio, sed solum eo proposito, ut mihi prosim, licet per id alteri noceam; & tunc non prohibeor, ff. *De aqua pluv. arc.* l. 1. Et quod dicit hæc regula *jactura*, intelligas enormi: nam privilegium bene affert jacturam, licet enormem inferre non debeat. De hoc, 25. quæst. 2. *Rescripta*, & *De verb. sign.* cap. *Olim*. Joannes Andreas. Extende. Pharao locupletari voluit cum injuria populi Israel, sed punitus fuit; quod autem populus Israel fuerit locupletatus cum jactura Ægyptiorum, quorum vasa mutuata asportavit, non fecit cum injuria, sed se recompensando de damnis eis datis, sicut modo liceret alicujus bona retinere tantumdem, quantum habet de suo. Item quia mandato Domini hoc egit, cujus sunt omnia, 14. quæst. 5. *Dixit Dominus*.

§. XLVIII. *Mora sua cuilibet est nociva*. Hæc regula sumta est ex lege, ff. eod. tit. *In condemnatione*. Pone casum in eo, qui est in mora solvendi decimas, quia pereunt periculo suo, etiam in casu fortuito, 16. quæst. 1. *Decimæ*. Item in commodatario vel depositario, qui fuit in mora, *De commod.* cap. 1. *De depos.* cap. *Bona fides*. Item in fure, qui statim est in mora, C. *De fur.* cap. *Subtracto*.

Quis sit morosus.

Circa hanc regulam nota, quod ad hoc, quod dicatur quis morosus, requiritur, quod sciat se debere vel scire debeat, quod interpellatus fuerit a die vel homine, & quod habuerit possibilitatem dandi: hæc habes ff. *De rebus cre.* l. *Quod te*; & tunc tenetur morosus de casu fortuito, etiam si res fuisset peritura apud Dominum eodem modo secundum Accursium. Licet Martinus contra, ut notatur in dicta lege, *Quod te*. Fortassis, enim dominus rem vendidisset, & apud alium periisset, & hoc tenet Bernardus.

Nota.

Unum nota, quod si debitor primo fuit in mora solvendi, & postea creditor in mora recipiendi, vel converso, ultima mora nocet, ff. *De usur.* l. *Debitor*. De mora autem & multiplici ejus effectu plene notatur, ff. *De usur.* l. *Mora*.

Sed numquid mora semel commissa purgari potest? Videtur quod non, 12. quæst. 2. *Longinquitate*, & 20. quæst. 2. *Puella*, & *De elect.* cap. *Quum in cunctis*. In contrarium quod possit purgari videtur, Dist. 18. can. 1. ubi de hoc, & Distinct. 18. can. *Quoniam*, & *De supplen. neglig. prælat.* cap. *Litteras*. Solutio: Dic, quod ubi dies præfigitur a canone vel lege pœnam imponente, mora purgari non potest; pœna enim semel commissa non purgatur, & sic intelliguntur priora jura, & hæc regula. Et hoc est verum, nisi eadem lege vel canone caveatur, in eo casu posse purgari moram, & pœnam evitari; & sic intelliguntur contraria. Pœna ergo semel commissa non purgatur nisi forte fingeretur non fuisse in mora, 2. quæst. 6. *Biduum*. Sicut enim a pœna canonis non appellatur, *De appel.* cap. *Consuluit*, [8] nec a pœna legis, ut ff. *De verb. sign.* l. *Si qua pœna*; sic nec purgatur. Joannes Andreas.

Ista regula potest multum extendi & utiliter. Est enim nociva mora in suscipiendis sacramentis propter varia pericula, quæ possunt contingere, præcipue baptismus maxime necessarius, Dist. 5. *Baptizari*. Similiter in administrandis quoad dantes, ne interveniente modica mora inveniri non possint qui redimantur, Dist. 5. *Baptizari*. Similiter in restituendo vitanda est mora; alias si valet, graviter peccat secundum Thomam. Similiter in contritione habenda de mortalibus, quorum nondum pœnituit; alias quum recordatur, [9] peccat mortaliter. Thomas. Propter quod dicitur Eccles. 5. *Non tardes converti ad Dominum*, &c. Similiter ad benefaciendum & subveniendum necessitatibus aliorum, Matth. 25. *Moram faciente sponso*, quæ non se præparaverunt virgines, *clausa est janua*. Et corvus habens vocem procrastinationis non rediit ad arcam. Et Levites, qui fuit morosus in recedendo a socero, supervenit maximum scandalum in uxore constuprata, ut habetur in lib. Judicum 19.

§. XLVIII. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*. Hæc regula sumta est ex lege, ff. eod. tit. *Nemo potest*. Pone casum in electione, 8. quæst. 2. *Dilectissimi*, & *De elect.* cap. *Publicato*, ubi habetur, quod publicato scrutinio electores non possunt mutare vota sua ad alium eligendum, si regulariter unus est a majori parte electus; & hoc quia fieret injuria electo. Item in eo, qui circa servitutem alicujus juri suo cessit, qui mutari non potest, licet socii ejus nondum cesserint, ff. *De servit. rustic. præd.* l. *Per fundum*, & C. *De negot. gest.* l. ultim.

Illa legitur regula infra, *Quod semel placuit*, intelligitur secundum istam, quando scilicet ex mutatione voluntatis vel placiti alteri impedimentum vel detrimentum affertur, ut ibi dicetur, & fallit in casibus ibi notatis. Item fallit in suo hærede abstinente, vel repudiante, qui re adhuc in eodem statu manente potest adire, vel tempus ad deliberandum petere, C. *De repub. hæret.* l. ult. Joannes Andreas. Sic & quum quis donat aliquid, vel dat, non debet revocare. Si contraxit cum aliquo sponsalia, non debet mutare, nisi interveniat casus, in quo liceat mutare, de quo infra in 3. part. tit. 1. David postquam promisit dare regnum Salomoni, non mutavit consilium. Saul, qui promiserat dare filium David in uxorem, & mutavit consilium, male fecit. Samson, quia soceri sui mutaverunt consilium in ejus detrimentum dantes sponsam suam alteri; inde fecit multa mala Philisthæis.

dan-

8 Hæc verba *nec a pœna legis, ut ff.* De verb. signif. *l.* Si qua pœna; *sic nec purgatur*, addidimus ex Glossa, ne sententia imperfecta maneret.

9 Vide not. 4. in c. 18. tit. 14. partis 3. pag. 765.

§. L. *Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri*, Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. *Nulla intelligitur*. Pone exemplum in domino, qui non requiſivit ſervum ſuum fugitivum infra triennium monachum factum : dicitur enim fuiſſe in mora. Quod eſt verum, niſi poſſet ſe tueri exceptione legitima, puta longinquitatis loci, 17. quæſt. 2. *Si quis incognitus*. Et nota, quod, ut dixi in regula *Mora*, ad hoc, ut dicatur quis morosus, neceſſe eſt, quod ſciat vel ſcire debeat ſe debere. Sed ille, qui eſt tutus exceptione legitima, neſcit ſe debere, vel neſcire debet; ergo non eſt in mora. Item nota, quod dicit *exceptione legitima*, quæ eſt, quum eſt obligatus jure naturali vel civili; ſed obſtat exceptio, puta pactum de non petendo, vel ſimilis; vel eſt obligatus jure naturali tantum, & facit quod circa indebitum notatur 1. quæſt. 4. in fine. Et intelligitur illa exceptio legitima, quæ replicatione non eliditur. Pone exemplum: Debebas mihi decem; feci tibi pactum de non petendo: ſed per metum, vel tempore furoris hoc feci; tunc exceptio pacti non eſt legitima, quia eliditur replicatione furoris, vel metus. Et ideo diceris in mora fuiſſe. Joannes Andreas.

Exceptio dicitur legitima, quæ non exceditur replicatione. Impoſſibilitas eſt triplex.

§. LI. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.* Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Impoſſibilium*. Scire debes, quod impoſſibilitas eſt triplex, juris, facti, & naturæ. De prima pone caſum Diſt. 54. *Abbati*, ubi dicitur, quod abbas non poteſt ſervum facere liberum, ſcilicet de jure, quia nihil habet proprium. De ſecunda, ff. *De verb. oblig.* l. *Generaliter*: non enim tenet promiſſio, ſi promiſero tibi quod eſt impoſſibile de facto, ut montes alpium ultra mare deferre: & ſi Bononiæ conſtitutus promitto me hodie tibi daturum centum Romæ, quia impoſſibile eſt promiſſum, non naſcitur obligatio, ut hic in regula. Et eſt expreſſum Inſtit. *De verb. oblig.* §. *Loca*, præterquam in caſu, ff. *De verb. oblig.* l. ult. De tertia ſi dare promitto, quod natura dari eſt impoſſibile, ut ſolem, lunam, & ſtellas; vel facere quod natura eſt impoſſibile fieri, ut cælum aſcendere, vel digito tangere, ff. *De verb. oblig.* l. *Si ſtipulet*. Hujus regulæ ratio ſatis patet, quia omnis obligatio aut in dando aut in faciendo conſiſtit, ff. *De verb. oblig.* l. 2. Sed quod non eſt, nec eſſe poteſt, dari vel fieri non poteſt; ergo ſibi conſtitui nequit obligatio. Item obligatio actionem parit: ſed quod non eſt nec eſſe poteſt, obligationem parere non poteſt, & ſic nec actionem. Item actio eſt jus proſequendi judicio, quod nobis debetur. Debere autem eſt de alio habere: ſed quod non eſt, nec eſſe poteſt, de alio haberi non poteſt; ergo ibi non eſt actio, & ſic nec obligatio. Et nota, quod hæc regula habet locum in matrimonio, & ultimis voluntatibus, & ſingulis contractibus, in ſententiis, & præceptis. Item in legibus & conſtitutionibus, quæ debent eſſe poſſibiles, Diſt. 4. *Erit*. Eſt tamen in hoc differentia, quia impoſſibilis conditio appoſita in contractu vitiat contractum, Inſtit. *De inutil. ſtipul.* §. *Impoſſibilis*. In teſtamentis autem & matrimonio ob favorem ipſorum habetur pro non adjecto, *De condit. app.* capit. ultim. Et quod dicit hæc regula de impoſſibili, intelligas etiam de turpi, de quo dicetur etiam infra, *Non eſt obligatorium*. Notaverunt Goffridus & Hoſtienſis in Decretali, *Quum dilecti*, *De dol. & contum.* quod ſi judex citet aliquem eo die, quo impoſſibile eſt eum comparere, quod non eſt omnino inutile mandatum, immo licet non teneatur comparere illa die propter impoſſibilitatem, tenetur tamen comparere poſt diem. Et poteſt eſſe ratio hujus, quia principale eſt ibi, quod veniat; acceſſorium autem quod tali die veniat: principale autem non vitiatur propter acceſſorium; ſed e contra. Joannes Andreas. Et ex hac regula poteſt trahi, quod ſi pater filio, dominus ſervo, vir uxori, prælatus ſubdito præcipiat illicita, non obligatur ad faciendum illud, quia impoſſibile eſt de jure, 11. quæſt. 3. *Si dominus*, & can. *Si is, qui præeſt*. Dicit enim lex, *illud poſſumus, quod de jure poſſumus*. Ad hoc etiam 22. queſt. 2. *Faciat*. Non debet ergo obedire, ſicut nec Petrus principibus ſacerdotum prohibentibus ſibi prædicationem; ſed humiliter ſe excuſare, ut fecit aſina Balaam in figuram hujus, quod habes 2. quæſt. 7. §. *Item quum Balaam*. Quum enim præcipiuntur plura impoſſibilia, non tenentur. Thomas.

Obligatio parit actionem.

Actio quid ſit.

§. LII. *Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Culpa*. Pone caſum in clerico jaciente lapidem, Diſt. 50. *Clerico*, & de monacho chirurgico, *De homic.* cap. *Tua*. Et in cæco ſagittante, 15. quæſt. 1. §. *Itaque*, ibi de Lamech cæco ſagitta occidente Cain. Si hæc regula vera eſt, ergo culpa eſt gerere aliena negotia, & ſic eſt contra ff. *De neg. geſt.* l. 2. & 22. quæſt. 4. *Si ad peccatum*. Solutio: Officium hoc debet homo homini, 22. quæſt. 4. can. 2. Et nota, quod proprie loquendo inter Deum & hominem eſt religio, 22. quæſt. 4. *Unuſquiſque*; inter prælatum & ſubditum obedientia, 2. quæſt. 6. *Qui ſe ſcit*; inter majorem & minorem reverentia, Diſt. 93. per totum; inter patrem & filium dilectio, 5. quæſt. 5. *Non oſculatur*; inter conſanguineos pietas; inter dominum & ſervum ſervitium; inter patronum & libertum obſequium; inter hominem & hominem officium. Non igitur poteſt dici ad eum non pertinere. Exemplificare etiam potes hanc regulam in imperito medico, & in judice, qui per imperitiam male judicavit, qui tenetur actione in factum, in quantum religioni judicantis videbitur æquum, ff. *De va. & exſtraor. cognit.* l. *Si judex*; quia imperitia culpæ imputatur, 1. quæſt. 1. *Non eſt putanda*. Si ergo eſt in culpa ſe immiſcendo; ergo tenetur de caſu, quia ſemper ſi culpa caſum prævenit, tenetur quis de caſu, *De homic.* cap. *Preſbyterum*. Joannes Andreas. Sic laicus judex judicando clericos malefactores non evadit culpam: nec etiam excommunicationem, ſi facit capere, incarcerare, & hujuſmodi, *De ſentent. excommunic.* cap. *Ut famæ*, niſi de licentia ſuorum prælatorum. Ratio eſt, quia non pertinet ad eum, de quo infra in 4. parte tit. 1. Similiter qui ſe intromittit de officio alterius. Unde Ozias rex, qui voluit incenſum offerre in templo, percuſſus eſt lepra, 2. Paralip. 16. Similiter ad ſubditos non pertinet reprehendere facta prælatorum temerarie. Unde in figuram, 2. Reg. 6. Oza qui retinuit arcam Dei inclinatam, percuſſus eſt. Expoſitionem figuræ habes 2. quæſt. 7. *Plerumque*. Similiter ignorans confeſſor male facit, Diſt. 38. can. 1. & ſeq. & *De pœnit.* Diſt. 1. *Quem pœnitet*, & eod. Diſt. 6. can. 1.

Religio eſt inter Deū & hominē.

Obedientia inter prælatum & ſubditum.

Nota.

§. LIII. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*. Hæc regula ſumta eſt ex ff. eod. tit. l. *Quod ab initio*. Pone caſum 1. quæſt. 1. *Principatus*, ubi non convaleſcit ſimoniacus ingreſſus: ad idem Inſtit. *Quibus non eſt permiſ. facer. teſt.* §. *Præterea*, ubi teſtamentum furioſi vel impuberis non valet, licet poſtea efficiatur major vel ſanæ mentis. Concordat ad hoc 16. quæſt. 3. §. *Poteſt*. Nota ergo ex hac regula, principium ſpectandum: alibi habes de fine. Sed proſequere hoc brocardum, ut notatur *De elect.* cap. *Dudum*. Item nota, quod a prin-

Principiū ſpectandū.

principio nullum eſt, ipſo jure tractu temporis non convaleſcere. Secus autem, ſi non eſſet nullum, ſed annullandum, *De poſtul.* cap. *Bonæ*, 2. & *De elect.* cap. *Quod ſicut*. Expreſſe contra, 12. quæſt. 2. *Si qua de reb.* 16. quæſt. 1. can. ult. *De his, quæ fiunt a prælat.* cap. *Quum nos*, ff. *De rit. nup.* l. *Si quis*. In omnibus his dicitur, quod convaleſcit, quod a principio nullum erat. Solutio. Dic generaliter ad omnia ſupradicta, quod illud, quod ab initio nullum eſt, non firmatur ſolo tractu temporis, ut hic in regula. Sicut enim tempus non eſt modus inducendæ obligationis, 10. quæſt. 3. *Quia cognovimus*, nec tollendæ, *De præſcrip.* cap. *Cauſſam*; ſic nec reparandæ, ut hic; ſed novo ſubſequenti conſenſu, interdum tacito, interdum expreſſo ſublata cauſſa impedimenti bene, ut per contraria probatur. Probatur hoc optime, *De ſpon. impub.* cap. 1. lib. 6. Valent ergo ex conſequenti conſenſu ex nunc, non ut ex tunc. In electione tamen ſecundum Bernardum ſi nulla eſt, ex ſubſequenti conſenſu non confirmatur, *De elect.* cap. *Auditis*. Solutioni contradicit, *De eo, qui duc. in matrim. quam pol. per adul.* cap. 1. ubi matrimonium contractum cum ſecunda, vivente prima, mortua prima ex novo conſenſu confirmari non poteſt. Solutio: Illud eſt propter impedimentum perpetuum, ſcilicet adulterium cum ſponſalibus de facto, ut eod. tit. cap. ult. Illa ergo, quæ de neceſſitate deſiderant initium, vel quæ ideo non valent, quia ſubeſt in eis perpetuum impedimentum, nec tractu temporis, nec novo ſubſequenti conſenſu confirmantur, ut hic & ibi: ſed ea, quæ de neceſſitate non reſpiciunt initium, nec ſubeſt in eis perpetuum, ſed temporale impedimentum, etſi non ſolo tractu temporis confirmatur, ut hic in regula; tamen novo ſubſequenti conſenſu, interdum tacito, interdum expreſſo, ſublato impedimento bene, ut in contrariis. Joannes Andreas. Ex hac regula etiam ſequitur, quod id, quod eſt contra jus naturale vel divinum, per longam conſuetudinem non juſtificatur, Diſt. 8. per totum.

§. LIV. *Nullus uti pluribus defenſionibus prohibetur*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Nemo*. Pone caſum 24. quæſt. 1. *Quiſquis*, ubi negat Auguſtinus, quod dicebat Vincentius eum facere, dicens, quod poſito, quod id verum eſſet, id faciat ex cauſſa. Et *De præſcript.* cap. *Auditis*, ubi allegatur exemtio & preſcriptio, C. *De tranſact.* l. *Interpoſitas*, ubi dicitur tranſactionem non tenere, tum quia metu interpoſito, tum quia facta cum ſervo proprio. Et quod dicit regula *defenſionibus*, intelligas etiam contrariis, 13. quæſt. 2. in principio, ubi de hoc, niſi forte ſpecialiter jus impediat. Impedit enim jus interdum contrarias defenſiones proponi. Pone caſum: Convictus de mendacio in eo, qui negat pecuniam numeratam, non poteſt dicere ſe ſolviſſe, C. *De non num. pecun.* in Authentica, *Contra qui propriam*, & plures alii caſus hic ponuntur: ibi vide. Duas autem electiones quis proſequi non poteſt ſimul, nec una electa redire ad aliam, *De elect.* cap. *Ut quis*, lib. 6. An autem pluribus actionibus ſimul uti poſſit, notatur 13. quæſt. 2. in princ. Et per Innocentium & Hoſtienſem, *De reſtit. in integ.* cap. *Conſtitutus*. Item an contraria allegans audiatur? videtur quod non, 23. quæſt. 7. *Quod autem*, & *De appel.* cap. *Sollicitudinem*. Circa hoc nota, quod quidam dixerunt indiſtincte allegantem contraria non audiri. Alii dixerunt, ſcilicet Goffridus &c. hoc verum in actore, & in eadem inſtantia judicii. Nam ſecus in diverſis; in reo autem non habent locum. Alii dixerunt, quod non auditur contraria allegans in eadem inſtantia judicii; ſed ſecus in diverſis. Alii dixerunt, quod ſub conditione licet proponere contraria, puta propono talem exceptionem, in qua ſi ſuccubuero, ex tunc propono talem; facit *De excep.* cap. *Quum venerabilis*. Verius dicas, quod aut ſunt contraria, quæ proponuntur ex principio, aut ex fine. Si ex principio ſunt contraria, ſed ad unum finem tendunt: pone caſum *De præſcript.* cap. *Auditis*, & cap. *Quum olim*; tunc proponi poſſunt in eadem inſtantia, & unum non præjudicat alteri. Si autem ad finem contrarium tendunt: pone caſum *De appell.* cap. *Sollicitudinem*; tunc ſimul vel in eadem inſtantia non proponuntur, nec credas, quod in illa Decretali *Veniens*, *De præſcrip.* privilegium in eo, quod privilegium, ſit contrarium præſcriptioni in eo, quod præſcriptio. Sed tenor privilegii erat contrarius præſcriptioni. Joannes Andreas.

§. LV. *Non debet aliquis alterius, odio prægravari*. Pone caſum in filio, qui non excommunicatur pro peccato patris, 24. quæſt. 3. *Si habes*. Item in compromittentibus, qui non puniuntur dolo compromiſſarii, *De elect.* cap. *Si compromiſſarius*, lib. 6. Sed contra, Diſt. 70. *Neminem*, ubi in odium ordinantis deponitur ordinatus. Sed ibi non ſolum fuit odium ordinantis, ſed & delictum ordinati, qui ſe permiſit ſine titulo ordinari. Item contra Diſt. 56. per totum; ibi enim propter incontinentiam patrum filii illegitimi non poſſunt promoveri, 1. quæſt. 4. §. *Item peccato*, 6. quæſt. 1. *Si quis*, 15. quæſt. 8. *Quum multæ*, & *De hæret.* cap. *Vergentis*, cum multis ſimilibus. Solutio. Triplex eſt pœna, æternalis, ſpiritualis, & corporalis, quod proſequere, ut notatur 1. quæſt. 4. in ſumma. Joannes Andreas. Ibi ſic dicitur: Pœna æterna numquam punitur unus pro alio, 1. quæſt. 4. can. 1. & can. *Jam itaque*, cum ſequentibus. Et de hac intelligitur illud Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filii* &c. Pœna corporalis eſt duplex; quædam circa corpus, & illa ſæpe punitur unus pro alio, ut 1. quæſt. 4. §. *Item peccato*. Quædam circa ſtatum rei, ut ſervitus & infamia; & hac etiam punitur unus pro alio, filius pro patre, ut 6. quæſt. 1. §. *Verum*. Spiritualis autem eſt quadruplex. Prima eſt excommunicatio; & hac non punitur unus pro alio, ut 24. quæſt. 3. *Si habes*. Secunda eſt interdicti; & hac punitur unus pro alio, *De ſponſ.* cap. *Non eſt vobis*. Tertia remotio ab oblationibus; & iſta etiam punitur unus pro alio, 17. quæſt. 4. *Miror*. Quarta pœna ſpiritualis eſt ordinis, & remotio ab eo; & hac unus etiam punitur pro alio: nam propter fornicationem vel adulterium uxoris repellitur vir a promotione, ut Diſt. 34. *Si cujus*. Joannes Andreas. Extendi poteſt multum materia ex his, quæ habentur in textu, §. *Item peccato civium*, per multa exempla Scripturæ, quomodo unus gravatur in pœna odio alterius, & quare.

§. LVI. *Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Non licet actori*. Pone caſum 4. quæſt. 4. can. 2. ibi: *Accuſatores & accuſati æqua audiantur ratione*. Et facit ad hanc regulam illa ſupra *In judiciis*, & quod ibi dixi. Formata autem fuit hæc regula per hunc modum, quia favorabiliores ſunt rei, quam actores. Unde ſi quid actori licet, multo magis reo, qui favorabilior eſt. Sed ea ratione, qua parilitas in judiciis eſt ſervanda; ut in regula *In judiciis*, intelligitur idem juris contra, ſcilicet quod non liceat reo, quod non licet actori. Nota tamen quod reus majores dilationes habet quam actor, & reus habet deliberatorias, & *Ubi ſupra.*

non

non actor. Plures alios favores, quos habet reus magis quam actor, ibi potes videre in Gloſſa. Hæc Joannes Andreas.

§. LVII. *Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.* Pone caſum in matrimonio, quod non tenet, quod non præſtat impedimentum ſecundo, 31. quæſt 2. *Si verum*, in electione, quæ non tenet, *De elect.* cap. *Congregato.* Vides tamen in matrimonio, quod ſponſalia, quæ ſunt nulla per conſanguinitatem vel affinitatem, præſtant impedimentum in conſanguineis alterutrius ex publicæ honeſtatis juſtitia. Ratio eſt, quia publicæ honeſtatis juſtitia inducitur ex ſolo conſenſu. Unde ex quo ſunt aliqua ex conſenſu, licet alias ſint nulla; inducitur publicæ honeſtatis juſtitia. Si autem eſſent nulla ex defectu conſenſus, non inducitur, *De ſponſ.* cap. 1. lib. 6. Sicut & impedimentum affinitatis inducitur etiam per coitum illegitimum, 35. quæſt. 3. *De Inceſtis.*

Notabile.

Electio, quæ nulla eſt, ſecundam impedit in aliis caſibus.

Circa electionem etiam vides, quod electio, quæ nulla eſt, ſecundam impedit, *De elect.* cap. *Auditis*; quod non proſequor, ſed dic, ut ibi. Item in litteris Papæ per mendacium impetratis, quæ licet ſint nullæ quoad juris effectum, præſtant impedimentum aliis impetrandis, ſi de eis mentio non fiat, *De reſcrip.* cap. *Ceterum*, ſecundum Gofredum.

Et nota hanc regulam veram, niſi aliquis in pœnam prohibeatur; hoc dico propter maleficia, quæ non ſortiuntur effectum a jure, & tamen impedimentum præſtant promovendis, Diſt. 50. can. 1. 2. & 3. Interdum matrimonio contrahendo juxta ea, quæ notantur 33. quæſt. 2. *Hoc ipſum*, §. *Hoc autem quamquam*, & *De pœnit. & remiſſ.* cap. *Qui preſbyterum:* habetur enim pro infecto, quod contra jura fit, Diſt. 10. *Vides*, ubi de hoc Joannes Andreas.

Paſtor quis ſit, & quot modis debeat paſcere.

§. LVIII. *Non poteſt eſſe juſta excuſatio paſtoris, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit.* Hæc regula habetur in Decretalibus, lib. 5. *De reg. jur.* Et ſunt verba Gregorii: Paſtor eſt prælatus, & ſic nominatur, quia paſcere debet verbo doctrinæ, exemplo bonæ vitæ, & cibo terrenæ ſubſtantiæ, in quantum poteſt gregem ſibi commiſſum. Unde in ſignum hujus primo paſtori dictum fuit ter a Domino: *Paſce oves meas*, vel *agnos meos*, Joann. ult. De primo cibo Diſt. 43. *Sit rector.* De ſecundo Diſt. 40. *Nos qui*, & §. 1. per totum. De tertio 12. quæſt. 2. *Gloria*, & can. *Quidquid.* Debet tria facere, quæ ſignantur in baculo paſtorali. Unde verſus.

10 *Collige, ſuſtenta, purga, vaga, morbida, lenta.*

De ſacra unction. cap. *Quum veniſſent*, in fin. Nec ſufficit quod puniat delicta, quæ videt, ſed ſubtiliter debet inquirere vitam ſubditorum ad inveniendum defectus eorum, ſicut debitor creditorem, ſecundum Thomam in 4. Lupus eſt hæreticus: item tyrannus, qui injuſte opprimit ſubditos, ac etiam publicus malus chriſtianus, qui trahit alios ad malum exemplo ſuo: vel etiam diabolus, qui ſuis tentationibus incautos devorat. Contra omnes debet vigilare paſtor.

lib. 6. Decret.

§. LIX. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.* Hæc regula ſumi potuit ex l. eod. tit. *Contractus.* Pone exemplum in eo, qui juravit occidere patrem, vel ſimile quid facere, 22. quæſt. 4. can. 1. & per totum. Item in eo, qui juravit uxorem & filios expellere, *De jurejurand.* cap. *Quintavallis.* Ad idem, ff. *De pac. dota*, l. *Convenire*, ubi pactum ne cum uxore agatur rerum amotarum, non valet, quia per illud invitantur mulieres ad furandum. Non eſt ergo vera regula præciſe, quæ dicit, quod juramentum ſervandum eſt, ſi poteſt ſine interitu ſalutis æternæ ſervari, *De jurejur.* cap. *Si vero.* Nam ſi eſt contra bonos mores, non debet ſervari, nec obligat: v. g. jurat quis non ſumere clericatum, vel non intrare religionem, & hujuſmodi: quamvis iſtud poſſet ſervari ſine interitu ſalutis; tamen quia impedit majorem profectum ſalutis, ſervari non debet, ſecundum Thomam. Idem in quolibet temerario juramento, eod. tit. cap. *Sicut*, & cap. *Tua nos* 2. & quando vi vel dolo præſtitum eſt, *De jurejur.* cap. *Licet* lib. 6. quod dic, ut *Quod metus cauſſa* cap. *Abbas*, & 15. quæſt. 6. cap. 2. Et facit ad hanc regulam ſupra, *In malis* &c. Non ergo tenet turpe pactum, vel contra bonos mores. *De pac.* capit. ultim. ergo nec juramentum, quod eſt acceſſorium. Et nota, quod debemus rebus uti, ad quod ſunt inſtitutæ, ut 22. quæſt. 2. *Is autem.* Sed juramentum non eſt inſtitutum, ut ſit vinculum iniquitatis, dicit Auguſtinus 22. quæſt. 4. *Inter cetera.* Joannes Andreas.

Hic multa poſſent dici de juramento, quæ vide infra in 2. parte. Siquis ergo jurat ſervare ſtatuta civitatis, intelligitur de licitis. Sic qui jurat ſervare ſecretum aliquod, intelligitur, ſi non erit alias præjudicium. Et ſi intellexiſſet ſervare etiam illicita, quæ peterentur, tunc peccavit mortaliter: ſed non debet ſervare, quia tunc etiam peccaret. Unde Matth. 14. Herodes, qui propter jusjurandum decollari fecit Joannem Baptiſtam, peſſime fecit, 22. quæſt. 4. *Unuſquiſque.* David, qui juravit interficere Nabal, ſancte mutavit propoſitum, quæſt. ead. *Quod David.*

§. LX. *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Conſilii.* Ratio hujus regulæ colligitur ex can. 14. quæſt. 1. *Quiſquis*, §. *Quod præcipitur*, & ex Decretali, *De arb.* cap. *Quum olim*, per quam exemplificare potes, & ibi de hoc. Nullus enim tenetur ſequi conſilium, immo explorare & deliberare debet apud ſemetipſum, an ſibi expediat nec ne. Si autem conſilium ſit fraudulentum, bene obligatur conſulens, licet duret ratio ſupra dicta, & hoc ratione fraudis. Exemplifica per canonem, Diſt. 86. *Tanta*, & *De renunt.* cap. *Sane.* Nota igitur breviter circa hoc; aut conſilium datur circa contractum, vel quaſi; aut circa maleficium, vel quaſi. Primo caſu ſubdiſtingue, aut non eſt fraudulentum, & tunc non tenetur, ut hic, & in ſupra dictis juribus: aut eſt fraudulentun, & tunc tenetur actione de dolo ipſi, cui conſilium dedit, ut ff. *De dolo*, l. *Quod ſi quum ſcires*, ubi ille, qui doloſe mihi conſuluit, & forte lucri ſui cauſſa mutuare debitori non idoneo, tenetur mihi actione de dolo. In ſecundo caſu, ſcilicet quum datur circa maleficium, tenetur conſulens; non tamen ei, cui, ſed illi, contra quem conſilium dedit; nec tunc tenetur actione de dolo, ſed ejus maleficii nomine. Nam ſi conſuluit occidi, homicida eſt, Diſt. 50. can. *Si quis viduam*, & *De homicid.* cap. *Sicut dignum.* Si conſuluit ſervo, ut fugeret, vel furtum faceret; tenetur furti vel ſervi corrupti, ff. *De ſervo corrup.* l. 1. Si conſuluit Titio mihi injuriam facere; tenetur mihi actione injuriarum, *De pœnit.* Diſt. 1. *Si quis tam*, §. *Non ſolum.* Differentia eſt ergo inter mandatum & conſilium. Nam mandator obligatur mandando, ſed non conſulens conſulendo. Joannes Andreas. Ex hoc ſequitur, quod ſi quis conſuluit alicui, quod intret religionem cum debitis circumſtantiis, ſi inde ille non perſeveret, vel male ſe habeat, in nullo tenetur coram Deo. Similiter ſi quis conſuluit alicui, ut contrahat cum tali, pura intentione motus; ſi inde malum ſequitur, non ei im-

10 Hic verſus in Gloſſa effertur his verbis:
Attrahe, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta.

imputatur; & ſic de ſimilibus. Similiter in foro conſcientiæ conſulendo non ex toto. Sed hic debet bene cavere, ut ſit peritus in tali materia; alias male conſulendo non ex toto excuſaretur de conſilio malo. Conſilium Achitofel fuit peſſimum, quod dedit Abſaloni, 2. Reg. 17. Conſilium Chuſi, quamvis fuerit fraudulentum quoad intentionem & propoſitum Abſalonis; tamen quia injuſte uſurpaverat regnum contra patrem; ideo non videtur male feciſſe. Sed Rebecca de conſilio ſuo quaſi fraudulento, quod dedit Jacob, non fecit familiari conſilio Spiritus ſancti ad hoc inducta.

§. LXI. *Nemo poteſt plus juris trasferre in alium, quam ſibi competere dinoſcatur.* Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Nemo*. Pone caſum 1. quæſt. 7. *Daibertum*, *De don. inter virum & uxorem*, cap. *Nuper*. Concordat cum hoc, quod dicitur: *Nemo dat, quod non habet; de jurepatronat.* cap. *Quod autem*. Sed contra, *De conſec.* Diſt. 4. *Solet*, ubi dat baptiſmum, qui non habet, & *De elect.* cap. *Suffraganeis*. Solutio. Hoc, quod dicit regula, eſt generale: illa vero ſunt ſpecialia, & ſpecialitatis rationem facile videre poteris. Et ideo notat Bernardus in prædicta Decretali, *Nuper*, *De donat. inter virum & uxorem* &c. vide in Gloſſa. Joannes Andreas. Ex hac regula ſequitur, quod emens rem furatam nullum jus ibi habet; quia, nec qui vendidit, habebat. Recipiens a religioſo ſine licentia ſuperioris non poteſt illud tenere, quum ille nil habeat. Suſpenſus ab officio propter excommunicationem vel hujuſmodi, epiſcopus ordinem dare poteſt de facto, ſed non dat exſecutionem. Prælatus, qui dat auctoritatem, quam non habet, nil dat.

11 §. LXII. *Odia* 11 *reſtringi, & fautores convenit ampliari*. Pone caſum in primo dicto 35. quæſt. 3. *Quædam lex*, verſ. *Quod ſcripſi*, ubi privilegium odioſum de contrahendo in gradu prohibito reſtringitur. Et *De decim.* cap. *Tua*, ubi decimæ novalium non accreſcunt laicis habentibus decimas in feudum. In ſecundo pone caſum 16. quæſt. 2. can. 1. *De privileg.* cap. *Licet* lib. 6. Et concordat ad hanc regulam 16. quæſt. 3. §. *Poteſt*. Si ergo jus, vel privilegium odioſum eſt, reſtringetur; dum eſt favorabile, ampliandum eſt. Si favorabile & odioſum, ut Macedonianum, ampliatur, quia illi juri renuntiari non poteſt, ff. *Ad Maced.* l. *Sed etſi pater*, in fine. Item extenditur non ſolum ad pecuniam, ſed ad rem aliam datam in fraudem, ff. eod. tit. *Si Julianus*. Hoſtienſis, *De præſcrip.* cap. *Quum ex officii*, quærit de prælato, qui præſcripſit viſitationem, & numquam fuit procuratus, modo petit procurationem, an ſit audiendus; & dicit, quod non. Præſcriptio enim odioſa eſt, & ideo unum ſine altero acquiri poteſt per eam, nec tunc viſitationi eſt annexa procuratio, ſed jus commune favorabile. Joannes Andreas. Extendi poteſt ſic, quia quæ ſunt provocativa odiorum, ut inferre contumelias, detractiones, exercere vindictas, ſeveritas juſtitiæ ſunt reſtringenda & amputanda. Et quæ ſunt provocativa favoris, & amoris, ut remiſſio injuriarum, obſequia impenſa, largitas miſericordiæ ſunt ampliA anda. Sic David, quum tot perſecutiones injuſtas accepiſſet a Saule, benigne remiſit, nec voluit vindicare, quum potuit. Similiter in expulſione ſui, & conjuratione populi contra eum. Sic & Joſeph erga fratres, qui vendiderant eum, benigniſſime ſe habuit &c.

§. LXIII. *Omnis res per quaſcumque cauſſas contrahitur, per eas diſſolvitur*. Hæc regula habetur in Decretalibus, *De reg. jur.* Et ſunt verba Joannis Chryſoſtomi. Peccatum primum commiſſum fuit per feminam, ut per cauſſam initialem, & per virum, ut per cauſſam completivam. Et ipſum peccatum diſſolutum fuit per feminam, B ideſt per virginem Mariam initiative, completive per filium ejus Jeſum Chriſtum, 12. quæſt. 2. *Quum redemtor.* Peccatum introductum fuit per ſenſualia, nimis eis inhærendo, ideſt cibum vetitum; & ipſum peccatum diſſolvitur per ſacramenta, quæ conſiſtunt in ſenſibilibus, humiliter quærendo ſalutem per ipſa, 1. quæſt. 1. *Multi*, ibi *ſacramentum eſt*. Peccatum actuale committitur corde per cogitationem, ore per locutionem, opere per ſenſuum abuſionem: & ipſum remittitur per cordis contritionem, oris confeſſionem, operis ſatisfactionem, quæ ſemper requiruntur ſaltem in propoſito, *De pœnit.* Diſt. 3. *Perfecta pœnitentia*. Et ſecundum Petrum de Tharantaſia, ſicut ſufficienter peccatum mortale committitur ſola voluntatis complacentia, 15 C quæſt. 1. *Non eſt*; ita & ſufficienter diſſolvitur, ſeu diſſolvi poteſt per 12 deteſtationem ſolam voluntatis, quæ dicitur dolor intellectualis abſque ſenſuali dolore. De hoc infra in 3. parte. Item excommunicatio ſolo verbo poteſt fieri; ergo & abſolutio ab ea per regulam iſtam, ut arguit Joannes Andreas. 12

§. LXIV. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit*. Pone caſum 34. quæſt. 2. *Si virgo*, & *De præſcr.* cap. ult. Et hæc regula vera eſt ſecundum leges in præſcriptione 10. vel 20 annorum, C. *De præſcr. long. temp.* in Authent. *Malæ fidei*. In præſcriptione autem triginta, vel quadraginta annorum non requiritur bona fides, 16. quæſt. 3. §. *Poteſt*, *De præſcr.* cap. *Vigilanti*. Item etiam ſecundum leges in præſcriptione decem vel viginti annorum ſufficiebat bonam fidem ab initio agnoviſſe, ut in prædicto §. *Poteſt*, 16. quæſt. 3. ſed ſecundum canones in omni etiam præſcriptione longi temporis requiritur bona fides. Et non ſolum ab initio præſcriptionis; ſed & in qualibet parte præſcriptionis debet præſcribens agnoſcere bonam fidem, ut hic. Et quia leges non dedignantur ſacros canones imitari in his, quæ ſunt contrariæ eis, pertinentibus ad forum conſcientiæ; ideo illæ leges ſunt correctæ per Decretalem, *De præſcr.* cap. ult. & ſtatur in hoc juri canonico. D

Sed utrum Papa poſſit tollere leges quoad utrumque forum, ſunt opiniones pro & contra. Sed dicit Joannes Andreas, quod ubi Papa non habet temporalem jurisdictionem, non poteſt tollere leges quoad E

An Papa poſſit tollere leges.

11 Hæc regula locum habet, ubi periculum eſt, ne quis odia amplificans, vel favores reſtringens alteri præjudicium afferat: hoc enim ut caveatur, odia reſtringi, favores convenit ampliari, ut in regula dicitur. Id in foro præſertim externo valet in legibus ex. gr. pœnalibus, quæ in dubio reſtringendæ a judicibus ſunt, ne ſi forte amplificentur, ſupra facultatem legibus traditam & contra juſtitiam agatur. At ubi odia reſtringere, & favores ampliare aliquod præjudicii periculum afferunt, præſertim animabus, ut in dubiis conſcientiæ accidit, contraria regula agendum eſt, ac tutior pars, quæ animæ ſaluti conſulit, omnino eſt eligenda. Ita in dubio, num caſus aliquis ſit reſervatus, licet reſervatio odioſa habeatur, pro reſervato habendus eſt, ne ſacramentum periculo exponatur, ut Prælect. II. n. 3. ex decreto Congregationis juſſu Clementis VIII. edito aliiſque documentis oſtendimus: & ſimiliter in dubio de irregularitate, etſi judici non liceat certam irregularitatis pœnam declarare in foro externo, in interno tamen quis ſe pro irregulari habere debet, &, quoad dubium maneat, a ſacris abſtinere, ut pluribus canonibus explorate ſancitum fuit.

12 Intelligit deteſtationem contritionis perfectæ, quæ propoſitum efficax emendationis, confeſſionis, & ſatisfactionis contineat, ut ex iis probari poteſt, quæ in 3. & 4. parte Auctor affert.

quoad forum civile, niſi in his, in quibus vertitur periculum animæ, quum poteſtates ſint diſtinctæ, Diſt. 96. *Quum ad verum*, & Diſt. 10. *Quoniam*, ubi de hoc. In his autem, in quibus vertitur periculum animæ, poteſt tollere quoad utrumque forum. Probantur hæc *De judic.* cap. *Novit*, *De præſcr.* cap. ult. & per alia jura.

Si quæratur de eo, qui completa præſcriptione incipit habere malam fidem, an teneatur reſtituere rem illam; dic ut notatur 14. quæſt. 6. cap. 1. & 34. quæſt. 2. *Si virgo*, & *De præſcr.* can. *Vigilanti*. Et concluſive ibi dicitur, quod non, niſi haberet conſcientiam remordentem, quam non poſſet deponere. Et aſſignatur ibi ratio. *Fidei*. Fides dicitur hic conſcientia; ſic ſumitur, 38. quæſt. 1. §. *Ex his*. Et quomodo multis modis ſumitur fides, habes 22. quæſt. 1. *Movet*, & *De ſum. Trinit. & fid. cathol.* in rubrica: *Ullo tempore*: potes facere punctum ante & poſt, & ſic habebis duos intellectus. Primus eſt, quod nulla antiqua dierum poſſeſſio &c. *De præſcr.* cap. *Vigilanti*. Secundus eſt, quod nullo tempore præſcriptionis debet agnoſcere malam fidem. Quid ſit præſciptio, & quid uſucapio, & quæ in eis requirantur, & quis eorum effectus, habes plene not. 16. quæſt. 3. in ſumma, & infra in 2. parte. Uſurarii & raptores & hujuſmodi non præſcribunt umquam, nec hæredes eorum, de quo vide in 2. parte tit. 1.

§. LXV. *Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Qui in ſervitute*, per quam etiam poteſt poni caſus, & per 16. quæſt. 3. *Porro*, & *De præſcr.* cap. *Cauſſam*; quia ſervus, quum ab alio poſſideatur, non poſſidet, ut in primo caſu. Hæreticus & paganus ut in ſecundo: laicus ſpiritualis ut in tertio. Sciendum autem, quod poſſeſſionum alia juris, alia facti, alia juris & facti. Hæc interdum habet plurimum juris & minimum facti, interdum autem e contra. Quod proſequere, ut notatur *De conceſ. præbend.* cap. *Cum noſtris*. Ut ergo currat præſcriptio, debet poſſidere de facto, & de jure. De facto, planum eſt, quia qui non poſſidet, non præſcribit. Et debet poſſidere proprio nomine, non alieno; alias ille præſcriberet, cujus nomine poſſideret, 16. quæſt. 3. *Clerici*. Debet etiam poſſidere de jure, quia ad præſcriptionem requiritur civilis poſſeſſio, & quod talis ſit perſona, in quam cadere poſſit poſſeſſio hujuſmodi, ut per inducta jura probatur in principii Gloſſa. Ad hoc etiam 14. quæſt. 1. in princ. & quod ibi notatur. Hoc dico, quia laici de facto interdum poſſident decimas, & ſpiritualia, ut notat Bartholomæus Brixienſis 14. quæſt. 1. in princ. Nam, ut ibi patet, aliud eſt poſſidere, aliud legitime poſſidere.

Nota enim, quod hæc poſſeſſio facti debet eſſe continua; quia ſi interrumpatur poſſeſſio, interrupta eſt præſcriptio, 16. quæſt. 3. §. *Poteſt*, *De præſcrip.* cap. *Illud*. Si tamen fiat interruptio civiliter, puta per litis conteſtationem ſecundum canones, videtur quodammodo quod non currat præſcriptio, quia præſumitur titubare, & malam fidem habere. Secus ſecundum leges; & hoc notat Joannes 16. quæſt. 3. can. 1. Et quod dicit regula de poſſeſſione, intelligas etiam vel de quaſi poſſeſſione, quia incorporalia non poſſidentur, ſed quaſi poſſidentur, ff. *De uſu*, l. *Sequitur*, §. *Si viam*. Hic etiam plura ponuntur de uſucapione, quæ ob brevitatem dimitto. Joannes Andreas.

§. LXVI. *Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Qui dolo*. Et pone caſum, *Ut lit. pen.* cap. *Eccleſia ſanctæ Mariæ* 2. Hæc regula vera eſt quoad hoc, ut in tantum teneatur, qui dolo deſiit poſſidere, in quantum poſſidens. Non tamen tenetur taliter; nam contra poſſidentem datur directa; hic autem datur utilis, ff. *De noxa*, l. *Electio*. Item nota, quod hæc regula habet locum in privato & in prælato quoad bona propria. Si autem Eccleſia deſinat poſſidere dolo prælati, non habet locum in Eccleſia iſte rigor, quia *delictum perſonæ* &c. ut ſupra in regula *Delictum* cum ſuis concor. & hoc notat Bernardus ſecundum Laurentium *Ut lit. pen.* cap. *Eccleſia* 1. in Gloſſa. Item nota, quod regula dicit *dolo*, quia ſi ſine dolo, tempore, quo mota eſt lis, vel quo res judicatur, deſiit poſſidere, abſolvitur: *De excep.* cap. *Adverſario*. Sed ſi iterum incipiat poſſidere, & iterum agatur contra eum, non obſtat exceptio rei judicatæ, ut ibi dicitur. Si agens dicat reum dolo deſiſſe; poſſidere reus autem dicat, quod deſiit ſine dolo; quis habeat probare, quæri ſolet. De quo dic, ut notatur per Bernardum in prædicta Decret. *De except. adverſario*, & quod dixi, quod *qui ſine dolo deſiit poſſidere*, *abſolvitur*; verum intellige hoc, quum a principio ſine dolo poſſedit. Si autem a principio doloſe poſſedit, puta per uſuras, per rapinam vel furtum, vel ſimili modo, etiamſi ſine dolo deſiit poſſidere, puta naturali interemtione vel caſu, vel furto, vel violentia, nihilominus tenetur, ut *De uſur.* cap. *Quum tu*, & *De rapt.* cap. *Super eo*. Et facit quod dictum eſt ſupra in regula *Mora*. Joannes Andreas.

§. LXVII. *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum*. Hic ponitur pro regula verbum Auguſtini, quod habetur 14. quæſt. 6. can. 1. & *De uſur.* cap. *Quum tu*; quod autem dicitur in hac regula, verum intelligas, ſi illud ablatum reſtitui poteſt, ut in prædictis capitulis dicitur. Si autem res ipſa ablata reſtitui non poteſt, vel quia conſumta eſt, aut perdita, diſtracta, aut ſine magno ſcandalo non poteſt reſtitui res illa; reſtituetur ejus æſtimatio, etiamſi res illa caſu periit ſine culpa ſua, quia in ipſo inſtanti fuit in mora, 16. quæſt. 1. *Decimæ*, & *De com.* cap. 1. Si autem nec æſtimationem reſtituere poteſt, quia evidenter eſt inops; bene quidem dimittitur peccatum, ſi videlicet alias ipſum pœnitet; remanet tamen obligatio. Et ſi poſtea pervenerit ad pinguiorem fortunam, tenebitur, arg. 26. quæſt. 6. *Si quis*, & *De ſolut.* cap. *Odoardus*. Nota tamen, quod inops, qui debet ex contractu, ſufficit, ſi bonis cedat, C. *Qui bon. ced. poſ.* l. ult. Sed inops, qui debet ex maleficio, caſtigatur verberibus, 12. quæſt. 2. *Fraternitas*. Quod ergo dixi, quod tenetur, ſi venerit ad pinguiorem fortunam, verum eſt, ſi pœnas corporales non eſt paſſus; alias ſecus, ut notat Bernardus ſecundum Laurentium, *De homicid.* cap. *Sicut dignum*. *Reſtituatur*. Quod dicit de reſtitutione, intelligas, niſi is, cui facienda eſt reſtitutio, liberaliter remittat, ideſt ſine vi, ſine metu, ſine fraude, quia ſatisfactum intelligitur qualitercumque ſatisfaciat, ff. *Qui mo. pig. vel hypothec. ſol.* l. *Item liberatur*. Et quod dico de remiſſione, intellige niſi in his caſibus, in quibus expreſſum eſt in jure, quod non liberet remiſſio, ut *De cenſib.* cap. *Exigit*, lib. 6. in fine. Eſt autem reſtituendum ei, a quo extortum eſt, vel hæredibus ejus, ſi exſtant, Diſt. 18. & *De uſuris*, cap. *Quum tu*. His non exſtantibus, pauperibus, ut ibi in dicto capitulo. Utrum autem excommunicato, cujus eſt res reſtituenda, fieri debeat reſtitutio, dum eſt in excommunicatione, remittit ad notata per Gloſſam 15. quæſt. 6. *Nos ſanctorum*. Et ſubdit: Satis poſſet dici deponendum illud in ædem ſacram, quouſque ſcilicet ſolvatur creditor. *Ablatum*. Idem intelligitur in damnis datis per aliquem, in quibus nil pervenit ad eum, quia ſcilicet tenetur damnum paſſo; alias non remittitur peccatum. Joannes Andreas. Et quia multum

diffuſe tractatur materia de reſtitutionibus in 2. part. tit. 2. ideo hic non plus. Poteſt ad multa extendi regula iſta. Et primo, quia Deus peccatum ſine ultione non patitur, ut dicitur *De pœnit.* Diſt. 1. *Si peccatum David.* Ideo non fuit dimiſſum peccatum humani generis, niſi facta reſtitutione ſeu ſolutione pœnæ in cruce per Chriſtum, pſal. 68. *Quæ non rapui, tunc exſolvebam.* Et de quolibet actuali peccato, quia quum per ipſum ſubtrahatur obſequium Deo debitum per ſuperbiam, niſi humiliter quis in obſequium Dei non remittitur, *De pœnit.* Diſt. 1. *Neminem*; ſic de ablatione famæ vel damnificatione, vel occiſione & hujuſmodi, quia oportet ſatisfacere modo poſſibili.

§. LXVIII. *Qui occaſionem damni dat, damnum quoque dediſſe videtur.* Hoc habetur extra *De injur. & dam. dat.* cap. ult. licet ſub aliis verbis: & additur immediate ſic: *Secus tamen de illo dicendum, qui ut non accideret de contingentibus, nil omiſit.* Et in principio Decretalis illius ſic dicitur: *Si culpa tua datum eſt damnum vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus forte opem tuliſti, aut hæc imperitia tua aut negligentia evenerunt, jure ſuper his ſatisfacere te oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere vel jacturam.* Hæc ibi. Nota, quod duplex eſt occaſio, ſcilicet data, & ex iſta tenetur; & occaſio ex ſe accepta, & ex iſta non tenetur quis.

§. LXIX. *Peccati venia non datur niſi correcto.* Hæc regula colligitur ex can. *Legatur*, 24. quæſt. 2. *Et de ſchiſma* cap. 1. lib. 6. per quæ pones caſum. Nota, quod differentia eſt inter delictum, peccatum, & crimen. Peccatum idem eſt quod parvus actus. Delictum vero diſertio boni quaſi derelictum. Crimen vero peccatum accuſatione & damnatione digniſſimum, Diſt. 81. can. 1. Frequenter tamen unum ponitur pro alio. Nota, quod peccator non ſolum delinquit in Deum, ſed etiam in Eccleſiam. Per contritionem autem deletur peccatum quoad Deum; per pœnitentiam vero, quæ imponitur a ſacerdote in confeſſione, [13]oſtenditur deletum quoad Eccleſiam, *De pœnit.* Diſt. 1. per totum. Licet autem per contritionem ſit deletum quoad Deum; tamen adhuc de crimine accuſari poteſt, 33. quæſt. 2. *Admonere*, ubi de hoc. Si ergo ſemel conteritur & pœnitet, ulterius non cogetur pœnitere. Si in judicio accuſatus abſolvitur, ulterius non poterit accuſari, niſi in caſibus notatis, 2. quæſt. 5. *Habet hoc proprium.* Signatur contrarium ad hanc regulam, Diſt. 4. *Denique.* Ibi enim datur venia non correctis, & fit ibi mentio de crapula carniſprivii. Sed exponitur ibi venia, ideſt impunitas pœnæ temporalis: propter ſcandalum enim vitandum relinquuntur quandoque crimina impunita, ut Diſt. 50. *Ut conſtitueretur.* Item contra *De pœnit. & remiſſ.* cap. *Quod quidam*, & cap. *Officii*, ubi datur pœnitentia non correcto, ideſt incontrito. Sed dic, quod licet imponatur pœnitentia, non tamen datur remiſſio; & ideo inutilis eſt illa pœnitentia, quoad vitam æternam, & *De pœnit.* Diſt. 5. *Falſas*. Nota etiam, quod pro quolibet mortali debetur duplex pœna, ſcilicet æterna ſeu infernalis, & temporalis, & *De pœnit.* Diſt. 1. *Si peccatum David.* Hoc etiam ponunt Thomas & alii Theologi. Venia pœnæ temporalis interdum datur non correcto in hac vita, in quantum ſcilicet quis non punitur, ſeu ſatisfacit pro peccatis commiſſis. Venia autem pœnæ æternalis numquam datur incontrito. Joannes Andreas. Sic poteſt extendi: Aut loquimur de venia peccati, ideſt remiſſione quoad culpam, aut quoad pœnam. Si quoad culpam, vera & firma ſtat regula iſta, quia nec culpa peccati mortalis remittitur alicui niſi correcto, ideſt vere pœnitenti & contrito, *De pœnit.* Diſt. 1. *Neminem*, & can. *Tres ſunt actiones*. Culpa etiam venialis non remittitur in præſenti non pœnitenti de eo, ſed in purgatorio. Si vero loquimur de peccato quoad pœnam ei debitam, ſive æternam; adhuc vera eſt regula, quia pœna æterna numquam remittitur incorrecto, ideſt non contrito de omnibus mortalibus, *De pœnit.* Diſt. 3. *Sunt plures*. Sed nec pœna temporalis de mortalibus vel venialibus debita remittitur incontrito; unde indulgentiæ talibus non valent, quæ ſolum ſunt de pœnis. Sed contrito datur venia, ideſt remiſſio, correcto contrito quoad illa, quorum pœnitet; non autem de illis venialibus, de quibus non pœnitet.

§. LXX. *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & exſtinguitur cum perſona.* Hæc regula ſumta eſt ex l. eod. tit. *Privilegia*. Pone caſum, 7. quæſt. 1. *Petiſti*, & *De auctor. & uſupal.* cap. 2. Et nota, quod dicit *privilegium*, quia jus commune ad unam perſonam directum ad omnes extenditur Diſt. 61. *Miramur*, & *De re judic.* cap. *In cauſſis*. Et idem in reſcriptis directis ad perſonas, quia cum perſonis exſtinguuntur, *De offic. deleg.* cap. *Quoniam.* Sic & pacta perſonalia perſonas non tranſgrediuntur *De tranſact.* cap. *De cetero*. Et compromiſſum non extenditur ad hæredes, niſi de ipſis caveatur, *De arbitr.* cap. ult. Et intelligitur hæc regula de privilegio perſonali, ideſt perſonæ conceſſo. Idem, ſi eſſet perſonale ex parte concedentis, *De reſcript.* cap. *Si gratioſe*, lib. 6. Privilegiorum igitur aliud perſonale, aliud reale, *De præſumt.* cap. *Mandata.* Si autem ſimpliciter concedantur, an dicantur perſonalia, an realia, dic, ut notatur 25. quæſt. 2. in ſumma, & 16. quæſt. 1. *Poſſeſſiones*. Et quod dicitur hic de privilegio perſonali, quod exſtinguitur cum perſona, idem intelligas in reali, quod ſcilicet exſtinguitur exſtincta re, 16. quæſt. 7. *Et hoc diximus*, *De verb. ſign.* cap. *Abbate*. Quod dic verum, quando ipſa loca, vel res, puta civitas, Eccleſia, vel alia loca ſacra, vel prophana deſtruuntur ſuperioris auctoritate, ſecundum Joannem & Laurentium, qui hoc notant ſuper dicto capitulo, *Et hoc diximus*. Si autem deſtruatur ab hoſtibus, retinet omnia ſua privilegia, & remanent ibi clerici, 7. quæſt. 1. *Paſtoralis*. Idem ſi auctoritate ſuperioris transferatur ad alium locum, vel uniatur alteri, 16. quæſt. 1. *Et temporis*, & cap. ſeq. Et licet dicatur hic privilegium exſtingui, quum exſtinguitur perſona; interdum etiam exſtinguitur ante, & propter abuſum meretur exſtingui, 11. quæſt. 3. *Privilegium meretur amittere*, inquit Gregorius, *qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate*, & in caſibus notatis in Gloſſa & Diſt. 22. *Renovantes*. Et nota quod privilegium indeterminate conceſſum, perſonam ſequitur præciſe, ut in regula, ideſt in omnibus loco & tempore. Sed privilegium conceſſum cum determinatione loci & temporis, ut in uſu pallii, extra locum perſonam non ſequitur, ut *De uſupal.* cap. *Ex tuarum*. Tenor enim privilegiorum attendendus eſt & ſervandus, *De privil.* cap. *Porro*. Joannes Andreas. Ex hoc ſequitur, quod qui obtinet aliquam auctoritatem ſpecialem, vel gratiam ſimpliciter a ſuperiori, ſemper retinet, niſi revocetur.

§. LXXI.

13 Vide, ne hæc ita accipias, ac ſi injuncta a ſacerdote pœnitentia apud ſolam Eccleſiam, & non apud Deum ſatisfactoria ſit: nam apud Deum maxime ſatisfieri per pœnitentiam, quam ſacerdotes imponunt, palam tradit Auctor part. 3. tit. 14. c. 20. Solum indicare videtur, injunctam pœnitentiam, ſi impleatur, plene ſatisfacere Eccleſiæ, ut ne tamen certum ſit, num plene pariter ſatisfaciat debito apud Deum, quod ſæpius majus eſt, quam cui pœnitentiæ, quæ nunc imponi ſolent, ſatisfacere ex æquo poſſint.

§. LXXI. *Pluralis locutio duorum numero eſt contenta*. Pone caſum *De conſec.* Diſt. 1. *Hoc quoque*, ibi: *Dominus vobiſcum*, duos numero comprehendit, *De præbend.* cap. *Is, cui*, lib. 6. Ubi beneficiorum nomine duo intelliguntur beneficia. Item per l. ff. *De manumiſ. teſtam.* l. *Libertas*. Si legetur ſervo libertas poſt annos, de duobus intelligitur. Item ſi promittitur, vel legatur poſt dies, de duobus diebus intelligitur, ff. *De verb. ſignif.* l. *Inter illam*. Et nota, quod quum hæc regula dicit, quod *pluralis locutio eſt contenta numero duorum*, verum eſt regulariter, & ubi eodem jure, vel alio jure non adjicitur numerus. In cauſſis igitur & inſtrumentis regulariter duo teſtes ſufficiunt. Interdum etiam unus ſufficit, ubi nulli fit præjudicium, *De conſecr.* Diſt. 4. *Placuit*. Et multi ſunt caſus, in quibus requiruntur tres ad minus teſtes. Primus in depoſitione pecuniæ. Secundus, quando imperitus litterarum contrahit in ſcriptis. Tertius in inſtrumento publico, quando mulier fatetur ſe aliquid recepiſſe pro intereſſe. Item quando quis vult infirmare teſtamentum, quod fecit, poſt tranſcurſum decennii. Item in inventario. Item in privata ſcriptura, ut fidem faciat. Item quinque teſtes requiruntur, dum contractus excedit libram auri in civitate. Item in donatione cauſſa mortis. In teſtamentis autem communiter ſeptem requiruntur. Item in teſtamento cæci octo. Aliquando ſufficiunt quinque, ut in teſtamento ruſtici, ut in municipiis & villis, ubi eſt hominum raritas. Aliquando ſufficiunt duo vel tres, ut in teſtamento facto inter filios & nepotes &c. ibi videre potes. Joannes Andreas.

§. LXXII. *Plus ſemper continet in ſe, quod eſt minus*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *In eo*. Pone caſum 24. quæſt. 1. *Si quis dederit*. Ubi quidem imponebant pœnitentiam ſeptem annorum, quidam decem, alii quinque, & canon hanc ultimam ibi ſequitur. Item in arbitris pronuntiantibus quilibet diverſo numero, *De arbitr.* cap. 1. lib. 6. Et eſt ratio hujus regulæ, quare in obſcuris ſequitur minimum, quia *plus continet in ſe, quod eſt minus*, & non e contra, ut dictum eſt ſupra, in regula *in obſcuris*. Et concordat ad hanc regulam ſupra illa, *cui licet*. Sed contra *De præbend.* cap. *Cui*, lib. 6. ubi dicitur, ſi mandatur alicui provideri de præbenda integra, etiam eo volente, ſibi non poterit de dimidia provideri. Vel ſi mandetur ei provideri de præbenda certi valoris, ſibi non poterit etiam eo volente de præbenda minoris valoris provideri. Solutio. Hoc facit forma mandati, quæ exacta diligentia eſt ſervanda. Item fallit hæc regula in caſibus, ubi requiritur ſpecialis expreſſio, ubi genus, quod plus eſt, non continet ſpeciem, quod minus eſt, ut dictum eſt in regula *Generi*. Item habet locum regula in eo, quod plus eſt quantitate, non in eo, quod plus eſt qualitate; quia plus qualitate non includit minus qualitate, ut in regula, *Cui licet*. Joannes Andreas.

§. LXXIII. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum*. Pone exempla, poteſt quis jurare per alium, ut Diſt. 63. *Tibi Domino*. Item poteſt per alium quis contrahere matrimonium, ſcilicet per procuratorem ſuum, ad hoc *De procurat.* cap. ult. lib 6. Hæc tamen regula habet multas exceptiones, in quibus non poteſt quis facere per alium, quod per ſeipſum, ut in eo, cui committitur certum miniſterium, *De offic. deleg.* cap. ult. Non enim poteſt ſubdelegare, niſi in hoc habeat ſpecialem commiſſionem. Item in pœnitentia ſuſcipienda, *De pœnit.* Diſt. 1. *Quem pœnitet*, quam per ſe quis ſuſcipere debet, non per alium, ſcilicet quoad contritionem & confeſſionem. Ratio eſt pudor, qui eſt maxima pars pœnitentiæ, ut ibi dicitur. Item in eo viro, qui per ſe veniam ætatis impetrat, quod per ſe facere debet. Item adoptare vel arrogare non poteſt quis per alium. ff. *De adopt.* l. *Poſt mortem*, §. *Neque*. Ratio eſt, quia adoptatio imitatur naturam. Item fallit in judice, qui per ſe debet dare ſententiam, non per alium, niſi ſit epiſcopus, vel ſuperior, *De re judic.* cap. ultimo lib. 6. Item in eo, qui cœpit conferre ſacramentum unitatis, ut ordines, baptiſmum, extremam unctionem, conſecrationem, euchariſtiam, & hujuſmodi, quia per alium perficere non poteſt, Diſt. 23. *Quorumdam*. Nam ubi deficeret ſacerdos in medio formæ ſacramentorum, qui ſupplet defectum ejus, totam formam debet dicere, non partem, ſecundum theologos. Item abbas per ſe poteſt corrigere monachos, etiam verberando, non per alios, maxime laicos, *De ſent. excommun.* cap. *Univerſitatis*. Item Dominus novum emphiteotam per ſe, non per alios in poſſeſſionem inducere debet. Item regulariter in cauſſa criminali, 2. quæſt. 6. *Si quando*. Item quæ ſunt meri imperii, vel gladii poteſtatis, non delegantur ſecundum leges, niſi in caſu ff. *De offic. ejus, cui mand. eſt juriſd.* l. 1. Secus ſecundum canones. De hoc notatur, Diſt. 95. cap. 1. & *De offic. ordin.* cap. *Quod ſedem*. Item per ſe debet reſpondere adultus, qui cathechizatur, non per alium. Fallit etiam in ſu *De electione* cap. *Cupientes* lib. 6. & *De offic. deleg.* cap. 1. & *De hæreticis*, cap. 2. Hæc igitur & ſimilia ſpecialia ſunt.

Pudor eſt maxima pars pœnitentiæ.

Et nota, quod etiam e converſo quædam per alium poſſum, quæ non per me. Epiſcopus enim clericum ſuum per alium verberare poteſt clericum; tamen non per ſe ipſum, Diſt. 86. *Non liceat*. Item epiſcopus per alium litigare poteſt, non per ſe. Item tuitionem & gubernationem & curam pupillorum, viduarum & peregrinorum per alium exercere debet, non per ſe, Diſt. 88. *Epiſcopus gubernationem*. Item prælatus clericus habens temporalem juriſdictionem, audit & judicat in cauſſa ſanguinis, non per ſe, ſed per alium, *Ne cler. vel mon.* cap. ult. lib. 6. Item religioſa mulier per alium poteſt eſſe in judicio, non per ſe. Item interdum conſequitur quis per alium, quod per ſe conſequi non poſſet, *De conceſ. præbend.* cap. *Auctoritate*, lib. 6.

Et nota, quod id dicimur poſſe, quod de jure poſſumus. Hanc igitur regulam credo loqui in his, quæ de jure ſortiuntur, vel ſortiri poſſunt effectum. Non igitur ſuperabundat alia regula infra, ideſt *Qui facit*, quæ generaliter loquitur, ut etiam maleficia comprehendat. Et iſta loquitur de poteſtate faciendi, illa de effectu jam facti. Item ex iſta regula nota, quod ſicut per ſe poteſt quis ſubſcribere, ita per alium, ut notatur, *De re judicata*, cap. 1. *Quum inter*. Joannes Andreas. Poteſt quis ſatisfacere per alium, ſicut per ſe, ſi videlicet eſt in gratia, & e contra poteſt mereri per ſe, & peccare, quod non poteſt per alium.

§. LXXIV. *Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſeipſum*. Hæc regula ſumta eſt ex lege, ff. eod. tit. l. *Quod juſſu*. Pone exempla, & proſequere, ut in regula, *Poteſt quis*, & non ſuperabundat iſta per illam, ut ibi dixit Joannes Andreas.

§. LXXV. *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt*. Pone caſum in matrimonio, quia conſummatum non poteſt diſſolvi, 32. quæſt. 5. *Horrendus*, & *De jurejurand.* cap. *Quemadmodum*. Item in electo, 8. quæſt. 2. *Dilectiſſimi*. In judice, 3. quæſt. 3. §. *Offeratur*. Idem in aliis omnibus, Diſt. 4. *In iſtis*.

Fallit interdum hæc regula ex caſu ſuperveniente, vel de novo ad notitiam perveniente, *De ele-*

electio, cap. *Ut circa* lib. 6. quia quæ de novo emergunt, indigent auxilio, *De offic. delegati* cap. *Insinuante*. Item fallit in omnibus casibus, in quibus permittitur a jure pœnitere, vel variare, sicut in medico, quem licet mutare: in appellatione, a qua licet appellanti recedere, 2. quæst. 6. *Siquis*: in patrono laico, qui potest variare, *De jurepatron.* cap. *Quod autem*: in cardinali, qui variat in casu, *De election.* cap. *Licet*: Item in moniali, eodem tit. lib. 6. *Indemnitatibus*. Item in testamento, quod mutari potest usque ad ultimum vitæ, 13. quæst. 2. can. *Ultima voluntas*, etiam non obstante pacto de non mutando, C. *De pact.* l. *Pactum*. Item in libello, quem quis mutare potest usque ad litis contestationem, & accusans ante inscriptionem pœnitet, *De accus.* cap. *Licet*. Item in mandato, & societate, & depositio licitum est pœnitere, Institution. *Mandati*, § *Recte*, & *De procurat.* cap. 2. lib. 6. Et regulariter in contractibus innominatis; quod dic, ut plene notatur ff. *De condit. caus. data, caus. non seq.* l. *Si pecuniam*. Item solvuntur sponsalia de futuro per sequentia sponsalia de præsenti, *De spons.* cap. *Si inter*. Et sponsalia de præsenti per ingressum religionis, *De conver. conjug.* cap. *Ex publico*. Et ingressus religionem ante annum vel professionem pœnitet, *De regula* cap. *Ad nostram*. Et professus unam religionem, etiam invito prælato ingreditur & profitetur arctiorem, eodem tit. *Licet*. Et a voto simplici receditur per sequens matrimonium, *De vot. & vot. redem.* cap. 1. lib. 6. Item a voto de certa religione profitenda receditur per ingressum alterius, etiam [14] laxioris, *De reg.* cap. *Qui post votum* lib. 6. Item fallit in casu, in quo licet infra triduum pœnitere, *De regul.* cap. *Ad nostram*, eodem tit. & lib. 6. *Constitutionem*. Item in electo, qui consentit electioni de se factæ, qui propria auctoritate pœnitet ante confirmationem, *De translatione* cap. *Inter corporalia*, secundum Bernardum. In his igitur, & similibus casibus, quod semel placuit, adhuc displicere poterit. Et incidit in hanc regulam illud generale, quod nullus potest venire contra factum suum, de quo dic ut notatur Dist. 55. *Pœnitentes*.

Mutare an & quando liceat suũ propositum.

Et nota, quod hæc regula non habet locum in his, quæ improbantur a jure, ut in prædicto cap. *Pœnitentes*, *De for. competent.* cap. *Si diligenti*, C. *De arbit.* l. 1. Ubi licet partes faciant pactum de non recedendo ab arbitrio, & appellationi renuntient, nihilominus recedere possunt. Item habet locum in his, quæ scienter placent, & non per errorem facti, Dist. 38. *Quamvis*; unde contrahens cum serva, quam credit liberam, potest pœnitere. Emens auricalcum intendens emere aurum, potest rescindere emtionem. Item requiritur, quod placeat non solum mente, sed verbo vel facto, & quod alterius interfit. Facit ad hoc regula, *Mutare*, & quod ibi dicitur. Joannes Andreas. Quod ultimo dictum est, videtur habere locum in foro contentioso. Nam siquis voverit aliquid sola mente, tenetur quoad Deum sicut ore voviſſet.

Extenditur regula ad vota, & juramenta, & hujusmodi, quæ si sunt justa, non licet propria auctoritate venire contra. Item si quis renuntiat juri suo, pœnitere non potest, 7. quæst. 1. *Quam periculosum*.

§. LXXVI. *Quod quis mandato judicis facit, dolo facere non videtur, quum habeat parere necesse*. Hæc regula sumta est ex lege, ff. eod tit. l. *Non videntur*. Pone casum in milite, qui de mandato judicis occidit, 24. quæst. 5. *Miles*: in laico, vel clerico, qui de mandato prælati capit clericum, *De sentent. excommunic.* cap. *Si clericos* lib. 6.

[14] Consule not. 25. in cap. 2. tit. 11. part. 2. pag. 1126.

Et hæc regula vera est, quum judex aliquid mandat suum officium exercendo, ff. *De trebel.* l. *Servo*, §. *Quum prætor*. Si vero non exercet officium suum, non est parendum nisi in reverentiæ exhibitione. Nam interdum resistere debent officiales, *De pœnitentia*, Dist. 1. *Nemo*. Et hoc verum in atrocioribus, in quibus Deo magis, quam hominibus obediendum est, 11. quæst. 3. *Si dominus*. In his autem, quæ sine dolo committuntur, etiam parens extra officium excusatur, ff. *Ad legem Aquil.* l. *Liber homo*.

Et nota, quod sicut dolo caret, qui judicis obtemperat præcepto; ita contra dolo non caret, qui præcepto judicis non obtemperat, ff. eod. tit. l. *Non potest*. *Quum habeat* &c. Hic redditur ratio. In his ergo, in quibus non habet necesse parere, ut in atrocioribus, quæ ad suum non spectant officium, dolo non caret: & facit ad hoc, *De sentent. excommunic.* cap. *Universalis*, ubi verberans monachum, si est laicus, licet illud faciat de mandato abbatis, est excommunicatus.

Et nota, quod dicit *parere necesse*. Sicut enim necessitas excusat a furto, *De consecrat.* Dist. 5. *Discipulos* 2. & a dolo, ut hic. Quum ergo nullum maleficium sit sine dolo, vel lata culpa, quæ dolo comparatur, 15. quæst. 1. *Aliquos*; ergo & a maleficio quolibet excusat necessitas. Quod intellige, ut dixi, quum scilicet mandat, quod spectat ad suum officium; puta occidere homicidam secundum ordinem juris, non peccat obediens in hoc judici, qui alias peccaret graviter. Joannes Andreas. In malis ergo non est obediendum judici, ideſt prælato, 11. quæst. 3. *Quid ergo*. In bonis obediendum est simpliciter, ead. quæst. *Si dominus*: in dubiis similiter obediendum est, 23. quæst. 1. *Quid culpatur*, in fin.

Nota.

§. LXXVII. *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam sunt ad consequentiam trahenda*. Hæc regula sumta est ex l. ff. eod. tit. l. *Quod contra rationem*. Pone casum 16. quæst. 1. *Hinc est*, & *De privileg.* cap. *Sane*. Et concordat ad hanc regulam supra illa regula, *In argumentum*, & infra; *Quod alicui*. Potes ergo intelligere hanc regulam in privilegio, quia privilegia singulorum communem legem non faciunt, 26. quæst. 2. *Non exemplo*. Item in jure Vellejano non regulariter quilibet intercedendo obligatur; hoc ergo fallit in muliere, quæ non trahitur ad consequentiam, & idem in similibus. Et nota, quod sicut ea, *quæ exorbitant a jure communi, non sunt trahenda ad consequentiam*, ut hic in regula; ita non sunt amplianda, sed restringenda, ut *De fil. presbyt.* cap. *Is qui*, lib. 6. Facit hæc regula ad quæstionem, qua quæritur, an fratres eremitani & alii mendicantes religiosi & non mendicantes comprehendantur in illa constitutione extravaganti noviter edita per Bonifacium VIII, quæ incipit: *Super cathedram*, in qua exprimuntur solum minores & prædicatores. Et quidquid alii dicant, dicendum, quod non extenditur ad alios religiosos mendicantes, vel non mendicantes, vel ad clericos sæculares; sed solum amplectitur minores prædicatores, tum quia intentio Papæ videtur hæc fuisse, ut per verba constitutionis apparet; tum quia exorbitans est a jure communi: & ideo ad consequentiam non trahenda, nec amplianda, ut hic in regula. Vult enim illa constitutio dari quartam etiam de his, de quibus de jure dari non debet, sicut de ornamentis relictis pro fabrica, aut pro anniversariis, septimo, sive tricesimo, & hujusmodi, puta relictis etiam pro luminaribus vel certis personis, *De test.* cap. ultimo. Et ita pronuntiatum est per me & dominum Jo-

annem

annem de monte Murlo. Joannes Andreas.

Nota, quod iſta conſtitutio, quæ hic dicitur extravagans, ſcilicet *ſuper cathedram*, nunc eſt in corpore juris, ſcilicet in Clement. *De ſepult. Dudum*. Item nota, quod poſt Clementem uterque ordo, ſcilicet Minorum & Prædicatorum, habuit privilegia contra illam Clementinam quartam non ſolvendam, de qua, & quomodo, vide ſupra de privileg. ord. prædicat. tit. præced. & in 3. parte tit. 10. cap. 5. de ſepulturis.

§. LXXVIII. *Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum*. Pone exempla, quæ dixi in regula, *Quæ a jure*, ſcilicet immediate poſita; & proſequere ut ibi, & in regula *Privilegium*: & concordat ad hanc illa alia *In argumentum*. Joannes Andreas. Extendi poteſt iſta cum ſuperiori de his, quæ facta ſunt a ſanctis in veteri & novo teſtamento præter leges communes. Et ad hoc facit, quod dicit Gratianus, 2. quæſt. 7. *Nos ſi incompetenter*, §. *His ita reſpondetur*. *Miracula, maxime veteris teſtamenti, ſunt admiranda, non in exemplum noſtræ actionis trahenda*, & ponit exempla Samuelis, qui occidit Agag, & Phinees ſacerdotis, qui occidit Judæum coeuntem cum Madianita, Danielis, qui quum non eſſet judex, dijudicavit cauſſam Suſannæ. Plura alia poſſunt induci, ut [13] Oſeæ, qui duxit uxorem fornicariam; Samſonis, qui ſe occidit; Abrahæ, qui filium ſuum, quantum in ſe fuit, immolavit: Moyſis, qui Ægyptium injuriantem Hebræo occidit; Heſter reginæ, quæ alienigenæ nupſit; Matthiæ, qui ſorte electus fuit, Jacob, qui plures uxores ſimul habuit; David, qui Monamachiam cum Golia exercuit. In novo teſtamento Ambroſii, qui nondum baptizatus electus in epiſcopum fuit; Severi, qui ex lanifice epiſcopus factus fuit; Alexii, qui ſponſam, cum qua contraxerat per verba de præſenti, dimiſit ſine aſſumtione religionis; Zænobii, qui poſt collationem cibi factam cum Ambroſio, celebravit de abſtinentiis miris & vigiliis B. Dominici, & Franciſci, & aliorum, qui ſunt extra communes leges.

§. LXXIX. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*. Pone caſum in œconomo, qui quum in favorem Eccleſiæ conſtitutus ſit, Eccleſiam vacantem gravare non debet, 12. quæſt. 2. *Caritatem*. Item in religionibus non mendicantibus, *De regul.* cap. *Non ſolum*, & cap. ſequenti lib. 6. Sed contra ff. *De aucto. tut.* l. *Obligari*, & Inſt. *De acti. tut.* §. *Neque*, ubi dicitur quod pupillus non poteſt adire hæreditatem, etiam locupletem, ſine tutoris auctoritate. Solutio. In his, in quibus certum eſt conditionem pupilli effici meliorem, valet factum a pupillo, etiam ſine tutoris auctoritate, ut ſi feratur pro eo ſententia, ut in l. *Non eo minus*, C. *De procur.* In his vero, in quibus certum eſt conditionem pupilli deteriorem conſtitui, ut ſi alicui cedat actionem, vel ſe obliget, factum ſuum ſine auctoritate tutoris non tenet, C. *De aucto. præſtand.* l. 2. & 3. In his vero, in quibus dubium eſt, vel eſſe poteſt, an conditio pupilli conſtituatur melior, vel deterior, ut in hæreditatis additione, quæ poteſt habere latentia onera; factum a pupillo ſine auctoritate tutoris non valet, ut in dictis contrariis, & hoc in favorem pupilli, ne oneribus implicetur, ff. *De acquiſ. hæred.* l. *More*. Et hæc regula habet veritatem in ſui contrario, ſcilicet quod pœna vel odium non debet converti in præmium, 16. quæſt. 1. *Legi*, & *De ſent. excomm.* cap. *Si vere* cum ſuis concordantiis. Joannes Andreas.

§. LXXX. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. l. *Quoties*. Pone caſum in jure ceſſionis & ſubſcriptionis Diſt. 17. can. ult. ibi præponitur prius ordinatus. In conſecutione autem præbendæ præponitur, qui prius impetrat, *De præbend.* cap. *Eum, cui*, lib. 6. In duobus emtoribus, vel donatariis præponitur in rei vindicatione is, cui res prius tradita fuit, C. *De rei vind.* l. *Quoties*. Sed quare in hoc ultimo caſu præferatur is, cui res eſt tradita primo, & non is, cui res prius eſt vendita vel donata, quod eſſe debet ſecundum hanc regulam? Solutio. Hæc regula locum habet in his, quorum utriuſque par eſt cauſſa, ut in prædicta l. *Quoties*, ff. eod. tit. Sed poſt venditionem, & ante traditionem quis remanet Dominus, vendendo ergo, & tradendo ſecundo, potior eſt cauſſa ſecundi, ut ibi. Hæc probantur, C. *De hæred. vel act. vindic.* l. *Qui tibi*. Tenetur tamen priori exemto quantum ſua intereſt, ut ibi. Sed per litteras papales quis ſtatim eſt canonicus; & ideo in eis attendimus datam, ut in prædicta decretali *Eum, cui*. Et nota, quod hæc regula locum habet in contractibus, & in his, quæ ex duorum voluntate dependent; ſed in legibus & conſtitutionibus, quæ pendent ex unius voluntate, ſemper poſterior tollit priorem, ſeu revocat. Idem in teſtamentis, & eadem de cauſſa, quia dependet ex voluntate unius. Ad primum *De conſec.* Diſt. 1. *Vaſa*, & *De cognat. ſpir.* cap. 1. Ad ſecundum, 13. quæſt. 2. *Ultima voluntas*. Ad primum contra 33. quæſt. 2. *Hoc ipſum*, & Diſt. 50. *Domino ſancto*, ubi dicitur, quod ſtamus potius antiquo juri, quam novo. Sed dic ut ibi, & ut ſupra dixi. Hæc regula locum habet in his, quæ par jus habent; nam privilegia conſiderantur non ſolum ex tempore, ſed ex cauſſa. Hinc eſt, quod receptus auctoritate apoſtolica præfertur omnibus aliis ante receptis aliorum auctoritate, *De præb.* cap. *Hi, qui* lib. 6. & creditrix dotalis præfertur quibuſdam anterioribus, non tamen filiis ex priori matrimonio, qui agunt de dote materna, C. *Qui pot. in pig. haber.* l. ult. Joannes Andreas.

§. LXXXI. *Quod alicui non ſuo licet nomine, nec alieno licebit*. Pone caſum per Canonem Diſt. 46. *Sicut non ſuo*. Meo enim nomine non licet fœnus exercere; ita nec alieno, ut ibi dicitur. Item extra *De crim. fal.* cap. *Ad falſariorum*. Sicut proprio nomine non debeo falſare litteras papales, ita nec alieno. Et nota, quod hæc regula vera eſt in malefactis: *Indecens eſt enim crimen ſuum alienis commodis impendere*, ut in dicto can. *Sicut non ſuo*. Hoc dico, quia delegatus ex delegatione cognoſcit de cauſſa, de qua ex proprio nomine cognoſcere non poſſet; & laicus, qui non poteſt proprio nomine tractare cauſſam ſpiritualem, tractat alieno, ut *De procur.* cap. 1. lib. 6. Item habet locum regula in his, quæ, ut demandari poſſint, requirunt ordinis adminiculum. Unde ſicut ſuo nomine ſacerdos ſimplex non criſmat in fronte, non ordinat ad ſacros; ita nec epiſcopi ſui mandato, quum talia demandari non poſſint. Et de hoc *De conſecr. Eccleſ. vel alt.* cap. *Aqua*. Joannes Andreas. Non licet fraudes, damna, furta, & hujuſmodi facere nomine ſuo; ita nec alieno.

§. LXXXII. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*. Pone exempla 25. quæſt. 2. *Imperiali*, ubi ſunt hæc verba, & *De reg.* cap. *Non ſolum* lib. 6. in regula ſupra, *Non præſtat impedimentum*. Objicitur ad hanc regulam de matrimonio contracto poſt votum ſimplex, quod tenet, & de matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ & inter compatres ex cathechiſmo,

[13] Vide not. 1. in cap. 2. tit. 4. partis 2. pag. 561.

mo, *De cognat. ſpir.* cap. 2. lib. 6. & de ſententia ſub conditione lata, quæ tenet, 3. quæſt. 6. *Biduum*. Et in Eccleſia conſecrata ab alieno epiſcopo, 7. quæſt. 1. *Epiſcopus*, & de omnibus, quæ fieri prohibentur; & tamen facta tenent. Item objicitur de his, quæ fiunt contra jus, & poſtea confirmantur, quæ allegata ſunt ſupra in regula, *Non firmatur*. Solutio. Generaliter dici poteſt ſecundum Joannem, qui hoc notavit Diſt. 10. *Vides*, & Bernardum, qui idem notavit *De ſponſ. duorum*, cap. penult. & Gloſſam ult. hanc regulam locum habere in his, quæ habent perpetuam prohibitionis cauſſam; contraria vero in his, quæ temporalem. Vel dic hanc regulam veram, niſi eodem vel alio jure toleretur; & ſic intelliguntur contraria. Vel dic, quod illa non ſunt directe contra jus, quia licet non aſſiſtat jus, non tamen plene reſiſtit jus. Et dicitur C. *De leg.* l. *Non dubium*, quod ſufficit legislatorem aliquid prohibuiſſe, licet non adjecerit, ſi contra factum fuerit, non valere. Et hæc regula locum habet in his, quæ de jure ſortiuntur effectum, non de maleficiis, quæ contra jus fiunt, quæ utique non habentur pro infectis. Et facit, quod dictum eſt ſupra in regula, *Non præſtat*, & illud hic adde, Joannes Andreas.

§. LXXXIII. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*. Pone caſum in archiepiſcopo conſecrando ab omnibus ſuffraganeis ſuis, Diſt. 66. cap. 1. *De elect.* cap. *Quia propter*. In concedendo hauſtum aquæ, in quo convocandi ſunt omnes, qui jus habent, ff. *De aqua pluv. ar.* l. *In concedendo*. Ad idem Diſt. 54. can. 1. & 8. quæſt. 1. *Licet*. Et nota, quod dicit, id, *quod tangit omnes, debere approbari ab omnibus*; ergo non valet, quod facit major pars, & ſic eſt contra Diſt. 65. can. 1. Solutio. Aut competit illud, ut ſingulis, aut ut collegio. Quod proſequere ut notatur per Bernardum & Innocentium, *De conſtit.* cap. *Quum omnes*. Fallit autem hæc regula in caſu, Inſtit. *De rerum diviſ.* §. *Religioſum*. Illud autem dicuntur in aliquo collegio omnes facere, quod major pars facit, Diſt. 56. *Apoſtolica*. Interdum tamen requiruntur duæ partes, *De elect.* cap. *Licet*. Et eſt regula in argumentum ad quæſtionem: An [16] Papa poſſit ſtatuere invitis acholytis, quod ipſi contineant. Et hæc quæſtio notatur Diſt. 83. *Propoſuiſti*; & dicit Joannes quod non; quia caſtitas ſuaderi poteſt, non imperari, 32. quæſt. 1. *Integritas*. Bartholomæus Brixienſis ibi contra, cujus dictum eſt penitus falſum, niſi intelligas de promovendis; ſed ipſe etiam de promotis intellexit. Monachis autem profeſſis, qui renuntiaverunt propriæ voluntati, auſterior regula poſſet eis indici, etiam ipſis non approbantibus ſecundum Innocentium, qui hoc notat, *De regul.* cap. *Super eo*. Et ſatis eſt expreſſum *De ſtatu regul.* cap. 1. lib. 6. Ibi enim monialibus indicitur auſterior vita, licet non poſſint ſine voluntate omnium ordinem mutare, *De his, quæ vi metuſve cauſſa fiunt* cap. penult. Joannes Andreas.

§. LXXXIV. *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & e contra*. Hæc regula eſt ſumta ex l. ff. eod. tit. l. *Secundum*. Pone caſum in clerico, qui propter lapſum detruditur in monaſterium ad pœnitentiam agendam, quia res ejus proficient monaſterio, 16. quæſt. 6. *De lapſis*. In ſecundo, ſcilicet dicto ibi *& e contra*, pone caſum in patrono, qui defenſare debet Eccleſiam, 16. quæſt. 7. *Filiis*. In clerico, qui officiare debet Eccleſiam, *De præb.* cap. *Significatum*. Et dicit lex: *Non eſt ferendus, qui lucrum amplectitur, onus autem ſubire recuſat*, C. *De caduc. toll.* l. 1. §. *Pro ſecunda*: concordat ad hanc regulam 7. quæſt. 1. *Ibi*, & 12. quæſt. 2. *Caritatem*, cum ſuis concordantiis.

Et nota, quod hæc regula fallit interdum ratione ætatis, vel perſonæ, interdum ratione naturæ contractuum, interdum ex ſpeciali pacto. Primum patet C. *De legit. tutel.* l. ult. ibi enim minores, licet ad tutelæ gravamen non veniant, ſucceſſionis emolumentum non amittunt. Secundum patet ex l. ff. 17 *Pro ſocio*, l. *Non ob eam*; ibi enim non fit compenſatio emolumenti, quod ſocius attulit ſocietati, damno, quod intulit; immo eo non obſtante damnum emendare tenetur; & eſt ratio 17
B patura contractus; contrahitur enim ſocietas tantum ob lucrum. Tertium patet ff. *De pac. don.* l. *Familiæ*, & *De pac.* cap. 1. lib. 6. Item fallit, ubi ex cauſſa quis prohibetur ab emolumento, licet onus habeat; ſicut in judice, qui habet a partibus exigere, niſi expenſas moderatas, quum proficiſcitur pro cauſſa: nec tunc illas, ſi partes ſunt notabiliter pauperes, *De reſcript.* cap. *Statutum*, lib. 6. Joannes Andreas. Poteſt ſic extendi: Qui ſentit onus pœnitentiæ & obſervationis mandatorum; ſentiet commodum præmii: & e contra: qui ſentit commodum delectationum, ſentiet poſtea onus damnationis.

§. LXXXV. *Qui ad agendum admittitur, ad excipiendum multo magis admittendus eſt*. Hæc regula ſumta eſt ex l. eod. tit. l. *Invitus*. Pone caſum in eo, qui legitime præſcripſit, quia ſi cadit a poſſeſſione, datur ſibi actio; multo fortius dum poſſidet, datur exceptio, 16. quæſt. 3. §. *Poteſt*. Ad idem, *De præſcrip.* cap. *Illud*. Ratio hujus regulæ eſt regula, quam habuiſti ſupra, *Cui licet plus* &c. quia plus eſt agere, quam excipere. Sicut licet agere, multo fortius licebit excipere Joannes Andreas.

§. LXXXVI. *Qui contra jura mercatur, præſumitur bonam fidem non habere*. Pone caſum in eo, qui recipit Eccleſiam de manu laici, 16. quæſt. 7. *Si quis deinceps*. Item in eo, qui emit ſpiritualia, *De ſimon.* cap. *Non ſatis*, 1. quæſt. 1. *Quicumque*, & in multis aliis capitulis. Ad idem, C. *De agri. & cenſib.* l. *Quemadmodum*, ubi qui emit adſcriptivum ſine gleba, contra legum interdicta mercatur, & malæ fidei poſſeſſor dicitur; & ideo quia talis non præſumitur habere bonam fidem, ideo non præſcribit, ut in prædictis juribus. Contra *De jurepatron.* cap. *Cura*. Solve ut ibi; & ſic patet, quod juris ignorantia non excuſat in præſcriptionibus & uſucapionibus. Joannes Andreas. Similiter qui ſcienter emit res furatas, vel raptas, non habet bonam fidem; unde tenetur ut poſſeſſor malæ fidei.

§. LXXXVII. *Quod latenter, vel per vim, vel alias introductum eſt illicite, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere*. Hæc regula eſt in Decretalibus, *De reg. jur.* & ſunt verba Gregorii VII. Gloſſa ibi. Pone caſum per l. ff. *Quod vi aut clam.* l. 1. & in ſervitio præſtito prælato a ſubdito per vim; hoc in futurum non facit præjudicium, 10. quæſt. 3. *Quia cognovimus*. *Per vim*: quæ per vim vel metum fiunt, qui poteſt cadere in conſtantem virum, quum de hoc conſtiterit, revocantur, *De his quæ vi metuſve cauſ. fiunt* cap. 1. in Gloſſa.

§. LXXXVIII. *Quidquid in ſacratis Deo rebus & epiſcopis injuſte agitur, pro ſacrilegio reputatur*. Hæc regula eſt in Decretalibus, *De reg. jur.* & ſunt verba Stephani Papæ. Gloſſa ibi: *In ſacratis*

16 Conſule not. 7. in cap. 5. tit. 4. ejuſdem ſecundæ partis pag. 600.

17 Hujus legis, ne ufurariis ſocietatibus faveat, genuinam ſententiam expoſitam invenies not. 1. in §. 20. Prælect. II. in partem ſecundam pag. LIX.

his rebus, sive sit homo, sive ager, qui illa aufert & invadit, sacrilegium committit, 12. quæst. 2. *Nulli*. Est autem multiplex genus sacrilegii 17. quæst. 4. per totum, ibi vide, & 2. parte.

§. LXXXIX. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore*. Pone casum in filio patroni herede, qui succedit in honore jurispatronatus; sic in onere defendendi Ecclesiam succedere debet, 16. quæst. 7. *Filiis:* item in prælato, qui succedit prædecessori in honore; sic & in onere solvendi prædecessoris debita succedere debet pro Ecclesiæ utilitate contracta, *De sol.* cap. 1. Et concordat regula supra *Qui sentit*, & quod ibi dictum est, hic adde. Joannes Andreas. Ex hoc sequitur, quod Papa, qui substituitur in honorem Petri, immo Christi, episcopi in loco apostolorum, religiosi in honore sanctorum, Benedicti, Dominici, Francisci & hujusmodi, succedant in onere vitæ & austeritatis eorum, Dist. 40. *Non nos*, & can. *Non est*, & Dist. 35. *Ecclesiæ* &c.

§. XC. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*. Pone casum 9. quæst. 2. can. 1. & *De sent. excommunication.* cap. *Quum quis* lib. 6. Sed contradicit ad hanc regulam 9. quæst. 2. *Lugdunensis*, 16. quæst. 1. can. ult. & *De elect.* cap. *Quod sicut*, in quibus juribus habet quis ratum, quod ejus nomine non est gestum. Solutio. Quidam dixerunt hoc fallere in spiritualibus, in quibus ratum habeo, quod nomine meo non est gestum per jura prædicta; & hoc notatur in prædicta Decretali: *Quod sicut*, in Glossa. Verius dic quod ordinatio facta a non proprio episcopo tenet quoad ordinem, licet non quoad exsecutionem, *De tem. ordin.* cap. *Quod translationem*. Ibi igitur in capitulo: *Lugdunensis*, episcopus proprius non ratificavit collationem ordinis quoad ordinem, quia non erat necesse; sed exsecutionem illi dispensative contulit, quam non habebat. Alia etiam jura non proprie loquuntur de ratihabitione, sed de quodam novo consensu, quæ sunt valde diversa, & super hoc vide, quod dictum est supra in regula *Non firmatur*. An autem unus judex possit habere ratam sententiam latam per alium, dic ut notatur 9. quæst. 2. can. 1. & de materia hujus regulæ adde, quod dicitur in sequenti regula. Joannes Andreas.

§. XCI. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*. Hæc regula sumta est ex l. ff. eod. tit. l. *Hoc jure*. Pone casum in judiciis, 2. quæst. 6. *Non solent*, & *De jurejurand.* cap. ult. lib. 6. item in contractibus, C. *Ad maced.* l. ult. & habet locum hæc regula in casu, quando scilicet nomine meo est gestum, & tunc ratum habere possum, & ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. Unum nota: si infra certum tempus teneor aliquid facere, & alius infra idem tempus id fecit nomine meo, habere ratum debeo; alias ratihabitio non prodesset, 2. quæst. 6. *Non solent*. Huic regulæ simile est quod dicit lex, scilicet quod appellans condemnatus de furto, si non prosequitur appellationem, retro notatur infamia; videtur enim ratam habere sententiam, ff. *De his, qui not. infam.* l. *Furti*. Joannes Andreas. Extendi potest ad maleficia & damna, quæ si quis faciat nomine alicujus domini vel alterius, & ille hoc sentiens ratum habeat, ita est, & tenetur, ac si mandasset. Sic & verberans clericum nomine alterius, si habet ratum, efficitur excommunicatus; secus si verberat ex se, non nomine alterius; quia, qui audiens habet ratum & gratum, peccat quidem, sed non incidit in excommunicationem. Similiter audiens damna facta & furta, non tamen nomine suo, licet habeat rata propter odium illius, peccat quidem, sed non tenetur ad restitutionem, sicut teneretur, si ejus nomine esset factum, quum posset obviare. Utrum absolvens aliquem a peccatis non habens licentiam seu auctoritatem sub spe ratihabitionis sui prælati vere absolvat, si ille postea habeat ratum, communiter dicitur quod non.

§. XCII. *Semel malus semper præsumitur malus*. Pone casum in semel perjuro, 22. quæst. 5. *Parvuli*: in semel contumace, *De præsum.* cap. *Scribam*. Ad hæc Dist. 25. can. ult. Hic ergo præsumitur, eum, qui semel malus fuit, semper esse malum. Et potest hujusmodi dici præsumtio hominis, quia contra hominem sic præsumitur. Potest etiam dici præsumtio facti, quia ex semel facto sic præsumitur. Potest dici & præsumtio juris, quia jus sic præsumit ex facto, ut hic vides & in juribus supra assignatis. De quibus diversis præsumtionibus prosequere, ut notatur per Joannem Dist. 50. *Ferrum*, & Dist. 54. *Fraternitatem*, & per Bernardum, *De sponsi.* cap. *Is qui*. Hic ergo vides, quod præsumitur ex præterito circa præsens & futurum: interdum præsumitur ex præsenti circa præteritum: interdum circa præsens: interdum circa futurum. Quod prosequere ut notatur, Dist. 44. *Multis*, & 34. quæst. 1. *Quum per bellicam De præsumt.* cap. *Scribam*. Licet autem hæc possit dici presumtio juris; non tamen est præsumtio juris de jure: admittitur enim probatio in contrarium, & probato quod pœnituerit, non dicetur amplius malus, Dist. 50. *Ferrum*, salvo eo, quod dicitur *De hæreticis* cap. *Ad abolendam*. Nota igitur, quod qui semel fuit bonus, semper præsumitur bonus, Dist. 61. *Miramur*, & *De præsumt.* cap. *Mandata*. Et prima facie quilibet præsumitur bonus, 11. quæst. 3. *In cunctis*, *De præsumt.* cap. *Dudum*. Qui autem malus est, semper præsumitur malus, ut hic. Et procedit hæc præsumtio, tum ex præsumentis natura corrupta, tum quia humana natura prona est ad delicta, 12. quæst. 1. *Omnis ætas*. Joannes Andreas. Ex prædictis nota, quod est duplex præsumtio, scilicet juris; & hæc est semiprobatio ejus rei, de qua præsumitur, unde contra hanc admittitur probatio in contrarium: v.g. promulgata est aliqua constitutio publice; unde quilibet præsumitur scire, & non excusatur per consequens contrarium faciendo. Sed si quis probet juste ignorasse, puta tunc furiosum fuisse, vel longe absentem, eliditur illa præsumtio juris per probationem. Est alia præsumtio, quæ dicitur juris & de jure; hujusmodi est plena probatio in humano judicio rei, de qua præsumitur, ut omnino credatur sic esse, unde contra eam non admittitur probatio, v. g. quæ per violentiam absolutam cognita est, præsumitur non virgo; unde secundum jura non potest inter virgines consecrari, quantumcumque fuerit animo renitens; & per consequens virgo non est. Præsumitur etiam semel malus semper malus, scilicet in eodem genere mali. Et quia nullus judicandus est immemor suæ salutis, debet æstimari pœnituisse, nisi perseveret in malo, & hoc in judicio animæ.

Ubi supra.

Duplex præsumtio.

§. XCIII. *Sine culpa, nisi subsit caussa, non est aliquis puniendus*. Hic ponitur regula & exceptio ejus. In regula pone casum, Dist. 56. *Satis perversum*. In exceptione pone casum in marito corruptæ, quia promotione sine culpa repellitur; tamen ex caussa propter sacramenti defectum, Dist. 34. *Si cujus*. In clerico leproso, qui sine culpa propter scandalum privatur Ecclesia, *De cler. ægrot.* cap. *Tua*. Regulariter ergo nullus punitur sine culpa, 16. quæst. 7. *Inventum*. Et est ratio, quia pœna est mensura culpæ. Ubi autem non exstat mensurandum, mensura locum non habet. Bene autem ex caussa punitur quis sine culpa, Dist. 22. *Renovantes*. Et nota, quod quinque de caussis aliquis punitur in præsenti secun-

Quibus de caussis quis in præsenti puniatur.

cundum Magiſtrum in 4. Prima cauſſa purgationis peccati, ut languidus ad piſcinam, Joann. 5. *De pœnit. & rem.* cap. *Quum infirmitas.* Secunda cauſſa inchoandæ damnationis æternæ, ut in Herode, & Antiocho, *De pœnit.* Diſt. 3. §. ſequenti *Ignis.* Tertia cauſſa præſervationis a futura culpa, ut Paullus Act. 9. Quarta cauſſa glorificationis Dei ex miracolo ſecuto, ut in cæco a nativitate, & Lazaro reſuſcitato, Joann. 9. & 11. Quinta ad majus meriti cumulum & præmium & exemplum ceterorum, ut Job, Thobias, & hujuſmodi, *De pœnit.* Diſt. 1. *Si peccatum David*, & Diſt. 3. *Productior*.

18 §. XCIV. *Scienti & conſentienti*[18] *non fit injuria neque dolus*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod tit. l. *Nemo*. Pone caſum in ingenuo, qui ſciens & conſentiens contrahit cum ſerva, vel e converſo, 29. quæſt. 2. *Si quis ingenuus*. In clericis, qui ſcienter & voluntate jocoſa adinvicem ſe percutiunt, *De ſent. excomm.* cap. 1. Item in eo, qui ſciebat rem, quam emebat, ſervitutem debere, ff. *De act. emt. & ven.* l. 1. Et quod dicit hæc regula *Scienti*, dic vel ſcire debenti. Ad hoc Diſt. 16. *Quod dicitis*. Item dic *ſcienti* a principio; ſecus ſi ex poſt facto, ff. *De ædil. ædic.* l. *Juſtiſſime*. Et nota, quod dolus malus eſt omnis caliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum in alterum adhibita ſecundum Labeonem, ff. *De dolo. ma.* l. 1. §. 1. Sed ſciens non circumvenitur, fallitur, vel decipitur. Ergo ſibi non infertur dolus. Igitur inductus ad clericatum vel monachatum non dicitur dolum paſſus, quia non eſt deceptus, 20. quæſt. 3. *Conſtituit*, ubi de hoc. Et quod dicit hæc regula non inferri dolum *ſcienti, & volenti*, verum, ut ex eo agi poſſit. Infertur tamen ita, quod naſcitur ex eo actio per exceptionem elidenda, ff. *De fur.* l. *Inter omnes*, §. ult. Item nota, quod hæc regula formata eſt copulative, non disjunctive. Hæc enim duo requiruntur conjunctim, ſcilicet quod ſciat, & quod conſentiat. Scienti enim & non conſentienti bene infertur injuria & dolus, 15. quæſt. 1. *Illud*, cum ſimilibus. Ad hanc regulam ſignatur contra, *De ſent. excom.* cap. *Contingit*, in verberante, ſcilicet clericum ſe ad hoc offerentem in ſatisfactione injuriæ factæ ab eo, quia excommunicatus eſt. Solutio. Quamvis non fiat injuria ipſi clerico volenti ut ibi, fit tamen injuria ordini clericali; & ideo incidit. Item contra C. *De rap. vir.* l. unica, ubi ſi rapio virginem etiam volentem, teneor. Sed hoc ideo, quia id voluit in perſuaſione doloſa, quod plus eſt quam violentia, ff. *De ſerv. corrup.* l. 1. Joannes Andreas. Ex hoc ſequitur, quod ſi quis operatur pro aliquo, pro certo pretio ſibi dando in panno partim, vel ad rationem tredecim unciarum pro libra, non fiet ei injuria, ex quo a principio ſcit, quomodo ſibi ſolvetur. Jacob non commiſit dolum in emendo primogenita ab Eſau, Gen. 25.

Dolus malus quis ſit.

Perſuaſio doloſa plus eſt quã violentia.

§. XCV. *Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum*. Pone caſum 12. quæſt. 2. *Nulli*, & *De relig. dom.* cap. *Ad hæc*. Ad idem 19. quæſt. 3. *Quæ ſemel*, *De conſecr.* Diſt. 1. *Ligna*, & can. *Veſtimenta*. Et habet locum hæc regula non ſolum in re propria, ſed etiam aliena conſecrata. Unde ſi aurifex habeat calicem, quem epiſcopus conſecravit; amplius non reddetur artifici calix ipſe, ſed æſtimatio ejus. Et eſt caſus ſpecialis, in quo quis privatur re ſua, 14. quæſt. 6. *Comperimus*. Et quod dixi de calice, idem de qualibet re inanimata. Secus in animata, puta in ſervo. Et ſic non eſt contra Diſtinct. 54. *Frequens*, & can. ſequenti. Et ratio eſt, quam notat Joannes, ſcilicet quia in re inanimata non fuit dolus, ſed in animata, 7. quæſt. 1. *Epiſcopus in diœceſi*. Et hoc, quod dictum eſt hic, quod non debet reddi, intellige in eadem forma. Nam ob redemtionem captivorum & urgentia debita, calices & vaſa alia eccleſiaſtica vendi poſſunt etiam laicis, conflata tamen & comminuta, 10. quæſt. 2. *Ea enim*, §. *Hoc jus*. Item nota, quod dicit regula *dicatum*, quia bona Eccleſiæ non dicata vel conſecrata, bene tranſeunt ad humanos uſus, & etiam ſervi Eccleſiæ venduntur laicis, vel donantur ad ſerviendum, 12. quæſt. 2. *Eccleſiaſticis*. Item nota, quod dicit *ad uſus*, quia non ſolum ad dominium laicorum, ſed nec in uſum eorum tranſire debent res Deo dicatæ, *De conſecr.* Diſt. 1. *Veſtimenta*. Et ponitur ibi exemplum Balth ſaris regis Babylonis, qui punitus fuit propter uſum vaſorum templi, Dan. 5. *Ad humanos*, ideſt ſæculares vel ſæcularium perſonarum. Ad idem 12. quæſt. 2. *Qui divinis*. Hoc ideo dico, quia ad uſus clericorum bene poſſunt reduci, *De conſecr.* Diſt. 1. *Ligna*. *Transferendum*, adde quod dixi ſupra *Privilegium*. Joannes Andreas. Ex hoc ſequitur, quod clerici & religioſi, quum ſint Deo dicati, non debent ſe immiſcere negotiis ſæcularibus, *Ne cler. vel mon.* cap. ult. Nec ſe dare vitæ vitioſæ & mundo, 12. quæſt. 1. *Clericus*, & can. *Duo ſunt*. In figuram hujus contrarium facientibus, habes de Nadab & Abiu, qui offerentes ignem alienum, combuſti ſunt.

Pro redemtione captivorum vaſa eccleſiaſtica poſſũt vendi.

§. XCVI. *Qui tacet, conſentire videtur*. Pone caſum Diſt. 54. *Si ſervus*, & *De præſumt.* cap. *Nonne*. Nota, quod qui tacet, conſentit, ut hic, & in ſupradictis juribus votum emittit, Diſt. 27. can. 1. *Occidit*, Diſt. 43. *Epheſiis*. Eſt contumax, Diſt. 65. can. ult. Interdum nec conſentit nec contradicit, ut dicetur ſtatim in regula ſequenti. Joannes Andreas. Iſaiæ 6. *Væ mihi, quia tacui*. Eſt ſimulator, Diſt. 65. *Si forte*. Impunitatem promittit, Diſt. 43. *Sit rector*. Offert, 20. quæſt. 2. can. 1. Joannes Andreas.

§. XCVII. *Is, qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur*. Hæc regula ſumta eſt ex l. ff. eod. tit. *Qui tacet*. Et nota, quod tacere eſt quoddam medium inter expreſſam voluntatem & expreſſam contradictionem. Pone ergo caſum in eo, contra quem fertur ſententia, qui tacens non habetur pro conſentiente, nec pro contradicente infra decem dies, infra quos ſemper appellat, 2. quæſt. 6. *Anteriorum*. Item pone caſum in prælato, qui tacet ex cauſſa propter ſcandalum, *De cognat. ſpir.* cap. *Super eo*.

Prima regula fallit, Diſt. 27. can. 1. & Diſt. 54. *Si ſervus*, & 20. quæſt. 2. can. 1. & *De præſumt.* cap. *Nonne*, & ubicumque tacitum pactum inducitur a lege. Secunda regula fallit in eo, qui verbo tacet, ſed contradicit facto vel ſigno, Diſt. 74. can. 1. Item fallit in his, in quibus requiritur expreſſus conſenſus, ut in adulto, qui cathechizatur. Item in ſervitute imponenda. Item in procuratore conſtituendo. Item in furto, ff. *De fur.* cap. *Qui vas*. Item in ſolvendo matrimonio. Item in his caſibus, qui notantur, 2. quæſt. 7. *Plerumque*. Quid ergo in his dices? numquid tacens habebitur pro conſentiente, an pro contradicente? Solutio. Dicunt quidam, quod regulariter tacens habetur pro conſentiente. Facit ad hoc regula ſupra immediate, *Qui tacet*. Fallit autem in caſibus nunc dictis,

[18] Vide not. 5. in cap. 17. tit. 1. part. 2. p. 267. ac præſertim not. 4. in cap. 16. ejuſdem tituli & partis pag. 255.

dictis. Vel dic secundo, quod aut est tale factum, quod fieri non potest me prohibente, pone casum Dist. 54. *Si servus*; & tunc taciturnitas habetur pro consensu. Fallit tamen in casibus supradictis. Aut est tale, quod fieri potest me prohibente vel contradicente, pone casum, ff. *De contrahend. emt.* l. *Rem alienam*; & tunc taciturnitas non obest secundum Joannem, qui hoc notavit Dist. 27. can. 1. Vel dic tertio, quod in facto concupiscibili, honorabili, & meritorio, taciturnitas habetur pro consensu, ut in primis juribus. In facto autem, quod non est concupiscibile, honorabile & meritorium, sed onerosum, taciturnitas non habetur pro consensu, sed necessarius est expressus consensus, ut in aliis juribus secundum Innocentium. Hoc addito, quod ubi jus in pœnam statuit aliquem tacentem haberi pro consentiente vel confesso, sic habebitur, licet factum sit onerosum. Exemplificat per Decretalem, *De jur. calum.* cap. ult. Joannes Andreas.

Taciturnitas quando habetur pro consensu.

§. XCVIII. *Qui ex timore facit præceptum, aliter facit quam debeat; & ideo jam non facit.* Hæc regula est in Decretalibus, *De reg. jur.* & sunt verba Augustini. Glossa: *Timore*, scilicet servili. Hic non stat cum caritate. Est tamen bonus, quia *sicut seta filum, ita iste timor introducit caritatem*, secundum Augustinum *De pœnit.* Dist. 2. & 23. quæst. 6. §. *Quum per timorem.* Non tamen sufficit ad salutem, *De pœnit.* Dist. 7. can. ult. Et hic timor est, quum quis tantum respicit ad pœnas temporales vel infernales, quod principaliter propter illas vitandas sibi cavet a peccatis, & facit bona opera, alias non facturus. Requiritur ergo timor filialis, vel initialis, qui respicit ad beneplacitum Dei patris & præmium. *Jam non facit.* Glossa arg. quod non dicitur factum, quod non legitime non fit, 24. quæst. 1. *Pudenda.* Item est arg. quod qui invitus obedit, aut rem aut meritum perdit; & talis obedentia aut nulla est, aut minima, 8. quæst. 1. *Sciendum.*

19

Notabile.

Ibidem.

§. XCIX. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.* Hæc est regula in Decretalibus, *De reg. juris*, cap. *Qui scandalizaverit.* Et sunt verba Bedæ. Glossa ibi, collige casum 11. quæst. 3. *Inter verba*, & 22. quæst. 2. *Primum.* *Veritas*, quæ triplex est, scilicet vitæ bonæ, quæ numquam omittenda est propter scandalum, & ad quemlibet pertinet. Alia est veritas justitiæ; hæc ad judicem pertinet. Alia disciplinæ seu doctrinæ, quæ pertinet ad prælatum & doctorem. In his duabus quandoque omittitur propter scandalum vitandum, Dist. 50. *Ut constitueretur.* Et intellige de his, quæ indispensabilia sunt. Et tale jus commune, quod est indispensabile, dicitur veritas, quæ numquam est deserenda propter scandalum, quando scilicet est jus indispensabile. Sed quum est jus commune dispensabile, quod etiam potest dici veritas, propter scandalum potest dimitti, 1. quæst. 7. *Dispensationes.* Bernardus: Intellige sane, quod scilicet veritas doctrinæ potest aliquando dimitti propter scandalum, non ut mendacium dicatur, vel falsitas doceatur, quia hoc numquam licet; sed ut veritas taceatur, quum non est necesse. Sic etiam aliquando veritas justitiæ deseritur propter scandalum, non ut iniqua & injusta sententia detur contra innocentem; sed aliquando ut reus non condemnetur ad vitandum majus scandalum, ut dicitur in illo canone, *Ut constitueretur*, Dist. 50. De ista materia habes infra in 2. parte.

Veritas est triplex.

§. C. *Utile non debet per inutile vitiari.* Pone casum 12. quæst. 2. *Si quos de servis*, ubi episcopus manumisit servum bene meritum, cui dedit ultra viginti solidos. Sed illud amplius tantum revocabitur; sed non totum, *De præben.* cap. *Dilectus*, ubi confirmatur factum legati in uno capitulo, & non in alio, C. *De donat.* l. *Sancimus*, ubi donatio pro parte tenet, & pro parte non. Et nota, quod hoc est Brochardicum, & pro hac parte faciunt jura supra inducta. Ad idem Dist. 37. *Turbat.* & can. *Si quid veri*, & 1. quæst. 1. *Nonne*, & can. *Dominus declaravit*, 12. quæst. 5. *Quia*, & 22. quæst. 4. *Inter cetera*, 23. quæst. 4. *Quid ergo*, *De consec.* Dist. 4. *Si non sanctificatur*, *De arbit.* cap. *Quum tempore*, *De donat.* cap. *Apostolicæ*, Institut. *De inutil. stip.* §. *Quod si quis.* Per hæc & similia probatur, quod *utile per inutile non debet vitiari*, ut dicit regula. E contra, quod utile per inutile vitietur, probatur Dist. 9. *Si ad Scripturas*, Dist. 23. *Quorumdam*, 3. quæst. 9. *Pura*, & *De offic. deleg.* cap. *Quum super*, ff. *De arbit.* l. *Pedius*. Solutio. Dicit Bartholomæus Brixiensis, quod utile per inutile vitiatur, ubi de hoc in jure invenitur expressum. Et hoc notat ipse 3. quæst. 9. *Pura*; alias non vitiatur. Vel dic plenius, quod regulariter utile non vitiatur per inutile, ut hic patet in regula. Vides enim, quod hæc pars probandi, scilicet negativa, hic ponitur pro regula. Habemus ergo stare regulæ, nisi specialitatis ratio vel casus specialis contra regulam appareat. Est autem contra hanc regulam casualiter invenire utile per inutile vitiari, ut in contrariis. Et est specialitatis ratio, quia utile & inutile sunt separabilia, ut vides in capitulo, *Quorumdam*. Nam ibi quidam episcopus ordinans imposuit manum super ordinandum, alius dixit verba formæ. Et sic, quia materia non debet separari a forma, ut si dicatur per unum forma, per alium exhibeatur materia; ideo ibi utile vitiatur per inutile, ut nil reputetur factum. Et similiter si unus diceret partem formæ, & alius aliam partem, nil faceret: probatur optime hæc. Solutio, ff. *De aqua quot. & æstim.* l. 1. §. *Trebatius*. Joannes Andreas. Nota etiam, quod habetur Dist. 9. *Si ad Scripturas* in Glossa. Sic opus de genere bonorum vitiatur utile per inutile peccati mortalis, quia illi operi non debetur præmium supernum; & hoc ideo quia inseparabilia sunt opus bonum, & carentia mortalis, ad hoc ut sit meritorium. Ad quod præmium nos perducat Jesus Christus in sæculorum sæcula benedictus. Amen.

19 Confer not. 1. in cap. 1. tit. 6. partis quartæ pag. 300.

FINIS.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

In quo numerus præfixus litteræ t. ſignificat tomum, ſive partem; ſequentes autem numeri, ſi Romani ſint, prolegomena ac prælectiones tomo præmiſſas indicant, ſi vero arabici, S. Antonini textum: litteræ autem *not.* adnotationes textui ſubjectas deſignant.

A

Abbas a quibus inſtituendus 3. t. 911. b. ejus officia 912. b.

Abbatiſſa, & ejus officia. 3. t. 913. d. ejus ætas. 144. b. V. *Moniales*.

Abortus procuratio illicita. 2. t. CXXXI. n. 5. 3. t. 283. not. 1.

Abſolutio complicis in materia venerea a Benedicto XIV. reſervata. 1. t. CCXXIV. in mortis articulo quivis ſimplex ſacerdos poteſt a quovis peccato & cenſura abſolvere, ſi alius approbatus non adſit. 1. t. CLIX. 3. t. 449. e. num excommunicatus vel ſuſpenſus poſſit in articulo mortis abſolvere. 449. e. 789. c. not. 19. declaratio hac ſuper re in dubium vocata, & Innocentii XI. in hoc præceptum. 1. t. CCXXVII. diſcrimen inter periculum, & articulum mortis. 1. t. CCXXVIII. 3. t. 377. not. 3. 1304. not. 1. V. *Confeſſarius quoad jurisdictionem*. num abſolvi poſſit qui obmutuit. 3. t. 450. a. indirecta abſolutio expuncta. V. *Confeſſarius quoad abſolutionem*. abſolutus a cenſura in mortis articulo, ſi convaleſcat, debet ſe ſiſtere ſuperiori ſub pœna reincidentiæ. 3. t. 449. e. 790. c. 1353. b.

Abſolutio a peccatis collata excommunicato, non ſublata legitime excommunicatione, nulla & irrita eſt. 3. t. 774. e. 778. not. 7.

Abſtinentia carnis & ſpiritus. 4. t. 124. b. proprietates ejus quoad mentem. d. quoad corpus. 125. d. in cibo quam utilis. 126. a. ejus cauſſæ. 127. c. 128. e. conditiones quinque moderatæ comeſtionis. 128. a. V. *Jejunium*.

Acceptio perſonarum in quibus præſertim vitanda. 1. t. 864. d. in judiciis. 2. t. 279. c. 294. d. in collationibus beneficiorum. 289. c. per totum caput: in diſtributione officiorum &c. ib. not. 1. num reſtitutionis debitum afferat. XCII. cap. 2. in honore etiam deferendo vitioſa perſonarum acceptio. 293.

Accidia. 2. t. 933. a. 938. a. ejus culpa. 934. a. filiæ. d. cauſſæ. 936. a. remedia. 937. a. 942. d. V. *Negligentia*.

Accuſatio, & modus procedendi in judicio per accuſationem. 3. t. 404. c. qui prohibentur accuſare. 406. c. lædens per injuſtam accuſationem. 2. t. 370. d.

Acolytatus ordo. 3. t. 746. a.

Actio quid ſit. 1. t. 877. d.

Actor quatenus in judiciis peccet. 2. t. 282. c.

Actus humani unde bonitatem, vel malitiam ſumant. 1. t. 292. c. 296. e. 300. b. & ſeqq. fuſe. quattuor bonitates in actu humano requiſitæ, ut ſit bonus. 294. e. una deficiente malus eſt. 295. a. num detur actus humanus indifferens. 295. c.

Actus humani bonitas vel malitia prius eſt in actu interiori. 1. t. 298. a. exterioris actus malitia unde ſit. b. num & quando exterior actus addat ad malitiam, vel bonitatem actus interioris. e. quid de eventu actionem conſequente. 299. c. & not. 1. ſpecialiter obſervanda in eventu homicidii vel mutilationis relate ad irregularitatem. 324. not. 5. an voluntas pro opere habeatur in bono, & quando. 313. c. quid in malo. 317. a. quando factum contra voluntatem culpabile eſt, vel punitur. 324. a. conſideranda circa actum exteriorem quatenus voluntarium. 327. d. actus internus num cadat ſub præcepto Eccleſiæ. V. *Præceptum*.

Adæ & Evæ peccatum ſuperbia. 2. t. 426. eorum pœna. 427. d.

Adjuratio, & quando licita, vel illicita. 2 t. 1103. c.

Adoptio quid ſit. 3. t. 126. c. quis adoptare poteſt. e. quis adoptari. 127. a. adoptionis effectus. ibi.

Adoratio, & triplex ejus ſpecies, latriæ, duliæ, & hyperduliæ. 3. t. 542. c. per totum caput. de Crucis adoratione. 544. e. imaginum quæ eſſe debeat. c.

Advertentia ſufficiens ad peccatum non exigit cognitionem actualem nec expreſſam mali, ſed ſatis eſt præcedens ſaltem confuſum principium ſuſpicandi. 1. t. 323. not.

Adulatio, & ejus ſpecies, ac malitia. 2. t. 1059. d. per totum caput. remedia contra adulationem. 1065. a.

Adulterium, & quot mala involvat. 1. t. 712. b. 2. t. 660. d. per totum caput. etiam conſentiente viro copula cum conjugata adulterium eſt. 663. not. 1. pœnæ in adulteros ex Moſayca lege. 663. d. ex lege canonica. 664. c. filium alienum ex adulterio ſupponens quantum peccet. 2. t. 276. b. de reſtitutione adulteræ ibi. 405. e. quid ex parte adulteri. 408. d. quid in dubio. e. not 8.

Advocatus, & de ejus officiis, peccatis, ſalario &c. 2. t. 287. b. 348. d. e. 399. a. 3. t. 253. per totum titulum ſextum.

Æquivocatio. V. *Mendacium*.

Affinitas quid ſit. 3. t. 41. a. impedimentum dirimens inde enatum. 38. d.

Agricolarum vitia. 3. t. 322. d.

Albigenſium, ſeu Albunenſium hæreticorum errores. 4. t. 596. d.

Albertus Magnus quam opinionem benignam ſequi nos poſſe ſenſerit. 1. t. 201. not. 7.

Alexander VII. quid egerit contra probabiliſmum. 1. t. CLX. num. 11. *Modus opinandi* ab eodem reprehenſus uti *alienus ab Evangelica ſimplicitate Sanctorumque Patrum doctrina* &c. oſtenditur eſſe probabiliſmus. CLXII. num. 13.

Alienatio rerum Eccleſiæ, & notabilia circa ipſam. 3. t. 525. e. & not. 1.

Altare. 3. t. 509. c. altaris portatilis privilegia Religioſis ſublata. 922. b. not. 2.

Ambitio, & de procurantibus per ambitum dignitates, præſertim Eccleſiaſticas. 2. t. 461. e. & ſeqq. inordinatus appetitus honoris triplex. 463. e. prohibitum quærere honores. 465. a. dignitates fugiendæ, ut & Sancti fecere. 466. b. num appetere liceat Epiſcopatum. 469. a. aut alia beneficia præſertim curata, vel cum juriſdictione Eccleſiaſtica. 471. e. quid de officio ſæculari. 475. d. de cathedra Theologica. 476. d. peters

& quærere ſibi Epiſcopatum, vel beneficia curata aut cum juriſdictione peccatum grave habetur. 470. a. 472. b. non tamen recuſandum onus, ſi Deo diſponente a ſuperioribus legitimis imponatur. 467. not. 1.
Amicitia, & ejus neceſſitas, ac utilitas. 2. t. 903. c. & ſeqq. 4. t. 274. a. per totum caput, ubi & de modo, & officiis ejus.
Amor quid ſit. 3. t. 1509. b. amare aliquem propter ſe, & propter aliud. ibi.
Amor uti paſſio fuſe conſideratus, ac de bono & malo ejus uſu. 1. t. 429. a. & ſeqq. de amoris effectibus, extaſi, unione &c. 435. b.
Amor mundi. 2. t. 722. c. per totum caput.
Amor ſui ipſius. 2. t. 718. d. 722. d.
Amor Dei quantum præceptus ſit. 4. t. 338. e. not. 1. quid ſit, & quoties eliciendus. ibid. propter quid Deus amandus, & quomodo. 344. b. imitatio Dei per amorem. 550. e. ſenſibilis, & appretiativus. 3. t. 972. a. not. 1. neceſſitas amoris Dei ad ſalutem. 4. t. 299. b. nulla virtus perfecta eſt ſine amore & caritate. 300. a. at non idcirco opera virtutum ſine amore Dei elicita ſunt peccata. ibi. not. 1. amor ſeu caritas Dei per infuſionem. 307. a. de ejus augumento. e. per actus repetitos diſponitur quis ad ejus augumentum. 308. c. de triplici perfectione ejus. 310. c. de amiſſione caritatis. 311. d. utrum poſſit diminui. 314. b. de ordine in amore. 316. e. incitantia ad amorem Dei. 317. d.
Amor proximi, & qui nomine proximi intelligantur. 4. t. 327. a. debemus proximum diligere actu interno, nec ſatis ſunt actus externi. Ibi. not. 1. ratio, & neceſſitas hujus præcepti. 336. d. 342. b. quomodo proximus diligendus. Ibi. de inimicis diligendis. 330. c. 347. a. de ſignis amoris. 329. b. quid cum inimicis. 330. d. not. 2. quis inter proximos magis diligendus. 332. d.
Angeli hominibus perfectiores. 1. t. 142. c. 4. t. 904. b. de eorum numero. 1. t. 142. d. diſtinctione. 143. b. de ordinibus Angelorum, eorumque proprietatibus. 4. t. 1252. e. de Angelis Dei miniſtris & cuſtodibus noſtris. 3. t. 1557. c. de eorum virtute, locutione, miniſteriis, ac noſtra cuſtodia. 1562. b.
Anima definitur. 1. t. 39. d. eſt imago Dei, & cur. 7. b. 12. a. 141. b. imago Chriſti. 9. b. imago Angelorum 10. d. 16. e. quando ſit imago brutorum. 11. e. 26. b. eſt tota in toto corpore, & ſingulis ejus partibus. 8. d. 62. e. de animæ nobilitate fuſe. 12. e. omnia relinquenda pro anima. 18. e. tria, quæ ignorantur ab anima. 22. c. quomodo perfici poſſit. 24. b. duodecim antiquorum opiniones de eſſentia animæ. 37. e. finis animæ quadruplex. 40. b. de ejus immortalitate. 41. a. de unione ipſius cum corpore, & modo unionis. 47. c. 61. e. animæ varia ſignificatio in Scripturis. 52. c. de unitate animæ in quovis homine. 59. d. potentia animæ quatenus diſtincta ab ejus eſſentia. 63. c. plures potentiæ ejus. 65. d. 66. d. earum ordo ad invicem. 69. b. de cognitione, & modo cognoſcendi animæ in corpore. 204. c. & ſeqq. V. *Intellectus*. De cognitione animæ ſeparatæ. 419. a. per totum caput.
Antichriſti adventus, & maxima tribulatio, quæ erit ejus tempore. 4. t. 716. d.
Antoninus. Vita ejus. 1. t. XXI. de ejus geſtis, virtutibus, aliiſque memorabilibus. Ibi fuſe. Operum, quæ ſcripſit, & editionum accuratus catalogus. LXXI. num. 31. confer etiam LXII. quo pretio habenda Summa Theologica. VI. quanta ejus celebritas. XIII. quo ſtudio & tempore Auctor illam lucubrarit. Ib. & ſeq. XII. LXI. quos Auctores ſecutus. VII. eorum ſententias potius quam verba excerpſit. XVII. monitum pro dignoſcenda Auctoris ſententia. IX. rigoris accuſari nequit. XI. etiam prædicatores juvare ſtuduit. ib. novæ editionis neceſſitas. XIV. conſilium, & cura. XV. quam excelluerit Antoninus in dandis conſiliis. XXXIX. Teſtimonia ſelecta de S. Antonino LXXXI.
Apoſtaſia. 2. t. 1169. a. not. 1.
Apoſtolus quis. 3. t. 1584. b. Apoſtolorum dignitas. e. eorum poteſtas. 1196. c. quatenus æqualis Apoſtolorum poteſtas. 1204. b. ſingularia ipſorum dona. 1588. a. quare duodecim fuerint. c. Apoſtolorum paupertas habuit aliqua in communi, non in proprio. 4. t. 654. a. & ſeqq.
Appellatio, & de ejus modis, quando valet, & quando non. 3. t. 426. c. per totum caput. appellationi frivolæ non eſt deferendum. 3. t. 357. a.
Appetitus diverſi explicantur. 1. t. 337. d.
Approbatio quoad confeſſiones. V. *Confeſſarius quoad juriſdictionem*.
Aqua benedicta. 3. t. 547. b.
Arbiter. 3. t. 365. b. 387. a. per totum caput.
Archidiaconus, & de ipſius jure. 3. t. 1063. e. origo juriſdictionis ejus unde ſit. 1070. a.
Archiepiſcopus, ejus dignitas, & ornamenta. 3. t. 1122. d. officia, ac jura. 1127. d. viſitatio. 1140. c.
jus Archiepiſcoporum circa viſitationem diœceſeon ſuffraganeorum. 3. t. 386. d. & not. 9.
Archipresbyter cathedralis, & ejus jura. 3. t. 1069. d. officia. 1071. b. Archipresbyter ruralis. 1072. c.
Arrogantia. 2. t. 448. d.
Artes variæ recenſentur. 1. t. 34. b. & ſeqq. quomodo recte exercendæ. 393. a. quædam artes neceſſariæ. 394. d. quædam periculoſæ. 395. b. quædam vanæ. 396. a. Vide 2. t. 325. b. & ſeqq.
Aſpectus libidinoſus. 2. t. 644. a. mulieres non aſpiciendæ neque ex pulchritudinis complacentia. Ib. not. 4. de his, quæ ſe conſpiciendas offerunt. 645. b. præſertim ſi videant ſe ab aliquo adamandas. ib. & 597. not. 4.
Aſſecurationis contractus ſocietati additus uſuram inducit. V. *Societas*. aſſecuratio licita quæ. 3. t. 303. a. V. *Fidejuſſor*.
Aſſeſſores judicum. 2. t. 281. c. e. 3. t. 336. c.
Aſſumtio B. M. V. V. *Maria*.
Aſtrologia. 2. t. 1138. c. de conſtellationibus, & contra fidentes & utentes aſtrologia præſertim judiciaria. 1188. d. not. 1. 1190. d. not. 3.
Attentio neceſſaria in horis canonicis, & ſimiliter in miſſæ auditione &c. 3. t. 583. a. not. 9. quæ requiratur. Ibi.
Attritio. V. *Dolor de peccatis*.
Avaritia definitur, & in quibus conſiſtat. 2. t. 7. c. triplex eſt. 8. a. radix, vel pœna peccati. ibi. eſt ſpeciale peccatum. 9. a. quare peccatum eſt. 10. a. mortale. 11. d. 12. e. cur comparetur idololatriæ. 11. a. eſt origo aliorum peccatorum. 14. a. ejus filiæ. 15. a. avaritiæ proprietates & pravitates tres. 17. e. ſola inter omnia vitia juveneſcit. 26. a.
Avari triplex anguſtia. 2. t. 23. d. de certitudine ejus damnationis æternæ. 26. d. raro pœnitet. 27. d.
Audacia. 1. t. 482. d. per totum caput.
Ave Maria &c. ſeu Angelicæ hujus ſalutationis expoſitio. 4. t. 991. b. & ſeqq.
Auguria. V. *Superſtitio*.
Aureolæ explicatæ. 3. t. 1426. b.
Aurifices. 3. t. 307. e.

B

BAptiſmus. 3. t. 639. b. de baptiſmo Chriſti. 643. e. baptiſmi effectus. 644. c. & ſeqq. quæ nomina in baptiſmo imponenda. 645. e. de patrinis. 646. b. de baptiſmo ſub conditione. d. triplex baptiſmus, ſanguinis, flaminis ſeu in voto, & aquæ. 705. a. baptiſmi materia. 706. d. triplex modus baptizandi, per infuſionem, aſperſionem, & immerſionem. 707. d. de forma baptiſmi. 708. d. apud Græcos quæ. 709. c. de baptiſmo in Chriſti nomine. 708. e. de mutationibus circa formam. 709. d. de miniſtro baptiſmi. 711. c. V. *Miniſter*. num plures ſimul baptizare liceat. 714. d. not. 7. num plures ſimul baptizare poſſint. 715. e. de intentione baptizandorum, ſi rationis ſint compotes. 716. d. pueri cito baptizandi. 717. c. non autem adulti. 724. a. de intentione baptizantium. 720. a. not. 10. & 11. de ficte accedentibus ad baptiſma. 721. a. quomodo reviviſcat baptiſma ceſſante fictione. d. num pueris infidelium, invitis parentibus, baptiſma conferri poſſit. 2. t. 1149. c. & not. 3. 3. t. 717. d. 718. b. baptiſma non iterandum. 722. d. quid in dubio agendum. 723. b. de catheciſmo adhibito in collatione baptiſmi. 724. c. de exorciſmo. 725. a. de aliis cæremoniis. 646. b. 725. b.

Beatitudines ſeptem, & de his fuſe. 4. t. 385. a. &c. 395. c. per totum caput.

Beatitudo hominis in quo conſiſtat. 3. t. 1489. e. per totum caput. 4. t. 376. c. 383. c. 384. c. 410. d. & ſeqq. quibus in rebus pe peram a nonnullis ſtatuitur. 376. e. & ſeqq. de viſione Dei. 3. t. 1493. a. quid videatur in Deo. 1496. a. quomodo Sancti cognoſcant res. 1500. b. de dilectione propria patriæ cæleſtis. 1502. c. de fruitione beatorum. 1508. a. de quattuor dotibus corporum beatorum. 1515. c. de aureolis in generali & ſpeciali. 1426. b. utrum beatitudo futura ſit major poſt reſurrectionem. 1514. b. utrum omnes appetant beatitudinem. 1512. a. 4. t. 377. a. per quæ ad beatitudinem pervenitur. 417. e. unus poteſt eſſe alio beatior in alia vita, & quomodo. 419. e.

Beguinæ. 3. t. 887. b. not. 7. 1374. b. Beguini. 1351. b. ipſorum errores. 4. t. 595.

Bellum non facile indicendum. 4. t. 75. e.

Belli juſti requiſita. 4. t. 74. e. 3. t. 211. e. quibus non licet pugnare in bello. 4. t. 76. e. varia cavenda in bello. 3. t. 209. d. 313. a. & ſeqq. quid in dubio de juſtitia belli. 215. b. de malis omnibus accedendi ad bellum. 219. c. num diebus feſtis liceat bellare. 221. d. an inſidiis uti liceat in bello. c. an Chriſtianis liceat uti auxilio infidelium. 223. a. furta in bello illicita. 2. t. 195. a. illicitum bellum etiam juſtum, quum geritur intentione rapinæ. ibi. quinque modi injuſti in bello. 345. d.

Benedictus XIV. laudatur. 1. t. LXXII. XCVII. CII. CXXVI. CLIX. num. 9. & 10. CLXVI. CLXVIII. CLXIX. CLXXI. CLXXXII. CCXXII. CCXXIII. CCXXIV. CCXXVI. CCXXVII. CCXXVIII. 249. not. 2. 291. not. 1. 326. not. 5. 407. not. 1. 435. not. 1. 509. not. 2. 599. not. 1. 781. not. 1. 3. t. 57. not. 14. 64. not. 1. 510. not. 1. 745. not. 4. 773. not. 2. 791. not. 23. 818. not. 18. 823. not. 20. & 21. 887. not. 7. 921. not. 2. 941. not. 2. 942. not. 2. 943. not. 2. 1072. not. 1. 1105. not. 14. 1108. not. 18. 1441. not. 1.

Beneficia a Deo collata animæ quoad ſcientias, artes, & virtutes. 1. t. 30. d. ob quæ debemus grati eſſe Deo. 2. t. 516. c.

Beneficium Eccleſiaſticum inſtitutione canonica indiget. 1. t. 849. a. quid ad illud requiratur. 3. t. 806. a. contra eos, qui impediti beneficium retinent. ibi. a. c. ætas beneficiis requiſita. c. 807. not. 2. de obligatione ordinis ſuſcipiendi infra annum. 808. a. c.

Beneficium curatum quod appelletur. 3. t. 815. a. triplex inſtitutio circa curam animarum. 1067. a. cura dupliciter ſumta. d. quid ſit. ib. 1089. b. an cura animarum præſcribi poſſit ab inferiori prælato. 1090. b. monitio pro iis, qui curata beneficia ſibi petunt, vel procurant. 2. t. 40. not. 3. nequaquam petenda. 41. c. V. *Ambitio*, V. *Prælatus*. num quis ad curam ſuſcipiendam cogi poſſit. 3. t. 754. c. de eo, qui habet beneficium non canonice, ſed cum tolerantia ſuperiorum. 3. t. 817. a. injuſtus beneficii poſſeſſor reſtitutione omnium perceptorum obligatur. 2. t. 355. a. 3. t. 806. b. c.

Beneficia quoad collationem, dum vacant. 3. t. 822. d. collatio digniorem requirit. 2. t. 290. d. quando citra culpam conſanguineis dari poſſit beneficium. 2. t. 42. a. not. 5. 292. b. not. 3.

Beneficiorum mutatio, & tranſitus de una Eccleſia ad aliam. 3. t. 826. e. permutatio beneficii vel præbendæ. 827. d. not. 1. variæ ſuper hoc quæſtiones. 828. d. & ſeqq.

Beneficiorum pluralitas quando licita ſine diſpenſatione. 3. t. 810. b. quæ *incompatibilia* hodie habeantur. ib. not. 10. de diſpenſatione ſuper pluralitate beneficiorum requiſita. d. not. 8. 814. b. e. ſine juſta cauſſa peccatum eſt. 1103. a. quatenus jure naturali vetita pluralitas ejuſmodi. 811. b. intentio facile corrupta. 812. b. quid de jure poſitivo. c. variæ Auctorum ſententiæ de pluralitate præbendarum. 813. a. quid in hac contrarietate opinionum S. Thomas pro praxi ſanxerit. 811. e.

Beneficiorum redditus. V. *Bona Eccleſiaſtica*.

Beneficiorum vacatio, & quandiu vacare poſſint. 3. t. 809. b. obtinens unum beneficium incompatibile, alterum vacat. 815. a.

Beneficia quoad diviſionem unius in duo. 3. t. 822. c. Unio ad vitam in beneficiis incompatibilibus vetita. 810. c. not. 9.

Beſtialitas 1. t. 712. e. 2. t. 653. not. 1. 668. a.

Bigamia multipliciter inducitur, & irregularitas ob hanc contracta. 3. t. 1460. c.

Blaſphemia. 2. t. 915. e. per totum caput. in maledicendo Deo, Sanctis &c. 839. d. & ſeqq. blaſphemia in Spiritum Sanctum quæ, & ſex ejus ſpecies. 921. c. per totum caput.

Bona jure naturæ erant communia. 2. t. 224. b. quatenus in particulares diviſa, & jure poſſeſſa. d.

Bona Eccleſiæ, vel eorum miniſtris quo conſilio data, vel relicta. 2. t. IX. §. 10. XVIII. idem beneficiorum inſtituendorum conſilium. ibidem. quid de horum bonorum uſu Antoninus Epiſcopus practice ſenſerit, & dicere ſoleret. 1. t. XXXVI.

Bona Eccleſiaſtica non ſolum habendi ſunt reditus ex beneficiis, ſed etiam eleemoſynæ, quæ vulgo *manuales* appellantur. 2. t. CIX. n. 3. & CX. n. 4. qua mente a Chriſtianis dentur. XIX. §. 20. non debentur titulo ullo commutativæ juſtitiæ, neque ratione laboris, operis, locationis &c. ibid. III. & VI. §. 8. debentur jure neceſſariæ ſuſtentationis. VII. IX. §. 10. XVIII. in ſuperflua neceſſariæ ſuſtentationi nullum jus ſeu dominium eſt Eccleſiaſticis, ſed ex juſtitia in pios uſus ſunt convertenda. VIII. n. 3. XIX. §. 20. CIX. ſecus reſtituenda ſunt. 3. t. 825. c. 826. a. item qui male accepit, debet reſtituere. 826. c. quomodo ſine, vel cum ſimonia recipiantur, vel intendantur. V. *Simonia*.

Bonitas actuum humanorum. V. *Actus humani*.
Bonum commune quanti faciendum præ privato, 4. t. 70. d.
Bonum, ac boni ratio. 1. t. 662. e. divisio ejus, 665. e. 666. e. 667. e.
Breviarium. V. *Horæ canonicæ*.
Bullarum falsarii. 2. t. 274. b. Bullæ cœnæ processus uti Antonini ætate editus fuit. 3. t. 1380. d.

C

CÆcitas mentis 2. t. 694. c. 695. e.
Cæremoniæ notio. 1. t. 723. b. de præceptis cæremonialibus veteris legis. 724. b. & seqq.
Caligariorum vitia. 3. t. 314. e. 315. b.
Calumnia. 2. t. 353. a. 369. d. 895. b. restitutio debita. 353. a. 369. d.
Cambium, & variæ ejus species. 2. t. 122. b. 3. t. 299. a. cambium siccum usurarium. 2. t. 80. d. 123. b. LV. n. 3.
Cambiales litteræ *civicæ* appellatæ, ubi lucrum una cum capitali debitum scribitur, usurariæ sunt. 2. t. LXXIX. n. 2. 3. t. 302. a. not. 1.
Canonica. V. *Lex Canonica*.
Canonicæ quædam mulieres non professæ. 3. t. 887. a.
Canonicus si in choro adsit, & non canat, non satisfacit, immo restitutioni obligatur. 2. t. LXXXVI. n. 1. Congregationum decisiones id confirmant. 3. t. 823. not. 20. V. *Horæ canonicæ*. Canonicorum numerum num augere liceat, ubi fixus est. 3. t. 821. d.
Canonizatio Sanctorum. 3. t. 541. c. 1211. e. num Ecclesia in hoc possit errare. e.
Cantor, & ejus officium. 3. t. 1073. e. succentor. 1075. c.
Cantus horarum canonicarum in choro debitus. V. *Horæ canonicæ*. Qualis debeat esse cantus in Ecclesiis. 3. t. 585. d.
Capitulum sede vacante quid possit. 3. t. 823. a.
Cardinales, & eorum dignitas. 3. t. 1151. a. status & officia. 1154. a. & seqq. quid possit Cardinalium Collegium Papa mortuo. 1158. b.
Caritas finis legis. 1. t. 688. a. duo caritatis præcepta. e. de hac excellentissima virtute Theologica. 4. t. 295. a. per totum caput. V. *Amor*.
Caritativum subsidium Episcopo exhibendum. 3. t. 1120. d.
S. Caroli principia decidendorum casuum contraria probabilismo. 1. t. CLXXII. num. 24.
Casariorum fraudes. 3. t. 307. b.
Castitas, ejusque materia, causa, & officium. 4. t. 137. c. & seq. dicta etiam continentia, & quatenus. 118. b. tres castitatis gradus, conjugalis, vidualis, & virginalis explicati. 143. c. & seq. 616. e. errores contra castitatem notati, & rejecti. 617. b. status virginalis, vel vidualis licitus monstratur. c.
Castratio, seu virilium amputatio citra necessitatem, etiam castitatis servandæ causa, multo magis ad cantum illicita est. 1. t. 709. e. 2. t. 870. d. not. 11.
Casus pro eventu. V. *Eventus*.
Casus reservati Episcopis. 3. t. 958. a. nulla in eos jurisdictio Regularibus sine speciali delegatione Episcopi. ibi not. 1. V. *Confessarius quoad jurisdictionem*, ubi & de casibus Apostolicæ Sedi reservatis. Pœnæ in contrafacientes. 961. not. 1. cautio in reservatione casuum adhibenda. 959. not. 3. casus dubii habendi sunt pro reservatis. 1. t. CLVI. nec jurisdictione probabili utendum in iisdem est. CLII.
Cathedraticum. 3. t. 1119. c.
Cauponum fraudes. 2. t. 264. e. 3. t. 306. d.
Censura quid sit. 3. t. 1417. a. tres censurarum species ibid. violator censuræ indebite ministrans est irregularis. 3. t. 1449. a. Censura cessat, licet reus correctus sit, nisi absolvatur. 1395. not. 1. V. *Excommunicatio*, *Interdictum*, *Suspensio*. Extorquens absolutionem a censuris est excommunicatus. 3. t. 1334. d.
Census reales qui usurarii ex Pii V. Bulla. 2. t. LVIII. n. 4. quid de personali censu LXIII. n. 3. quid de misto LXIV. n. 4. de censibus vitalitiis. 134. c.
Census & tributa Ecclesiarum, & variæ quæstiones circa eosdem. 3. t. 519. b.
Certitudo triplex 1. t. 203. c. certitudo saltem moralis ad licite agendum requisita, & sufficiens 204. a. etiam per Probabilistas necessaria. XCVII. n. 7. confirmatur ex propositionis condemnatione, & ex novissima Bulla Benedicti decimi quarti. ibid. CLXVI. illa est, quæ solos scrupulos contra habet prudenter contemnendos. CX. habetur in opinione longe probabiliori CIX. non autem inter opiniones æque, vel fere æque probabiles, de quibus est prudenter dubitandum. XCVIII. n. 8. V. *Dubium*.
Cessio bonorum & occcultatio &c. quam grave peccatum, & restitutioni obnoxium. 2. t. 382. b. 410. b. not. 1.
Chocolatæ potus. V. *Cocolata*.
Choreæ quatenus sint peccatum. 2. t. 785. b. not. 1. vide totum caput. CXX. §. 3. V. *Scandalum*.
Chrisma. V. *Confirmationis Sacramentum*.
Christus. 3. t. 1529. c. de operata per eum salute nostra, & quibus mediis. 1434. c. V. *Jesus*.
Circumcisio apud Hebræos. 1. t. 737. c. mystica circumcisio in baptizatis. 738. d.
Circumstantiæ quoad bonitatem, vel malitiam actuum humanorum. 1. t. 293. e. mutantes speciem 294. b. aggravantes quæ. c. 561. e.
Clandestinitas matrimonii olim erat solum impedimentum prohibens matrimonium. 3. t. 59. c. quot modis fiebat matrimonium clandestinum. 62. b. nunc est impedimentum dirimens, & quid intelligatur. 13. not. 1.
Clavis Ecclesiastica quid sit. 4. t. 630. a. clavis scientiæ & potestatis. d.
Claustrum. V. *Monasterium*.
Clausura. V. *Moniales quoad clausuram*.
Clementia quid sit, & in quibus consistat. 4. t. 161. a.
Clericalis militia. 3. t. 205. d.
Clericus unde dictus. 3. t. 562. c. quem finem sibi proponere debet. V. *Ministerii sacri finis*, ubi & de fine malo ac vitando. Quibus debet vacare. 3. t. 563. c. a quibus abstinere. 564. a. & seqq. regula clericorum ex Paullo explicata. 567. a. & seqq. prudentia & doctrina quæ in clericis exigatur. 569. d. 573. b. quibus cum personis habitare possint, vel non possint. 572. d. negotia secularia a clericis vitanda. 3. t. 562. e. bellum clericis illicitum, & cur. 220. b. honestum artificium iisdem licitum. 566. b. non debent possessiones conducere. Ibid. not. 1. nec litigiosi esse. 574. e. nec avari & cupidi. 575. a. presbyter ludo studens vetito, ab Antonino punitus, & equisita per ludum pecunia in pauperes distributa 1. t. LI.
Clericum percutiens quando excommunicationem incurrat. 3. t. 1296. c. & seqq. quando non. 1301. a. violentia exterior clerico injuriosa, etiamsi non percutiatur, sufficiens est ad pœnam canonis 1. t. 317. not. 2.
Clericale privilegium fori. 3. t. 337. c. Antonini acta in causa violati hujus privilegii. 1. t. XLIX. not. 21. L. n. 23. V. *Privilegia*.
Clericorum superbia, & excusationes rejectæ. 2. t. 457. b.
Cocolata num jejunium frangat. 2. t. 765. not. 15.
Cogitatio tripliciter sumta. 1. t. 100. b. quomodo Ange-

Angeli videant cogitationes. 104. e. peccaminoſa cogitatio quadruplex. 105. d. cogitationes pravæ & periculoſæ repellendæ, & non reſiſtere illis peccatum grave eſt. 565. not. 1. S. Thomæ locus explicatus. ibid. cogitatio luxurioſa. 2. t. 640. a. V. *Delectatio moroſa*. cogitationum peccata ſpecie differunt. 643. c.

Cogitationes, tactus, & oſcula conjugatorum quando ſint peccata. 3. t. 86. c. & not. 3.

Cognatio legalis. 3. t. 48. b. naturalis, ſeu conſanguinitas 49. b. ſpiritualis. 52. e.

Collator beneficii. V. *Beneficium quoad collationem*.

Commenda. 3. t. 805. not. 1. 810. d. not. 11. 1092. a.

Commodatum. 3. t. 297. d. quando, & qua ex culpa quis tenetur, ſi commodata res detrimentum patiatur, vel pereat. 2. t. 238. a. & ſeqq.

Communio. V. *Euchariſtia*.

Communio Sanctorum, & quatenus vi illius ſatisfactio unius alii communicari poſſit. 1. t. CXCI. num. 8. V. *Satisfactio*.

Communitas populi quid requirat. 1. t. 751. d.

Comœdia. V. *Theatra*.

Compenſatio, & quatenus illicita, vel licita. 2. t. LXXXIII. §. 4. 231. a.

Complacentia. V. *Delectatio*.

Complicem in materia contra ſextum decalogi præceptum ex reſervatione Apoſtolica nemo poteſt abſolvere, niſi in articulo mortis, ubi alius confeſſarius deſit. 1. t. CCXXIV.

Concilium unde dictum. 3. t. 1263. b. generale. d. & de generalibus fuſe. 1265. e. & ſeqq. provinciale 1264. a. epiſcopale, vel ſynodus diœceſana. b. d. 1265. d. de provincialibus, vel diœceſanis conciliis, & quæ in his expedienda, & quatenus. 1278. a. & ſeq.

Conciliorum provincialium canones. 1. t. 809. c. diœceſanorum. 810. a. generalium c. principia ab iſtis præfinita pro deciſione caſuum conſcientiæ contraria probabiliſmo. V. *Synodus*.

Concupiſcentia uti culpa, & uti pœna diſtinguitur 1. t. 51. d. concupiſcentia rerum. 718. e. carnalis 720. e. hujus concupiſcentiæ gradus. 721. c. motiva concupiſcentiæ frenandæ. 1. t. 719. c. 4. t. 120. d.

Confeſſio jure divino præcepta. 2. t. 988. c. not. 2. 3. t. 664. a. 770. b. de neceſſitate ejus. 769. e. num præcepta ſtatim poſt peccatum. 770. d. poſt peccatum non differenda. 2. t. 1023. e. caſus, in quibus differri non poteſt. 1025. b. caſus, in quibus quis debet prævenire confeſſionem. 3. t. 770. e. num neceſſario præmittenda aliis ſacramentis ab eo, qui eſt in mortali. 771. a. cum quis pervenit ad annum diſcretionis, ſeu ad rationis uſum, ſemel in anno ex præcepto Eccleſiæ confiteri debet. 1. t. 806. c. 2. t. 989. c. 3. t. 664. b. 770 e. quis dicatur annus diſcretionis. 2. t. 989. d. confeſſio nulla ſacrilega non ſatisfaciet Eccleſiæ præcepto. 991. not. 4. conditiones confeſſionis. 3. t. 665. a. 770. c. utilitates. 666. e. de ejus frequentia. 772. a. defectus varii confeſſionis. 2. t. 991. b. & ſeqq. caſus confeſſionis iterandæ. 3. t. 772. b. qui ficte confeſſus eſt, recedente fictione non recipit ſacramenti gratiam. 774. not. 3. ideo iteranda confeſſio. 776. not. 4. omnia mortalia nni confitenda d. & not. 5. oblita, licet dimiſſa in alia confeſſione, clavibus ſubjicienda. 778. a. not. 6. circumſtantiæ explicandæ in confeſſione. 781. c. etiam notabiliter aggravantes. ibid. not. 10. quid de notabiliter alleviantibus. ibid. not. 9. circumſtantiæ loci, & temporis ſacri. 783. c. veritas in confeſſione neceſſaria. e. peccata dubia confitenda ſunt. 784. a. confeſſio per litteras inter abſentes vetita. e. not. 12. de confeſſione facta laico. 785. a. not. 13. de confeſſione complicis vetita. ibid. in complice rei venereæ nunc eſt etiam invalida. V. *Complicis*. num complex in confeſſione aperiendus. 3. t. 785. d. ſuperflua in confeſſione reſecanda. 786. b. de confeſſione venialium. 787. e. de generali confeſſione 788. c. conſuetudo, occaſio peccandi, & alia peccata etiam alias confeſſa quatenus in confeſſione detegenda. 791. a. frequentia confeſſionis diligentis quam ſit utilis. 966. d. plures hodie indiligentes quam pernitioſæ. ibid. not. 2.

Confeſſarius quoad ſcientiam. 3. t. 963. a. 973. a. non ſemel tantum, ſæd ſæpius examinandus ab Epiſcopo. 1105. a. b. not. 14. ignarus audiens confeſſiones peccat mortaliter. 2. t. 482. e.

Confeſſarius quoad deciſionem caſuum. V. *Deciſiones*, V. *Principia decidendi*.

Confeſſarius quoad interrogationes, & de interrogandis pœnitentibus. 3. t. 789. a. 1142. d. & fuſius de hoc debito a nonnullis neglecto. 967. not. 3.

Confeſſarius quoad abſolutionem. 3. t. 978. a. dimidiata abſolutio, qua confeſſarius abſolvat a quibus poteſt, & pœnitentem abſolvendū remittat ad ſuperiorem, in quibus abſolvere non poteſt, a nonnullis olim admiſſa. 778. b. rejicitur. ibid. not. 7. indirecta abſolutio olim ignota, & poſterius invecta, quatenus explicetur, eadem not. 7. refellitur, & oſtenditur invalidam eſſe abſolutionem directam in non reſervata, & indirectam in reſervata. ibid. non datur abſolutio niſi directa. Ibid. vetitum in quacumque neceſſitate & impedimento abſolvere a reſervatis præter mortis articulum. ibid. V. *Abſolutio*. num & quatenus abſolvi poſſint conſuetudinarii, recidivi, vel qui occaſione proxima tenentur, vel de quibus dubium, vel ſuſpicio eſt, promiſſa non impleturos. 794. a. not. 29. V. *Occaſio proxima*. de dilatione abſolutionis utili vel neceſſaria. ibid. quomodo cum iis agendum, qui reſtitutione obligantur. 795. a. not. 30.

Confeſſarius quoad juriſdictionem, & unde hæc juriſdictio, ac plura in hac re decreta. 3. t. 942. not. 2. debet eſſe ab Ordinariis locorum etiam pro Regularibus excipientibus confeſſiones ſecularium. 381. not. 5. 791. b. 941. not. 2. poteſt limitari ab Ordinario, immo & conceſſa ſemel juriſdictio revocari. ibid. negata licet injuſte ab Ordinariis Regulari, nulla eſt. ibid. approbatus in una diœceſi, non eſt approbatus pro alia. ibid. 957. not. 2. approbatus pro ſecularibus non eſt approbatus pro monialibus. 943. in nota. ſpecialis facultas requiritur pro caſibus Epiſcopo reſervatis pariter in Regularibus quibuslibet privilegiatis. Ibid. etiam ſi haberent facultatem ſpecialem a caſibus reſervatis Sedi Apoſtolicæ. ibid. ſemper tamen excepti intelliguntur caſus reſervati in Bulla Cœnæ, & aliquot alii recenſiti in decreto Clementis VIII. 1. t. CLVII. CCXXVIII. nec non qui caſus poſt hoc decretum reſervati fuere, nullis privilegiatis exceptis. ibid. nec non caſus reſervati ipſi Magno Pœnitentiario. ibid. quin ex decreto alio juſſu Urbani VIII. edito omnes caſus Apoſtolicæ Sedi reſervati cuilibet Regulari *intra Italiam* prohibiti ſunt. ibid. quælibet etiam facultas ſublata, quæ ſive *vivæ vocis oraculo*, ſive *per reſcripta* conceſſa fuit. ibid. juriſdictione probabili utendum non eſt. CLII. in ea, ſi deſit, Eccleſia non certo ſupplet. ibid. nec ſupplet in caſu, quo reſervatio ignoretur a confeſſario, & pœnitente. CLIII. Chriſtus quatenus ſuppleat in bona fide. Ibid. Eccleſiæ ſententia, qua in caſibus juriſdictionis probabilis ſe non ſupplere declaravit. CLV. n. 6. caſus dubii habendi ſunt

pro

pro reſervatis ex decreto Congregationis juſſu Clementis VIII. edita. CLVI. error communis ſine titulo colorato certam juriſdictionem non confert. CLVIII. ignoranter abſolutus ab eo, qui juriſdictione caret, invalide abſolutus eſt, & tenetur iterum confiteri, quando id advertat, vel dubitet. Ibid. not. 23. 1. t. CLIII. n. 5. CLVIII. n. 9. quid agendum confeſſario, ſi abſolverit quem non poterat. 3. t. 961. a. 980. d. 1405. c. num Regularis excipere poſſit in ea diœceſi, in qua eſt approbatus, confeſſiones ejus, qui alterius diœceſis eſt, & reſervata habet, quæ in diœceſi confeſſarii reſervata non ſunt. 1105. not. 13. num valida confeſſio apud hæreticum, ſchiſmaticum, vel excommunicatum præciſum ab Eccleſia. 3. t. 780. c. declaratio Congregationis Concilii. Ibid. not. 19. 449. c. confer obſervationem in hoc peculiarem. 1. t. CCXXVII. nulla eſt juriſdictio in complicē peccati venerei ex reſervatione Pontificia. V. *Complicis*. ſemel abſolutus a legitimo ſuperiore in caſibus reſervatis, valide a quovis approbato poteſt iterum ab iiſdem abſolvi. 3. t. 790. d. quid ſi invalida fuerit apud ſuperiorem confeſſio. 1. t. CCXXVIII. in articulo mortis juriſdictio quæ ſit. V. *Abſolutio in articulo mortis*. V. *Juriſdictio*.

Confeſſarius quoad ſigillum. 3. t. 790. b. 986. b. cavenda ſigilli violatio etiā indirecta. Ibid. not. 1. propoſitio damnata circa uſum ſigilli obſervanda. eadem not. 1. Prælato non utendum eſt notitia in confeſſione habita ad exteriorem gubernationem. Ibid. qui uſus non videatur illicitus. Ibid. quid agat confeſſor, ſi extra confeſſionem interrogetur num aliquid in confeſſione audierit. 987. a. not. 2. ad quæ ſigillum ſe extendat. 990. d. num ſuperflua & impertinentia in confeſſione audita cadant ſub ſigillo. 786. c. de auditis ſub ſigillo extra confeſſionem. 990. c. pœnæ violantium ſigillum. 987. d. ex licentia pœnitentium loquens, vel agens aliquid, quando ſigillum non violet. 988. a. cautio in loquendo de peccatis in confeſſione auditis etiam petendo conſilia. 991. a. d.

Confeſſariorum quorumdam ſuperbia magnum concurſum præcipue nobilium diligens, & in aliis actibus perſtricta. 2. t. 459. a.

Confeſſorum Sanctorum variæ ſpecies, & de ſingularum laudibus. 3. t. 1598. e.

Confidentiaria ſimonia. V. *Simonia*.

Confirmationis ſacramentum. 3. t. 639. e. 648. c. 725. c. quatenus neceſſarium. 726. a. ejus materia. c. forma. e. miniſter 650. a. 729. c. defectus. 650. c. 727. b. ritus qui olim fuerit Apoſtolorum tempore. 725. e. cæremoniæ hujus ſacramenti quæ 728. d. recipiendum in gratia. 729. a. non iterandum. 727. c. de patrinis. 651. c. 728. a.

Comfirmatio eorum, qui ad eccleſiaſtica officia electi ſunt. 3. t. 1058. d.

Congregationes pro deciſione caſuum conſcientiæ quibus principiis regendæ ex Epiſcoporum, atque Conciliorum decretis. 1. t. CLXXI. n. 23.

Congregationes Romanæ in caſibus decidendis ſequuntur principia contraria probabiliſmo. 1. t. CLXVII. num. 18. quatenus eadem principia pro regula nobis eſſe debent. ibid. ſunt pro foro conſcientiæ CLXIX. num. 21. potius principiis ejuſmodi Congregotionum, quam principiis Probabiliſtarum ſtandum eſt. ibid. num. 22. contra nonnullos, qui in dubiis morum Congregationes Romanas interrogari nolunt. CLXX. num. 22.

Conjugalis caſtitas quæ 4. t. 145. a. & ſeqq.

Conjugalis actus quot modis poſſit eſſe peccatum mortale vel veniale 2. t. 650. a. 3. t. 81. b. & ſeqq. 92. e. de periculo abortus. 83. b. de tempore puerperii d. de menſtruorum tempore 84. c. de conjugali actu inchoato, & non perfecto. 87. b. & not. 4. quatenus actus conjugalis eſt meritorius. 93. d. V. *Debitum conjugale*. Num cogitationes moroſæ, tactus &c. non ordinati ad conjugalem actum conſummandum liceant conjugibus. 86. c. & not. 3. exercere opus conjugale ob ſolam voluptatem peccatum eſt. 2. t. 640. c. not. 11.

Conjugalis amor verus qualis eſſe debeat. 1. t. 432. e. V. *Maritus*, V. *Uxor*.

Conjugium. V. *Matrimonium*.

Conſanguinitas. V. *Cognatio*.

Conſcientia quid ſit. 1. t. 179. a. 180. a. tres ejus actus. c. quomodo conſcientia ligat. 183. e. 184. d. quid ſit facere contra, vel præter conſcientiam. 181. a. 184. b. conſcientia erronea duobus modis errat. 181. c. ex ſeptem cauſſis. 182. a. conſcientia perplexa quæ. 183. b. ſemper ex errore perplexitas oritur. c. quid in ea agendum. CXIII. n. 21. conſcientia recta & bona. 185. b. qualis comparanda 186. d. ſeptem ejus fructus 190. a. conſcientia mala triplici ratione. 1. t. 186. b. quæ ſit. 615. e. njus effectus. 192. d.

Conſcientia dubia. V. *Dubium*. Scrupuloſa. V. *Scrupulus*. Probabilis. V. *Opinio*.

Conſecratio Eccleſiæ. 3. t. 530. a. per totum caput. differentia conſecrationis Eccleſiæ & altaris. 536. a.

Conſenſus actus voluntatis, & de eo fuſe. 1. t. 278. c. conſenſus interpretativus ad peccatum ſufficiens qui ſit. 566. d. not. 1. V. *Delectatio*.

Conſervatores, & eorum officium. 3. t. 368. a.

Conſiilia Evangelica in præparatione animi quatenus obligent. 1. t. 571. c. 774. b. de his conſiliis. 772. c. & 4. t. 614. b. fuſe.

Conſilium alicujus communitatis quale eſſe debeat. 1. t. 276. c. & ſeqq.

Conſilium electionem præcedens quid ſit, & quale. 1. t. 271. c. & ſeqq. de quibus conſiliandum. 274. c. tria ad conſiliandum requiſita. 4. t. 611. a. de dono conſilii, & quam neceſſarium. 612. c.

Conſiſtorii ſacri Romani principia in decidendis dubiis contraria probabiliſmo. 1. t. CLXVII. num. 19.

Conſtitutiones. V. *Synodus*.

Conſuetudo peccandi ſtudioſe eradicanda: idque negligere peccatum eſt. 1. t. 568. not. 2. conſuetudo contra legem naturalem, vel divinam corruptela eſt, nec poteſt legem tollere. 780. a. 3. t. 812. c.

Conſuetudo quatenus legem inducat, vel tollat. 1. t. 775. a. 777. e. 778. a. 781. b. 784. d. 789. e. varia poteſt eſſe conſuetudo varie obligans. ibi.

Conſulo, & conſilium non ſemper rem meri conſilii apud veteres ſignificat. 1. t. CIII. n. 13.

Contemplatio. V. *Vita contemplativa*.

Contemtus, & peccare ex contemtu. 2. t. b. 562. contemtus regulæ. 3. t. 853. not. 1. veniale ex contemtu fit mortale. c. 643. b.

Contentio. V. *Diſcordia*.

Conteſtatio litis explicata. 3. t. 425. d.

Continentia, ejuſque materia, & officium. 1. t. 117. d. & ſeqq.

Contractus quid eſt. 2. t. LIV. §. 18. n. 1. requiritur utriuſque partis contrahentis ejuſdem rei, & obligationis cognitio, & voluntas, ita ut altero ignorante, vel non volente, contractus non ineatur. ibi. hinc ſcripti contractus, emtionis &c. quos altera ſaltem pars non intelligit, nec vult, licet altera pars intelligat, & velit, non ineuntur. LV. n. 2. hinc plures contractus uſurarii. ibid. cautio adhibenda, ut vitetur uſura in contractibus. ibid.

Contractus uſurarii ſunt quicumque mutuum implicitum continent, & quinam hi ſint. 2. t. LIV. §. 17. LVI. §. 19. Regula in hoc obſervanda. LVIII. V. *Uſura quoad contractus*.
Contractus trium contractuum uſurarius fuſe demonſtratur. 2. t. LVIII. §. 20. V. *Societas*.
Contractus liciti quum ineuntur, non ſcribendi ſunt contractus ex forma uſurarii. 2. t. LV. in fine.
Contractus varii. 3. t. 296. d.
Contritio. V. *Dolor de peccatis*. V. *Converſio*.
Contumelia. 2. t. 369. a. 846. d. per totum caput.
Converſio non differenda. 2. t. 1019. d. an quis teneatur poſt peccatum quam citius converti. 3. t. 765. c. not. 4.
Copula conjugalis. V. *Conjugalis actus*.
Cordis cuſtodia & exercitium quod eſſe debeat. 1. t. 303. d. fuſe. cordis circumciſio. 309. a.
Correctio ex juſtitia a prælatis debita. 2. t. 961. c. 3. t. 1087. b. a rectoribus & magiſtratibus. 2. t. 965. d. a patribus. 1. t. 704. c. quomodo Antoninus Epiſcopus corrigendo ſe gereret. XLII. not. 14.
Correctio fraterna eſt præcepta. 2. t. 965. a. quando ejus omiſſio eſt mortalis. 963. d. non facile omittenda, quod non ſperetur fructus. 964. b. not. 1. modus ejus. 966. b. eam debent etiam ſubditi ſuis ſuperioribus, & quatenus. 965. c. V. *Denuntiatio*.
Crudelitas. 2. t. 907. c. 908. d. & ſeqq.
Culpa. V. *Peccatum*.
Cura animarum. V. *Beneficium curatum*.
Curioſitas. 2. t. 446. a. 485. c. per totum caput. quinque ejus modi. 487. c. contra quærentes inutilia. 489. a. in ſpectaculis maxime curioſitas reprobata. 491. a.

D

Damnatæ propoſitiones. V. *Propoſitiones damnatæ*.
Damnum dans quis intelligatur. 2. t. 144. a. & not. 1. 346. b. & qui ejus cauſſa ad reſtitutionem teneatur. 1. t. 887. a. 2. t. 144. a. not. 1. & LXXXIX. §. 9. ſufficit, ut quis ſit cauſſa efficax damni, etiamſi damnum ſine ipſo illatum ex alia cauſſa fuiſſet. XC. num. 3. etiamſi nihil pervenit ad eum ex furto. XCI. n. 5. 145. not. 3. 146. not. 5. num liceat bonum ſibi curare, unde alii damnum ſentient. 1. t. 875. b. damnum emergens. V. *Uſura quoad titulos lucri*.
Debitum legale, & morale explicatur. 4. t. 193. a.
Debitum conjugale negare quando ſit peccatum. 3. t. 87. c. petere quando peccatum eſt. 89. c. quando negari ſine peccato poſſit. 91. c. non ſemper expreſſe petendum eſt, ut quis reddere teneatur. 88. a. c. quid in voto caſtitatis alterius conjugis, vel utriuſque quoad debitum conjugale petendum vel reddendum. 107. e. & ſeqq.
Decalogus, & de præceptis ejus fuſe. 1. t. 689. b. & ſeqq.
de primo præcepto. 1. t. 692. c. V. *Religio in Deum*, *Fides*, *Spes*, *Amor Dei* &c.
de ſecundo præcepto. 1. t. 695. d. V. *Juſjurandum*, *Votum* &c.
de præcepto tertio. 1. t. 698. c. V. *Dies feſti*.
de quarto præcepto. 1. t. 702. d. V. *Filius*, *Pater*, *Dominus* &c.
de præcepto quinto. 1. t. 707. e. V. *Homicidium*.
de ſexto præcepto. 1. t. 710. c. V. *Fornicatio*, *Adulterium*, *Stuprum* &c.
de ſeptimo præcepto. 1. t. 713. b. V. *Furtum*, *Rapina*, *Uſura* &c.
de præcepto octavo. 1. t. 716. c. V. *Mendacium*, *Detractio*, *Calumnia* &c.
de præcepto nono. 1. t. 718. e. V. *Cogitationes*, *Deſideria*, *Delectatio moroſa* &c.
de ultimo præcepto. 1. t. 120. e.
Decimæ cur inſtitutæ. 2. t. IX. §. 10. XVIII. XIX. de decimis, & earum præcepto fuſe. 566. b. & ſeqq. 1. t. 806. d. de non ſolventibus decimas. 2. t. 570. e. excommunicatio contra religioſos non facientes conſcientiam pœnitentibus de decimis. 3. t. 1371. a. alia contra eoſdem retrahentes a decimarū ſolutione. 1309. b.
Deciſiones caſuum conſcientiæ quam difficiles, ac quantum periculum habeant. 1. t. XCI. principia adhibenda in decidendo. V. *Principia*. non ſemper decidendum, niſi ubi veritas explorata. 1. t. C. n. 10. reprehenditur temeritas eorum, qui ſemper decidere volunt affirmative, vel negative. ibi. in hiſce caſibus, ubi temerarium eſt decidere, quid pro praxi definiendum ſit. CI. CII. V. *Dubium*. in deciſionibus practicis faciliora, & minus tuta a Theologis & Confeſſariis nonnullis ingeſta, contraria concionibus. CXXVIII. n. 33. CXXXI. CXXXII. id contra praxim veterum. CXXIX. n. 34. potius doctrinæ concionum, quam hiſce deciſionibus vel conſiliis privatorum fidendum. CXXX. n. 35. cur. ibi. n. 36.
Decreta, ſeu conſtitutiones Pontificum. V. *Lex canonica*. V. *Reſcripta*.
Deffectus rei vendendæ num manifeſtandus. 2. t. 267. c. not. 3.
Defloratio. V. *Stuprum*.
Degradatio. 3. t. 1448. b.
Delectatio moroſa. 2. t. 641. b. cogitans de fornicatione dupliciter delectari poteſt. d. delectatio interpretative voluntaria & peccaminoſa eſt cogitationes turpes non repellere. 1. t. 565. not. 1. V. *Cogitatio*.
Delectationes & tactus &c. conjugum præſentium, non ordinati ad copulam num illiciti ſint. 2. t. 644. a. not. 3. 3. t. 86. c. not. 3. quid de abſentium delectationibus. ibi.
Delectationes ſpirituales majores corporalibus. 1. t. 467. b. corporales autem ſunt vehementiores. d.
Denuntiatio peccantium ex fraterna correctione debita, & quatenus. 2. t. 972. d. not. 5. 974. not. 6. V. *Sollicitatio*.
Depoſitio. 3. t. 1447. d.
Depoſitum verum quod. 2. t. 112. c. eo uti non licet, & furti ſpecies commiſſa, & quatenus reſtitutio ingruat. 238. e. depoſita uſuraria. 3. t. 312. a. V. *Uſura in depoſitis apud mercatores*.
Deriſio proximorum. 2. t. 791. e. quale peccatum. 794. c. deriſio ſacrorum. e. juſtorum. 795. c.
Deſiderium uti paſſio, & quatenus juſtorum, vel peccatorum ſit. 1. t. 461. d. deſiderium licet inefficax ex. gr. mortis alicujus ob temporale bonum inde ſecuturum, vel conſequendum non licet. 2. t. CXXXII. §. 7. CXXXIV. n. 3.
Deſideria conditionata, & eorum ſpecies, & quatenus ſint, vel non ſint deſideria, vel peccata in rebus abſolute vetitis. 1. t. 568. not. 3. fuſe.
Deſperatio. 2. t. 925. a. 1034. b. quam periculoſa. 1. t. 369. e. 2. t. 925. c. 1033. b. ejus cauſſæ. 1. t. 479. d. 2. t. 1032. e. remedia. 1. t. 479. d. 2. t. 1037. c.
Detractio. 1. t. 717. c. 2. t. 353. a. 369. d. 892. e. per totum caput. varii detrahendi modi. 894. c. quando ſilentium detractioni æquivalet. 896. c. not. 7. reſtitutio debita. 369. d. 899. b. quandoque etiam audientes ad reſtitutionem obligantur. d. not. 11. non facile credendum detractionibus. 900. c.
Devotio quid ſit. 3. t. 545. d. ejus cauſſa. 546. a. effectus. d. ejus neceſſitas in miſſa, officio &c. ut præcepto ſatisfiat. 2. t. 1005. a. not. 10. V. *Attentio*.
Deus quid ſit. 3. t. 1485. b. & ſeqq. quantæ bonita-

nitatis ſit. 1. t. 661. a. & ſeqq. de Dei nomine. 3. t. 1481. a. de Deo trino & uno. 1484. c. 4. t. 537. e. & ſeqq. de beatitudine Dei. 530. a. conſiderantur multa Dei attributa, propter quæ eſt maxime reverendus. 898. e. de falſis diis gentium. 3. t. 1483. c.

Dei voluntas duplex, beneplaciti, & ſigni. 1. t. 638. e. quomodo vult omnes homines ſalvos fieri. 640. e.

Dei voluntati homo debet ſe conformare. 1. t. 634. b. quid circa voluntatem damnationis alicujus, & quatenus eam velit. 636. c. 638. a.

Diabolus, & ejus tentationes variæ. 1. t. 498. e. per totum caput. V. *Tentationes*.

Diaconus, & ejus officia. 3. t. 747. a.

Dies feſtos ſanctificare quatenus præceptum morale, & quatenus cæremoniale fuerit. 1. t. 690. e. 2. t. 975. a. qui dies feſti apud Hebræos. 1. t. 699. b. 700. d. de die dominico. 2. t. 975. d. 979. d. alia feſta. 976. a. a quibus operibus ceſſandum die feſto. 983. b. de barbitonſoribus. 986. d. magis in culpa eſſe poſſunt, qui barbitonſores adeunt. ibi. not. 14. Antoninus laborare diebus feſtis etiam in pauperculis reprehendit. 1. t. LX. not. 9. in feſtis Deo vacandum. 1. t. 700. a. 2. t. 980. b. num ſolius miſſæ auditio ſufficiat. 2. t. 982. a. not. 9. opera ſervilia vetita quæ. 1. t. 701. c. num peccare die feſto gravius & in confeſſione declarandum. e. 2. t. 978. e. 979. not. 8. olim inchoabat dies feſtus quoad ceſſationem ab operibus a veſperis ad veſperas. 2. t. 978. b. 3. t. 317. e. ſequendus in hoc mos patriæ. ibi.

Dignus pro *digniori* nonnumquam accipitur. 2. t. 33. not. 1.

Diſcordia & ſeditio, ac de variis ſeditionibus diſcordiiſve civitatum &c. 2. t. 620. c. contentio & æmulatio affinis diſcordiæ. 630. d. contra diſputantes & contendentes pro prælatione ſuæ ſcholæ. ibi. vel quorumdam ſanctorum. 631. b. in diſputationibus ſcholaſticis contendentes. 632. b.

Diſpenſatio legis humanæ, & interpretatio legitima cujus ſit. 1. t. 822. e. diſpenſans ſine juſta cauſſa peccat, & quatenus etiam uti non liceat hac diſpenſatione. 823. b. & not. 18. contra diſpenſationem tacitam Goffridi dictum in quadam materia. 3. t. 813. d. diſpenſatio ſi pro ſola voluntate ſit, non ex juſta cauſſa, diſſipatio eſt. 814. e. etſi excuſet coram hominibus, non tamen coram Deo. 810. not. 8.

Diſpenſatio non eſt ſimplex ſcientia principis, ſi videt, & tacet, quum lex nondum eſt abrogata. 2. t. 39. not. 1.

Diſpenſatio impedimentorum dirimentium, quæ competebat olim etiam Epiſcopis. 3. t. 41. a. omnis ejuſmodi diſpenſatio nunc Papæ reſervata. 41. not. 5. in quibus Papa diſpenſare poſſit. 96. c. 42. a. 52. c. num in impedimentis poſt matrimonium occultis Epiſcopi poſſint diſpenſare. ibi.

Divinatio. 2. t. 1136. d. ejus variæ ſpecies. 1137. c. divinatio per ſomnia. 1139. b. V. *Superſtitio*.

Divites a Deo facti, ut pauperibus ſubveniant. 4. t. 86. b.

Divitiæ cur dictæ *mammona iniquitatis*. 4. t. 735. b. earum damna. 736. b. 738. c. de uſu earumdem ratio reddenda. 737. b.

Divortium quibus caſibus iniri poſſit. 3. t. 97. c. 103. c.

Doctoratus, & quatenus peccetur admittendo ineptos. 3. t. 242. b.

Doctorum etiam Sanctorum libri quatenus ſuſcipiendi. 1. t. 820. b. not. 17.

Doctrinæ ſæculares non proſunt ad ſalutem. 4. t. 568. a. de doctrinis Gentilium fuſe. ibi.

Dolor uti paſſio. 1. t. 470. b. per totum caput.

Dolor de peccatis definitur. 3. t. 762. e. differentia inter contritionem & attritionem. 763. c. de neceſſitate contritionis. 764. c. quæ attritio cum ſacramento ſufficiat. ibidem. not. 2. 788. e. naturalis certe non ſufficit. 1. t. CCXXVII. quæ Deum non reſpicit, Romæ excluſa. ibid. quando contritionis præceptum obliget. 3. t. 765. c. num quis teneatur poſt peccatum ſtatim conteri. 766. b. not. 4. duplex dolor ſenſibilis, & voluntatis. c. num in ſingula peccata eliciendus. 712. e. not. 5. 764. c. 765. b. quantus debeat eſſe dolor. 767. b. num voluntas contritionis habendæ ſit contritio ſufficiens. ibi. not. 5. 768. a. in eliciendo dolore non eſt inducenda tentatio conſideratione quadam pœnarum particularium, quas quis ſubire malit quam peccare. d. 1. t. 568. not. 3. motiva & cauſſalitates doloris. 3. t. 768. c.

Dolus malus qui ſit. 1. t. 899. b. doloſa perſuaſio plus eſt quam violentia. d. dolus in contractibus. 2. t. 262. c. d.

Dominium ſummi ſacerdotii & regalis poteſtatis. 3. t. 165. a. quale Regum dominium eſſe debeat, & eorum inſtitutio. 167. a. conditiones boni principis fuſe explicatæ. 172. c. jurisdictionis regiæ origo, & de civitatum ac regnorum dominio. 175. a.

Dominium rerum diffinitur. 3. t. 186. d. 4. t. 633. d. non eſt a natura, ex qua omnia communia eſſe deberent. 3. t. 180. d. quo jure diſtincta ſint dominia. 181. c. diviſio dominii. 187. b. 4. t. 634. b. diverſi modi habendi jus vel dominium. 615. c. dominium ſex modis transfertur. 3. t. 296. d. uſus ſine dominio quibus contractibus transfertur. 297. d. num in uſura dominium transferatur. 2. t. 142. b. not. 6.

Dominorum temporalium & officialium vitia quæ. 3. t. 189. a. 203. c. 213. e.

Dona Spiritus Sancti fuſe explicata. 4. t. 495. b. de dono ſapientiæ. 504. d. intellectus. 543. b. conſilii. 611. a. de fortitudine. 675. d. de dono ſcientiæ. 1269. b. pietatis. 911. e. timoris. 727. b.

Donatio a quo, & cui fieri poſſit. 3. t. 470. d. quibus de cauſſis poſſit revocari. 471. a. de conjugum donis. b.

Donatio cauſſa mortis. 3. t. 470. b. per totum caput. donatio per errorem an reſtitutioni ſubjaceat. 2. t. 417. a. donatio propter nuptias. 3. t. 113. a.

Dos quid ſit. 3. t. 111. a. multiplex dotis diviſio. b. variæ quæſtiones de dote, quando maritus eam lucretur, de ejus reſtitutione &c. d. & ſeqq. dos quoad uſuram. V. *Uſura in dotibus*. dos Monialium ſoluta in ingreſſu religionis quatenus non ſit ſimoniaca. 2. t. 63. not. 12. quatenus vero ſimonia committi poſſit. 62. b. & ſeqq. 1. t. CCXXIII.

Dubium. 1. t. 193. d. aliud ſcrupuloſum, aliud probabile. 199. not. 3. dubium de impedimento dirimente ſi poſt contractum matrimonium oriatur, quid agendum. 3. t. 28. b. in dubio de juſtitia belli an liceat cooperari. 215. b. dubii caſus habendi pro reſervatis. 1. t. CLVI. n. 8. dubia juriſdictione licet probabili, utendum non eſt. V. *Confeſſarius quoad juriſdictionem*. in dubio fori externi reo eſt potius favendum, quam actori. 1. t. 850. e. quæ dubia in meliorem partem interpretanda. 856. c. not. 3. in foro conſcientiæ tutius eligendum. 857. a. niſi dubium ſit ſcrupuloſum. ibid. dubia de proximo in bonum accipienda. 2. t. 504. b. quid in dubio voti. V. *Votum*.

Dubia

Dubia conſcientiæ quam caute decidenda. 1. t. XCI. ſola moralis certitudo dubium prudens excludit; & ad agendum requiſita. V. *Certitudo.* dubium, an aliquid liceat, eſt certitudo quod non licet. CXXXVI in tero opiniones æqu , vel fere æque prob bil s ſt dubitandum. XCVI I. & in hoc dubio tutius agendum. XCIX. CXXXVI. temeritas eſt non dubitare inter opiniones perinde probabiles. C. dubia inſigniora olim ad Romanam Sedem, vel Epiſcopos delata, ne temere judicaretur. CI. quid interrupit vel minuit hanc praxim. ibi. ſola dubia ſcrupuloſa abjicienda. XCIX. C. CIX. CX. dubium incidens num præſcriptionem bona fide cœptam impediat. 2. t. 247. a. not. 11. in dubiis præcipitare ſententiam præſumtio & temeritas eſt. 1. t. C. 2. t. 482. b. 704. b.

Duellum. 2. t. CXXI. n. 2. CXXXI. n. 4. 3. t. 231. e.

E

Ebrietas. 2. t. 772. a. per totum caput. mali ejus effectus. 4. t. 135. c. quid de peccatis in ebrietate contingentibus. 2. t. 699. not. 2. V. *Eventus*.

Eccleſia univerſalis una. 3. t. 2. ſanctitas ejus. 3. ſtatus diverſi in Eccleſia. 4. Eccleſia fidelium collectio complectens bonos & malos. 503. c. Eccleſia ſanctorum. 504. d. Eccleſia templo comparata. 507. a.

Eccleſiæ ſententia de principiis adhibendis in deciſione caſuum conſcientiæ contraria probabiliſmo. 1. t. CL. num. 1. & ſeqq. Eccleſiæ auctoritas in quibus cognoſcenda CLI. CLXXX. quantum valeat contra omnes hæreſes. 4. t. 598. a.

Eccleſiæ locus ſacer, ſeu templum. 3. t. 505. d. 531. d. cur requiratur. 507. d. qua auctorite ædificandæ Eccleſiæ. 508. b. a quo reparandæ. 508. d. de Eccleſia deſtruenda, & in quos uſus poſſit, vel non poſſit converti. 509. a. not. 4. de conſecratione Eccleſiæ. 530. a. ritus conſecrandi. 533. d. quibus caſibus Eccleſia polluitur. 534. b. de reconciliatione ipſius. e. 535. a. quando iterum conſecranda ſit. d. de veneratione Eccleſiarum. 536. d. & ſeqq. ornatus earum. 546. e. earum dignitas. 2. t. 301. a. ſacrilegia varia circa loca ſacra. ib. variæ profanationes. 302. e. quantum Antoninus Archiepiſcopus profanationibus reſtiterit. 1. t. XLIII. not. 16.

Eccleſia & oratorium in quo differant. 3. t. 525. a.

Eccleſiaſtica bona V. *Bona Eccleſiaſtica*, *Cenſus*, & *tributa Eccleſiæ*.

Educatio filiorum, ac juvenum quæ eſſe debeat. 4. t. 56. b.

Electi ſunt pauci præ damnatis. 1. t. 267. d. electorum ad gloriam ſigna. ibi. e. & ſeqq.

Electio actus voluntatis fuſe explicata. 1. t. 265. a.

Electio ad dignitates quæ a Deo ſit. 1. t. 269. d. electio definitur. 3. t. 1048. d. cujus ſit eligere. ibi. quis non poſſit eligere. 1049. a. tempus eligendi. c. locus. 1050. a. forma eligendi per ſcrutinium. d. per compromiſſum. 1055. d. per inſpirationem communem. 1056. c. quis eligi poteſt. 1053. a. quis non poteſt. c. de electionibus monialium. 1054. e. malæ electiones quæ. 1052. d. de confirmatione electorum. 1058. c.

Eleemoſyna. 4. t. 261. a. commendatio ejus. 265. c. fructus ejus. 269. e. quomodo fieri debeat. 268. a.

Eleemoſynæ præceptum. 2. t. 334. a. ex parte dantis obligat ad diſtribuenda ſuperflua. c. 335. d. CVI. etiam extra neceſſitatem extremam, vel gravem, in ordinariis neceſſitatibus ſuperflua pauperibus debita. CVIII. definitum videtur ab Innocentio XI. ibi. quæ dicantur ſuperflua. ibi. quæ obligatio eleemoſynæ ex parte pauperum. 334. d. tria pauperum genera. CVII. n. 3. de eleemoſynæ præcepto in neceſſitate extrema, etiam ſi ſuperflua non habeantur. ibi. item in neceſſitate gravi, & de quibus bonis facienda tum eleemoſyna. ibi. n. 4. 335. not. 3. neceſſitas extrema quæ. 335. b. CVII. n. 3. extrema nonnumquam dicta gravis neceſſitas. 334. not. 2. eleemoſynæ ſpecies mutuum gratuitum eſſe poteſt ſub præcepto. V. *Mutuum*. eleemoſynæ ſpecies in præcepto eſt ſubvenire indigentibus de arte, vel officio gratis. 335. novem conſiderationes in eleemoſynæ diſtributione. 330. a. utilitas eleemoſynæ. d. diſcernendum inter petentes eleemoſynam. 329. c. ex debitis certarum perſonarum non ſunt eleemoſynæ faciendæ. 386. a. quanti habenda ſit vulgaris pauperum in accipienda eleemoſyna reſponſio, *Deus retribuat tibi*, inſigni miraculo, quod Antonino contigit, comprobata. 1. t. LVI. not. 1.

Eleemoſynæ præceptum ex ſuperfluis Eccleſiaſticorum non a ſola caritate, ſed a juſtitia, quæ reſtitutionem exigit, dimanat. 2. t. CIX. 376. b. 957. c. V. *Bona Eccleſiaſtica*.

Eleemoſynæ *manuales* pro miniſteriis ſacris pertinent ad bona Eccleſiaſtica, quorum dominium ſacer miniſter non acquirit. V. *Bona Eccleſiaſtica*.

Emphyteuſis. 3. t. 528. e.

Emtio vera cum pacto retrovenditionis licita. 2. t. 133. c. quando uſuraria. V. *Uſura quoad contractus*. emtio redituum. 2. t. 134. c.

Emtio minori pretio maxime ab ignorante illicita. 3. t. 308. a. & reſtitutionem exigit. 2. t. 263. e. not. 2. emens rem furtivam quatenus peccet, & reſtituere tenetur. 308. c.

Epiphaniæ feſtum, ac de eo fuſe. 4. t. 1161. c.

Epikeja. 1. t. 33. c. 4. t. 271. b. quando ea utendum. 272. d.

Epiſcopatus quatenus eſt ordo. 3. t. 744. a. quomodo confertur. 747. e. non eſt appetendus. 1112. c.

Epiſcopus. 3. t. 1097. c. ejus ſanctitas quanta eſſe debeat. 1093. c. qualitates. 1 97. e. auctoritas. 1095. b. poteſtas. 1200. c. ſtudia. 1096. b. juriſdictio. 1098. b. num poſſit fugere in perſecutione. 1099. a. quid tempore peſtis & aliis periculis. V. *Paſtor*. epiſcopi officia varia circa ordinandos 1099. d. circa promovendos ad beneficia. 1102. c. V. *Beneficia quoad collationem*. circa præſentatos a patronis quid agere debeat. 1103. d. circa confeſſarios. 1104 e. circa moniales. 11 5. c. aliæ Epiſcopi curæ & officia. 1106. b. & ſeqq. quomodo ſe gerere debeat circa temporalia. 1108. a. de uſu redituum Eccleſiaſticorum. V. *Bona Eccleſiaſtica*. circa viſitationem diœceſeos. V. *Viſitatio*. jura epiſcopalia quæ. 3. t. 381. a. de portione canonica Epiſcopo exhibenda. 1118. b. de cathedratico. 1119. c. da caritativo ſubſidio. 1120. d. duplex Epiſcoporum lex, diœceſana, & juriſdictionis, quæ. 383. c. quid poſſit Epiſcopus ex Tridentino abſolvendo, vel diſpenſando. 1111. not. 1. reſtricta ea facultas quoad caſus reſtrictos poſterioribus Bullis vel decretis. ibi. quatenus juriſdictio diœceſana non præſcribatur per uſum. 1121. a. ſufficit unus actus ad juriſdictionem conſervandam. c. jus Epiſcoporum in correctione exemtorum quæ. 3. t. 384. not. 7. circa clauſuram etiam exemtarum monialium. 1107. not. 17. 1139. c.

Epiſcopis ob caracteris auctoritatem quantum ipſi Sancti detulerint in deciſione caſuum conſcientiæ 1. t. CI. not. 4. ex ipſis auctoritas Eccleſiæ, &

Eccleſiæ ſenſus agnoſcendus. CLI.CLXXI. n.23. CLXXXII. n. 46. in quibus operibus ipſorum auctoritas Epiſcopalis eluceat, eaque opera diſtinguenda a ſcriptis & libris privatis. CLXXI. n. 23. Epiſcopi, qui ſtatuerunt principia contraria probabiliſmo. ibi. & ſeqq. V. *Synodus*.

Epiſcoporum præcipuum munus & debitum prædicandi. 3. t. 379. not. 4.

Error communis ſine titulo colorato non dat juriſdictionem. 1. t. CLVIII. n. 9.

Eubulia quæ ſit. 4. t. 67. c.

Examen ordinandorum. 3. t. 1100. a. confeſſariorum. 1105. a. not. 14.

Excæcatio. V. *Obcæcatio*.

Euchariſtiæ ſacramentum. 3. t. 640. b. 654. a. & ſeqq. ejus inſtitutio. 697. c. effectus ejus. 655. a. 660. c. 703. a. miniſter. 700. d. materia. 658. b. V. *Miſſa*. tranſubſtantiatio in hoc ſacramento. d. 626. a. mirabilia hujus ſacramenti. 632. b.

Euchariſtiæ ſumendæ præceptum Eccleſiaſticum. 1. t. 806. c. 2. t. 993. d. ſatisfit eidem intra quindennam paſchæ poſt Bullam Eugenii quarti. 994. not. 1. ex declaratione Innocentii. XI. non ſatiſfacit, qui in cathedrali intra illud tempus communionem ſumit, etiamſi de manu Archipreſbyteri eam ſumat. 3. t. 1071. not. 1. ætas communicandi. 996. c. quando urgere incipiat communionis præceptum. 3. t. 702. c. ex jure divino præcepta item Euchariſtia. 2. t. 988. c. not. 3. quæ ſint requiſita ante ſumtionem Euchariſtiæ. 3. t. 618. b. &c. de corporali munditie. 622. b. de jejunio. 620. c. 2. t. 997. c. conditiones ejus ſumendæ ex cæremoniis ductæ in paſchali agno olim requiſitis. 1. t. 739. e. contra omittentes communionem. 2. t. 995. d. contra indigne communicantes. 996. e. 999. a. quando malis poſſit dari euchariſtia. 3. t. 698. e. quibus non neganda. 700. b. quibus neganda. c. de frequentia ſumtionis euchariſtiæ. 702. b. qualis debet eſſe, qui frequenter communionem ſumit. 631. b. 1623. not. 4. quomodo debite ſumenda. 655. d. Sacerdos quid agere debeat, ſi inter celebrandum recordetur ſe excommunicatum, ſuſpenſum, non j junium &c. 623. d. Sacerdoti quatenus in neceſſitate licet ſine confeſſione, ubi copia confeſſoris non ſit, celebrare, & euchariſtiam ſumere præmiſſo actu contritionis cum propoſito confitendi quamprimum. 2. t. 997. c. quæ hujuſmodi neceſſitas. 1025. c. obligatur autem *quamprimum* confiteri, & quid intelligendum. ibi. not. 2. d. utrum qui omiſit communicare in paſcha, teneatur quam primum poſtea communicare. 2. t. 998. b. not. 3. quid poſt ſumtam euchariſtiam agendum. 3. t. 621. . de communicantibus in mortali. 628. d. in dubio de mortali. 629. b.

Eventus actionem conſequens quando imputetur. 1. t. 299. c. & not. 1. 878. c. 2. t. 860. c. quid de eventibus ex ebrietate, vel amentia voluntaria & culpabili. 2. t. 699. not. 2. quid de eventu mutilationis vel homicidii caſualis in ordine ad irregularitatem 1. t. 324. not. 5. V. *Irregularitas ex homicidio caſuali*.

Ezechielis viſio de quattuor animalibus, & explicationes ejus variæ. 1. t. 150. c. & ſeqq.

Excommunicatio major. 3. t. 1295. a. propter quid ferenda. 1384. d. excommunicatio non ſubito ferenda. 2. t. 606. d. nec pro levibus rebus. 1. t. XLI. not. 12. dicta medicina & venenum quomodo. 2. t. 606. a. num incurratur a peccante, qui eam ignorat. 3. t. 1306. c. not. 2. de excommunicatione conditionata. 1390. d. excommunicatio canonis, vel hominis. 1388. a. latæ ſententiæ, vel ferendæ. 1389. d. in dubio excommunicationis tutior eligenda. 1390. c. excommunicatio injuſta in foro externo ligat, & quomodo. 1385. d. quando nulla eſt excommunicatio, & non obligat. 1386. a. 1387. not. 2. poteſt dari excommunicatio injuſta, quæ tamen ſit valida & liget. ibi. not. 2. 1396. d. 4. t. 605. b. quam ſpernens peccat. 3. t. 1387. not. 2. 1397. b. quis poteſt excommunicare. 1391. b. quis non poteſt. e. quis nequeat excommunicari. 1392. d. finis excommunicationis. 1395. e. excommunicationis effectus. 2. t. 607. a. 3. t. 1396. b. excommunicati miſerrimus ſtatus. 1. t. XLI. not. 12. de abſolutione ab excommunicatione, a quo, & quatenus fieri poſſit. 3. t. 1402. a. variæ excommunicationes majores explicatæ. 1296. c. & ſequentibus capitibus, communicans ſcienter cum excommunicato in crimine criminoſo eſt excommunicatus. 1346. c. item communicans in divinis cum excommunicatis a Papa. 1340. c.

Excommunicatio minor quando contrahitur. 3. t. 1405. e. 1411. a. num, & qui metus excuſet. 1407. c. participare cum excommunicato excommunicatione majori quando per ſe eſt mortale. d. cauſſæ excuſantes ab excommunicatione minori. 1408. b. quid agendum, quum dubium eſt, num quis ſit excommunicatus & vitandus. 1410. c. num epiſcopus communicans cum excommunicato a ſe, incurrat in excommunicationem. 1413. a. not. 1. quis ab excommunicatione minori abſolvat. 1414. b. Papa participans cum aliquo excommunicato, eum non abſolvit. b. moderatio per conſtitutionem Conſtantienſem. 1414. d. not. 3. 1415. a. quatenus hæc non faveat ipſis excommunicatis excommunicatione majori, qui ſe debent gerere pro excommunicatis. 1414. c. participans cum excommunicato minori non incurrit ullam excommunicationem. 1407. e.

Exemptio probanda. 3. t. 920. b. quæ verba exemtionem inducant. 922. b. viſitatio quoad curam in Eccleſiis regularium exemptorum ad Epiſcopum pertinet. 925. a. raræ Eccleſiæ exemtum ab Epiſcopo habent etiam populum. ibi. exempta plebania, non ſunt exemti parochiani. 1091. d.

Exheredatio quibus cauſſis liceat. 3. t. 452. d.

Exorciſtatus ordo. 3. t. 745. d.

Exſecutores teſtamentarii, & notanda circa ipſos 3. t. 460. d. exſecutor judiciorum. 357. c. 358. a.

Extaſis. 1. t. 435. b. & not. 1.

F

Falſarii Bullarum. 2. t. 274. b. expeditores Romanos, alioſque cauſſas diſpenſationum non ſatis exploratas vel falſas afferentes pro Falſariis habendi ex Benedicto XIV. 1. t. CCXXVIII. alii falſarii. 2. t. 274. b. 349. d. excommunicatio in falſarios litterarum Papalium. 3. t. 1321. d. & contra utentes ſcienter illis. 1322. c.

Falſum teſtimonium. 2. t. 353. a. V. *Detractio*.

Fatum. 2. t. 1197. a.

Feſti dies. V. *Dies feſti*.

Feudum & de feudatariis fuſe. 3. t. 193. c.

Fidejuſſor, ſeu ſatisdator an licite accipiat aliquid pro ſatisdatione 2. t. LXIX. not. 3. 3. t. 303. c. V. *Aſſecuratio*.

Fidelitas in amico, legato, & ſervo. 4. t. 249. a.

Fides theologica, & unde cauſſetur. 4. t. 424. a. d. not. 1. quattuor inducentia ad fidem. 426. b. fidei effectus. 434. b. fidei objectum, & credendi modus. 437. b. quæ fides requiratur. 448. d. fidei neceſſitas. 451. c. not. 2. de fide explicita. 452. c. not. 3. fidei actus tres. 442. d. interio-

teriores. ibid. 444. c. credere Deo, Deum, & in Deum. d. de actu externæ professionis fidei, & quando obliget. 446. b. not. 1. dubius in fide peccat graviter. 2. t. 1147. d. 1156. e. ad fidem infidelis non cogendus. 1147. e. in hæretico non est fides. 4. t. 440. d. de articulis fidei. 455. d. de symbolo. 457. e. disputationes de fide cum infideli quibus vetitæ. 2. t. 1148. d.

Filius in triplici specie, legitimus, illegitimus, & legitimatus. 3. t. 127. b.

Filiorum officia erga patres debita. 1. t. 705. b. de honore parentibus debito. 4. t. 209. a. utilitas hujus honoris. 210. d. de obedientia. V. *Obedientia.*

Filium alienum supponens, ex. gr. ex adulterio susceptum. 2. t. 276. b. filii quomodo educandi. 4. t. 56. b. V. *Pater.*

Finis qui. 2. t. X. §. 11. varie distinguitur. ibid. primarius ac principalis, secundarius, & accessorius XI. signa finis principalis XV. n. 2. finis improprius XI. XVI. secundarius simul & improprius XVI. finis bonus non efficit licita opera mala. 1. t. 262. d.

Finis ultimus vitæ humanæ, propter quem omnia agenda sunt. 4. t. 373. a. & seqq.

Fœnus. V. *Usura.*

Fornicatio. 2. t. 648. d. not. 7. 656. c. & seqq. est mortale peccatum 657. d. & per se intrinsece mala. 649. c. not. 9. 4. t. 618. e. idololatria, vel infidelitas dicta aliquando fornicatio. 2. t. 655. e.

Fortitudo quid sit. 4. t. 72. b. firmat animum circa tria. 69. c. versatur præcipue circa mortis pericula. 72. c. qui ejus actus 73. c. 80. c. modi quinque. 81. c. fortitudo uti donum Spiritus sancti. 676. d. 685. e. ejus actus duplex. 677. e. de fortitudine, uti est virtus acquisita, vel infusa. 683. c. 69[illegible]. b. fructus fortitudinis. 680. a.

Fortuna. 2. t. 1183. b.

Fraticellorum hæresis. 2. t. 1166. c. & seqq. 3. t. 849. a. 1590. c. 4. t. 596. c. error eorum circa pauperratem Christi & Apostolorum fuse confutatus. 625. a.

Fraus legibus facta quattuor modis circa contractus. 3. t. 298. c. fraudes variæ in variis artibus, & contractibus. 304. c. species, & modi varii fraudandi. 1. t. 774. a. 2. t. 349. b. præsertim in negotiatione. 2. t. 261. c. per totum caput. 271. b. per aliud caput. fraudans pretium operariis. 265. b.

Fructus Spiritus sancti. 4. t. 289. e.

Fruitio actus voluntatis. 1. t. 258. c. quo fruendum sit. 259. c.

Funeralia. 3. t. 476. e. V. *Portio canonica quoad sepulturam.*

Furtum vetitum sexto præcepto. 1. t. 713. b. & seqq. 2. t. 224. c. per totum caput. varii modi furti. 227. a. & seqq. 229. d. per totum caput. retinens aliena insciо domino furti reus est. 1. t. 715. b. item male distribuens aliena. d. retinens inventa. 2. t. 235. b. de furto in necessitate, & quatenus peccatum sit, vel non sit. 2. t. LXXXII. §. 3. 234. b. de furto modicarum rerum, & debito restitutionis. LXXXVIII. §. 8. 229. a. not. 2. de furtis filiorum familias &c. 232. a. d. agricolarum. 233. d.

G

Gabella. V. *Tributa.*

Galliæ Episcopi contra probabilismum decernentes. 1. t. CLXXV. num. 31. CLXXVIII. num. 42.

Gaudium uti passio nunc in bono, nunc in malo. 1. t. 464. d. per totum caput. Gaudium de morte alterius ob temporale bonum inde sequutum non licet. 2. t. CXXXII. §. 7. 907. c. sicut nec de pollutione in somnis habita ob levamen naturæ. 781. not. 2. gaudium actus interior caritatis. 4. t. 343. a.

Gentilium doctrinæ quatenus non contemnendæ. 1. t. 37. d.

Gloria quid est. 2. t. 545. e. gloriari in Domino. 546. c. gloria mala & inanis. V. *Inanis gloria.*

Glossæ Decretorum in nonnullis notatæ ac non tenendæ. 4. t. 608. d.

Gnome virtus annexa prudentiæ quæ dicatur. 4. t. 68. e.

Græcorum schismaticorum errores, 4. t. 594. d.

Gratia divina & proprietates ejus. 4. t. 461. c. de essentia gratiæ. 469. a. de ejus divisione. 471. e. de gratiæ causis. 475. d. ejus necessitas. 479. d. de gratia sufficienti. ibid. not. 1. de gratia gratum faciente. 462. d. 472. a. 474. e. gratia gratis data. 462. d. 473. d. quare communicata quandoque malis. 475. b. gratia operans & cooperans. 472. b. prævеniens & subsequens. 2. a. 473. a.

Gratiani articuli, qui non tenentur. 4. t. 604. a.

Gratitudo quot titulis Deo debeatur. 2. t. 516. c. de gratitudine fusa disputatio. 4. t. 219. b.

Guillelmi de S. Amore liber, & errores contra mendicantes 4. t. 597. d.

Gula 2. t. 741. a. cibus & cibi sumtio per se non est mala. 742. a. quatenus malum sit cibis uti. b. quæ culpa. 743. b. pœnæ gulæ. 744. d. ejus species ex modis & circumstantiis diversis. 746. d. damna gulæ 747. b. nimis commedere vitium 748. c. delicatos cibos & vina quærere. 749. c. nimia ciborum præparatio. 750. b. avide comedere. 751. a. anticipata comestio. e. remedia contra gulam. 752. c. gulæ filiæ. 775. a. per totum caput. edere, vel bibere ad vomitum. 780. a.

H

Habitualis intentio pro virtuali a nonnullis veteribus sumta. 1. t. 291. not. 1.

Habitus quid sit. 4. t. 7. a. aliquis habitus est virtus, & quomodo. 10. e.

Habitus mali. V. *Consuetudo.*

Hæresis & quis hæreticus. 2. t. 1155. d. quinque ad hæresim requisita. 1162. c. & seqq. 4. t. 673. c. excommunicatio major in hæreticos lata, in quam non incidit hæreticus mere internus. 3. t. 1311. b. specialiter reservata Papæ, etiamsi secreta sit, dum sit externa. 1112. not. 21.

Hæretici recensentur. 1. t. 386. a. item ipsorum errores. 4. t. 589. a. & seqq. cur Deus permittit hæreticos. 592. e.

Hæreticis non participandum. 2. t. 1149. a. 1153. c. disputatio cum hæreticis vel infidelibus vetita, & quibus. 1148. c.

Hæreticorum pœnæ. 2. t. 1157. a. pœne recipientium hæreticos. 1158. d. de relapsis in hæresim. 1159. c. de hæreticorum inquisitione. e. quid Antoninus in hæreticos egerit. 1. t. LII. V. *Inquisitio.*

Hereditatis successio ab intestato quibus competat. 3. t. 153. a. hereditatis renuntiatio in religionis ingressu quando irrita est. ibid. not. 2.

Heres tenetur debitis defuncti. 3. t. 454. e. censetur una persona cum defuncto. 1. t. 870. b.

Hispani Episcopi contra probabilismum. 1. t. CLXXIX. num. 43.

Homicidium. non est culpabile occidere ex justitia & auctoritate publica reos. 1. t. 708. c. si tamen livore vindictæ judex, vel minister aliquem reum morte dignum occidat, reus est homicidii. 1. t. 709. e.

Homicidium per consilium, imperium &c. 1. t. 709. c. per omissionem. 710. a. restitutio propter homicidium debita. 2. t. 367. d.
Homicidium casuale. 1. t. 324. a. 2. t. 260. b. V. *Eventus*. V. *Irregularitas ex homicidio, vel mutilatione casuali*.
Homicidium defensivum quando & quatenus licitum vel illicitum pro vita. 2. t. CXXII. §. 3. 859. a. 3. t. 224. e. pro rerum defensione non licet. 2. t. CXXVIII. §. 4. licet alias videatur innui 864. d. 3. t. 228. b. neque pro defensione honoris. 2. t. CXXX. §. 5. propositiones damnatæ. CXXI. §. 2. explicantur. CXXVIII. §. 4. CXXX. n. 2. & seqq.
Homicidium ex juris ordine. 2. t. 859. d. privato non licet malefactorem occidere. 863. c.
Homicidium sui ipsius illicitum. 2. t. 861. d.
Homicidii pœnæ. 2. t. 866. d.
Hominis natura, & excellentia. 1. t. 53. d. est parvus mundus. 55. d. de ejus anima. *V. Anima*, de ejus corpore. 57. e.
Honestas virtus, temperantiæ pars. 4. t. 115. e.
Honestas publica impedimentum matrimonii. V. *Impedimenta*.
Honor. 4. t. 212. c. quibus exhibendus. 213. b. de honore parentum. 209. a.
Horæ canonicæ & earum numerus. 2. t. 1012. a. 3. t. 578. a. qui ad eas teneantur b. omissio etiam partis horarum mortale est. 2. t. 1012. b. not. 1. 3. t. 581. b. quid injungendum ei, qui omisit horas canonicas. 582. b. de restitutione debita. vide infra: modus officii recitandi. 2. t. 1013. a. & seqq. quod officium recitandum. 3. t. 579. b. quo tempore recitandum. 580. c. de attentione debita. 583. a. not. 9. devotio item necessaria. V. *Devotio*. septem modi vitiosæ recitationis. 2. t. 1014. e. & seqq. de canonicis, vel aliis choro obligatis, qui quum aliis non canunt, licet præsentes sint, vel submisse horas dicunt. LXXXVI. §. 7. 1017. c. not. 7. num sub gravi matutinum & laudes ante missam recitandæ sint. 1. t. 782. b. not. 1. 2. t. 1018. a. 3. t. 581. a. not. 5.
Horæ canonicæ ex mente Ecclesiæ recitandæ non sunt dum auditur missa festiva, ita ut utrique præcepto satisfieri simul nequeat. 1. t. 326. not. 6.
De restitutione ex omissione horarum canonicarum. 2. t. LXXXVI. §. 7. 376. c. not. 15. idem de iis, qui choro obligari non canunt, & sola præsentia adsunt. LXXXVI. §. 7. 1017. c. not. 7.
Hospitalitas quanti facienda. 3. t. 485. b.
Hospitalium varia nomina pro officiis variis. 3. t. 485. a. quid Episcopi circa hospitalia. 484. a. de hospitalariis, eorumque cura quæ esse debeat. 482. d. de præfectis hospitalium, privilegiis, exemtionibus, redditibus, & aliis ad hospitalia pertinentibus. 485. a. per totum caput. de mittentibus spurios ad Hospitalia. V. *Pater*.
Humilitas quid sit, ejus gradus, motiva, & fructus. 4. t. 169. a. & seqq. falsa est humilitas mentiri de se ex humilitate. 1. t. 718. c. 2. t. 576. a.
Hussitæ. 4. t. 597. e.
Hypocrisis. 2. t. 609. b. quale peccatum. 610. d. de hypocrytis, & eorum variis simulationibus. 609. c. & per totum caput. simulata confessio hypocrisis species. 2. t. 450. d.
Hypotheca, & quando usuraria. 3. t. 298. a. V. *Usura in pignoribus & hypothecis*.

I

Jactantia superbiæ filia. 2. t. 447. c. per totum caput. item. 574. c. alio integro capite. laudare se ex caritate jactantiæ vitium non est. 276. e. quando est mortale. 578. a. jactantia in pompis, conviviis, nobilitate &c. 580. c.
Idololatria. 2. t. 1135. b. 1136. a.
Jejunium cur, & quibus temporibus institutum, 4. t. 129. d. triplici jure præceptum. 2. t. 753. b. jejunii finis. 393. b. qui dies jejunii. 755. c. de jejunio quattuor temporum. 4. t. 130. b. quadragesimæ. c. 133. b. de jejuniis consuetudinariis. 2. t. 757. b. cur vetitus usus carnis & lacticiniorum. 4. t. 131. c. 2. t. 759. a. not. 9. utilitates jejunii. 4. t. 132. c. de sobrietate propria potus, 134. a. & seqq. de electuariis, & præsertim cocolata. 2. t. 766. d. not. 15. potus in fraudem jejunii jejunium violat. eadem not. 15. 769. c. not. 16. hora comedendi tempore jejunii. 4. t. 132. a. 2. t. 770. b. qui pluries comedit die jejunii, pluries peccat. 2. t. 754. not. 2. qui ex veteribus aliter docuere, idcirco docuerant, quia tenebant violato semel jejunio, alia die jejunandum esse. 755. not. 4. de ætate, in qua jejunium obligat. 759. d. de dispensatione a jejunio. 760. c. de excusatis a jejunio. 761. a. confer not. 11. num viatores teneantur lege jejunii ejus loci, per quem transeunt. 2. t. 757. c. not. 6. quid de exemtis a lege diœcesana. 758. a. not. 7. dispensati ab esu carnium, si possint jejunare, tenentur lege jejunii. 762. not. 12. ut etiam præcepit ac declaravit noviſſime Benedictus XIV. 1. t. CCXXIV. dispensati ab esu carnium licitas epulas & illicitas promiscue non afferant, & quid per hoc intelligatur. ibid. senes fortes & potentes jejunare non excusantur a jejunio, licet exceſſerint annum sexagesimum. 2. t. 763. a. not. 13. qui sæpius modicum comedit die jejunii, jejunium frangit. 766. d. not. 14. notanda ab iis, qui dispensationem ab esu carnium petunt, ne debilitentur &c. 3. t. 909. b.
Ignorantia in foro externo ubi præsumatur. 1. t. 866. a. concomitans. 248. d. consequens & affectata. ibid. antecedens. 249. a. affectata, crassa, & supina. 2. t. 699. c. d. num in tali ignorantia peccans continue peccet. 700. b. not. 1. quæ ignorantia & quatenus causset involuntarium. 1. t. 248. c. quæ a peccato excuset, vel non. 320. a. & seqq. 865. b. ignorantia juris quænam sit. 1. t. 425. b. num in jure naturali possit haberi ignorantia invincibilis. 320. e. & not. 4. CXLII. n. 54. & 55. 1. t. 189. a. 560. e. 697. e. quid in jure divino revelato. 698. b. invincibiles excusat a peccato. 1. t. 320. not. 4. 2. t. 700. b. at inter opiniones probabiles in sensu Probabilistarum invincibilis non est. 1. t. CXLII n. 53. & seqq. ignorantia probabilis quæ vere habita sit ab antiquis. CXLIV. vincibilis quænam sit. 322. not. non semper est gravis, quæ vincibilis est, & quando. ibid. non requirit cognitionem mali actualem, nec expressam, sed satis suspicio præcedens saltem confusa. 323. not.
Ignorantia juris humani. 2. t. 697. b.
Ignorantia facti. 1. t. 324. a. 425. b. 2. t. 698. d. 699. a.
aliqua Ignorantia est in omni peccato. 2. t. 701. a.
Ignorantia quam culpabilis in prælatis. 2. t. 954. c.
Jesus nomen. 4. t. 1076. d. de hujus exaltatione, dignitate &c. 1077. b. & seqq. V. *Christus*.
Immunitas & ejus divisio. 3. t. 513. b. alia a Deo, alia ab homine. d.
Immunitas ecclesiastica quoad loca sacra. 3. t. 509. d. 1292. c. quæ personæ ea non gaudeant. 510. d. & not. 1. quoad prædia Ecclesiarum. 511. e. pœnæ violantium immunitatem. 512. e. quando dicatur violari immunitas Ecclesiastica. 519. d. & seqq.

Impatientiæ remedia. 4. t. 90. e. ejus effectus. 98. a.
Impediens bonum alterius an & quando reſtitutione obligetur. 2. t. XVIII. cap. 3. 351. a. 375. d. 1116. c.
Impedimenta matrimonii dirimentia. 3. t. 14. c. & not. 1.
error, & qualis. 24. d. & ſeqq.
conditio ſervilis antecedens matrimonium. 25. d. quid de ſubſequente ſervitute. 26. e.
votum ſolemne religionis. 29. d. vel *ſimplex poſt biennium novitiatus* emiſſum in Soc. Jeſu. not. 1.
ſacer ordo. 29. not. 1. 35. b.
crimen, & quotuplex dirimat matrimonium. 30. b.
diſparitas cultus, & quatenus dirimat. 32. a.
violentia. 33. d.
ligamen matrimonii præcedentis. 36. b.
publicæ honeſtatis juſtitia. 37. c. & not. 1. quando ex ſponſalibus conditionatis oriatur ejuſmodi impedimentum dirimens. 37. not. 3. non oritur ex ſponſalibus nullis. 1. t. CCXXVI. at oritur ex matrimonio rato quamvis nullo, & ad quartum uſque gradum extenditur. ibid.
affinitas, & quibus in gradibus impediat. 3. t. 38. d. & ſeqq.
impotentia coeundi. 43. c. naturalis, & quando ſit impedimentum. d. accidentalis. 45. b. ex maleficio. 46. a. quid de ſenibus. 96. e. & not. 12.
cognatio legalis. 48. b.
cognatio naturalis ſeu conſanguinitas. 49. b. hujus impedimenti fundamentum ac jus. 51. d.
cognatio ſpiritualis. 52. e.
clandeſtinitas a Tridentino adjecta. 13. not. 1.
raptus item, & quatenus. ibid.
ætas impuberum. ibid. in fine. 71. e.
Quid agendum quum quis contraxit cum impedimento dirimente. 3. t. 56. c. quid agendum in dubio de impedimento dirimente detecto poſt contractum matrimonium. 3. t. 28. b. 31. a. 59. a.
Impedimenta dirimentia quoad diſpenſationem. V. *Diſpenſatio impedimentorum dirimentium*. quid agendum diſpenſatione obtenta, ubi matrimonium contractum fuit cum impedimento dirimente. 3. t. 57. not. 14.
Impedimenta impedientia recenſentur. 3. t. 59. c. de feriarum impedimento ſpeciatim agitur. 63. a. non matrimonium, ſed aliæ ſolemnitates ſunt hoc feriarum tempore vetitæ. ibid. not. 1. publicationum defectus. 59. d. quando a publicationibus diſpenſandum, & non ita facile. ibid. not. 2. 62. not. 8.
Imperium voluntatis actus explicatur late. 1. t. 282. d.
Imperium temporale. 1. t. 287. a.
Impœnitentia finalis. 2. t. 927. b.
Impoſſibilitas triplex. 1. t. 877. b. c.
Impotentia. V. *Impedimentum impotentiæ*.
Imprudentia. 4. t. 32. b.
Inadvertentia culpabilis eſt, quum quis potuit & debuit advertere, & non advertit. 1. t. 323. not.
Inanis gloria ſuperbiæ primogenita. 2. t. 543. d. & ſeqq. quibus in caſibus eſt peccatum mortale. 550. d. tripliciter hominem aggreditur. 552. d. vitia multiplicat. 555. c.
Incarnatio divini Verbi. 3. t. 636. c.
Inceſſus. 2. t. 673. c. per totum caput.
Inconſideratio peccatorum quanta. 2. t. 706. b. & ſeqq. 708. c. inconſideratio ſuperiorum, qui ſubditis non invigilant, ut debent. 721. d.
Inconſtantia. 2. t. 713. a.
Indictio nota chronica explicatur. 3. t. 273. c.
Indulgentiæ. 1. t. 538. d. CXC. not. 2. earum poteſtas. 597. e. CLXXXVII. n. 4. cauſſæ. 598. b. conditiones. 599. c. num plenar æ confeſſionem requirant. 600. b. & not. 1. 604. & 605. not. 10. de earum valore. 601. a. num æ quis fructus ab omnibus non æque diſpoſitis percipiatur. ibid. CLXXXIV. tota Præfatione tertia. quid in indulgentiis de fide certum ſit ex Tridentino. CLXXXV. num. 2. hoc dogma falſe vindicatur. CLXXXVII. num. 4. poteſtas indulgentiarum a Deo collata monſtratur. ibid. & ſeqq. quatenus indulgentiæ ſint abſolutiones. ibid. indulgentiarum antiquitas, & duæ earum ſpecies apud antiquos. CLXXXIX. num. 6. indulgentiæ noſtrorum temporum partim commutationes ſunt, partim abſolutiones. CXC. applicatio theſauri ſatisfactionum Chriſti atque Sanctorum in indulgentiis aſſerta & demonſtrata. CXCI. num. 7. & ſeqq. hic theſaurus Eccleſiæ vindicatus, ejuſque antiquitas & fundamentum. ibid. num. 8. CXCVI. num. 11. quatenus hujus theſauri diſpenſatio ad jus clavium pertineat. ibid. num. 12. CCXI. num. 24. de indulgentiarum utilitate. CC. num. 14. & 15.
In indulgentiis quid ſpectet ad diſciplinam, non vero ad fidem. 1. t. CLXXXV. num. 2. quæſtio de indulgentiarum effectu, quantus ſit in ſingulis, quidque requirat, non eſt definita. ibid. CCI. num. 16. ſententia, quæ tradit omnes promiſcue ſuſcipientes indulgentiam plenariam, ſi injuncta opera rite exſequantur, per eam delere totum debitum, ita ut nihil ſatisfaciendum iiſdem ſuperſit. CLXXXV. unde orta. CLXXXVI. num. 3. quid probabilius videatur. CCI. num. 16. & ſeqq. indulgentiarum fructus non æqualis in omnibus, ſed pro varia diſpoſitione ſuſcipientium metiendus. CCVIII. num. 22. CCXV. num. 26. auctoritas pro hac opinione tum veterum, tum recentiorum quanta ſit. CCXVII. num. 28. accedit & Pontificum auctoritas. CCXVIII. num. 29. formulæ Bullarum, quæ difficultatem movere poſſunt, conditionate accipiendæ. CCXIX. num. 30. explicantur ex Pontificum mente. CCXX. num. 31. diſtinguenda hæc ſententia ab alia ſtrictiore. CCXXII. adhuc in vulgata opinione non ceſſandum ab operibus pœnitentiæ poſt indulgentiam etiam plenariam, & cur. CCXXIII. num. 33.
In indulgentiis nulla videtur abſolutio niſi a pœnis canonicis. 1. t. CLXXXVII. num. 4. CLXXXVIII. num. 5. CCI. num. 16. CCXI. num. 23. & not. 9. debitum pœnæ temporalis luendæ non abſolutione proprie dicta, ſed ſolutione ſatisfactionum ex Eccleſiæ theſauro deletur. ibid. hæc applicatio ſatisfactionum videtur indigere oblatione Deo facta. CCII. num. 17. requirit acceptationem Dei, & quæ ſit in indulgentiis. CCIII. num. 18. non alia vis fuit in antiquis indulgentiis, nec alia eſſe debet in recentioribus, quæ ab antiquis ſubſtantia ipſa non diſcrepant. ibid. Canoniſtarum ac Theologorum veterum teſtimonia. CCV. num. 19. ratio efficax. CCVI. num. 20.
Indulgentiæ pro vivis, ac pro mortuis quatenus differant. 1. t. CCX. num. 22. diſcrimen inter partiales, e plenarias indulgentias. CLXXXIX. num. 4. CCXVI. n. 26. & 27.
Indulgentia plenaria. 1. t. 602. c. clauſula apponi ſolita in indulgentiis plenariis pro altari, vel Eccleſia duplicem indulgentiam plenariam excludit. ibid. not. 2.

Indulgentia jubilæi. 1. t. 610. b.
Indulgentia plenaria. 1. t. 602. c. clauſula apponi ſolita in indulgentiis plenariis pro altari, vel Eccleſia duplicem indulgentiam plenariam excludit. ibid. not. 2.
Infernum exiſtere probatur. 4. t. 759. e. varia inferni nomina. 762. d.
Inferni pœnæ. 1. t. 167. c. 397. d. per totum caput. 575. a. item per totum caput. de pœna corporis. 4. t. 768. e. & ſeqq. errores varii circa inferni pœnas rejecti. 778. b. quomodo ignis agat in ſpiritus damnatorum. 1. t. 576. c. num pœna accidentalis in inferno augeatur. 578. d. nullus ab inferno liberabitur. 580. d. fabula eſt narratio de liberatione Trajani. ibid. not. 1. nulla damnatis inferno proſunt ſuffragia, 581. a.
Infidelitas. 2. t. 1146. d. 1171. a. & ſeqq. dubius in fide eſt infidelis, & peccat graviter. 1147. d. num infidelis ad fidem cogendus. e. adverſus infidelitatem paganorum. 1172. b. Judæorum. 1176. b. hæreticorum. 1179. b.
Ingratitudo, & contra ingratos. 2. t. 508. c.
Inimicus. V. *Odium*. V. *Amor proximi*. V. *Vindicta*.
Injuſtitia in judiciis. 2. t. 277. e. V. *Juſtitia*.
Innocentia. 4. t. 194. a.
Innocentius. XI. contra probabiliſmum quid egerit. 1. t. CLX. num. 11. decretum in Inquiſitione generali juſſu ejus latum, quod mentem & præceptum ejuſdem contra probabiliſmum exhibet. CLXV. num. 17.
Inobedientia, quam pernicioſa, & quale peccatum. 2. t. 556. c. & ſeqq. ejus cauſſæ. 560. c.
Inquiſitio, & modus procedendi in judiciis per inquiſitionem. 3. t. 391. a. inquiſitio hæreticorum. 2. t. 1159. e. & ſeqq. de Inquiſitoribus contra hæreticos, & modo procedendi in ipſorum inquiſitione. 3. t. 997. d.
Intellectus definitur. 1. t. 111. a. de intellectu poſſibili. d. paſſivo. 112. d. agente. 113. a. practicus & ſpeculativus. 173. b. 4. t. 28. e. non eſt unus in omni homine. 1. t. 114. a. intellectus oculo comparatus, & de his, quæ ad bene videndum ſpiritualiter requiruntur. 117. b. intelligit componendo, & dividendo. 213. a. quando decipi poteſt, & quando non. c. cur intelligat magis unus, quam alius. 214. a. modus cognoſcendi. 204. c. & ſeqq. fuſe. intellectus voluntati comparatus. 219. b. V. *Voluntas*. de dono intellectus. 4. t. 543. b. & ſeqq.
Intentio actus voluntatis explicatur fuſe. 1. t. 260. c. & ſeqq.
Intentio recta quatuor conditiones exigit. 1. t. 262. b. quomodo intentiones dirigendæ. 4. t. 46. c.
Intentio *habitualis* pro *virtuali* ab antiquis dicta. 1. t. 291. not. 1. quatenus cognoſcatur. 567. not. 2.
Intentio in ſacramentis conferendis requiſita. 3. t. 720. a. not. 10. & ſeqq. quæ in ſuſcipientibus requiratur, ſi rationis compotes ſint. 716. d.
Intentio ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ num requiratur ut ſatisfiat. 1. t. 320. b. not. 6.
Interdictum quid ſit. 3. t. 1415. d. generale quando fertur in jure. 1418. a. ſpeciale quando. e. ſingulare. b. interdictum ab homine a quo fertur. 1420. e. contra quos interdictum feri poſſit, & qui eo ligentur. 1421. b. de effectu interdicti, quomodo ſervandum, & a quibus abſtinendum. 1425. a. pœna violantium interdictum, & quomodo violetur. 1430. a. de vitandis ſpecialiter in interdicto. 1433. b. de interdicti ponendi forma; & quomodo relaxetur. c. excommunicatio contra cogentes non ſervare interdictum. 1336. a. contra Religioſos non ſervantes interdictum, quod ſervat matrix Eccleſia. 1369. d. contra fratres Minores, ſi admittant ad divina tempore interdicti illos de tertio Ordine. 1375. a.
Intereſſe V. *Lucrum ceſſans*.
Interpretativus conſenſus qui. 1. t. 566. d. not. 1.
Inventæ res reſtituendæ, alias furtum committitur. 2. t. 235. b.
Invidia. 2. t. 871. b. per totum caput. 913. a. 926. c. remedia. 879. e. V. *Triſtitia de bono alterius*.
Involuntarium quod dicatur. 1. t. 246. e. quæ cauſſent involuntarium, vel voluntarium minuant. ibi. & ſeqq.
Joachim Abbatis errores. 4. t. 593. a.
S. Joannes Baptiſta, & ſermo de eodem. 3. t. 1579. e.
Joannis Dominici Cardinalis laudes. 1. t. XXVII. not. 5.
Ira uti paſſio, ejus cauſſæ, diviſio, & effectus. 1. t. 490. e. per totum caput. remedia. 496. e. 2. t. 808. c. ira vitium capitale. 2. t. 801. d. 803. b. eſt peccatum. e. iræ ſpecies. 804. c. gradus. 805. b. effectus, 806. c. ira virtus pro zelo. V. *Zelus*. ira cordis, oris, & facti. 813. d.
Irregularitas definitur. 3. t. 1449. a. ex delicto quæ olim contraheretur, & quibus ex delictis; nunc autem ex quibus. 1110. c. not. 20. ex indebita celebratione, ſeu exſecutione ordinum vel officiorum divinorum. 1440. a. ex homicidio, vel mutilatione. 1452. c. & ſeqq. & per totum caput. ex homicidio, vel mutilatione caſuali quando contrahatur. 1. t. 324. not. 5. 2. t. 860. c. 3. t. 1455. e. non requirit culpam negligentiæ, quam quis rei ſuo ſtatui illicitæ operam dedit. 1. t. 324. not. 5. aliqua negligentia requiritur in dante operam rei licitæ. ibi. ex homicidio vel mutilatione defenſiva. 2. t. 868. a. 3. t. 227. c. 1455. c. in hoc præſertim obſervandum. 2. t. 868. not. 8. irregularitas ex bigamia. 3. t. 1460. c. propter illegitimationem. 1461. d. ex defectu corporis. 1464. b. aliæ irregularitates. 1466. c.
Judæi a quibus prohibendi. 2. t. 1151. e. quæ Chriſtianis vetita cum Judæis. b. 1149. b. de ſervientibus Judæo. 1154. e. cum ipſis diſputare quibus ſit vetitum. 1148. c. Judæorum & Sarracenorum errores. 4. t. 586. a.
Judex unde dictus. 3. t. 329. d. ejus conditiones quæ. 325. b. tria requiſita ad judicium ferendum. 330. c. quibus ex capitibus in ſententia peccatur. 331. d. peccatur, etiamſi juſte quis damnetur, ſi odium, vel paſſio moveat. ib. quæ notanda a judice. 332. a. dona judicibus vetita. 2. t. CI. n. 1. CIII. n. 3. 3. t. 332. d. damnata propoſitio circa acceptionem donorum pro ferenda ſententia inter opiniones æque probabiles. 2. t. LXXXIV. §. 5. acceptio perſonarum quam debet eſſe aliena a judiciis. 279. c. peritia judici neceſſaria. 3. t. 335. d. de ſalariis judicum. 341. e. de judicum miniſtris. c. 2. t. 280. d. de hora judicii ferendi. 3. t. 352. a. de injuſtis ſententiis. 2. t. 278. b. per malitiam. 280. d. per ignorantiam. 281. a. per negligentiam. d. egenis ſubveniendum & quomodo. 280. a. varii modi injuſtitiæ in judiciis. 348. a.
Judex delegatus, & de ejus officio. 3. t. 346. a. per totum caput, ubi de jurisdictione delegata fuſe agitur. cui non licet ſubdelegare. 366. e.
Judex ordinarius quis, & ejus officium. 3. t. 370. d. per totum caput.
Judex ſupremus, vel delegatus quid circa pœnas poſſit. 1. t. 328. b. num relaxare vel augere. 3. t. 338. d. non

d. non licet innocentem occidere, & quid agendum, ſi ex allegatis reus appareat. 2. t. 864. e. 3. t. 340. a. & not. 3. quid ſi cauſſa ſit fortunarum, & privata ſcientia injuſtam noſcat judex, at ex allegatis ſecus pateat. 374. a. & not. 1.
Judicis recuſatio. V. *Recuſatio*.
Judiciorum modus triplex. Per inquiſitionem, & modus ejus fuſe explicatus. 3. t. 391. a. per accuſationem, & ejus modus. 404. c. per denuntiationem, ac de ea late. 410. d.
Judicium forenſe, & de iis quæ ad judicium pertinent. 3. t. 334. c. per totum caput. de ſententia ferenda. 422. b. per totum caput. Judicium de plano ſine figura & ſtrepitu judicii. 433. c. per totum caput. obſervanda in judiciis. 436. e. injuſtitia in judiciis fuſe deſcripta. 2. t. 277. e.
Judicium particulare poſt mortem. 1. t. 371. e. 4. t. 825. e. ſententia ejus. 1. t. 394. e. 404. c. judicium finale, ac de eo, & de ejus circumſtantiis fuſe. 4. t. 848. d. judiciorum Dei profunditas circa ſeptem, & quam timenda. 886. e. per totum caput.
Judicium temerarium. 2. t. 499. d. per totum caput. V. *Suſpicio*.
Juramentum. 2. t. 1066. b. multiplex diſtinguitur. c. eſt aliquando licitum. 1067. b. non niſi in neceſſitate adhibendum. 1068. c. quot conditiones requirit. 1. t. 697. c. 2. t. 1069. d. jurare per creaturas. a. per falſos Deos. c. juramentum falſum etiam in re levi grave peccatum eſt. not. 1. V. *Perjurium*.
Juramentum ſimulatum quatenus obliget. 2. t. 683. not. 1. ſine animo jurandi jurare illicitum. 1047. not. 5. ad quid tenetur jurans ficte in gratiam alterius. 1073. a. not. 6. 1085. d. not. 6. jurare cum æquivocis, amphibologiis, reſtrictione mentali. 1046. not. 5. 1048. not. 6. 1071. not. 4. 1103. b. not. 2.
Juramentum iniquum non obligat. 1. t. 881. e. 2. t. 1081. d. 1082. b. extortum per dolum, 1084. c. not. 3. per metum. ibid. quatenus liget in promiſſis de re licita. 1059. not. 14. 1085. b. juramentum de redeundo in carcerem. 1081. not. 2. juramentum de re illicita veniali num ſit grave. 1072. c. not. 5.
Jurandi conſuetudo quam mala, & ſedulo eradicanda. 1. t. 568. not. 2. 783. d. jurare leviter peccatum eſt. 2. t. 1071. c. item per uſum & lapſum linguæ. 1100. b. not. 1. in dubio. 1071. not. 3. inconſiderate. 1100. d.
Jurare quibus peculiariter vetitum. 2. t. 1074. b. de petentibus juramentum. 1074. a.
Juramentorum variæ antiquæ etiam formulæ. 2. t. 1075. c. utrum ſucceſſor teneatur juramento anteceſſoris. 1092. e. heres. 1093. b. juramenta univerſitatum. 1093. e. juramentum de parendo mandatis. 1094. e. de ſervandis ſtatutis. 1096. b. juramentum in arbitros. 1097. b.
Juramentum quoad abſolutionem, vel diſpenſationem. 2. t. 1080. a. & ſeqq. quoad commutationem. 1091. d. quoad irritationem. 1092. a.
Juriſdictio, & poteſtas a Deo eſt. 3. t. 176. b. quid ſit. 1187. c. quatenus in ſacramento pœnitentiæ requiſita. 1184. c. & ſeqq. V. *Confeſſarius quoad juriſdictionem*.
Juriſdictio Epiſcopi. V. *Epiſcopus*.
Juriſdictio confeſſariorum. V. *Confeſſarii quoad juriſdictionem*. juriſdictione probabili, vel dubia utendum non eſt. 1. t. CLII.
Jus quid ſit. 3. t. 188. b. de jure naturali, gentium, & civili. 1. t. 793. b. canonico. 805. b.
Jus gentium explicatum, & quæ ex eo ſint. 804. d.
Jus civile definitur. 1. t. 825. d. dividitur in militare. 826. e. publicum. 827. c. Quiritum. d. plebiſcitum. 828. c. Senatuſconſultum. d. conſtitutionem Principum, ſeu edictum. 829. a. reſponſa prudentum. b. celebriores quædam leges. c. diviſio corporis juris civilis. 830. a.
Jus pro dominio. 4. t. 633. d. 634. e. V. *Dominium*.
Jus canonicum. V. *Lex canonica*.
Jus naturale quid ſit. 1. t. 671. b. quæ ex jure naturali conſiderentur. d. & ſeqq.
Jus patronatus quid ſit. 2. t. 71. e. varia ejus nomina. ibi. ex quibus titulis proveniat. ibi. 3. t. 556. c. quæſtiunculæ circa acquiſitionem patronatus. e. quadruplex jus patroni. 2. t. 72. a. ſimonia in jure patronatu. V. *Simonia*. præſentandi jus proprium ejus. V. *Præſentatio*. de translatione patronatus. 3. t. 550. c. 553. b. ad quos ſpectare poſſit. e. officium patronorum. 553. a. debent præſentare digniores. ibi. not. 3. excommunicatio contra uſurpantes juſpatronatum. 1327. a.
Juſti cur a Deo in hac vita flagellentur. 4. t. 94. a.
Juſtitia late ſumta, & duæ ejus partes. 4. t. 176. b. ſtricte ſumta definitur. 178. a. c. & dividitur. 1. t. 33. a. juſtitiæ officia. 2. t. LXXX. §. 1. 4. t. 176. c. quinque modis violatur. LXXXI. §. 2. de juſtitiæ ſpeciebus commutativa & diſtributiva. 4. t. 279. a. commutativa juſtitia quæ. 2. t. XCII. n. 1. diſtributiva. XCIII. n. 2. quid diſtributiva ſpectet. ib. n. 3. 4. t. 181. d. & ſeqq. hæc ſola per ſe ad reſtitutionem non obligat. 2. t. CIV. §. 11. niſi quum eſt adnexa juſtitiæ commutativæ. XCVI. §. 12. quando reperitur adnexa. XCVII. §. 13. juſtitiæ neceſſitas. 4. t. 183. d. de principiis juſtitiæ. 184. d. juſtitia legalis quæ. 187. a. num ſit juſtitia propria inter patrem & filium. 189. a. not. 2. duplex defectus a juſtitia. 192. d. de juſtitia vindicativa. 230. a. V. *Vindicatio*.
Juſtificatio, & quæ ad eam concurrunt ac requiruntur. 4. t. 485. e. & ſeqq.

L

Lætitia. V. *Gaudium*.
Lanifices. 3. t. 310. c. 313. c.
Laudare ſe quando ex caritate, quando ex culpa. 2. t. 276. e.
Lectoratus ordo. 3. t. 745. d.
Legatum in cauſſas pias, quando in præjudicium filiorum pauperum eſt, reprobatur. 3. t. 446. b. de male ablatis reſtitutio facienda certis perſonis, vel incerta pauperibus, non leganda in ædificia ſacra, capellas &c. 445. e. 2. t. 362. c. de peccato non ſolventium, vel diferentium ſolutionem legatorum ad pias cauſſas. 3. t. 467. d. 2. t. 298. a. 4. t. 843. e. V. *Teſtamentum*.
Legatus Papæ, & ejus auctoritas. 3. t. 1167. e. & ſeqq.
Legislator tenetur legibus vi directiva. 1. t. 800. e. 2. t. 39. not. 1.
Legitima filiis debita. 3. t. 452. a. quid jure naturæ filiis debeatur quandoque ſupra legitimam. 451. not. 1. V. *Legatum*.
Legitimatio, & varii ejus modi explicati. 3. t. 128. b.
Lex in communi. 1. t. 613. a. definitur. 622. d. ſeptuplex dividitur. 617. d. conditiones & officia legis. 622. e. 795. d. 830. a. & ſeqq. lex Dei multiplici ratione ſervanda. 626. c. ejus utilitas. 627. c. modus legis implendæ. 629. c. 683. d. de lege obſervanda cum dilectione. 686. b. V. *Relatio in Deum*. finis totius legis caritas. 688. a. humanæ legis finis bonum commune. 798. d. V. *Lex humana*. legi quomodo fraus fiat. 1. t. 855. b. lex per ſe ab

acceptatione populi non pendet. 2. t. 600. not. 7.
Lex æterna. 1. t. 631. c. per totum caput. naturalis ejusque proprietates. 645. b. & seqq. insita est homini. 653. e. moralia legis naturalis præcepta indispensabilia sunt. 687. b.
Lex canonica. 1. t. 805. b. de canonum acceptione. 808. d. de canonibus conciliorum provincialium, & diœcesanorum. 809. c. quanti æstimandi. ib. de canonibus generalium conciliorum. 810. c. de canonibus ex decretis Pontificum. d. de decretalibus. 812. a. rescriptis. 813. d. de compilatoribus juris canonici. 824. c. de glossis. 825. b. quantum lex canonica præstet legi civili. 833. b. multæ civiles ex canonicis corrigendæ. d. antiquum jus a Gratiano collectum in aliquibus abrogatum, vel mutatum. 4. t. 602. a.
Lex divina quatenus a naturali differat. 1. t. 673. c. de ejus excellentia ac necessitate. 674. d.
Lex evangelica quæ, & de ejus præstantia. 1. t. 759. c. & seqq. quæ præcepta legis veteris remanserint in lege Evangelica, quæ non. 770. e. de perfectione præceptorum quoad actus externos & internos. 767. e. 769. c. de consiliis evangelicis. 772. c.
Lex humana num necessaria sit. 1. t. 794. c. omnes legi humanæ subjecti. 800. a. obligantur in conscientia. 831. a. quando liceat præter verba legis agere. 801. b. in dubio servanda lex, nisi superior consulatur. 802. a. legis interpretatio quadruplex. c. quando lex mutetur. e. 804. b. non valet contra legem Dei. 825. d. V. *Jus civile*. de justitia, vel injustitia legum. 831. b.
Lex Mosayca ac de latore ejus. 1. t. 676. a. cur solis Judæis data. 677. b. divisio præceptorum ejus. 678. a. 679. d. de præceptis moralibus ejusdem legis. 683. b. per totum caput. de præceptis cæremonialibus alio integro capite. 722. d. quo tempore cessaverint. 681. b. de judicialibus. 746. d. quid ex his Ecclesia sumserit. 748. e.
Liberalitas virtus uti distincta a misericordia, & requisita ejus. 4. t. 251. c. per totum caput.
Libertas Ecclesiastica ab Antonino etiam proprio periculo vindicata. 1. t. L. not. 21. LII. V. *Immunitas*.
Libertas est in homine. 1. t. 54. c. liberum arbitrium a libertate quatenus differat. d. unde sit libertas. e. qualiter anima a Deo attrahitur, & tamen libera est. 55. a. liberi arbitrii definitio. 222. d. ubi fuse de libero arbitrio agitur. aliqua libertas in intellectu in assentiendo iis, quæ non sunt evidentia. 3. t. 1506. c. libertas perversa, mundana, & spiritus quæ. 1. t. 240. a.
Liberti, & eorum varietas. 3. t. 202. e.
Libri qui legendi. 4. t. 47. d. libri sacræ Scripturæ. 3. t. 1042. c. V. *Sacra Scriptura*. libri apocryphi. 3. t. 1043. e. Ethnicorum libri. 4. t. 574. b. varii illorum errores. 582. d. quam periculosum his libris insistere. 580. b. cui conveniat horum lectio. 579. e. si quid verum habent, unde sit. 578. d.
Litium contentiones reprehensæ. 2. t. 634. a.
Limbus duplex. 1. t. 546. d. limbus puerorum decedentium cum mero originali. 3. t. 1622. d.
Locator quis, & locatoris culpæ. 2. t. 239. d. quando possit pellere conductorem. 240. c. quando restituere debet aliquid. 352. a.
Locutionis malus usus, & mala ejus multiplicia. 1. t. 78. d. 84. e. bona locutio quæ. 80. d. circumstantiæ observandæ in locutione. 83. b. 4. t. 48. d. quomodo Angeli invicem loquantur. 1. t. 82. d.
Lucrum cessans. V. *Usura quoad titulos lucri*.
Lucrum turpe quod, & quando restituendum, vel non. 2. t. C. per totum caput quartum, & 313. a. & seqq. 352. c. 385. c. quum restituendum est, quibus restitui debet. CVI. §. 25.
Ludus, & quando restituendum lucrum ex ludo. 2. t. 314. d. 351. d. vitia ex ludo provenientia. 319. b. Antoninus Archiepiscopus noxios ludos fortium tollit. 1. t. L. n. 24. LI. not. 22.
Luxuria quid sit. 2. t. 635. b. 654. c. est mortalis. 636. a. non admittit parvitatem materiei. 647. not. 6. quando gradus luxuriæ sint unum vel plura peccata. 651. a. luxuriæ effectus & damna. 651. d. luxuriæ species, diversæ mollities, sodomia, bestialitas &c. 654. b. not. 1. luxuria præ ceteris vitiis maculat hominem. 1. t. 711. a. quot modis contrahitur. b. & seqq. peccata luxuriæ contra naturam. 2. t. 667. b. per totum caput.

M

Macellariorum fraudes. 3. t. 306. e.
Machometus. 4. t. 587. c. de fide, lege, & erroribus ejus sectæ. ibid.
Magistri in Ecclesiis constituendi. 3. t. 238. b. de Theologiæ magistris. V. *Theologia*.
Magistri sententiarum conclusiones, quæ non tenentur. 4. t. 598. e.
Magnanimitas quæ. 4. t. 82. a. proprietates ejus quinque. 84. a. duo ejus extrema, præsumtio & pusillanimitas. 82. c.
Magnificat canticum explicatum. 4. t. 1125. e. & seqq.
Magnificentia quid sit. 4. t. 85. b. quomodo pauper possit esse magnificus. 86. d.
Maledictio. 2. t. 838. a. in Deum. 839. d. in Sanctos. 840. b. in homines. c. in creaturas irrationales. 843. c.
Malitia actuum humanorum. V. *Actus humani*.
Manuetudo, ejus officium, & fructus. 4. t. 122. b. & seqq.
Manumissio. 3. t. 202. b.
Maria Virgo, & de ejus laudibus. 3. t. 1543. e. est mater nostra. 4. t. 916. d.
Mariæ Conceptio, & decreta Pontificum circa hoc. 1. t. 547. not. 1. 554. d. de conceptione & sanctificatione ejusdem. 4. t. 920. e. per totum caput. 928. e. alio integro capite. de genealogia Mariæ. 933. c. sermo de nativitate ipsius. 936. a. alius, & de quindecim perfectionibus ejusdem. 941. d. de B. M. desponsatione. 949. d. de annuntiationis festo. 957. d. de eodem. 964. a. 974. b. de pulchritudine B. M. 976. d. e. 985. e. Angelicæ salutationis expositio. 991. b. & sequentibus capitibus. de nomine Mariæ. 998. e. de plenitudine gratiæ in Maria. 1008. d. 1012. e. &c. de M. V. virtutibus. 1018. a. de septem donis in ea. 1032. d. habuit omnes gratias gratis datas. 1039. e. privilegia ejus singularia. 1050. a. de puritate ejus summa. 1054. c. 1156. e. Maria exaltata fuit super omnem puram creaturam. 1065. c. quam peculiariter Deus fuerit cum Maria. 1066. e. de benedictionibus Mariæ. 1088. e. 1094. a. 1104. e. de duodecim fructibus spiritus, qui fuerunt in Maria. 1113. b. de visitatione S. Elisabeth. 1120. a. canticum B. M. explicatum. 1125. e. & sequentibus. de partu B. M. 1153. b. de adventu Magorum in Epiphania. 1161. c. de purificatione M. 1163. e. 1171. d. de martyrio B. M. 1184. c. 1224. c. de adventu Spiritus S. in Virginem cum Apostolis. 1239. c. de assumtione B. M. 1243. a. 1250. e. 1261. d. de multiplici misericordia, quam a Deo accepimus mediante Maria. 3. t. 1552. c.
Maritus qualis esse debeat. 3. t. 16. a. officia ejus erga uxorem. 678. e. maritorum peccata usitatiora. 114. c. V. *Conjugalis actus*, *Conjugalis amor*,

amor, *caſtitas*, & *Debitum conjugale*.
Martyrium late quadruplex. 1. t. 123. c. 4. t. 79. b. triplex ex S. Bernardo. 77. d. martyrium ſtricte acceptum, & requiſita ejus. 78. b. 408. d. & not. 1. de martyribus, & multiplici martyrio, ac de ejus laudibus atque utilitate. 3. t. 1592. b. & ſeqq. 4. t. 687. a.
Mathematica, & ejus partes. 1. t. 32. b.
Matrimonium definitur. 3. t. 21. e. non exigit conjunctionem corporum. 22. a. 65. a. unde verum fuit matrimonium inter Mariam & Joſeph. 4. t. 953. c. cauſſa inſtituendi matrimonii. 3. t. 23. a. hæreſis circa matrimonium. 11. a. eſt bonum & licitum. c. 4. t. 619. d. eſt tamen virginali, ac viduali ſtatu inferius. 620. a. an a ſapiente contrahendum, & uxor ducenda. 3. t. 14. d. finis matrimonii. 40. a. tria matrimonii bona. 72. c. 94. b. benedictio triplex. 677. a. finis matrimonii contrahendi. 77. b. matrimonium conſummare ante benedictionem num ſit peccatum. 90. a. V. *Conjugalis actus*. V. *Debitum conjugale*.
Matrimonium uti ſacramentum. 3. t. 23. c. & not. 1. 95. c. 641. c. quid de matrimonio ante baptiſmum contracto. 24. a. forma ejus, ibid. 23. not. 1. quæ forma præſcripta a Tridentino. 13. not. 1. 24. not. 2. in gratia ſuſcipiendum eſt. 80. a.
Matrimonium quomodo contrahendum ex Tridentino. 3. t. 13. not. 1. de matrimonio per litteras olim contracto, nunc per procuratorem. 70. c. not. 1. de conſenſu ad contrahendum requiſito, & de matrimonio ſimulate contracto. d. 71. not. 2. de ætate ad matrimonium valide contrahendum. 71. e. contra voluntatem parentum, vel eorum, qui parentum loco ſunt, matrimonium contrahere ſine urgentiſſima cauſſa peccatum grave eſt. 115. not. 3. parentes iterum peccant, ſi irrationabiliter impediant. 115. a. 35. not. 3.
Matrimonium quoad publicationes, & quatenus in iis diſpenſari poſſit. 59. d. not. 2. & 62. not. 8.
Matrimonium quot modis diſſolvitur, vel non. 3. t. 96. a. 100. c. noviſſimæ regulæ circa diſſolutionem matrimonii a Benedicto XIV. præſcriptæ. 1. t. CCXXVI.
Matrimonium ratum per profeſſionem religioſam diſſolvitur quoad vinculum. 3. t. 73. e. 96. e. conſummatum quoad ſolam cohabitationem cum debitis circumſtantiis diſſolvi poteſt. 96. e. V. *Divortium*. quoad vinculum nec per diſpenſationem Papæ poteſt diſſolvi. 1. t. 758. c. cur ratum, non autem conſummatum per profeſſionem religioſam diſſolvatur. 3. t. 677. e. an licitum fuerit repudium. V. *Repudii libellus*.
Matrimonii impedimenta. V. *Impedimenta*.
Matrimonium contrahens in gradu prohibito, vel in ſacris, vel poſt profeſſionem religioſam eſt excommunicatus. 3. t. 1344. d.
Matrimonium quoad pluralitatem uxorum num olim in veteri Teſtamento licuerit. 3. t. 681. b. numquam mulieribus licuit plures maritos habere. 680. d.
Matrimonium *conſcientiæ*, ſeu ſecretum certis legibus ex Benedicto XIV. contrahendum. 1. t. CCXXVI.
Matutinum & Laudes ante miſſam recitandæ. V. *Horæ canonicæ*. V. *Miſſa*.
Mechanica, & ejus diviſio. 1. t. 34. b.
Medicus, ac de officio, vitiis, ac ſalariis medici. 3. t. 277. per totum tit. 7. quam graviter teneatur providere ſaluti animæ infirmi. 285. a. not. 2.
Memoria quid ſit. 1. t. 106. c. num ab intellectu diſtincta. 107. c. ad prudentiam requiſita. 4. t. 36. b. memoriæ ſubſidia. e. quorum debemus reminiſci. 1. t. 107. e. 4. t. 40. d.
Mendacium quid ſit. 2. t. 271. c. 1042. d. peccatum ſemper eſt. 1. t. 718. a. 2. t. 1044. b. 1053. b. ejus malitia. c. & ſeqq. etiam ex falſa humilitate falſum de ſe dicere mendacium & peccatum eſt. 1. t. 718. c. 2. t. 576. a. propter tria vitandum. 1. t. 716. d. licet ſilere veritatem. 2. t. 1046. a. quid de verbis ſophiſticis, vel ambiguis, & amphibologiis. 1046. c. not. 5. de reſtrictionibus mentalibus eadem not. 5. & 1048. not. 6. varia mendacia, pernicioſa, officioſa, jocoſa. 1049. b. & ſeqq.
Mendacium uſurpatum in vendendo, ut quis ſe indemnem ſervet. V. *Mercator*.
Mendicantes. V. *Religioſi*.
Mercator mendaciis utens in vendendo reprehenditur. 2. t. 253. a. quid ſi utatur, ut ſe indemnem ſervet. c. & not. 3. depoſita apud mercatores uſuraria. V. *Uſura in depoſitis*. V. *Negotiatio*.
Mercenariis diferre mercedem, vel ſolvere minorem, quam merentur, peccatum eſt. 2. t. 467. b. 3. t. 316. a. merces ſupplenda etiam poſt pactum, ubi error fuit, vel caſus non præviſus, aut læſio. 318. e. fraus adhibita circa operariorum mercedem. 2. t. 266. b. 268. d. 269. a.
Meretricium & acquiſita per illud num reſtituenda. 2. t. 314. d. V. *Lucrum turpe*.
Meritum, vel demeritum actionum quatenus dicatur. 1. t. 301. b. unde meritum apud Deum. e. & ſeq. quod ſit animo omnino renitente, nullum meritum in bono, nec demeritum in malo. 319. c. de merito fuſe agitur. 4. t. 491. a. V. *Actus humanus*.
Metropolitanus. V. *Archiepiſcopus*.
Metus quid ſit. 1. t. 249. c. levis metus, vel cadens in conſtantem virum qui. 1. t. 250. a. quadruplex metus cadens in virum conſtantem. 3. t. 33. e. de his, quæ fiunt per metum. 1. t. 247. d. 249. d.
Miles, & ejus virtutes. 3. t. 209. d. vitia a militibus præſertim vitanda. 210. b. V. *Bellum*. de ſtipendiariis. 3. t. 220. e.
Miniſter ſacramentorum. 3. t. 697. b. malus valide miniſtrat. 3. t. 712. b. miniſtrans in peccato mortali peccat mortaliter. ibid. num petens, vel recipiens ſacramenta a malo miniſtro peccet. 714. a. not. 6. de ejus intentione. V. *Intentio*.
Miniſterii ſacri finis qui. 2. t. V. §. 7. temporale non debetur ſacris miniſtris jure commutativæ juſtitiæ, nec jure compenſationis. VI. §. 8. ſed jure neceſſariæ ſuſtentationis. VII. §. 9. idque jure divino. ibid. hinc jus ipſis eſt in ſola neceſſaria. ibid. quatenus ſit jus naturale. X. §. 10. cur ſuſtentatio debita ipſis ſit. IX. §. 10. quidquid præter ſuſtentationem ſacris miniſtris provenit, in pia opera ex juſtitia expendendum eſt. CIX. §. 2. quomodo temporale poſſit, vel non poſſit eſſe finis, vel motivum miniſterii ſacri. V. *Simonia*. V. *Bona Eccleſiaſtica*.
Miniſter ſibi retinens aliquid de pretio, quod accepit ſolvendum mercenariis, peccat. 2. t. 265. b. 3. t. 313. c. item ſi retineat vendens rem domini pretio majore. V. *Proxeneta*.
Miſericordia multiplex, & ejus utilitas. 4. t. 257. c. per totum caput.
Miſericordiæ corporalis opera expoſita. 2. t. 331. c. 4. t. 261. a. V. *Eleemoſyna*. de miſericordiæ ſpiritualis operibus. 4. t. 262. c.
Miſſa, & omnes ejus partes ac cæremoniæ explicatæ. 3. t. 588. a. & ſeqq. 672. c. ejus utilitas. 625. a. requiſita ad miſſæ celebrationem.

nem. 600. c. materia ejus. 600. b. 658. b. panis Latinorum non debet esse fermentatus. 600. c. de defectibus hostiæ. 602. d. vini. 603. b. de mistione aquæ cum vino. 604. b. forma consecrationis. 605. c. præsentia materiei requisita. 606. a. intentio. e. minister. d. de pluribus simul consecrantibus. 607. e. de defectibus in missa occurrentibus. 609. a. & seqq. locus celebrandi. 612. c. tempus. 613. b. quoties licet celebrare. 614. b. requisita ad celebrandum. 615. c. de vestibus sacris. 616. b. earum mystica significatio. 617. b. 673. c. de paramentorum coloribus. 1077. e. de idoneitate celebrantis. 618. b. V. *Eucharistia*. quid post celebrationem celebranti agendum. 621. d. num liceat sacerdoti omnino abstinere a celebrando. 624. b. bonum est frequenter digne celebrare. 627. b. inducentia ad frequentem ejusmodi celebrationem. ibid.

Missa diebus festis pro populo omnino applicanda ab habentibus curam animarum, etiam si beneficium minus congruam sustentationem afferat, ex pluribus decretis & Bulla etiam Innocentii XII. 1. t. CCXXVI.

Missæ stipendium. V. *Stipendium*.

Missam celebrans ante Matutinum & Laudes num peccet. 1. t. 782. b. & not. 1. 2. t. 1018. a.

Missæ audiendæ præceptum diebus festis. 1. t. 806. b. 2. t. 1000. a. & seqq. tota missa ab eodem sacerdote audienda. 1003. not. 5. attente ac devote audienda. 1005. a. not. 10. qua ætate liget hoc præceptum. 1004. c. qui excusentur. 1003. c. not. 6. & seqq. missæ auditioni diebus festis, & officii divini recitandi præcepto simul satisfieri nequit ex mente Ecclesiæ distinctos actus præcipientis. 1. t. 326. not. 6. missa frequenter audienda. 3. t. 673. d.

Modestia quid sit, & in quibus servanda. 4. t. 163. a. & seqq.

Mohatræ contractus usuræ damnatus. 2. t. LVII. n. 2. 3. t. 305. a.

Mollities. V. *Pollutio*.

Monachus. V. *Religiosus*.

Monetarii falsificantes aut tondentes monetas, aut falsas cudentes. 2. t. 272. d. utentes monetis malis. 273. e.

Moniales. 3. t. 814. b. vita communis apud moniales servanda. 914. a. quoad vitam regularem monialium. V. *Religiosi*. V. *Regula*. dos monialitus soluta in ingressu religionis quatenus non sit simoniaca. 2. t. 63. not. 12 quomodo autem simonia committi possit. 62. b. & seqq. 1. t. CCXXIII. si monasterium non indigeat, simonia in dote purgari nequit. ibid.

Moniales quoad clausuram. 1. t. CCXXIV. 3. t. 913. d. subest clausura Episcopo, etiamsi moniales sint exemtæ. 914. e. not. 2. 1107. not. 17. clausura quot decretis & pœnis munita. 2. t. 693. b. not. 2. in visitatione qui introduci possint. 3. t. 383. not. 6.

Monopolium, & monopolitæ reprehensi. 2. t. 252. c. e. 327. e.

Mora, & quis dicatur in mora, & quid inde teneatur. 1. t. 875. d.

Mors, & ejus nuntii. 1. t. 345. c. per totum caput. num mors produci vel abbreviari possit. 354. d. quatenus mori est meritorium & satisfactorium. 347. b. de mortis contemtu. 4. t. 743. c. quatenus timenda. 814. e. pro salute animarum morti quilibet in necessitate se debet exponere. 1. t. 358. b. pastores tempore pestis, persecutionis &c. num possint fugere. ibi. not. 3. & 3. t. 1099. præparatio ad mortem. 1. t. 359. b. 361. a. tribus in morte consulendum est. 3. t. 464. a. per totum caput. mors aliorum moderate ferenda. 1. t. 361. d. mortis memoria utilis. 364. a.

Mors animæ per peccatum. 1. t. 365. d.

Motivi definitio. 1. t. XX. §. 21. finis semper motivum est actionum. ibi. V. *Finis*. motivum impulsivum & occasionale. ibi. §. 22.

Mulierum ornatus. V. *Ornatus*.

Mundi creatio, & quatenus in ea manifestetur potentia Patri attributa. 1. t. 1. sapientia tributa Filio. 2. benevolentia tributa Spiritui Sancto. 3. mundi malitia, & sex malorum genera in mundo. 405. a.

Mundus spernendus. 2. t. 724. a. mundi amor reprehensus. 722. d.

Murmuratio seu querela de aliis, ex. gr. prælatis, superioribus, de Deo &c. 1. t. 718. d. 2. t. 815. a. & seqq. pro detractione famæ. V. *Detractio*.

Mutilatio illicita. 2. t. 869. d. restitutio ob mutilationem. 368. b. V. *Castratio*, *vel amputatio virilium*. V. *Irregularitas ex mutilatione*.

Mutuum definitur. 2. t. XXV. in quibus consistat. ibi. quatenus differt a commodato, vel deposito. XXVI. in mutuo dominium transferri demonstratur. ibi. non tam corporis, quam quantitatis dominium transfertur. XLII. discrimen mutui a donatione. XXVII. nec locationem, nec locationis pretium suscipit. XLII. Lucrum ex mutuo usura est. XXVIII. V. *Usura*. nisi mutuum sit ad pompam, quod verius est commodatum. 89. e. mutuum commutationis species. XXVIII. mutui gratuiti præceptum quando obliget. XLIX. §. 12. qui sint justi, & qui injusti tituli lucrandi in mutuo. V. *Usura quoad titulos lucri*.

N

Negligentia. 2. t. 945. a. qualis culpa ejus. 947. b. negligentia bene operandi. 948. c. & seqq. V. *Omissio*.

Negligentia sciendi culpabilis quando intervenit. 1. t. 322. not. 4. post medium. V. *Ignorantia*. negligere, seu non repellere malas cogitationes peccatum grave est. 1. t. 565. not. 1. item negligere exstirpare habitus pravos &c. 568. not. 2.

Negotiatio quatenus periculosa. 1. t. 295. a. 2. t. 249. d. septem in casibus mala est. e. & seqq. clericis vetita. 250. e. item diebus festis, & in templis. 251. c. e. quæ autem licita. 254. c. quot modis in licitis negotiationibus peccetur. e. & seqq. V. *Mercator*. *Pretium*. *Fraus*.

Negotiator quis sit. 3. t. 298. e.

Notarius, ac de notariorum vitiis, salario, officiis. 3. t. 269. a. per totum caput. modus instrumenti conficiendi. 273. a.

Notarium triplex, facti, juris, & præsumtionis. 3. t. 404. e.

Novitiatus, seu annus probationis ante professionem religiosam. 3. t. 883. not. 5. 887. not. 1. 888. a. de institutione novitiorum. 915. c.

Nuptiæ. V. *Matrimonium*.

O

Obcæcatio mentis. unde. 1. t. 124. a. & seqq. quomodo tollenda. 127. b.

Obedientia. 4. t. 214. d. per totum caput. de voto obedientiæ. 615. c. necessitas obediendi ex voto non præjudicat actui virtuoso. d.

Oblationes Ecclesiasticæ. 3. t. 547. e.

Obligatio parit actionem. 1. t. 877. d.

Observantia debita constitutis in dignitate. 4. t. 211. a.

Observantiæ vanæ. V. *Superstitio*.

Obſides qui eſſe poſſint. 2. t. 1059. a.
Obſtinatio. 2. t. 927. d. 930. d. per totum caput.
Occaſio proſſima quæ, & quatenus ſe gerat confeſſarius cum iis, qui occaſione ejuſmodi tenentur. 3. t. 794. a. not. 29. ad occaſionem proximam omnino vitandam haud neceſſe eſt, quod quis ſæpius in ea peccarit, ſed ſufficit, quod in ea veriſimiliter peccaturus ſit. ibid. quid agendum in occaſionibus neceſſariis. 795. not. 7.
Occidere. V. *Homicidium*.
Oculus qualis eſſe debeat ad bene videndum. 1. t. 117. b. & ſeqq.
Odia reſtringenda quatenus intelligendum. 1. t. 883. c. not. 11.
Odium. 1. t. 458. e. per totum caput. odium proprium juſtorum quod. 460. a. odium ſui poteſt eſſe bonum, & malum, & quatenus. 2. t. 883. b. odium Dei. e. proximi. 885. a. odii effectus. 887. a. V. *Gaudium de malo alterius*, *Triſtitia de bono*. de non ſubtrahendo bono, ac de ſignis amoris exhibendis. 891. a. not. 3. & ſeqq.
Officium divinum. V. *Horæ canonicæ*.
Officia viri erga uxorem. 3. t. 17. c. 4. t. 53. c. uxoris erga virum. 3. t. 18. b. 4. t. 54. d. patrum in filios. 56. b. ſervorum in dominos. 60. d. dominorum in ſervos. 61. d.
Officiales communitatis exigentes aliqua in officiis num peccent. 2. t. 268. a.
Oleum ſacrum. V. *Unctio extrema*.
Omiſſionis peccatum. 1. t. 525. a. 4. t. 177. c. triplex omiſſio culpabilis. 2. t. 948. d. & ſeqq. omiſſiones prælatorum præcipuæ. 954. a. per totum caput.
Opinio. 1. t. 193. d. opiniones contrariæ exſtant in re morali etiam inter ſanctos Doctores. 200. c. conditiones, quibus opinionem benignam licet ſequi. b.
Opinio probabilis, ſeu probabilitatis principium quod ſit. 1. t. XCV. n. 4. CXXXIII. num. 39. quam commodum pro praxi. XCV. num. 4. ab antiquis alienum, qui aliud principia ſequebantur. XCVI. n. 6. inter opiniones æque, vel fere æque probabiles dubitandum eſſe cum iiſdem antiquis Antoninus docuit. XCVIII. n. 8. & in hoc dubio tutius agendum. XCIX. n. 9. V. *Dubium*. In practicis deciſionibus ſimiliter actum. CII. n. 11. in quibus velle ſemper definire, etiam ubi veritas expreſſa non eſt, temeritati deputatum fuit. C. n. 10. idipſum multo magis actum, quum opinio benigna haberetur minus probabilis. CV. num. 14. neque vero omnis benigna magis probabilis tuta habita fuit. CVI. n. 15. ſi parum in probabilitate excederet, habita fuit moraliter dubia, unde tutiorem ſequendam etiam practice traditum fuit. ibid. n. 16. ſolum licere judicatum fuit, quum benigna in probabilitate multum excedere ab operante prudenter crederetur. CVIII. n. 17. quod tum moralem certitudinem involvat. CIX. quæ ad licite operandum neceſſaria eſt etiam per Probabiliſtas. XCVII. n. 7. V. *Certitudo moralis*. hæc una probabilitas ab antiquis probata. CX. num. 18. ſola opinio, quæ ſcrupuloſa judicetur, & ſoli ſcrupuli abjiciendi, non autem opiniones, quæ judicantur graves atque probabiles. CXI. cautio adhibenda, ne in probabiliori ſententia adoptanda ex concupiſcentiis peccetur. CXI. n. 19. quod Antoninus peccandi periculo obnoxium reprobavit. CXII. n. 20. caſus conſcientiæ probabilis a caſibus conſcientiæ ſcrupuloſæ, vel perplexæ diſtinguendi; & canon in hoc inſignis expenſus. CXIV. regulæ pro opinionibus ſeu dubiis ſcrupulosis non ſunt probabilibus applicandæ. CXVI. probabilitati extrinſecæ, & Auctoritati Doctorum, & quorum deferendum. CXVIII. quando eos ſequi liceat. ibid. probabiliſmi principia quæ, & quam inania. V. *Principia probabiliſtarum*. Eccleſiæ ſententia contra novitiam probabilitatem. 1. t. CL. Pontifices Romani Alexander VII. & Innocentius XI. & peculiaria eorumdem monumenta allata. CLX. n. 11. & ſeqq. Alexander VII. voluit damnare expreſſe probabiliſmum. CLXII. etſi aliquibus de cauſſis ſuſpenderit expreſſam prohibitionem, ſatis tamen illum reprobavit in *modo opinandi* reprehenſo in decreto contra propoſitiones damnatas. CLXII. num. 13. teſtimonium coævi Auctoris, & efficax demonſtratio. ibid. probabiliſmi novitas. ibid. n. 14. & n. 16. in fine. decretum Innocentii XI. contra probabiliſmum. CLXV. num. 17. quatenus ex probabiliſmo corruptio moralis Theologiæ magnam in partem fluxerit. CLXIV. num. 16. dum propoſitiones eo quoque tempore, quo erant probabiles, animabus fuiſſe *noxias & perniciem* iiſdem *intuliſſe* declaratum fuit, probabilitatis regula non tuta monſtratur. CLX. n. 11.
Opiniones probabiles non temere damnandæ. 1. t. CXIX. n. 24. ſequendæ tamen non ſunt temere, ſed in dubiis tutius eligendum, licet contrarium damnandum non ſit. ibid. cautio adhibenda in opinionibus pleriſque, quæ uti probabiles traducuntur, & non ſunt. CXXIII. n. 28. quid Confeſſariis cum pœnitentibus alia perſuaſis ſententia agendum ex Antonini mente. CXX. n. 24. 25. & ſeqq. id non favet probabiliſmo. CXXIV. n. 29. aliter agendum quandoque *ante factum*, aliter *poſt factum*. CXXV. n. 30.
Oratio, & ejus neceſſitas. 4. t. 198. c. ad Deum & Sanctos dirigenda, & quomodo. 1. t. 165. d. 4. t. 199. e. quid petendum. 200. d. de efficacia & conditionibus orationis. 202. e. 205. b. de utilitate ejus. 206. b. oratio publica quantum præſtet orationi privatæ. 1. t. CCXI. num. 24.
Ordinationes, & quam diligenter faciendæ. 3. t. 1099. d. earum tempus. 752. b. de conferente ordines indignis. 748. d. de examine ordinandorum. 749. d. 1100. a. defectus examinis reprehenſi. 750. b. ætas ordinandorum. 751. c. pœnæ in ordinatos ante ætatem. 752. not. 10. de interſtitiis ſervandis. 753. a. duo majores ordines ſimul recipi nequeunt. not. 12. de loco ordinationum. b. de promotis per ſaltum. not. 15. vel a prælato non ſuo, aut ſine ejus dimiſſoriis. not. 14. de coactione ad ordines ſuſcipiendos. 754. a. quæ Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas ſpectanda in ordinationibus. 755. e.
Ordo quid ſit. 3. t. 737. a.
Ordinis ſacramentum. 3. t. 642. b. numerus ordinum. 668. c. 738. d. omnes ſunt unum ſacramentum. 737. d. 744. c. de gratia per ordines collata. 739. a. charactere. b. actus & officia ordinum ſingulorum. c. & ſeqq. 745. c. num actus minorum ordinū exerceri poſſint per quemlibet. 746. a. ordines recipiens ex metu, vel cum voluntate non recipiendi. 1. t. 250. d. & not. 2.
Originale peccatum contrahitur in unione animæ cum corpore, & quomodo. 1. t. 50. d. tollitur per baptiſma, ſed pœnalitates temporales remanent, & cur. 51. e.
Ornatum num imprimant ſacramenta. V. *Sacramentum*.
Ornatus mulierum inordinatus. 2. t. 586. c. ornamentorum variæ ſpecies ab Iſaia recenſitæ & explicatæ. 590. c. quatenus peccatum ſint. 591. d. 592. b. & ſeqq. ac præſertim. p. 595. not. 3. de ornatu ad laſciviam provocante. 597. b. ſi mulier videat ex ornatu aliquem ad laſciviam provocari

vocari, nec tamen ipſa intendat, num peccet illi ſe ornatam offerens. 597. not. 4.
Oſcula ob delectationem inde ſurgentem mortalia. 2. t. 648. b. not. 6. quando ſine, vel cum peccato oſculum eſſe poſſit. 647. a. 649. b.
Oſcæ quid Deus præcepit citra fornicationem, vel adulterium. 2. t. 561. not. 1.
Oſtiarius. 3. t. 745. c.
Otium, & contra otioſos. 2. t. 1027. e.

P

PAleotti Card. principia decidendi caſus conſcientiæ contraria probabiliſmo. 1. t. CLXVII. num. 19. CLXXIII. num. 26.
Pallium. 3. t. 1123. d. 1129. a.
Papa, ſeu Romanus Pontifex. 3. t. 1173. a. qualis eſſe debeat, & quid proſpicere. 1174. c. & ſeq. de ejus poteſtate in variis materiis. 1180. a. per totum caput. 1187. c. & ſeqq. 1209. c. 1235. e. deciſiones ejus obligant ad fidem. 1188. b. non poteſt errare in fide. 4. t. 450. b. de poteſtate ejus circa Concilia etiam generalia. 3. t. 1243. e. 1268. e. 4. t. 628. d. non licet a Papa ad Concilium generale appellare. 3. t. 1273. b.
Papa mortuo num ejus poteſtas maneat. 3. t. 1157. b. de Papæ electione. 1158. d. quare ejus nomen in creatione mutetur. 1251. c. num Papa poſſit renuntiare. 1205. d.
Paradiſus, & in quo ejus beatitudo ſita ſit. 1. t. 411. e. viæ ad paradiſum. 408. d.
Parochia frequentanda. 2. t. 1001. not. 3. parochiarum limites. 3. t. 1089. e. an præſcribi poſſint ab inferiori prælato. 1070. b. quis dicatur parochianus. 1367. b.
Parochus, & ejus officia parochianis debita. 2. t. 957. b. de ſuccurrendis pauperibus. c. V. *Eleemoſyna*. de ſacramentis miniſtrandis, & quanta cura. 958. b. de correctione adhibenda. 961. e. de impediendis malis. ibid. not. 5. quando diſſimulandum. 962. b. inſtructionis & prædicationis debitum. 958. c. not. 3. poteſt audire valideque abſolvere ſuum parochianum etiam in aliena diœceſi, dum ſcandalum vitetur. 3. t. 957. d. not. 2. miſſam diebus feſtis applicare debet pro populo, etiam ſi beneficium ſit tenue, ex decretis pluribus Congregationis Concilii, nec non ex Bulla Innocentii XII. 1. t. CCXXVI. V. *Paſtor*, *Prælatus*, *Reſidentia* &c.
Parricidium quam grave peccatum, & ejus pœnitentia. 2. t. 868. b.
Parvitas materiæ non datur in re venerea. 2. t. 647. not. 6.
Paſſiones proprie quæ. 1. t. 428. b. quatenus ad peccandum trahant. 427. c. 428. c. de paſſionibus animæ, & numero earum, ac qualitatibus. 429. a. & ſeqq. capitibus.
Paſtores veri & falſi qui ſint. 1. t. 28. b. quid verus paſtor præſtare debeat. 881. c. morti ſe debet exponere pro ſalute ovium ſuarum tempore peſtis &c. 358. a. not. 3. uti ſe tempore peſtis morti, aliiſque periculis Antoninus expoſuit. XLII. not. 13. etiam contra potentes pro juſtitia. L. not. 21. fine.
Patris officia in filios. 1. t. 703. c. in eos, qui potentes nutrire filios ex illicito coitu ſuſceptos, mittunt ad hoſpitalia. d. debent hoſpitali nutrimentum & expenſas. 2. t. 408. d. amor filiis debitus præcipue in animas eorum. 1. t. 432. d. 704. a. qui inordinatus patrum amor. b. quomodo filios educare debeant. 4. t. 56. b. 3. t. 116. a. caſtigatio non negligenda. 1. t. 704. c.
Paterfamilias etiam ſervis invigilare debet in rebus ad animam pertinentibus. 3. t. 116. a.
Pater noſter oratio dominica explicata. 4. t. 1147. e.
Patientia quid ſit. 4. t. 87. a. ejus conditiones. b. ejus effectus & laudes. 88. b. 679. c. ſtimuli ad patientiam. 90. e.
Patriarchæ & eorum prærogativæ. 3. t. 1126. e. de antiquis Patriarchis. 1576. a.
Patrinus ex filiatione ſpirituali in baptiſmo & confirmatione. 3. t. 124. e. patrinorum officium, 3. t. 125. b.
Patronus Eccleſiarum, & de jure ipſius. 3. t. 549. b. V. *Juſpatronatus*.
S. Paulli converſio, & de ea fuſe. 4. t. 524. e. de ejuſdem raptu & exceſſu, qualis fuerit. 527. c.
Paupertatis conditio quantum præſtet ſtatui divitum facto inſigni monſtratur. 1. t. LX. not. 9. paupertatis conſilium, & errores circa illud confutati. 4. t. 620. e. quadruplex modus ſectandi paupertatem. 622. c. de paupertate Apoſtolica, quæ habebat aliqua in communi, nihil in particulari. 625. a. 654. a. & ſeqq. V. *Religioſus quoad paupertatem*.
Pauper fictus num teneatur reſtituere quod accepit. 2. t. 417. b. pauperes ficti ab Antonino reprehenſi. 1. t. LV. in notatione. quæ mendicitas licita, vel illicita. 3. t. 906. c. d.
Pauperes de Lugduno, & eorum errores. 4. t. 594. a.
Pax uti actus interior caritatis, & quatenus differat a concordia. 4. t. 350. d.
Peccatores cur aliquando in hac vita felices. 4. t. 94. d.
Peccatum, & varia ejus definitio. 1. t. 515. c. diviſio ejus multiplex. 521. e. de peccati reatu. 522. c. de nocumentis viginti tribus peccati mortalis. 532. e. damna ejus in præſenti vita. 572. a. per totum caput. in inferno. 575. a. per totum caput.
Peccati cauſſæ tres. 1. t. 235. d. 424. d. de cauſſis exterioribus. 497. c. V. *Tentatio*. cauſſa effectiva eſt voluntas. 521. c.
Peccatum ſervitus eſt. 1. t. 240. d.
Peccatum ignorantiæ. V. *Ignorantia*. de iis, quæ vulgo peccata non creduntur. 3. t. 968. not. 3.
ex ſcientia quod. 1. t. 327. b.
ex malitia. 1. t. 425. e. 2. t. 922. c.
ex infirmitate. 1. t. 427. b.
Peccatum omiſſionis & commiſſionis. 1. t. 525. a. veniale, mortale, & originale. 522. b. veniale & mortale cur difficile diſcernantur. 567. b.
Peccatum originale, ejus cauſſa, & pœna. 1. t. 543. a. per totum caput.
Peccatum mortale, & unde ejus gravitas. 1. t. 559. b. de interno, & externo. 561. c. de circumſtantiis triplicibus. e. damnum & effectus conſequens quatenus aggravet. 563. e. 565. a.
Peccatum veniale tripliciter dictum. 1. t. 583. a. quatenus genere differat a mortali. c. num poſſit dari veniale ſine mortali cum ſolo originali, quod idem eſt ac quærere, num pueri habentes originale primum peccare poſſint ſolum venialiter. 585. a. & not. 2. num veniale poſſit fieri mortale. 586. b. & not. 3. effectus peccati venialis. 588. b. de ejus remiſſione, & modis remittendi venialia. 589.
Peccatum Theologicum & Philoſophicum, & propoſitio ſuper his damnata. 1. t. 516. e. not. 1. de peccato timendo. 4. t. 793. e. & ſeqq.
Peccata capitalia unde dicta, & quot. 1. t. 528. e.
Peccata in Spiritum Sanctum. 2. t. 924. a. eorum malitia. 928. b. quomodo irremiſſibilia dicantur. 929. d.
Poſt peccatum nemo ſit piger ad converſionem. 2. t. 1019. d. 3. t. 765. c. not. 4. peccata dimiſſa non re-

redeunt. 1453. a.
Peculii tres ſpecies. 2. t. 232. b.
Pecunia per ſe eſt ſterilis. 2. t. XXXVII. n. 5. quomodo legitime creſcere poſſit. XXXVIII. n. 6. tres tituli augendæ pecuniæ in negotiatione. XXXIX. n. 8. ſolum periculum *aleæ* eſt juſtus lucri titulus nomine capitalis. ibid. n. 12. Quale ſit *aleæ* periculum. V. *Periculum*.
Perfectio in quo conſiſtat. 3. t. 844. b. triplex perfectio. c. ſpectat præcepta & conſilia. 445. b. perfectio caritatis. a. quatenus perfectio ſit præcepta. d. quæ pertinent ad perfectionem. 446. b. de ſtatu perfectionis. 445. d.
Pericula qui non vitat, quæ vitare poteſt, & confidit ſe adjuvandum ne cadat, Deum tentat. 2. t. 523. a.
Periculum aleæ pretio æſtimabile, & juſtum lucri titulum afferens, quod dicatur. 2. t. LXX. n. 3. ubi interveniat, & quæ pretii periculi ejuſdem juſta æſtimatio atque proportio. LXXV. n. 3. ſolum hoc periculum eſt juſtus titulus lucri in negotiationibus ac ſocietatibus nomine capitulis. XXXIX. n. 12. in mutuo nullum eſt periculum aleæ pretio æſtimabile; ac proinde ſortis periculum neque poſſibile, neque probabile, quod aleæ expoſitum non ſit, juſtus lucri titulus non eſt. LXVIII. *ſ.* 26. probatur ex Patribus. ibid. n. 1. ex ipſis paganis. LXIX. n. 2. ratione invicta. LXX. n. 3. & ſeqq. periculum nauticum, quod quis per aſſecurationem ſubit, quando juſtus lucri titulus. 102. c. 103. not. 19.
Perjurium & ejus gravitas. 1. t. 678. a. 2. t. 1099. c. 1101. b. & ſeqq. etiam in re levi grave peccatum eſt. 1069. not. 1. perjurii damna. 1103. a. pœnæ 1104. c. V. *Juramentum*.
Permutatio. 2. t. 270. b. 3. t. 304. c. de ſimonia in permutatione. 2. t. 47. c.
Perſecutores, & perſecutiones contra Eccleſiam. 1. t. 385. a.
Perſeverantia quid ſit. 4. t. 102. d. 103. b. vitia illi contraria. c. ejus effectus. 104. a.
Perſonæ Eccleſiaſticæ quæ. 3. t. 1286. e. & ſeqq.
Pertinacia. 2. t. 601. d. per totum caput.
Peſtis tempore paſtores non debent fugere. 1. t. 358. a. not. 3. Antonini exemplum. XLII. not. 13.
S. Petrus caput Eccleſiæ præ aliis Apoſtolis, & contrarium dicere eſt error damnatus. 4. t. 595. d.
Pietas virtus moralis. 4. t. 209. a.
Phantaſia, ſeu imaginativa. 1. t. 88. e. homo ſine phantaſmate nequit intelligere. 89. c. bonus angelus operari poteſt circa phantaſiam. 90. a. quid angelus malus. 91. b.
Pharmacopolarum vitia. 3. t. 317. a.
Philoſophia moralis Gentilium non eſt vera philoſophia. 4. t. 570. a. contra vitioſam quorumdam Philoſophorum ſubtilitatem. 573. e. Philoſophorum Gentilium errores contra fidem. 582. a.
Pignus quando licitum. 2. t. 105. a. 3. t. 298. a. ſi ex pignore utilitas percipiatur, eſt uſurarium. ibid. utrum pignora emi poſſint ab uſurariis. 141. b. & ſeqq. quid de fructibus ex pignore vel hypotheca perceptis. 2. t. 236. a. d.
Poetarum Gentilium libri, & de eorum inutilitate, periculo, ac fuga. 4. t. 568. a. & ſeqq.
Pœnæ ſpirituales quattuor in foro externo. 3. t. 1474. b. pœnæ variæ temporales. d. pœna conventionalis. 1475. b. de pœnis juſte infligendis. e. non mutandæ pœnæ corporales in pecuniarias ex cupiditate. 1476. a. cauſſæ excuſantes a pœna. d. V. *Tribulatio*.
Pœnitentiæ ſacramentum. 3. t. 640. d. 756. d. ejus partes. 761 c.
Pœnitentia in confeſſione injuncta ex præcepto implenda eſt. 2. t. 993. a. & ſub gravi. 3. t. 772. e. 792. c. 794. a. per alios impleri non poteſt. 2. t. 993. not. 5. 3. t. 798. d. 799. not. 3. num in ſtatu peccati impleri poſſit. 2. t. 993. c. not. 6. quid de eo, qui oblitus eſt pœnitentiam. 3. t. 772. d. 792. c. num commutari ab alio confeſſario poſſit. ibid. not. 28. V. *Satisfactio*.
Pœnitentia pro ſcandalo publico quæ injungenda. 2. t. 367. not. 3. quam publicam poſſit imponere ſimplex ſacerdos. 3. t. 763. a. de pœnitentia ſolemni. ibid.
Pœnitentia virtus. 3. t. 758. c. 4. t. 235. c. per totum caput. quomodo ſemper pœnitendum. 3. t. 758. e. effectus pœnitentiæ. 759. b. de impedimentis pœnitentiæ. 760. a. quomodo colenda. d. opera mortificata, non autem mortua reviviſcunt per pœnitentiam. 3. t. 757. b.
Pœnitentia in morte poſſibilis, ſed perdifficilis. 3. t. 450. d.
Pœnitentiariæ Romanæ principia in decidendis caſibus conſcientiæ contraria principiis probabiliſmi. 1. t. CLXVIII. num. 20. eadem ſequenda in tribunali pœnitentiæ. CLXIX. num. 21.
Pollutio Eccleſiæ. 2. t. 301. a. in quattuor caſibus accidit. 3. t. 534. b. de ejus reconciliatione. e. 535. a. quando iterum conſecranda. d.
Pollutio, ſeu mollities. 1. t. 711. c. 2. t. 653. not. 1. 667. c. 780. c. jure naturæ eſt prohibita. 781. not. 1. de pollutione in ſomnis. 781. a. per totum caput. ac præſertim. 783. a. not. 3. non licet de ea in ſomnis habita gaudere. 781. not. 2.
Polygamia. V. *Matrimonium quoad pluralitatem uxorum*.
Portio canonica in ordine ad ſepulturam. 3. t. 473. d. 475. e. portio canonica Epiſcopo debita. 1118. b. 1294. b.
Poſſeſſio explicatur. 3. t. 185. b. principium, *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*, ubi, & quatenus valeat, 1. t. CXXXVIII. n. 46. & ſeqq. neque in rebus juſtitiæ valet univerſim, niſi in foro externo. ibid. num. 47.
Poſtulatio. 3. t. 1056. e. quis poſtulandus. 1057. a. quis poteſt poſtulare. e. num poſtulatio revocari poſſit. 1058. b.
Præbenda. 3. t. 805. a. c. V. *Beneficium*.
Præceptum Eccleſiæ an impleatur ſine intentione ſatisfaciendi. 1. t. 326. b. not. 6. non ſatisfit duplici præcepto per eumdem actum, quum diſtinctus actus præcipitur. eadem not. 6. V. *Satisfactio*. auditioni miſſæ & officii divini ſimul ſatisfieri nequit ex. gr. a ſubdiacono. ead. not. 6.
Præcepta Eccleſiæ explicata. 1. t. 805. e. fuſe. quæ ſub gravi obligare intelligantur. 2. t. 563. c. non omnes ordinationes Eccleſiæ vel prælatorum ſunt in præcepto. 561. d.
Præcepta violantur etiam ſine contemtu. 2. t. 561. e. 753. not. 1. Eccleſiæ præcepta poſſunt obligare & ſæpe obligant etiam ad actus internos. 991. not. 4. 3. t. 861. not. 3.
Præcipitatio. 2. t. 701. e.
Prædicatio a Prælatis debetur. 2. t. 958. d. not. 3. ab Epiſcopo. 3. t. 1096. e. modi prædicationis. 1023. a.
Prædicans in mortali num, & quatenus peccet. 2. t. 955. a. not. 1. 3. t. 1011. d.
Prædicatio frequentanda, & in negligentes prædicationem. 2. t. 1006. b. & ſeqq. prædicationis fructus. 1008. a. ſine Epiſcopi licentia Regulares prædicare extra ſuas Eccleſias nequeunt. 3. t. 995. not. 1.
Prædicatores qui eſſe debent. 1. t. 769. b. 3. t. 1009. c. eorum conditiones, & proprietates. ibid.

ibid. defectus a prædicatoribus vitandi, 1018. d. missio requisita, 1010. e. contra prædicantes ob quæstum. 1012. a. 2. t. 60. c. Auctor in lucubranda Summa prædicatores juvare studuit. 1. t. XI. olim prædicatores moralem Theologiam explicabant. ibid. observatio pro concionibus nostrorum temporum, in quibus explicatior doctrina morum fere desideratur, & quæ. XII. solum certa certo prædicanda. CXXVI. n. 31. quid in dubio. ibid. cavendum in prædicatione a scrupulosis. CXXVI. non alia doctrina in prædicationibus, alia in confessionibus ingerenda. CXXVIII. n. 33. præjudicium in hoc detectum. ib. potius concionibus, quam Theologis fere deferendum. CXXX. n. 35. cur. ibid. n. 36. prædicantes sine missione legitima fures sunt. 2. t. 226. e. prædicatorum quorumdam superbia quæ. 459. c.

Prælatus, & de modo debito se gerendi in prælatura. 3. t. 1082. c. quæ legitima vocatio ad prælaturam Ecclesiasticam. 1. t. 379. e. 3. t. 1046. c. hæc fugienda, non quærenda. 2. t. 466. b. 3. t. 1112. c. 1258. d. Antoninus quantum fugerit. 1. t. XXXI. not. 15. XXXIII. vocanti tamen Deo non resistendum. 2. t. 467. not. 1. 1039. d. 3. t. 1113. c. sicut & Antoninus paruit. 1. t. XXXIV. V. *Ambitio.* quomodo prælati vivere debent. 1. t. 391. a. superbia prælatorum in quibus consistat. 2. t. 452. e. eorum officia subditis debita. 957. b. & seqq. 1082. c. & seqq. abusus reprehensi. 3. t. 1258. c. 1261. c. ignorantia in prælatis quam culpabilis. 2. t. 954. c. V. *Confessor. Parochus. Pastor.*

Presbyteratus. 3. t. 747. c. V. *Sacerdos.*

Præscriptio, & requisita ejus. 2. t. 242. d. & seqq. 3. t. 182. c. 4. t. 606. a. num dubitare incipiens, rumpat præscriptionem bona fide cœptam. 2. t. 247. a. not. 11. a malo possessore præscribi nequit. 1. t. 884. c. nec ab eo, qui non possidet. 885. b. nec ab hærede possessoris malæ fidei, licet hæres malæ fidei non sit. 2. t. 415. not. 3.

Præsentatio, & quo tempore facienda. 3. t. 549. c. e. nemo potest se ipsum præsentare. 550. b. de patronorum discordia in præsentatione. 558. c.

Præsumtio duplex. 1. t. 898. c. filia superbiæ. 2. t. 449. c. 478. e. per totum caput. 586. c. item alio capite. 924. c.

Pretium justum, & triplex. 2. t. 126. b. de pretio justum excedente. 127. c. quod pretium justum in dubio pendente a conditione futura. ibi. not. 1. 133. e. & not. 5. in fine. V. *Periculum aleæ.* pretium injustum citra dimidium in solo externo foro leges alicubi tolerant, numquam autem in interno licet. 134. not. 5. pretii justitia ex valore rerum metienda. 255. c. & seqq. & cum discretione taxandum pretium. 257. c. de triplici pretii excessu. d. modicus excessus justi pretii num aliquando inculpabilis. 259. b. 260. d. not. 6. & 7.

Pretium justum artificum. 3. t. 308. b. V. *Mercenarii.* qui partem pretii ex re aliena, quam vendendam accepit, ubi retinet, peccat. V. *Minister.* V. *Proxeneta.*

Primicerius & ejus officium. 3. t. 1073. a.

Princeps, & ejus officia. 4. t. 187. b. de triplici principatu, monarchico, aristocratico, & democratico. 190. d. qui fuerit apud Hebræos d.

Principia decidendi casus conscientiæ. 1. t. XCI. per totam Prælectionem. quæ apud veteres fuerint. XCVI. n. 6. C. n. 10. quæ apud S. Antoninum. XCVIII. n. 9. & seqq. quæ apud Probabilistas. XCV. n. 4. CXXXIII. Ecclesiæ sententia de principiis adhibendis in decisione casuum. CL. Sacrarum Congregationum Romanarum principia & praxis in decidendo. CLXVII. num. 18. Episcopi, & concilia quas regulas præscripserint decisioni casuum. CLXXI. num. 23. & seqq.

Principia directa & reflexa explicantur. 1. t. CXXXIV. n. 50.

Principia Probabilistarum reflexa explosa. 1. t. CXXXIII. n. 39. & seqq. principium ab incertitudine legis ductum. CXXXIV. n. 42. aliud a possessione libertatis. CXXXVIII. n. 46. tertium ab axiomate ductum: *In dubio benigniora præferenda.* CXL. n. 49. quartum ab ignorantia, quæ invincibilis prætenditur inter opiniones probabiles. CXLII. n. 53. ab auctoritate Probabilistarum principium quam ineptum. CXLVIII. n. 59. duo alia eorumdem principia reflexa expunguntur. CXLV. n. 57. quid de prudentia a Probabilistis prætensa in sequentibus opinionem suo modo probabilem. ibid. Ecclesiæ sententia hisce probabilistarum principiis contraria, ac adversa probabilismo. CL. per totam Prælect. secundam. V. *Opinio probabilis.*

Privilegia, & divisio eorum. 1. t. 836. c. 837. b. 855. e. eorum interpretatio. 836. e. quatenus deficiat privilegium. 838. b. 856. a. num speciale privilegium tollat generale. 863. e. personale cum persona extinguitur. 888. b. privilegia cleri. 3. t. 1286. d. quæ personæ his privilegiis gaudent. ibid. c. & seqq. privilegium loci sacri. 1292. c.

Probabilitas. V. *Opinio probabilis.*

Procuratio in visitatione debita. V. *Visitatio.*

Procurator in judiciis. V. *Advocatus.*

Prodigalitas. 2. t. 797. c. per totum caput.

Proditio, & de ejus variis modis fuse. 2. t. 307. a. 350. b.

Professio religiosa expressa. 3. t. 887. c. ætas ejus. 883. not. 5. 887. e. not. 1. de anno probationis ante professionem. ibid. 888. a. quid de professione sine voluntate se obligandi. 889. b. de professione viri in monasterio mulierum sub mulieris vestitu, vel e contra. c. de professione tacita. e. & seqq. de professione servorum. 894. b. habitus professionis, & probationis distincti. 890. a.

Promissio quatenus implenda. 2. t. 1057. b. ficta quatenus obliget. ibid. c. not. 12. & 13. ficta in sponsalibus simulatis quatenus. 2. t. 683. not. 1. num gratuita promissio nondum acceptata ex justitia obliget. 1057. not. 13. promissio metu extorta & jurejurando firmata num obliget. 1059. a. not. 14.

Promissio illicita non obligat, nec servanda. 2. t. 1056. c.

Prophetia, & ejus divisio. 3. t. 1581. e.

Proprietas. V. *Dominium.*

Propositio damnata a Clemente VIII. die 20. Julii 1602. circa confessionem factam per litteras vel internuntium confessario absenti. 3. t. 784. not. 12.

Propositio damnata ab Alexandro VII. die 30. Jan. 1659. quæ negabat facultatem Episcopis limitandi, restringendi, aut revocandi approbationes regularium ad audiendas confessiones. 3. t. 942. not. 2 Aliæ ab eodem damnatæ in decreto diei 24. Sept. 1665.

1. De actibus Theologicis iterandis. 4. t. 337. not. 1.
2. De provocato ad duellum. 2. t. CXXI. n. 2. CXXXI. n. 4.
3. De casibus Bullæ cœnæ. 3. t. 1112. not. 21.
4. De Prælatis regularibus. ibid.
5. De hæretico denuntiando. 2. t. 971. not. 6.
6. De sollicitante per chartam. 2. t. 691. not. 1.

7. De

7. De modo declinandi denuntiationem. ibid.
8. De fructu Missæ specialissimo. 2. t. LXXXV. n. 1.
9. De pingui stipendio Missæ, ibid. n. 2.
10. De multiplici Missæ stipendio. ibid. n. 3.
11. De peccatis oblitis, vel in confessione ex caussa aliqua omissis. 3. t. 777. not. 6.
12. De casibus Episcopo reservatis. 3. t. 943. in notatione.
13. De Regulari injuste reprobato. 3. t. 942. not. 2.
14. De confessione invalida. 2. t. 991. not. 4.
15. De pœnitentia per alium impleta. 2. t. 993. not. 5.
16. De confessario electo a Curato. 3. t. 950. not. 1.
17. De homicidio ob calumniam impediendam. 2. t. CXXI. n. 2. CXXX. n. 2.
18. De nece falsi accusatoris, testis &c. 2. t. CXXI. n. 1. CXXVII. n. 7.
19. De occisione adulteræ. 2. t. CXXI. n. 2. CXXXI. n. 3.
20. De restitutione fructuum beneficii a non recitantibus horas canonicas. 2. t. LXXXVI. n. 1.
21. De horis per alium recitatis. ibid. LXXXVII. n. 2. 1017. not. 6.
22. De pecunia in collationem beneficii. 2. t. §. I. 1. confutatur. *S.* II. 4.
23. De fracto jejunio citra contemtum. 2. t. 753. not. 1.
24. De peccatis luxuriæ specie diversis. 2. t. 653. not. 1.
25. De copula cum soluta. 2. t. 648. not. 7. 3. t. 782. not. 10.
26. De judice vendente arbitria, & judicante inter æque probabiles. 2. t. LXXXIV. *S.* 5.
27. De probabilitate ex uno Auctore. 1. t. XCII. n. 3.
28. De populo legem non acceptante. 2. t. 600. not. 7.

Aliæ in decreto diei 18. Martii 1666.

29. De modicis & pluribus comestiunculis die jejunii. 2. t. 765. 14.
30. De laborantibus die jejunii. 2. t. 761. not. 11.
31. De iter habentibus jejunii diebus. ibid.
32. De esu ovorum in Quadragesima. 2. t. 759. not. 9.
33. De restitutione ob omissionem horarum. 2. t. LXXXVII. n. 3.
34. De recitatione officii Paschalis die Palmarum. 2. t. 1014. not. 2.
35. De unico officio pro duobus diebus. ibid. 1015.
36. De privilegiis Regularium. 3. t. 942. not. 2.
37. De eorumdem indulgentiis. 1. t. 601. not. 6.
38. De confitendo *quamprimum* a sacrificante ex necessitate, peccato non subjecto clavibus. 2. t. 1025. not. 2.
39. De eodem argumento, & de significatione particulæ *quamprimum*. ibid.
40. De osculis ob delectationem carnalem. 2. t. 647. not. 6.
41. De concubina ejicienda. 3. t. 796. not. 29. in fine.
42. De lucro ob obligationem non repetendæ sortis in mutuo. 2. t. LXVI. *S.* 24.
43. De annui legati pro anima duratione. 2. t. LXXXVI. n. 4.
44. De censurarum cessatione. 3. t. 1395. not. 2.
45. De libris prohibitis. 3. t. 1313. not. 1.

Propositiones damnatæ ab Innocentio XI. in decreto diei 2. Martii 1679.

1. De probabilitate in sacramentis, 1. t. XCV. CLII.
2. De probabilitate in judice, ibid.
3. De tenui probabilitate. ibid. XCII.
4. De probabilitate in infideli. ibid. XCV.
5. De actu amoris Dei semel in vita. 4. t. 339. not. 1.
6. De eodem singulis quinquenniis, ibid.
7. De ejusdem obligatione, dum tenemur justificari, ibid.
8. De comedente ad satietatem, 2. t. 743. not. 1.
9. De actu conjugali ob voluptatem. 2. t. 650. not. 11.
10. De dilectione interna proximi. 4. t. 327. not. 1.
11. De eadem per solos actus externos. ibid.
12. De eleemosyna ex superfluis. 2. t. CVI. §. 1.
13. De cupiente mortem proximi, & de tristitia vitæ ejus ob temporale emolumentum. 2. t. CXXXII. §. 7.
14. De cupiente mortem patris ob hereditatem. ibid.
15. De gaudio ex parricidio in ebrietate patrato. ibid.
16. De præcepto speciali fidei. 4. t. 461. not. 2.
17. De actu fidei semel in vita. ibid.
18. De publica confessione fidei. 4. t. 445. not. 1.
19. De assensu firmo fidei. 4. t. 425. not. 1.
20. De repudio ejusdem assensus. ibid.
21. De assensu fidei probabili tantum, vel formidoloso. ibid.
22. De fide Dei remuneratoris. 4. t. 453. not. 3.
23. De fide naturali ex testimonio creaturarum. 4. t. 426. not. 1.
24. De perjurio in re levi. 2. t. 1069. not. 1.
25. De juramento sine animo jurandi. 2. t. 1047. not. 5.
26. De restrictione mentali. 2. t. 1045. not. 5.
27. De caussa utendi amphibologiis. ibid.
28. De juramento cum restrictione ob crimen occultum. 2. t. 1048. not. 6.
29. De simulatione ob metum in sacramentis. 2. t. 1053. not. 9.
30. De occisione calumniatoris. 2. t. CXXI. n. 1. CXXX. n. 2.
31. De occisione furis. 2. t. CXXII. n. 3. CXXXVIII. *S.* 4.
32. De occisione defensiva rerum. ibid.
33. De eodem argumento. ibid.
34. De procurante abortum. 2. t. CXXI. n. 2. CXXXI. n. 5.
35. De fœtus animatione. ibid.
36. De furto in gravi necessitate. 2. t. LXXXII. *S.* 3.
37. De occulta compensatione. ibid. LXXXIII. *S.* 4.
38. De restitutione furtorum exiguorum. ibi. LXXXVIII. *S.* 8.
39. De inducente ad damnificandum. 2. t. LXXXIX. *S.* 9.
40. De contractu mohatra. 2. t. LVII. n. 2.
41. De lucro in mutuo ob pecuniã numeratam pro numeranda. ib. LXVII. n. 2.
42. De pacto ex gratitudine in mutuo. ibid. XXXVIII. n. 2.
43. De imponente falsum crimen. 2. t. 900. not. 13.
44. De eodem. ibidem.

45. De

45. De palliis ſimoniæ. 2. t. I. §. 1. confutatur. IV. §. 6.
46. De eodem. ibidem.
47. De dignioribus ad beneficia eligendis. 2. t. 291. not. 2.
48. De fornicatione intrinſece mala. 2. t. 649. not. 9.
49. De mollitie jure naturali interdicta. 2. t. 781. not. 1.
50. De adulterio cum mariti conſenſu. 2. t. 663. not. 1.
51. De famulis cooperantibus ad turpia. 2. t. CXII. §. 1.
52. De præcepto ſervandi feſta. 2. t. 975. not. 1.
53. De pluribus miſſarum partibus ſimul auditis. 2. t. 1003. not. 5.
54. De majori parte horarum omiſſa. 2. t. 1011. not. 1.
55. De communione ſacrilega. 2. t. 991. not. 4.
56. De frequentia confeſſionis & communionis. 3. t. 631. not. 14. 1624. not. 4.
57. De attritione naturali. 1. t. CCXXVII.
58. De confeſſione conſuetudinis. 3. t. 781. not. 8.
59. De confeſſione dimidiata. 3. t. 777. not. 5.
60. De conſuetudinario quoad abſolutionem. 3. t. 793. not. 29.
61. De non deferente, vel quærente proximam occaſionem peccandi. ibid. 794. not. 9.
62. De proximæ occaſionis cauſſa. ibid.
63. De eodem. ibid.
64. De ignorantia myſteriorum fidei. 4. t. 453. not. 3.
65. De eorumdem myſteriorum fide ſemel in vita. ibid. 454.

Propoſitio damnata ſub eodem Pontifice Innocentio XI. die 18. Nov. 1682. circa uſum ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ. 3. t. 985. not. 1.

Propoſitiones damnatæ ab Alexandro VIII. in decreto diei 24. Auguſti 1690.
1. De amore ultimi finis. 4. t. 338. not. 1.
2. De peccato philoſophico. 1. t. 515. not. 1.

Aliæ in decreto diei 7. Decembris 1690.
1. De libertate in cauſſa. 1. t. 227. not. 1.
2. De ignorantia juris naturæ. 1. t. 320. not. 4.
3. De opinione probabiliſſima. 1. t. XCII.
4. De Chriſto mortuo pro omnibus. 3. t. 1533. not. 1.
5. De gratia per Chriſtum. ibid.
6. De gratia ſufficiente. 4. t. 480. not. 1.
7. De humana actione deliberata. 4. t. 299. not. 1.
8. De operibus infidelium. ibid.
9. De odio peccati ſine reſpectu ad Deum offenſum. ibid.
10. De operante ob cæleſtem gloriam. ibid.
11. De operibus, quæ non ſunt ex fide. ibid.
12. De fide ſine dilectione. 4. t. 300. not. 1.
13. De operantibus bonum ſine caritate. 4. t. 299. not. 1.
14. De timore gehennæ. 4. t. 301. not. 1.
15. De attritione ſine dilectione. 4. t. 299. not. 1.
16. De abſolutione ante ſatisfactionem. 3. t. 976. not. 5.
17. De eodem argumento. ibid.
18. De conſuetudine hodierna adminiſtrandi ſacramenti pœnitentiæ. ibid.
19. De pœnitentia pro originali peccato. 3. t. 705. not. 1.
20. De confeſſione apud Religioſos. 3. t. 974. not. 1.
21. Apud Mendicantes. ibid.
22. De communione ante expletam pœnitentiam. 3. t. 632. not. 14. 1624. not. 4.
23. De amore ante communionem prævio. ibi.
24. De oblatione B. M. V. in die purificationis. 4. t. 1173. not. 1.
25. De ſimulacro Dei Patris. 3. t. 1623. not. 1.
26. De laudibus B. M. ut Mariæ ibid. not. 2.
27. De forma baptiſmi. 3. t. 711. not. 4.
28. De intentione in collatione baptiſmi. 3. t. 719. not. 10.
29. De auctoritate ſummi Pontificis ſupra Concilium & ejus infallibilitate. 3. t. 1273. not. 1.
30. De doctrina S. Auguſtini. 1. t. 819. not. 17.
31. De Bulla Urbani VIII. *In eminenti.* Non fuit de hac differendi locus.

Proprietas explicatur. 3. t. 186. a. 4. t. 633. b. V. *Dominium*.

Providentia circa futura. 4. t. 39. a. ejus eſt præcavere pericula. 41. b.

Proviſio Eccleſiæ de rectore quot modis fieri poſſit. 3. t. 551. e.

Proxenetæ num vendentes rem alienam, poſſint aliquid pretii ſibi retinere, ſi majori pretio vendiderint, quam dominus poſtulavit. 3. t. 305. c. 321. a. quomodo licite, vel illicite ſe gerant. 309. b.

Prudentia definitur. 4. t. 29. c. ejus officium. e. 32. d. partes. 30. a. 36. a. ejus quinque ſpecies. 44. a. num in peccatoribus ſit prudentia. 31. b. triplex prudentia falſa, vera ſed imperfecta, vera & perfecta. ibid. prudentia infuſa & acquiſita. 32. b. quæ ad prudentiam requirantur. 33. b. 36. a. & ſeqq. quis perfecte prudens. 39. e. de prudentia particulari ſui ipſius, & novem ejus regulæ. 45. e. prudentia ſerpentis quatenus imitanda. 51. e. prudentia œconomica in gubernatione domus. 53. b. quæ prudentia in Principibus. 62. d. prudentiæ politicæ duæ ſunt. 64. d. prudentia militaris. 66. d. prudentiæ virtutes tres, eubulia, ſyneſis, & gnome explicatæ. 67. b. prudentiæ actus tres. 2. t. 707. c.

Prudentia carnis. 2. t. 720. b. mundi. c. prudentia a Probabiliſtis præteoſa in ſequentibus opiniones probabiles exploſa. 1. t. CXLV. n. 59.

Publicationes matrimonii, V. *Matrimonium quoad publicationes*.

Pueri decedentes ſine baptiſmo quo in ſtatu ſint. 1. t. 166. e.

Purgatio canonica, & ejus modus. 3. t. 411. d.

Purgatorium. 3. t. 1608. d. 4. t. 839. e. & ejus pœnæ. 1. t. 413. d. & 590. d. 3. t. 1609. b. per totum caput. quomodo animæ igne crucientur. 1610. a. animæ quattuor modis e purgatorio educuntur. 417. b. V. *Suffragia*. purgandi multiplex modus. 4. t. 836. c.

Purificatio in veteri lege. 1. t. 741. c. 4. t. 1173. c.

Puſillanimitas. 2. t. 1038. e. per totum caput.

Q

Quadrageſima. 4. t. 130. c. 133. b.

R

Rapina. 1. t. 713. e. 2. t. 191. c. quinque modis patratur. 194. c. definitio ejus. 197. d. 198. a. eſt gravior furto. c. pœnæ raptorum. e. extorquentes a ſubditis injuſtas gabellas, rapinæ rei ſunt. 1. t. 713. e. de participantibus in rapina. 2. t. 199. c. de mutis rapinæ non obſtantibus quatenus ad reſtitutionem teneantur. 201. a.

Raptus proprie quis. 2. t. 684. c. not. 1. raptus ejus, quæ alii deſponſata eſt. 685. b. num ſponſus ſponſam abducens ſit raptor. 686. d. not. 5. pœ-

5. pœnæ raptorum & eorum, qui raptui aliquo modo cooperati ſunt. ibi. b. not. 4. impedimentum dirimens ex raptu. 685. not. 3. 3. t. 13. not. 1.
Ratihabitio quando retrotrahitur, & mandato comparatur. 1. t. 897. d.
Ratio & intellectus quatenus differant. 1. t. 172. c. ratio ſuperior & inferior. 173. d. vitia & deffectus rationis. 174. c. eorum cauſſæ culpabiles. d. in ratione poteſt eſſe peccatum, & quale. 175. c. ligatio rationis unde, & quando culpabilis, quando vero non. 176. b. ratio tria facit in anima. 177. c.
Recuſatio judicis quibus de cauſſis fieri poſſit. 3. t. 353. b. 361. c. qui cognoſcant de cauſſa recuſationis. 364. c.
Reditus annui. V. *Cenſus*.
Reditus Eccleſiaſtici. V. *Bona Eccleſiaſtica*.
Regulares. V. *Religioſus*.
Regula quid ſit. 3. t. 851. d. de variis modis profitendi regulas religioſas. e. de regulis approbatis. 852. a. e. de ſingulis iiſdem regulis, SS. Auguſtini, Benedicti, Franciſci, & Baſilii, ac earum obligationibus. 853. & ſeqq. contemtus regulæ qui ſit, & gravis etiam in iis, quæ ſub præcepto non ſunt. 854. e. not. 1. 861. not. 6. de variis, quæ continentur in regulis religionum, & quatenus obligent. 876. a.
Regulæ juris quæ. 1. t. 845. d. officium regulæ. 847. a. centum regulæ explicatæ ac in alphabeti ordinem diſpoſitæ. ibi. e. & ſeqq.
Relatio in Deum debita in primo rationis uſu. 1. t. 585. b. & not. 2. 655. e. lex cum relatione in Deum quatenus ſervanda. 686. b. 4. t. 301. not. 1.
Religio in Deum quibus rationibus debita. 1. t. 694. e. religio quadrupliciter ſumta. 3. t. 843. b. actus religionis 4. t. 195. a. eſt maxima omnium virtutum moralium. 196. e.
Religio mortis ſpecies. 1. t. 367. b. religioſi ſtatus triplex bonum. 442. d. novem utilitates religionis. 3. t. 925. d. jucunditas vitæ religioſæ. 934. a. religionem num ingredi liceat ei, qui debitis obligatur, & cedit bonis. 2. t. 1117. not. 7. perfectio finis religionis. 3. t. 844. b. quomodo. 845. a. 846. c. eſt ſtatus perfectionis. 845. d. definitur. 846. c. explicatur. e. de præeminentia unius religionis præ alia. 847. d. quanta conſideratione opus ſit ad deliberandum de religionis ingreſſu. 878. c. eligentes ingredi religionē, in qua non bene vivitur, revocandi ſunt. e. num liceat inducere ad religionem ingrediendam. 879. a. quid in egeſtate parentum ante, vel poſt ingreſſum religionis agendum. d. num Epiſcopi, curati &c. poſſint ingredi in religionem. 881. b. num ii, qui aliis obligati ſunt. d. 2. t. 1117. not. 7. de voto ingrediendi religionem. 3. t. 882. c. quid ſi ante pubertatem editum fuerit. ibi. 2. t. 1123. not. 18. tempus profeſſionis, & anni probationis neceſſitas. 3. t. 884. a. not. 5. de renuntiationibus, & obligationibus eorum, qui religionem profeſſuri ſunt, quatenus validæ. 886. d. not. 6. fructus ingredientium religionem. 892. c. de tranſitu ex una ad aliam religionem. 895. b. 398. d. de bonis tranſeuntium, cui competant. c. de tranſitu canonicorum regularium ad monachos, vel e contra. 396. c. ad regimen Eccleſiæ. e. num religioſus factus Epiſcopus teneatur regulari obſervantia. 909. d. 1113. e. Antoninus quomodo ſe geſſerit. 1. t. XXXV. not. 2. XLVII. not. 13. quid de eo, qui factus eſt rector Eccleſiæ. 3. t. 910. d. de iis, qui curæ præficiendi ſunt. 923. c.
Religioſorum triplex genus. 3. t. 850. d. religioſus gravius peccat quam laicus. 860. d. de quibuſdam quaſi religioſis. 886. e. *Mendicantes* unde dicti. 888. c.
Religioſus quoad profeſſionem. V. *Profeſſio*. profeſſus in religione laxa ad quid teneatur. 894. d.
Religioſus quoad paupertatem 3. t. 848. e. cujus triplex gradus. 849. e. de paupertate ſervanda, ac proprietate vitanda a religioſis. 866. c. habere proprium eſt mortale. 867. a. diſpenſatio in proprietate non habet locum. b. ſuperfluitas contraria paupertati religioſæ. 869. b. ſalarium habere a communitate pro officiis magnus abuſus. ibid. paupertas religioſa Fratrum minorum quæ. 4. t. 637. c. 639. d. Apoſtolica paupertas omnia habebat in communi nihil in particulari proprio. 654. a. & ſeqq. religioſus quatenus peccet ludendo donando &c. 2. t. 359. a. recipiens aliquid a religioſo quando reſtituere debet. 373. b. de poſſeſſionibus in communi habitis quibus religionibus liceat. 3. t. 860. d. not. 9. notabile de vita communi. 1. t. 442. e. inducenda, & recipienda, ubi non eſt. 3. t. 869. c. Antoninus moniales ad vitam communem redegit. 1. t. XL. not. 11. V. *Dominium*, *Paupertas*, *Proprieta*, *Uſus*.
Religioſus quoad obedientiam, & de hoc voto. 3. t. 860. e. tripliciter agitur mortaliter contra obedientiam. 681. b. contemtus regulæ gravis qui dicatur. V. *Regula*. quid de iis, qui non voverunt ſervare regulam, ſed tantum obedire ſuperiori, num regulæ obligentur. 877. d.
Religioſus quoad votum caſtitatis. 3. t. 863. d. de occaſionibus a religioſo præcipue vitandis, & quæ. 865. a.
Religioſus quoad habitum. 3. t. 919. a. diſtinctus habitus profeſſorum & novitiorum. 890. a. de habitu non dimittendo. 903. c. quid de occultantibus habitum. ibid. excommunicatio contra dimittentes temere habitum. 1364. c.
Religioſi ejecti, vel fugitivi. 3. t. 900. a.
Religioſorum ſuperbia reprehenſa, & in quibus ſita. 2. t. 454. d.
Religioſis quid conveniat ſtudia litterarum tribus de cauſſis competunt. 3. t. 904. c. eleemoſynæ, & cur eis collatæ. 905. c. de mendicitate. 906. c. habere aliquid in communi non minuit perfectionem religionis. 848. e. de labore manuum. 906. e. quæ opera religioſis congruant. 907. e. de eſu carnium. 908. a. quæ officia vetita ſint religioſis. 909. b. diſciplina religioſorum quæ in converſando cum aliis, ambulando, ſtando &c. 916. d.
Religioſus quoad confeſſiones. V. *Confeſſarius quoad juriſdictionem*. excommunicatur religioſus uſurpans officium parochi. 3. t. 1366. b. quælibet facultas, vel gratia diſpenſandi ab irregularitate, impedimento occulto &c. commutandi vota, aut aliæ conceſſæ religioſo, aut alii *vivæ vocis oraculo*, vel *per reſcripta* a Clemente XII. ſublatæ fuerunt. 1. t. CCXXVIII.
Religioſus exemtus quatenus Epiſcopo diœceſano ſubſit quoad correctionem. 3. t. 384. not. 7. 921. not. 1. de exemtione religioſorum. 920. b.
Reliquiæ Sanctorum quæ venerationi exponendæ. 3. t. 540. d. eas vendere vel emere ſimonia eſt. 541. a.
Renuntiatio quid ſit. 2. t. 50. c. 3. t. 1059. c. ejus effectus. 2. t. 50. c. in beneficiis quomodo facienda. d. quando ſimoniaca. 51. a. etiam confidentiaria. V. *Simonia*. cauſſæ renuntiandi. 3. t. 1059. d. not. 2. renuntiantibus parochialia beneficia nullæ proviſiones ex beneficio renuntiato imponendæ per decretum Innocentii duodecimi. ibid. not. 1. quomodo renuntiatio fiat. 1060. d. quæ poſſunt renuntiari. 1061. e. quis renuntiare poſſit. 1062. b.

Repreſſaliæ. 3. t. 229. a.
Repudii libellus cur Hebræis permiſſus. 1. t. 758. c. 3. t. 683. b.
Reſcriptum. 1. t. 813. d. generale, & ſpeciale. 818. a. quid ſi dubium ſit. 814. e. & alia ibi de reſcriptorum mutatione, virtute &c.
Reſervatio. V. *Caſus reſervati*.
Reſidentia. 3. t. 818. a. not. 18. ex divini juris præcepto derivata a Tridentino. 1. t. 357. not. 3. exigit ex jure divino, ut paſtor per ſe miniſterium exerceat, non per vicarium curatum, niſi ex juſta cauſſa non poſſit. ibi. 2. t. 958. not. 2. 3. t. 823. not. 21. juſtæ cauſſæ abſentiæ eſſe debent. 1. t. 357. not. 3. quæ ſint. 3. t. 817. not. 18. juſta etiam requiritur in parochis & ab Epiſcopo probanda, ut vel per aliquos dies abeſſe poſſint. ibid. non eſt juſta cauſſa tempus peſtilentiæ, immo tum maxime reſidere debet etiam Epiſcopus. 1. t. 357. not. 3. quid de tempore perſecutionis. ibid. & 3. t. 1099. a. pœnæ in non reſidentes. 3. t. 818. a. & not. 18. non reſidens quomodo cogitur. 820. b. non diſpenſatur amplius a reſidentia cum parochis ob ſtudia. 808. not. 6.
Reſtitutio quinque ex capitibus debetur. 2. t. LXXXI. & tota Prælectio legenda. Varia crimina ad reſtitutionem obligantia. 343. e. & ſeqq. an & quando ex læſione juſtitiæ diſtributivæ reſtitutionis debitum urgeat. XCII. quando ob impeditum bonum alterius. XCVIII. 208. c. quando lucrum turpe reſtituendum. C. quid & quantum reſtituendum. 371. d. & ſeqq. ubi reſtitutio facienda. 377. a. potius per ſe, quam per alios reſtituendum. 380. d. neque enim liberatur, qui alii commiſit reſtitutionem, ſi is non reſtituat. 381. c. in dubio de furto majorum, aut de debito aliquo quid heredibus agendum. 382. d. quid reſtituendum cuique heredum, quum plures ſunt. 388. e. de modo, & ordine reſtituendi. 398. d. & ſeqq. num reſtituenda ſit res uti eſt, an ſecundum æſtimationem temporis, quo ablata fuit, an etiam ſecundum æſtimationem meliorem. 2. t. 203. a. & not. 6. num lucrum ex re furtiva perceptum ſit reſtituendum. 372. b. 373. b. not. 12. ementes de furto vel rapina quando ad reſtitutionem teneantur. 202. c. & ſeqq. num furi potius quam Domino reſtituenda ſit res. 204. a. & not. 7. quid quum neſcitur dominus, nec inveniri poteſt, ut in rebus inventis. 235. b. d. quid de theſauris. c. cooperantes furto vel rapinæ quatenus reſtitutioni obligentur. 2. t. 199. c. 372. c. tenetur quicumque eſt cauſſa efficax damni, & qui. LXXXIX. n. 1. & 2. quod verum eſt, etiam ſi nihil ad illum pervenit, & ſine eo damnum illatum fuiſſet. ibid. non obſtans qui ad reſtitutionem obligetur. 201. a. ſi unus e cooperatoribus in ſolidum reſtituat, quid alii debeant. 201. d. & not. 5. quid de comedentibus, vel dona accipientibus de rebus raptis &c. 205. d. de uxoribus furis. 206. b. & ſeqq. de tenentibus columbaria. 210. a. ſine reſtitutione peccatum non dimitti eſt regula juris, & explicatur. 1. t. 886. b.
Reſtitutionis dilatio quam pernicioſa. 2. t. 361. c. non ſufficit aliis reſtitutionem committere. 362. d. & ſeqq. inducentia ad reſtitutionem proponuntur. 364. a. V. *Damnum. Uſura quoad reſtitutionem. Lucrum turpe.* Pretium vel donum per fraudem acquiſita ſunt reſtituenda. 2. t. 384. d. reſtituenda a judicibus, teſtibus, notariis &c. 386. b.
de Remiſſione qualis eſſe debeat, ut a reſtitutione liberet. 2. t. 390. c. quando diſpenſatio locum habere poſſit, vel non poſſit in ſolis debitis, quorum creditores ignorantur. 396. e. utrum de incertis fieri poſſit compoſitio. 397. c. quando remitti poſſit de incertis debitori uti pauperi. 1148. c. quæ remiſſio incertorum, quorum ignoratur dominus, debitori, ſi pauper ſit, poſſit fieri. 409. c. de his qui non poſſunt reſtituere. 403. c. & ſeqq. 470. 415. c. Statim per ſe reſtituendum. 409. b. quibus in caſibus non ſtatim obligat reſtituendi præceptum. 412. b. 414. a.
Reſtitutio morituris facienda ante mortem, quum fieri poteſt, non per teſtamentum heredibus committenda. 2. t. 392. d. incertorum reſtitutio pauperibus, non ædificiis Eccleſiarum facienda. 3. t. 445. e. certis perſonis debita non ſunt in cauſſas pias impendenda, nec reſtituenda pauperibus. 2. t. 362. c.
Revelatio. num petere, ut quis revelet ſtatum ſuum poſt mortem, liceat. 1. t. 368. b.
Reus quando peccet. 2. t. 283. d.
Rixa. 2. t. 852. b. 853. d.

S

Sabbatum ſanctificare cur præceptum Hebræis fuerit. 1. t. 699. b.
Sacerdos, & ejus dignitas quam veneranda. 3. t. 669. a. ejus officia. b. vita & ſanctitas qualis eſſe debeat. 670. d.
Sacramentum quid ſit. 3. t. 685. a. d.
Sacramenta veteris legis quæ & qualia. 1. t. 736. b. 3. t. 691. d. ſacramentorum neceſſitas. e. diſcrimen ſacramentorum novæ & veteris legis. 3. t. 689. b. Chriſtus auctor ſacramentorum novæ legis. 692. e. cur inſtituta. 637. d. eorum effectus. 638. e. quomodo ſacramenta novæ legis gratiam cauſſent. 686. a. *ornatum* num imprimant, & quis hic ornatus. d. not. 1. 694. a. quæ ſacramenta neceſſaria. 2. t. 988. a. 3. t. 696. b. de charactere impreſſo a quibuſdam ſacramentis. 3. t. 693. c. de gratia uti effectu ſacramentorum. 695. b. de *opere operato*. 690. d. de miniſtro, V. *Miniſter ſacramentorum*. de intentione. V. *Intentio*. forma ſacramentorum quatenus mutari poſſit, ita ut ſacramentum ſit invalidum. 3. t. 709. d.
Sacramentum recipiens ex metu. 1. t. 250. c. vel cum voluntate renitente. ibid. not. 2. ſacramentorum ſimulatio illicita. 2. t. 1053. not. 9.
Sacrificia veteris legis. 1. t. 724. e. & ſeqq.
Sacrificium triplex. 3. t. 543. e. miſſæ ſacrificium. V. *Miſſa*.
Sacrilegium quid ſit. 2. t. 295. c. ſpecies ejus. 296. b. varia ſacrilegia. ibid. & ſeqq. in miniſtris ſacramentorum. 299. c. in furto quando ſacrilegium. 304. a. 347. d. eſt ſacrilegium non ſolum furtum rei ſacræ, ſed etiam furtum rei non ſacræ de loco ſacro. 2. t. 198. a. ſacrilegium in luxuriæ materia. 687. d. per totum caput. ſacrilegium in ſuſcipientibus, vel exercentibus ordines in mortali. 3. t. 750. e. 1101. d.
Sacriſta. 3. t. 1075. e.
Sancti & de eorum beatitudine. V. *Beatitudo*. orationes Sanctorum nobis proſunt. 3. t. 1499. d.
Sanctitas inſignis ab Antonino agnita in pauperculo cerdone. 1. t. LIX. not. 9.
Sapientia terrena animalis. 2. t. 737. b. 4. t. 506. d. ſapientia communis bonis & malis, atque naturalis. 507. b. vera bonorum atque Sanctorum ſapientia Spiritus Sancti donum. 508. e. ſeptem effectus hujus ſapientiæ. 511. c.
Sartorum vitia. 3. t. 314. c.
Satisfactio & ejus opera quæ ſint. 3. t. 795. b. & ſeqq. quæ ſint magis ſatisfactoria. 803. a. quæ injungenda a confeſſariis. 974. a. not. 1. conſulendi canones pœnitentiales, & cur. 981. c. jejunio in ſatisfactionem injuncto non ſatisfit per jejunium alias, vel præcepto Eccleſiaſtico debitum.

tum. 797. c. e.
Satisfactio in peccato nec pro se, nec pro aliis valet. 1. t. 540. b. 3. t. 798. b. num satisfiat in peccato pœnitentiæ a confessario injunctæ. 799. c. not. 4. vi communionis Sanctorum unus pro alio satisfacere potest. 1. t. CXCI. num. 8. exempla antiqua hujus satisfactionis. CXCII. n. 9. & hæc satisfactio non apud Ecclesiam solum, sed & apud Deum utilis. CXCIV. num. 10.
Satisdator. V. *Fideijussor*.
Scandalum damnum animarum. 2. t. c. 353. c. 365. d. definitur. 823. d. triplex scandalum activum & quale peccatum. 826. d. passivum, & quale. 828. d. occasionativum. 830. e. quæ dimittenda vel non dimittenda ob aliorum scandalum vitandum. CXV. §. 2. 832. d. distinctio inter scandalum pusillorum & Pharisæorum. CXVIII. n. 5. quæ pœnitentia pro scandalo publico danda. 2. t. 367. not. 3. licet uti aliquando mala voluntate alterius in bonum, non autem ei voluntati aliquatenus licet cooperari. 309. not. 1. num dare alicui liceat res de re indifferentes, queis prævidetur abusurus ad malum. CXII. §. 1. quid de muliere, quæ videt aliquem provocari suo ornatu ceteroquin non inordinato, num peccet, si se ornatam illi offerat. 597. not. 4.
Schisma quid sit. 2. t. 525. c. quis schismaticus. d. quam grave peccatum. e schismaticorum pœnæ. 528. a. de schismate, quo duo, vel plures se gerunt pro Papa, & quid agendum eo tempore. 530. e. & seqq.
Scholasticæ contentiones reprehensæ. 2. t. 632. b.
Scientia donum Spiritus Sancti quæ, & ad quod se extendat. 4. t. 1269. b. & seqq.
Scientia theoretica, & ejus divisio. 1. t. 31. b. practica, & ejus divisio. 32. c. scientia, sapientia, & intellectus quatenus differant. 4. t. 11. b. 29. a. de scientia & modo ejus acquirendæ. 3. t. 233. b. & fuse per totum caput. quarum rerum scientia a quovis quærenda. 236. e. sacerdotibus & prælatis quam necessaria. 237. a. quæ studia excolenda ad Theologicam scientiam comparandam. 239. e.
Scientiæ non possunt vendi. 2. t. II. §. 13. quando locatio operum in iis tradendis locum habeat. ibid. de exactione pro tradendis scientiis, num, & quatenus liceat. 3. t. 244. d. & seqq. not. 1. de licentia docendi scientias pro pretio, num simoniaca. 245. e.
Scriptura Sacra locutio Dei. 1. t. 137. d. de Sacræ Scripturæ auctoritate, & præstantia. 4. t. 549. a. & seqq. necessitas ejus. 554. b. humilitas requiritur ad notitiam Sacræ Scripturæ. 553. c. de quadruplici sensu Scripturæ. 560. c. regulæ septem ad intelligendam Scripturam Sacram. 562. c. de utilitatibus Sacræ Scripturæ. 550. b. 552. b. 564. d.
Scrupulus quid sit. 1. t. 193. c. e. ejus causæ. 194. b. remedia. e. & seqq. scrupuli abjiciendi. XCIX. C. CIX. CX. CXVI.
Secretum revelare illicitum. 2. t. 310. a. aliquando manifestandum, & quando. ibid. b.
Seditio. V. *Discordia*.
Senex quoad jejunium. V. *Jejunium*.
Sensales. V. *Proxenetæ*.
Sensus exteriores quinque. 1. t. 71. b. mala quæ per singulos ipsorum fiunt. 73. e. & seqq. de sensuum custodia. 76. e. sensus interiores. 87. b.
Sententia, & modus ejus ferendæ. 3. t. 422. b. interlocutoria sententia. ibid. sententia præcepti. e. definitiva. c. quomodo ferenda. 424. a. V. *Judex*. effectus sententiæ. 424. d. quattuor modis sublevatur. 425. c.
Septuagesima. 1. t. 389. d.
Sepultura, & cura, ac utilitas ejus in loco sacro. 3. t. 447. a. quando circa sepulturam simonia committatur. V. *Simonia in sepultura*. de jure sepulturæ & aliis ad sepulturam pertinentibus 472. b. per totum caput. qui sacra sepultura privandi. 479. b. quid in dubio. 480. c. pœnæ sepelientium interdictos sepultura sacra. ibi. b.
Servitus, & ejus contrahendæ triplex modus. 3. t. 197. a. officia servorum in dominos. 200. d. libertatis consequendæ modi. 201. e.
Sigillum. V. *Confessarius quoad sigillum*.
Simonia definitur. 2. t. 31. b. 38. b. unde illicita. 31. c. I. §. 2. quomodo dicatur hæresis. 38. a. quando proprie sit talis. 30. c. ejus subjectum spiritualia & spiritualibus annexa. 32. b. 38. c. 1. §. 3. num pro corporali labore aliquid exigere simonia sit. 111. §. 4. de triplici munere, quo simonia contrahitur, a lingua, ab obsequio, a manu. 33. c. de precibus pro se. 34. b. 40. d. & not. 3. pro alio. 34. b. 42. a. de precibus spiritualibus justis. 43. e. de obsequio inducente simoniam. ibid. de iis, qui serviunt Prælatis ob beneficia consequenda. 34. b. not. 4. monitio necessaria iis, qui quempiam Prælatis commendant. 33. not. 2. remittere aliquid, liberare a servitio &c. inducit simoniam, perinde ac aliquid dare. 43. a. quibus casibus dari possit pecunia sine simonia. 35. a. & seqq. temporale citra simoniam nequit esse finis sacrarum actionum proprius, nec principalis. XI. §. 12. & seqq. quatenus finis ejusmodi venales faciat actiones sacras. XII. signa finis principalis. XV. n. 2. temporale potest esse finis solum secundarius & improprius. XIV. §. 15. XVI. §. 18. XVII. §. 19. ubi quattuor conditiones, & duo casus practici explicantur. quomodo temporale possit, vel non possit esse motivum in spiritualibus. XX. §. 21. & seqq. V. *Motivum*. de iis, qui dant temporalia pro spiritualibus. XXIII. §. 26. quare sit contra justitiam accipere temporale in beneficiis, etiamsi pro temporalibus reditibus beneficii, non pro spirituali accipiatur. IV. §. 5. quis *principaliter* faciat aliquid temporale ob spirituale, vel e contra. 34. not. 4. V. *Finis*. In dispensatione spiritualium quum temporalia recipiuntur, quæ requirantur, ut simonia evitetur. 46. c. in nonnullis vetitum accipere etiam sponte oblata. XXIII. §. 27. quatenus in conferendo beneficia propter consanguinitatem committatur simonia. 46. b. de simonia a tertio patrata, vel per mediatorem. 48. e. 49. not. 12. & 13.
Simonia mentalis. 2. t. 43. c. 51. a. & not. 14. 16. 58. b.
Simonia confidentialis. 2. t. XXIV. §. 28.
Simoniæ species variæ. 2. t. 350. c.
Simonia in permutationibus. 2. t. 47. c. & not. 11.
in transactionibus. 50. b.
in renuntiatione. 51. a.
in ordine & beneficiis. 52. c. 58. c. 67. d. 3. t. 1101. c. 1104. b. quid de notariis. 2. t. 59. a. 3. t. 1101. c. excommunicatio ob ejusmodi simoniam. 1377.
in redemtione vexationis. 2. t. 53. c.
in locatione & conductione beneficiorum, reddituum &c. 54. c.
in contractibus comprehensis nomine emtionis & venditionis. 56. a.
in sacramentis. c. quid de matrimonio respectu dotis. ibid.
in sacrificio missæ. 57. c.
in absolutione ab excommunicatione &c. 58. b.
in sacramentalibus. 59. d.
in prophetando. 60. a.
in oratione. ibid.

in horis canonicis & choro. b.
in prædicatione. c.
in diſpenſationibus, pœnis &c. e. & de pœnis inflictis ſimoniaco confer. XXIV.
in judicando, 61. a. quid de advocatis, c.
in tradenda doctrina. c.
in ingreſſu religionis. 62. b. 66. e. quid de dote monialium. 63. not. 12. 1. t. CCXXIII. excommunicatio in hac ſimonia. 3. t. 1377. d.
in ingreſſu confraternitatis. 66. c.
in officiis Eccleſiaſticis. 69. c.
in ſepultura. 70. d.
in exſequiis. 71. a.
in proceſſionibus. b.
in venditione vaſorum, & veſtium ſacrarum, c.
in jurepatronatu. e. 72. b.
in obtinenda gratia, vel juſtitia apud Curiam. 3. t. 1375. e.

Simulatio virtutis. V. *Hypocriſis*. ſimulatio quadruplex. 2. t. 1044. b. ſimulatio ſacramentorum illicita. 2053. not. 9.

Singularitas ſuperbiæ filia. 2. t. 447. e.

Societas eſt jus fraternitatis, quo damna & lucra inter ſocios communia ſunt. 2. t. 114. a. LIX. ſocietatis contractui num addi poſſit contractus aſſecurationis minoris lucri pro majori, quod ſperatur. 2. t. LIX. citra uſuram addi nequit aſſecuratio capitalis. ibid. hinc contractus trium contractuum illicitus, & uſurarius. ibid. V. *Uſura in contractu trium contractuum*. In ſocietate ſeu in negotiatione jus lucri percipiendi titulo capitalis eſt ſolum periculum aleæ, cui capitale exponitur. XXXIX. n. 12. pecunia per ſe ſterilis, ſolo hoc periculo fructificat. ibid. V. *Periculum*. quæ ſocietates animalium, vulgo *ſoccede*, uſurariæ. 115. b. & ſeqq. quid in dubio, num ex incuria, an fortuito caſu animalia detrimentum ceperint. 119. not. 37.

Sodomia. 1. t. 712. c. 2. t. 653. not. 1. 668. a. & ſeqq. cum uxore eſt exſecrabilis. 1. t. 712. e.

Sollicitatio, & decreta, ac propoſitiones damnatæ circa illam. 2. t. 697. not. 1. de obligatione denuntiandi ſollicitantem. ibid.

Solliçitudo circa temporalia reprehenditur. 2. t. 337. b. per totum caput.

Somnium, ac variæ eorum cauſſæ, & modi. 1. t. 93. a. & ſeqq. cur aliquibus ſomnia contingant, aliis non. 95. d. ſomnium quando poſſit eſſe cum peccato. 96. c. ſomniis non adhibenda fides. d. divinatio per ſomnia. 2. t. 1139. b.

Somnus & ejus cauſſæ. 1. t. 97. e. cur mors juſtorum ſomnus appelletur. 99. b. ſomnus ligat ſenſus. 209. e. vitioſus ſomnus. 2. t. 940. c.

Sortes & ſortilegia. 2. t. 1141. c.

Spectaculum. V. *Theatra*.

Spes uti paſſio, ejus cauſſæ, ſpecies &c. 1. t. 476. a. per totum caput. ſpes Theologica virtus, actus, & utilitates ejus. 4. t. 358. b. & ſeqq. 366. e. rationes ſperandi. 368. d. etiam a peccatoribus ſperandum. 372. b. agere bonum ob intentionem & ſpem retributionis principaliter, & non ob Deum, quatenus ſit amor mercenarius. 1. t. 264. d. utrum liceat in aliqua creatura ſperare. 4. t. 367. d.

Spiritus Sancti fructus duodecim. 4. t. 289. e. dona ejus ſeptem. 495. b.

Sponſalia, & earum obligatio. 3. t. 65. b. eorum contrahendorum ætas. d. modi contrahendi ſponſalia. 68. d. olim contracta in facie Eccleſiæ. ibi. ſponſalia contracta ſub conditione quando æquivaleant abſolutis. 37. not. 3. de pœna adjecta in ſponſalibus. 66. e. de eorum diſſolutione. 68. b. num votum ſimplex impediat, vel diſſolvat ſponſalia. 69. b. ſponſalia ſimulata, præſertim jurata, quatenus obligent. 2. t. 683. not. 1.

Spurii ſunt irregulares. 3. t. 1464. b. de mittentibus ſpurios ad hoſpitalia, & eorum obligatione. V. *Pater*.

Stella Magis viſa in ortu Chriſti. 2. t. 1194. a. ſtellæ erraticæ, 1190. c. ſtellæ cometæ. 1189. c. V. *Aſtrologia*.

Stipendium ſacris miniſtris quo jure debetur. V. *Miniſterii ſacri* &c. propoſitiones damnatæ circa ſtipendium miſſæ explicantur. 2. t. LXXXV. §. 6. Benedicti. XIV. decretum contra laicos, vel clericos quoſcumque, qui acceptis ſtipendiis pro regione congruis, mittunt alio ſtipendia minora, quæ pro illarum regionum conſuetudine congrua habentur. 1. t. CCXXIII.

Stratagema militare. 2. t. 1044. not. 2. V. *Bellum*.

Studium quid ſit, & quatenus excolendum. 4. t. 167. c. ejus neceſſitas & utilitas. 3. t. 240. c. V. *Scientia*. ſæcularibus litteris quatenus ſtudere liceat. 2. t. 495. e. & ſeqq. 497. e.

Stultitia ſpiritualium quæ. 2. t. 736. a. mundanorum dicta prudentia & ſapientia. 737. a. viginti ſpecies ſtultitiæ. 738. a.

Stuprum. 2. t. 682. b. ad quid tenetur ſtuprator. e.

Subdiaconus, & ejus ordo. 3. t. 746. c. de titulo beneficii vel patrimonii requiſito ad ſubdiaconatum. d. quatenus patrimonii titulus admittendus. ibi. not 4.

Suffragia Eccleſiæ. 1. t. 538. b. quattuor ſuffragiorum genera. 3. t. 1617. d. quatenus animabus mortuorum proſint. 1. t. 592. b. quibus proſint, vel non. 3. t. 1618. a. num proſint iis, pro quibus non fiunt. 1621. b. quomodo pro pluribus valeant. ibi. quid de miniſtrorum malorum ſuffragiis. 1. t. 592. c. 4. t. 843. d. contra negligentes ſuffragia & legata. 843. e.

Superbia quid, & quale peccatum ſit. 2. t. 418. d. & ſeqq. de ſpeciebus ſuperbiæ. 430. c. Luciferi peccatum fuit ſuperbia. 424. e. 431. e. item & priorum parentum. 426. c. de duodecim ſuperbiæ gradibus. 446. a. remedia hujus vitii. 439. e.

Superbia in variis hominum gradibus, prælatis, religioſis, clericis, prædicatoribus, doctis, confeſſariis, nobilibus &c. 2. t. 452. c. & ſeqq. V. *Ambitio*.

Superfluum pauperibus debetur. V. *Eleemoſyna*.

Superſtitio. 2. t. 1133. e. triplex ejus genus. 1134. e. de auguriis. 1140. b. ſortilegiis. 1141. c. arte notoria. 1142. d. incantationibus. 1143. b. de brevibus & adjurationibus. 1144. c. de obſervatione dierum ac temporum. 1145. a. gravitas ſuperſtitionis. 1182. c. contra admittentes fortunam. 1183. b. V. *Divinatio*. *Aſtrologia*.

Suſpenſio quid ſit. 3. t. 1435. e. triplex ſuſpenſio, quoad ſe; quoad alios, ſed non quoad ſe; & tum quoad ſe tum quoad alios. 1436. d. hæc tertia proprie dicta quibus caſibus incurritur. 1437. e. 1439. d. 1440. d. & ſeqq. utrum ſuſpenſus ab officio ſit etiam ſuſpenſus a beneficio 1444. e. quis poſſit abſolvere a ſuſpenſione. 1446. d.

Suſpicio mali unde proveniat. 2. t. 500. c. triplex ſuſpicio. 502. d. in quibus liceat ſuſpicari & judicare. 501. a. quando eſt peccatum mortale. c. ex ſuſpicioſis indiciis non judicandum. 502. e. dubia de proximo in bonum accipienda. 504. b.

Suſſurratio, & quale peccatum. 2. t. 901. d. 906. e.

Symbolum fidei triplex, Apoſtolicum, Nicænum, & Athanaſianum. 4. t. 457. e.

Syneſis quæ ſit. 1. t. 161. b. 4. t. 68. b. peccare nequit. 1. t. 167. e. an poſſit exſtingui. 168. a. manet in damnatis. d.

Synodi, conſtitutiones, & epiſtolæ paſtorales Epiſcoporum præſtituentes principia decidendorum caſuum conſcientiæ contraria principiis probabiliſmi.

biliſmi, 1. t. CLXXI. num. 23. & ſeqq.
ex S. Carolo poſt an. 1580. CLXXII. num. 24.
ex ſynodo Aquinat. an. 1581. confirmata an. 1721. CLXXIII. num. 25.
ex ſynodo Sabinenſi an. 1594. ibi. num. 26.
ex duabus Tarviſinis an. 1601. & 1642. CLXXIV. num. 27.
ex Arimineníi an. 1624. ibi. num. 28.
ex duabus Patavinis an. 1624. & 1647. ibid. num. 29.
ex duabus Bergomenſibus an. 1628. & 1636. confirmatis an. 1735. CLXXV. num. 30.
ex Epiſcopis Galliæ & Belgii. ibi. num. 31.
ex duabus ſynodis Tarviſinis an. 1661. & 1670. ibi. num. 32.
ex conſtitutionibus S. Fraciſci Saleſii editis & auctis ab Epiſcopo Genevenſi. ibi. num. 33.
ex Cardinali Bellarmino. CLXXVI. num. 33.
ex conſtitutionibus Volateranis an. 1684. ibi num. 34.
ex celebri ſynodo Farfenſi an. 1685. habita a Cardinali Carolo Barberino, cui interfuere duo alii Epiſcopi, ſedulamque operam & directionem præbuit Franciſcus Albanus, poſtea Clemens. XI. ibidem. num. 35.
ex ſynodo Albanenſi Cardin. Chiſii an. 1687. ibidem, num. 36.
ex decreto Tarviſini Epiſcopi an. 1690. CLXXVII. num. 37.
ex ſynodo Card. M. Antonii Barbadici an. 1692. ibidem num. 38.
ex provinciali Synodo Beneventana an. 1693. ibi. num. 39.
ex inſtructione Card. Denoff Epiſcopi Cæſenatis an. 1697. ibi. num. 40.
ex ſynodo Card. Cybo an. 1698. CLXXVIII. num. 41.
ex conventu Gallicano an. 1700. ib. n. 42.
ex Epiſcopis Hiſpaniæ an. 1717. CLXXIX. num. 43.
ex noviſſimo Romano Concilio an. 1725. CLXXX. num. 44.
ex aliis Epiſcopis poſt Concilium Romanum. CLXXXI. num. 45.
quanti habenda ſit horum auctoritas contra probabiliſmum. CLXXXII. num. 46.

T

TAbellio. V. *Notarius*.
Tactus turpis. 2. t. 646. e. V. *Oſcula*.
Temperantia. 1. t. 33. d. definitur. 4. t. 107. b. partes ejus. c. officium. e. materia circa quam verſatur. a.
Templum Salomonis quale. 1. t. 728. b. V. *Eccleſia*.
Tentationes in morte quam magnæ. 1. t. 369. a. 508. b. de tentationibus mundi, carnis, & diaboli. 490. e. per totum caput. pugna inter carnem & ſpiritum. 1. t. 241. a. tentationes ſex explicatæ. 4. t. 692. e. variæ tentationes in variis hominum generibus. 697. a. decem tentationum modi. 700. a. quomodo Deus homines tentet. 1. t. 499. d. quomodo e contra homo Deum tentet. 550. b. 2. t. 520. a. & ſeqq. remedia contra tentationes. 4. t. 709. c. remedium contra tentationem importunarum cogitationum, quæ deſideria conditionata mala præferre videntur, vel caſum repræſentant difficilem, in quo quis ſe conſenſurum in malum metuit. 1. t. 568. not. 3. tentationum utilitates. 4. t. 713. d. de contemnendis tentationibus, quæ carnem affligunt, ipſorum timore, & ipſa morte. 746.
Tepidi qui, & quam in malo ſtatu. 2. t. 945. e.
Teſtamentum quomodo condendum circa heredes, legata, & alia. 3. t. 445. & ſeqq. V. *Legatum*, num privare liceat filios ob inſtituendam Eccleſiam. 446. a. 452. a. & not. 1. de teſtamento, & exſecutoribus teſtamentariis. 451. c. per totum caput, de exſecutione teſtamenti & quis ad eam cogere poſſit. 455. a. pœna non exſequentibus teſtamentum apponenda circa cauſſas pias. 445. d. 456. e. de dilata exſecutione teſtamentorum ad pias cauſſas quæſtiones aliquot. 467. a. de ſubſtitutione heredis. 463. d. de ordine ſolvendi creditoribus ac legatariis. 465. b. quis poſſit, vel non poſſit teſtari. 466. d. de teſtibus requiſitis ad teſtamentum. 469. c. de teſtamento coram parocho. 457. d.
Teſtimonium falſum quam malum. 1. t. 717. b.
Teſtis, ac de teſtium conditionibus, examine &c. 3. t. 413. a. quando peccat in judiciis. 2. t. 285. b.
Theatra num illicita, quæſtio fuſe agitata. 2. t. 491. a. not. 2. CXX. §. 3. not. 1. V. *Scandalum*.
Theologia quid tractet. 1. t. 31. b. de Theologiæ ſtudio, ac magiſterio. 3. t. 239. e. de magiſtris Theologiæ apud religioſos. 247. d. num præſtet docere Theologiam, an inſiſtere curæ animarum. 242. e.
Theologiæ moralis præſtantia. 1. t. I. quam miſere derelicta fere a præſtantioribus. ibid. unde ejus corruptio. II. quæ olim eſſet, & cur purior. III. origo hujus ſtudii ad methodum recentiorem exacti. IV. qua ratione ab antiquis & ab Antonino lucubratum corpus Theologicum. ibid. & ſeqq. in Theologia morali quanta decidendi difficultas, atque periculum. XCI. V. *Deciſiones*. non alia eſſe deberet doctrina Theologica in praxi, ac doctrina concionum, ſicut apud antiquos alia non fuit. CXXIX. n. 34. hodie alia eſt in nonnullis, & cur. CXXVIII. n. 33. potius ad concionum, quam ad ejuſmodi Theologorum normam vita Chriſtiana componenda eſt, & cur. CXXX. n. 35. 36.
Theſaurarius, & ejus officium. 3. t. 1076. a.
Timor uti paſſio, ejus ſpecies, & effectus. 1. t. 483. d. per totum caput. timor Spiritus Sancti donum. 4. t. 727. b. initialis timor. 793. e. filialis, & caſtus. 893. b. reverentialis Dei timor, & cauſſæ. 898. d. pœnarum timor bonus eſt per ſe. 1. t. 189. a. 4. t. 756. c. etiam ſine caritate. 4. t. 300. not. 1. at ad ſalutem & pœnitentiam non ſufficit. 1. t. 189. a. 203. c. 901. b. V. *Dolor de peccatis*.
Timor mundanus, & de temporalium amiſſione non timenda. 4. t. 730. e. timor carnalis, ſeu eorum, quæ carnem affligunt, timor vincendus. 739. c. timor naturalis, & dirigendus. 745. c. ſervilis. 756. b.
P. Thyſus Gonzalez Soc. Jeſu ſcripſit contra probabiliſmum hortante, & inſtante Innocentio XI. Pontifice. 1. t. CLXVI.
Tonſura non eſt ordo. 3. t. 742. d. explicatur quid conferat. ibid.
Tranſactio quid ſit. 2. t. 49. d.
Tribulationes quam utiles. 4. t. 100. a. cur juſtis obveniant. 94. a. ferendæ patienter, & cur. V. *Patientia*. V. *Tentationes*. de cauſſis flagellorum Dei atque tribulationum. 3. t. 1471. c.
Tributa juſta fraudare peccatum, eſt & reſtitutionis obligatio. 2. t. 210. not. 1. 213. c. & ſeqq. 221. d. 3. t. 316. c. de tributorum ratione. 2. t. 210. c. per totum caput. injuſta tributa ad rapinam pertinent. 2. t. 195. e. 211. c. reſtituenda. 344. d.
Trinitas. V. *Deus*.
Triſtitia uti paſſio. 1. t. 470. b. per totum caput. triſtari de bono alterius ob aliquod temporale emolumentum non licet. 2. t. CXXXII. §. 7. 871. b. not. 1. 912. e.

Tu-

Tutores ab uſura non excuſantur, quod pecuniæ ſint pupillorum. 2. t. 82. b. 146. b.

V

Vanagloria. V. *Inanis gloria.*
Vectigalia. V. *Tributa.*
Venditio. V. *Emtio. Mercator. Negotiatio. Fraus.* eum vendens alienam rem majori pretio, poſſit ſibi aliquid retinere. 3. t. 305. c. vendere plus juſto pretio ob dilatam ſolutionem illicitum. 310. c. vendens plus juſto pretio ob ignorantiam ad quid tenetur. 2. t. 256. e. quid ſi emens exceſſum ſciverit. ibi. & not. 4. num defectus rei manifeſtandus ſit. 265. c. num indemnitatis vel compenſationis gratia minui poſſit menſura. 265. a. not. 3.
Verba turpia. 2. t. 645. e. otioſa. 778. e. multiloquium. c. ſcurilitas. 779. c.
Verecundia definitur. 4. t. 108. c. & ſeqq. ubi de hac virtute plura. in quibus verecundiæ vitium eſt vitandum. 111. b.
Veritas. 4. t. 243. a. de triplici veritate, vitæ, doctrinæ, & juſtitiæ. 244. c. veritatis fructus. 247. c.
Viaticum jure divino ſumendum ante mortem. 3. t. 988. c. non exigit jejunium in periculo. 620. d.
Vicarius Epiſcopi & ejus officium. 3. t. 1078. c. 1079. d. 1107. d. vicarius unus, vel plures inſtitui ab Epiſcopo poſſunt. 1107. d. rectorum Eccleſiæ, ſeu parochorum. 1081. a. de vicaria in beneficiis ſeu Eccleſiis. d.
Viduitas, & ejus caſtitas. 4. t. 146. b. 3. t. 163. c. de ſtatu viduali: ejus commendatio atque vitæ vidualis inſtitutio. 3. t. 159. b.
Vindicta ex injuria accepta odium excitat. 2. t. 886. d. incitat ad appetendum malum proximo. 888. c. dupliciter infertur injuria a vindicativis. 890. e. etiam in judicio per ſe juſto, ſi quis odio, vel paſſione vindictæ moveatur ad aliquem vere reum condemnandum, vindictæ peccatum locum habet. 3. t. 331. d. V. *Odium.* injuriæ remittendæ. 2. t. 888. c. de ſignis amoris exhibendis. 891. a. not. 3. & ſeqq.
Vindicatio, ſeu juſtitia vindicativa, quatenus ſit virtus. 4. t. 230. b. quatenus debita. 232. a.
Violentia non cadit in actus proprios voluntatis. 1. t. 247. a. quæ vis tollat, vel non tollat voluntarium. 249. c. V. *Metus.* vis abſoluta, & conditionata. 249. c. d.
Virginitas, & virginalis caſtitas commendata. 3. t. 133. d. per totum caput. 4. t. 147. d. 149. e. 152. d. 158. b. & ſeqq. non eſt in præcepto, ſed in conſilio. 151. d. quomodo coronatur. 154. c. quibus modis poſſidetur. 158. d. quatenus amittitur, vel non. 159. e. corruptio involuntaria eam non lædit. 3. t. 141. c. triplex virginitatis modus. 143. a. inſtructio ad virgines, & cautiones ab iis adhibendæ. 145. d. & ſeqq. per totum caput.
Virginum conſecratio, & de earum vita inſtituenda. 3. t. 142. c.
Virtus definitur. 4. t. 5. a. virtutum diviſio. 7. b. naturales, c. acquiſitæ. 8. a. infuſæ. e. morales & intellectuales. 9. b. intellectuales recenſentur. 10. d. morales quæ. 13. c. cardinales. 14. b. ad quid ordinatæ. 27. c. Theologicæ. 17. d. ad quid ordinatæ. 27. e. de acquiſitione virtutum. 19. a. quomodo virtus dicatur conſiſtere in medio. e. effectus virtutum. 21. b. quare inæquales ſint virtutum gradus in uno quam in alio. 23. b. quæ virtutes ſint connexæ, & quomodo. 25. a. de virtutum duratione. 26. c.
Viſio, & quomodo fiat. 1. t. 72. a. quæ mala ex viſu fiant. 73. c. viſiones imaginariæ. 90. e. viſio Dei clara & eſſentialis. 156. d. explicatur. ibid. & ſeqq.
Viſitatio diœceſeos, ab Epiſcopis præſtanda. 3. t. 1107. c. not. 19. ejus modus. 1130. e. & ſeqq. 1140. a. & ſeqq. de procuratione in viſitatione. 1136. e. cur. 1148. e. & not. 1. & notetur quod traditur pro pauperibus Eccleſiis. 1139. d. in viſitatione nihil neque ſponte oblatum recipere licet. 2. t. XXIII. §. 17. Antoninus per ſe, non per vicarios viſitavit. 1. t. XLII. not. 14. modici ſumtus faciendi. ibid. viſitationes variorum, & quæ in ſingulis quærenda, 1140. e.
Viſitatio ſacrorum liminum ab Epiſcopis præſtanda, & de ratione ſtatus diœceſeos exhibenda. 3. t. 1107. c. not. 18.
Viſus turpis, vel periculoſus. V. *Aſpectus.*
Vita activa, & contemplativa. 4. t. 34. c. 513. e. de vita contemplativa & ejus præſtantia. 3. t. 937. c. 4. t. 513. e. 416. e. de iis, quæ ad vitam contemplativam pertinent. 518. d. de raptu & exceſſu mentis. 523. e. de mentis elevatione. 420. e. media ad contemplationem. 419. b. tria vitæ contemplativæ opera. 1246. a. quomodo vacandum contemplationi & ſpeculationi Dei. 1. t. 130. a.
Vitium capitale quod dicatur. 2. t. 14. c.
Ultio. V. *Vindicta.*
Unctio triplex. 3. t. 674. a.
Unctionis externæ ſacramentum. 3. t. 642. d. 675. a.
Unio amantium Deum in triplici ſtatu. 1. t. 436. a. d.
Voluntas quatenus nobilior intellectu. 1. t. 219. b. quomodo intellectum movet. 221. a. numquid ex neceſſitate velit. d. 256. e. V. *Libertas.* V. *Violentia.* actus voluntatis elicitus & imperatus. 247. a. de voluntatis actu in finem. 251. e. a quibus, & quomodo voluntas movetur. 253. d.
Voluntarii actus qui. 1. t. 244. e. imperfectum voluntarium in pueris quatenus ſit. 245. d. directe, & indirecte voluntarium. 246. c. voluntarium interpretativum. 566. d. not. 1. quæ voluntarium tollant, vel minuant. 246. e. & ſeqq.
Votum definitur. 2. t. 1107. c. 1113. d. eſt promiſſio Deo facta principaliter & finaliter, licet in manu hominis aliquando, vel in Sanctorum obſequium fiat. 1115. c. obligat. a. melius agere ex voto, quam ſine voto. d. 1120. d. 4. t. 615. d. transgreſſio voti peccaminoſa. 2. t. 1109. c. 1119. b. toties quoties violatur. c. citius implenda vota. 2. t. 1027. c. 1118. c. 1122. c. tempore ſtatuto. 1109. e. & perfecte. 1110. b. in dubio, num quis votum poſſit implere, vel num melius ſit implere, an non implere, quid agendum. 1122. a. 1134. b. 1128. not. 33. quid in pugna duorum votorum. 1133. a. vota vana, ſtulta. 2. t. 1111. a. 1121. d. de re illicita. 1114. e. 1121. c. 4. t. 662. c. de re minus bona. 3. t. 1114. e. votum in ira vel ebrietate. 1116. a.
Vota eorum, qui alteri ſubſunt, quatenus teneant, vel irritari poſſint. 2. t. 1123. b. & ſeqq. de votis impuberum. c. not. 18. ac præſertim. 1. t. CCXXV.
Votum continentiæ ordini ſacro adnexum. 3. t. 35. d. & not. 1. de impedientibus a vovendo & intrando religionem. 2. t. 1116. c. not. 4. promiſſiones in baptiſmo num ſint vota. 1117. b. vota pro aliis, ſeu de aliis facta ſine ipſorum conſenſu. d. 1122. c. & ſeqq. de juſta cauſſa ad diſpenſandum requiſita. 1125. not. 22. votum ſolemne. 1118. a. ſimplex. ibid. conditionatum, & abſolutum. b. num heres teneatur votis

votis defuncti. 122. d.
Vota conjugatorum quæ & quatenus teneant. 3. t. 107. b.
Votorum irritatio, vel diſpenſatio. 2. t. 1125. c. 1127. c. commutatio. 1126. b.
Uſucapio. 2. t. 242. c.
Uſura. 1. t. 714. b. definitur. 2. t. 74. d. 85. e. XXVIII. §. 4. quam late mundum occupet. 73. c. 74. a. 83. b. quodlibet lucrum etiam minimum ſupra ſortem eſt uſura. ibid. eſt jure divino vetita. 77. e. XXXI. §. 5. etiam jure naturali. 75. d. XXXV. §. 7. uſurariorum rationes exploſæ. 77. a. hæreticorum uſuræ patrocinantium unicum fundamentum. XLI. n. 14. evertitur. XLII. n. 15. uſura adverſatur juſtitiæ, ac idcirco reſtituenda. XXXIV. §. 6. rationes naturales injuſtitiæ etiam a Paganis & jureconſultis Romanis agnitæ. XXXVI. n. 3. XXXVII. n. 5. & ſeqq. leges civiles & canonicæ contra uſuram. 78. e. 79. c. Judæis quomodo permiſſæ uſuræ cum peregrinis. 78. c. 88. b. & not. 4. & 5. leges nullæ civiles poſſunt eas facere licitas. 86. a. aliquæ illas tolerarunt ut minus malum. 70. c. XLVIII. n. 2. hoc ſenſu ſolum explicandum, quod traditur. 3. t. 192. d. pertinaciter aſſerentes uſuram licitam uti hæretici habendi. 2. t. 80. b.
Uſura nullo caſu licita. 2. t. 89. d. etiamſi contrahatur cum eo, qui pauper non eſt. XLIV. §. 8. nulla privata, vel publica neceſſitas eam purgat. XLV. §. 9. neceſſitas mutuum poſtulat, non uſuram. ibid. aliis juſtis contractibus ſuccurri neceſſitatibus poteſt cum juſto lucro citra uſuram. XLVI. n. 4. exceptio in caſibus debitæ eleemoſynæ vel mutui. XLIX. §. 12. & 13. Antoninus Archiepiſcopum agens Florentiæ uſuras tollendas curavit. 1. t. XLI.
Uſura contrahitur in mutuo ſive explicito, ſive implicito. 2. t. 86. a. etiam ſola intentione committi poteſt. c. 87. b. 110. b. XXIX. n. 3. etiam in receptione donorum, & quando. 92. a. 93. not. 10. XLVII. §. 11. ſi donum bona fide acceptum ut gratuitum, detegatur poſtea non gratuitum fuiſſe, quid fiet. 91. not. 9. num uſura mentalis reſtituenda. 111. b. not. 31. & 32. quælibet obligatio poſita in mutuo uſuram inducit. 95. not. 22. 94. a.
Uſurarium lucrum in triplici munerum ſpecie. 2. t. 91. a. in pacto, ſeu intentione principali, ut remutuetur. 77. b. 91. b. ut mutuatarius veniat ad molendinum. 94. a. ut pro veteri grano novum reddat. c. ut colat agrum. 95. a. ut deſiſtat a vexatione injuſta, quando uſura non eſt. c.
Uſuræ palliatæ definitio. 2. t. LIV. varia uſurarum pallia & fraudes. 1. t. 855. c.
Uſuram qui contractus pallient. 2. t. LIV. LVI. regula in hoc obſervanda. LVIII. n. 4.
Uſura in depoſitis apud mercatores. 2. t. 80. c. 109. d. 112. c. 152. c. pertinet ad hæreſim hæc depoſita lucrativa defendere. LVI. n. 3.
in ſocietatibus. 81. c. 113. a. quid ſi intendatur vera ſocietas, ſed mutuum ſcribatur. 114. b. V. *Societas*.
in ſocidis animalium variis. 115. b. & ſeqq.
in ſatisdatione, ſeu pro aſſecuratione. 121. a. d.
in cambio ſicco. 80. d. 123. b. LV. n. 3.
in litteris cambii civici, ubi lucrum una cum capitali debitum ſcribitur. LXXIX. n. 2. 3. t. 302. a. not. 1.
in contractu mohatra, ſeu venditione alicujus rei majori pretio, & redemtione ejuſdem pretio minori. 2. t. LVII. n. 2. 129. b. V. *Mohatra*.
in cenſibus realibus ex Bulla Pii V. LVIII. n. 4. 134. e. not. 5. 139. c.
quid de perſonali cenſu. LXIII. n. 3.
quid de cenſu miſto. LXIV. n. 4.
quid de vitalitiis. 134. c. & not. 5.
in contractu trium contractuum, qui evidenter monſtratur uſurarius. LVIII. §. 20.
in emtione cum pacto retrovenditionis, ac ſubſequenti locatione quando uſura interveniat, & quando non. LXI. n. 2. 133. c. 137. a. Bartholomæi Cepollæ tractatus circa hunc contractum. LXI. not. 1.
in impreſſitis factis communitati &c. 159. a. & not. 1.
in pignoribus, vel hypothecis pro mutuo acceptis, ubi contractus intervenit vulgo dictus *dar a godere*. 105. a. V. *Pignus*.
in dotibus reſpectu mariti. 79. not. 5. 106. a. reſpectu uxoris viduæ. 81. d. 107. b. not. 25. & ſeqq.
in pecuniis pupillorum. 82. b. 146. b.
in venditione ad terminum, vel ad creditum pro dilata ſolutione. LXXVII. 102. b. & 126. ac ibidem varii caſus. cautio adhibenda, quum in prædiorum venditione integrum pretium non ſolvitur, ut lucrum juſtum proveniat, nec uſura contrahatur. 102. not. 17.
in emtionibus pro ſolutione anticipata. LXXVIII. 81. b. 135. e.
in contractu innominato *do ut des*. LXIV. n. 6. 99. e.
in contractibus mente conceptis, ſed non expreſſis, vel quos altera pars non intelligit, nec vult, ſed mutuum re intelligit, licet aliud nomen voce, vel ſcripto uſurpet. LIV. §. 18.
in contractibus, ut quidam vocant, implicitis fraus aperta. LXII. n. 5.
Uſura quoad titulos lucri.
Tituli lucri honeſti purgantes vitium uſuræ. Lucrum vere ceſſans, 2. t. 98. b. non ſatis eſt lucrum ceſſabile. 99. not. 15. vindicatur hic titulus contra nonnullos. LI. item damnum emergens. 97. d. hi duo tituli veniunt nomine *intereſſe*, & eorum conditiones. LXVI. §. 23. 101. b. lucrum proprie non pariunt, ſed verius compenſationem damni juſtam faciunt. LXVI. n. 2. in pactum deducendi ſunt. 77. not. 3.
Tituli illegitimi uſuram palliantes qui ſint, & regula generalis pro iis diſcernendis. 2. t. LXV. §. 21. & 22. palliatus titulus eſt obligatio non repetendi capitale ad certum tempus. LXVI. item pecunia numeranda pro numerata. LXVII. n. 2. item utilitas, etiam magna, quæ ex mutuo redit in creditorem, non eſt juſtus lucri titulus mutuanti. ibid. n. 3. periculum capitalis in mutuo palliatus titulus demonſtratur. LXVIII. §. 16. V. *Periculum aleæ*; ubi plura notantur. quid de difficili exactione. LXXIII. §. 27. quid de mora debitoris. LXXVII. §. 28. item pœna quando palliatus titulus, & quando non. 103. a. LXXVIII. n. 3. Neceſſitas mutuantis non eſt titulus. XLV. §. 9. 109. not. 27.
Uſuræ dominium num transferatur. 2. t. 141. not. 6. 142. a.
Uſura cui ſit reſtituenda. 2. t. 111. c. num reſtituendus fructus uſuræ. 373. b. not. 12. V. *Reſtitutio*.
Uſuræ cooperantes, & quatenus peccent, ac reſtitutioni obligentur. 2. t. 144. per totum caput nonum. de ſervis 145. b. 147. b. de eorum ſalario. 145. b. not. 2. locans domum uſurariis. 156. e. 157. not. 3. de fideijuſſoribus uſura-

ſurarii. 374. c.
Uſuram ſolventes num peccent. 2. t. 81. c. & not. 8. 131. b. 152. c. 153. b. 3. t. 297. d.
Uſurarii manifeſti qui. 2. t. 150. d. 154. b. per totum caput; ubi de pœnis eorum, & modo agendi cum ipſis. excommunicatio contra facientes ſtatuta, quod uſuræ ſolvantur, vel ſolutæ non repetantur, & judicantes ſecundum ea. 3. t. 1336. e. contra ſepelientes publicos uſurarios. 1341. a. contra clericos locantes domos publicis uſurariis ad fenus exercendum. 1359. c.
Uſus rationis, ſeu annus diſcretionis quando incipiat. 2. t. 989. d.
Uſus rerum, & quibus utendum. 1. t. 290. a. e. 4. t. 632. c. utrum uſus a jure utendi ſeparari poſſit. 4. t. 631. d. 636. c. 636. c.
Uſusfructus definitur, & ejus diviſio, & diſtinctio ab uſu. 3. t. 183. c. 4. t. 638. e.
Uxor qualis eſſe debeat. 3. t. 18. b.

Z

ZElus, ejus cauſſæ, diviſio, & effectus. 1. t. 446. a. & ſeqq. 2. t. 810. b.

FINIS.

F I N I S.

Signat. Topic.
Est 27
Tab 23
Num 12

S. ANTO.

Summa Theologiæ

I.

4853
3861